
0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36
400 40
Jafta
MADE IN SPAIN

R. 1125

ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI
OCCIDENTALIUM MONACHORUM
PATRIARCHÆ.

In quibus non modo res monaſticæ, ſed etiam eccleſiaſticæ hiſtoriæ non minima pars continetur.

Auctore Domno JOHANNE MABILLON, *preſbytero & monacho ejuſdem Ordinis è Congregatione S. Mauri.*

TOMUS QUARTUS,

Complectens res geſtas ab anno Chriſti DCCCC LXXXI. ad annum M LXVI. incluſive, cum Appendice, & Indicibus neceſſariis.

LUTECIÆ-PARISIORUM,
Sumtibus CAROLI ROBUSTEL, via Jacobea, ad inſigne Arboris Palmæ.

M. DCCVII.

CUM PRIVILEGIO REGIS, ET SUPERIORUM FACULTATE.

IN TOMUM QUARTUM

ANNALIUM BENEDICTINORUM

PRÆFATIO.

PRODIT in lucem citius quam ſperaveram, favente ſtudiis noſtris & Bibliopolæ noſtri generoſis pro tempore conatibus illuſtriſſimo Abbate Bignonio, Annalium noſtrorum volumen quartum : at non citius, ut quod res eſt fatear, quam optaveram : tum ut ne poſtuma forte relinqueretur hæc proles : tum ut ne id quodcumque eſt operis, a me aut interruptum, aut omnino derelictum videretur. Etſi enim fortaſſe non magnopere curaturi eſſent ceteri ; noſtri tamen, ſi non me fallit conjectura privato amori indulgentior, hos Annales a me continuari, & quam longiſſime produci optare videntur. Enitar itaque, quoad in me erit, ut eorum deſiderio ſatisfaciam ; adeoque poſt tomum quintum, qui totus jam typis paratus eſt, ſextum deinceps, quatenus Deus opt. max. ſiverit, perſequi non ceſſabo. quem ſi perficere mihi cælitus concedatur, hiſtoriæ noſtræ maxima pars utcumque abſoluta futura eſt. Hunc porro laborem in hac ætate eo lubentius perſequor, quod mihi jucunda ſit hujus operis confectio, ut non modo abſtergat ingraveſcentis ætatis moleſtias, ſed efficiat mollem etiam & jucundam ſenectutem. Atque ut ne breve hoc quod mihi reſtat tempus longiori ac minus utili Præfatione conteram, paucis exponam rerum ſummam, quæ hoc in volumine continentur.

Comprehendit hic tomus annos octoginta-ſex, viginti ſcilicet reſiduos ſæculi decimi, & ſexaginta-ſex undecimi, in quo multo jucundior & ſerenior rerum facies, quam in decimo, ſe ſe explicat. Nam in Romana eccleſia, ubi ſæculo illo decimo, ut in ſuperiori Præfatione expoſui, cognata illi morum ſanctitas & litterarum cultura plurimum labefactatæ fuerant ; ſub finem illius ſæculi ac deinceps ſenſim reviviſcere ac refloreſcere cœperunt per Romanos pontifices, quorum plerique a Gregorio V. uſque ad Eugenium III. Benedictini inſtituti fuere. Ad hanc morum reformationem multum contulit rediviva doctrina & eruditio:

cui reſuſcitandæ ac fovendæ quantum attulerint e noſtris Gerbertus ſeu Silveſter II. Notgerus ſeu Notkerus Leodicenſis ex monacho S. Galli epiſcopus, Abbo Floriacenſis abbas, &, ut Fulbertum alioſque omittam, Lanfrancus, atque Anſelmus Beccenſes, notius eſt quam ut prolixius explicari opus ſit.

Huic ſalubri reſtitutioni operam, auctoritatem atque etiam exemplum impenderunt Germaniæ imperatores, reges & epiſcopi Galliæ, Hiſpaniæ & Angliæ, quos omnes & ſingulos commemorare longum & tædioſum foret. In his primas inter imperatores tenuere Ottones, quorum tertius, Gerberti diſcipulus fuit; inſuper S. Heinricus, Conradus, & Heinricus eo nomine ſecundus imperator: quibus auctoribus res monaſtica, uti & litteraria, non parum incrementi accepit. At præ ceteris inſignis fuit hanc in rem Hugo Capetus, auctor & caput tertiæ Francicæ ſtirpis hactenus feliciter regnantis, qui non modo regulares cunctis monaſteriis abbates poſtliminio reſtituit, ſed etiam regium hunc affectum Rotberto filio piiſſimo, Gerberti itidem diſcipulo, & per eum poſteris ſuis longa ſerie ſucceſſuris inſtillavit. Inter Hiſpaniarum reges præ ceteris enituit pietas & in rem noſtram ſtudium Alfonſi VI. Caſtellæ regis, cognomento Imperatoris, qui Cluniacenſes noſtros maxime coluit, & ex eis Bernardum Toletanæ eccleſiæ archiepiſcopum inſtitui curavit. Denique apud Anglos poſt Eadgarum regem, & Edwardum martyrem ejus filium, quorum principatu religio & litterarum ſtudium per Dunſtanum & Odonem e noſtris Cantuarienſes, atque Oſwaldum Eboracenſem archiepiſcopos, Abbone inter alios præceptore, floruere; novum poſtea ſplendoris incrementum habuere ſub Edwardo confeſſore & Willelmo Conquæſtore per Lanfrancum & Anſelmum archiepiſcopos, non minus ſanctitate & doctrina, quam dignitate illuſtres. Nec prætermittendus hoc loco ſanctus Stephanus Hungariæ rex, qui Anaſtaſium abbatem Colocenſi primum novæ eccleſiæ epiſcopum præficiendum curavit, poſtmodum Strigonienſi archiepiſcopum poſt Sebaſtianum, qui ex monacho illius ſedis pontifex factus, lumine oculorum orbatus erat. Mitto S. Gerardum Canadienſem epiſcopum, Zoërardum ſeu Andream & Benedictum monachos, qui ſanguine ſuo in Hungaria chriſtianam fidem aſſeruerunt.

Cum tot patronos & fautores tunc haberet res publica monaſtica, non mirum quod per ea tempora tantopere propagata fuerit. Hinc Ordo monaſticus, qui unum ad id tempus corpus, etiam poſt ortam illuſtrem Congregationem Cluniacenſem, conſtituerat; poſtmodum in varias Congregationes, quaſi totidem inferiores Ordines, dividi ac diſtingui cœpit, earumque exemplo Cluniacenſis item Ordo dictus eſt. Hinc Camaldulenſis congregatio per Romualdum, Vallumbroſana per Johannem-Gualbertum, Font-Avellana per Rodulfum Eugubinum epiſcopum ortæ ſunt: quibus dein Cartuſienſis, Grandimontenſis & Ciſtercienſis familiæ acceſſere. His Congregationum auctoribus accenſeri poſſent Willelmus Divionenſis, Richardus Virdunenſis, Poppo Stabulenſis & Willelmus Hirſaugienſis abbates, præclara Ordinis noſtri

lumina; qui etſi peculiares Congregationes non erexerint, non minorem tamen rei publicæ noſtræ fructum & ſplendorem attulerunt.

Ex his facile intelligitur, quantum ſæculi undecimi ætas ſæculo decimo præcelluerit; hoc uno inferior, quod decimum nullas ſectas aut hæreſes, ſaltem duraturas, in Latina eccleſia parturierit: aſt undecimum, prô nefas! peſtilentiſſimam Berengarianam hæreſim, quæ ad noſtra uſque tempora per Henricianos, Petro-Bruſianos, Waldenſes, alioſque, in noviſſimas Lutheri & Calvini ſectas tranſmiſſa eſt, infelici partu ediderit. Præceſſerant equidem paullo ante apud Aurelianos & Cameracenſes hæretici, eodem infecti errore; ſed Manichæi omnes, qui, cum veram a Chriſto Domino aſſumtam carnem negarent, non mirum ſi ejuſdem carnis veritatem in Euchariſtia minime agnoſcerent. Aſt Berengarius Manichæorum hæreſim ſe abhorrere profitebatur, maxime in illo ſcripto, quo fidei ſuæ profeſſionem anno M LXXIX. in Romano concilio factam, refutabat: adeoque alia via in ſuum errorem prolapſus eſt. Guitmundus auctor eſt, eum ingenii levitate elatum, « cum philoſophiæ altioris ſecreta attingere non poſſet, novis ſaltem « verborum interpretationibus nomen ſibi facere voluiſſe, præſertim « cum ſe a diſcipulis deſertum videret, qui ad Lanfranci ſcholam con- « fluebant. Hinc invidiæ livore abreptum verborum novitate ad ſe om- « nium oculos attrahere tentaſſe. Unde Paſchaſio-Radberto, qui exi- « mium de ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento librum quondam ediderat, Johannis-Scotti deliramenta præferebat.

Naſcenti hæreſi ſtatim ſe oppoſuit Lanfrancus, tunc Beccenſibus præfectus ſcholis, quem ille ad ſuas partes fruſtra allicere tentaverat. Lanfranco ſe ſe adjunxere Guitmundus, Durandus Troarnenſis, aliique e noſtris; dein Algerus, qui omnes catholicam de Euchariſtia fidem ſtrenue & erudite propugnarunt. Certe Eraſmus, minime ſuſpectus veterum æſtimator, Guitmundum & Algerum *ſummo cum animi fructu* ſe legiſſe fatetur in præclara hoc de argumento epiſtola ad Balthaſarem epiſcopum Hildeſimenſem; ſubditque, ſe *ante hac numquam dubitaſſe de veritate corporis Dominici: ſed tamen neſcio*, inquit, *quo pacto ex hac lectione mihi non parum & confirmata ſententia eſt, & aucta reverentia.* Verum de Berengarianæ illius hæreſis ortu, & progreſſu, variaque ipſius Berengarii fortuna hic pertractare neceſſe non eſt, cum id a me præſtitum ſit in ſecunda Præfatione ad Sæculum ſextum Benedictinum, quæ in hocce volumine & in ſequenti pro nata occaſione referemus.

Ex hoc brevi compendio facile intelligi poteſt, quod citra jactantiam dictum ſit, quantum majores noſtri illis temporibus, uti & ſuperioribus ſæculis, ad pietatem & doctrinam reſtituendam & illuſtrandam, quantum ad rem chriſtianam propagandam contulerint. Verum hæc peculiaris eorum videtur eſſe gloria, quod catholicam de ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento fidem & veritatem ſcriptis ſuis contra novatores aſſeruerint. Primus eis viam aperuit beatus Paſchaſius-Radbertus abbas Corbeienſis, qui juſtum hoc de argumento tractatum ad informandam neophytorum Saxonum fidem, *ad reverentiam ſancti myſte-*

rii commendandam, atque majestatem ejus demonstrandam conscripsit. quæ
[a] Odo Collat. lib. 2. c. 32. *si quis, licet sciolus, legerit*, inquit S. Odo [a] Cluniacensis abbas, *tanta credo discet, ut de hoc mysterio parum se eatenus cognovisse putet.* Mitto in præsens Ratramnum, in quo *transsubstantiationis semina* haberi fa-
[b] Cent. in cent. 9. tentur ipsimet Centuriatores [b] Magdeburgenses. At non prætermittendus Gezo primus abbas Dertonensis monasterii, quod Giseprandus Dertonensis præsul ante medium decimum sæculum construxit. Hic librum de corpore & sanguine Domini ex Paschasio-Radberto, aliisque Patribus composuit, uno & septuaginta capitulis constantem, cujus
[c] Mus. Ital. to. 1. p. 89. & Annal. Bened. to. 3. p. 502. & 503. præfatio & capitulationes in tomo 1. Musei [c] nostri Italici editæ sunt. Sæculo insequenti Aurelianensium hæreticorum pernicioſos errores de-
[d] V. hic lib. 55. Annal. n. 2. texit Arefastus [d], qui postmodum in Carnutensi S. Petri cœnobio monachus factus est. Ubi primum Berengarii error in vulgus spargi cœpit, calamum in eum strinxit Hugo Lingonum antistes, ex alumno Cluniacensi in illam sedem assumtus, & in extremis factus monachus, cujus liber adversus Berengarium ab Acherio nostro in Appendice ad Lanfrancum vulgatus est. Huic statim succedere Lanfrancus, Guitmundus, Durandus Troarnensis, quibus addendus Albericus monachus Casinas, qui in synodo Romana sub Gregorio VII. contra Berengarium disputavit: addendus quoque Wolfelmus Brunwillarensis in Colonienſi diœceſi abbas; qui epistolam in Berengarium scripsit ad Meginhardum abbatem Gladbacensem. Hos omnes subsecutus est non multo post Algerus, qui, ne quid dissimulem, libros tres de corpore & sanguine Domini composuerat, antequam ad Cluniacenses nostros se recepisset. Eodem fere tempore venerabilis Guillelmus, S. Theoderici prope Remorum urbem abbas, librum itidem de corpore & sanguine Domini, duobus capitulis constantem, elucubravit, & *carissimo suo electo ex millibus*, scilicet S. Bernardo, inscripsit, in quo pugnantes in speciem Patrum sententias conciliavit. Hic liber in tomo IV. Bibliothecæ Cisterciensis habetur. Ejus æqualis Petrus Venerabilis, Cluniacensis abbas, S. Bernardi itidem præcipuus amicus, insigne opusculum edidit contra Petro-Brusianos hæreticos, quod *honorandis Dei sacerdotibus, Guillelmo Ebredunensi, Uldrico Diensi, & Guillelmo Vvapincensi* dicavit.

Denique, ut in duodecimo sæculo sistamus, Gregorius, ex Astinensi Vallumbrosani Ordinis abbate anno M C XXXIII. ab Innocentio II. in
[e] Ital. sac. to. 4. p. 648. & seqq. Pisano concilio episcopus [e] Bergomensis creatus, præclarum opusculum triginta-duobus capitulis conscripsit contra novos sui temporis Berengarianos: *qui hæresim Berengarii, ab ecclesia catholica jam dudum convictam atque damnatam, resuscitare conantes, de sacramento altaris omnem veritatem penitus auferre, & in significationem tantum Redemtoris corpus & sanguinem geri dogmatizare præsumunt.* quo in opere *maximæ* sibi *curæ* fuisse dicit *attendere, ut sequens per omnia traditionis ecclesiasticæ fidem, in nullo prorsus a sanctorum Patrum sententiis deviaret. Verum*, inquit, *hæc omnia, quæ hujus serie continentur libelli, vestri arbitrii, venerande Christi præsul Omberte, vel probanda, vel improbanda, committo examini, jam decenter expertus fidem atque industriam pontificalis animi*

vestri. Ombertus iste præsul, cujus censuræ librum suum committit Gregorius, non alius esse videtur quam Obertus [a] Cremonensis epis-
[a] ibid. p. 813. & seqq. copus, qui tum florebat, & a schismaticis Mediolanensibus omnino aversus erat; Honorio papæ II. Innocentio II. Lucio II. & Eugenio III. maxime addictus, a quibus privilegia in ecclesiæ suæ gratiam consecutus est. Hæc sunt ardentissimi in rem catholicam studii ac zeli exempla, nobis a majoribus nostris relicta: quibus insistere, ni degeneres esse velimus, nobis incumbit, quatenus sinunt instituti nostri sacræ leges: quibus neglectis, quævis commendatio, a doctrina & eruditione parta, inanis est, & apud æquos rerum æstimatores merito vilescit.

Ceterum, ut in tam longo tam multiplicium & distantium rerum decursu difficile, immo impossibile est, in hac præsertim ætate, non cespitare aliquando & errare: sic errata mea, ubi mihi comperta fuerint, agnoscere & emendare non erubescam, iis omnibus gratiam habiturus, qui eorum me amice & benevole admonuerint. Sane, quantum ex amicorum admonitionibus profecerim, argumento sunt superiorum voluminum emendationes & retractationes, quas, cum ex meis, tum ex eorum animadversionibus, ad calcem hujusce tomi apponere visum est: ne, si eas in aliud volumen reservarem, forte mihi cum vita exciderent. Verum non omnino rigidos ac severos monitores censores-ve, sed benignos mihi adesse velim. Multa mihi condonari, quæ quidem tolerabilia sint; multa indulgeri opto, excepto si quid contra quemquam inofficiose, maxime si quid vel tantillum contra debitam catholicæ-Romanæ Ecclesiæ reverentiam vel doctrinam mihi nec cogitanti & nolenti excidisset. Absit enim ut ab hac regula veritatis, matre inquam Ecclesia, umquam dissentiam, cujus judicio ac censuræ quæcumque hactenus scripsi, vel posthac scripturus sum, lubens, volens & ex animo submitto: in cujus sinu & fide semper vixi, & constanter, adjuvante Deo, emori exopto.

BREVIARIUM
TOMI QUARTI
ANNALIUM BENEDICTINORUM.

LIBER QUADRAGESIMUS-NONUS.

Ab anno Christi 981. *ad annum* 987.

I. SS. Richarii & Walarici monasteria instaurata. Eorum corpora relata.
II. Avrionense monasterium sancto Petro Carnutensi subjectum. S. Petro donationes factæ.
III. S. Michaëlis Tornodorensis abbatia instauratur. Bruno episcopus S. Benigni monasterium reformat.
IV. Wlfaldus abbas fit episcopus Diensis. Sancti Theotfredi abbates.
V. S. Hilario Carcassonensi facta donatio.
VI. Monasterium S. Genesii de Fontanis.
VII. Adelberti Magdeburgensis præsulis obitus. Corbeiæ-novæ privilegium.
VIII. Ottonis in Italia diplomata. Mathildis comitissæ atavus.
IX. Sublaci dedicatio & abbates.
X. Pertherada inclusa succedit Harkerus.
XI. Wolmarus abbas Gandavensis obit.
XII. Wido, aliique ejus successores.
XIII. S. Mansueti res auctæ.
XIV. Gorziæ facta donatio.
XV. S. Forannanus abbas obit.
XVI. Hartwicus quoque abbas S. Emmerammi.
XVII. Sigerus item Hirsaugiæ abbas. S. Andreæ monasterium Herbipoli.
XVIII. Cluniaci dedicatio. Mayolus Ottoni mortem prædicit.
XIX. S. Severi in capite Wasconiæ monasterium conditur.
XX. Lotharii præcepta pro S. Petro Rodensi & Rivipullo.
XXI. Romualdus patrem in proposito confirmat.
XXII. Olibanus comes Casinum se recipit. Johannes Gradenicus illic pie obit.
XXIII. S. Georgii monasterium Venetiis conditur a Johanne Mauroceno.
XXIV. Ottonis diplomata pro Campidona & Palatiolo.
XXV. S. Vincentii abbatia Capuæ Johanni data.
XXVI. Wernherius Fuldæ abbas obit.
XXVII. Adalbertus fit Pragæ episcopus.
XXVIII. Dietmarus ejus decessor purgatus.
XXIX. Adalberti quale regimen.
XXX. Sancti Gregorii monasterium Constantiæ construitur.
XXXI. Gemblaco immunitas data.
XXXII. S. Quintino de Insula facta donatio.
XXXIII. S. Remigii & Gemetici abbates.
XXXIV. S. Sulpicio restituæ possessiones.
XXXV. Belliloco fit donatio.
XXXVI. B. Mariæ de Soliaco monasterium.
XXXVII. Simorræ & Piciani monasteria instaurata.
XXXVIII. Medulfi cella.
XXXIX. Romualdi variæ sedes.
XL. Parmènsi S. Johannis cœnobio præfectus Johannes.
XLI. Ottonis obitus, ejusque filii coronatio. Merseburgi abbatia ab eo facta.
XLII. Ottone mortuo quanti motus.
XLIII. Gerberti hac de re epistolæ.
XLIV. Ejus scholæ in Italia. Ejus disputatio cum Otrico.
XLV. Virduni turbæ de episcopatu.
XLVI. Theoderico Mettensi præsuli succedit Adalberon.
XLVII. In monachos bene affectus. Spinalii parthenon.
XLVIII. Hirsfeldenses abbates.
XLIX. Hildensheimenses episcopi.
L. Gandersheimenses abbatissæ. Hazecha sanctimonialis.
LI. Aalonius Luxovii abbas cum Mayolo quædam commutat. Aalonco succedit Adso.
LII. Gausinaro abbati Saviniacensi succedit Hugo. Insulæ-barbaræ abbates.
LIII. S. Hilario Carcassonensi datur Cornelianum.
LIV. Coxanensi monasterio quædam legat Mira episcopus.
LV. Exoldunensia monasteria.
LVI. Bremetum duo comites se recipiunt.
LVII. Salvatoris monasterium Papiæ dotatur. S. Petri in Cælo-aureo reficitur.

LVIII. Benedicto papæ succedit Johannes XIV. Monachi in basilica S. Crucis in Jerusalem. Confratriæ institutio.
LIX. Ethelvoldus episcopus obit.
LX. Elfegus ejus successor ex monacho.
LXI. Editheæ virginis obitus.
LXII. Crulandæ abbates. Egelrici duo.
LXIII. Gerberti variæ epistolæ.
LXIV. Hugo Capetus Lothario se adjungit.
LXV. VVarinus ex archiepiscopo monachus. Gladbacenses Coloniam translati.
LXVI. Corbeiensium compositio.
LXVII. Floriaci Amalberto abbati succedit Oisboldus. Anglorum legatio Floriacum.
LXVIII. Abbo in Angliam missus.
LXIX. Ejus epistola ad monachos Anglos.
LXX. Rotbertus abbas Salmurensis & Miciacensis. Monachi sancti Miciacenses.
LXXI. S. Marcelli monasterium in Fellinis.
LXXII. Romani pontifices varii.
LXXIII. S. Attonis monasterium instauratur.
LXXIV. Abbates variorum Germaniæ monasteriorum, & viri quidam illustres.
LXXV. Lotharii regis obitus.
LXXVI. Gerbertus Lotharii exsequiis interest. Multa scribit de rebus publicis.
LXXVII. Geraldo abbati Auriliaci scribit.
LXXVIII. Ecemanno item monacho. Salsense monasterium conditur.
LXXIX. Gerbertus iterum abbas Bobiensis. Petro abbati Cæli-aurei privilegium datum.
LXXX. Ratholdo Corbeiæ abbati succedit Maingaudus. Notarum musicarum primus usus.
LXXXI. S. Præjecti monasterio donatio facta.
LXXXII. VVidoni abbati Blandinii succedit Adalwinus.
LXXXIII. Gisbertus abbas Carnutensis. S. Petri immunitas.
LXXXIV. Arnulfus episcopus Floriaco infestus.
LXXXV. Notrannus episcopus Nivernensis obit.
LXXXVI. Richardus item Autisiodorensis.
LXXXVII. Barcinone capta parthenium S. Petri direptum.
LXXXVIII. S. Cucuphatis privilegia renovata.
LXXXIX. S. Jacobi de Morerola cœnobium conditum. Hispanici quidam sancti episcopi.
XC. Aligerno abbati Casinati succedit Manso. Jerusalem vastata.
XCI. Capua S. Laurentii monasterium. Genuæ monasteria.
XCII. Germaniæ quidam viri illustres.
XCIII. Geraldo abbati Auriliaci succedit Raymundus.
XCIV. Ludovicus rex moritur.
XCV. Hugonis regis litteræ pro S. Vincentio Laudunensi & Floriaco.
XCVI. Aliæ pro Corbeia.
XCVII. Humolariis facta donatio. Abbates ejus loci.
XCVIII. Erluino abbati Gemblaci succedit Heriwardus.
XCIX. Majus-monasterium monachis restitutum.
C. Gellone lignum Crucis colitur.
CI. VVillelmi monachi prima facta.
CII. Cluniacum advenius. S. Saturnini cœnobio præficitur.
CIII. Fulcrannus Lutevensis episcopus monasterium condit. Juncellense reparat.
CIV. Riculfus episcopus Forojulienses.
CV. Laureshami abbates.
CVI. Lindolfi Corbeiæ-novæ abbatis obitus.
CVII. Leo abbas fit Amalfiæ archiepiscopus.
CVIII. Casaurienses abbates. Carpineti & Picziani monasteria.
CIX. Abbo Floriacum reversus.
CX. Abbas Floriaci eligitur non sine turbis.
CXI. Novæ turbæ in ejus benedictione pro subjectione.
CXII. Qualis ejus rei exitus. Abbas ut se gerit.

LIBER L.

Ab anno Christi 988. ad annum 994.

I. Dunstanus archiepiscopus obit.
II. Adalbero archiepiscopus obit. Gerberius successor ab eo designatur.
III. Hugonis regis privilegium pro sancta Columba. Abbates regulares in Gallia restituti.
IV. Rainaldus S. Albini abbas.
V. S. Juniani reliquiæ Carrosium delatæ.
VI. Abbatia S. Amantii de Buxia.
VII. S. Hilarii Carcassonensis translatio. Arulii facta donatio.
VIII. Simorræ donatio Guillelmi comitis.
IX. Hirsaugiæ pestis; & lis de abbatis electione.
X. Sophiæ monachæ Gandersheimensis molitio.
XI. Diploma pro S. Zenone.
XII. S. Pauli cella a Farfensibus ædificata.
XIII. Remorum civitas direpta.
XIV. Gerberti hac de re litteræ.
XV. Arnulfi archiepiscopi donatio sancto Remigio facta.
XVI. Susanna comitissa Elnonem secedit.
XVII. S. Vincentii Laudunensis abbates.
XVIII. Fossatensis monasterii reformatio per sanctum Mayolum.
XIX. Teuto illic abbas post Mayolum.
XX. S. Germani Autisiodorensis reformatio. Heldricus abbas.
XXI. Fulconis comitis donatio facta Majori-monasterio.
XXII. Tutelensium concordia cum Auriliacensibus.
XXIII. Trenorchienses abbates.
XXIV. Episcopi Hildensheimenses & Wirziburgenses. Theodericus & Egilvvardus monachi florent.
XXV. Siricus archiepiscopus Cantuarensis.
XXVI. Alfricus abbas fit episcopus Vviltonensis.
XXVII. Florentiæ S. Mariæ monasterium conditur.
XXVIII. Gerbertus Hugoni adhæret.
XXIX. S. Mauri monasterium Virduni.
XXX. S. Benigni reformatio per Mayolum.
XXXI. Vvillelmus illic abbas ordinatur.
XXXII. Monasteria ab eo reformata in Burgundia.
XXXIII. Fiscamni ecclesia consecratur.
XXXIV. Burgulense monasterium fundatur.
XXXV. Gauzbertus ejus loci abbas.
XXXVI. Malliacense eidem committitur.

BREVIARIUM

XXXVII. *Willelmus dux Aquitaniæ fit monachus.*
XXXVIII. *Willelmus item Provinciæ dux.*
XXXIX. *Ecolismensis ecclesia monachorum. Brantosmi status.*
XL. *Angeriaci abbates.*
XLI. *Navenses item, Stradenses & Dolenses abbates.*
XLII. *Folcuino abbati Laubiensi succedit Herigerus.*
XLIII. *Monasterii ejus status.*
XLIV. *Fulradus abbas S. Vedasti nequam.*
XLV. *Tornense cœnobium conditur.*
XLVI. *Epternacenses scholastici.*
XLVII. *Mortes apud S. Gallum & turbæ.*
XLVIII. *Ekkehardus secundus magister. Ekkehardus tertius.*
XLIX. *Adalbertus episcopus Romæ monachum induit.*
L. *Theophaniæ præceptum pro Farfa de cella Victoriæ.*
LI. *Alia cella eidem data.*
LII. *Johannes abbas Parmensis obit. Cæli-aurei abbates.*
LIII. *Salvatoris monasterium Carracedi conditur. Aliud Nemausi.*
LIV. *Arnulfi archiepiscopi depositio.*
LV. *Gerberti electio.*
LVI. *Rainulfus abbas Senonensis.*
LVII. *Milidunense S. Petri cœnobium conditur. Variæ ejus ruinæ.*
LVIII. *S. Mariæ abbatia Miliduni.*
LIX. *Odilonis parentes & conversio. Electio ejus in abbatem.*
LX. *Adsonis Dervensis abbatis extrema facta.*
LXI. *Eingenius abbas trium monasteriorum.*
LXII. *S. Michaëlis de Monte abbates & incendium.*
LXIII. *Montis & monasterii descriptio.*
LXIV. *S. Theotfredi abbas Guigo.*
LXV. *Lezatenses abbates.*
LXVI. *Gemblaci relaxatio sub Erluino abbate.*
LXVII. *Halberstadensis ecclesiæ dedicatio.*
LXVIII. *Godehardus Altahæ monachus.*
LXIX. *Monasteria duo in Saxonia fundata.*
LXX. *Adso abbas Dervensis moritur.*
LXXI. *Latiniacense monasterium instauratum. Doctrinæ propagatio ab ecclesia Remensi.*
LXXII. *Fulberti episcopi primordia.*
LXXIII. *Herberti comitis obitus.*
LXXIV. *S. Benigno datum altare.*
LXXV. *S. Cæsario facta restitutio.*
LXXVI. *S. Oswaldus archiepiscopus obit. Aldulfus abbas ei succedit. Crulandæ abbates.*
LXXVII. *S. Udalrici episcopi canonizatio.*
LXXVIII. *Sigifridi comitis donatio sancto Maximino.*
LXXIX. *Ingelardus abbas Centulæ bona recuperat. Centulæ viri insignes.*
LXXX. *Willelmus dux Aquitaniæ fit monachus. S. Leodegarii cœnobium prope Niortum. Abbatissæ sanctæ Crucis.*
LXXXI. *Ecbertus Trevirensis præsul obit.*
LXXXII. *Gerberti ad eum epistolæ.*
LXXXIII. *Bernwardus fit episcopus Hildensheimensis. Mettensis parthenonis controversia finita.*
LXXXIV. *Defertinæ confirmata privilegia.*
LXXXV. *S. Andreæ monasterium Viennæ instauratum.*
LXXXVI. *Turbæ de Gerberti electione.*
LXXXVII. *Gerberti hac de re epistolæ. Auriliacenses abbates.*
LXXXVIII. *Mayoli extrema facta. Silviniaci moritur.*
LXXXIX. *Vitæ ejus scriptores.*
XC. *Discipuli ejusdem.*
XCI. *S. Dionysii monasterium reformatur.*
XCII. *S. Mariæ de Campis cella.*
XCIII. *S. Germani Autisiodorensis privilegium.*
XCIV. *S. Michaëlis in Eremo ecclesia S. Florentio data. Item Livriacum. Miciacenses abbates.*
XCV. *S. Martialis delatio, ejusque loci abbates. Jerosolymorum vastatio.*
XCVI. *Adalbertus Pragam revocatur.*
XCVII. *Wolfgangus episcopus Ratisponæ obit.*
XCVIII. *Ramuoldus abbas S. Emmerammi falso accusatur.*
XCIX. *Senonense monasterium fundatur.*
C. *Terracinensium oblatio facta S. Benedicto.*
CI. *Johannes papa Roma pulsus. Romæ quot tunc monasteria.*
CII. *Gerardi Tullensis episcopi obitus & successores.*

LIBER LI.

Ab anno Christo 995. ad annum 1000.

I. *Gerbertus Arnulfo archiepiscopatum cedit.*
II. *Leo abbas S. Bonifacii. Leo ex abbate Nonantulæ illic monachus. Leo alter Nonantulæ abbas.*
III. *Alii duo ejusdem nominis episcopi.*
IV. *Abbonis concertatio in synodo Dionysiana. Apologeticum ejusdem.*
V. *Simoniacorum effugia rejecta.*
VI. *S. Dionysii monachi damnati ob seditionem.*
VII. *Abbonis collectio canonum.*
VIII. *Bernardus abbas Belli-loci Romam adit.*
IX. *Willelmus Divionensis abbas in eodem itinere ægrotat.*
X. *Beatæ Mariæ Suessionensi restituta bona. Item S. Crispino.*
XI. *Burgulii fundatio confirmata. Odo comes obit monachus. Rotberti regis cum Berta connubium.*
XII. *Cameracenses turbæ.*
XIII. *Heinricus dux Gandersheimii sepultus.*
XIV. *Riddagus abbas Magdeburgensis.*
XV. *Augustenses & Constantienses episcopi.*
XVI. *Ansfridus episcopus Trajectensis.*
XVII. *Blandinienses abbates.*
XVIII. *S. Cuthberti translatio Dunelmum.*
XIX. *Ottonis iter Romam, & coronatio. Gregorii V. electio.*
XX. *Ottonis placitum pro Brumiensi monasterio. Diplomata pro variis monasteriis, pro Farfa & S. Flora.*
XXI. *Gregorius V. monachus. Ejus bulla pro Stabulensibus.*
XXII. *Romualdus Classensibus præficitur.*
XXIII. *Tiburtes Ottoni reconciliat. Venerium eremitam informat.*
XXIV. *Abbo mittit Leoni abbati reliquias sancti Benedicti.*
XXV. *Abbonis duplex iter Romam.*
XXVI. *Gerberti ad Ottonem epistolæ.*
XXVII. *Adalberius Romam revisit.*
XXVIII. *Moguntiæ demoratur. Sacra loca visitat.*
XXIX. *Johannes antipapa.*
XXX. *Mutinense sancti Petri cœnobium conditur.*
XXXI. *Genuæ monasterium S. Syri.*
XXXII. *Mansoni abbati Casinati suffectus Johannes.*
XXXIII. *Cluniaci cellæ & possessiones confirmatæ.*
XXXIV. *Anicienses episcopi.*
XXXV. *Gregorius abbas Einsidlensis obit.*
XXXVI. *Godehardus fit abbas Altahæ inferioris.*
XXXVII. *Alfricus archiepiscopus Cantuariensis.*
XXXVIII. *Hugonis regis obitus, & monita ad filium.*
XXXIX. *Richardus Nortmannorum dux obit.*
XL. *Abbonis legatio Romam.*
XLI. *Arnulfus Remis restituitur.*
XLII. *Ferrariensis monasterii status.*
XLIII. *Rainardus abbas Senonensis.*
XLIV. *Abbonis epistolæ ad Gregorium papam. Gregorii ad eum epistola.*
XLV. *Martinianis canonicis favet Abbo.*
XLVI. *Gerbertus non ita.*
XLVII. *S. Martini asyli violator Fulco ut satisfecit.*
XLVIII. *Dissensio in Majori-monasterio in abbatem.*
XLIX. *Miciaci alia similis.*
L. *Letaldus scribit vitam S. Juliani.*
LI. *Abbonis epistola de decimis.*
LII. *Theobaldus abbas Cormaricensis.*
LIII. *Fulberti epistola ad Adeodatum.*
LIV. *Usercæ Agedunum donatur.*
LV. *Turbæ de electione in Monte-majori. Epistola ad Gregorium papam.*
LVI. *Mosomenses abbates & Augienses.*
LVII. *Quindelinburgi nova ecclesia dicatur.*
LVIII. *Altenense monasterium. Pruelense prope Ratisponam.*
LIX. *Adalberti episcopi martyrium.*
LX. *Thietdagus Adalberti successor.*
LXI. *Stephanus rex Hungariæ monasterium condit. Anastasius abbas.*
LXII. *Petri-Urseoli obitus. Hugonis Tusciæ ducis monasteria.*
LXIII. *Brixiensis & Ambrosiani monasteriorum privilegia renovata.*
LXIV. *Sigifridus episcopus Placentinus.*
LXV. *Johanni abbati Casinati suffectus alter Johannes.*
LXVI. *Ottonis diplomata pro Ambrosiana & Einsidla.*
LXVII. *Gerbertus fit archiepiscopus Ravennæ.*
LXVIII. *Rotberti regis connubium rescissum.*
LXIX. *Ravennas concilium de eucharistia.*
LXX. *Hermenfredus abbas Galliatensis.*
LXXI. *Hugo abbas Farfensis. Lis ejus cum presbyteris Romanis.*
LXXII. *Ejusdem præclara constitutio.*
LXXIII. *Abbo divortium Bertæ regi persuadet.*
LXXIV. *Rotberti diplomata pro Fossatis & sancto Maglorio.*
LXXV. *Burchardi donatio S. Walarico facta.*
LXXVI. *Flaviniaci status & abbates.*
LXXVII. *Aimoinus historiam Francorum scribit.*
LXXVIII. *Dervensis ecclesiæ dedicatio. Hugonis monachi emendatio.*
LXXIX. *S. Arnulfi monasterii reformatio & abbates.*
LXXX. *Item S. Apri & Gorziæ.*
LXXXI. *Guillelmo abbati episcopi & abbates adhærent.*
LXXXII. *Salvatoris monasterium in Vosago.*
LXXXIII. *Cluniaco data confirmantur. S. Victoris ecclesia Genevæ Odiloni commissa.*
LXXXIV. *Beracense monasterium conditur.*
LXXXV. *Defunctorum commemoratio instituta.*
LXXXVI. *S. Theotfredi cella.*
LXXXVII. *Bernardus episcopus Cadurcensis.*
LXXXVIII. *Bellilocensis monachi donatio in honorem S. Mariæ.*
LXXXIX. *Monasteria in Saxonia condita.*
XC. *Gregorio V. succedit Gerbertus.*
XCI. *Andaonense monasterium.*
XCII. *Leo archiepiscopus Ravennas.*
XCIII. *Johannes abbas S. Vitalis.*
XCIV. *Cella Minionis Farfensibus asserta.*
XCV. *Placitum de eadem cella.*
XCVI. *Leo Vercellensis episcopus. Bonus-homo abbas Bremetensis.*
XCVII. *Petrus Sublaci abbas, aliique.*
XCVIII. *Mathildis abbatissa obit, Adelheida succedit.*
XCIX. *Adelaïdis augusta item obit.*
C. *Sigefridus apostata. Hidestevense monasterium eversum.*
CI. *Paredum Cluniaco subditur.*
CII. *Taluzatis cella. Saviniaco facta donatio.*
CIII. *Mayoli cella Papiæ. S. Bobonis monasterium.*
CIV. *Episcopo facto monacho ordinationes an licitæ.*
CV. *Burgulii res auctæ.*
CVI. *Sevvinus Senonum archiepiscopus obit.*
CVII. *S. Laurentii de Carbonario monasterium instauratur.*
CVIII. *Leothericus Sevvino succedit.*
CIX. *Processiones Resbacenses & Jotrenses.*
CX. *Fossatis facta donatio. S. Maglorio data Lehoniensis cella.*
CXI. *Emmonis libri ad Willelmum abbatem.*
CXII. *S. Montanæ translatio Ferrarias.*
CXIII. *Castrum de Salis a S. Benedicto protectum.*
CXIV. *Gauzbertus abbas Romam adit. S. Petri de Cultura, & S. Vincentii status.*
CXV. *Burchardus archiepiscopus & Geraldus comes Saviniaco quædam donant.*
CXVI. *Galterii abbatis statutum contra fures.*
CXVII. *Monti-majori facta donatio Pertusi.*
CXVIII. *S. Victoris monasterium instauratum.*
CXIX. *Odbertus abbas Sithiensis. Duello lis finita.*
CXX. *Ottonis varia gesta. Caroli Magni corporis detectio.*

BREVIARIUM

CXXI. *Alawicus fit Argentorati episcopus.*
CXXII. *Thammi conversio. Romualdi iter Casinum, aliaque facta.*
CXXIII. *Bonifacius Prussorum apostolus.*
CXXIV. *Romualdi quædam facta.*
CXXV. *Ejus discipuli in Poloniam missi.*
CXXVI. *Monachi duo respiscunt.*
CXXVII. *Stephani Hungariæ ducis legatio Romam.*
CXXVIII. *Monasterium Ravennæ ab eo exstructum.*
CXXIX. *Monachi laxius viventes, non mutandi, sed reformandi.*
CXXX. *Poppo lustratis sacris locis fit monachus.*
CXXXI. *Sagunti monasterio fit donatio.*

LIBER LII.

Ab anno Christi 1001. ad annum 1007.

I. II. Ordinis in hoc sæculo status. Otto S. Adalberti monasterium condit. Leoni Ravennæ præsuli suffectus Fridericus. Pomposæ monasterium liberum.
III. *Senensia monasteria.*
IV. *Gandersheimensis litis summa.*
V. *Gandersheimensis ecclesiæ dedicatio turbata.*
VI. *Varia hac de re concilia.*
VII. *S. Germani monasterium Autisiodorense inexpugnatum.*
VIII. *S. Benigni nova basilica inchoata. Willelmi caritas in egenos. Vizeliaci abbates.*
IX. *Fiscannum Willelmo commissum.*
X. *Ejus loci viri illustres. alia monasteria Willelmo commissa.*
XI. *Abbonis abbatis epistola ad Odilonem abbatem.*
XII. *Friderici comitis & Richardi monastica professio.*
XIII. *Huchertus abbas S. Albini.*
XIV. *Herveus canonicus monachice vivit. Prulliaci abbatia.*
XV. *S. Theotfredo canonici Anicienses quædam donant.*
XVI. *Anianæ abbates.*
XVII. *Canigonensis monasterii initia.*
XVIII. *Burchardus abbas S. Galli.*
XIX. *Ramvoldi abbatis & Gerbergæ abbatissæ obitus.*
XX. *Ramvoldi successores.*
XXI. *Hirsaugiæ desolatio.*
XXII. *Wilikensis monasterii abbatissa prima Adelheidis.*
XXIII. *Sceptoniæ facta donatio. Episcopi Schireburnenses.*
XXIV. *Ottonis imperatoris obitus.*
XXV. *Henricus succedit. Sophiæ abbatissæ benedictio.*
XXVI. *Heinrici prima diplomata. Hugo dux Florentiæ sepultus.*
XXVII. *Correni cella Montis-majoris. S. Luciani reliquiæ inventæ.*
XXVIII. *Flaviniacenses abbates. S. Michaëlis item ad Mosam.*
XXIX. *Heinrici præcepta pro Corbeia & Herisforda.*
XXX. *Perusini monasterii privilegium assertum in synodo Romana.*
XXXI. *Brunonis nativitas & parentes.*
XXXII. *Silvestri papæ obitus, scripta & apologia. Sepultura ejusdem.*
XXXIII. *Successores.*
XXXIV. *Fructuariense monasterium conditur.*
XXXV. *S. Benigno facta donationes.*
XXXVI. *Odonis vicecomitis, ejusque conjugis epitaphia.*
XXXVII. *Argentoilum restitutum.*
XXXVIII. *Milidunensis monasterii immunitas.*
XXXIX. *Magenardus in Carnutense monasterium intrusus. Fulberti hac de re epistola ad Abbonem.*
XL. *Notanda in hac epistola.*
XLI. *Gisberti abbatis epitaphium.*
XLII. *Comite mortuo Magenardus stabilitur.*
XLIII. *Dolenses abbates.*
XLIV. *Lezati quædam cellæ.*
XLV. *Fingenius abbas obit. Ejus successores. Constantinus scriptor vitæ Adalberonis.*
XLVI. *S. Clementis Mettensis abbates.*
XLVII. *Richardus abbas S. Vitoni. Friderici modestia.*
XLVIII. *Abbonis iter in Vasconiam. Epistola ejus ad Odilonem.*
XLIX. *Mors ejusdem. Sepultura ejus qualis. Encyclica de eo epistola.*
L. *Martyrium ejus & cultus.*
LI. *Vita ejus ab Aimoino scripta.*
LII. *Ejusdem scripta.*
LIII. *Discipuli ejus.*
LIV. *Gauzlinus Abbonis successor.*
LV. *Monacho in extremis derelicto adest S. Benedictus.*
LVI. *Johannis papæ privilegium pro S. Florentio.*
LVII. *Gausbertus abbas Majoris-monasterii.*
LVIII. *Teutoni Fossatensi abbati suffectus Theobaldus.*
LIX. *Psalmodium instauratur. Coxano facta donatio.*
LX. *Willelmi vicecomitis professio monastica in extremis.*
LXI. *S. Eusebii Aptense monasterium.*
LXII. *Fulradus abbas S. Vedasti ejectus.*
LXIII. *S. Trudonis abbates.*
LXIV. *S. Martini Trevirense cœnobium direptum. Burtonense monasterium.*
LXV. *Johannis-Canaparii & Franconis obitus.*
LXVI. *Lotharingiæ duces.*
LXVII. *S. Arnulfi res ab Adalberone servatæ. Adalberonis obitus.*
LXVIII. *Abbates quadraginta ab eo ordinati.*
LXIX. *Theodericus ejus successor. Trotmanni synodus.*
LXX. *Godehardus abbas Herisfeldenses reformat.*
LXXI. *Tegernsense & Cremense eidem commissa.*
LXXII. *Tegernsensium abbatum series emendata.*
LXXIII. *Tegernsenses sub Godehardo abbates.*
LXXIV. *S. Benigni cella erecta. Vicarii perpetui.*
LXXV. *S. Stephani cella item Belnensis.*
LXXVI. *Patriciaci miracula facta. Durandus Floriaci monachus.*
LXXVII. *Cluniaco factæ donationes.*
LXXVIII. *S. Remigii Remensis abbates.*

LXXIX. *Figiaci abbates.*
LXXX. *Fames ingens.*
LXXXI. *Rotberti diplomata pro Fiscanno. S. Audoëni abbates.*
LXXXII. *Rotberti diploma pro S. Benigno. Ejus colloquium cum Heinrico.* [mata.
LXXXIII. *Fossatensibus præbenda, & alia confir-*
LXXXIV. *S. Vitoni monasterium instauratur.*
LXXXV. *Friderici monachi humilitas.*
LXXXVI. *Benefactores hujus loci & viri illustres.*
LXXXVII. *Immo Gorziensis fit Augiæ abbas.*
LXXXVIII. *Prumiense monasterium ab Heinrico rege visitur.*
LXXXIX. *Placitum ejus pro Italicis monasteriis.*
XC. *Theodericus monachus S. Matthiæ. Abbates ejus loci.*
XCI. *Guntherus Altahæ fit monachus.*
XCII. *Montis S. Mariæ monasterium dedicatur.*
XCIII. *Alfrico Cantuariæ archiep. succedit Elfegus.*
XCIV. *Adalbertus abbas Bisuldunensis.*
XCV. *Bambergæ episcopatus & monasteria. Alia Bambergæ subjecta.*
XCVI. *Gisla & Rothegardis abbatissæ mortuæ. Neuburgense monasterium.*
XCVII. *Epternacenses abbates.*
XCVIII. *S. Livini translatio Gandam.*
XCIX. *Herigero abbati Laubiensi succedit Ingobrandus. Quæstio de adventu.*
C. *Theodericus Belga nascitur. Melbodii eruditur ab Ansoalde sorore.*
CI. *Fulbertus fit episcopus Carnutensis. Odilo abbas quanti apud eum.*
CII. *Gausberti abbatis successores.*
CIII. *Belli-montis monasterium conditur.*
CIV. *Bellilocense apud Loccas cœnobium conditur.*
CV. *Canigonensi & Rodensi monasteriis fit donatio.*
CVI. *S. Flori monasterium.*
CVII. *Hugoni abbati Saviniaci succedit Durantus.*
CVIII. *Padolironense monasterium conditur.*
CIX. *Symeonis monachi vitæ compendium.*
CX. *Bonifacius dux Etruriæ.*
CXI. *Prataliæ cœnobium conditur.*
CXII. *Petri Damiani ortus, & vitæ initia.*

LIBER LIII.

Ab anno Christi 1007. ad annum 1014.

I. II. S. Dionysio ablata restituuntur. Lis renovata de subjectione cœnobii Floriacensis.
III. *Richardo commissa abbatia S. Vedasti. Alia monasteria eidem commissa.*
IV. *Notgeri Leodicensis episcopi obitus.*
V. *Olbertus monachus Burchardi episcopi præceptor.*
VI. *Trevirenses turbæ. Berno Augiæ abbas.*
VII. *Guntherus eremum petit.*
VIII. *Zoërardus & Benedictus eremitæ.*
IX. *Gerardus abbas Crispiacensis, tum Fontanellensis. Lezelinus Crispiaci abbas.*
X. *Felix in Armoricam missus.*
XI. *Aimoini obitus & scripta.*
XII. *Besuæ tributæ supplicationes & confessiones.*
XIII. *S. Martialis abbates.*
XIV. *Guarinus abbas generalis. Electense monasterium & Garrense.*
XV. *Montis-majoris abbates, & quidam monachi illustres.*
XVI. *Jerosolymis templum eversum. Johanni papæ succedit Sergius IV.*
XVII. *Hugo & Guido abbates Farfenses.*
XVIII. *Cluniacenses consuetudines Farfæ receptæ.*
XIX. *Officinarum regularium mensuræ.*
XX. *Libri dati in capite quadragesimæ.*
XXI. *S. Mariæ Florentiæ facta donatio.*
XXII. *S. Johannis monasterium Venetiis.*
XXIII. *Arduinus presbyter Ariminensis.*
XXIV. *Brunonis archiepiscopi martyrium.*
XXV. *Parricidii pœnitentia.*
XXVI. *Poppo matrem suam convertit.*
XXVII. *S. Vedasti res curat.*
XXVIII. *Ænhamense concilium.*
XXIX. *S. Michaëlis de Monte abbates.*
XXX. *Solemensis cella.*
XXXI. *Attilanus episcopus obit.*
XXXII. *Heldrici abbatis S. Germani obitus & successores.*
XXXIII. *Wolferius monachus Reomaënsis.*
XXXIV. *Flaviniacenses abbates.*
XXXV. *Tiernense monasterium Odiloni commissum.*
XXXVI. *S. Severi res confirmatæ.*
XXXVII. *Malliacense novum monasterium conditur.*
XXXVIII. *Angeriaci caput S. Johannis inventum.*
XXXIX. *Angeriacenses abbates.*
XL. *Landulfi episcopi donatio pro parte capitis.*
XLI. *Carentiniacum monasterium.*
XLII. *S. Fidis miracula scripta a Bernardo scholastico.*
XLIII. *Monasteria Marcæ Hispanicæ.*
XLIV. *Tarasia princeps fit monacha.*
XLV. *Martianus abbas S. Eusebii.*
XLVI. *S. Solutoris & Caburri monasteria.*
XLVII. *Bodonis-monasterii fortuna. Salvatoris monasterium.*
XLVIII. *Ansfridus episcopus Trajecti obit.*
XLIX. *Johannes quoque abbas Casinensis.*
L. *Athenulfus ejus successor.*
LI. *Rupertus episcopus & Maginfridus monachus defuncti. Corbeia nova abbates.*
LII. *B. Mariæ Superius monasterium Ratisponæ renovatur.*
LIII. *Bernardi ducis & Willigisi archiepiscopi obitus. Erkembaldus Willigisi successor.*
LIV. *Diploma pro Tegernsensibus. Herisfordensium reformatio.*
LV. *Arnulfus abbas Carnutensis.*
LVI. *Abbates Miciacenses & Salmurenses.*
LVII. *Albertus abbas Miciacensis. Epistola ejus ad papam.*
LVIII. *Alberti donationes Gemetico & S. Audoëno.*
LIX. *S. Victoris ecclesia datur S. Theotfredo.*
LX. *Stablonensis cella.*
LXI. *Sergii papæ bullæ pro variis monasteriis.*
LXII. *Oniense monasterium duplex.*
LXIII. *Sergii papæ extrema facta & successor.*
LXIV. *S. Vincentii ad Wlturnum monasteria & abbates.*
LXV. *Farfensium lis.*
LXVI. *Bellilocensis monasterii dedicatio.*
LXVII. *Benedicti papæ litteræ pro S. Benigno. Benignus episcopus ibi monachus.*

LXVIII. *Rotbertus abbas Gemeticensis. Burgulienses abbates.*
LXIX. *Burchardus comes obit monachus.*
LXX. *S. Martini cœnobium Lemovicis, ejusque abbates.*
LXXI. *S. Theotfredo ecclesia S. Laurentii subjicitur. S. Theotfredi abbates.*
LXXII. *Condomi instituti monachi. Abbates ejus loci.*
LXXIII. *Gerardus episc. Cameracensis ordinatur.*
LXXIV. *Florinense monasterium.*
LXXV. *Olbertus abbas Gemblacenses reformat. Sithienses abbates.*
LXXVI. *Brunonis mater se recipit ad Medianum-monasterium. Brunonis monachatus.*
LXXVII. *Adelheidis Coloniæ fit abbatissa.*
LXXVIII. *S. Udalrici monasterium, ejusque primi abbates.*
LXXIX. *Bonifacii archiepiscopi martyrium.*
LXXX. *Romualdi varia monasteria.*
LXXXI. *Hungariam adire non sinitur.*
LXXXII. *Resraldus Parmæ episcopus.*
LXXXIII. *Germanicæ res. Sigefredus abbas Magdeburgi.*
LXXXIV. *Godehardus Altahæ redux. Theodorus obit.*
LXXXV. *Elfegi archiepiscopi martyrium.*
LXXXVI. *Mortes in Germania.*
LXXXVII. *Gerenrothe monasterium.*
LXXVIII. *Fuldæ mutatio.*
LXXXIX. *Bardo cum abbate recedit.*
XC. *Hermanni Contracti nativitas.*
XCI. *Gauzlinus fit archiepiscopus Bituricensis.*
XCII. *Floriacum se recipiunt nobiles Hispani.*
XCIII. *Giraldus abbas Salmurensis.*
XCIV. *Manuasca ecclesia S. Victori datur.*
XCV. *S. Miniatis monasterium instauratur.*
XCVI. *Heinrici iter in Italiam. Ejusdem coronatio.*
XCVII. *Varia ejus diplomata.*
XCVIII. *Symbolum an Romæ olim cantatum.*
XCIX. *Heinrici dona Cluniaco facta.*
C. *Poppo abbas eum a spectaculis revocat.*
CI. *Hatwi abbatissæ obitus.*
CII. *Morardo abbati S. Germani succedit Ingo; Ratbodo Elnonensi Richardus.*
CIII. *Malliacum corpus S. Rigomeri transfertur.*
CIV. *Nobiliaci abbas Constantinus, aliique.*
CV. *Rainaldus, Plato aliique S. Maxentii abbates.*
CVI. *Bassiacum monasterium conditur.*
CVII. *Selva abbas Canigonensis.*
CVIII. *Andaonensi monasterio data ecclesiæ.*
CIX. *Heinrici diploma pro Fructuaria.*
CX. *Bulla pro Bremetensi monasterio.*
CXI. *S. Justinæ abbates.*
CXII. *Hugo Farfæ abbas iterum ordinatur.*
CXIII. *Odilonis itinera Romam.*
CXIV. *Placita de quodam castello Farfensium.*
CXV. *Eveshamense cœnobium renovatur.*
CXVI. *Carrosi reformatio & abbates.*

LIBER LIV.

Ab anno Christi 1015. ad annum 1021.

I. *Abdinchofense monasterium conditur.*
II. *Corbeiæ-novæ reformatio.*
III. *Werthinenses abbates.*
IV. *Adelheidis abbatissa Vilikensis obit.*
V. *Gemblaco facta donatio.*
VI. *S. Vitoni res confirmatæ. Litardus comes factus illic monachus.*
VII. *Humbertus monachus Mediani-monasterii.*
VIII. *S. Præjecti monasterio donatio facta. Dudo decanus S. Quintini.*
IX. *Alberti comitis funesta mors. Walerannus abbas Humolariensis.*
X. *S. Benigno remissæ præstationes.*
XI. *Ingo abbas S. Petri-Vivi. Ludovicus comes illic monachus.*
XII. *Tufiacum monasterium instauratur.*
XIII. *Odonis comitis litteræ pro Majori-monasterio.*
XIV. *S. Andreæ Viennensi quædam restituta.*
XV. *Durandus episcopus Vencensis monasterium S. Verani condit.*
XVI. *Arduinus rex fit monachus.*
XVII. *S. Nicolai monasterium Camerinense conditur.*
XVIII. *Rotberti iter Romam.*
XIX. *Bulla pro Cluniaco.*
XX. *Theodericus fit episcopus Aurelianensis.*
XXI. *Angelramnus abbas Centulensis.*
XXII. *Herbertus & Richardus abbates Corbeienses.*
XXIII. *Pontis-levii prœlium.*
XXIV. *Ebroilensi monasterio Willelmus comes quædam donat.*
XXV. *Silvii conversio.*
XXVI. *Arte-cellæ seu Brignollæ origo. Montis-majoris nova basilica.*
XXVII. *S. Jacobi monasterium Leodici inchoatur.*
XXVIII. *Regimbaldus Laureshami & Fuldæ abbas obit. Miminlevæ monasterium Hersfeldensi subjectum.*
XXIX. *Angliæ reges, & status perturbatus.*
XXX. *Simeonis Padolironensis eremitæ obitus.*
XXXI. *Ambrosiani abbates, eorumque jurisdictio.*
XXXII. *Hugo rex a Rotberto patre dictus. Diploma pro Cluniaco.*
XXXIII. *Willelmi ducis donatio eidem facta.*
XXXIV. *Abbates Rotensis episcopi electioni præsentes.*
XXXV. *Benedicti papæ privilegia.*
XXXVI. *Fructuariæ libertas assertæ.*
XXXVII. *A Lingonensi episcopo probata.*
XXXVIII. *Bulla pro Farfa.*
XXXIX. *Keminadæ monasterium confirmatur.*
XL. *Chunegundis morbus & votum. Aliæ res Germanicæ.*
XLI. *Hekkihardus Pragæ episcopus. Magdeburgi incendium. Colomanni martyrium.*
XLII. *Res Trevirenses.*
XLIII. *Wolbodo cœnobium S. Jacobi perficit.*
XLIV. *S. Pegæ abbates.*
XLV. *Crulandenses.*
XLVI. *Maricolis monachi restituti. S. Andreæ monasterium.*
XLVII. *Luxovii privilegium renovatum. Constantius monachus doctus.*
XLVIII. *Herimannus Tulli episcopus bene affectus in monachos. Vicarii parochiarum.*
XLIX. *Rotberti regis præceptum pro Flaviniaco.*
L. *S. Rotbertus Molismensis nascitur.*
LI. *Tetfridi abbatis Bonæ-vallis depositio.*
LII. *Angeriaci tumultus.*
LIII. *S. Amantii monasterium translatum. Parochialia jura. Vinzellæ cella.*
LIV. *Ademarus monachus & scriptor.*
LV. *S. Eparchii abbates.*
LVI. *Saviniaco factæ donationes. Item S. Victori.*
LVII. *Heinrici Imp. duo diplomata pro Einsidla.*
LVIII. *Cervariæ cellæ.*
LIX. *Guidonis abbatis Pomposiani vitæ compendium.*
LX. *Romualdus Camalduli eremum incolit.*
LXI. *Camaldulensium vitæ genus.*
LXII. *S. Theodori monasterium Caietæ.*
LXIII. *Rotberti præceptum pro Latiniaco.*
LXIV. *Cluniaco factæ donationes.*
LXV. *Trenorchii dedicatio.*
LXVI. *S. Martialis abbates.*
LXVII. *Crassæ abbates, aliique.*
LXVIII. *Cariloci parthenon fundatur.*
LXIX. *Willelmi comitis donatio Fructuariæ.*
LXX. *Lisborni & Sceldice abbatiæ. Heinrici varia diplomata.*
LXXI. *Ditmarus episcopus obit. Heimeradus item presbyter.*
LXXII. *Tuitiense monasterium dedicatur.*
LXXIII. *Clivi-Scauri monasterio fit restitutio.*
LXXIV. *Abbates S. Salvatoris apud Reate.*
LXXV. *Concilium Airiacense.*
LXXVI. *Dervenses abbates.*
LXXVII. *S. Benigno datur monasterium Sarmasiæ.*
LXXVIII. *Theodericus episcopus Aurelianensis Fulberto reconciliatus.*
LXXIX. *Richardi litteræ pro Fontanella.*
LXXX. *Majoris-monasterii quædam cellæ.*
LXXXI. *S. Nicolai cœnobium Andegavis conditur.*
LXXXII. *Credonensis cella.*
LXXXIII. *S. Martialis abbates.*
LXXXIV. *Peciano monasterio datur Bassona. Sordua vindicatur.*
LXXXV. *Iterus abbas Saviniaci ordinatur. Talueriæ Saviniaco datæ.*
LXXXVI. *S. Vitono facta donatio. Frederici monachi obitus.*
LXXXVII. *Richardus Malbodum Elnonensibus præficit, Popponem Stabulensibus.*
LXXXVIII. *Monasterium Virduni muris includi non fert.*
LXXXIX. *Bergense monasterium conditur.*
XC. *Hermannus scholis traditus.*
XCI. *Cnuti regis benefacta in nostros.*
XCII. *Elienses abbates. Egino Ithus Angliæ primas.*
XCIII. *Fructuariæ dat quædam Gerardus comes.*
XCIV. *Firmanus S. Savini abbas.*
XCV. *S. Stephani de Cornu monasterium.*
XCVI. *Romualdus Sitriæ districtius vivit.*
XCVII. *Falso accusatus pœnitentiam subit.*
XCVIII. *Guislæ comitissæ & Bernardi comitis testamenta.*
XCIX. *Laubiense monasterium Richardo commissum.*
C. *S. Laurentii monasterium Leodici inchoatum.*
CI. *Wolbodo episcopus obit. Olbertus S. Laurentii abbas.*
CII. *Heribertus quoque Coloniæ antistes obit.*
CIII. *Helias abbas Colonienses.*
CIV. *Volbertus abbas obit.*
CV. *Heinrici Imp. acta & Erkembaldi Moguntini archiepisc. obitus.*
CVI. *Variæ mortes.*
CVII. *Corbeiæ pestis, indictum, & incendium.*
CVIII. *Arnulfo Remensi archiepiscopo suffectus Ebalus.*
CIX. *Sithiense monasterium reformatur.*
CX. *Bergis monachi instituti.*
CXI. *Salmurenses abbates.*
CXII. *Wifredo abbati S. Victoris succedit Isarnus. Carvilliani villa S. Victori restituta.*

LIBER LV.

Ab anno Christo 1022. ad annum 1027.

I. *Theodericus Aurelianorum episcopus obit.*
II. *Concilium Aurelianis contra hæreticos. Arefastus eorum detector, postea monachus.*
III. *Miciaci possessiones confirmantur.*
IV. *Odorannus erroris falso accusatus.*
V. *Herveus S. Martini archiclavus obit.*
VI. *S. Mariæ de Solaco cella.*
VII. *S. Michaëlis de-Monte abbates.*
VIII. *Nanterus abbas S. Michaëlis ad Mosam. Censuales monasterii.*
IX. *Malboldus abbas Elnonensis.*
X. *Gemblacensis ecclesia dedicatur.*
XI. *Lis de Burcitho monasterio.*
XII. *Burchardo abbati S. Galli succedit Theobaldus.*
XIII. *Notkerus tertius obit.*
XIV. *Heinrici Imp. facta in Italia.*
XV. *Theobaldi abbatis electio Casini ab eo probata. Heinrici sanatio & dona ibidem.*
XVI. *Romualdo an concessum Montis-Amiati monasterium.*
XVII. *Odilonis facta Casini.*
XVIII. *Theobaldi abbatis gesta.*
XIX. *Guido fit abbas Casaurienses. S. Flora possessiones Heinricus confirmat.*
XX. *Salegunstadense concilium.*
XXI. *Hildesheimense monasterium dedicatur.*
XXII. *Sigefridus episcopus Mimigardefordensis.*
XXIII. *S. Bernwardi episcopi obitus.*
XXIV. *Godehardus ejus successor. Abbates ejus successores.*
XXV. *Berno abbas vitam S. Udalrici scribit. Frideboldus abbas S. Udalrici.*
XXVI. *Bernonis alia scripta.*
XXVII. *Quæstio de jejunio quatuor temporum.*
XXVIII. *Elmerus abbas ex episcopo fit privatus. Gloceſtriæ monachi restituti.*
XXIX. *Legerense monasterium Sancio episcopo commissum.*
XXX. *Paternus abbas S. Johannis de Pesia.*
XXXI. *Rodensis ecclesiæ dedicatio. Petri abbatis epistola ad Papam.*
XXXII. *Montis-Serrati ecclesia Rivipullo restituta.*
XXXIII. *Irunienses episcopi ex Legerensi monasterio assumendi.*
XXXIV. *Heinrici diplomata pro Abdincho-*

sensi & Confungensi monasteriis.
XXXV. *Concilium Moguntinum. Heinrici Imp. colloquium cum Rotberto rege. Fructuariæ privilegium confirmat.*
XXXVI. *Ejus munificentia in ecclesias. Godefridi ducis mors & successor.*
XXXVII. *Episcoporum mortes. Fuldenses abbates.*
XXXVIII. *Bardo Fuldæ decanus.*
XXXIX. *Gerardus episcopus & Richardus abbas legati ad Rotbertum regem. Letduinus abbas S. Vedasti.*
XL. *S. Theofredo facta restitutio.*
XLI. *Jordanus Lemovicensis episcopus electus.*
XLII. *Archiepiscopo inconsulto ordinatur.*
XLIII. *Benedicti papæ & Heinrici imp. obitus. Heinrici votum de monastica professione.*
XLIV. *Chunegundis fit monacha.*
XLV. *Otta abbatissa ab ea correpta.*
XLVI. *Conradi Salici electio. Keminadæ monasterium instauratum.*
XLVII. *Poppo abbas a suis impetitur.*
XVIII. *Brunwillare monasterium instituit.*
XLIX. *Hasprensis cellæ permutatio.*
L. *Theodericus, aliique Gemeticenses abbates.*
LI. *Richardi donatio facta S. Petro Carnutensi. Rotberti archiepiscopi privilegium pro eodem.*
LII. *Aliæ donationes eidem factæ.*
LIII. *Felix abbas Ruyensis.*
LIV. *Liziniaci cella fundatur.*
LV. *Nobiliaci res auctæ.*
LVI. *S. Ausonii parthenon condiur.*
Jacebat interim & prope in solitudinem redactum erat Leuconaënse monasterium: cujus primus olim auctor & rector sanctus Walaricus Hugonem ducem cælesti oraculo admonuisse traditur, suum ut corpus e Sithiensi monasterio Leuconaum revehendum curaret. quod si præstaret, fore ut ipse, ejusque ad septimam usque generationem progenies regno Francorum potiretur. Nec mora dux id exsequi properat: sancti Walarici, necnon sancti Richarii reliquias ab Arnulfo juniore, qui tunc Flandriam regebat, constanter repetit; cunctabundum collectis militum copiis ad restitutionem cogere parat. Ille vero cum ad resistendum se imparem sentiret, utriusque sancti corpora, thecis inclusa argenteis, incunctanter restituit. His acceptis, dux cum suo exercitu quasi triumphans revertitur, propriisque humeris utrumque sanctum ad suum locum revehere haud dedignatur; Walaricum quidem secunda Junii die, Richarium die sequenti. quod hoc anno factum, & quidem haud sine miraculo, traditur. nam dum sancti Walarici corpus per Somenæ alveum Hugo reducere parat, interveniente oceani æstu, intumescentes fluctus, divisis hinc inde aquis, locum transeunti fecisse dicuntur: dum vero sancti Richarii corpus interim in mediis agris ipsa nocte subsistit, depastæ ab Hugonis milite jam maturæ segetes in novas subinde aristas erupisse. Huic relationi Burchardus Parisiensis comes, & Orlandus vicecomes interfuisse memorantur, & sacri loculi in mediis aquis bajuli fuisse. Demum Leuconaënsi monasterio renovari cœpto præfectus Restoldus abbas, e Bellovacensi sancti Luciani monasterio accitus: cui Fulcradus postea successit. Tempus restituti Leuconaënsis monasterii colligitur ex diplomate Benedicti papæ VII. quod inscriptum est, *Dilectissimo filio Restoldo religioso abbati vel omni congregationi in monasterio sancti Walarici, quam Hugo gloriosissimus comes in regula beati Benedicti noviter congregavit:* cujus interventu idem pontifex possessiones & omnimodam immunitatem eidem monasterio asseruit. *Datum kal. Aprilis per manum Stephani episcopi & bibliothecarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, anno pontificatus domni Benedicti* VII. *papæ in sede beati Petri apostoli, imperante domno Ottone a Deo coronato magno imperatore, anno* XIII. *in mense & indictione* IX. *suprascriptis.* quæ notæ chronicæ huic anno respondent.

Sancti Walarici translationis historiam scripsere anonymi duo ejus cœnobii monachi, unus prosa oratione sub Theodino abbate, alter metro sub Adhelelmo, qui Theodino sub medium sæculum undecimum successit. Uterque oraculum Hugoni duci de futuro ejus principatu a Walarico factum tradit. Relationem sancti Richarii primus carmine celebravit Ingelramnus, tum Centulæ monachus, dein successor Ingelardi, qui primus a restitutione monachorum abbas exstitit. Eamdem sub finem undecimi sæculi retulit Hariulfus chronographus Centulensis. Idem auctor reliquias sancti Vigoris Bajocensis episcopi ex propria urbe, & sancti Madelgisili confessoris e Pontivensi vico, qui Monasteriolus * vocatur, eodem tempore Centulam translatas fuisse testatur. Quantæ porro jam tunc auctoritatis esset dux Hugo, probat in primis Gerberti epistola XLVIII. in qua ait, Lotharium solo nomine esse » Franciæ regem; Hugonem vero *non nomine, sed actu & opere.* Hic est Hugo comes & dux Francorum, qui hoc anno confirmavit donationem cujusdam prædii in villa Caviniaco, factam Humolariensi monasterio per Ivonem fidelem suum: cujus rei litteris appositæ sunt signa ipsius Hugonis ducis, Adelaïdis ejus uxoris, Rotberti ejus filii, Ivonis vassalli, Geilæ ejus uxoris, & Ivonis ejusdem filii.

* *Monstrelet.*

II. Avrionense monasterium S. Petro Carnutensi subjectum.

Eodem tempore Avrionense seu Ebronense pagi Cenomannensis monasterium, quod Hadoindus episcopus labente sæculo septimo in honorem Deiparæ Virginis instituerat, in eum statum erat redactum, nullam ut monasterii formam retineret, esseturque veluti prædium quoddam sub potestate Rodberti cujusdam, qui illud in beneficium ab Odone comite obtinuerat. Hunc vero locum in monasterium denuo erigere cupiens Rodbertus, Widbertum venerabilem abbatem sancti Petri Carnutensis adiit, ejusque monasterio Avrionem, probante Odone comite cum sua matre Letgarde, & Berta conjuge, in perpetuum tradidit ac subjecit, modo ut monachos, qui beatæ Mariæ oratorio deservirent, illic collocaret. Id factum, uti Rodbertus optaverat; idemque a Gisberto abbate Widberti successore postmodum ob-

tinuit, ut unum e suis abbatem, qui Carnutensi monasterio subjectus esset; ordinari permitteret. Scriptis hac de re litteris signum suum apposuere dux Hugo, Odo comes, Hugo Bituricensis archipræsul ejus frater, Letgardis comitissa, Gaufridus vicecomes, Hugo de Villa-Aloyæ, & alii. Hanc institutionem comprobavit post octo annos rex Hugo, qui litteris hac de re confectis subscripsit, & post eum Odo comes, ejusque filii Rotbertus, Tetbaldus & Odo, aliique proceres; eamdemque Johannes papa XV. ac demum Benedictus VIII. sub interminatione confirmarunt. In necrologio sancti Petri Carnutensis notatur v. idus Octob. *Tedbertus abbas Evronis.* Lapsu temporis facta est sui juris hæc abbatia, quæ hactenus exsistit sub congregatione sancti Mauri. ANN. CHR. 981.

S. Petro donationes factæ.

Tunc in ecclesia Carnutensi florebat eximiæ pietatis canonicus, Sigemundus presbyter, cui Fulcherius abbas sancti Leobini, ac duobus sancti Petri monachis, Petro & Durando, sex jugera vinearum *per manum firmam* sub annuo censu concessit mense Februario, anno XXVII. Lotharii regis: quæ jugera idem Sigemundus sancto Petro postea donavit. Eodem Widberto abbate Walterius Dorcassinus comes Carnutensibus monachis facultatem concessit comparandi ecclesiam, & quædam prædia apud Armenterias ab Archinulfo milite, quæ prædia ex una parte fluvio Arvæ, ex altera fluviolo Berlo terminabantur. Actum Drocis publice. Subscribunt ante alios Walterius comes, & Eva comitissa. In necrologio sancti Petri notatur XIX. kal. Februarii *Galterius comes Dorcassini castri, qui dedit sancto Petro ecclesiam Boheriæ.* Eldegardis comitissa, ejusdem Galterii seu Walterii comitis mater, Guntherii-villam, quam a Waleranno conjuge suo in dotem acceperat, sancti Petri monasterio confert, consentiente filio suo Walterio comite, qui instrumento donationis subscribit post Hugonem ducem Francorum. *Actum Pontis-Iseræ castro.* Tunc frequens jam erat *militis* nomen ad virum nobilem significandum: cujus generis vir nobilis Arduinus, fidelis Odonis comitis, cum ejus permissu quamdam terram *ex beneficio suo* ad censum concessit prædictis sancti Petri monachis, quibus Wibertus seu Widbertus abbas adhuc præerat. Actum Carnotis publice. Subscribunt Odo comes, *Arduinus miles hujus terræ largitor,* Suggerius archiclavus, aliique. In eumdem quoque locum se munificum præbuit, decessorum suorum exemplo, Odo episcopus, qui non modo quasdam terras sancto Petro ablatas restituit, sed etiam alias adjecit.

III. S. Michaëlis Tornodorensis abbatia instauratur.

Tornodorensis sancti Michaëlis abbatiæ originem ad sæculum sextum alias [a] retulimus ex domestica traditione, cui non dubia quædam argumenta suffragantur. Unum suppeditat Theutboldus Lingonum sub finem noni sæculi episcopus, qui cum parochiam suam lustraret, se adiisse dicit ecclesiam sancti Michaëlis, ædificiis utcumque decoratam, & quidem beati Michaëlis frequenter illustratam miraculis, sed rebus ita destitutam, ut monachi, qui illic Deo & sancto Michaëli famulabantur, necessariis ad vitam & ad ecclesiæ luminaria subsidiis carerent. Quapropter ne « sacer iste locus, in quo *parentum*, id est propinquorum, *suorum & quamplurimorum* « *nobilium corpora*, ob venerationem beati Michaëlis, *humata* erant, funditus caderet, « deperiretque religio, se ad ejus luminaria parœcialem ecclesiam S. Stephani de « Spinolio contuliſse ait. Theutboldi hac de re litteræ, in appendice referendæ, carent « chronicis notis. Subscribunt post eum Lingonensis ecclesiæ præcipui canonici. Sæculo insequente Heiricus seu Ericus, ejusdem ecclesiæ præsul, postulante Alberico *papa* cum Ratherio archidiacono, *ecclesiam sancti Michaëlis, quæ est juxta mœnia Tornodori oppidoli*, cuidam militi ac fideli suo, nomine Teutoni, & uxori ejus « Condradæ, filioque Ratherio, in beneficium concessit, ea lege, ut congruum illic « divini cultus officium celebrari curarent, & ut pro modulo illius ecclesiæ instaura- « tionem procurarent. *Datum* VIII. *kal. Maii, anno* II. *Ludovico rege regnante*, sci- « licet Transmarino. Ex quo intelligitur, medio illo intervallo, quod ab anno circiter DCCC XC. ad DCCCC XXXVIII. effluxit, illud monasterium fere in solitudinem & in simplex beneficium redactum fuisse. Duæ per id tempus fuere Burgundiæ clades: una per Nortmannos sub finem sæculi noni; altera per Hungaros anno DCCCC XXXVI. In utraque Besuense, aliaque Burgundiæ monasteria vastata, ut suis locis [b] vidimus. Priori, & forte utrique assignanda sancti Michaëlis vastatio. Jacuit in illo statu ad annum usque sæculi decimi octogesimum, quo tempore Widricus Lingonum præsul, & una cum ipso Milo Tornodorensis comes illud in pristinum statum restituere

[a] *lib. 2. n. 34.*

[b] *lib. 39. n. 30. & lib. 43. n. 79.*

ANN. CHR. 982.

constituerunt, & de suis rebus dotarunt, ut fusius legitur in ipsius Widrici litteris, quas in Appendice referemus. *Data mense Julio, indictione* [VIII. *anno ab incarnatione*] DCCCC LXXX. *anno* XXVI. *regnante Lothario rege*, qui Widrici episcopi extremus fuit. Ab hoc itaque anno cœpit instaurari hoc monasterium, cui primus abbas præfectus Dodo, assumtus, ut quidem videtur, ex S. Benigni Divionensi monasterio: cujus tempore prædictus Milo comes, sæculi rebus abdicatis, ut in chartario legitur, *comam capitis & barbam totondit, cum Dodo reverendus abbas ipsum locum regebat.* Non diu hac dignitate potitus est Dodo. Siquidem Ildefredus seu Eldefredus jam ei successerat anno Hugonis regis quinto; Beraldus vero seu Letbaldus ex monacho Divionensi jam abbas erat anno DCCCC XCVIII. quo anno Bruno Lingonum episcopus tres ei ecclesias concessit. Hunc excepit Hunaldus abbas quartus ex monacho Besuensi, rei gerendæ gnavus & strenuus; post quem nullum abbatem legimus ante S. Rotbertum, de quo in consequentibus agemus.

Eidem monasterio se beneficos exhibuere sequentes comites, Milo secundus, Rainardus ejus filius cum matre sua Ermengarde, qui alodium suum, quem Cappam vocant; alterumque, quod Carrium dicitur, S. Michaëli donarunt anno Rotberti regis septimo. Rainardus item comes, idem an alius, anniversarium filii sui Ottonis ibidem sepulti instituit, ac preces pro se ac pro uxore sua Hervez, filioque suo Arduino & filia Ermengarda, *mense Julio, anno quinto regni regis Heinrici incipiente.*

* *Chené.* Denique Milo comes, eo nomine tertius, Caniacum * villam, prope Tornodorum castrum sitam, eidem monasterio dedit, ut monachi memoriam sui faciant, simulque Milonis atavi, *qui* ipsius loci *primus fundator exstitit, & inibi aliquantulum monachicam vitam duxit*, necnon proavi sui Widonis, patrisque sui Milonis, Widonis fratris sui, sed & filii sui Widonis, *qui innocenter a servis suis est interfectus.* Hæc donatio facta est assensu uxoris suæ Azecæ, ac filiorum suorum Valeranni & Joffredi. Mortuo eodem Milone, Hugo comes ejus filius iniquas monasterio consuetudines imposuit: at postmodum facti pœnitens eas relaxavit anno Heinrici regis sexto-decimo. Hæc continenter referre visum est ad illustrandam seriem comitum Tornodorensium.

Bruno episcopus S. Benigni monasterium reformat.

Post mortem Widrici episcopi Lingonensis, quæ anno superiore accidit, rex Lotharius vacantem episcopatum Brunoni, Abradæ sororis suæ filio ex Reginaldo comite Rociacensi, concessit. Bruno vero hoc anno, etsi viginti-quatuor tantum ætatis annos agens, a Burchardo Lugdunensi antistite ordinatus, pro virili partes boni pastoris exsecutus est. In primis suæ parochiæ monasteria, quæ non minus temporalium rerum facultate, quam religione pæne destituta erant, in pristinum statum revocare studuit. Et quia sancti Benigni Divionense monasterium ex incuria Manassæ abbatis a monastica disciplina multum defecerat; amoto Manasse, Adsonem abbatem e Dervensi monasterio accersitum, virum Aquitanicum, bonis moribus, religiosa conversatione præditum & doctrina, in ejus locum instituit. Verum non diu hanc præfecturam retinuit Adso, qui post duos regiminis annos, sive prioris loci desiderio, sive Divionensium monachorum tædio affectus, dimissa sancti Benigni procuratione, ad suum monasterium remeavit. sicque Manasses denuo præfecturam recepit.

IV. Wlfaldus abbas fit episcopus Diensis. S. Theotfredi abbatis.

Præfuit ad hoc usque tempus Calmeliensi sancti Theotfredi apud Vellavos monasterio Wlfaldus seu Golfaldus abbas, qui templum operis eximii eo in loco, ubi sancti Martini oratorium erat, exstruxit, & in illud corpora sanctorum Theotfredi & Eudonis abbatum transtulit ex basilica sancti Petri, quæ deinceps negligi cœpit. Postmodum Wlfaldus promotus est ad episcopatum Diensem, sic tamen ut abbatis nomen retineret, commisso abbatiæ regimine Arimanno, qui ex decano abbas factus est extremis Lotharii annis. Wlfaldus in sede Diensi videtur successisse Achideo episcopo, cujus mentionem superius [a] fecimus. Mendum irrepsisse puto in chartam cujusdam viri nobilis, nomine Stephani, qui pro redemtione animæ suæ, parentumque suorum Icterii & Arsendis, decem mansos sancto Theotfredo contuliſse dicitur in pago Vivariensi, *anno ab incarnatione Domini* DCCCC XLV. *præsidente Golfaldo episcopo & abbate monasterio beati Petri, ubi corpus sancti Theoffredi, pariterque sancti Eudonis ejusdem primi abbatis requiescunt.* Achideus quippe Diensis episcopus, Wlfaldi decessor, superstes erat ad annum vicesimum Conradi regis, ex dictis loco superius laudato. Quamquam prædicto anno incarnationis non male conveniunt

a *lib. 45. n. 103.*

ANN. CHR. 981.

illius instrumenti chronicæ hæ notæ. *Facta sunt hæc mense Decembri, feria* IV. *indictione* XIII. *concurrente* VI. sed forte hæ melius anno DCCCC LXXXV. convenient. Certe qui tabularia ejus monasterii diligenter revolvit quidam vir doctus, Arimannum abbatem haud notatum invenit ante annum XXVII. Lotharii regis, mense Augusto, quo forte anno Wlfaldus in Diensem episcopatum Achideo suffectus est. Hæc observare visum est ad supplendos indices episcoporum Diensium, in quibus Achideus & Wlfaldus cum multis aliis desiderantur. Arimanno abbati successit Guigo, eo nomine primus, de quo in consequentibus.

V. S. Hilario Carcassonensi facta donatio.

In pago Carcassonensi Rodgarius comes una cum conjuge sua Adalaice comitissa, duobusque filiis Regimundo & Bernardo, qui necdum sacro fonte intinctus erat, ut sancto Hilario, ob impensam sibi contra hostes opem, se gratum præberet, ejus monasterio apud Carcassonam sito Venanciacum, aliaque concessit: cujus rei scripturam, quæ aliquanti momenti est, huc referre juvat.

Ego Rodgarius comes simul cum conjuge comitissa Adalaice seu Regimundo sobole, atque Bernardo sobole, qui necdum latice consecratus est baptismatis, pietate compunctus, reminiscensque quod dicit admonitione prophetica Dominus: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. *Notum sit fidelibus christianis, quod cum venisset Oliba comes injuste contra me cum exercitu magno hostiliter & in magna ferocitate & impetu suæ virtutis, & devastasset in igne, & prædam rapuisset super terram meam, quoad potuit; ego cum eum Rodgarius comes persequerer, non confidens in mea virtute, nec in meum auxilium, sed in misericordia Dei speravi, & beatum Christi confessorem Hilarium deprecatus fui, ut pro mea victoria Dominum deprecari non dedignaretur. Cum ergo reverterer ego Rodgarius comes, & omnes meos fideles vidissem incolumes & absque vulnerum signo; cognovique inimicos meos mortuos & vulneratos, atque in fugam conversos; intellexi quod Hilarius almificus fuit pro me Dominum deprecatus, &, ut ferunt, nonnulli ante me cum præire viderunt. Ideo dedi Deo & eidem sancto confessori, in manu Benedicti abbatis & monachorum ejus, Venanciacum cum ecclesia sanctæ Mariæ, & suis pertinentiis; villare quoque Asinario tum terris cultis & incultis, &c. Facta est scriptura donationis hujus mense Augusto, anno* XXVII. *regnante Leutario rege. Signum Rodgarii comitis, qui hoc donum fecit, & firmare rogavit bonis viris qui aderant. Sig. Adelaicæ comitissæ, uxoris Rodgarii comitis. Sig. Regimundi, Sig. Bernardi filiorum ejus.*

Prædictus Oliba comes erat Bisulduni & Ceritaniæ, cujus sæpe in his Annalibus mentio facta est. In hac vero charta id in primis notandum, quod Bernardus, Rodgarii comitis Carcassonensis filius alter, nomen gereret necdum baptizatus. quales posteri *Paganos* appellavere. Idem Rodgarius, cum uxore sua & Benedicto abbate, ad limina apostolorum profectus, a Benedicto papa privilegium obtinuit omnium rerum sancti Hilarii cœnobio collatarum, scriptum per manum Stephani notarii & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ. Arnaldus vicecomes Rodgarii donationem, quam forte violare tentaverat, *carta gurpitoria* confirmavit anno VI. Rotberti regis, mentione facta victoriæ, quam sanctus Hilarius contra inimicos ejus ostendit. Porro ipse Oliba comes & marchio, cum uxore sua Ermengarde & Mirone præsule Gerundensi, suis hominibus facultatem concedit alodes suos conferendi [a] *ad domum sanctæ Mariæ cœnobii Riopullensis*, facta carta VIII. kal. Februarii, anno XXVII. regnante Lothario rege, filio Ludovici.

a *Marca Hisp. c. 924.*

VI. Monasterium S. Genesii de Fontanis.

Jam vero Lotharius ipse, agente Guifredo seu Wifredo comite, confirmavit omnes possessiones monasterii sancti Genesii de Fontanis in pago Ruscinonensi, quod olim a paganis destructum, id est a Sarracenis vel Nortmannis, tum instauratum fuerat. Situm dicitur hoc monasterium *in via vallis Aspiranæ; quæ pergit ad castrum Vultrarium*, distans viginti millibus passuum ab urbe Perpiniano: quo in monasterio ab episcopis ejus provinciæ susceptа est [b] epistola Stephani papæ, quinti an sexti, data adversus Selvam & Hermemirum, qui de episcopatu Urgellensi contendebant sub finem sæculi noni. In prædicto diplomate Lotharius dicitur [c] *Francorum rex augustus.* quem titulum sibi sumsit non raro post filii coronationem in diplomatum suorum inscriptione & subscriptione. *Actum Lauduno civitate regia, anno incarnationis dominicæ* DCCCC LXXXI. *indictione* IX. *sub die* VII. *idus Julii, regnante domno HLotario augusto serenissimo anno* XXVII. *filio vero ejus domino Ludovico adolescente egregio anno* III.

b *ibid. c. 366.*

c *ibid. c. 925. & 927.*

ANN. CHR. 981. VII. Adalberti Magdeburgensis præsulis obitus.

Magdeburgi apud Saxones ad cælestem vitam transivit Adalbertus, ejus sedis primus archiepiscopus, tertio-decimo suæ ordinationis anno, in via ex dolore capitis, substrato pallio mortuus XII. kalendas Julii, dum diœcesim suam perlustraret. Corpus ejus Magdeburgum relatum, & cum maximo luctu susceptum a clericis, & maxime a monachis; humatumque in medio ecclesiæ coram altari sanctorum Philippi & Jacobi apostolorum, funus curante Hildewardo episcopo Halberstadensi cum Hartwico seu Herdiggo Magdeburgensi abbate. Suffectus in ejus locum Gisilerus Merseburgi antistes, plurimæ auctoritatis apud Ottonem imperatorem, qui tum Romæ versabatur, frustra obnitente contra Adalberti vaticinium Otrico scholastico Magdeburgensi, qui paullo post ex mœrore interiit, quem valde in extremis pœnituit, quod *monasterium* suum *& obedientiam ob ambitionem* reliquisset. Gisilerus vero, accepta ab imperatore licentia, Magdeburgum venit sub finem hujus anni, comitante Theoderico Mettensi episcopo, qui tum in comitatu imperatoris erat.

Corbeiæ-novæ privilegium.

Adalbertus assumtus fuerat ex monasterio Corbeiæ-novæ, cujus abbas Liudolfus amplissimum hoc anno privilegium a Benedicto VII. impetravit, data ipsi facultate utendi in sollemnioribus festis dalmatica & sandaliis. Hoc privilegium integrum retulit Schatenus, scriptum nonis Aprilis per manus Johannis notarii; datum vero IV. nonas Aprilis per manus Stephani episcopi & bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, Benedicti papæ anno septimo, indictione IX. ubi mirum est scriptum posterius esse dato contra usitatum morem. Biennio post eidem abbati Otto imperator decimas asserit, petente ipsius conjuge Theophanu augusta, interventu Willigisi Moguntini & Gisilharii Magdeburgensis archiepiscoporum. Actum Veronæ paullo ante obitum imperatoris XV. kal. Julii, anno DCCCC LXXXIII.

VIII. Ottonis in Italia diplomata.

Quo tempore Otto e Germania in Italiam profectus sit, ex variis ejus diplomatibus & chronicis colligere possumus. Ex chronico Saxonico natale Domini Ravennæ, pascha Romæ celebravit. Ravennæ adhuc versabatur hoc anno XVIII. kal. Februarii, cum bona beatæ Mariæ [a] monasterii, rogatu Theophaniæ augustæ, in gratiam Benedictæ abbatissæ confirmavit. Idem in Apulia erat initio Februarii, cum præcepta Farfensi collata monasterio, ad preces Johannis abbatis confirmavit. *Datum* III. *nonas Februarii*, hoc ipso anno, indictione IX. regni vero Ottonis secundi anno XX. imperii XIV. *Actum in Apulia Aricii.* Romam accessit mense Aprili, cui quamprimum occurrit [b] Adam abbas Casæ-aureæ, atque ab eo privilegium impetravit, quo patris sui concessiones ratas habuit. *Data* XIV. *kal. Maii*, iisdem anno & indictione. *Actum Romæ in palatio juxta ecclesiam beati Petri apostoli.* Post hæc imperator, *ex Romulea* [c] *egressus urbe, & ædificata sibi regali domo in campo, qui vocatur Cedici, toto ipso æstivans tempore ibi perendinans mansit.* Illic Adam abbas res monasterii sui ablatas recuperasse dicitur. Ibidem placitum habitum est, scilicet *in campo de Sedici* * *intra ipsam casam domni Ottonis imperatoris augusti*, ubi
» residebant Petrus venerabilis episcopus, & Arnolfus, Drusico, & Ansifredus co-
» mites, missi sacri palatii. Adfuit Johannes abbas Farfensis, qui curtem sancti Heliæ
» & sancti Jacobi adversus Teudinum comitem evindicavit anno & indictione prædictis, *mense Augusto.* Jam vero Capuæ versabatur sub finem mensis Septembris,
» cum Adeleïda serenissima imperatrix, ejus parens, materna fiducia [d] ad eum ac-
» cessit, obtinuitque confirmationem omnium rerum, quæ tum ab ipso Ottone, tum
» ab Ottone ejus genitore atque Adelaïda genitrice collatæ fuerant ecclesiæ in ho-
» nore Salvatoris haud procul a mœnibus Ticinensis urbis fundatæ, in qua cœtus
» cœnobitarum incessanter Deo famulari dicitur pervigili cura & sollicitudine ejus-
» dem imperatricis, quæ etiam immunitatem & liberam abbatis electionem eidem
» monasterio impetravit, & interdictum, ne cuivis monacho fas esset ex alio monas-
» terio ad illud transire, nisi de voluntate ejus loci cœnobitarum. *Data pridie kal. Octobris*, eodem anno, indictione X. a Septembri inchoata. *Actum Capuæ.* Mense Novembri insequente confirmata est [e] *in castro Gunzaga, in caminata majore sala Adelberti comitis*, permutatio inter Guillelmum Mantuæ episcopum, & Adelbertum comitem, qui & Atto vocabatur, facta de capella sancti Benedicti & bonis in insula sancti Benedicti sitis, quæ Guillelmus episcopus dedit pro capella sancti Possidonii, quæ erat de jure ipsius Adelberti, bonæ memoriæ Sigefridi filii, atavi Mathildis comitissæ, cujus pater Thedaldus prædicta bona monasterio sancti Bene-

[a] *Lubin. p. 317.*

[b] *Spicil. to. 5. p. 412.*

[c] *Ibid. p. 413.*

* *al.* Cedici.

[d] *Bullar. Casin. to. 2. p. 53.*

[e] *Ibid. p. 54.*

Mathildis comitissæ atavus.

dicti Padolironensis postmodum donavit. Superiora omnia Ottonis præcepta Johannes cancellarius ad vicem Petri Papiensis episcopi subscripsit & recognovit: quæ vero in Germania edita sunt, Hildibaldus cancellarius ad vicem Willigisi archiepiscopi Moguntini & archicancellarii. quod confirmat superiorem observationem nostram, ubi diximus, alium fuisse ejusdem imperatoris in Germania, alium in Italia archicancellarium. At cum de rebus Germanicis agebatur, etiamsi in Italia degeret imperator, notario & archicancellario Germanicis utebatur, ut patet ex diplomate Ottonis pro Gorziensi monasterio, quod mox afferemus. ANN. CHR. 981.

Non omittenda hic dedicatio sanctæ Scholasticæ monasterii Sublacensis, facta ab ipso summo pontifice Benedicto VII. qui a Benedicto ejus loci tunc abbate ad hanc dedicationem faciendam invitatus, in ejus ecclesiæ altari corpus sancti Audacis martyris, aliasque sanctorum reliquias collocavit, omnesque ejusdem sancti loci possessiones & prærogativas confirmavit, ut in Sublacensi chronico legitur. Hæc dedicatio facta est hoc anno, die quarta mensis Decembris: in cujus rei monumentum antiqua inscriptio ipso tempore lapidi insculpta est in parte claustri ecclesiæ adhærente. Benedictus abbas successerat Leoni abbati, qui pontificatu Johannis X. Romæ ecclesiam sancti Erasmi acquisierat. Benedictum abbatem excepit Johannes abbas, Benedicto VII. adhuc sedente, si non fallit chronicon, in quo abbatum ejus temporis series valde perturbata est usque ad Petrum abbatem, qui Sublacensi monasterio præfuit pontificatu Silvestri secundi. IX. Sublaci dedicatio & abbates.

Antequam hunc annum finio, dicendum est de obitu Pertheradæ inclusæ apud sanctum Gallum, & de Hartkero monacho, qui ei in recluforio successit. Hæc, cum vidua esset, & quidem sancta, exemplo Wiboradæ, Rachildæ, & Kerhildæ neptis Notkeri Balbuli, prope monasterium sancti Galli recludi optaverat, ibique in recluforio pæne annum in probatione piissime se gesserat. quod multos ad ejus cellam pertraxit. Verum illa visitationes crebras & inanes perosa, in cella Salomonis quondam episcopi juxta oratorium sancti Georgii inclusa, non paucos illic annos exegit, *magnarum*, Ekkehardo [a] teste, *virtutum operatrix.* Demum vero libera hoc anno evolavit ad cælum: cujus in cella Hartkerus monachus sponte se ipse reclusit. De utroque ita canit Hepidannus: X. Pertheradæ inclusæ succedit Hartkerus.

[a] *Ekkeh. c. 8.*

Pertherat in claustro defuncta petit loca cælo:
Hartker mox antrum post quam se damnat in ipsum.

quod male in annos quinque differunt libri editi, ut patet ex obitu Ottonis secundi, qui anno sequenti ponitur. In illa cella, ita humili & angusta, ut in ea erectus stare non posset, triginta annos perduravit Hartkerus, jugi corporis afflictatione ut martyr habitus, de quo hæc legimus in quodam codice sancti Galli:

Sævior Hartkero quisnam sibi martyre vero,
Hostia cælesti spontanea vivaque testi
Carcere terdenos qui se mage fregerat annos?
Non sinit erectum tota tempora quem breve tectum,
Petra qua suevit capiti moriendo subegit:
In crucis & forma spargens parcissima membra,
Sursum spectando Domino... psychen amando
Fratres arrisit Gerolt, animamque remisit.

Ejus obitus ab Hepidanno in editis anno M XVII. refertur, quinquennio forte prævertendus, ut triginta reclusionis anni, quos præmissi versus ei tribuunt, compleantur.

ANN. CHR. 982. XI. Womarus abbas Gandavensis obit.

ANno supra nongentesimum octogesimo-secundo Womarus abbas monasteriorum sancti Petri Blandiniensis, & sancti Bavonis Gandensis, elevationem corporum sancti Landoaldi, ejusque sociorum a Liudulfo Noviomensi episcopo fieri curavit, eodemque anno decessisse dicitur. Floruit sanctus Landoaldus archipresbyter tempore sancti Amandi episcopi Trajectensis, ad quem is missus est cum Amantio diacono a Martino pontifice: quos etiam sanctæ feminæ Vinciana & Adel-

ANN. CHR. 982.

trudis comitatæ perhibentur. Post mortem sepultus est Landoaldus cum Amantio Wintershovii in ecclesia, quam ædificaverat. Horum corpora e tumulo extulit octavo sæculo Florebertus episcopus, quæ ob metum Nortmannorum terræ infossa, demum ab Euracro relevata sunt. Wintershovium villa est pagi Trajectensis ad Archam fluvium, Gandensi sancti Bavonis monasterio dudum subjecta, quam Womarus abbas Ottonis secundi edicto recuperavit. Recepto Wintershovio, sacras inde reliquias in suum monasterium Womarus transferri curat. Missi ejus rei causa Gandenses fratres ad prædictum locum, Trudgaudus scilicet decanus, & alii duo, Rotbertus & Folcoldus. Hi sollemni pompa sacras reliquias efferunt, quibus obviam procedunt sancti Trudonis monachi; easque demum ad suum Gandense monasterium deportant. quod anno ejus sæculi octogesimo contigit. Reliquiæ in crypta depositæ, dum Remensis archiepiscopus & Noviomensis præsul diœcesanus super his consulerentur. Sed in antecessum rogatus Notkerus seu Notgerus Leodicensis antistes, ut quid de prædictorum Landoaldi & Amantii sanctitate & miraculis resciret, litteris mandari curare haud gravaretur. quod quidem per Herigerum Laubiensem tunc monachum, *didascalum ac musicæ artis peritum*, fieri mandavit, præmissa suo nomine epistola, quæ *Womaro venerabili in Christo patri & fratribus Gandensibus* inscripta est. Accepto, lectoque hac de re libello Remorum archipræsul Adalbero, ut sacræ reliquiæ in publicum cultum exponerentur, in synodo sancivit; ob idque Liudulfus Noviomensis antistes eas sollemni ritu e crypta in basilicam tertio idus Junii transtulit hoc anno, qui ab earum adventu tertius erat. Hæc fusius narrantur[a] apud Bollandum. Eodem anno Womarus abbas obiisse traditur, Blandinii sepultus in sacello sancti Laurentii. Ejus epitaphium Sanderus refert, in quo tempus regiminis pastoralis ac dies obitus ita signantur.

[a] *Bolland. tom. 3. Martii. p. 35. & seqq.*

Remigium senis fratrum lustris venerandum
Per mandata Dei regia dispositi.
Augusti dico bis ternis calce kalendis
Officiis cessi luminis occidui.

Post Womari obitum scripta videtur Gerberti epistola XCVI. *fratribus Blandiniacensibus* inscripta, in qua ait, se, ab ipsis in fratrem adoptatum, orbitatem eorum » magnopere sentire, tum ipsorum causa, tum mortui abbatis, venerabilis memo» riæ viri, qui suis apud se obtinuerat beneficiis, ut ipsius in æternum memor esset. » Agerent ergo, & patrem ipsis dignum exquirerent, ne grex dominicus fluctuaret » sine pastore. Ad hoc porro suam opem, suumque consilium & auxilium, si quidem » indiguerint, pollicetur. In fine libros eis commendatos repetit: de quibus necdum restitutis gravius eos in epistola CV. objurgat ex persona Adalberonis archiepiscopi.

XII. Wido, aliique ejus successores.

Widonem seu Guidonem abbatem in utriusque monasterii regimine Womaro suffectum fuisse Sanderus auctor est. Verum ejus electionem Adalberoni parum probatam fuisse satis superque probat Gerbertina epistola XXXVI. ex persona Adalberonis *Widoni abbati Gandavensi* scripta, quæ ab his verbis duriusculis incipit. *Frustra sibi arcem religionis attribuunt, qui præcipuas religionis partes evertunt. Qui caritatem non habet, qui fidem promissam negligit, isne religionem tuetur?* Obscura est hujus increpationis causa, nec satis eam explicant verba, quæ sequuntur. *Si fraterna colloquia nobis exhibuistis, & qualibuscumque nunciis lætari fecistis, tanto temporum intervallo, conscientia testis est, artius sua retinent, quam aliena concupiscunt.* In fine petit, an aliqui puerorum suorum apud Gandavenses institui possint. Sanderus scribit, Widonem sponte sua sancti Bavonis abbatiam Odwino cessisse, retenta sola Blandiniensi, quam ad quinquennium rexit. quo tempore privilegium a Benedicto papa obtinuit. Odwinus novæ basilicæ fundamenta jecit, quam Erembaldus, post annos abhinc sex ejus successor, absolvit.

XIII. S. Mansueti res auctæ.

Jam ab annis septemdecim instauratum erat, restitutumque monachis a Gerardo episcopo sancti Mansueti Tullense monasterium, cum idem vir Dei collatas eidem loco possessiones non tantum confirmavit, sed etiam plurimum auxit, definitis terminis tum ipsius monasterii, tum parochiæ eidem subjectæ. In his cellam de monte Barro monachis ejus loci attribuit cum multis ecclesiis & capellis, quarum una est sancti

sancti Florentini *apud Chelmes*, quam ipse in parochia villæ Domni-Germani ex revelatione divina exstruxisse dicitur in charta Riquini episcopi, de qua suo loco. ANN. CHR. 982. Gerardi litteris post eum subscribunt Goderannus primicerius, Arinfridus decanus, Wolfardus thesaurarius, Grinbaldus bibliothecarius, Bopo cantor, Lantbertus archidiaconus, aliique canonici; dein Azelinus comes Tullensis, frater Gerardi episcopi, Grinbaldus advocatus, & alii. *Actum Tulli publice sub die iduum Octobrium, in plenaria synodo, omni clero, qui aderat, acclamante*, fiat, fiat, *anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXXII. *indictione* X. *anno ordinationis nostræ* XVIIII. *regnante secundo Ottone serenissimo imperatore*, V.* *imperii sui anno.* In his litteris laudatur Adam sancti Mansueti abbas, quem ecclesiæ suæ filium dicit Gerardus, & in disciplinis regularibus educatum. * *l.* XV.

XIV. Gorziæ facta donatio.

Observatu dignum est præceptum Ottonis imperatoris, quo ratam habet donationem Gorziensi monasterio factam a Conrado fideli suo in extremis, dum in expeditione contra Sarracenos cum imperatore versaretur. In hoc præcepto[a] notum facit Otto, quo pacto Conradus, filius Rodulfi quondam comitis, in die belli, « quod fuit inter ipsum Ottonem & Sarracenos *sub fanone* seu vexillo imperiali, le- « gali ritu tradendum sibi commendaverit omne prædium suum, quod habebat in « regno Lothariensi; rogaveritque in conspectu totius exercitus, ut hoc totum Gor- « ziensi monasterio imperiali præceptione, si ea die, uti contigit, moreretur, con- « ferret imperator. quod quidem hic post eventum belli præstitit interventu dilectæ « conjugis suæ Theophanu imperatricis augustæ, atque consultu fidelium suorum, « Ottonis scilicet fratruelis sui, Alemannorum Bajoariorumque ducis, ac Deoterici « seu Theoderici Mettensis ecclesiæ venerabilis episcopi, & aliorum. *Data* VI. *kal.* « *Octobris, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXXII. *indictione* XI. *anno vero secundi Ottonis* XXI. *imperii autem* XV. *Actum Capuæ.* quod præceptum Hildebaldus episcopus & cancellarius vice Willegisi archicapellani recognovit, & subscripsit. Hoc diploma convenit cum chronico Saxonico, aliisque ejus temporis, in quibus legitur, in prœlio contra Sarracenos, ex quo vix Otto ipse evasit incolumis, optimates non paucos occubuisse III. idus Julii hoc anno, nempe Richarium signiferum, Udonem ducem, comitesque Thietmarum, Bezelinum, Gebehardum, Gunterum, Ezelinum, ejusque fratrem Bezelinum, cum Burchardo, Dodone, & Conrado, aliisque permultis: ex quibus Conradus non in ipso conflictu, sed postea ex vulnere interiit, spatio dato ad faciendam illam donationem, quam Otto confirmavit. [a] *Diplom. p.* 575.

XV. S. Forannanus abbas obit.

Incidit in eumdem annum obitus Forannani Walciodorensis, & Hartwici sancti Hemmerammi abbatum. Forannani obitus contigit pridie kalendas Maïas. Hic in ecclesia Walciodorensi humatus est, ubi ante annos quinque Eilbertum comitem, monasterii conditorem, in sepulcro, quod comes sibi suisque paraverat, sepulturæ mandavit. Librum de vita sancti Forannani abbatis sæculo duodecimo scripsit Robertus ejus loci monachus, qui nonnulla de eo miracula commemorat. In his laudatur Lambertus scholarum Walciodorensium didascalus, qui dolore capitis liberatus est. De eodem sancto etiam fuse agit Walciodorensis chronographus, qui non admodum accuratus est in temporibus assignandis. Celebris fuit apud Walciodorenses sancti Forannani cultus usque ad annum M D XXVI. quo reformatores Bursfeldenses ejus festum expunxerunt, propterea quod sollemni ritu non esset relatus ab ecclesia Romana in numerum sanctorum. At factum postea improbarunt melius consulti Walciodorenses, eo *quod multi sancti celebrentur, qui non sint in curia Romana canonizati.*

XVI. Hartwicus quoque abbas S. Emmerammi.

De Hartwico abbate sancti Emmerammi hæc legimus in quadam ejus monasterii membrana: *Anno* DCCCC LXXXII. *bonæ memoriæ idem Hartvvicus abbas obiit* VI. *idus Augusti.* Quasdam ejus epistolas, sed non magni momenti, cum aliis aliorum abbatum epistolis invenimus in codice Tegernsensi, in quo ejus epitaphium habetur, quod in ejus elogio retulimus. In eo e Trevirensi monasterio sancti Maximini accersitus fuisse dicitur, & monasticam disciplinam apud sanctum Emmerammum, ubi penitus defecerat, restituisse. Sed

Heu! vix pervixit quinquennia, moxque recessit.
Nos dedit orbatos, & petit ille polos.
Sexta idus rapit hunc Augusti, atque æthre locavit.

ANN. CHR. 982.

Idem monasterium Tegernſenſe etiam rexit, quem excepit Gozpertus, ſancti Emmerammi monachus, genere nobilis, cujus aliquot epiſtolas ex prædicto codice alias [a] retulimus. Gozperto ſucceſſit ſanctus Godehardus, & ipſe abbas Altahenſis atque Hersfeldenſis, tum demum Hildensheimenſis epiſcopus, de quo præclara nobis dicendi occaſio ſuo loco occurret. In prædictis epiſtolis Gozperti abbatis una eſt ad Adalpertum comitem, a quo piſcium copiam ſibi ſuiſque fieri rogat, quippequi magnam eorum penuriam patiantur. Altera eſt ejuſdem argumenti, in qua hæc verba Germanis noſtris obſervanda: *In regione auſtrali, ſicut ſcitis, habitantes, more monachorum, ut decet, a carnibus abſtinentes, captura piſcium raro paſcimur: quia piſcoſas aquas minime habemus. Sed, ſi Deus anno præſenti fœcundavit capturam huſonum vobiſcum, petimus ut jubeatis largiendo communicari: ut memoriam veſtri deinceps in orationibus noſtris habeamus.* In ſequenti epiſtola Arnoldum quemdam, qui Adalhaidam neptem ſuam in conjugium duxerat, rogat fructuum ſibi alimoniam, quorum illo anno magna penuria erat, ſuppeditari. Habebat & nepotem Utonem, ad quem itidem ſcribit.

a *Analect. to. 4. p. 347.*

XVII. Sigerus item Hirſaugiæ abbas.

Præmiſſis duobus abbatibus adjungendus eſt Sigerus Hirſaugienſis abbas, vir per omnia ſanctiſſimus, cui ſimilem alium poſtea uſque ad ſanctum Willelmum in illa abbatia haud fuiſſe Trithemius aſſerit. Sepultus eſt ante altare ſancti Laurentii martyris. Suffectus in ejus locum Lupoldus ſenex venerabilis, ejus loci monachus, ortu Ratiſponenſis, qui annos quadraginta-ſex in ordine religioſiſſime vixerat. Eodem anno in locum demortui Popponis junioris epiſcopi Herbipolenſis ſubrogatus a Trithemio dicitur Hugo vir magnificus, qui monaſterium ſancti Andreæ apoſtoli, quod beatus Burchardus olim condiderat, pæne collapſum ſuis impenſis inſtauravit, & cum conſenſu Benedicti papæ corpus ſancti Burchardi ad ejuſdem cœnobii eccleſiam tranſtulit. Hinc ſancti Burchardi nomen monaſterio deinceps inditum, quod Pio ſecundo pontifice ordinem cum habitu abjecit. Eo miſſus ad docendas litteras Arnoldus Hirſaugiæ monachus.

S. Andreæ monaſterium Herbipoli.

XVIII. Cluniaci dedicatio.

Hoc anno Cluniacenſis eccleſia rogatu ſancti Mayoli abbatis ab Hugone Bituricenſi archiepiſcopo dedicata legitur XVI. kalendas Martii: quo die *vas apoſtolicarum cinerum*, quos ſanctus Odo ex Romano ſancti Pauli monaſterio Cluniacum attulerat, in columna ſub principali ara Hugo recondidit, teſtante Hugone monacho in epiſtola [b] ad Pontium abbatem. Paullo ante ex Italia redierat Mayolus: quo in itinere Ottoni ſecundo Veronæ, Romam adire cogitanti, uti Ottoni quondam ejus patri, mortem inſtantem prædixit. nam manus imperatoris utraſque ſuis complexus manibus, ejuſque vultum intuitus, ait: Fratris Mayoli conſilio ſi aurem præberes, hinc unde venis retro redires. Pro certo enim ſcias, quia, ſi Romam perrexeris, quo ire diſponis, nativitatis regnum numquam amplius videbis, ſed Romæ, quo pergis, ſepulcrum habebis. quod anno ſequenti rei probavit eventus.

b *Biblioth. Clun. c. 560.* Mayolus Ottoni mortē prædicit.

Præter ſancti Severi Ruſſitanenſe monaſterium diœceſis Tarbeïenſis, de quo ſuperius [c] egimus, exſtat aliud in diœceſi Aduenſi ad fluvium Aturim * ſancti Severi in-capite-Waſconiæ a poſteris dictum, quod Willelmus-Sancius comes ſub id tempus excitavit. Prioris patronus ſanctus Severus eremita & confeſſor; poſterioris ſanctus Severus martyr. Exſtiterat jam pridem in poſteriori hoc loco monaſterium, ſed a *Francigenis hoſtibus* deſtructum fuerat: cujus inſtaurandi hæc nata eſt occaſio. Cum Nortmannorum gens ſæviſſima in Waſconiæ partes graſſari perſeveraret, Willelmus-Sancius cum eis congreſſurus, ad tumulum beati martyris Severi venerabundus ac ſupplex acceſſit, votoque ſe obligavit, ſe, ſi victoriam de hoſtibus reportaret, eo in loco monaſterium exſtructurum. Victor e prœlio reverſus, quamprimum ſolvendo voto animum adjecit; convocatiſque militibus, qui poſſeſſiones ejus loci in poteſtate habebant, ut eas ipſi venderent, poſtulavit. His vero detrectantibus, rem judicio aquæ-frigidæ finiri juſſit. Ubi parvulus ab epiſcopo jam jam mergendus erat, cæli ſerenitate ſubito in tonitrua & coruſcationes mutata, comes facile obtinuit quod petebat, & pro loci pretio *trecentos ſolidos duodenarios argenti*, cum quadraginta quinque vaccis, multiſque aliis rebus perſolvit. Dein *famoſiſſimum* inibi *monaſterium* conſtructurus, convocatis archiepiſcopis Auſcienſi & Burdegalenſi, cunctiſque ſuæ ditionis epiſcopis & comitibus, omnimodam eidem loco libertatem indulſit, ab illis omnibus comprobatam; eumque ſoli Romanæ eccleſiæ ſubjectum eſſe voluit ſub annuo cenſu quinque ſolidorum. Tum monaſterio abbatem præfecit, nomine Salvatorem, *ſanctiſſimum & ab omnibus laudabilem*; juſſitque ut libera eſſet ſucceſſorum electio, *ſecundum ordinationem ſancti Benedicti*. Inter alia multa, quibus monaſterium iſtud dotavit, ei conceſſit *omnem decimationem* ſuæ *ſubſtantiæ panis & vini, & quidquid decimari oportet*; inſuper *eccleſiam ſancti Genii confeſſoris, ubi ſua ſacrata oſſa tumulata jacent:* quo in loco abbatiam fieri juſſit ſub regimine abbatis ſancti Severi. Poſtremo caſtrum ſuum Palæſtrion tradidit cum ſuis appendicibus, & *cum omnibus militibus ſeu armicolis*; denique omnia, quæ ſunt inter duos fluvios *ab Alpheano*, qui *modo vocatur vulgo Aturris, uſque ad Gavaſenſem.* quæ omnia ſancto Severo tradit *cum tabula auro argentoque pulcre ornata*, prout fuſius legitur in charta ejuſdem Willelmi-Sancii, a Petro de Marca [a] ſine chronicis notis relata in hiſtoria Bearnenſi: ubi illius monaſterii primordia ad hunc circiter annum revocantur. Huic inſtrumento ſubſcribunt poſt Willelmum Urraca comitiſſa ejus conjux, Bernardus & Sancius filii, Godefridus Burdegalenſis archiepiſcopus, & Ado Auſcitanus, multique nobiles, qui cognomina a ſuis fiſcis uſurpant.

ANN. CHR. 982.

a *Bearn. lib. 3. c. 8. & 9.*

XIX. S Severi in capite Vaſconiæ monaſterium conditur.

c *lib. 18. n. 75.*

* *l'Atour.*

XX. Lotharii præcepta pro S. Petro Rodenſi & Rivipullo.

Hoc ipſo anno Lotharium regem ad Arvernos profectum fuiſſe docent nos duo ejus præcepta, quibus poſſeſſiones monaſteriorum ſancti Petri Rodenſis, & ſanctæ Mariæ Rivipullenſis confirmavit. Primum obtinuit Ildeſindus [b] venerabilis epiſcopus Elnenſis & abbas ſancti Petri Rodenſis, interventu Emmæ reginæ. *Actum Borciaco villa, ſita in comitatu Arvernenſi ſuper fluvium Helerium* *, *anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXXII. *regnante domno HLotario, anno* XXIX. alterum [c] vero impetravit Seniofredus venerabilis abbas ſanctæ Mariæ Rivipullenſis monaſterii. *Actum apud Parintaniacum villam, ſitam in comitatu Arvernenſi, ſubtus caſtrum Uzo*, eodem anno tum incarnationis, tum Lotharii regis. Baluzius non ſine fundamento exiſtimat, Borciacum eſſe eum locum, qui hodie *Broſſac* dicitur, haud procul confluentibus Elaveris ſeu Helerii & Alanionis; Parintaniacum autem eum, qui levi mutatione hodie vocatur *Parentignac*, ad Elaver contra Iciodorum, quod in altera Elaveris ripa ſitum eſt. Ceterum manet etiam nunc Uzoni ſeu Uſſoni ſuum nomen, qui locus tribus paſſuum millibus a vico Parentiniaco, ſeptem circiter a Broſſaco diſtat.

b *Marca Hiſp. p. 927.*

* *l'Allier.*

c *ibid. c. 929.*

XXI. Romualdus patrem in propoſito confirmat.

Inter ea Romualdus in ſolitudine prope Coxanenſe ſancti Michaëlis monaſterium auſteram vitam agebat, ubi Petrus Urſeolus extremum diem feliciter clauſit, ſuperſtite Johanne Gradenico cum Marino eremita, quibus Olibanus comes adhæſit, ſimul cum illis ad Caſinenſe ſancti Benedicti cœnobium profecturus. Dum in procinctu itineris eſſent, nuntium accepit Romualdus, patrem ſuum Sergium, qui in monaſterio ſancti Severi prope Ravennam monachum profeſſus erat, in propoſito vacillantem, de repetendo ſæculo cogitare. Hac ille ſiniſtra relatione perculſus neceſſarium duxit, ut Guarinus Coxanenſis abbas & Johannes Gradenicus una cum comite Caſinum pergerent; ipſe vero periclitanti patri quantocius ſubveniret. quod ubi reſcivere illius regionis incolæ, inſolenti & antea inaudito conſilio inito ad id devenere, ut, ſi Romualdum viventem apud ſe retinere non poſſent, eum interficerent, quo ejus ſaltem corpus exanime poſſiderent. His cognitis, Romualdus caput ſuum omnino decalvavit, atque inſani conſilii exſecutoribus præſentibus amentiam, ſumto prima luce cum multa aviditate cibo, ſimulavit; ſicque illi mentem ejus læſam eſſe rati, corpus lædere dedignati ſunt. Itaque his expeditus vir Dei, itineri quantocius pedes cum baculo ſe committit, nudiſque plantis ex intimis Galliarum finibus Ravennam uſque pervenit: ubi patrem ad ſæculum reverti cupientem gravibus vinculis & compedibus conſtrinxit, verberibus duris afflixit, dum ejus mentem ad ſalutarem ſtatum reduceret. Res pro voto ceſſit. nam Sergius rediit ad ſanam mentem, ſicque vitam deinceps compoſuit, ut, quidquid prius retrograda voluntate deliquerat, poſtmodum rectis ſanctæ converſationis greſſibus & exemplis emendaret, nec ante ex hac vita migraret, quam Spiritus-ſancti præſentia recreatus fuiſſet. Hunc Wion, aliique nonnulli recenſent inter beatos ordinis Camaldulenſis: at necdum fundatus erat iſte ordo cum Sergius deceſſit, qui non in eremo, ſed in ipſo ſancti Severi mortuus videtur monaſterio, quod Ravennam inter & Claſſem poſitum erat.

XXII. Diſceſſurus e Gallia Romualdus, Olibanum comitem, vitæ monaſticæ cauſa

ANN. CHR. 982. Olibanus comes Casinum se recipit.

Casinum adire cupientem, Guarini abbatis & Johannis Gradenici fidei commiserat, præcipue Johanni, qui ei ex obedientia subditus erat, præcipiens, ut, etiamsi Guarinus, qui peregrinationum amans erat, abscederet, ipse numquam a comite se sequestraret. Ex quo intelligitur, Romualdum jam tunc præpositi officium gessisse, cui solitarii illi obedientiam exhibebant. Tum Olibanus comes universis rebus ac possessionibus filio suo relictis, cum multis opibus, quantas vix quindecim muli oneriferi gestare poterant, Guarino & Johanne atque Marino comitatus, ad sancti Benedicti monasterium se contulit. Cum illic aliquantum temporis constitissent, Marinus quidem in Apuliæ solitudinem secessit, ubi ab Sarracenis latrunculis interfectus est: Guarinus vero, orationis causa discurrere solitus, Johannem adduxit, ut secum Jerosolymam proficisceretur. Hoc Olibanus cognito, cum multis lacrymis eos obtestabatur, ut ne se contra Romualdi præceptum desereret, in primis Johannem monens, ut memor esset obedientiæ sibi a patre impositæ, qui se ejus fidei peculiarius commiserat. Verum illi obfirmati in proposito discedunt: at vix e monte in plana descenderant, cum Guarini equus, invito sessore in aliam partem magno impetu conversus, Johannis tibiam ferrato calce percussit, qui illico ad terram ex nimio dolore prostratus, coactus est redire unde discesserat. Sanatus demum cellam sibi prope monasterium ædificari petiit, ubi per triginta fere annos in magna vitæ austeritate perdurans, in sancta conversatione feliciter obiit, vir sic a detractionis vitio abhorrens, ut nemo coram eo ad convicium os impune aperiret. Post ejus obitum quædam ab eo miracula facta dicuntur. Ex his quæ de Sergio Romualdi patre diximus, inferre licet, Romualdum necdum ætate admodum gravem fuisse, cum patrem ad meliorem frugem convertit.

Johannes Gradenicus illic pie obit.

XXIII. S. Georgii monasterium Venetiis cõditur a Johanne Mauroceno.

Inter Romualdi socios, qui eum in Galliam cum Petro Ursеolo duce, aliisque secuti sunt, censetur a plerisque Johannes Maurocenus, nobilis Venetus, qui tamen a Petro Damiani omissus est. Is in Gallia monasticen professus, dein cum sociis reversus in patriam, insigne monasterium in insula Venetiis adjacente, favente Tribuno-Memmo Venetiarum duce, ceterisque principibus viris, construendum hoc anno aggressus est sub titulo sancti Georgii, cujus ibidem ecclesia jam tunc erat, ducali sancti Marci ecclesiæ subjecta. Primarias conditi monasterii litteras refert Ughellus [a], ex quibus rem compendio accipe. Anno ab incarnatione Christi DCCCC LXXXII. *imperantibus dominis Vasilio* seu Basilio *& Constantino fratribus populo Romano, magnis & pacificis imperatoribus* (scilicet Veneti Germanicos imperatores, id est Ottones, non agnoscebant) *anno autem imperii eorum post obitum Johannis Cimisteii* XI. mensis Decembris die XX. indictione XI. Rivo-alto: cum Johannes Maurocenus monachus, religioni Christi addictus, locum sibi, ceterisque Dei servis aptum quæreret, petiit a Tribuno Venetiarum duce, ut ecclesia beati Georgii martyris, *quæ semper fuit beati Marci titulus*, ac de jure palatii, sibi concederetur. Annuit Tribunus, consentientibus Vitale patriarcha cum episcopis suis, cunctisque primatibus ac populo Venetiæ, ea lege, ut illic monasterium fieret ad laudem omnipotentis Dei & patriæ tuitionem; & ipse Maurocenus *monachico more* ibidem viveret, & pro sua prudentia regeret catervam monachorum, Christo servituram, & *ad cultum divinum produceret juxta regulam beati Benedicti*, sive *consuetudinem seu regulam ceterorum monasteriorum*. Quapropter prædictam ecclesiam cum libris, thesauro, & vinea ei adjuncta, Mauroceno concedunt, cum ea libertate, qua sub dominio sancti Marci antea fruebatur. Insuper ad faciendum molendinum, donant totum lacum illi vineæ adjunctum, quam Maurocenus ipse a fratre suo Dominico acceptam, cum aliis rebus monasterio jam dederat. His litteris post Tribunum subscribunt Marinus episcopus, Dominicus Gradensis episcopus; item Johannes episcopus, aliique magno numero nobiles Veneti. Novo monasterio primus abbas præfuit Johannes Maurocenus, vitæ sanctimonia conspicuus: cujus exemplum, uti & Petri Ursеoli olim ducis, postea imitatus Tribunus-Memmus sæculi honores abdicavit, & monachum induit, & quidem in sancti Georgii, ut perhibent, monasterio.

[a] *Ital. sac. to. 5. c. 1272.*

ANN. CHR. 983. XXIV. Ottonis diplomata pro Campidona & Patiolo.

POst infelicem pugnæ cum Sarracenis in Calabria exitum, de qua superiori anno dictum est, anno insequente Otto Veronam accessit, ubi filium suum æquivocum, ejus nominis tertium, imperii successorem adoptari curavit, adhuc juvenis, forte imminentem veritus mortem, quam ipsi sanctus Mayolus abbas paullo ante prædi-

ANN. CHR. 983.

xerat. Dum Veronæ versaretur, ipsum adiit Ruodolfus [a] abbas Campidonensis, cujus rogatu, *propter petitionem Gisilharii Magdeburgensis venerabilis archiepiscopi*, eidem cœnobio liberam eligendi abbatis facultatem confirmavit; adjecitque, ut nulli alii, præterquam imperatoribus & regibus, abbas ejus loci subjectus esset. *Data* IIII. *idus Junii, anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXXIII. *indictione* XI. *anno vero regni secundi Ottonis* XXII. *imperii autem* XV. *Actum Veronæ.* Ibidem *pridie* [b] *idus Julii*, an Junii, ejus anni, bona & possessiones beatæ Mariæ in Palatiolo, diœcesis Ravennatis, postulante Andrea abbate, idem imperator confirmavit, in his vineam, *quæ est posita super fluvium Padarenæ.* Primum illud diploma Hiltiboldus episcopus & cancellarius vice Willigisi archicapellani recognovit: alterum Adalbertus cancellarius ad vicem Petri episcopi & archicancellarii.

[a] *Analec. to. 4. p. 472.*

[b] *Bullar. Casin. to. 2. p. 57.*

XXV. S. Vincentii Capuæ abbatia Johanni data.

Eodem tempore scriptam puto epistolam, quæ est inter Gerbertinas sub nomine Ottonis imperatoris centesima quinquagesima-sexta, in qua ait se ob quasdam regni necessitates, abbatiam sancti Vincentii Capuæ sitam Johanni monacho donavisse, & Rotfrido ejus loci ante abbati, nec abjudicato, nec depositо, quasdam cellas in compensationem concessisse. Epistola sic habet.

Diversa regni negotia interdum cogunt nos incidere diversa imperia. Hinc est quod abbatiam sancti Vincentii Capuæ sitam, ob quarumdam rerum necessitudines, nuper Johanni monacho donavimus, Rothfrido abbate nec abjudicato, nec depositо. Proinde respectu misericordiæ eidem abbati Rothfrido concedimus cellam sanctæ Mariæ, cum omnibus ad se pertinentibus in Marsi comitatu, in eo loco qui dicitur Apininici, cum reliquis rebus sancti Vincentii in eodem comitatu positis; cellam quoque sanctæ Mariæ in partibus Beneventi, ubi dicitur Sanus-locus, cum omnibus sancti Vincentii rebus in terra Beneventana sitis. Unde tibi & Beneventano principi præcipimus, ut, sicut res vobis vicinæ sunt, ita ob nostram fidelitatem Rothfridum abbatem ejus res tenere juvetis sine ulla contradictione.

Hæc epistola inscripta est, *R. comiti*, forte Raynaldo comiti Marsorum, cui Aligernus Casini abbas libellum fecit de monasterio sanctæ Mariæ in Luco, secundum illos fines ac limites, quibus Gualterius sacerdos & monachus eamdem ecclesiam, a Doda comitissa sibi oblatam, Casinati monasterio ante annos ferme viginti tradiderat. Hoc monasterium sanctæ Mariæ aliud fuisse videtur a cella sanctæ Mariæ, itidem in comitatu Marsorum sita, sed quæ a monasterio sancti Vincentii Capuani pendebat.

XXVI. Werinharius Fuldæ abbas obit.

Cum Heinricus Augustensis episcopus in Calabriæ expeditione, quam anno superiori retulimus, *sive captus, sive occisus*, inquit vitæ sancti Udalrici scriptor, qui expeditionem illam hoc anno refert, desideratus fuisset; vacantem episcopatum obtulit imperator Werinhario seu Wernhero Fuldensi abbati, qui post Udalrici obitum electus fuerat, sed factione duorum clericorum ab ineunda sede prohibitus, uti vir sanctus vaticinatus erat. Verum ille oblatam dignitatem recusavit; nec multo post morbo correptus, apud Luggam seu Luccam Etruriæ civitatem vitam finivit. Corpus ejus ad sanctum-Domninum Parmensis agri opidum delatum, ibique honorifice humatum est. Ita Gerardus vitæ sancti Udalrici scriptor æqualis, ex quo alii emendandi, qui Werinharium, adversus Sarracenos pugnantem, occisum fuisse tradunt. Erkanbaldus ejus successor propinquus erat Bernwardi episcopi Hildensheimensis.

XXVII. Adalbertus fit Pragæ episcopus.

Ineunte hoc anno mortuus est Dietmarus seu Thietmarus, Pragensis in Boëmia episcopus primus, quem nonnulli Tetharatum vocant. Suffectus in ejus locum Adalbertus, qui recens ex Saxonia reversus erat. De his audiendus chronographus Saxonicus, qui hæc ex Cosma Pragensi accepit. Sic ille ad hunc annum. *His temporibus mortuus est Thietmarus, Pragensis ecclesiæ primus episcopus. Inter ea rediens philosophiæ de castris, ubi decem aut plus militaverat annis, non modicam librorum copiam referens, aderat spectabilis heros, nomine Wogteh, qui postea dictus est Adalbertus, adhuc ordine subdiaconus, qui, velut tener agnus inter oves, de sui pastoris morte mærentes, sedulus exhibebat exsequias funebres, orationibus diurnis instans & nocturnis, & largis eleemosynis. Quem dux Bolizlaus & ejus optimates in tam bono opere devotum cernentes, juvenem nimis renitentem rapiunt, & adducunt in medium, dicentes: Nolis, velis, noster episcopus eris. Facta est autem hæc electio non longe ab urbe Praga, in opido Lavigradeo,* XI. *kal. Martii, eodem anno, quo obiit Thietmarus episcopus, qui* IIII.

ANN. CHR. 983.

nonas Januarii decesserat. Ea tempestate rediens de bello Sarraceno adiit Veronam imperator Otto secundus : ad quem Slavonica manus cum electo pergit episcopo, ferens a duce legationem, & cleri ac populi petitionem, quo eorum confirmet electionem. Igitur serenissimus imperator eorum annuens petitioni, III. *nonas Junii dat ei anulum & pastoralem curam* : & Willegisus Moguntinus archiepiscopus, qui ibi forte aderat, & cujus suffraganeus erat, jussu imperatoris consecrat eum episcopum, vocans eum Adalbertum. Nam archipræsul Magdaburgensis Adalbertus, olim eum chrismate confirmans, hoc nomine vocitaverat. Consecratus* III. *idus Junii, venit in civitatem Pragam nudis pedibus, & omni plebe modulante episcopalem cathedram insedit. Hujus præclari pastoris consilio, & sororis suæ Mariæ interventu, dux Bolizlaus quidquid præsul Pragensis hodieque possidet, vel quidquid abbatissa Maria optavit dari suo cœnobio, gratuita utrisque pietate concessit, & canonum auctoritate confirmavit.* Tum subdit chronographus: *Sciendum quod Cosmas Pragensis ecclesiæ decanus, cujus hæc verba sunt, hanc electionem & confirmationem anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXIX. *ascribit; cum conventus iste post bellum Sarracenorum, Veronæ ab Ottone secundo habitus, cujus ipse in eodem loco meminit, dominicæ incarnationis* DCCCC LXXXIII. *acciderit.* Et recte quidem chronographus, ut ex diplomatis Ottonis Veronæ datis superius ostendimus.

* *l.* virgam.

XXVIII. Dietmarus ejus decessor purgatus.

In prædicta narratione observanda est Adalberti pietas in Dietmarum defunctum, quem alter ejusdem Adalberti vitæ scriptor *ab nigris spiritibus ad tartareum chaos* portatum dicit, idque Adalberto compertum fuisse. quod nequaquam veri simile est. siquidem ei Adalbertus ipse *sedulus exhibebat exsequias funebres, orationibus diurnis instans & nocturnis, & largis eleemosynis*; ab his officiis temperaturus, si ejus damnatio ipsi comperta fuisset. Istius anonymi opinio inde nata videtur, quod Dietmarus morti proximus prolixa oratione errata sua, qui piissimorum hominum „ mos est, exaggeravit, teste priori Adalberti vitæ scriptore; nimirum se perdidisse „ dies suos; pœnitentiæ fructum nusquam fecisse; populi sibi crediti errata dissimulasse. „ Hoc est, inquit, quod dolet, dolebitque in ævum. nam ecce diræ mortis victima „ in infernum proficiscar, ubi vermes mei non morientur, & ignis meus ardebit in „ æternum & ultra. Sic auctor ille antiquior: quæ verba posteriores auctores crudius interpretati sunt. Certe longe aliter de eo sentit Æneas-Silvius ex communi Boëmorum traditione, apud quem *Ditimarus opinione sanctitatis insignis* prædicatur. Apud priorem illum auctorem Adalbertus in festo apostolorum Petri & Pauli consecratus dicitur: quod tertio idus Junii factum tradit mox laudatus Cosmas Pragensis. Prædictus item anonymus scribit, Adalbertum Verona post ordinationem suam revertentem equo insedisse, qui non auro argentove fulgentia portabat frena, sed in rusticum morem torta cannabe composita; & Pragam ingressurum, vinculis pedum solutis, nudo pede urbem intrasse.

XXIX. Adalberti quale regimen.

Jam ordinatus ut se gesserit, idem auctor fuse prosequitur. Principio res ecclesiasticas æqua lance distribuit in quatuor partes, quarum primam ornandæ ecclesiæ, secundam alendis canonicis, tertiam pauperibus, quartam sibi, suisque usibus assignavit. Duodecim quotidie pauperes pascebat, festis diebus plurimos. Raro, extra dies festos, vidit eum meridianus sol manducantem, & numquam media nox somno indulgentem. Lectus ejus in publico elegans; in occulto nuda humus vel cilicium pro lecto, lapis pro capitis sustentaculo. A completorio usque ad primam nullus sermo ex ore ejus exibat, *& ad instar monasticæ professionis nocturna silentia servabat.* Post primam omnium causas audire solitus, alias psalmis Davidicis vacabat usque ad celebrationem missæ, in qua ne verbum quidem cuiquam loquebatur. Post missam, aut laborem manibus exercebat, aut cum capellanis lectioni dabat operam. Hi ejus mores, hæc studia erant.

XXX. S. Gregorii monasterium Constantiæ struitur.

Hoc etiam anno Gebehardus Constantiensis episcopus, qui Conrado ante quadriennium successerat, monasterium in honorem sancti Gregorii papæ prope Constantiam in ripa Rheni fluminis exstruxit, ibique duodenos monachos cum abbate collocavit. Forma ecclesiæ occidentali plagæ obversa secundum formam basilicæ sancti Petri in Vaticano, ob id a posteris Petri-domus* appellata, quam Gebehardus decimo post anno dedicavit, multisque reliquiis exornavit, in his brachio sancti Philippi apostoli, quod ab Ottone tertio acceperat. Magna ejus erat in sanctum Gregorium papam devotio, quam is, Constantiensis ecclesiæ adhuc canonicus, sollemni donatione quorumdam prædiorum eidem ecclesiæ facta testatus est, cum

* *Petershausen.*

ANN. CHR. 983.

eidem *vir summæ religionis & doctrinæ Conradus* præfectus esset. Hæc autem donatio ea conditione facta est, ut ipse, vel quivis ejus propinquus eadem precario recipere posset sub annuo censu persolvendo in festo beati Gregorii. Jam vero factus episcopus possessiones illas precario acceptas Constantiensi ecclesiæ restituit, eo pacto, ut canonici *ter in anno cum sollemni processione ipsum monasterium adeant, singulisque vicibus pro ejus anima missam cantent; & insuper in festo sancti Gregorii publicam de eo missam decantent, monachique chorum regant, & ad altare ministrent, atque a clericis ea die de supra dictis prædiis duo talenta & quinque solidi ad servitium dentur.* Quin etiam in basilica ejusdem monasterii cryptam fecit in parte occidentali cum altari sancti Martini; & super cryptam sanctuarium condidit, in quo altare principale in sancti Gregorii honorem exstruxit, super quod præclarum ciborium erexit, quatuor columnis ex ligno ilicis compositum, quas columnas argento vestivit, easque super bases lapideas decentissime sculptas constituit. ad hæc supra ipsas columnas arcus quatuor posuit, quos a parte una exaurato argento, ex altera deaurato cupro vestivit. denique super arcus & columnas tabulam collocavit magnitudinis tantæ, ut totum operiret ciborium, in medio rotundam habens fenestram, aurato cupro intrinsecus opertam; inferius autem marginem prominentem argento decoratam. Ipsa vero tabula per totum ex inferiori parte aurato cupro decenter operta erat, habens quatuor evangelistarum imagines cælato opere in transversum: cui per quatuor partes laminæ argenteæ erant affixæ, & in unoquoque latere versus unus aureis litteris inscriptus erat, in summa quatuor, qui sequuntur.

Hoc opus exiguum diversis artibus actum
Fert tibi, Gregori, supplex devotio servi
Præsulis indigni, quem tu cum plebe fideli
Conjungas turmis precibus, pater alme, supernis.

Insuper multa alia eidem monasterio contulit idem antistes, qui ecclesiæ muros eximiis picturis, quæ veteris ac novi testamenti historias repræsentabant, exornavit. Hæc carptim ex ejus vita, quæ ab Udalrico episcopo duobus libris composita est, & Callisto II. inscripta. De primo ejus loci abbate Beringero, ejusque successoribus a Bucelino recensitis, nihil fere comperti præter nomina habemus.

XXXI. Gemblaco immunitas data.

Gemblacensi in Brabantia monasterio immunitas hoc anno a Benedicto papa VII. concessa cum libera eligendi e gremio abbatis facultate, qui nulli alteri ecclesiæ, præterquam Romanæ, subjectus esset. Hoc privilegium compendio retulit Sigebertus in vita sancti Guiberti ejus monasterii conditoris, quod nos integrum ex Lambecio in observationibus ad illam vitam præviis exhibuimus, scriptum per manum Bonifacii notarii regionarii atque scriniarii Romanæ ecclesiæ in mense Mar- „ tio, indictione XI. datum vero VIII. kalendas Aprilis per manus Stephani episcopi „ ac bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno pontificatus Benedicti septimi papæ „ nono, Ottonis secundi anno XVI. quod Sigebertus male ad annum DCCCC LIII. „ vel insequentem retulit. Eidem cœnobio adhuc præerat Erluinus abbas, quamvis oculis orbatus.

XXXII. S. Quintino de Insula facta donatio.

Tunc temporis Albertus Viromandensis comes, idemque abbas sancti Quintini basilicæ, rogatu Arnoldi abbatis fratrumque suburbani monasterii sancti Quintini de Insula, a Goberto custode, Simone decano, ceterisque sancti Quintini canonicis stagna Somenæ impetravit, prædicto monasterio concedenda, faventibus filiis suis Heriberto & Othone, ad usum monachorum, ut ex canonicorum abundantia Christi pauperum inopia suppleretur; ac sibi, & filiis suis, uxorique suæ Gerbergæ impetrarent a Deo monachi veniam delictorum. Actum in basilica beatissimi Quintini martyris hoc anno, imperii domni Lotharii regis XXIX. Fallit indictio apud Hemeræum [a], ubi ejus donationis litteræ proferuntur, & pro indict. XIV. legendum XI.

[a] *Hemeré prob. p.* 32.

XXXIII. S. Remigii & Gemetici abbates.

Excessit e vivis eodem anno Rodulfus abbas Remigianus, cujus obitus in necrologio notatur III. kalendas Septembris. Sub ejus regimine, quod fuit annorum quatuordecim, multum auctus est monachorum numerus, qui sub ejus decessore fuit monachorum viginti-sex, sub eo quadraginta-septem: in quibus abbates quinque censentur, sive ante, sive sub eo assumti ad regimen aliorum monasteriorum, scilicet Rodulfus, Bernerus, Airardus, Christianus & Drogo: ex quibus Bernerus

ANN. CHR. 983.

Humolariensis, Airardus sancti Theoderici Remensis abbas erat. Christianus haud scio an qui tum abbas sancti Pantaleonis apud Coloniam-Agrippinam. Rodulfi Remigiani abbatis successor Letardus tribus annis præfecturam gessit, defunctus XIII. kal. Octobris, sub quo vixit Odeleus, postmodum sancti Basoli abbas. Arbodus Letardo successit ad annos viginti.

Per id temporis Gemeticense monasterium regebat Rodericus abbas, quo tempore Odo Carnutensium præsul, & ecclesiæ suæ canonici, quamdam terram fisci qui appellatur *Trelus* *, sitam in villa quæ dicitur Vallis, consentiente Hugone duce, qui ipsum fiscum de illis *per concambium* tenebat, monachis Gemeticensibus ad manum-firmam sub annuo censu, in festivitate sancti Remigii persolvendo, concessit. *Datum nonis Aprilis anno* XXX. *regni HLotharii regis feliciter.* His litteris post Odonem præsulem Rodulfus cantor, Suggerius archiclavus, haud scio an idem Suggerius, qui has litteras scripsit. Roderico Gemeticensi abbati suffectus Rotbertus, eo nomine primus.

* *al.* Trejus.

XXXIV. S. Sulpicio restituæ possessiones.

Apud Bituricas cum Navense sancti Sulpicii cœnobium ad magnam inopiam devenisset, tum ex bellorum superiorum procellis, tum ex direptione bonorum ab exteris, ipsoque archiepiscopo Richardo facta, Hugo archiepiscopus Richardi nepos, agente Herberto abbate ablata restituit, scilicet Bariacum & quasdam ecclesias. *Hæc*, inquit Hugo, *injuste a prædicta congregatione a meo avunculo Richardo ablata sunt: cujus peccati contagione meam culpam faciens, coram Deo & sanctis ejus, & coram præsenti altari, hæc omnia dictis fratribus reddo, restituo.* Herberto abbati successisse videtur Hictarius abbas, cujus tempore Navensibus quædam donatio facta est, cui Gaufridus vicecomes subscripsit. De Ingelberto seu Engelberto abbate alias dicendum.

XXXV. Belliloco fit donatio.

Hoc itidem anno aut insequente Bellilocensi apud Lemovices monasterio duo fratres, Ratbodus & Stephanus, vineam suam, apud sanctum Baudilium sitam in pago Lemovicino, vicaria Asnacensi, tradunt, & *patri pio Benedicto* offerunt, *ut lucerna jugiter accendatur ante eum.* Facta donatio *anno bis deno-quinto sub rege Lothario.* Subscribunt post donatores Geraldus abbas, & Gerbertus frater, aliique. Hic est Geraldus abbas Bellilocensis, qui sibi coadjutorem prius [a] adoptaverat Bernardum, qui Bernardus hoc fere tempore Geraldo mortuo in solidum successit. Erat is, ut ex Aimoino in Abbonis vita discimus, Hugonis inter Aquitanicos proceres nobilissimi filius, ex copiosa filiorum caterva Deo puer ad serviendum oblatus, missusque ad Floriacense monasterium, Richardo tunc ejus loci abbate, qui eum Abbonis, clarissimi per ea tempora magistri, disciplinæ & eruditioni commisit. Ubi satis eruditus liberalibus artibus visus est, a patre revocatus, Sollemniacensi primum abbatia, quam sanctus Eligius in agro Lemovicensi olim condiderat, donatur; postea Bellilocensi, quam genitor ejus jure belli & victricibus armis acquisierat. Hunc ergo Geraldus, vel invitus, coadjutorem habuit, ac demum successorem post annum Lotharii regis tricesimum, quo tempore adhuc superstes erat: Bernardus vero creatus episcopus Caturcensis abbatiam retinuit.

[a] *supra lib. 47. n. 12.*

XXXVI. B. Mariæ de Soliaco monasterium.

Monasterium sanctæ Mariæ de Soliaco, quod eo tempore exstabat, dubiam habet originem, quam recentiores ad sanctum Eligium, nescio quo fundamento, referunt. Non videtur præcessisse hoc sæculum, quo tempore Frotharius vicecomes & Adalberga ejus conjux cum Geraldo filio suo donant Auriliacensi monasterio *urbem* suam *dominicariam, quæ est intra terminos Caturcini episcopatus, in vicaria de Casiliaco, quæ dicitur Soliacus*, aliaque prædia, quæcumque in tota terra sua de Brassiaco, de Calviniaco, & de sancto-Sosio seu Sosico a feudalibus suis militibus vel rusticis acquirere potuerint Auriliacenses. *Actum est hoc anno ab incarnatione Domini* DCCCC XXX. *Radulfo Francorum rege regnante anno* V. His litteris adscripta reperiuntur signa A. Caturcensis episcopi, Frotardi vicecomitis, Adalbergæ vicecomitissæ, & Gerardi junioris comitis. Ab eo tempore condita videtur ab Auriliacensibus cella Soliaci, forte a Gerardo de sancto Sereno abbate, cujus studiis *respublica monachorum valde augebatur*, ut in ejus loci chronico [b] legitur. Locum rexere decani ad sæculum quintum-decimum, post cujus medium Petrus de Ornhiaco decani nomen ad dignitatem abbatis provexit. Hoc cœnobium, beatæ Mariæ Deiparæ sacrum, positum est in extremis finibus pagi Caturcensis ad Boresam amnem, qui paullo infra in Dordoniam influit. Vallem amœnissimam ad occidentem disterminat

[b] *Analect. to. 2. p. 242.*

minat Petrocoricensis pagus, ad ortum Vicecomitatus Torinnensis, cujus vicecomites monasterii conditores existimantur, nempe ob donationem loci, quam a Frotharo vicecomite factam diximus. Elegantissima est ejus basilica, tribus constans orbicularis fastigiis, quæ ex utraque parte totidem arcus fulciunt. Est & alia cella beatæ Mariæ de Solaco * in diœcesi Burdegalensi, in finibus terræ ad litus oceani, sanctæ Crucis abbatiæ subjecta.

ANN. CHR. 983.

* *Solac.*

XXXVII. Simorræ & Piciani monasteria instaurata.

Inter vetera Wasconiæ monasteria, quæ principatu Ludovici augusti exstabant, recensentur Simorra * & Picianum *, utrumque situm in diœcesi Ausciensi, hoc quidem in ipso Ausciorum suburbio, illud vero ad Gimonem * fluviolum, cujus aquas Garumna infra Tolosam recipit. Ambo hæc cœnobia tempestatibus Sarracenorum & Nortmannorum excisa jacuere: dum ea restituit, ut videtur, Willelmus Astaracensis comes, filius Arnaldi comitis: Simorræ basilica in honorem beatæ Mariæ dedicata, cui Willelmus cum uxore sua Talesa talia confert munera, quæ sui atavi habuere in proprium, dum comites fuerunt. *Cumque dignus non fuit mundus tales habere augustos, ipsos suscepit sanctitas, & mihi*, inquit, *remansit hereditas.* Idem monasterio, *quod vulgo dicitur Peciano*, in honorem constructo summi archangeli Michaëlis, sitoque in territorio Astaracensi, quod acceperat ab Ottone diacono germano suo, & Fortone ejusdem monasterii abbate, ceteriisque monachis ejusdem loci cultoribus, *octo vasa argentea* pondere librarum nongentarum, fidelium suorum consilio tradit cum universis appendicibus Peciani. Hanc vero donationem Benedictus urbis Romæ papa manu propria subarrasse dicitur, Garsias archipræsul, scilicet Auscitanus, Aymericus comes Ferenziacus, Petrus Tolosæ episcopus, Rogerius comes Convenianensis, Bernardus pontifex Aginnensis, Otto servus servorum omnium monachorum, Arnaldus comes Bigorritanus; item Bernardus, Raymundus, Garsias & Geraldus comites. Simorræ colitur sanctus Ceratius, qui ex Burgundionum regione in Novempopulaniam accessisse, ibique sancte vixisse ac devixisse traditur. Otto, Willelmi comitis germanus, monachus fuisse videtur Simorrensis, dein abbas ejusdem loci, ac demum archiepiscopus Auscitanus.

* *Simorre.*
* *Pessan.*
* *Gimone.*

XXXVIII. Medulfi-cella.

Haud longe a Simorra, ad Gimonem itidem fluviolum, tunc exstabat cœnobium sancti Petri & sancti Victoris de Cella-Medulfi, qui locus olim Blizentius vocabatur. Hunc locum Ludovicus Pius sanctæ Mariæ Soricinensi quondam donodederat. at, cum Soricinensem abbatiam Sarraceni devastassent, ad eam reficiendam abbas Soricinii Blizentium pro mille solidis Garsiæ comiti Astaracensi ad vitam cessit. Garsia mortuo, cum Soricinii abbas hunc locum recipere vellet, primo restitit Medulfus Garsiæ successor: sed victus tandem precibus abbatis, illum restituit, ea lege, ut illic fieret cella monachorum, quæ Soricinio subjecta esset, ab eo Cella-Medulfi * appellata. Primus ei præfectus est Azenarius abbas, cujus tempore Guillelmus comes Astaracensis & Arsi-Garsias *comitissus*, sedente Ottone Auscitano archiepiscopo & Simorræ abbate, multa prædia Simorrensi monasterio restituerunt, adstante & annuente Azenario Cellæ-Medulfi abbate. Hæc cella postmodum sancto Hugoni Cluniacensi abbati commissa.

* *Saramon.*

XXXIX. Romualdi variæ sedes.

Cum Romualdus Sergium patrem suum in religioso proposito confirmasset, diutius in Classensi monasterio persistere noluit; sed solitudinis amans, in proximæ paludis loco, qui Pons-Petri dicitur, exstructa cella pedem fixit. Inde ad aliud vicinum prædium, ubi ecclesia beati Martini erat, migravit, ubi variis dæmonis artibus appetitur. Postea Balneum * Etruriæ locum se contulit, ibique monasterium sancti Michaëlis exstruxit, a quo non longe in privata cella aliquamdiu habitavit. Illic dum versaretur, Hugo marchio septem ipsi numismatum libras pro necessitate misit, ex quibus ille incunctanter sexaginta solidos direxit monachis Palatioli cœnobii, quod recens incendio conflagraverat. Hinc commoti in eum sancti Michaëlis monachi, quod sibi data in alienos usus expenderet; simul etiam severam ejus vivendi rationem ægre ferentes, verberibus multatum e cella protrudunt, & alio secedere compellunt. quorum immanitatem non tarda pœna subsecuta est. Ille vero secessit in Cariam seu Catriam montem ducatus Urbinatis, maxime excelsum, cujus jugum vertice nubes superat: ibique aliquanto tempore consedit: dum sancti Apollinaris viso & Ottonis tertii mandato Classem revocatus est.

* *Bagno.*

XL. Parmensi S. Johannis cœnobio præfectus Johannes.

Sub id tempus Sigefridus Parmensis antistes, eo nomine secundus, nobile cœnobium extra urbis suæ muros in honorem sancti Johannis evangelistæ condere ag-

greſſus eſt. Huic meditanti ecquem novæ coloniæ abbatem præficeret, occurrit
ANN. CHR. 983. Johannes quidam, ex eadem civitate nobili genere oriundus, cæſo matris utero editus in lucem : qui factus ejus eccleſiæ canonicus, uſque ſextum Jeroſolymam voti cauſa peregrinatus fuerat, demumque ibidem monaſticum habitum induerat. Hunc itaque adduxit Sigefridus, ut in ſe ſuſciperet novæ curam eccleſiæ, in qua primum clerici, ſed ſtatim inſtituti fuere monachi, qui ad normam Cluniacenſium, docente ſancto Mayolo, informati ſunt. Profectus ad Ravennenſem ſynodum epiſcopus, decretum ab archiepiſcopo aliiſque epiſcopis obtinuit, ut, ſi quis umquam ſucceſſorum ſuorum in eodem monaſterio pretio pecuniæ abbatem inſtitueret, anathematis jaculo feriretur. quod decretum etiam ſancto Mayolo confirmandum tradidit, cujus admonitionibus in prædicto monaſterio multa vitæ cœnobiticæ apta conſtituit. Erat illic monachus quidam, Chriſtophorus nomine, ſcribendi arte peritiſſimus : qui cum Johannis abbatis juſſu codicem ſcriberet, incidendo membranam, digitum ſibi graviter vulneravit. quem vir Dei ſaliva ſua linitum mox ſanavit. Idem Chriſtophorus in illo cœnobio præpoſiti munus geſſit. Multa alia miracula ab eodem Johanne patrata dicuntur. In his vinum ejus benedictione auctum, quod Johannes archidiaconus, poſtea Mutinenſis epiſcopus, ipſi dono miſerat. Id a Gandulfo monacho, qui cum ceteris fratribus ex illo vino ad menſam biberat, ſe accepiſſe ſcriptor ejus vitæ teſtatur. Item tempeſtas horrida, quæ ſegetibus & vineis perniciem minabatur, ab eo ſedata, cum Brixili ad quoddam cœnobium adveniſſet. Romam quotannis precandi gratia ſolitus accedere, ſemel impudicam mulierem miraculo flexit ad reſipiſcentiam, ſemel etiam Arni fluvii exundantes aquas ſicco veſtigio permeavit.

XLI. Ottonis obitus, ejuſque filii coronatio.

Poſt comitia Veronæ habita, in quibus Otto ſecundus æquivocum filium ſuum quatuor annorum, ſucceſſorem eligi & agnoſci curavit, ipſe, relicta Papiæ genitrice ſua Adelhaide, Romam profectus, anno duodecimo regni ſui mærore confectus interiit VII. idus Decembris, facta prius *latialiter* [a] confeſſione coram apoſtolico, & pecunia ſua in quatuor diſtributa partes, quarum unam eccleſiis, alteram pauperibus, tertiam ſorori ſuæ Mathildi abbatiſſæ Quindelinburgenſi, quartam ſuis miniſtris ac militibus aſſignavit. Sepultus eſt in atrio baſilicæ ſancti Petri, condituſque in labro porphyretico; auguſtus melior bono patre, & per omnia chriſtianiſſimus, ut ſcribit Gerardus in libro de vita ſancti Udalrici epiſcopi Auguſtenſis; in hoc tamen culpatus a Ditmaro epiſcopo aliiſque, quod res eccleſiæ Merſeburgenſis ad Magdeburgenſem tranſtuliſſet. Abbatia [b] Merſeburgi inſtituta, cui primum Otradum venerabilem de ſancto Johanne monachum, poſtque Heimonem ex eodem monaſterio præfecit. Idem Rufus cognominatur ab Hugone Flaviniacenſi abbate, qui in hoc fallitur, quod eum Aquiſgranum a ſuis relatum, ibidemque ſepultum fuiſſe dicit. Ejus epitaphium [c] compoſuit Gerbertus, qui ipſius præceptor fuerat. Natali Domini proxime ſequente Otto tertius Aquiſgrani a Willegiſo Moguntino & Johanne Ravennate archiepiſcopis rex coronatur. quo facto, nuntium de morte Ottonis patris ejus allatum eſt, ex quo magni in Gallia & Germania motus excitati.

a *Ditmar. lib. 3.*

Merſeburgi abbatia ab eo facta.

b *Ditmar. lib. 3. p. 31.*

c *Gerb. ep. 79.*

ANN. CHR. 984. XLII. Ottone mortuo quanti motus.

NAm anno inſequente Lotharius rex Francorum & Heinricus minor Bajoariorum dux, Ottonis primi fratruelis, Ottonis juvenculi regis ætatem, id quod erat, reſiſtendo imparem & injuriæ opportunam nancti, de ſumma rerum utrimque decertare cœperunt. Lotharius Virdunum civitatem invadit : Heinricus tenellum regem a Warino Colonienſi archiepiſcopo, cui ab Ottone patre educandus traditus fuerat, in ſuam accipit poteſtatem, ſeque regem Quindelinburgi publice appellari juſſit. Id factum maxime odio Theophaniæ imperatricis, Ottonis juvenculi matris, quæ, Germanis de victoria a Græcis in Calabria reportata, muliebri levitate inſultaverat. Multi tamen principes Heinrico obtemperare, adeoque fidem tenello regi datam violare haud ferentes, eum tandem ad reſtituendum in libertatem puerum compulerunt. Itaque rex puer ab avia ſua Adelhaide & matre Theophanu ſuſceptus, Hoiconis comitis tutelæ & magiſterio committitur. Huic favebant ex epiſcopis Adalbero Remenſis, Willegiſus Moguntinus, Notgerus Leodicenſis : at adverſarii erant Ecbertus Trevirenſis, Warinus Colonienſis & Poppo Trajectenſis, qui Heinrico invaſori favebant. In has turbas plus, quam monachum decuiſſet, ſe im-

miſcuit Gerbertus ſcholaſticus, Ottoni addictus, cujus variæ hac de re litteræ leguntur.

ANN. CHR. 984. XLIII. Gerberti hac de re epiſtolæ.

Una [a] ex his eſt ad Willegiſum archiepiſcopum Moguntinum, cui Adalbero Remenſis nuntium miſit Airardum ſancti Theoderici abbatem. Huic multa commiſit Adalbero de ſtatu & pace regnorum cum Willegiſo tractanda, datis a Gerberto litteris, ut ei ſic legato crederetur. In his litteris ſuam ſortem deplorat Gerbertus his verbis : *Cæſare deſtituti præda hoſtium ſumus. Cæſarem in filio ſupereſſe putavimus. O quis prodidit! quis nobis alteram lucem eripuit! Agnum matri, non lupo committi oportuit. Me quidem doloris immanitas mihi conſulere non patitur. Nunc fertur animus præceps in hoſtes Italos, qui mea funditus eripiunt : nunc quaſi meliora deliberans, terrarum longinqua petit. Sed dum redit Otto, dumque hærent infixi pectore vultus, dum Socraticæ diſputationes ipſius frequentes occurrunt; refringitur impetus, & peregrinationis meæ tædium apud Gallos utcumque relevatur.* Deinde Willegiſum rogat, ſibi ut conſulat, & data occaſione apud imperatrices, alioſque, quos referre putaverit, agat, « quo ſe ſervum fidelem cæſaris ab exſilio revocet, quippe qui nihil deliquerit, niſi « quod cæſari fidelis exſtitit. Scilicet Gerbertus a comitatu juvenculi regis, ſive per « Heinricum ducem, ſive per Hoïconem, amotus fuerat : quod exſilii loco habebat, ex quo ſe revocari poſtulat. Eumdem Willegiſum in conſtanti erga Ottonem fide confirmat [b] nomine Adalberonis Remorum archiepiſcopi, apud quem tum Gerbertus verſabatur. De Heinrico regni invaſore intelligenda hæc ejus epiſtolæ verba : *Qui duos Ottones conatus eſt exſtinguere, tertium volet ſupereſſe?* In fine rogat Adalbero, ut Willegiſus provideat rebus beati Remigii ipſi vicinis, *ne aut prædo rapax eas rapiat, & ne Otto, qui debet eſſe tutor, ſit devaſtator.* Idem Gerbertus nomine itidem Adalberonis archiepiſcopi graviſſimas litteras [c] ſcribit ad Ecbertum Trevirenſem, qui novum Ottoni regem, Heinricum ſcilicet, præponere volebat. *Forte quia Græcus eſt*, inquit, *ut dicitis, more Græcorum conregnantem inſtituere vultis. Quo receſſit ſanctiſſima fides? exciderunt ne animo beneficia Ottonum vobis conlata?*

a *Id. ep. 34.*

b *Id. ep. 27.*

c *Id. ep. 26.*

XLIV. Ejus ſcholæ in Italia.

Eodem tempore Gerbertus quædam bona, forte dignitates eccleſiaſticas, in Italia poſſidebat. Hinc eſt quod in ſuperiori illa ad Willegiſum epiſtola conqueritur, quod hoſtes Itali ſua funditus eriperent. Ottonem ſecundum in Italia ſecutus fuerat, ibique litteras interim docebat. Unde in epiſtola XIII. ad Ecbertum archiepiſcopum Trevirenſem : *Domini noſtri cæſaris*, inquit, *magnanimitatem, intentionem, appetitum bonorum virorum ſupereminentem cognoviſtis. Proinde ſi deliberatis, an ſcholaſticos in Italiam ad nos uſque dirigatis, conſilium noſtrum in aperto eſt. quod laudabitis, laudabimus; quod feretis, feremus.* Huc etiam ſpectare videtur epiſtola XCII. ad Bernardum monachum Aureliacenſem, ubi ait ſe Italia exceſſiſſe, ne cum hoſ- « tibus domini ac filii ſenioris ſui divæ memoriæ Ottonis quolibet modo cogeretur pa- « ciſci; interdum vero nobiliſſimis ſcholaſticis diſciplinarum liberalium ſuaves fruc- « tus offerre. «

Ejus diſputatio cum Otrico.

Si Hugoni Flaviniacenſi [d] abbati fidem habemus, cum Gerbertus Romam cum Adalberone Remorum archiepiſcopo peteret, Ticini Ottonem auguſtum reperit, a quo benigne acceptus, ductuſque claſſe per Padum uſque Ravennam eſt. In Ottonis comitatu erat Otricus ſcholarum præfectus in academia Magdeburgenſi, idemque Ottonis tertii præceptor, qui cum *Gerberti ſe reprehenſorem in quadam figura cum multiplici rerum diverſarum diſtributione* monſtraviſſet, juſſu auguſti in frequenti cœtu omnium palatii ſapientium coram archiepiſcopo, Adſone abbate Dervenſi, & ſcholaſticorum non parvo numero, diſputaſſe dicitur per totum diem, dum tandem auguſti nutu diſputationi finis impoſitus eſt. Idem Otto Gerbertum quoque præceptorem ſuum in ſuis litteris agnoſcit.

d *Labbe to. 1. p. 157.*

XLV. Virduni turbæ de epiſcopatu.

Interim Wicfridus Virdunenſis præſul moritur, & in ſuburbano ſancti Pauli monaſterio, quod ipſe condiderat, humatur. Tum rex Lotharius [e] Virdunum invadit, capitque ejus comitem Godefridum, Adalberonis archiepiſcopi fratrem. Hugo quidam clericus in Wicfridi locum eligitur : ſed cum Virdunenſem eccleſiam facultatibus maxime extenuatam videret, electioni ceſſit. Suffectus Adalbero, filius Friderici olim ducis, & Beatricis Hugonis magni filiæ : ſed is, cum Diedericus ſeu Theodericus Mettenſis epiſcopus deceſſiſſet, ejus epiſcopatum Virdunenſi prætulit. Electus proinde alter Adalbero, filius Godefridi comitis, Adalberonis archiepiſcopi nepos, eccleſiæ Remenſis clericus : qui, quod inconſulto Lothario urbis tunc

e *Balderic. lib. 1. c. 104.*

ANN. GHR. 984.

domino electus esset, & ab Adalberone archiepiscopo ordinatus, graves sibi patruoque rixas accersivit. Hinc enim tamquam læsæ majestatis reus, archiepiscopus a Lothario pulsatur; &, quod nepotem suum Adalberonem, Remensis ecclesiæ clericum, licentia[a] donavisset, Ottonis ut palatium adiret, episcopatum ab eo accepturus; & quod eidem gradum diaconatus ac presbyteratus contulisset. qua de re archiepiscopus apud Lotharium se purgare[b] conatur. Hinc VI. kal. Aprilis conventus Francorum[c] indictus, cui archiepiscopus se sistere jubetur. Quin etiam ei mandatum, ut nepotem suum, velut intrusum, excommunicaret, aliosque episcopos, ut eum itidem excommunicarent, rogaret. quod facere se non posse contestatur in epistola LIV. ad archiepiscopum Trevirensem. In illo temporum ac rerum articulo, cum Virdunenses novum episcopum recipere nollent, sive prioris Adalberonis desiderio, sive metu Lotharii regis, qui urbe tum potiebatur, graviter in eos invehitur Gerbertus epistola LXXX. nempe quod pastorem suum, *voluntate hereditarii regis, consensu & favore comprovincialium episcoporum electum, ac insuper episcopali benedictione donatum*, agnoscere detrectarent. Tenuit nihilo minus electio Adalberonis episcopi: cui Lotharius *epistola sui nominis impressione ignota, signis incognitis*, sed *per certum nuntium perlata*, jussit *ambitum monasterii sancti Pauli penitus avelli, quasi hostilis munitionis castrum.* quod sacerdoti non esse injungendum dicit Adalbero: ceterum se in aliis regi obtemperare paratum esse, *divino respectu ante prælato.* quam epistolam[d] Gerbertus ejus nomine scripsit. Ordinatus est demum episcopus Virduni Adalbero III. nonas Januarii, ut ex ejusdem Gerberti epistola XLIII. intelligimus.

a *Gerbert. epist.* 57.
b *epist.* 58.
c *epist.* 90.
d *epist.* 53.

XLVI. Theoderico Mettensi præsuli succedit Adalbero.

In illas etiam turbas se conjecit Diedericus seu Theodericus Mettensis antistes, qui Lothario regi adhærebat contra Carolum ejus fratrem, cujus nomine Gerbertus atrocissimas eidem Theoderico[e] litteras rescripsit, respondens ad eas, quas[f] idem Theodericus acerrimo itidem stilo Carolo scripserat. Verum in his turbulentis negotiis morte interceptus est Theodericus, sepultusque in Mettensi sancti Vincentii monasterio, quod a se conditum fuerat. Successor ejus, ut mox dicebam, Adalbero, fratruelis magni Adalberonis ejusdem urbis episcopi, patre Friderico, qui *Galliæ medianæ* dux erat, matre Beatrice, Hugonis Magni filia, Capeti sorore progenitus, qui *scholaribus disciplinis apud Gurgitenses*, ut in ejus vita[g] legitur, seu Gorzienses, *castissime detritus & institutus fuerat.* Mortem obiit Theodericus VII. idus Septembris. Adalbero, procurante matre Beatrice, favente Adelheide augusta, in ejus locum subrogatus XVII. kal. Novembris: quo tempore Otto puer Wormatiæ a principibus rex tandem agnitus est, agente in primis Beatrice, quæ dissidentium animos principi reconciliavit. Adalberonis benedictio sacerdotalis dilata usque ad festum sanctorum Innocentium, id est ad V. kal. Januarii, qui dies dominicalis eo anno erat. Convenere vicinarum civitatum præsules Trevirim, cui Ecbertus archiepiscopus præerat, & unanimi consensu ac plausu Adalberonem episcopum consecravere.

e *epist.* 32.
f *ep.* 31.
g *Labbe to.* 2. *p.* 670.

XLVII. In monachos bene affectus.

Mox ille totum se ad informandum gregem composuit, affabilis cunctis, maxime pauperibus, ita ut a superbis quasi nimis dejectus notaretur. Erat etiam monachorum, utpote apud quos educatus fuerat, amator ferventissimus, eorumque cœtu & colloquiis in primis delectabatur: adeo ut nihil præter monachos curare a laïcis infamaretur. Hoc studio adductus, sancti Symphoriani suburbanum monasterium, quod nihil nisi rudera & ruinas prætendebat, nobiliter instauravit, & servorum Dei, *qui institutis sancti Benedicti bene parere docti ad perfectum noverant*, collegio exornavit. Xenodochium etiam pauperum in urbe instituit, ubi ancillas Dei ad laudes perpetuo Creatori persolvendas liberaliter dotavit. Quin etiam sancti Petri puellare monasterium in eadem urbe restituisse dicitur, & proximum cœnobium sanctæ Mariæ ad instituendas novitias ædificasse. tametsi nulla ejus rei mentio in ejus actis occurrat. Existant adhuc in Mettensi arce vetera & semiruta ædificia hujus parthenonis, cujus sanctimoniales, quæ modo canonicæ videri volunt, ad ecclesiam sancti Johannis patrum nostrorum memoria translatæ sunt, non amplius subjectæ sancti Petri monasterio in urbem itidem translato, a quo olim pendebant. Ad hæc Adalbero in Blisacensis pagi loco, quem Adventius Mettensis antistes in honorem sanctæ Trinitatis adornare cœperat, & corpore sancti Terentii ejusdem sedis episcopi insignierat, omnino perfecit, & in eo feminas Deo dicatas cum congrua dote collocavit. Denique Theodericus ejus decessor in quodam loco Calvomontensis pagi, *Spinal* rusticorum lingua vocato, monasterium constructerat in honorem sancti Goërici Mettensis itidem episcopi, cujus reliquias eo transtulerat: ubi Adalbero primum servos Dei seu clericos, qui locum incolerent; dein ancillas Christi, *sub regulari vita & sub institutione beati patris nostri Benedicti bene edoctas*, coadunavit. Uno verbo, monasteria vel nova construere, vel vetera restruere maxime satagebat. Ad alia vitæ ejus exercitia quod attinet, *missas & sacramenta divina*, numquam sine cilicio, numquam sine lacrymis celebravit. Vigilias natalis Domini, sancti paschæ ac pentecostes, necnon omnium apostolorum absque ullo cibo transigere; quadragesimæ dies semper cum monachis, dum in patria versaretur, præcipue apud Gorzienses, *staminea lana* seu interula lanea indutus, peragere consueverat: quia locus iste & sacræ religionis districtione insignis, situque amœnissimus gratissimum secessum exhibebat.

ANN. CHR. 984. Spinalti parthenon.

XLVIII. Hersfeldenses abbates.

Non modo Heinricus dux Bajoariorum, sed etiam Ludolfus dux Sueviæ, Ottoni puero nepoti suo regnum surripere tentavit. Ludolfo assentatus Gozbertus Hersfeldensis abbas, quia Ludolfo fidem juraverat, Ottoni præstare noluit. Ideoque, pace composita, monasterio cedere coactus, locum fecit[a] Bernhario ejusdem loci præposito, qui in ejus locum suffectus est. Hic id unum laude dignum fecisse dicitur, quod calicem magnum *cum duabus ansulis*, ex puro auro, electro & margaritis constantem, comparavit. Ceterum in monte sancti Petri monasterium, seu potius cauponariam, sibi exstruxit, ubi cum suis militibus residens, rebus monasterii profuse utebatur, fratribus pro libito vivendi permissa licentia. Hæc duravit ad principatum sancti Heinrici imperatoris, cujus mandato Godehardus, ex Altahensi assumtus monasterio, Hersfeldensium pravos mores emendavit.

a *Mader. p.* 156.

XLIX. Hildensheimenses episcopi.

In chronico Hildensheimensi Otwinus, *laudandæ memoriæ pius præsul*, hoc anno vitam finiisse dicitur, quod Bruschius perperam ad biennium differt. Hildensheimensem ecclesiam rexit annos triginta. De ejus successore in eodem chronico hæc leguntur anno sequenti. *Osdagus vir summæ caritatis ac castitatis, in sancta religione probatus, cum magno consensu cleri ac plebis ad pontificalem honorem promotus est.* Hunc antea ex Augiensi monasterio Constantiensis diœcesis ad Bergensis cœnobii gubernationem evocaverat Otwinus, qui & ipse olim ejusdem loci abbas fuisse dicitur, id est sancti Johannis in monte prope Magdeburgum. Quamquam Otwinus abbas fuit sancti Mauricii in illa urbe, & quidem secundus, antequam abbatia ad suburbanum montem sancti Johannis translata fuisset ob erectionem sedis archiepiscopalis factam apud sanctum Mauricium. In chronico Saxonico nondum edito Otwinus kalendis Decembris obiisse traditur. Ipse aurum pretiosum, gemmas, lapides & margaritas ad conficiendum calicem & patenam collegisse dicitur, sed infirmitate præventus, *sub sigillo & fide Christi* successori reservasse.

L. Gandersheimenses abbatissæ.

Idem etiam, Wendelgarda Gandersheimensi defuncta, Gerbergam seu Gerburgam ejus nominis secundam abbatissam ordinavit, testante eodem chronographo, cui Tangmarus presbyter in vita sancti Bernwardi episcopi suffragatur. Gerbergæ abbatissæ Roswita, ejusdem cœnobii sanctimonialis & poëtria, carmen suum de gestis Ottonis nuncupavit, ut superius[b] vidimus. Ejus tempore Sophia, Ottonis secundi filia, in monasterium admissa, magnarum subinde perturbationum auctor, ut postea videbimus. Hujus parthenonis *chimiliarcha* erat eo tempore Hazecha nobilis sanctimonialis, uti discimus ex Walthero scholastico, Spirensis ecclesiæ subdiacono, qui tunc librum de passione sancti Christophori martyris scripsit jussu Balderici ejus ecclesiæ præsulis; quo mortuo, hoc opusculum *dominis Liutfredo, Benzoni & Friderico, una cum ceteris datæ consortibus pacis*, nuncupavit. Tempus conditi operis in prologo metrico, huic nuncupatoriæ epistolæ subjecto, designat,

b *lib.* 47. *n.* 17.

Hazecha sanctimonialis.

Cum primum regno successit tertius Otto.

Hinc pacis cum Ottone initæ mentio in prædicta epistola, Liutfredo, Benzoni & Friderico inscripta, qui istius pacis præcipui auctores censentur. Hanc epistolam sequitur *epistola ad Hazecham sanctimonialem, urbis Quidilinæ kimiliarchen* seu thesauriam, inscripta *domnæ Hazechæ meritorum & generis speculo non obscuræ.* tum subjicitur prologus *domno Balderico, sanctæ Nemetensis ecclesiæ patri & episcopo*, cujus

ANN. CHR. 984.

impulsu condi cœpit istud opusculum, quod non ante mortem ejus absolutum est.

L I. Aaloncus Luxovii abbas cum Mayolo quædam commutat.

Superstes fuit ad hoc tempus Aaloncus abbas Luxovienſis & episcopus, cujus non semel in superioribus[a] meminimus. Quippe anno tricesimo Lotharii regis Mayolus Cluniacensis abbas & Aaloncus Luxovienſis quædam inter se se commutarunt in villis pagi Matisconensis Salustriaco & Danaïco, ubi antea Aymardus abbas Cluniacensis cum Guidone Luxovienſi nonnulla permutaverat. Eodem anno Aymus archidiaconus Matisconensis Cluniaco vineas suas donat in villa pagi Cabilonensis Fusciaco: quam donationem confirmat Rodulfus episcopus Cabilonensis, Gauzfredus comes, & Adeleis comitissa.

a *lib. 46. n. 34. & lib. 47. n. 26.*

Aalonco succedit Adso.

Non multo post Aalonco Luxovienſi suffectus est Adso, cui cognomen Hermiricus, uti discimus ex ejus libello de gestis sancti Waldeberti abbatis Luxovienſis tertii, quem libellum *Luxovienſium cœnobitarum sacræ concioni nuncupavit Adso, qui & Hermiricus, nomine abbas*, ut ipse ait, *non merito vocatus*. In prologo suo dicit, » sibi animo sæpe revolventi, quid utilitatis & commodi isti loco conferre posset, in » quo a parentibus a pueritia traditus, primævi tirocinii juvenilia rudimenta pere» gerat; illud potissimum occurrisse, ut, ad reparandam succedentium gratia præte» ritarum rerum memoriam, ea quæ per egregios confessores, sexcentorum ferme » monachorum Luxovienſium fundatores atque rectores, Eustasium scilicet ac Wal» debertum, ipsius ætate gesta fuerant, litteris commendaret: *præcipue cum eos nobis*, inquit, *divina providentia tamquam specialis dono privilegii, patronos destinaverit, quorum præsens suffragium nos muniret, miraculorum virtus clarius illustraret.* quæ verba manifeste probant, eum abbatem fuisse Luxovienſis monasterii, in quo a teneris oblatus Deo & educatus fuerat. Alii fuerunt ejusdem nominis abbates, Dervensis & sancti Basoli, de quibus superius[b] actum est.

b *lib. 47. n. 23. & seqq.*

L II. Gausmaro abbati Saviniacensi suffectus Hugo.

Gausmarus abbas Saviniaci in agro Lugdunensi hoc anno non sine opinione sanctitatis obiisse traditur, & quidem III. nonas Junii, quo die in necrologio notatur. Sepultus fuit primum in oratorio sancti Leodegarii, inde postea translatus in capellam sancti Nicolai, ubi ejus tumulus super columnam erectus prope altare cernitur. Huic successit electione fratrum venerabilis Hugo, juvenis quidem ætate, sed moribus gravis, quem Gausmarus in extremis successorem designaverat. Exstant Borchardi seu Burchardi Lugdunensis archiepiscopi decretum seu litteræ de ejus electione, quas hoc loco attexere non pigebit.

Anno dominicæ incarnationis DCCCC LXXXIV. *indictione* XII. *venerabili viro Gausmaro Saviniacensis monasterii patre viam universæ carnis ingresso, atque proprii, quem pro Deo exsecutus est, laboris fructum percipiente, necesse fuit ejusdem loci pastoralis curæ sollertiam a procuratoribus exhiberi. Igitur ego Borchardus, divina largiente gratia Lugdunensis ecclesiæ præsul, notum esse volo Dei fidelibus, ac matris ecclesiæ gremio consistentibus, quod fratres ejusdem Saviniacensis monasterii, in nomine Domini, & honore beati Martini dicati, præsentiam domini Conradi regis adeuntes, deprecati sunt obnixe clementiam illius ac nostram parvitatem, ut patrem, qui eidem loco præesset, ac eis officium paternitatis impenderet, secundum morem antiquitus servatum, & juxta beati Benedicti edictum, regularem eis concederemus abbatem. Quorum petitionibus, largiente gratia prædicti regis, & voto ecclesiæ nobis commissæ favente, assensum præbentes, concessimus eis, sicut devotio prædicti pastoris Gausmari, eo vivente, postularat, & noster assensus ei spoponderat, virum quemdam, juvenili quidem ætate pollentem, moribus vero secundum regularem institutionem a puerili ætate institutum, nomine scilicet Hugonem, quem ob Christi amorem & sanctæ fraternitatis dilectionem, paternitatis monitu flagitamus, ut eidem loco sic studeat præesse, quo magis valeat prodesse. Tramitem vero discretionis ita tenere satagat, quo, Jacob ut alter, validos justa censura regat; pusillos vero ita soliditate verbi & exempli, ne in via deficiant, paterno more confoveat; omni vero gregi ita utilem se præbeat, ut quod Petro dictum est,* PASCE OVES MEAS, *a Domino sibi imperatum existimet. Et ut hoc nostræ sanctionis decretum firmitatem obtineat, nostro assensu id firmavimus, & manibus fratrum ut firmaretur, decrevimus. Borchardus archiepiscopus, Heldebertus abbas, Johannes monachus, Adzo monachus, Gotesmannus monachus, Auterius monachus, Madalbertus monachus, Aschiricus monachus, Durantus, Iterius, Stephanus, Rotbaldus, Arnulfus, Benedictus, Gerbernus, monachi.*

Qui post Burchardum subscripsit Heldebertus abbas erat Insulæ-Barbaræ, superius

laudatus, qui novam monasterii sui basilicam insignis structuræ, qualis etiam nunc cernitur, anno sequenti perfecit, non diu post hæc superstes. Ei successit Benedictus, de quo nihil dicendum occurrit: tum Bernardus, qui Durandi Saviniacensis abbatis electioni interfuit.

ANN. CHR. 984. Insulæ-Barbaræ abbates.

L III. S. Hilario Carcassonensi datur Cornelianum.

Dum Carcassonensi sancti Hilarii monasterio præesset Benedictus abbas, eidem loco se maxime beneficum præstitit Rotgerius comes & marchio. Hic inter alia quemdam alodem suum Cornilianum, consentiente uxore sua Adalaissa una cum filiis suis Regimundo & Bernardo, Deo & sancto Hilario sanctoque Saturnino atque Benedicto abbati donavit, cum ecclesia, quam in honorem sancti Petri & sancti Hilarii ibidem construi jussit, & ab Eimerico episcopo consecrari curavit. Hæc vero consecratio facta est kalendis Novembris, anno secundo ordinationis domni « pontificis Eimerici sedis Carcassonæ, ut legitur in litteris hac de re confectis, quas « Isarnus monachus & sacerdos exaravit. Ex his restituendus Eimericus in syllabo episcoporum Carcassonensium, ubi desideratur.

L IV. Coxanensi monasterio quædam legat Miro episcopus.

Reverso ex Italia Guarino Coxanensi abbate, ex hac vita migravit Miro Gerundensis episcopus, facto testamento, in quo nonnulla prædia Coxanensibus legavit. Testamenti exsecutores, *manumissores*[a] seu *eleemosynarii* ejus dicti, fuere Teudericus abbas Campi-rotundi, & Miro presbyter, qui, secundum ejus mandatum, cœnobio sancti Michaëlis archangeli & sancti Germani confessoris, cujus basilica in valle « Confluenti, loco Coxano, juxta fluvium Literanum sita dicitur, donant alodem unum « in villa Foliano, posito in valle Confluente; & alium in valle Bocaranensi seu Li- « litensi. quæ donatio facta est præsente abbate Warino seu Guarino cum monachis « ibidem Deo servientibus, eo pacto, ut hi alodes ipsis cedant, eorumque successoribus ibidem militaturis *secundum instituta sanctorum patrum & regulam sancti Benedicti. Facta carta donationis vel eleemosynaria* XII. *kal. Martii, anno* XXX. *regnante Leutario rege, filio Lodovici.* De Guarino abbate denuo recurret in consequentibus mentio non semel.

a *Marca, col. 931.*

L V. Exoldunensia monasteria.

Eodem anno Lotharii regis Emeno & Fulco filius ejus, *principatum Auxelioduni* * « castri tenentes, assensu & consilio Adhenauris uxoris Emenonis, & *rogatu domni* « *Heterii sanctæ Mariæ Auxeliodunensis abbatis*, & fratrum sub ejus regimine illic de- « gentium, dat, conceditque omnes consuetudines omnium hominum in burgo sancti « Martini extra mœnia castri posito, ita ut nemo illorum pergat *ad pugnam, quæ* « *alio nomine vulgariter vocatur tybarud, neque bottagium vini alicui reddat*, nec aliam « quamlibet consuetudinem, præterquam abbati & fratribus prædicti monasterii, « quibus etiam omnes multas pro homicidio, adulterio, furto, aliisque criminibus « imponendas concedunt. *Data mense Maio, anno* XXX. *regnante rege HLothario. Actum publice Auxelioduni.* His litteris apposita sunt signa Emenonis senioris, qui hanc « cartam fieri jussit, Fulconis filii ejus, Bernardi filii ejus, Ebroïni vicarii, & alio- « rum. Ante biennium Ansgardis quædam, *in infirmitate posita*, præsente viro suo « Hattone & eleemosynariis suis, Ademaro scilicet, Daberto & Ansegaudo, pro re- « medio animæ suæ donat duobus monasteriis, scilicet sanctæ Mariæ Exoldunensis « castri & sancto Petro Virzionensi, quoddam juris sui alodium, Fontanas vocabulo, « situm in pago Biturico, in vicaria Riomensi, reservato Hattoni ad vitam usufructu. « Actum Exoldunensi castro, anno XXVIII. regnante HLothario. Subscribunt Ans- « gardis ipsa, Hatto ejus conjux, Dabertus & Ansegaudus eleemosynarii, Emeno, Fulco, & Ebroïnus superius laudati, & alii. Monasterio beatæ Mariæ unita est vetus olim abbatia sancti Dionysii Exoldunensis, sita ad ripam Thei fluvioli, quæ consensu Gerardi-Folii abbatis, & monachorum sanctæ Mariæ collegiata ecclesia facta est anno M C LXXXVI. Ad ripam ejusdem fluvioli posita est antiqua itidem cella sancti Paterni Venetensis episcopi, cujus reliquiæ ex monasterio sancti Salvatoris Castri-Radulfi, petente Launo tunc archidianono Gerontii archiepiscopi, postea successore, istuc translatæ sunt. Vetus tamen martyrologium Exoldunense VIII. kalendas Octobris translationem corporis sancti Paterni e Britannia Exoldunum factam memorat. Monasterium sanctæ Mariæ hactenus possident monachi Benedictini. In necrologio illius monasterii XII. kal. Junii notatur *depositio domni Herii abbatis istius ecclesiæ*, id est Heterii, cujus rogatu & *tempore* Emeno Exoldunensium ho- minum *consuetudines*, ut vocat, beatæ Mariæ monasterio concessit.

* *Issoudun.*

L VI.

b *Chesnii to. 3. p. 639. & 640.*

Ottone secundo mortuo, duo comites[b] magni nominis, Rotgerius & Otbertus,

ANN. CHR. 984.

vestigia sancti Benedicti secuturi, se se recipiunt in Bremetense diœceseos Papiensis monasterium, cui tunc Gezo Novalicienſis[a] abbas religiosissimus præerat. Mox ut sacrum subiere jugum, sanguinis & generis sui illustris obliti, humilia quæque amplecti amabant, adeo ut porcorum curandorum curam non refugerint. Otberto consanguineus erat quidam clericus, Wido nomine, vir pius ac sapiens, qui loci religione, & propinqui sui amore permotus, ex prædiis suis tanta munera sancto Petro monasterii patrono contulit, quanta sufficere poterant ad stipendium & victum duodecim monachorum. Cum vero Bremetum accessisset, Gezonis abbatis consuetudine sic delectatus est, ut duo castra, Verdunum scilicet ac Rodum, ad superiorem munificentiam adjecerit. Forte Gezo abbas ad quemdam vicum sui monasterii, vocabulo Supunicum, hospitandi causa diverterat. Hoc comperto, Wido marchio, rebus monasterii ipsique abbati infestus, eum a suis vernulis inde expelli jussit. Egressus abbas alio quærit hospitium: ubi dum precibus vacat, Widoni properum interitum imminere cælitus intellexit. quod etiam alteri sacerdoti longius manenti revelatum.

Bremetum duo comites se recipiunt.

a *V. lib. 46. n. 44.*

LVII. Salvatoris monasterium Papiæ dotatur.

Papiæ sub id tempus conditum est ab Adelaïde augusta sancti Salvatoris monasterium suburbanum, cui primus abbas Hildebaldus e congregatione Cluniacensi præfectus est. Exstat in archivo illius monasterii libellus dotis eidem loco ab Adelaïde factæ, ubi *sanctum corpus beati Felicis martyris* requiescere dicitur, & *ubi domnus Hildebaldus abbas a dicta domna Adalheyda imperatrice præordinatus esse videtur.* Ejus rei litteræ sub prævio nomine Ottonis imperatoris datæ sunt, si bene memini, *anno imperii Ottonis tertio, decimo die mensis Aprilis, indict.* XII. id est hoc ipso anno, qui indictione XII. præditus erat, at primus tantum Ottonis tertii annus erat. Unde in prædictis litteris legendum videtur, *anno imperii Ottonis tertii primo.* Longe aliter legit Margarinus, qui annum Ottonis duodecimum[b] habet, hasque litteras refert ad annum ejus sæculi sexagesimum-nonum, adeoque Ottoni primo eas tribuit, sed contra manifestum diplomatis tenorem, in quo imperatrix se *relictam* dicit *bonæ memoriæ Ottonis imperatoris*, atque hanc donationem facere pro *anima prædicti bonæ memoriæ domni Ottonis imperatoris, qui fuit*, inquit, *vir meus, seu item Ottonis similiter imperatoris, qui est filius meus, atque pro anima tertii Ottonis imperatoris, mei abiatici.* Porro pro dote monasterii assignantur cortes triginta & sex intra „ Italicum regnum, in his monasterium sancti Anastasii in loco & fundo Olona; cella „ sancti Nazarii de Novaria cum ecclesia sancti Benedicti in ipsa urbe; item monaste„ rium sanctæ Dei-genitricis Mariæ in loco, qui dicitur Pomposa, & omnia, quæ in „ Comaclio sunt. quæ omnia eidem monasterio tradit imperatrix per cultellum, fistu„ cum-nodatum, wantonem & wazonem terræ; & se exinde foris expulit, warpivit, & *salito* fecit. *Actum infra castrum, quod dicitur Asterna, judiciaria Alsatiense feliciter.* Longe ante hunc annum jam conditum erat hoc Salvatoris monasterium, uti colligitur ex duobus[c] diplomatis Johannis XIII. quorum altero monasterium a quacumque jurisdictione sæculari & ecclesiastica pontifex eximit, & sub Romanæ ecclesiæ protectione & patrocinio constituit; baptismi usum & liberam abbatis electionem, fratrumque ordinationem indulget: altero Petrum episcopum Papiensem dehortatur, ut ne quid contra ejus loci immunitatem tentet. Utrumque diploma datum legitur indictione XV. quæ anno DCCCC LXXII. respondet: at imperatorum anni non bene conveniunt. Porro Mayolum in hujus monasterii fabrica desudasse auctor est Syrus in fine libri secundi, & quidem imperatricis, scilicet Adelaïdis, *instantia exoratus.* Addit Nalgodus, eumdem Mayolum monasterium, quod vulgo Cella-aurea dicitur, & pæne collapsum fuerat, restaurasse ad unguem. De Pomposæ[d] monasterio in consequentibus agendum.

b *Bullar. Casin. p. 44.*

c *ibid. p. 45. & seq.*

S. Petri in Cælo-aureo reficitur.

d *V. lib. 52. n. 3.*

LVIII. Benedicto papæ succedit Johannes XIV.

Hoc anno, scilicet nongentesimo octogesimo-quarto, Benedictus papa VII. ubi sedisset annos novem, ex hac vita migravit die decima Julii, ut docet inscriptio sepulcralis apposita in basilica sanctæ Crucis in Jerusalem, ubi monachos, haud dubie nostri ordinis, collocavisse dicitur.

Hicce monasterium statuit, monachosque locavit,
Qui laudes Domino nocte dieque canunt.

Leo IX. abbati Casinensi hoc monasterium tribuit, quod Alexander II. canonicis regularibus

regularibus sancti Fridiani postea concessit. His deficientibus, Urbanus V. eamdem basilicam dedit Cartusianis: quibus ad ecclesiam sanctæ Mariæ Angelorum in thermis Diocletiani translatis, Pius IV. Cistercienses monachos, ex sancti Sabæ monasterio pulsos substituit. Benedicto Papæ subrogatus Petrus episcopus Papiensis, dictus Johannes, hujus nominis decimus-quartus. Ejus pontificatus anno primo contractum est sodalitium plurimorum sacerdotum in diaconia sanctorum Cosmæ & Damiani, ad hoc, ut post obitum mutuis suffragiis juvarentur. Hæc confederatio facta fuit ante sacrosanctum dominicum altare[a] ejusdem ecclesiæ. quod forte primum exemplum est ejusmodi sodalitiorum seu confraternitatum, ut vulgato vocabulo utar.

ANN. CHR. 984. Monachi in basilica S. Crucis in Jerusalem.

Confratriæ institutio

a *V. Baron. hoc anno.*

In Anglia Ethelwoldus seu Adelwoldus episcopus Wintonienſis subiit polos, laboris sui præmium a Deo percepturus. Gravi morbo conflictatus in quadam suæ parochiæ villa, sacrati olei sacramento & dominici corporis & sanguinis perceptione munitus, inter suas, suorumque preces, animam in cælum emisit hoc anno, kalendis * Augusti, episcopatus sui vicesimo-secundo. Testati sunt qui morienti adstitere, exanime corpus statim lacteo candore, roseoque rubore perfusum fuisse, ita ut quodam modo septennis pueri vultum prætendere videretur. Corpus ejus e prædicta villa, quæ sexaginta millibus Wintonia distabat, relatum fuit magna pompa ad sedem suam episcopalem, sepultumque in crypta ecclesiæ sanctorum apostolorum Petri & Pauli, ad australem plagam altaris, qui locus ei quondam cælitus ostensus fuerat. Ejus mortem prædixerat Dunstanus; vitam posteris mandavere Alfricus Abandonienſis monachus, & Wolstanus Wintonienſis cantor & monachus, ejus æquales: ex quibus hic, qui ejus discipulus & alumnus erat, sacri ejus corporis elevationem, monitus a quodam cæco, qui lumen ad sancti præsulis tumulum receperat, fieri curavit anno post ejus obitum duodecimo, die quarta iduum Septembrium. Id inter pia ipsius opera laudatur, quod in magna annonæ penuria, quæ provinciam invaserat, jussit ille sacrata vasa confringi, & in egenos distribui, professus melius esse, ut metalla miserorum inopiæ, quam sacerdotum jactantiæ famularentur. Ad hæc Vetus-monasterium, id est cathedralem sancti Petri ecclesiam, quæ monachorum erat, nova fabrica decoravit, novique insuper templi constructionem ibidem aggressus est. quod cum imperfectum reliquisset, successor ejus Elfegus magnifice absolvit.

LIX. Ethelwoldus episcopus obit.

* *Hoveden* prid. kal.

Hic splendidissimis ortus natalibus, cum puer scholas frequentasset, monasticum habitum induit adolescens apud *Dehorhyst*, tunc exiguum cœnobium agri Glocestrensis, a Beda laudatum, quod postea collapsum sanctus Edwardus monachis sancti Dionysii in Francia donavit. Annis aliquot ibidem transactis, artioris vitæ semitam arripere, & singulare cum humani generis hoste certamen inire contendit. Egressus itaque de monasterio, Bathoniam in agro Somersetensi se recepit: ubi cellulæ secretioris parietibus inclusus, cælestibus studiis se totum dedit. Tum, vulgata ejus fama, multi ad eum brevi confluunt monasticæ vitæ candidati: quibus sæpius inculcabat, ut sanctæ professionis memores, plus de convertendo corde, quam de mutanda veste cogitarent. quippe longe satius esse vestem non mutare, quam sub sancto habitu vitam ac pios mores negligere. At, quoniam sine admistione malorum vix vivitur in quavis bonorum societate; ex ejus discipulis nonnulli a recta via deflexere, compotationibus de nocte ad lucem usque clanculum insistentes. Non diu hoc probrum inultum sivit Deus. nam eorum signifer nocte intempesta in cella pravorum conventiculorum conscia cælitus percussus interiit, dum vir sanctus pro more suo precibus instaret, qui ejus animam a dæmonibus raptam conspexit. Quod cum mane ceteris retulisset, eos ad resipiscentiam adduxit. Talis erat Elfegus, qui Ethelwaldo successit, bono bonus, inquit Willelmus Malmesburiensis, Bathondeus abbas a Rogerio Hovedeno, aliisque dictus: quem Dunstanus archiepiscopus, sancti Andreæ admonitu, repugnantibus illis impurorum clericorum reliquiis, qui Wintonienſem ecclesiam olim insederant, sancto sanctum substituendum curavit. Factus episcopus sic exteriora gessit, ut interiora non negligeret. Monastici propositi tenax, carnibus numquam, nisi æger, indulsit, vino parcissimo uti solitus. Abstinentiam prodebat tenuitas corporis, quod vix ossibus hærebat. Initio sui pontificatus vir sanctus, primum omnium novum templum, a decessore suo inchoatum, perficiendum aggressus est. quod quidem magnifice præstitit, & per octo episcopos in honorem

LX. Elfegus ejus successor ex mor[illegible]

ANN. CHR. 984. itidem apostolorum Petri & Pauli consecrari curavit. Hanc basilicam eleganti pro tempore carmine descripsit idem, qui supra, Wolstanus monachus in prævia epistola ad vitam sancti Swithuni episcopi, Elfego nostro inscripta, in qua laudat organa musica ab eo confecta,

——qualia nusquam
Cernuntur, gemino constabilita solo.
Bis seni supra sociantur in ordine folles,
Inferiusque jacent quattuor atque decem.
Flatibus alternis spiracula maxima reddunt,
Quos agitant validi septuaginta viri,
Brachia versantes, multo & sudore madentes.

Hæc de Novo extra urbem monasterio intelligenda esse olim cogitaveram: at, re maturius expensa, de nova basilica veteri adjuncta, quæ Novum olim monasterium ante conditum illud extramuranum vocabatur, interpretanda videntur. In hanc quippe basilicam, teste Wolstano, reliquias sanctorum Birini, Swithuni, Byrnstani, Alfeagi, ipsiusque Ethelwoldi transtulit Elfegus, quas non in Novo illo monasterio, sed in basilica intramurana asservatas fuisse constat. At, quod rem conficit, Wolstanus carmen suum de vita sancti Swithuni dirigit *ad cunctos fratres*, qui suave Christi jugum illic bajulabant, id est in Veteri-cœnobio, uti sequentes versus manifeste declarant.

Fratribus æternæ crescant augmenta salutis
Omnibus in Christo magna famulantibus urbe,
Nomine quæ proprio Wintonia dicitur, & quæ
Conlustrat turrita suos hinc inde colonos;
Omnibus occiduis caput & Saxonibus exstat,
Clavigeri in Petri degunt qui principe Christo
Cœnobio-veteri, vitam sectando beatam,
Quam pius ille pater, sanctissimus atque magister
Instituit toto Benedictus in orbe coruscans.

In libro de vita sancti Ethelwoldi Elfegus furem quemdam pro multiplici reatu flagellis cæsum, in cippum mitti jussisse dicitur, acrioribus suppliciis cruciandum. (ubi vides, quod jam alibi a nobis observatum, episcopos corporalis pœnæ sententiam reis inflixisse.) Solutus vinculis reus meritis sancti Ethelwoldi, stitit se ad Elfegi pedes, qui eum absolvit. Hic demum, annis duobus & viginti in Wintonienſi episcopatu exactis, ad Cantuariensem transtatus est.

LXI. Edithæ virginis obitus. a *lib.* 48. *n.* 25.

Tunc temporis in Wiltensi occidentalium Saxonum pago florebat Editha regia virgo [a] & sanctimonialis Wiltunensis, quæ paullo post Ethelwoldi obitum cælesti virginum choro inserta est. Paucis ante obitum diebus Dunstanum archiepiscopum invitavit ad dedicationem ecclesiæ, quam in honorem sancti Dionysii condiderat. Tertio & quadragesimo ante ejus obitum die id factum, quo die instantem ejus » mortem Dunstanus non sine lacrymis diacono sibi adstanti signavit. Nos pigros se» nes, inquit, damnat ætas immatura, dum, nobis dormitantibus, illa cælos penetrat. Appropinquante ejus migrationis hora, adfuit vir sanctus, & morientem exhortationibus ac precibus communivit. Sic illa ætatis suæ anno vicesimo-tertio migravit ad Christum XVI. kalend. Octobris, sepulta in ecclesia sancti Dionysii, quam ipsa condiderat. Ubi exspiravit, auditi angelorum concentus, qui Godam (sic bonam illam vocabant) ad gaudia æterna transire nuntiabant. In ipso atrio monasterii exstructum ab ea xenodochium, in quo tredecim pauperes sustentari mandavit. Ejus gloria tricesimo post mortem die manifestata est matri suæ Wlfetrudi reginæ, ex qua tunc nata est puellula, de qua rogata ante obitum Editha, ut eam e sacro fonte susciperet, respondit se susceпturam, quemadmodum Domino visum foret. Sed cum ipsa prius nata esset cælo, quam puella mundo; allata est infans ad ecclesiam, ab Elfego episcopo baptizanda. Dum id fieret, atque Elfegus cereum ei offerret his verbis, *Accipe, puella, lampadem, cum qua introeas ad nuptias Domini*; subito infantula, quasi Editha dirigente, manum porrigens, cereum susceпit ac te-

nuit. quod præsagium intelligens sanctus præsul, infantulam soli Deo consecrari, & ablactatam monasterio tradi auctor fuit. Hæc puella Britgina seu Brithina dicta est, & apud Wiltoniam demum abbatissa facta, sanctitate insignis ibidem vitam finivit. Sanctæ Edithæ corpus tertio-decimo post obitum anno Dunstanus ab ea monitus e terra levavit III. nonas Novembris. Ejus vitam litteris mandavit Gotselinus monachus Cantuariensis, qui quædam ejusdem miracula itidem commemorat. In his Canutus rex, male de virginis sanctitate sentiens, cum ejus tumulum reseraſſet, exanimis corruens temeritatis dedit pœnas, ac deinceps sanctam virginem in multo honore habuit. Eldredus quoque, ex monacho archiepiscopus Eboracensis, in mari Adriatico periclitatus, ipsa invocata, mari tranquillitatem restitutam expertus est. Sanctæ Edithæ festum in plurimis Angliæ locis venerabile suo tempore fuisse auctor est Willelmus Malmesburiensis, qui & addit, matrem ejus Wilfrith in eadem ecclesia jacere. ANN. CHR. 984.

Post aliquot ab Ethelwoldi obitu dies itidem decessit Egelricus Crulandensis abbas, annis decem in pastorali officio strenuissime expletis. Huic in abbatis munere succeſſit Egelricus alter, junior dictus, qui bibliothecæ monasterii magna volumina librorum, numero quadraginta, minora ad centum contulit. Idem singulis annis tunicas, unoquoque biennio cucullas, tertio froccos singulis monachis tribuit, præter ea quæ Turketulus abbas assignaverat. Egelricum juniorem post octo regiminis annos Osketulus abbas excepit. LXII. Crulandæ abbates Egelrici duo.

JAm annus erat, ex quo Godefridus comes, Adalberonis Remorum pontificis frater, Adalberonis Virdunensis parens, cum Sigefrido filio, & altero Sigefrido comite ipsius patruo captivus tenebatur sub custodia Ottonis & Heriberti comitum, cum Gerbertus ultro citroque discurrit, variasque de eo & pro eo epistolas scribit. In his una [a] est ad Adalberonem vocatum episcopum Virdunensem & Hermannum fratres, quos nomine genitoris sui monet, ut ne repentinus casus eos terreat; ut filio cæsaris « datam fidem inviolatam servent, nec quidquam eorum, quæ ipsis reliquit, Francis « dimittant, illecti vana spe liberandi parentis, filiive ejus Friderici. Hæc præcepta « parentem magnanimis filiis dare. Sentiant in ipsis hostes, non se totum cepisse Go« defridum: auxilia undique comparent, & se patriæ liberatores præstent. Hæc scripta « XVII. kal. Aprilis jubente patre, Gerberto interprete. Aliis litteris [b] idem Gerber« tus Mathildem comitissam, Godefridi uxorem, hortatur ad deponendum mæro« rem; id præcipere clarissimum ejus conjugem, ipsis victoribus formidabilem. Do« minæ vero Theophanu augustæ ac filio ejus semper augusto cum filiis suis fidem « servare jubet, nec pactum cum Francis hostibus ullum facere; castra omnia sic te« nere, sic defendere, ut nullam in his partem adversarii habeant, neque pro spe « liberationis mariti, neque pro terrore peremtionis ejus, aut filii Friderici. quæ « Gerberti fidei Godefridus XI. kal. Aprilis commisit ad fluvium Matronam, ubi ille Godefridum & Sigefridum cum benevolentia Ottonis & Heriberti, in quorum cus« todia erant, allocutus fuerat. Idem habet in sequenti epistola ad Sigefredum comi« tis filium, cui significat, quod si Hugonem, scilicet Capetum, sibi amicum conci« liare posset, omnes impetus Francorum facile devitare valeret. quod iterum repetit « in alia epistola, scilicet XLVIII. in qua ait, Lotharium regem Franciæ prælatum « esse solo nomine; Hugonem vero non nomine, sed actu & opere. Hæc fere omnia « rursus complectitur Gerbertus in epistola LII. dominæ Theophanu imperatrici directa, in qua hæc de se habet. *Noveritis etiam reges Francorum nos non æquis oculis intueri, eo quod de vestra fidelitate contraria eis sentiamus, simulque quod multa familiaritate fruamur Adalberonis archiepiscopi Remorum, quem simili de causa insectantes infidissimum sibi putant. In his omnibus*, inquit, *quid nos velitis facere, & si inter hostes via patuerit ulla, quo & quando vestram præsentiam possimus adire, certius significate nobis, paratis per omnia vobis obtemperare. Res eo processit, ut jam non de sua expulsione agatur, quod malum tolerabile esset, sed de vita & sanguine certent. Hoc mihi secum commune est, quasi se contra conatus regios incitanti.* Et tamen Lotharius se Ottonis novi cæsaris *advocatum* [c] ferebat contra Heinricum Bajoariæ ducem, qui imperium affectabat. Huc etiam spectat Gerberti epistola XXXV. ad Geraldum abbatem Auriliacensem, in qua scribit, Adalberonem archiepiscopum regnorum negotiis occupatum esse, atque a Lotharienſis regni primatibus obsides accipere, ut « ANN. CHR. 985. LXIII. Gerberti variæ epistolæ.

a *Gerb. ep.* 47.

b *id. ep.* 50.

c *Gerbert. ep.* 22. 32. &c

ANN. CH. 985.

eos filio imperatoris parere cogat *sub regis Francorum clientela*, & Heinricum in Gallia regnare prohibeat. Verum Heinricus hoc demum anno, ut in chronico Saxonico legitur, divino instinctu ad se reversus, Francofurti Ottonem adiit, & complicatis manibus, humilis habitu & actu, regiæ se tradidit potestati; apud Ottonem deinceps in honore habitus.

LXIV. Hugo Capetus Lothario se adjungit.

Hactenus se veluti medium in illis concertationibus exhibuerat Hugo dux Francorum, intentus ad exitum rei, ut ex eo sua commoda captaret. Suadebat Gerbertus Theophanu augustæ, ejusque assectis, ut eum ad suas partes pellicere conarentur; nec Lotharius ac Ludovicus Francorum reges huic negotio indormitabant. Sed tandem his accessit Hugo, qui ab rege ac regina cum osculo & insigni honore acceptus est: immo etiam Carolum principem, Lotharii fratrem, eis reconciliavit. Huc spectat Gerberti epistola LX. cuidam partium Ottonis innominato directa. *Conjuratio in filium cæsaris ac in vos & acta est, & agitur, non solum a principibus, inter quos Carolus dux jam non in occulto est; sed etiam a militibus, quos spe aut metu allici est possibile. Dux Hugo* XIV. *kal. Julii regem ac reginam osculatus est tandem astutia quorundam, ut in conjuratione tanti viri nomen fore putaretur. quod minime est, nec fore optamus hac tempestate.* De captivis, qui a Lothario, expugnato Virduno, tenebantur, hæc subdit: *Sigifridus comes ad sua rediit: Godefridus comes, si Castrilucium cum Hazinao Reinero redderet, sique filiumque suum comitatu ac episcopatu privaret Virdunenses, de reliquo integram fidem Francorum regibus exhiberet: datis obsidibus fortassis ad sua remeare valeret.* Verum has conditiones admittere noluit Godefridus, qui proinde captivus remansit usque ad obitum Lotharii, id est ad annum sequentem. Interim in libertatem assertus est Sigifridus comes ejus patruus, qui mox a Gerberto laudatus est.

LXV. Warinus ex archiepiscopo monachus.

Harum turbarum forte pertæsus Warinus Colonienses antistes, qui juvenculum Ottonem, fidei suæ creditum, in manus Heinrici ducis tradiderat; pœnitentia ductus, secessit ad Coloniense monasterium sancti Martini ad Scottos, ab se instauratum, ibique monasticum[a] habitum, abdicato episcopatu, induisse, ac paullo post finem vivendi fecisse dicitur. Evergerus ejus successor, quod Gladbacense monasterium ab antecessore suo Gerone in Leodicensi parochia constructum esset, indignatus, Gladbacensium prædia[b] suis militibus distribuere cœpit, ejusque loci monachos cum Folrado abbate in prædictum monasterium sancti Martini transtulit, *ut, professis vel expulsis paucis, quos invenerant, canonicis, ibidem instituerent normam vitæ regularis*: sive hæc nondum illic instituta esset omnino, seu quia ibidem adhuc supererant pauci canonici, qui ante inductos illuc a Warino monachos locum incolebant. Ita Gladbacense monasterium in solitudinem redactum; & Werlino præposito domus sancti Petri data cura, ut sacras inde reliquias ad sanctum Martinum afferret. Inter hæc sancti Viti loci patroni viso deterritus Evergerus, non modo reliquias in pristinum locum revehi jussit, sed etiam monachos eidem restituit, ac monasterium instaurare festinavit, sed nullo ornatu, recollectis, ut ipsi licuit, prædiis, quæ nondum in alienas manus venerant. Et ne deinceps locus iste a Colonienſium antistitum ditione esset alienus, eum datis duabus suæ diœceseos ecclesiis ab episcopo Leodicensi comparavit.

a Gelen. p. 375.

b Spicil. to. 12. p. 630. & seqq. Gladbacenses Colonia translati.

LXVI. Corbeiensium compositio.

Jam pridem non modica contentio fuerat inter monachos sancti Petri Corbeiensis & vicecomites Ambianenses Roriconem & Saxwalonem de foratico in Warledo: sed tandem hæc, agente Johanne Camerario, per Walterum Ambianorum comitem, assentientibus uxore & filiis ejus, composita est hoc anno *propter visitationem filii sui Widonis*, forte ægrotantis, quem Corbeienses *optime cum suis reliquiis visitaverant*. Ejus compositionis litteris signa sua apponunt Walterus comes, Godesmannus episcopus, Fulco & Rorico archidiaconi, &, præter alios, Rorico & Saxwalo vicecomites. Id factum superstite adhuc Ratoldo abbate, qui anno sequenti præfecturam morte absolvit. Intra biennium denuo recurret mentio Walteri comitis, qui cum uxore sua Adela Otmari-curtem Corbeiæ donavit.

LXVII. Floriaci Amalberto abbati succedit Oilboldus.

Post decessum Amalberti abbatis Floriacensis atque Salmurensis monasteriorum, qui hoc anno, & quidem tertio idus Aprilis contigisse videtur, Floriacensem præfecturam fratrum electione, *& regiæ principis HLotharii donatione* adeptus est Oilboldus ejus loci monachus, *vir secundum sæculi dignitatem genere ac moribus clarus*, teste Aimoino in vita sancti Abbonis. Ejus tempore id accidit, quod idem auctor

c Aimoin. li. 1. de mirac. S. Bened. n. 32.

ANN. CHR. 985.

refert, nempe monachum quemdam ad emendos pisces, quos *fluminum legumina* hic vocat, pro instante sancti Benedicti festivitate longius missum, cum transitu Andriæ * amnis tunc exundantis retardaretur, sanctum Benedictum invocasse, atque ad ejus preces cymbam ex adversa ripa religatam nullo impellente ipsi adfuisse. Sed illud præ ceteris memorandum, quod Oilboldo abbate legatio gentis Anglorum ad Floriacense monasterium directa est ad postulandum sibi quemdam sapientum virorum, qui Anglicanos monachos pietate ac litteris informaret. Id vero duabus ex causis accidisse ait Aimoinus in libro de vita sancti Abbonis: una quidem *quia beatus Gregorius, missis ad eam gentem convertendam fidei Christi prædicatoribus, ejusdem dilecti domini Benedicti regulam observandam specialius inculcavit.* Altera vero, *quod vir quidam magnæ nobilitatis, Oswaldus nomine, spreto sæculo, ad serviendum Christo in memorato Floriaco conversus est cœnobio: ex quo, ob bonæ vitæ meritum, a rege ipsius provinciæ ad archiepiscopatus assumtus gradum, Deo ac patrono suo sancto Benedicto in regione Anglica construxit monasterium*, scilicet Ramesiense, quod a prædicto Oswaldo Eboracensi archiepiscopo conditum fuisse[a] diximus. Ex illo itaque cœnobio hi directi sunt legati, de quibus modo facta est mentio.

* *l'Indre.*

Anglorum legatio Floriacum.

a *lib.* 47. *n.* 83.

LXVIII. Abbo in Angliam missus.

Illi Floriacum appulere, cum primum Oilboldus præfecturam iniit. Is, non tam imperiosa auctoritate, quam lenitate verborum Abbonem monachum suum, tum diaconum, perpulit, ut pro ea, qua pollebat, divinarum humanarumque litterarum peritia, instruendorum illius gentis hominum provinciam ne defugeret. Abbo vero, obedientiæ sibi familiaris intuitu, abbatis voluntati obsequitur incunctanter, rejectis quorumdam susurronum malignis consiliis, qui abbatem suum dolo malo eum trans maria velle abigere, ut numquam inde redire valeret, clanculum suggerebant. Ast longe aliter rem se habere ostendit apparatus itineris magnificus, quem Oilboldus discedenti Abboni suppeditavit; & maxime ipsius Abbonis in Galliam reditus, quem Oilboldus ipse ex Anglia post quinquennium revocavit. In illo itinere cum ad Morinos, qui brevissimo ab Anglis freto disparati sunt, ventum esset, per unum fere mensem, nautis ob turbidum mare trajicere cunctantibus, illic subsistere Abbo coactus est. Hic tædio tam longæ defatigatus moræ, monachum quemdam, qui legatis se deducentibus præerat, Riculeum nomine, admonet, hortaturque, ut in commune Dominum precarentur, quo, si illi suum propositum non displiceret, iter fortunare dignaretur: si vero illud non probaret, voluntatem ad propria redeundi ipsis inspiraret. Nec mora, post vespertinam synaxim, ambo ad orationem humi procumbunt. Votis eorum annuit propitius Deus. nam primo crepusculo diei insequentis adfuit nuntius nauclerî, magna eos ad trajiciendum voce inclamans. Conscensa mox navi, comitantibus aliis octo navibus, cum in altum processissent, repente apparent marsuppæ, porci-pisces in fluctibus ludentes, & balenæ, dorsa in modum maximorum tectorum attollentes. quæ omnia imminentis indicia tempestatis esse cum a nautis didicisset Abbo, mox ad solita recurrit orationis præsidia, idque obtinuit quod petebat. nam, orta tempestate, navis ejus cum aliis duabus eam sequentibus, illæsa ad portum perlata fuit: reliquæ vero sex simul cum hominibus in eis contentis, procellis & impulsu piscium quassatæ, perierunt. Hoc signum per eum Dominus operari dignatus est, cum ille adhuc levitæ officio fungeretur. Ingressus demum in terram Anglorum, ad Ramesiense monasterium se contulit, cui abbas, Germanus nomine, præerat, ex Floriacensi assumtus cœnobio: ibique per duos annos moratus Abbo, quosdam ejus loci monachos imbuit scientia litterarum. Hoc temporis spatio magnam de se opinionem vir Dei concitavit, regni primoribus, sed in primis Oswaldo & Dunstano sanctissimis archiepiscopis acceptissimus, qui apud se eum retinere certatim contendebant.

LXIX. Ejus epistola ad monachos Anglos.

Dum illic moraretur, a discipulis suis de quibusdam grammaticalibus quæstiunculis consultus epistolam rescripsit, quæ cum in editis desit, hic exhibenda est ex codice Peleteriano.

Dilectissimis in Christo Angligenis fratribus, maximeque in monasterio sancti patris Benedicti sub schola virtutum regulariter vitam degentibus, ex Floriacensi cœnobio ejusdem patris vernula Abbo, genere Francus, professione monachus, officio diaconus, in essentialiter bona salutis perpetuæ munus. Omnipotentia divinæ majestatis, quæ tempora mutat & ordinat, me ab ineunti ætate, prout voluit, multifariam & multis modis tentari permisit, quoad juvenilis ætatis robur adversitatibus assuesceret, cui ad cumulum

ANN. CHR. 985. * S. Benedicti.

*virtutis tandem ſuccreſceret infortunium oblatæ peregrinationis. Quam etſi inter tot religioſæ vitæ viros Deo auctore perfero, qui me quaſi ſeipſos diligunt, ut ipſa re conjicio; non tamen voti impos ſine dolore recordari valeo, quod illius mei ſpiritalis alumni * in præſentiarum corporali præſentia minime perfruor, quæ aliquando perfruenti erat ipſa vita dulcior. Nunc quia ita contigit per obœdientiam, quæ melior eſt victimis, non ſolum fratrum, cum quibus moror, imperiis deſervire geſtio: verum etiam quibuſque hujus inſulæ, juxta modulum meæ parvitatis, deſidero prodeſſe. quoniam non ſine divino conſtat moderamine geſtum, quod, ſedatis fluctibus marinæ tempeſtatis ad id deveni exſilii cum mira tranquillitate tam vaſti æquoris: ubi, dum quibuſdam ſtudiorum occupationibus detineor, levior fit calamitatis miſeria, quam tolero. quandoquidem benivolentia eorum, cum quibus habito, ad id me compellit, ut non ſolum pro poſſe velim fraternis neceſſitatibus ſuccurrere, ſed etiam ultra vires velle. Quocirca omnium apud Anglos ubi ubi poſitorum objectis reſpondere decrevi: quatenus habeatis, cariſſimi, aliqua monimenta veſtri exſulis, quibus valeatis intendere acumen exercitatæ mentis. Nec fraudabor vos quæſtionibus expeditis, quas vel tentando, vel diſcendo objiciunt quique ſtudioſi.* Sequuntur in eadem epiſtola quæſtiunculæ Abboni propoſitæ cum ipſius reſponſis, quæ commodius in appendice integra referentur. In his laudatur *Dei palinodia*, quam *compoſuit Hilarius Pictavenſis epiſcopus*, id eſt canticum *Te Deum laudamus*, Auguſtino adſcriptum, quod Abbo ſancto Hilario tribuit.

LXX. Rotbertus abbas Salmurenſis & Miciacenſis.

Redeo in Galliam, ubi poſt mortem Amalberti abbatis, qui Salmurenſe, uti & Floriacenſe, monaſterium rexerat, Salmurenſes unum e ſuis, Rotbertum nomine, Bleſis oriundum, ejus loco ſibi præficiunt, virum nobilem, famoſum & caſtum, qui, licet vitam angelicæ proximam ageret, activæ nihilo minus vitæ ſtudiis indefeſſus vacabat. Hic multa ad eccleſiæ & monaſterii ſui ornatum contuliſſe dicitur, clauſtralem fabricam mira lapidum ſculptura, picturiſque cum verſuum indiciis exornaſſe, rem familiarem non modo non minuiſſe, ſed plurimum auxiſſe. Ad tumulum ſancti Martini quotannis, ſancti Florentii exemplo, adire conſueverat; Romam etiam quandoque, eo munera mittere ſolitus, ut ſanctorum Apoſtolorum inde preces ſibi demererentur. Idem ad Miciacenſis monaſterii regimen poſtulatus fuit, poſt mortem ſcilicet Amalrici abbatis, de quo ſuperius egimus. Hoc abbate, detecta ſunt corpora ſanctorum monachorum Hilberti, Roardi, & Aniani clerici, qui cum aliis quibuſdam a Miciacenſi ſancti Maximini cœnobio ſequeſtrati, haud longe a caſtro Salmuro oratorium cum manſiunculis conſtruxerant, Deoque ibidem pie ac devote inſervientes, doctrina plurimos ac virtutibus informaverant. quibus mortuis, ibidemque ſepultis, cum locus iſte poſtea funditus deſtructus eſſet; demum Augomaro Salmurenſi priori, genere Cenomannico, quo in loco jacerent, cælitus revelatum eſt. Defoſſis itaque inter vepres eorum loculis, extracta ſanctorum corpora cum ſarcophagis Rotbertus abbas intra veteris maceriæ ambitum repoſuit, & ligneam ædiculam in honorem ſancti Vincentii ſuperædificari curavit. Nunc eo loci cella eſt abbatiæ Salmurenſis. Ejuſdem abbatis tempore ſanctorum Mevennii abbatis & Judicaëlis ex duce monachi reliquiæ ex Britannia iſtuc allatæ perhibentur.

Monachi ſancti Miciacenſes.

LXXI. S. Marcelli monaſterium in Fellinis.

In pago Valentinenſi Lambertus comes, una cum uxore ſua Falectrude, locum tradidit Odoïno atque Duranno monachis, ad conſtruendum in honorem ſancti Marcelli Dienſis monaſterium, quod nulli loco ſubjectum ſit, niſi ſancto Petro principi apoſtolorum, id eſt Romanæ eccleſiæ, cui quinto quoque anno quinque ſolidos in cenſum reddi præcipit. tum verat, ne abbatem hic locus, *qui dicitur Fellinis*, ullum » habeat, qui ſancti Benedicti non teneat regulam; ullive monachi ibi habitent, qui » fraternam & communem vitam bene non cuſtodierint. Si quis vero quovis pretio » abbatem illic inſtituere voluerit, *omnes ſancti ſint ei contrarii, & beatus Benedictus* » *cum grege monachorum ſuorum.* Ad dotandum porro monaſterium iſte comes res ſuas » donat, ſitas in comitatu Valentinenſi, hoc eſt montem, qui vocatur Alavinea, & » montem, qui dicitur Media-luna: quæ omnia donat in alimoniam & ſtipendium » monachorum, ſuſceptionem hoſpitum, peregrinorum & orphanorum, pro remedio » animæ ſuæ, necnon patris ſui Guntardi & matris Ermengardis, & pro filiis ſuis » Ademaro & Lamberto. Hanc donationem confirmat Conradus rex, cognomento Pacificus, anno regni ſui XLVI. Poſtmodum Ademarus comes, Lamberti filius, & uxor ejus Roteldis hoc monaſterium ſancto Odiloni Cluniacenſi abbati tradiderunt anno M XXXV. Illic debebant eſſe, priore computato, tredecim monachi, & celebrari

quotidie duæ miſſæ cum nota, & tertia ſine nota, ut legitur in Bibliotheca Cluniacenſi.

ANN. CHR. 985. LXXII. Romani pontifices varii.

Romæ de pontificatu denuo certatum, quippe Benedicto VII. anno ſuperiore mortuo, Petrus epiſcopus Papienſis eſt ſubrogatus, qui Johannis XIV. nomen accepit. Hoc ubi Bonifacius comperit, jam pridem a Tuſculanis comitibus pontificatu pulſus, ex urbe Conſtantinopoli, quo confugerat, Romam rediit, ac pecunia ingenti, quam ex rebus eccleſiæ divenditis conflaverat, multis ad ſuas partes pertractis, Johannem corripuit, fractoque ipſi collo, quod XI. kalendas Septembris hoc anno contigit, vacuam ſedem invaſit; neque ita multo poſt ipſe quoque repentina morte oppreſſus interiit. In ejus locum Johannes XV. ſuffectus. Exſtat in appendice Marcæ [a] Hiſpanicæ apud Baluzium epiſtola Johannis papæ decimi-quinti, Guarino abbati monaſterii Coxanenſis inſcripta, qua bona & poſſeſſiones illius cœnobii, *interventu Olibæ laudabilis & magnifici comitis*, confirmantur. *Scriptum per manum Stephani notarii regionarii & ſcriniarii ſanctæ ſedis apoſtolicæ in menſe Decembrio, indictione* XIV. quæ indictio ſi a Septembri ineatur, hæc epiſtola ad annum præſentem; ſi vero indictionis initium a Januario repetatur, ad finem anni ſequentis referenda eſt.

a *Marca Hiſp. c.* 934.

LXXIII. S. Altonis monaſterium inſtauratur.

Sub hæc tempora ſancti Altonis monaſterium, quod ſæculo octavo in diœceſi Friſingenſi conditum alias diximus, ruinis ſepultum jacebat, ejuſque poſſeſſiones Guelfones comites ocupaverant. Poſt multa tempora cuidam venerabili viro ſanctus Alto viſus dicere, comitem ut adiret, eumque de reſtituendis poſſeſſionibus & de inſtaurando monaſterio admoneret: facienti præmium, negligenti periculum fore. Huic quamquam haud liber erat religione animus, verecundia tamen principis conſilio uxoris timorem vicit, ne comiti viſa nuntiaret. Tardanti alia viſio facta, ſed incaſſum. Magno illi cunctatio ſtetit. nam tertio eidem in ſomnis apparens ſanctus Alto, prolatantem flagellis cecidit: Hæc fidei ſigna jam tene, inquiens, & mandata concitus adimple. Ivit ille tandem, remque comiti nuntiavit. qui ſtatim mandatis parens, cœnobium inſtauravit, bona reſtituit, monachos eo adduxit, quibus Rudolfum venerabilem abbatem præpoſuit. Huic ſucceſſit Eberhardus, dein Heinricus, cujus tempore hæc ſcribebat monachus Altomonaſterienſis anonymus, qui vitam ſancti Altonis abbatis in litteras retulit. Inſtauratorem monaſterii alii Guelfonem primum, alii ſecundum dicunt. Inſtauratoris mater erat Itha, uxor Irmentrudis, auctore hæc ſcribente ſuperſtes, quæ non ſolum reſtituta monaſterio probavit, ſed etiam multa de ſuo adjecit. Non multo poſt Altomonaſterienſes monachi in parthenonem Altorfium, Altorfienſes monachæ in Altonis-monaſterium tranſlatæ ſunt. Dein Guelfo tertius in arce ſua, quam ſub annum M LIII. conflagraſſe tradunt, monaſterium condidit, Vinearum ſeu *Weingarten* appellatum, eoque tranſtulit monachos ex Altorfio cœnobio, quod in parochialem eccleſiam converſum fuit. Demum ſancti Altonis-monaſterium, quod tum monachis, tum ſanctimonialibus Benedictinis paruerat, rurſus vetuſtate collapſum ſub finem ſæculi quintidecimi reſtituit princeps Bajoariorum, & in illo viginti-quinque monachos, ac ſexaginta moniales ordinis ſanctæ Birgittæ collocavit, ut fidem faciunt litteræ Innocentii VIII. editæ in Metropoli Saliſburgenſi.

LXXIV. Abbates variorum Germaniæ monaſteriorum.

Hoc anno, teſtante Lamberto Scafnaburgenſi, Gozbertus Hersfeldenſem abbatiam reddidit, cui Bernharius ſucceſſit. Augiæ Rudmanno abbate defuncto Witegonno, apud ſanctum Gallum Immoni Udalricus ſucceſſere, nulla re geſta inſignes, niſi quod Udalricus eccleſiam aris & ornamentis decoraviſſe traditur. Eodem anno Adelbertus monachus Hirſaugienſis, petente Balderico Spirenſi epiſcopo, aſſumtus dicitur ad regimen Clingenſis monaſterii, parum diſtantis ab opido Landaugia, quod multis annis recte adminiſtravit: qui, ſi monaſterio ſuo Hirſaugienſi fuiſſet prælatus, inquit Trithemius, numquam ad tantam ruinæ deſolationem perveniſſet, in quam ſuo tempore miſerabiliter corruit. Haud ſcio an is ſit Adalbertus ſcholaſticus, cujus epitaphium apud Gerbertum [b] refertur. Idem Trithemius tradit, his temporibus claruiſſe Theodericum monachum & ſcholaſticum cœnobii ſancti Albani prope Moguntiam, virum in ſcripturis divinis & in ſæculari philoſophia doctiſſimum, qui commentarios ſcripſit in cantica canticorum, & in evangelium Johannis, atque geſta archiepiſcoporum Moguntinenſium uſque ad ſuum tempus; floruiſſe etiam Brunonem monachum Gladbacenſem, Sandradi abbatis diſcipulum, qui, cum eſſet magiſter ſcholarum, opuſculum de inſtituendis novellis monachis, Intro-

b *Gerb. ep.* 78.

Viri quidam illuſtres.

ANN. CHR. 985.

ductorium dictum, aliaque scripsisse fertur. His addendus Werinbrandus [a] Werthinensis abbas, qui confirmationem omnium sui monasterii bonorum, & liberam eligendi abbatis facultatem ab Ottone tertio impetravit: cujus rei diploma datum est Coloniæ hoc anno VI. idus Augusti. Idem post annos novem ab eodem imperatore obtinuit, ut nullus in eodem loco advocatus instituatur, nisi quem abbas elegisset.

[a] *Annal. Vvestfal. lib. 2. p. 215. & seq.*

ANN. CHR. 986. LXXV. Lotharii regis obitus.

ANnus insequens octogesimus-sextus toti Galliæ luctum attulit, ob mortem Lotharii regis, qui VI. nonas Martias ejus anni cæleste regnum, uti Aimoinus [b] existimat, pro terreno commutavit. Hunc diem notat Hemma seu Emma regina, ejus conjux, in epistola ad Adelaïdem imperatricem, matrem suam; quæ epistola LXXV. exstat inter Gerbertinas. *Elapsa sunt*, inquit, *tempora mearum deliciarum, tempora decoris mei, ô mi domina, & ô dulcis mater, dum is, quo florente florebam, quo regnante regnabam, conjugem in perpetuum viduam fecit. O amara dies* VI. *nonarum Martiarum, quæ mihi virum eripuit, quæ me in has miserias præcipitavit!* Eamdem diem assignat kalendarium libello precum ipsius Hemmæ reginæ, qui Remis in bibliotheca Remigiana servatur, præfixum, in quo ad sextum nonas Martias hoc distichon legitur:

His nonis rex magnificus, princepsque benignus
Domnus Lotharius sæclo migravit ab isto.

[b] *Aimoin. lib. de mirac. S. Bened. c. 1.*

In illo libello passim depicta cernitur Hemma regina initio psalmorum: sed præ ceteris insignior est pictura ad psalmum LXVI. ubi Christus in nube depictus est, ambas manus protendens, unam, nempe dextram, super duos reges Lotharium & Ludovicum sibi invicem manum constringentes, gestantesque coronas in circulum desinentes; sinistram vero super reginam manu tenentem parvulum tonsura & rubea veste insignitum, cujus manum ipsa ad Christum erigit. Hic parvulus haud dubie est Otto filius Lotharii regis, de quo in prædicti libelli precum kalendario hæc aureis litteris scripta leguntur: *Idus Novembris obiit Otto, filius Lotharii regis Francorum.* In codice Odalrici præpositi Remensis post medium sæculum XI. habetur necrologium Remensis ecclesiæ, in quo signantius iisdem idibus Novembris notatur *Otto puer & canonicus, filius Lotharii regis.* Hinc est quod tonsura insignitus est, sed tamen rubea veste indutus, forte ob regiam ipsius prosapiam. Sed hæc omnia melius tabella in folio sequenti posita repræsentabit.

Sepultus est Lotharius e regione patris Remis in basilica Remigiana, cum prolixo epitaphio, quod alii retulere. Aliud brevius habet Gerbertus post epistolam LXXV. in quo *Cæsar-Lotharius* vocatur, satusque cæsaribus, & secunda die Martii obiisse dicitur. Certe *Augustus* non raro dictus est Lotharius in suis diplomatibus, maxime postquam filius ejus consors regni factus est. quod ante septem annos contigisse superius vidimus. Unde in quodam fragmento historico de regibus Francorum, Ludovicus annis novem regnavisse dicitur, qui anno ab obitu patris secundo exstinctus est.

LXXVI. Gerbertus Lotharii exsequiis interest.

Non ante mortem Lotharii restitutus est in libertatem Godefridus comes Virdunensis, Adalberonis Remorum archiepiscopi frater, uti nos docet Gerberti epistola LXXII. ad Stephanum diaconum, data VI. nonas Martias, nimirum ipso die, quo Lotharius decessit, cujus exsequiis Gerbertus ipse interfuit. Sic enim ille ad Stephanum. *Exsequiis domini Lotharii regis occupati, multa tibi quærenti pauca rescripsimus. Lotharienses, dudum capti, omnes elapsi sunt, præter comitem Godefridum, de quo in brevi meliora sperantur.* tum petit, ut libros industria Stephani sibi rescriptos remittat. Hinc apparet, Gerbertum Lothario ante ejus obitum adhæsisse. Idem videtur dicendum de Adalberone Remorum archiepiscopo, a quo forte ob id abalienatus erat tantisper imperatricis animus, cujus benevolentiam sibi redditam fuisse ait [c] VI. *nonas Martias, qua die glorioſissimus rex Lotharius, Francorum clarissimum sidus, mundo subtractus est.* Idem fratrem suum Godefridum XVI. *kal. Junii de inferni tenebris*, id est de custodia Ottonis & Heriberti comitum, liberatum fuisse alibi [d] testatur, at conditionibus iniquis, nempe villis episcopi Virdunensis pro sua redemtione datis, quas Adalberoni episcopo restitui petit. Attamen civitas Virdunensium [e] sine cæde & sanguine, sine obsidibus, sine pecuniis in integrum restituta fuit. Interim Hemma regina filium suum Ludovicum regem sibi infensum [f] queritur, ob

Multa scribit de rebus publicis.

[c] *Gerbert. ep. 72.*
[d] *id. ep. 103.*
[e] *ep. 100.*
[f] *id. ep. 97.*

idque

ANN. CHR. 986.

idque Adelaïdis imperatricis opem implorat, Ottonem & Heribertum comites potentissimos sibi consiliis adfuturos promittens. Hi sunt Otto Burgundiæ, & Heribertus Trecensium an Viromandensium comites, penes quos summa tunc potestas erat. Addit in eadem epistola, quam Gerbertus ejus nomine scripsit, nefandissima in Laudunensem confingi episcopum, scilicet Adalberonem, alio nomine Ascelinum, in cujus persona sequentem [a] ad episcopos epistolam idem Gerbertus scribit, in qua se episcopali officio exclusum ob conficta crimina expostulat. Id actum factione Caroli Lotharii fratris, qui regnum, aut regni portionem invadere studebat. Laudunensi episcopo favebant [b] Otto & Heribertus. Varii tunc pro pace habiti conventus: unus [c] IV. kalend. Aprilis apud Compendiacum palatium, cui domina dux Bea-

[a] *ep. 98.*
[b] *ep. 94.*
[c] *ep. 101.*

ANN. CHR. 986.

trix, Friderici ducis Moſellanæ olim conjux, Hugonis Capeti ſoror, interfuit: alter apud Montem-falconis VIII. kal. Julii, ubi domnæ Adelaidi imperatrici & duci Carolo rex Ludovicus, regina Hemma, dux Heinricus cauſa conficiendæ pacis occurrerunt, ſed abſque Theophania imperatrice, qua in re dolus ſubeſſe putabatur. Hæc Gerbertus Ecberto Trevirenſi archiepiſcopo ſignificat. De prædicto Compendienſi conventu intelligenda videtur epiſtola xc. ad imperatricem Theophaniam, & ad filium Ottonem ſcripta ex perſona Adalberonis archiepiſcopi, qui ait VI. kal. » Aprilis conventum Francorum indictum eſſe, ubi crimine infidelitatis pulſandus » ſit, quod epiſcopum Virdunenſem, ſuæ eccleſiæ olim clericum, licentia donaverit, » & quod in preſbyterii honorem promoverit. Hæc raptim ad internoſcenda ejus tem- » poris negotia, & ad Gerberti noſtri epiſtolas obiter illuſtrandas.

LXXVII. Geraldo abbati Auriliaci ſcribit.

Initio regni Ludovici adhuc in vivis ſuperſtes erat Geraldus abbas Auriliacenſis, teſtante Gerberti epiſtola LXXI. qua eum hortatur, ut ad Omnipotentem ma- » nus pro ſtatu eccleſiarum Domini erigat, ardente nimirum bellis orbe terrarum: » quæ impedimento ſint, quo minus *ad limina beati Geraldi*, nempe ad Auriliacenſe » monaſterium, uti idem abbas optabat, proficiſci poſſit. immo veniat ipſe, & deſi- » derabilem præſentiam ſuam, vel cauſa beati Remigii Francorum apoſtoli, deſide- » rantibus filiis exhibeat. quod ipſi longe poſſibilius ſit. Organa porro, & quæ ſibi » dirigi poſtulabat Geraldus, in Italia conſervari, pace regnorum facta ipſi repræ- » ſentanda. Hanc vero epiſtolam hoc anno ſcriptam fuiſſe colligitur ex his verbis: *De rege Ludovico quis habeatur conſulitis, & an exercitus Francorum auxilium Borello laturus ſit.* Hic erat dux Barcinonenſis urbis, quæ ipſo anno a Sarracenis oppugnata fuit, ut poſtea videbimus. Ludovicus, *adhuc puer*, Blanchiam duxit uxorem, ut legimus in veteri fragmento [a] hiſtorico, quod Heinrico rege Francorum ſcriptum eſt. Ejus *anno primo* ſancto Mayolo, ejuſque monachis datur vinea apud Noglas villam pagi Matiſconenſis.

[a] *Sac. 5. Bened. p. 771.*

LXXVIII. Ecemanno item monacho.

Non prætereunda hoc loco Gerberti epiſtola XXI. *Ecemanno palatino monacho* ſcripta, cujus fidem conſtantem laudat. *Neque enim*, inquit, *domus admirabilis fe-* » *minæ te aliter earum haberet.* Huic ut bona verba de ſe ſuggerat petit, epiſtolas ſuas » benigne interpretetur, ac demum ipſius Gerberti negotia ſua eſſe putet. Quis ſit ille Ecemannus monachus, quæve admirabilis illa femina, nec Gerbertus ipſe, nec quivis alii explicant. Ecemannum hunc eſſe puto, quem Adelais monaſterio Salſenſi ab ſe in inferiori Alſatia condito abbatem primum inſtituit, de quo hæc ſanctus Odilo in ejus vita. *Ante duodecimum circiter obitus ſui annum in loco, qui dicitur Salſa* *, *urbem decrevit fieri ſub libertate Romana, quem affectum poſtea ad perfectum deduxit effectum. In ipſo etiam loco monaſterium a fundamentis miro opere condidit, & ad honorem Dei & apoſtolorum principis, tertio imperante Ottone nepote ſuo in præſentiarum ſecum adſtante*, XIV. *kal. Decembris auguſtiſſime & devotiſſime a Wideraldo Argentinæ civitatis epiſcopo conſecrari juſſit. Et ut majori auctoritate per ſuccedentia tempora eſſet ille ſacer locus ſubnixus, cum præfato cæſare eſt etiam epiſcoporum conventus a ſæpe dicta Adelheida auguſta, ipſius cæſaris avia, convocatus. In ipſo vero monaſterio clauſtrum monachis ſatis aptum præparavit, & ſecundum regulam ſancti Benedicti ordinare decrevit. Abbatem ibi præfecit, nomine Ecemagnum* *, *boni teſtimonii virum, humana ſcientia & divina ſapientia doctum, quem in divinis litteris habere voluit aſſidue præceptorem. Ipſum vero monaſterium adeo dotavit & nobilitavit prædiis, ædificiis, auro & gemmis, & veſtibus pretioſiſſimis, aliiſque variis ornatuum ſupellectilibus, ut nihil deeſſet illo in loco Deo famulantibus.* Hæc tam belle quadrant Ecemanno monacho illi palatino, ut de eo dicta eſſe non dubitem. Illa vero admirabilis femina, de qua in ſuperiori epiſtola mentio, ſi non eſt ipſa Adelais, forte eſt Imiza nobiliſſima fe- » mina, cui ſequens epiſtola [b] inſcripta eſt, quam rogat, ut dominum papam inter- » pellet nuntiis & epiſtolis ſuis, & dominam ſuam Theophaniam imperatricem conve- » niat, eique ſignificet, reges Francorum filio ſuo favere, nihilque aliud eos conari, » quam ut tyrannidem Heinrici *ſub nomine advocationis* regem ſe facere volentis deſ- » truant. quæ epiſtola vivente adhuc Lothario ſcripta eſt, ſcilicet cum duo eſſent *reges Francorum*, Lotharius & Ludovicus. Ejuſdem Imizæ fit mentio in epiſtola » XIV. in qua dominam Imizam, quia pontificem diligebat, a ſe pariter diligi ait. Quod attinet ad Salſenſe monaſterium, nunc præpoſitura eſt & collegium canonicorum.

Salſenſe monaſterium conditur.

* Selz.

* al. Ezzemannum.

[b] *epiſt. 22.*

Quænam negotia papæ commendari velit Gerbertus, explicat ipſe epiſtola XVIII. in qua dicit, ſe graviter & iniquo animo ferre, pervadi & diripi ſanctuarium Do- « AN. CHR. 986. LXXIX. Gerbertus iterum abbas Bobienſis.
mini ſibi creditum a ſancta Romana & apoſtolica eccleſia. Nihil deinceps ſtabile « fore, ſi id diſſolvitur quod actum eſt conſenſu principis, epiſcoporum electione, « cleri & populi voluntate, poſtremo omnium hominum excellentiſſimi papæ conſe- « cratione: ſi præcepta violantur, privilegia contemnuntur, divinæ & humanæ leges « ſuſtolluntur. Dignetur pontifex ſacris apicibus ſignificare, qua ſpe ipſum adeundi « Gerbertus periculum faciat. Quis ſit Johannes ille pontifex, cui hæc epiſtola di- « recta eſt, non ſatis conſtat. attamen vero proximum videtur; eam tribuendam eſſe Johanni XV. ejuſdemque argumenti eſſe, atque præcedentem dominæ Imizæ inſcriptam, in qua dominum papam ejus nuntiis & epiſtolis conveniri rogat, ſibique « propitium reddi; uti & dominam Theophaniam imperatricem, quam certiorem « fieri cupit, *reges Francorum* filio ſuo favere, contra Heinrici molimina, quod de Lothario & Ludovico ſimul regnantibus intelligendum. Electus itaque eo tempore fuerat Gerbertus ad aliquam dignitatem, & a Johanne papa conſecratus. At quæ illa dignitas? an abbatia Bobienſis? Et forte huc ſpectat ejuſdem epiſtola XIV. quam *beatiſſimo papæ Johanni Gerbertus, ſolo nomine Bobienſis cœnobii abbas*, ſcribit in hunc modum. *Quo me vertam? Prò pudor! Sedem apoſtolicam ſi appello, irrideor, nec ad vos propter hoſtes eſt veniendi facultas, nec de Italia egrediendi libera poteſtas. Morari difficile, quando nec in monaſterio, nec extra quidquam nobis relictum eſt, præter virgam paſtoralem, & apoſtolicam benedictionem. Dominam Imizam, quia vos diligit, diligimus. Per eam nobis & nuntiis, & epiſtolis ſignificabitis, quidquid nos facere voletis: ſimulque nos per eam vobis quidquid de ſtatu & molimine regnorum cognoverimus veſtra intereſſe.* Hæc quominus ad extremos Lotharii annos referantur, obſtare videtur, quod Gerbertus ſe tum, cum hæc ſcriberet, in Italia verſatum fuiſſe innuit: cum tamen in Gallia exſtiterit extremis annis Lotharii regis. At forte illud primum non ita certum, ſiquidem pontificem *de ſtatu & molimine regnorum* a ſe per Imizam monendum fore dicit. Ut ut eſt, Gerbertum denuo præfecturam Bobienſem hoc tempore reſumſiſſe demonſtrat ejus epiſtola XCI. ad Raimundum Auriliacenſem abbatem, in qua non ſolum ait ſe *fere continuum triennium in Francia* conſumſiſſe, verum etiam tanto tædio affectum eſſe, *ut curam paſtoralitatis ſe ſuſcepiſſe pæne* ipſum pæniteat: & quod addit, quoſdam ex ſuis monachis ac militibus ab Italia ad ſe convenire juſſos fuiſſe, quod argumento eſt, ipſum denuo Bobienſem præfecturam ſuſcepiſſe. Porro hæc epiſtola anno ſequenti ſcripta fuit, ut inferius oſtendemus. Quod de nova Gerberti præfectura Bobienſi mox dicebam, poſtea verum eſſe deprehendi ex diplomate Ottonis tertii, confirmantis omnia bona monaſterii Bobienſis, uti ſupplicaverat *vir venerabilis Gerbertus, nunc*, inquit, *Ravennas archiepiſcopus, & jam olim ex largitate reverendæ memoriæ genitoris noſtri Ottonis abbas Bobienſis.* quod diploma datum eſt Papiæ kalend. Octobris, anno ab incarnatione Domini DCCCC XCVIII. indict. XII.

Præterat hoc tempore Ticinenſi monaſterio Cæli-aurei Petrus abbas, cujus ro- Petro abbati Cæli-aurei privilegium datum.
gatu Johannes papa omnes ejus loci poſſeſſiones confirmat, eique concedit uſum dalmaticæ, ſandaliorum, pedulum, & chirothecarum, ac facultatem in itinere deferendi tintinnabulum in capella, & quidem ad honorem ſancti Petri, nec-non *ſanctiſſimi Auguſtini, cujus ſacratiſſimum corpus in illa eccleſia reconditum eſt.* Datum VIII. kal. Februarii per manus Johannis epiſcopi Nepeſini, Johannis papæ XV. anno primo, indictione XIV. Conſimile privilegium Adzoni abbati conceſſum anno ſequenti.

In Corbeienſi Galliæ monaſterio devixit hoc anno Ratoldus abbas idibus Mar- LXXX. Ratoldo Corbeiæ abbati ſuccedit Maingaudus.
tii, quo die Johannes camerarius, ejus ſpiritualis alumnus, ut anniverſarium ipſius ſollemni ritu celebraretur, obtinuit apud domnum Maingaudum abbatem ejus ſucceſſorem, eo pacto, ut ex eccleſia de Tauri-monte, juxta mare ſita, atque dicata in honorem ſancti Quintini martyris, camerarius quotannis ipſa die fratribus *optimam refectionem* præbeat. Actum *anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXXVI. *indictione* XIIII. *regnante HLudovico ſereniſſimo rege anno* I. ut in libro paſtuum ejus monaſterii legitur. Hic eſt Ratoldus abbas, qui egregium codicem Sacramentorum, à Menardo noſtro laudatum, ſcribi juſſit, in cujus kalendario hoc diſtichon legitur idibus Martii.

ANN. CHR. 986.

Abbatis domni ſtat mentio ſancta Ratoldi,
Iſtum qui fecit ſcribere quippe librum.

Notarum muſicarum primus uſus.

Iiſdem temporibus, inquit chronographus Corbeienſis, incœptus eſt novus modus canendi in illo monaſterio per flexuras & notas, per regulas & ſpatia diſtinctas, cum nullæ antea exſtarent in libris antiphonariorum & gradualium ejus loci. Ejuſmodi notas & flexuras, ſed abſque lineolis, exhibet prædictus Ratoldi codex, ex quo Menardus [a] noſter ectypum excudi curavit. Eædem notæ habentur in codice Sacramentorum Eligiano, quo Menardus itidem uſus eſt in edendo Sacramentario. In aliis antiquioribus libris pro notis muſicis ponuntur alphabeti litteræ, quarum uſum ac ſignificationem Notkerus Balbulus [b] cuidam amico ipſum conſulenti, ſcilicet Lantberto, explicavit. Guido Aretinus [c] artem illuſtravit, claves & lineolas majoris facilitatis cauſa adjecit. Ectypum codicis Ratoldi in Appendice referemus. Redeo ad Maingaudum Ratoldi ſucceſſorem, qui religioſa converſatione & ſanctimonia inſignis fuiſſe dicitur, & Corbeienſe monaſterium, tempore ſuperiorum abbatum pæne collapſum, inſtauraſſe. Compendii ordinatus eſt anno ſequenti, in frequenti procerum conſeſſu, ab Adalberone Remorum archiepiſcopo, Hugone rege præſente, qui omnia monaſterii bona & jura tunc confirmavit.

a *Menard. in Sacram. p. 96.*

b *Caniſ. to. 5. p. 739.*

c *V lib. 55. n. 100.*

LXXXI. S. Præjecti monaſterio donatio facta.

Monaſterium ſancti Præjecti ad muros olim Auguſtæ-Viromanduorum, quod Albertus comes antehac condiderat, idem hoc anno novis donationibus [d] auxit, nempe una eccleſia apud Hoiſtrum, manſo dominicato cum aliis ſeptem manſis & dimidio, & toto diſtrictu manſi indominicati, ea conditione, ut homines in illo » diſtrictu manentes tribus vicibus quotannis *ad abbatis placita veniant, & paſtum* » *ſolvant abbati, & tribus monachis panem, & vinum, & ova, & caſeos*; & ex laïcis, qui cum abbate fuerint, ſimiliter panem, vinum, carnem, & equis abbatis » ſufficienter pabulum avenæ. Qui vero manſum indominicatum tenuerit, ſolvat ad » paſtum porcum duorum ſolidorum, & unum ſextarium avenæ: ceteri vero manſionarii & hoſpites ipſius villæ, ſecundum quod major diſpoſuerit. Vehiculum quo» que ad vinum & ligna perſolvant, & opera vineæ exerceant. *Actum apud ſanctum Quintinum anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXXVI. *indictione* XIV. *anno primo Ludovici regis.* His litteris ſubſcribunt Albertus comes, qui & rector monaſterii ſancti Quintini, Heribertus filius ejus, Hugo decanus, & alii. Ubi vides, abbates etiam mediocrium monaſteriorum placita tunc habuiſſe, & abſtinentiam à carnibus in Præjectino viguiſſe.

d *Hemeré prob. p. 32.*

LXXXII. Widoni abbati Blandinii ſuccedit Adalwinus.

Hoc item anno Blandinienſe apud Gandavos monaſterium multis bonis auctum eſt, quæ Roſula uxor principis ei aſſignavit pro anima filiæ ſuæ Mathildis. Id factum tempore Widonis abbatis, qui hoc ipſo anno deceſſit exeunte menſe Septembri, cum *luſtro non amplius uno* cœnobium rexiſſet, ut habet ejus epitaphium, relatum à Sandero. Widonem excepit Adalwinus, vir, ut aiunt, ſummæ eruditionis. Hic a Johanne papa privilegium obtinuit, quo Martini, Nicolai, atque Benedicti conceſſiones confirmantur ejuſdem pontificis anno VIII. in menſe XII. indictione ſexta.

LXXXIII. Giſbertus abbas Carnutenſis.

Widbertus Carnutenſis abbas, cujus ſuperius [e] mentio facta eſt, ſucceſſorem habuit Giſbertum, qui hoc anno Wiberto cuidam militi, ejuſque conjugi, nomine Aigæ, atque uni eorum heredi (ad tres vitas vocant) in pago Vilcaſſino ex abbatia beatæ Mariæ, quam illius loci incolæ Avangliam vocant, in loco, qui vocatur Altera-villa, manſum unum indominicatum cum univerſis ejus appendicibus ſub annuo cenſu conceſſit. *Actum Giſiaco fundo tertio kalendarum Octobrium, primo anno HLudovici, indictione quarta*, lege *quarta-decima.* Subſcribunt Odo comes, Walterius comes, Giſbertus abbas, Durandus decanus, Erbertus monachus, aliique monachi, numero ſex. Giſiacus ſeu Geſiacus * cella eſt [f] ſancti Petri Carnutenſis. Hæc ex libro Haganonis, ubi additur, prædium illud, poſt mortem Walterii militis & aliorum duorum, occupatum fuiſſe ab eorum heredibus, ex quibus quædam mulier, Adela nomine, ob id *per tria luſtra* excommunicationis pœnam ſuſtinuerit; tandemque ſub finem vitæ ſuæ, facti pœnitens, rem male partam reſtituerit; triginta libris nummorum duabus ejus filiabus conceſſis a monachis; qui nec ſic prædium illud ſibi omnino vindicare valuerint. Exſtat in archivo illius monaſterii

e *lib. 48. n. 69.*

* *Fuſy:*
f *ibid.*

S. Petri immunitas.

ANN. CHR. 986.

præceptum regiæ defenſionis, a Lothario rege, anno regni ejus XXXI. in palatio Compendio datum, quod Odo Carnutenſis præſul atque illuſtriſſimus comes cum ſua conjuge Berta, quam rex neptem ſuam vocat, impetraſſe perhibentur. Iidem ab eodem rege obtinuerunt Carnutenſis burgi, in quo ſitum eſt monaſterium, libertatem, quam Adela comitiſſa pro anima Stephani mariti ſui confirmavit.

LXXXIV. Arnulfus epiſcopus Floriaco infeſtus.

Aurelianenſem eccleſiam regebat hoc tempore Arnulfus epiſcopus, eo nomine ſecundus, ſucceſſor Manaſſæ, quem Arnulfus primus, Ermenthæi epiſcopi nepos ac ſucceſſor, præceſſerat, ut ex Letaldo monacho diſcimus. Arnulfus primus in Floriacenſes ac Miciacenſes monachos optime affectus fuit: non ſic vero ſecundus, *alias ſane bonus, & eccleſiaſticas regulas ſcientia & opere optime ſervans*, fatente Aimoino [a] ipſo monacho Floriacenſi. Hic numquam ſincere prælatos Floriacenſes dilexiſſe dicitur, *ideo quam maxime, quod illi ditioni ſolummodo parentes regiæ, ſubjectionem, qua ipſe ultra modum delectabatur, nequaquam ad ipſius voluntatis dependerent nutum.* De his inferius agendum. Hac mente animatus Arnulfus, vineas ſancti Benedicti, apud Boariam * in ſuburbano Aurelianenſis urbis ſitas, per ſuos ſatellites pervadi juſſit. Ad eas recuperandas Oilboldus abbas, adhibito ſeniorum fratrum conſilio, reliquias ſanctorum martyrum Mauri ac Frongentii, imminente vindemia, eo deferri cenſuit ſub nomine ſancti Benedicti, ut quia eidem epiſcopo, qui multis ſæculari poteſtate prædits, ipſiſque regibus perſæpe reſtiterat, *viribus armatorum obniti difficile erat*, ſaltem hac arte obviam iretur: *cui idem pontifex, cunctos pæne antiſtites Galliarum* ſui temporis *ſapientia antecedens*, refragari intuitu divini reſpectus nequiret. Dum ad locum itur cum ſacris reliquiis, æger quidam, cui ſancti Benedicti corpus illuc deferri dictum fuerat, ſpe recuperandæ ſalutis ſub argenteo, quo reconditæ erant reliquiæ, ſcrinio proſtratus, ſanitatem impetravit meritis, ut credidit, ſancti Benedicti, quem invocaverat. Ceterum veri ſimile eſt, Arnulfi ſatellites, viſis Sanctorum reliquiis, a pervaſione vinearum temperaviſſe.

a *Aimoin. lib. 2. de mirac. c. 19.*

* *le clos de Bourie.*

LXXXV. Natrannus epiſcopus Nivernenſis obit.

Natrannus ſeu Notrannus, ex-abbate noſtri ordinis epiſcopus Nivernenſis, hoc anno finem vivendi fecit. Paullo ante obitum quædam altaria canonicis eccleſiæ ſuæ, ad relevandam eorum inopiam, conceſſit. *Actum eſt in Divionis caſtro.* Inſtrumento hac de re facto ſubſcribunt *Natrannus paſtor humiliſque epiſcopus*, Sevinus » ſanctæ Senonenſis eccleſiæ archipræſul, Gibuinus Catalaunenſis eccleſiæ epiſcopus, » Albero Laudunenſis, Letulfus *vocatus Nivionenſis eccleſiæ epiſcopus*, Guedricus ſeu » Wedricus Lingonenſis, & Rodulfus Cabilonenſis. *Maginerius levita ſcripſit vice Teteri decani ante præſentiam regis, & datavit menſe Martio, anno* XXXII. *regnante Lothario rege.* qui idibus ejuſdem menſis e vita migravit. Roclenus Natranni ſucceſſor quædam etiam eiſdem canonicis largitus eſt exemplo *anteceſſoris ſui Natranni cari præſulis, qui, propter cæleſtis gratiæ dignitatem poſſidendam, bona, quæ agere prædictis canonicis potuit, libenter adimplevit.* Ex quo redarguas eos, qui de Natranno male ſentiunt. Subſcribit *Roclenus humilis epiſcopus, Henricus Burgundiæ dux, Herbertus Autiſiodorenſium pontifex, Guillelmus comes, Galterius epiſcopus, Girberga comitiſſa, Landricus glorioſus miles. Rodulfus levita ſcripſit, & datavit menſe Aprili, primo anno regnante Ludovico.*

LXXXVI. Richardus item Autiſiodorenſis.

Itaque jam Heribertus Autiſiodorenſis epiſcopus, filius Hugonis Magni ex concubina, ſucceſſerat Richardo antiſtiti, qui a puero ſancti Germani in illa urbe monachus exſtiterat. Hic in epiſcopatu ſedit annos novem cum menſe uno, mortuuſque XVII. kalendas Junias anni præcedentis, ſepultus eſt in baſilica ſancti Germani. Poſt quem vacavit ſedes menſes fere octo. Succeſſor ejus Heribertus, frater Hugonis poſtmodum regis, duorumque Burgundiæ ducum, Ottonis & Heinrici, ex quibus hic prædictis litteris ſubſcripſit, etſi potius ſæcularem, quam epiſcopalem vitam ageret, religioſis tamen viris, ac præcipue monachis favebat. Hujus tempore Henricus ejus frater, ut erat totius religionis amator, monaſterium beati Germani emendandum beato Mayolo abbati commiſit.

LXXXVII. Barcinone capta, parthenium S. Petri direptum.

Per id tempus Sarraceni, facta ex Hiſpaniis eruptione, comitatum Barcinonenſem infeſtaverunt. Hos cum Borrellus comes reprimere conaretur, collectis copiis in Vallenſi regione [b] haud procul Moncada caſtello aggreſſus eſt: ſed, accepta clade, Barcinonem ſe recepit. Victoria elati Sarraceni, urbem obſident IV. kal. Julias [c] hujus anni, eamque pridie nonas ejuſdem menſis vi capiunt, diripiunt,

b *Marca Hiſp. c. 411.*
c *ibid. c. 933.*

ferroque & igni omnia consumunt. Tum vero ecclesiarum, privatorumque chartæ cum libris aut igni consumtæ, aut in Hispaniam asportatæ. quæ res immensum toti civitati damnum attulit. Hac clade consumtum est suburbanum sancti Petri puellare monasterium, quod a Suniario comite paullo ante conditum fuerat. Verum Borrellus comes, recepta urbe, illud instauravit, in eoque constituit *ancillas Dei velatas, regularis habitus gnaras*, quibus filiam suam, Bonifiliam nomine, abbatissam præfecit. Hæc cum suis cogitans, quo pacto instrumenta chartarum deperdita recuperare aut supplere posset, ea per sacramentum suum, aut per legitimos testes, qui easdem scripturas vidissent, comprobari curavit: sicque monasterio suo debitas possessiones coram judicibus asseruit. Id factum *die kalendarum Junarum, anno v. regnante Ugone rege, qui dux fuerat pridem.* Cum a Sarracenis premeretur Borrellus comes, auxilium popposcit a Francorum rege, eoque rex Ludovicus cum copiis proficiscendus videbatur. qua de re Gerbertus in epistola LXXI. ad Geraldum abbatem Auriliacensem: *De rege Ludovico quis habeatur consulitis, & an exercitus Francorum auxilium Borrello laturus sit.* Obscure ad hæc duo respondet Gerbertus, nec quid de Ludovico sentiret, aperte significare voluit: auxilium vero non esse exspectandum haud obscure innuit. Forte, interveniente Lotharii obitu, id impeditum.

ANN. CHR. 986.

LXXXVIII. S. Cucufatis privilegia renovata.

Ad hunc etiam annum referendum diploma, quod Odo abbas monasterii sancti Cucufatis in pago Vallensi a Lothario rege obtinuisse dicitur. Cum enim in illa Sarracenica clade omnes ejus monasterii chartæ dissipatæ, aut combustæ fuissent, eas generali privilegio renovari operæ pretium Odo abbas censuit, idque a Lothario rege, qui Compendii tum versabatur, facile obtinuit, accepto diplomate, in quo universæ monasterii possessiones cum suis limitibus accurate designantur. Datum dicitur hoc privilegium anno XXXII. Lotharii regis: sed fallit annus incarnationis DCCCC LXXXVIII. cujus loco annus DCCCC LXXXVI. reponendus, si recte annus XXXII. Lotharii regis appositus est. In illo diplomate monasterium situm dicitur *in loco vocato Octaviano, octo milliariis distante a Barcinona civitate.* Idem error in diplomate Lotharii dato itidem Compendii monasterio sancti Petri Carnutensi, cujus possessiones rogatu Odonis comitis & Bertæ ejus uxoris confirmantur.

LXXXIX. S. Jacobi de Morerola cœnobium conditur.

Sub hæc tempora Froïlanus & Attilanus Hispani monasterium sancti Jacobi de Morerola in regno Legionensi construxisse perhibentur. Ambo in Saguntensi cœnobio monasticen professi erant: quorum alter *Attilanus monachus de Donos-sanctos postea Numantiæ episcopus*, librum sancti Hildefonsi de virginitate sanctæ Mariæ manu propria descripsisse perhibetur. qui codex superiori patrum nostrorum sæculo cum tota bibliotheca monasterii Saguntensis fortuito incendio consumtus est. Ex vita cœnobitica in solitudinem commigrarunt Froïlanus & Attilanus, quorum fama religionis cum ad aures Ramiri tertii perveniset, eos ad se rex evocavit, locumque in valle Tavarra prope Morerolam concessit ad construendum monasterium in honorem sancti Jacobi, postea beatissimæ Mariæ Deiparæ patrocinio insignitum. Processu temporis Froïlanus ad Legionensem, Attilanus ad Zamorensem episcopatum, agente Veremundo rege, assumti sunt, idque officii tanta pietate administrarunt, ut in sanctorum numerum a posteris relati sint. Morerolæ monasterium nunc Cisterciensium est. Froïlano & Attilano adjungendus Petrus episcopus Compostellanus, cognomento de Mosonça, qui ante episcopatum monasterii sancti Petri Ante-altaria in eadem urbe abbas exstiterat. Hic piam antiphonam de beata Maria, nempe *Salve regina*, composuisse dicitur. Froïlani episcopi donationem Saguntensi monasterio factam inferius referemus.

Hispani quidam sancti episcopi.

XC. Aligerno abbati Casinati succedit Manso. a *Chron. Casin. lib. 2. c. 11.*

In monte Casino Aligernus abbas, multa religione præditus, ex hac vita migravit [a] IX. kal. Decembris, magnopere laudatus in libro de vita sancti Nili junioris, cui ille hospitium in monte Casino, ac deinde monasterium in Vallis-lucii habitandum concessit. Suffectus in ejus locum Manso, longe dissimilis moribus, si fidem habemus Nili vitæ scriptori præ Leone Marsicano, qui Mansonem non parum commendat, ejusque excæcationis causam aliam prætendit. Sed de his postea. Fuit Aligerno frater Casini monachus, nomine Leo, qui Jerosolymam profectus, portionem ligni dominicæ crucis non parvam, auro, gemmis, ac margaritis ornatam, inde retulit, & sancto Casinensi monasterio devotus obtulit nonis Novembris. Per

id tempus civitas sancta Jerosolymorum vastata est, uti intelligimus ex Gerberti epistola XXVII. quæ nomine *Jerusalem devastatæ*, universali ecclesiæ inscripta est. Illa *famosam cladem* sibi *illatam* fuisse ingemiscit, ex qua penitus *dejecta sit*, nimirum *paganis loca subvertentibus*: quibus revincendis opem & auxilium postulat. *Enitere ergo, miles Christi*, inquit; *esto signifer & compugnator: &, quod armis nequis, consiliis & opum auxilio subveni.* De hac clade qui tunc scripserit, præter Gerbertum invenio neminem ante annum MX. quo tempore, ut Gaufredus [a] prior Vosiensis tradit, sacra loca a Sarracenis vastata fuere.

ANN. CHR. 986. Jerusalem vastata.

a *Labbe to. 2. bibl. p. 296. V. lib. 49 n. 85. supra.*

Subverso per idem tempus monasterio sancti Vincentii ad Vulturnum, Capuam commigravere illius loci cœnobitæ, ibique in eorum gratiam sancti Laurentii cœnobium ab Aloara *principissa* & Landenulfo principe ejus filio conditum est. Primus ejus loci abbas fuit Jacobus, cui iidem principes *casale Montanarii* hoc anno contulerunt. Post biennium Adenulfus Capuanus archiepiscopus idem monasterium omnimoda libertate donavit, cujus diploma sic incipit. *Anno ab incarnatione Domini nongentesimo octuagesimo-octavo, qui & sexto anno principatus domini Landenolfi excellentissimi principis, mense Aprilis, primæ indictionis, necnon & septimo anno domini Adenolfi egregii archipræsulis. Sicut canonica continent decreta, nulli licitum est ubicumque construere quæcumque oratoria, absque notitia & licentia archiepiscopi, cujus diœcesi subjicitur. Quam ob rem nos prædictus Adenolfus archiepiscopus, tam archiepiscopali auctoritate fulti, quam prædecessorum nostrorum secuti exemplum, qui plurimas ecclesias liberas fecerunt, precatu Audoaldi archidiaconi nostri dilecti, cum consensu sacerdotum ac levitarum, ceterorumque ordinum clericorum, per hoc nostrum roboratum præceptum concessimus, ut ecclesia, quam tu, domina Aloara serenissima principissa, & prædictus dominus Landenulfus magnificus princeps, filius tuus, vocabulo sancti Laurentii levitæ & martyris intus istam Capuanam civitatem, a novo fundamento constituistis pro redemtione animarum vestrarum & domini Pandolfi principis... in qua etiam cœnobium servorum Dei præordinastis, sit absolute libera amodo & deinceps ab omni conditione archiepiscopalis dominationis cum omnibus rebus & pertinentiis suis, &c.* Hoc monasterium condidisse videtur Aloara ob cædem cujusdam comitis, ea instigante a duobus filiis suis factam, ob quam jure merito graviter objurgata fuit a sancto Nilo juniore, qui ipsi Landenulfi filii proximam necem prædixit, ut in ejus vita & apud Baronium [b] legitur. Huic monasterio, forte post Jacobum, præfuisse dicitur Aldemarius monachus Casinensis, vir sanctus, cujus vitam scripsit Petrus diaconus, qui eum anno circiter M LXX. mundo illuxisse dicit, ad quem Aldemarium haud perveniisse Michaël monachus [c] non immerito opinatur: cum Capuam ad regendum sancti Laurentii monasterium postulatus sit ab Aloara, quæ ad annum millesimum non pervenit. Sacrum ejus corpus in castro Buccianico seu Boccanico, quod est ditionis Casinensis in Aprutio prope Teatinam urbem, asservatur in monasterio sancti Liberatoris, quod non de sancto Liberatore [d] episcopo & martyre, sed de Salvatore Christo Domino intelligendum esse me monuit doctissimus Erasmus a Caieta Casinas, a quo hæc, multaque alia documenta accepimus. Processu temporis Capuanum illud sancti Laurentii monasterium Aversano annexum fuit, ut sequenti sæculo videbimus.

XCI. Capuæ sancti Laurentii monasterium.

b *Baron. ann. 980.*

c *S. Capuan. p. 176.*

d *V. Bolland. ad 24. Maii. ad vitam sancti Aldemarii.*

Genuæ tunc temporis exstabat sancti Fructuosi monasterium, prope ipsam urbem situm in loco, qui Caput-montis dicitur, eique tunc præerat Madalbertus abbas. Id discimus ex litteris [e] Adelaidis augustæ, quæ hoc anno quædam prædia eidem monasterio confert, tum pro anima Ottonis Magni conjugis sui, tum pro salute filii sui Karoli, quem Deus *de fluctibus maris turbidi* eripuerat per merita beatissimi Fructuosi, & per orationes bonorum virorum ibidem Domino servientium. Aliud erat [f] in eadem urbe sancti Stephani monasterium, a Theodulfo episcopo ante annos quatuordecim exstructum, quod Matthæus-Gilbertus abbas sæcularis præterito sæculo monachis Olivetanis concessit. Tertium ibidem exstabat olim sancti Syri monasterium, paullo serius conditum, de quo inferius.

Genuæ monasteria.

e *Ital. sac. to. 2. p. 1159.*

f *ibid. p. 1157.*

In Germania Poppo monachus & scholasticus Fuldensis monasterii obiisse hoc anno a Trithemio dicitur, eique in illo munere successisse Meginfredus ejusdem loci monachus, qui per annos quatuor & viginti scholas rexit. Huic Trithemius multa opuscula tribuit, in primis chronicon cœnobii Fuldensis, brevem omnium abbatum continens successionis historiam; vitas quoque sanctorum Bonifacii, Stur-

XCII. Germaniæ quidam viri illustres.

ANN. CHR. 987.

mii metrice, Rabani proſaice, aliorumque. Idem Trithemius hoc anno refert obitum Branthonis Fuldenſis abbatis, cujus præfecturam differt Browerus ad initium ſæculi ſequentis. Certius videtur eſſe id, quod idem Trithemius tradit de morte Lupoldi abbatis Hirſaugienſis, cui mox ſuffectus in annos duos Hartfridus, quem multis elogiis pro ſuo more idem auctor onerat.

XCIII. Geraldo abbati Auriliaci ſuccedit Raimundus.

SUb initia inſequentis anni nongenteſimi octogeſimi-ſeptimi mortuum puto Geraldum abbatem Auriliacenſem: cui ſubrogatus Raimundus abbas, nobilis Cadurcenſis, ex caſtro Saura * oriundus, cujus tempore Gerbertus, ejus amicus, multa [a] eidem cœnobio, quondam ſuo, volumina librorum & munera miſiſſe traditur. Idem Raimundo ſtatim ab ineunte præfectura gratulatoriam ſcripſit epiſtolam, quæ, quoniam multa continet obſervatione digna, hic integra exhibenda eſt.

* *al.* Vaura.

a *Analect. to.* 2. *p.* 241.

Clariſſimo patre Geraldo orbatus, non totus ſupereſſe viſus ſum: ſed, te deſiderantiſſimo ſecundum vota mea in patrem creato, denuo totus in filium renaſcor. Nec ſolus veſtro honore gaudeo: gaudet pater Adalbero, ſe ſuaque vobis ex animo conferens, tanto artius, quanto amplius luce religionis ac ſcientiæ conlucetis, cujus ob meritum amorem fere continuum triennium in Francia conſumſi. Ibi, dum iras regum, tumultus populorum, regnorumque diſſidentium æſtus perfero, tanto tædio affectus ſum, ut curam paſtoralitatis ſuſcepiſſe pene me paniteret. At quoniam domina mea Theophania, imperatrix ſemper auguſta, VIII. *kal. Aprilis proficiſci me ſecum in Saxoniam jubet, eoque quoſdam ex meis monachis ac militibus ab Italia convenire juſſi, nunc non habeam quod certum ſcribam ſuper organis in Italia poſitis, ac monacho dirigendo qui ea conducat: præſertim cum ſine præſentia dominæ meæ Theophaniæ credere me non auſim fidei meorum militum, quia Itali ſunt: nec ſatis ſciam, utrum exercitum ante autumnum in Italiam deducam, an in Germaniæ demoremur, ut quam plurimas copias contra Ludovicum regem Francorum, niſi quieverit, comparemus, qui amicis inquietiſſimus, perniciosis hoſtibus non multum inquietus, quis ſit, quidque de eo intelligi oporteat, velox exitus comprobabit. Clara indoles divæ memoriæ Ottonis cæſaris, pace inter duces ac principes redintegrata, proxima æſtate legiones militum duxit in Sarmatas, quos ea lingua Guinidos dicunt: ibique ſex & quadraginta urbes munitiſſimas ſua præſentia ac militum robore cepit, diruit, atque vaſtavit. Salutat vos & Airardum Adalbero Remorum archiepiſcopus, ſimulque omne collegium Aureliacenſis cœnobii, me adjuncto per omnia vobis devotiſſimo. Iterum iterumque valete.* Hæc epiſtola ſcripta fuit poſt mortem Lotharii regis, vivente Ludovico rege Francorum, quem *inquietiſſimum* Gerbertus vocat, & copiis immiſſis ab ſe imperendum. quod argumento eſt, Gerbertum Ottoni hactenus adhæſiſſe. unde in Saxoniam ab Adelaide auguſta invitatur, cujus expeditionis mentio fit in epiſtola centeſima. Idem ait pæne ipſum pænitere ſuſceptæ *paſtoralitatis*, id eſt, ſi bene conjicio, reſumtæ præfecturæ cœnobii Bobienſis, ex quo monachos ac milites ad ſe convenire juſſerat, Ottonis auxilio adfuturos, qui *clara indoles*; id eſt filius tenellus ac bonæ ſpei, *divæ memoriæ Ottonis cæſaris* dicitur, vixque ſeptennis *proxima æſtate legiones militum* in Sarmatas ſeu Winidos duxerat, eorumque plurimas urbes ceperat & vaſtaverat. Quæ de organis in Italia poſitis, ac monacho dirigendo qui ea conducat, addit Gerbertus, lucem accipiunt ex epiſtola LXXI. ad Geraldum Raimundi anteceſſorem, qui organa illa ſibi dirigi poſtulaverat.

XCIV. Ludovicus rex moritur.

Non diu poſt hæc ſuperſtes fuit Ludovicus rex Francorum, eo nomine quintus, cujus obitus in kalendario libelli precum Hemmæ reginæ aureis litteris conſignatur XII. kal. Junii his verbis: *Obiit Ludovicus rex, filius Hemmæ reginæ Francorum.* Obiit, inquam, anno ſecundo a patris obitu, nono ab eo tempore, quo conſors regni a patre dictus fuerat. Sepultus eſt Compendii in baſilica ſancti Cornelii martyris. Nullos liberos reliquit ex conjuge ſua, quam *Blandinam* vocat chronographus [b] Figiacenſis, Blanchiam Glaber, alii Conſtantiam, filiam comitis Arelatenſis. Ludovico ſucceſſit Carolus ejus patruus, quem, dum ille rem [c] ad conſilium differt, dux Hugo demum Lauduni comprehendit, tradente ipſum Aſcelino ſeu Adalberone epiſcopo, cui graves hac de re litteras [d] ſcribit Gerbertus, eumque Aurelianis in carcerem retruſit cum uxore ejus, Heriberti comitis Trecarum filia, ex qua duos filios, Ludovicum & Carolum, in cuſtodia natos, ſuſcepiſſe dicitur. Huic ſententiæ

b *Baluz. to.* 2. *miſcell. p.* 301.

c *Sigebert. in chron.*

d *Gerbert. ep.* 10. 2. *loco.*

ſententiæ favet charta donationis Uſercenſibus ab Ademaro factæ quarumdam vinearum in pago Exandonenſi, menſe Maio, anno ab incarnatione M IX. *regnante Rotberto, & Ludvico & Karlonio.* Ut ut ſit, Hugo dux Francorum, alienæ ſtirpis, ſed jam regiæ, Franciæ regnum occupavit, eodemque anno Rotbertum filium regni conſortem dixit. In chartario ſancti Mayoli abbatis Cluniacenſis quoddam inſtrumentum datum dicitur *anno* V. *Hugonis regis, Karolo truſo in carcere.* Hugo Noviomi primum rex ſalutatus, dein Remis ab Adalberone archiepiſcopo inunctus hoc anno, v. nonas Julii, poſtmodum kalendis Januariis anni ſubſequentis Rotbertum filium ſuum Aurelianis a Siguino Senonenſi archipræſule inaugurandum curavit. quod nonnulli, ſecundum veterem calculum, anno præcedente factum dicunt. Quamquam in brevi chronico [a] Dionyſiano Rodbertus III. kal. Januarii ordinatus fuiſſe dicitur.

ANN. CHR. 987.

a *Spicil. to.* 2. *p.* 808.

XCV. Hugonis regis litteræ pro ſancto Vincentio Laudunenſi, & Floriaco.

Necdum in regni conſortium ab Hugone adſcitus erat Rotbertus, cum Bellandus abbas [b] monaſterii ſancti Vincentii Laudunenſis *per Adalberonem ſanctæ Laudunenſis eccleſiæ eximium præſulem* poſtulavit, ut poſſeſſiones ejus loci regali auctoritate roboraret. quod rex benigne annuit, ratus ſe non ob aliud ad regium culmen ſublimatum, niſi ut gratis a Deo honoratus, gratis ubique ejus honorem augeret & extolleret. *Actum Compendio palatio anno primo regnante ſereniſſimo rege Hugone* VI. *kal. Octobris, indictione* XV. Conſimile videmus præceptum Hugonis regis pro confirmatione bonorum monaſterii Floriacenſis. *Actum Aurelianis* itidem hoc anno, menſe non expreſſo.

b *Diploma, p.* 575.

XCVI. Aliæ pro Corbeia.

Jam rex dictus erat Rotbertus, cum Maingaudus antiquæ Corbeiæ abbas Compendii ſacratus eſt ab Adalberone Remorum archiepiſcopo, per quem itidem rerum ac privilegiorum ſui monaſterii confirmationem obtinuit. Haud ſcio an vitioſæ ſint apud Labbeum [c] hujuſce diplomatis hæ chronicæ notæ: *Actum Compendio palatio anno incarnationis dominicæ* DCCCC LXXXVII. *indictione* I. *regnantibus glorioſiſſimis regibus Hugone ac Roberto filio ejus anno primo.* nam indictio prima melius convenit anno inſequenti, quo ineunte Rotbertus a patre rex dictus fuiſſe videtur. His litteris ſubſcripſit cum multis aliis epiſcopis Sewinus Senonenſis archiepiſcopus, qui non ſtatim Hugonem regem agnovit, ut colligitur ex epiſtola CVII. Gerbertina, ex perſona Hugonis regis inſcripta *Siguino archiepiſcopo Senonenſi*, quem monet, uti ante kalendas Novembris eam fidem ipſi præſtet, quam ceteri firmaverant: ſi ſecus egerit, minatur *ſententiam domini papæ & comprovincialium epiſcoporum duriorem.* quod argumento eſt, papam novo regi faviſſe. Iiſdem litteris ſubſcribit Herveus (ſic legendum) Belvacenſis epiſcopus, ad quem Gerberti epiſtola XLI. ſecundo loco; ſubſcribunt denique Walterus Ambianenſis comes, ac filii ejus Walterus, Gozfridus, & Rodulfus. Hic eſt Walterus comes, qui cum uxore ſua Adela filiiſque ſuis Corbeienſi monaſterio donavit villam Otmari-curtis * in pago Ambianenſi ad comparanda luminaria & incenſum *ad ſuarum obſequia reliquiarum.* Hanc villam Ermenfridus comes Ambianenſium, ejuſque frater, nomine Gozbertus, jam pridem ſancto Petro donare ſtatuerant: ſed quia *abſque conſenſu ſuorum parentum* fecerant; piam eorum voluntatem Walterus comes Ambianenſis, eorum heres, poſtmodum adimplevit communi conſilio ſuorum propinquorum. *Actum Ambianis anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXXVII. *regnante Odone.* an legendum Hugone? Ejus litteris poſt eum ſubſcribunt Wido, Adela ejus conjux, Walterus, Rodulfus & Gozfridus ejus filii, atque Fulco.

c Labbe, *miſcell. p* 347.

* *Mericourt-l'abbé.*

XCVII. Humolariis facta donatio.

Adhuc in vivis erat Adalbertus ſeu Albertus Viromandenſis comes, cum Heribertus ejus filius titulum comitis & abbatis ſancti Quintini, concedente patre, uſurpavit. Huic *cauſa orationis* [d] *& viſitationis* ad monaſterium ſanctæ Mariæ & ſanctæ Hunegundis Humolarienſe profecto ſupplicavit quidam miles, Arpardus nomine, cum uxore ſua Frideburgi, ut ſibi liceret quoddam prædium ſuum Humolarienſi eccleſiæ conferre, tam pro ſuis erratis, quam pro ſalute Roberti prioris mariti ejuſdem Frideburgis ac filii eorum Walteri, cui petitioni comes aſſenſum præbuit. Subſcribit Adalbertus comes, & poſt eum Heribertus filius ejus, Ermengardis uxor ejus, Odo nepos & alii. quod Hemeræus ad præſentem annum refert. Anno inſequente vaſallus [e] quidam, Hadericus nomine, *cum conſilio Eilberti & uxoris ſuæ Heriſindæ*, quemdam puerum nepotem ſuum eidem monaſterio tradidit, Deoque obtulit cum alodo ſuo, ſito in villa comitatus Otmenſis Vedeniaco. qua

d *Hemeré p.* 33. *& ſeq.*

e *id. p.* 34.

de re prædictus Heribertus comes, *per deprecationem Herisindis*, instrumentum fieri
ANN. CHR. 987. jussit. Prædictus Eilbertus frater erat Adalberti comitis, & cum uxore sua mona-
Abbates ejus loci. sterium sancti Michaëlis in Teorascia instauravit, Walciodorense construxit, & multa bona Humolariensi contulit. Tunc Humolariensi monasterio præerat Albricus abbas, Berneri successor ab anno plurimum CM LXXXII. quo Adalbertus comes confirmavit acquisitionem quorumdam prædiorum ab eodem Bernero abbate factam. Idem Humolariensibus quædam dedit in villis, quæ vocantur *Novihant*, & Montes in pago Laudunensi tempore Albrici abbatis. Denique quidam Lantbertus, sancti Quintini signifer & castellanus, quamdam donationem [a] fecit eidem loco, *cui postea, deserens saculum, se pro Dei amore devovit monachum.* cujus rei traditionem per manum Adalberti comitis fecit, ab Ottone comite ejus filio postea confirmatam rogatu Waleranni abbatis, quem Richardus abbas Virdunensis sui loco ibidem rectorem instituit.

a *ibid. p.* 35.

XCVIII. Erluino abbati Gemblaci succedit Heriwardus.

Hoc ipso anno Erluinus Gemblacensis abbas, oculis orbatus, ad meliorem lucem transiit IV. idus Augusti, & in ecclesia sancti Petri sepultus est. Orbati patre Gemblacenses, palatium Ottonis regis adire constituunt, eligendi abbatis facultatem petituri. Consultus hac de re Notgerus Tungrensis antistes, occasione optime usus, eis dextere insinuavit, quam arduum ac difficile sit humilibus servis Dei principum thronos attingere; longe satius & compendiosius sibi videri, si se se Leodicensi episcopo penitus submittant, unde promtum eis præsidium & opportuna defensio sit adfutura. Consilio manus dant Gemblacenses. Itaque domum reversi, communi consilio Heriwardum Erluini fratrem eligunt, virum religiosum & industrium, monachum sancti Michaëlis de Periculo maris, qui fratri diu Gemblaci convixerat; eumque per manus Leodicensis episcopi sibi abbatem substituunt: quo munere ternis tantum annis functus, debitum humanæ naturæ solvit.

XCIX. Majus-monasterium monachis restitutum.

Sub id tempus Majus-monasterium apud Turones, quod jam pridem ad clericos defecerat, monachis restitutum fuit per sanctum Mayolum Cluniacensem abbatem, agente Odone Blesensi comite, qui, suggerente uxore sua Hermengarde, immo Berta, tredecim bonæ vitæ & opinionis monachos loco clericorum substituisse dicitur. Majoris-monasterii advocatus erat Odo comes. Mayolus abbatis nomen illic brevi tulit tempore. Primus huic loco præfectus est Guilibertus seu Wilibertus, quem Guitbertum vocat chronographus Malliacensis. Mayolo abbate Herlannus levita & monachus sancti Martini, illic *quasi quemdam adhuc videns relucere igniculum* monastici ordinis, eidem monasterio donat alodium suum apud Pasnagerias. Abbati Majoris-monasterii renascentem religionem congratulatur Adalbero Remorum archiepiscopus, cujus nomine scripta videtur Gerbertina epistola XXXI. secundo loco in hæc verba. *Servat natura vices, terraque bona, non suo judicio diu infœcunda, mirandos flores fructusque parturit. Ecce enim beati Martini cellula monachorum agmina jam dudum emortua resuscitat. Martini virtus in suis discipulis dinoscitur: e quibus beatæ conversationis alumnum, tamquam exemplar vitæ & morum, accepisse gaudemus.*

Quo præcise tempore monachi in Majus-monasterium restituti sint, non ita liquet. Id factum videtur extremo tempore Lotharii regis, cujus anno tricesimo nondum restituti erant: quo anno Gaufredus atque Burchardus comites, rogatu fidelis sui Fulchradi comitis, tradunt sancto Martino quamdam collibertam. Litteris subscribit cum eis aliisque Fulco filius Gaufredi comitis, cognomento Grisagonellæ, qui ipso anno inaugurationis Hugonis regis decessisse dicitur. attamen in brevi chronico Salmurensi ejus obitus notatur anno DCCCC LXXXVIII. & quidem XII. kal. Augusti. Huic ejus filius Fulco, cognomento Niger, in comitatu successit. Jam vero monachi illic restituti erant hoc anno ex charta quadam, qua Tedbaldus, *vir armis militaribus deditus*, Majoris-monasterii monachis quemdam alodum juris sui, situm in villa pagi Turonici, vocabulo Tavennis, concedit ea lege, ut semper memoriam ipsius in suis orationibus habeant. quam donationem manibus fratrum & propinquorum suorum, atque *domni Odonis comitis, ejusdem monasterii instructoris*, necnon Heriberti comitis & aliorum nobilium virorum roborari curavit. *Data mense Decembrio apud Blesis, anno primo Hugonis regis.* De Guilliberto abbate iterum infra.

Non statim agnitus est rex Hugo ab Aquitanis & finitimis populis, ut patet ex
ANN. CHR. 987. C. multis ejus temporis monumentis & instrumentis. Unum est Gellonensis monasterii in Occitania, ubi Alcherius quidam de una ecclesia sanctæ Mariæ, quæ est in comitatu Ruthenico, decertaturus, *venit in die ramis-palmarum ad monasterium sancti Salvatoris Gellonensis, & fudit ibi preces ante glorioſum lignum sanctæ Crucis, & sanctissimo confessori suo Willelmo, ut virtutes supradictæ essent ei in adjutorium. quod ita illi evenit.* Qua de causa mediam partem mansi in villa Cransonis sancto Willelmo dedit. Actum est hoc *die dominico post ascensionem Domini* XI. *kal. Junii, lunæ* II. *Deo regnante & rege sperante.* Sed illud adhuc manifestius probatur ex litteris sancti Fulcranni Lutevensis episcopi, qui mansum unum donavit *Deo & ligno Domini, quod est in ecclesia sancti Salvatoris Gellonensis. Facta est carta donationis* VII. *kalend. Decembris, Deo regnante, regeque sperante,* id est sperato. Verum longe diutius Aquitanorum hæc contumacia duravit, uti ex chartis sancti Theotfredi postea ostendemus.

Gellone lignū crucis colitur.

CI. Willelmi monachi prima facta.

Sub hoc tempus Willelmus seu Guillelmus, magnus ille deinceps monasteriorum reformator; ex Italia Cluniacum adductus est a Mayolo abbate, qui tum ex Romana urbe ultimo revertebatur. Erat Willelmus natione Italus, avo Wibone gente Suevo oriundus, viro militari ordine claro, qui ob popularium invidiam in Italiam se receperat: ubi copiose locupletatus, Rotbertum filium, Willelmi parentem, genuit. Rotbertus vero ex nobilissima conjuge, nomine Perinza, quæ prole filiorum jam fœcunda erat, Willelmum nostrum suscepit, *præ cunctis optabilem*, ait Glaber, qui Willelmum natum dicit eo tempore, quo Otto Magnus, *Berengario Langobardorum rege defuncto*, Italiam sibi subjugandam petebat. quod non accurate dictum est. Siquidem Willelmus, ex eodem auctore, decessit septuagenarius anno M XXXI. adeoque natus est anno DCCCC LXI. longe ante obitum Berengarii, qui anno DCCCC LXIII. cum Willa uxore in Bajoariam ab Ottone adductus fuit. Recens natus erat Willelmus, cum Otto castrum quoddam, situm ad lacum urbis Novariæ, expugnavit. qui a Rotberto rogatus, ut infantulum dextera sua catechumenum faciendum teneret, libentissime annuit, eique nomen indidit Willelmo, quem postmodum uxor ejus, scilicet Adeleida, ex sacro fonte suscepit. Hunc septennem parentes ad monasterium sanctæ Mariæ sanctique Michaëlis archangeli, vocabulo Luciacum seu Lucedium, diœcesis tunc Vercellensis, modo Casalensis, adduxerunt, & *juxta morem normæ regularis eum ipsius loci abbati obtulerunt.* Abbas vero illum benigne accipiens, sacræ religionis veste induit, eumque gnari præceptoris curæ commisit. Porro tantum in discendo progressum brevi fecit ingenuus puer, ut esset omnibus admirationi. Jam adultus Vercellis primum, dein Ticini grammaticæ studuit. Inde reversus in monasterium, varia exercuit munia, factus primum *divini officii assiduus custos, ac schola capitalis illius loci:* tum secretarii seu sacrarii cura ei commissa. Matre mortua, patrem hortamentis suis ad monasterium suum adduxit: ubi ille, cum in sanctæ conversationis habitu devotissime vixisset, non multo post, præsente filio, optimo fine vitam complevit. Inter ea Willelmum ad diaconatus gradum promoveri postulabant omnes: sed ille hunc ordinem recipere noluit ab episcopo Vercellensi, qui nullum ejus loci fratrum ad leviticum gradum prius admittere volebat, quam sacramento se adstrinxisset, se fidelitatem episcopo servaturum. quod Willelmus præstare noluit, ratus id citra vitium exigi non posse. quod postea explicaturi sumus. Hinc veluti contumax ab episcopo habitus, & ab æmulis vexatus, alio secedere cogitat: maxime quod Luciaci fervor disciplinæ regularis jam admodum tepuisset. Proinde accepta facultate, ad monasterium sancti Michaëlis, in altissimis alpium jugis, nimirum in Picheriano monte, situm, accessit: quo ex loco tamen paullo post Luciacum reversus est.

CII. Cluniacum adventus.

Forte Mayolus Cluniacensis abbas Romam adeundo illuc divertit. Hunc secretius convenit Willelmus, obnixe rogans, ut ipsum secum Cluniacum adduceret, cujus loci fama religionis jam dudum ei innotuerat. Roganti annuit vir sanctus, pollicitus, se in reditu votis ejus facturum satis. quod re ipsa in reditu præstitit. Lætus tanto comite piissimus abbas, cum Cluniaco appropinquaret, unum e suis præmittit, qui fratribus tanti hospitis adventum nuntiaret. Adventantibus processit obviam sollemni apparatu fratrum cœtus, & virum pro suo merito in monasterium festive accepit. quem in tanto deinceps honore habuit Mayolus, ut eum sæpe ad colloquium vocaret, ac suorum consiliorum faceret participem. Willelmus porro

ita se gessit, ut omnibus venerabilis, & imitatione dignus videretur, sacroque sa-
ANN. CHR. 987. cerdotii ordine, quem ille primum quidem constanter recusavit, sed tandem invi-
tus susciperе coactus est.

S. Saturnini cœnobio præficitur. Vix annum integrum Cluniaci egerat, cum ad Mayolum accessit præpositus quidam cellæ sancti Saturnini ad Rhodanum, precaturus, ut sibi aliquem e suis fratribus concederet, qui ipsum cum fratribus sibi commissis ad viam salutis dirigeret. Missus illuc Willelmus sic eos instituit, ut cum fratres non pauci essent, una tamen voluntas omnium, adeoque tota vivendi, agendi, psallendi, atque edendi ratio habitusque uniformis esset ad normam Cluniacensem; nihilque cuiquam peculiare, sed omnia communia. quæ res adeo Willelmum recreavit, ut post alias præfecturas a se procuratas diceret, sibi numquam optabiliorem fuisse. At vix sesquianno illic perstiterat, cum ad informandum sancti Benigni Divionense monasterium revocatus est anno DCCCC XC. atque adeo ejus adventus Cluniacum ad hunc annum referendus.

CIII. Fulcrannus episcopus Lutevæ monasterium condit. Florebat hoc tempore Fulcrannus Lutevensis seu Lodovensis episcopus, cujus testamentum hoc anno conditum videtur, in quo ait sibi in animo esse, in ipsa civitate » Luteva monasterium stabilire *ad altaria, quæ sunt consecrata in honore Salvatoris mundi & sanctæ apparitionis suæ, dominicæ ascensionis ac vivificæ sanctæ Crucis,* Cujus rei gratia quasdam ecclesias & possessiones eidem loco legat, ea conditione, *ut in* » *munia monachorum ibidem Deo servientium* pro remedio animæ suæ, & animæ Pontii » germani sui & animæ Guidonis permaneat, ita ut nullus episcopus, nullus abbas, » aliave persona ex illis quidquam subtrahat: eo pacto, ut Macfredus episcopus Bi» terrensis sit provisor, pater, ordinator ac defensor ipsius monasterii; & omnes ca» nonici sancti Genesii sedis Lutevensis sint ejusdem loci adjutores & consolatores. In eodem testamento quædam etiam donat sancto Petro Juncellensis monasterii, itidemque sancto Petro Nantensis; multa vero cathedrali sancti Genesii ecclesiæ, cujus canonicis abundantem refectionem certis diebus submini strari jubet, maxime » pridie nonas Februarii, quando Fulcrannus ipse cathedram pontificalem susce pit, » & quidem anno DCCCC XLIX. Actum pridie nonas Februarii, *Christo imperante, ac rege sperante.* Ejus testamento subscripsere Agelmarus & Stephanus abbates, ille Salvatoris Lutevensis, hic Juncellensis, qui & ipsum testamentum rogatus scripsit. Bernardus-Guido in vita sancti Fulcranni auctor est, monasterium Salvatoris a Fulcranno ex alio loco minus idoneo translatum fuisse ad ecclesiam Salvatoris pæne dirutam, sitam prope ecclesiam cathedralem; eique cœnobio præfectum fuisse Agelmarum quemdam dilectum suum, ex canonico monachum factum, virum providum & bene litteratum. Addit virum sanctum non solum in sua diœcesi, sed etiam in aliis ramos suæ sanctitatis ac beneficentiæ extendisse, ac propagasse religionem. *Monasterium enim*, inquit, *Juncellense* diœcesis Biterrensis, *sibi vicinum, in honore beati Petri & omnium apostolorum fundatum, sibi acquisivit, & à malefactoribus, qui tunc temporis abundabant in terra, pæne jam eversum atque dirutum, multo studio & labore reparavit, & exstirpavit inde quæ noxia erant; ac Sarabaïtis reprobis monachis eliminatis, & cœnobitis probis introductis, strenuum & religiosum valde virum, nomine Stephanum, patrem eis præposuit, & dedit abbatem. quem, cum vir venerabilis vitæ foret, ipse S. Fulcrannus plurimum amavit: pro cujus etiam amore monasterium ipsum multis opibus & optimis possessionibus ampliavit.* Hactenus Bernardus-Guido. In libello de miraculis sanctus Fulcrannus basilicam monasterii sanctimonialium de Cu-
a *V. lib. 39. n. 7.* ciaco[a], diœcesis Arvernensis, dedicasse dicitur, ibique pransus fuisse: cujus prandii reliquiæ a sanctimonialibus reservatæ multis ad sanitatem profuerint. Idem in monasterio Iciodoro mulieri cæcæ lumen restituisse perhibetur.

Juncellense reparat.

CIV. Riculfus episcopus Forojulienſis. Florebat per id tempus in Monte-majori Riculfus monachus, cujus virtus & merita toti provinciæ cum innotuissent, vacante sede Forojulienſi, eligentium vota in eum conspirarunt. Erat tum illius ecclesiæ miserabilis status, quæ a Sarracenis destructa, & redacta in solitudinem, cæsis civibus vel fugatis, nihil reliqui habebat, quo resurgere valeret, possessionibus distractis & occupatis ab aliis, chartis & instrumentis crematis & amissis. Cum res in eo statu essent, id unum ad relevandam illam ecclesiam Riculfo episcopo succurrit, ut ad Willelmum Provinciæ principem Arelate confugeret: ut, per quem Sarraceni ex illis regionibus pulsi fuerant, ab eodem etiam Forojulienſis ecclesia ab interitu vindicaretur. Tam justis

postulatis assensum præbuit pius princeps cum conjuge sua Adalaïde, & mediam
ANN. CHR. 987. partem Forojulii civitatis, & prædia circumjacentia episcopo concessit. quibus ille præsidiis instructus, ecclesiam suam instaurare aggressus est; atque adeo ejus instaurator merito appellandus. Hæc concessio[a] facta est Arelate civitate pridie nonas Martii, anno quinquagesimo Conradi regis, indictione tertia. quæ notæ huic anno Christi DCCCC LXXXVII. conveniunt.

a *Gall. Chr. to. 1. p. 588.*

CV. Laureshami abbates. In Germania Salemannus Laureshamensis abbas, annis viginti-septem in præfectura exactis, jam senio confectus, Ottonis tertii offensam, quam ob causam nescio quam incurrerat, non sustinens, monasterii curam resignavit, & vitæ theoricæ addictus, non multo post e vita migravit. Huic Werinherus, cognomento Pius, ad biennium dumtáxat suffectus. cui mortuo successit Werinherus alter, sed moribus valde dissimilis, post annum dimidium præfectura dejectus. Hunc excepit Geroldus, pietate insignis, qui familiam sibi creditam recte ac prudenter tribus annis & sex mensibus administravit. Ejus tempore Silvester papa monasterii libertatem novo diplomate asseruit interventu Willigisi Moguntini pontificis, Franconis Wormatiensis, & Berneharii Verdensis; statuitque, ut, quamdiu ejus loci abbas & mo- « nachi religiose viverent, a nemine interturbarentur: quod si a religione desciscerent, « a pontifice Romano admonerentur & corrigerentur: si vero nec sic emendarentur, « *regiæ potestati* deputarentur. *Scriptum per manum Petri notarii ac scriniarii* » *sanctæ Romanæ ecclesiæ, indictione* XIII. id est anno millesimo, qui primus Geroldi annus erat. Hoc diploma Laureshamensis chronographus Gerbodonis abbatis industria impetratum fuisse perperam scribit. Post Geroldum Bobbo, genere illustris, sæculari militia relicta, ad ipsius loci regimen provectus est: qui quo magis sæculi gloriam fugiebat, eo magis assequebatur. De eo tamen nihil singulare legitur, nisi quod calicem aureum magni ponderis & pretii cum patena ecclesiæ contulisse dicitur, & complura præcepta ab Heinrico secundo obtinuisse. Laureshamo annis tredecim præfuit.

CVI. Liudolfi abbatis Corbeiæ-novæ obitus. Si genuinum est, ut quidem puto, diploma Ottonis tertii imperatoris, quo Corbeiæ-novæ possessiones confirmantur v. kal. Julii, anno incarnationis DCCCC LXXXVII. rogatu Thiotmari abbatis; dicendum est Liudolfum abbatem ejus antecessorem, cujus obitus idibus Augusti notatur, anno præcedente ex hac vita ad cælestem migrasse: tametsi ejus mortem ad annum DCCCC XC. differunt annales Corbeienses. Vir fuit multa pietate præditus, cui Deus quædam revelasse traditur. Unum affert Ditmarus[b] in chronico, quod Bruno episcopus ejus frater, *in nova* b *Ditmar. lib. 4. n. 49.* *Corbeia educatus, & ejusdem altaris servus*, ipsi retulit de quodam juvene *regulari* monacho ejusdem congregationis, ejusdemque abbatis germano, qui in quadam ejusdem monasterii *obedientia* seu cella, propterea quod reliquias sanctorum martyrum Crispini & Crispiniani incuriose ac negligenter haberet, subita morte percussus est. quod Liudolfus revelatione sanctorum martyrum statim resciisse dicitur. Cum vero funus ad monasterium duceretur, idem abbas fratres corpori obviam ire prohibuit, ut hac pœna fratris noxam expiaret. Roganti autem decano, ut defuncto communionem ecclesiasticam absolutione restitueret, primo quidem negavit: sed mox in ecclesiam nudis pedibus ingressus, ubi Deum placatum intellexit, mortuo piaculum remisit, eique ecclesiæ communione reddita, corpori sepulturam exhibuit. Simile quid de sancto Pachomio alias[c] retulimus. Liudolfi successor Thiot- c *lib. 7. n. 58.* marus hoc ipso anno, ut jam dixi, confirmationem[d] donationum Corbeiæ factarum, petente Theophanu augusta, ad preces Willigisi Moguntini archiepiscopi ab d *Annal. Paderborn.* Ottone tertio obtinuit; idemque privilegium anno DCCCC XCV. ab eodem renovari[e] curavit. Hic sex columnas æneas in ecclesia, & novam cathedram pro con- e *ibid. p. 340.* cionatore posuisse traditur, & candelabrum ex cupro fieri jussisse. Ejus tempore Liudolfus miraculis claruit; floruitque inter alios Meynholtus, varia eruditione ac pietate insignis: at illud adversi contigit, quod anno ejus obitum præcedente monasterium incendio conflagravit.

CVII. Leo abbas fit Amalfiæ archiepiscopus. Prope Amalfim Picentinorum civitatem, ad oram Tyrrheni maris, situm est Atranum opidum, ubi hoc tempore exstabat monasterium sanctorum Cyrici & Julittæ, cui tunc Leo abbas, Ursi comitis filius, præerat. Defuncto Mastolo[f] f *Ital. sac. to. 7. p. 249. & seqq.* episcopo, qui cœnobium sancti Laurentii pro Benedictinis virginibus amplissime dotaverat, erecta est episcopalis sedes in metropolitanam a Johanne XV. primus-

ANN. CHR. 987.

que archiepiscopus creatus Leo abbas, moribus præfulgens, agente Mansone Amalfitano duce, consecratusque hoc anno, die XIII. Februarii: cui pontifex pallium in palatio Lateranensi concessit. Sedit Leo in illa ecclesia annis quadraginta-duobus, obiitque anno M XXX. die XXV. aprilis, sepultus in ecclesia sancti Viti martyris. Porro cœnobium sanctorum Cyrici & Julittæ nunc semirutum cernitur prope Atranum; ecclesia vero, relicto priori titulo, sanctæ Mariæ *de Donne* vulgo nuncupatur. Hujus pontificis tempore vixit Johannes eremita, cujus patruo, nomine Petro, itidem eremitæ, potestatem dedit ædificandi ecclesiam sanctæ Mariæ de Olearea in acclivo promontorii Capitis-Ursi, ubi Petrus cum nepote suo Johanne puero vitam duxit, faciendo sportas ex corticibus arborum, quas per Johannem vendendas mittebat, ut ex pretio ambo alerentur. Leoni archiepiscopo successit Laurentius nobili genere natus, græce & latine doctus.

CVIII. Casaurienses abbates.

In monasterio Casæ-aureæ Adam, *excellentissimus* [a] abbas dictus, cum annis viginti & uno rebus in melius reformandis insudasset, sumto viatico ad Dominum migravit, laborum suorum præmium recepturus. Suffectus in ejus locum Johannes loci decanus, nihil memoria dignum gessisse traditur, uti nec ejus successores usque ad Guidonem, virum sanctum, qui superiorum abbatum detrimenta, cum in temporalibus, tum in spiritualibus, sarcire pro virili curavit. Post novem regiminis annos mortuo Johanne, intrusus est in abbatiam a Transmundo comite Gisleberti, qui etsi non sponte eam acceperit, ejus tamen possessiones præstariis & permutationibus iniquis labefactavit. In his quamdam commutationem fecit [b] cum nobili & potenti viro Pinnensi comite, Bernardo nomine, Liudini filio; quæ commutatio monasterio potius damnosa, quam utilis & opportuna fuit: cum pro rebus longius positis Bernardo tributæ sint possessiones monasterio propiores; sicque facta interruptio in possessionibus in ejus circuitu continuatim acquisitis a Ludovico II. imperatore & a Romano ejus loci primo abbate. Unde hæc commutatio a subsequentibus abbatibus irrita facta est. *Iste est famosus ille Bernardus de Pinne*, aliis Berardus, qui, postquam in suo comitatu monasteria S. Petri de Piczano, & S. Bartholomæi de Carpeneto construxit, in Casaurienst monachus factus, ibidem reliquos vitæ provectioris dies explevit. Monasterium S. Bartholomæi de Carpeneto seu Carpineto positum est in Aprutio-Ulteriori, diœcesi Pinnensi, ad radices montis Apennini, in loco qui dicitur Lecena, inter fluvium Nares & rivum de Vite, uti discimus ex litteris [c] fundationis anno DCCCC LXII. datis: in quibus *vir multæ sanctitatis* Benedictus ejus loci primus abbas fuisse dicitur. Hæc abbatia postmodum unita fuit [d] Casæ-novæ monasterio, diœcesis itidem Pinnensis. Monasterium vero S. Mariæ de Picziano seu Picciano, diœcesis Aquilinæ, ab Alexandro VI. unitum abbatiæ S. Mariæ de Succursu, extra muros Aquilanos sitæ, ordinis Montis-oliveti, ut notat Lubinus [e] qui ejus originem serius refert, ad annum scilicet M LI. ad quem annum Bernardus illius conditor pervenire non potuit.

[a] *Spicil. to. 5. p. 417.*

[b] *Spicil. to. 5. p. 419.*

Carpineti & Picziani monasteria.

[c] *Ital. sac. to. 1. p. 49.**

[d] *V. Lubin. p. 84. & 85.*

[e] *id. p. 298. & 299.*

CIX. Abbo Floriacum reversus.

Ante exitum hujus anni Abbo Floriacensis monachus, quem in Ramesiense monasterium docendi causa ab Oswaldo episcopo vocatum fuisse superius [f] diximus, Oilboldi abbatis sui jussu Floriacum revocatur post biennium, quam in Angliam trajecerat. Dum in illa insula moratus est, regem Anglorum Ethelredum adiit, ac ducem Egelwinum; & a rege quidem verba, sed a duce *condigna suæ sanctitati munera* accepit, atque in magna apud eum reverentia est habitus. Sed in primis sanctorum antistitum Oswaldi & Dunstani familiaritate usus fuit, quorum tumulos *miraculorum gloria* suo tempore illustratos fuisse testatur Aimoinus in libro de vita sancti Abbonis, de quo hic agimus. *Hi in tanta admiratione*, inquit ille, *hunc beatum habuere virum, ut in eo retinendo caritativa, &, ut ita dictum sit, discordi inter se dissiderent concordia.* Demum litteris abbatis sui revocatus Abbo, *dulcissimo fratri Abboni* inscriptis, in quibus *lucerna ardens & lucens* appellatur, in Galliam rediit, multis donis a prædictis maxime pontificibus honoratus. Et a venerabili quidem Dunstano magnifica accepit argenti munera, sancto patri Benedicto perferenda; ab Oswaldo vero cum gradu presbyteratus & aureo calice etiam convenientia suo ordini ornamenta; ab aliis denique armillas torquesque aureas, congrua meritorum suorum insignia. quæ omnia magnam de ipso apud omnes existimationem concitarunt.

[f] *lib. 49. n. 68.*

Vix Floriacum reversus erat, cum, venerabili abbate Oilboldo humanis rebus

exemto, de novo creando abbate actum est. Scissa sunt in duas partes eligentium suffragia: pars sanior Abbonem præferebat: alii alterum nescio quem volebant: sed tandem, cum Abbonis electioni *pervicaciter* renisi essent, plurimorum sanioris consilii prævaluit auctoritas, cui consensum præbere non distulit Hugo, qui tunc regiæ Francorum aulæ præerat. Sic fere Abbonis electionem describit Aimoinus, ex quo discimus non sine turbis eam factam fuisse. Huc mihi spectare videntur quædam Gerberti epistolæ, tum ipsius, tum Adalberonis aliorumque nomine scriptæ, quibus pervasorem illum abbatiæ Floriacensis exagitant. Una est epistola XCV. ad fratres Floriacenses nomine Remensium abbatum, quorum hæc verba sunt. *Non immerito nos unius collegii esse profitemur, qui vestra felicitate erigimur, vestro infortunio etiam opinione clarissimorum hominum humiliamur. Hanc sanctissimam societatem, castissimamque amicitiam, quorumdam fœdat ambitio lasciva, detestabilis audacia, dum per factionem is vobis præficitur pater, quem verissimi non metuant damnare patres. Et quomodo una est ecclesia catholica, cunctorumque fidelium una societas; a sententia eorum non deviare decrevimus, qui in ecclesia Domini, velut clarissimæ stellæ, relucent in perpetuas æternitates. An non lucidissima stella reverendus pater Mayolus? an non præfulgidum sidus pater Egberdus *?* Alter in epistola, quam patri nostro venerabili Adalberoni archiepiscopo nuper direxit, (quærebatur enim ejus sententia de prælatura patris vestri) inter cætera sic dicit: Persona quidem vobis jam olim infami conversatione erat famosa: sed hujusmodi arbitratu præter spem habita.* Item in eadem post « aliquanta: « *Quantum ergo nostra interest, vicinos & contribules adhortari studuimus, si hoc nefas eliminare nequeunt, sanctorum consortio privandum infamabunt; nec erit Christi fidelis, cui hæc ambitiosa audacia non fiet detestabilis.* Hæc ex epistola Mayoli refert Gerbertus; alia ex epistola Egberdi abbatis, quæ eodem tendunt. tum subdit Gerbertus: *Attendite ad hæc, ô socii & commilitones: secernite vos oves Christi ab eo, qui non est pastor, sed lupus ovium depopulator. Prætendat sibi reges, duces, sæculi principes, qui se, favore sollummodo eorum, monachorum principem fecit, nec erubuit se ingerere, qui ex humilitate debuerat refugere. Hactenus ignorantia nos deviasse sufficiat: careat nostro consortio, qui talium patrum damnatur judicio.* id est Mayoli & Egberdi seu Ebrardi abbatum: ex quibus ille Cluniacensis, ut notum est, hic Turonensis sancti Juliani monasterii rector erat. Mayolum arguit Adalbero archiepiscopus, quod aliter se gerat, quam scribat. quippe qui excommunicato pervasori, aliis non communicantibus, communicaret. tum, verbis ejus ex superiori epistola relatis: *Detestamini ergo*, inquit, *pervasorem: sentiat vos sibi non favere, non sibi communicare; ac per hoc non solum quosque religiosos vestri ordinis, sed etiam, si fieri potest, Romani pontificis se maledictis urgeri.* Hæc aliaque Adalbero in epistola LXXXVI. Gerbertina, quæ ejus nomine ad Mayolum scripta est. Nec tacuit Gerbertus ipse hac occasione, sed, ut ordinis sui studiosissimus, pervasorem itidem lancinavit, ita scribens epistola LXX. ad eumdem Mayolum.

ANN. CHR. 987. Abbas Floriacensis eligitur non sine turbis.

* Ebrardus.

* f. vestro

*Etsi vigilanti cura super vestro grege assidue occupati estis, propensioris est tamen charitatis, si alieni gregis contagio interdum medemini. Floriacensis cœnobii propter reverentiam patris Benedicti summum locum penes monachos, ut aiunt, perversor occupavit. Si vos tacetis, quis loquetur? Hoc incorrecto, quis improbus similia non sperabit? Nos quidem hæc zelo divini amoris dicimus; & ut nostro * examine, si probus est, recipiatur; si improbus, omnium abbatum ac monastici ordinis societate ad pœnam suæ damnationis privetur. Quod vobis ratum litteris vestris, nobis fiet acceptissimum.*

Ubi observare juvat Floriacense monasterium, etsi olim a sancto Odone Cluniacensi abbate emendatum & administratum, tunc tamen non pertinuisse ad jus monasterii Cluniacensis, cum *alieni gregis* Mayolo dicatur a Gerberto. Exstant aliæ duæ ejusdem auctoris hac de re epistolæ, Ecberdo seu Evrardo Ebrardove abbati Turonensi scriptæ: una est LXXXI. in qua sic habet.

Ubi summa religionis norma esse debuit, summum esse illapsum crimen non immerito nos permovit & exterruit. Sed quis erit auctor hujus correctionis, tacentibus cunctis primatibus vestri ordinis? Nos quidem venerabili patri Mayolo super his pauca præscripsimus, quia sapientem in paucis multa intelligere scimus. Huic tanto negotio, &, ut verius fateamur, tantæ audaciæ ulciscendæ a nobis dux designatus est. Ejus sententiam qui prior nostrum noverit, alteri sine mora significabit.

Ad has litteras responsum dedit Ecberdus, quod non exstat: cui Gerbertus aliam

ANN. CHR. 987.

epistolam scripsit, quæ est inter Gerbertinas octogesima-nona, in qua ait, ex ejus litteris palam fieri, quæ morum gravitas ei insit, quam integer vitæ actus, quam purum eloquium. itaque se in ejus sententiam ire, uti studium ejus pietatis ac severitatis postulabat, *virque ille Deo plenus*, id est Mayolus, cui multam fidem Gerbertus ipse haberet. *Summovebimus ergo illum perfidum*, inquit, id est pervasorem, *a societate nostra nostrorumque, judicio tantorum patrum, isque nobis habebitur hostis, qui in sententiam reverendi patris Mayoli, colendi patris Ecberdi dicere non dicenda attentabat. Quod si, divinitate propitia, favorem principum obtinebimus, ad hæc utilia majora jungemus.* Horum principum nomine Gerbertus intelligere videtur Hugonem & Rotbertum ejus filium, tantisque demum auctoritatibus pervasor ille cedere coactus est, immo ipsa mors eum cedere coegit: sicque Abbonis tenuit electio, qua de re Adalbero archiepiscopus & Gerbertus, *Scholaris abbas* dictus, Constantino, ejus loci erudito monacho, una congratulantur epistola CXLII. *Congratulamur tibi, dulcissime frater, pervasore atque hoste monasticæ religionis ad multorum salutem humanis rebus exemto. Insta ergo, &, si jam patrem tua ac fratrum dilectione dignum habes, habeamus & nos præsentem tua opera proxime in festo sancti Remigii: ut affectus noster, a Floriacensibus, te favente, paullulum abalienatus, te faciente, sit plurimum reconciliatus.* quæ verba innuunt, Constantinum pervasoris partibus adhæsisse ac favisse. Ex his omnibus intelligitur, quanta fuerit Adalberonis archiepiscopi in rem monasticam propensio & benevolentia: cui non parum conferre potuit Gerberti suasio & familiaritas.

CXI. Novæ turbæ in ejus benedictione pro subjectione.

Abbonis electione confirmata, pax a domesticis tumultibus, sed non ab externis. Tunc Aurelianensem regebat ecclesiam Arnulfus [a] junior, Manassæ successor, bonus certe & regularum ecclesiasticarum apprime sciens, sed Floriacensibus non parum infestus & infensus, quod ditioni *solummodo parentes regiæ*, subjectionem [b] ad ipsius nutum dependere detrectarent. quæ res, ut melius intelligatur, paullo altius repetenda est.

a *V. lib. 49. n. 84.*

b *Aimoin, lib. 1. de mirac. c. 29.*

Fuit olim tempus, cum episcopi neque à clericis ordinandis, neque à benedicendis abbatibus professionem subjectionis exigerent, rati eam satis sibi competere jure communi. Processu temporis cum nonnulli clerici & abbates privilegia exemtionis obtenderent, hanc professionem a clericis exigere quibusdam episcopis necessarium visum est. Id fieri cœptum ineunte sæculo nono, quo tempore patres concilii Cabilonensis, anno DCCC XIII. celebrati, novam hanc obligationem improbarunt canone XIII. *quod juramentum, quia periculosum est, omnes*, inquiunt, *una inhibendum censuimus.* Nimirum quod illud genus quoddam simoniæ ipsis videretur. An usus ille post concilium perseveraverit, incertum: at labente sæculo decimo hanc subjectionis professionem postularunt plerique episcopi, non modo a clericis, quos ordinabant, verum etiam ab abbatibus, quibus benedictionem impertiebant. Ad hæc observare convenit, duplicem a quibusdam episcopis exactam fuisse subjectionem: unam, quæ episcopis canonice debetur, eaque obedientiam ac reverentiam involvit: alteram clientelarem, quæ subditorum est erga dominos, a quibus illi beneficia tenebant. Hanc *ad mundanam legem* pertinere ait Fulbertus Carnutum antistes in epistola ad Fulconem Aurelianorum episcopum, qui duplicem hanc subjectionem, uti & Arnulfus, a Floriacensibus exigebat. Utrumque denegabat Floriacensis abbas, qui se, suumque monasterium regi tantum in temporalibus subjectum esse contendebat; indeque etiam in spiritualibus episcopo haud obnoxium esse. Ea enim prærogativa esse tum censebatur imperialium & regiorum monasteriorum. quod ut firmius & validius esset, adjecta est subinde Romani pontificis protectio. Ex quo nata est eo tempore distinctio duplicis generis monasteriorum, quorum alia *ingenua*, alia *libera* dicebantur: hæc Romano pontifici in spiritualibus, illa regi soli in temporalibus subjecta. Ab utrisque subjectionis professionem exigere tum volebant episcopi: sed restitere non modo abbates in Gallia & in Anglia, sed etiam Romanus pontifex pro liberis, reges & principes pro ingenuis. Variæ hac de re concertationes pro Vindocinensi, Uticensi, aliisque monasteriis in Gallia; pro monasterio sancti Albani in Anglia, ut in horum Annalium decursu videbimus. Sed tandem in concilio Remensi sub initia sæculi decimi hæc professio præscripta fuit omnibus abbatibus, iis tantum exceptis, qui privilegiis Romani pontificis muniti erant. Restitere nihilo minus aliquanto post hæc Northmanniæ abbates, favente duce: sed tandem legi universali manus dare coacti sunt.

Hæc

ANN. CHR. 987.

Hæc fusius exposita in Præfatione prima ad Sæculum nostrum sextum, quæ strictim hoc loco præmittenda visa sunt ad illustrandam Abbonis contentionem cum Arnulfo episcopo Aurelianensi, quæ aliarum subinde litium, ut fit, seminarium exstitit. Eodem fere tempore Willelmus, tum monachus Luciacensis in diœcesi Vercellensi, is qui postea Divionensis abbas factus est, cum leviticum gradum susceperat, a Vercellensi episcopo hanc professionem facere urgeretur, eam præstare noluit, dicens *se non posse salubriter perpendere, ut pro his, quæ solius Dei imperio gratis præstari debeant, horum ministro alicujus servandæ fidei assertionem ullo modo exhiberet.*

CXII. Qualis ejus rei exitus.

Qualis fuerit hujus causæ exitus, Aimoinus in Abbonis vita docet. Abbo enim intelligens monasterio suo hanc subjectionis professionem posse officere, eam tota vita sua dependere recusavit, quam ob rem Arnulfus ipsi semper infensissimus fuit. Id vero eo processit, ut episcopi satellites eumdem virum Dei, Turonos ad festivitatem sancti Martini properantem, noctu aggressi, gravibus affecerint contumeliis, quibusdam ejus ministris ad necem usque vulneratis. quod facinus, etsi episcopo minime conscio factum sit, non tamen ille, ut par erat, indigne tulit. Sed tamen *propter famam vulgi*, cui hæc actio scandalum generabat, quosdam ex ipsis satellitibus ante Abbonem, ut virgis cæderentur, adduci jussit. at vir Dei noxam eis remisit, sed ut a Deo vindicaretur, promeruit. Alii enim morte subita intercepti, alii in rabiem versi perhibentur.

Abbas ut se gesserit.

Interim Abbo pastorale officium strenue exsequi sollicitus, subjectos sibi fratres ad virtutum studium assidue hortabatur, & contra vitia jugem pugnam exercere. Ejus rei gratia, præter orationes ac preces, jejuniorumque frequentiam, multum prodesse aiebat litterarum studia, maxime vero *dictandi*, id est scribendi & commentandi, *exercitia.* quod suo ipse exemplo demonstrabat, nullum pæne tempus intermittens, quin legeret, scriberet, dictaretve. quod relicta ab eo scripta testantur.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUINQUAGESIMUS.

Ab anno Christi 988. *ad annum* 994.

ANN. CHR. 988. I. Dunstanus archiepiscopus obit. a *Thorn. p.* 1780.

LIBRUM quinquagesimum nostrorum Annalium ordiemur a morte Dunstani Cantuariensis archiepiscopi, totiusque Angliæ primatis sanctissimi, cujus pietate, sanctimonia, doctrina & sollicitudine Anglicana ecclesia in novum splendorem refloruit. Paullo ante ejus obitum Siricus abbas suburbani sancti Petri monasterii, eo [a] procurante, in episcopatum Wiltoniensem assumtus fuisse dicitur, non Wintonienſem, ut in editis Willelmi Thorni legitur, cui ecclesiæ tunc Elfegus præerat. Dunstanus, instante obitu, sanctissimæ Virginis Deiparæ, & propriæ matris visu recreatus, die ascensionis Domini intra missarum sollemnia verba fecit ad populum, reversusque ad aram transtulit *omnipotentissimis Domini verbis*, ut cum Osberno loquar, *speciem panis & vini in veram substantiam carnis & sanguinis Christi*. Dein, morte sua populo prædicta, domum regressus, ciboque refectus, denuo cum fratribus in ecclesiam redit, signatoque sepulcri sui loco, cænaculum pro modo æstivi temporis requiem capturus ascendit. Quiescentem circumdat mæsta ecclesiæ familia, quam ubi ille ad spem futuri sæculi animat, in ecstasim rapitur, & ad suprema domus fastigia sublatus cernitur. Ubi ad se reversus est, adstantes denuo solatur. Vi-
» distis, inquit, filii, quo me Deus vocat. Semita itineris mei præ oculis ostensa est
» vobis, ut nemo vestrum de præmio capiendi cæli diffidat, si recta in terris incedat.
» Studete non boni videri, sed esse; nec tam mali non videri, quam non esse. Pa-
» cem sectamini, nec prius ab ea sectanda deficiatis, quam illam in cælo apprehen-
» deritis. Prædico vobis dira ac diuturna mala ab exteris gentibus imminere, quæ
» vobis non nocebunt, si eis ad correctionem usi fueritis. In his cogitate, nullum esse
» tam grave supplicium, quod peccatis vestris expiandis par esse possit, & quo visio-
» nem beatæ æternitatis & æternæ veritatis promereri valeatis. His dictis, cum sen-
sim deficeret vir sanctus, jubet *sancta communionis mysterium*, id est missam, *ante se celebrari; protensisque manibus* sacrosanctum viaticum *de cæleſti mensa porrectum suscepit*. tum, gratiis Deo actis, ab angelis ad cæleste convivium invitatur, & mortui anima ab eis suscipitur, in cælum deducenda. Sic decessit vir sanctissimus hoc anno, sabbato post ascensionem Domini, scilicet XIV. kal. Junii, quo die festum ejus in legibus Canuti regis præcipitur. Corpus ejus sepultum fuit in basilica Salvatoris, loco ab ipso designato, id est ante gradus, quo ad majus altare ascensus

erat. Eadmerus refellit eos, qui sacrum illius corpus Cantuaria Glastoniam translatum dicebant; aitque se puero in ecclesia Cantuariensi inventum fuisse cum tiara, anulo, pallio, & aliis pontificiis ornamentis, atque lamina plumbea, quæ Dunstani corpus esse declarabat; illudque in novam a Lanfranco exstructam basilicam illatum. In ejus laudes certatim excurrunt Anglicani scriptores, æquales, suppares, & subsequentes. Æqualium scripta pleraque in Dorobernensis ecclesiæ incendio, quod Lanfranci pontificatu accidit, consumta fuisse testis est Osbernus Cantuariensis ecclesiæ præcentor & monachus, quem sub Lanfranco floruisse constat. Is scripta eorum, qui aliqua in patrium seu Anglicum sermonem de Dunstano transtulerant, latine vertit, usus etiam, ut veri simile est, libro Bridferthi Ramesiensis monachi Dunstani æqualis, cujus salebrosa scriptio supereſt etiam nunc in quibusdam bibliothecis, uti & libellus Adalardi Blandiniensis cœnobii abbatis: quorum ille lucubrationem suam Alfrico Dunstani successori, hic Elfego, qui post Alfricum Dorobernensi præfuit ecclesiæ, nuncupavit. His accessit alius auctor a Surio editus sub nomine Osberti, quod vereor, ne Surius, uti & Trithemius, pro Osberno ingesserit nomen Osberti, eumque Surianæ vitæ scriptorem esse putaverit, quem Osberno aliquot annis posteriorem esse intelligitur ex quibusdam rebus tempore sancti Anselmi patratis, quas auctor ille Surianus in libro miraculorum commemorat. Et re quidem vera id ita esse modo constat ex Angliæ sacræ tomo secundo, ubi Suriana hæc vita, genuino restituta stilo, Eadmero monacho Cantuariensi vindicatur. Dunstano quædam scripta tribuuntur, qualia sunt Decreta pro ordine sancti Benedicti, libellus Concordiæ monasteriorum in Anglia, Eadgaro regi tribui solitus, quod ejus auctoritate promulgatus sit. Antiquis codicibus emendandis etiam episcopus, cum a rebus exterioribus vacaret, operam dabat: ex quibus regulam sancti Benedicti emendatam reliquit. Certe ante ejus tempus in Anglia vix ullus sacerdotum latine sciebat: ast ejus & Ethelwoldi episcopi opera litterarum scientia in monasteriis denuo excitata est: qua in re ambo adjutorem habuere Oswaldum Wigorniensem episcopum, qui ejus rei gratia Abbonem e Floriacensi monasterio in Angliam adduxit. Quod vero præter scita canonum Dunstanus de una ecclesia in aliam non semel transtatus sit, quod simul Wigorniensem & Londinienſem ad tempus occupaverit; id non viri optimi cupiditati aut ambitioni, sed eximiæ ejus sanctitati regumque voluntati urgentissimæ, atque adeo temporum necessitati tribuendum, factumque ipso semper repugnante.

ANN. CHR. 988.

II. Adalbero archiepiscopus obit.

Initio hujus anni Adalbero Remorum archiepiscopus, cum in obsidione Laudunensi una cum Hugone rege ad expugnandum Carolum principem versaretur, morbo correptus, se Remos reducendum curavit, ibidemque mortem oppetiit decimo kalend. Februarii, ut in fastis Remensis ecclesiæ legitur, vir sane de ordine nostro bene meritus, quem nonnullis in locis vel denuo excitavit, vel primitus instituit. Amicus erat singularis Gerberti nostri, qui de eo hoc elogium affert epistola CLII. *Id momentum*, inquit, *ac ea vis erat domini mei Adalberonis in causis pendentibus ab æterno, ut, eo in rerum principia resoluto, in primordiale chaos putaretur mundus relabi.* Quanti vero Gerbertum ipsum viciſſim faceret Adalbero, in extremis testatus est, cum eum successorem suum designavit, ut Gerbertus ipse scribit in prædicta epistola, inscripta *Remigio fratri*, id est *monacho Trevirensi*, ut habent aliarum [c] ad eumdem epistolarum inscriptiones, qui Remigius Gerbertum post mortem Adalberonis monuerat, ut intermissa studia resumeret. ad quod ille post verba modo relata: *In tanta igitur perturbatione*, inquit, *& ut ita dicam, confusione, mortalium officiorum immemor, quid optares, quid peteres, incautius perspexisti. Num in ejusmodi discrimine, re publica derelicta, demigrandum fuit ad philosophorum commenta, interdum* * *non necessaria? Taceo de me, cui mille mortes intendebantur: & quod pater Adalbero me successorem sibi designaverat cum totius cleri, & omnium episcoporum, ac quorumdam militum favore; & quod omnium rerum, quæ displicerent, me auctorem fuisse contenderent. Nam amici, qui familiaritate beati patris Adalberonis mecum usi fuerunt, mecumque laborabant, ob tornatile lignum deferendi erant? Patere ergo moras necessitate impositas, ac meliora tempora exspecta, quibus valeant resuscitari studia, jam pridem in nobis emortua.* Sed tandem prævaluit ad tempus sive electio, seu factio Arnulfi principis, filii naturalis Lotharii regis, & in aliud tempus dilatus Gerberti pontificatus. Diu vacasse episcopatum innuit formula electionis

Gerbertus successor ab eo designatus.

c *Gerb. ep.* 134. & 146.

* 1. *interim.*

ANN. CHR. 988.

Arnulfi, quæ *consentientibus regibus* facta dicitur. tametsi Arnulfus annos sui pontificatus statim a morte Adalberonis numerare solitus sit.

III. Hugonis regis privilegium pro sancta Columba.

Senonense sanctæ Columbæ monasterium tunc regebat Guntio abbas, qui cum monachis quibusdam suis ab Hugone rege, tunc Compendii residente, immunitatem eidem loco a superioribus regibus concessam confirmari petiit, obtinuitque, simulque sibi remitti *vicarias illicitas*, quas reges hactenus *injuste* in villa ejusdem monasterii Sarmasia, sita in pago Stampensi, exigere consueverant. *Actum Compendio* pridie nonas Junias, anno primo Hugonis regis, qui cum filio suo Rotberto jam rege subscripsit huic præcepto, quod Rotgerius notarius regis scripsit & subscripsit. Præclarum vero sui in monachos testimonium edidit rex Hugo initio regni sui, liberam abbatum regularium electionem restituendo monasteriis, quæ jam a multo tempore sæcularibus, immo non raro laïcis abbatibus tradita erant: qua ex re maximam disciplinæ regulari perniciem ortam fuisse patres synodi Trosleiensis conquesti sunt. Atque ut efficacius hæc libertas monasteriis omnibus restitueretur, suo ipsius exemplo præivit ante acceptam regiam dignitatem, abdicata ante annos novem abbatiali dignitate monasteriorum sancti Germani & sancti Dionysii apud Parisios, in quibus regulares abbates suo loco instituit. cujus rei immortale apud nostros monumentum, ac perennem memoriam promeruit.

Abbates regulares in Gallia restituti.

IV. Rainaldus sancti Albini abbas.

Præerat hoc tempore Andecavensi sancti Albini cœnobio Gunterius abbas, qui orationis & voti causa ad sacra loca profecturus, Rainaldum monachum, vitæ & morum probitate præditum, sui loco instituendum curavit. Ejus rei instrumentum hic referre non ab re fuerit.

Omnibus in domo, quibus est Christus vivere & mori lucrum, & potissimum sub jugo regulæ sancti Benedicti sponte colla submittentibus, qui jubet, ut monachi, in monasterio degentes, abbatem sibi præesse desiderent, notissimum esse volumus, quod anno DCCCC LXXXVIII. *incarnationis dominicæ recedens a loco sancti Albini abbas Gunterius, quem pro fidelitate Dei & suæ animæ remedio nobilissimus inter suos Gaufridus comes eidem loco præfecerat, & Romam, vel, quod majus est, matrem civitatum Jerusalem expetens gratia orationis, successorem sibi præsago spiritu providerit, cui animarum simul & corporum curam committeret, Rainaldum, vitæ & morum probitate decorum, quem ipse in Christi nomine nutrierat, cum consensu tamen fratrum præfati loci, & elegantissimi juvenis, filii prædicti comitis Gozfredi, qui in loco patris feliciter successit, nomine Fulconis. Cui electioni, providente gratia Dei, ut credimus, prudentissimorum pontificum, clericorum quoque & nobilium laïcorum, & super his omnibus electio simul & acclamatio prædictæ congregationis concordare videtur in melius: eo tenore videlicet, ut secundum regulam sancti Benedicti, qui est pater & dux, advocatus quoque post Deum omnium fidelium monachorum, tam in hoc sæculo, quam in futuro, in omnibus conversari pro posse & nosse studeat, & plus prodesse, quam præesse satagat; & omnia cum consilio fratrum timentium Deum provide & juste disponat: ut, cum venerit Pastor pastorum, cui redditurus est rationem de sibi commissis animabus, addita & suæ animæ, audire gaudenter mereatur, quod servus bonus, qui erogavit talentum sibi creditum conservis suis in tempore suo:* EUGE *serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Widdo episcopus subscripsit. Signum Fulconis inclyti comitis.*

Sic absentis vices egit Rainaldus abbas. Reversus Gunterius abbas honorarius mansit, eoque nomine cum Rainaldo scripsit chartam fundationis ecclesiæ sancti Michaëlis de Palude post annos abhinc octo: isque ad biennium superstes obiit pridie nonas Januarii anno DCCCC XCVIII. forte secundum veterem calculum. adeoque insequenti secundum novum. Rainaldus vix solido anno supervixit.

V. Sancti Juniani reliquiæ Carrofum delatæ.

Cum ubique Galliarum, maxime apud Pictones, prædones & rerum ecclesiasticarum raptores impune grassarentur; placuit episcopis, abbatibus, & religiosis quibusque viris concilium celebrari, in quo & prædæ prohiberentur, & prædones ad restitutionem cogerentur. Locus ad conveniendum indictus in Carrofensi monasterio: ubi maximus conventus factus est ex pagis Pictavensi & Lemovicino. Istuc etiam delatæ multorum sanctorum reliquiæ, in primis sancti Juniani abbatis ex monasterio Nobiliacensi: ut sanctorum pignorum conspectu raptores efficacius ad res ablatas restituendas compellerentur. Brevem de hac sancti Juniani delatione narrationem composuit Letaldus monachus Miciacensis, ejus temporis æqualis, eamque *domino patri Constantino & ceteris fratribus Nobiliaci cœnobii* nuncupavit *frater*,

ut se ipse vocat, *Letaldus*. In hac narratione nihil notatu dignum, præter mentionem prædictæ synodi Carrofensis, cujus acta Philippus Labbeus publici juris fecit. Huic præfuit Gumbaldus archiepiscopus secundæ Aquitaniæ, id est provinciæ Burdegalensis. Constantinus abbas Nobiliacensis superstes fuit ad annum M XIV. Carrofense vero monasterium ipso anno celebratæ synodi incendio consumtum fuisse tradunt Ademarus & chronographus Malliacensis. ANN. CHR. 988.

VI. Abbatia sancti Amantii de Buxia.

Hoc ipso anno Willelmus Ecolismensis comes, monasterium sancti Amantii de Buxia, a majoribus suis Ecolismensi ecclesiæ subtractum, eidem ecclesiæ restituit, illudque instauratum monachis nostris reddidit, Francone abbate præposito, qui ex cœnobio sancti Eparchii adductus fuerat. Legimus primarias hac de re litteras ejusdem Willelmi, in quibus ait, se cum consilio suorum, nobiliumque fidelium « monasterium sancti Amantii, quod *a parentibus* seu majoribus suis a beati Petri sede, « id est Ecolismensi ecclesia, fraude subtractum fuerat, *anno incarnationis dominicæ* « DCCCC LXXXVIII. *indictione prima*, reædificatum ac bene compositum, beato Pe- « tro patrono Engolismæ sedis matris ecclesiæ, cui Hugo episcopus tum præerat, « humiliter reddere, ut sibi, animæque genitoris sui Arnaldi, necnon eorum, qui pia « devotione basilicam sancti Amantii exstruxerant, beatus Petrus & sanctus Aman- « tius ante tribunal æterni Judicis in magno judicii die subveniant. tum subdit, in hoc « monasterio domnum Franconem *sub monastico habitu* abbatem ordinatum fuisse; ut « regulam sancti Benedicti cum ceteris Deo militantibus, prout potuerit, custodiat; « & post ejus obitum pertinere ad episcopum Engolismensem, ut abbatem secundum « regulam sancti Benedicti ibidem instituat. His litteris subscribunt post Willelmum « comitem Bellus-homo clericus, ejus *avunculus*; Hugo episcopus, Isimbardus archidiaconus, aliique. In historia [a] comitum Engolismensium Arnaldus comes, ejusdem Willelmi parens, condito Buxiaci monasterio sancti Amantii, & Francone abbate illuc misso, factus dicitur monachus in aula sancti Eparchii, ibique sepultus juxta patrem suum, scilicet Willelmum comitem, cognomento Sectorem-ferri, qui sancti Eparchii monasterium instauraverat. Ex quo intelligitur, sancti Amantii monasterium ab Arnaldo instaurari cœptum, absolutum fuisse à Willelmo ejus filio, & ecclesiæ Ecolismensi subjectum. Hic Willelmus cognominem habuit filium, in comitatu successorem, qui sedem monasterii sancti Amantii mutavit. Sanctus Amantius confessor, Buxiaci patronus, erat discipulus sancti Eparchii abbatis.

a *Labbe, to.* 2. *p.* 253.

VII. Sancti Hilarii Carcassonensis translatio.

In Carcassonensi sancti Hilarii monasterio alter conventus habitus est occasione elevandi corporis sancti Hilarii, ejusdem urbis episcopi illic quiescentis, quæ elevatio kal. Martii hujus anni facta est, præsente Rotgerio ejus provinciæ comite cum Adelaide ipsius conjuge, Francone tunc episcopo, Benedicto abbate prædicto monasterio præsidente. Huic frequenti conventui comprovincialium duodecim episcoporum & abbatum, inter alios aderat Warinus abbas Coxanensis, qui secum peritum artificem ad id operis adduxerat. Aperto loculo, sacrum corpus super altare delatum, dein post hujus arulam in arca saxea repositum cum duobus hinc inde corporibus duorum ejus alumnorum, Benedicti atque Celsi. In illa translatione duobus cæcis lumen cælitus concessum traditur. Rotgerius vero comes omnimodam eidem loco immunitatem cum libera eligendi abbatis facultate indulsit, idque privilegio muniri se curaturum spopondit, ac duodecim monachis quotannis vestes præbiturum. cujus rei instrumentum in sancti Hilarii loculo repositum fuit.

Arulis facta donatio.

Paullo ante, id est XVI. kalendas Martii, anno primo Hugonis regis, Oliba [b] Ceritaniæ comes quoddam alodium, quod ab Ermengarde [c] uxore sua acceperat, Arulensi monasterio donavit cum ecclesia ejus loci, id est cum decimis, primitiis & oblationibus fidelium, cum cœmeterio & domo ecclesiæ adjuncta.

b *Marca Hisp. c.* 941.
c *ibid. c.* 940.

VIII. Simorræ donatio Guillelmi comitis.

Dum Atto Auscitanus archipræsul Simorrensi beatæ Mariæ cœnobio abbatis nomine præesset, Guillelmus Astariacensis comes, pœnitudine tactus, quod multa contra loca Deo sacrata commisisset, non solum de restituendis rebus ablatis serio cogitavit, sed etiam plura de suo adjecit. In primis beatissimæ virgini Mariæ, Simorrensis monasterii patronæ, quo eam sibi propitiam, ac monachos apud Deum favorabiles redderet, quasdam contulit ecclesias, in his ecclesiam sancti Johannis Stauli, quæ debebat reddere *quingentas libras panis, porcos tres quinque solidos valentes, quinque modios civadæ* seu avenæ, *& quinque cuneos vini puri.* Hanc autem ecclesiam ipse Guillelmus comes quadam ex parte antea vendiderat (ô temporum

mores!) Arsi-Garsiæ *comitisso*: qui pro illa Guillelmo dederat *unum cavallum*, CCC. *solidos*, *unam spadam*, *unum scutum*, *& unam lanceam*. Ambo vero, id est Guillelmus comes & Arsi-Garsias *comitissus*, eam simul contulere sanctæ Dei-genitrici Mariæ Simorræ, aliisque ejusdem loci sanctis, præsente Ottone abbate atque archiepiscopo Ausciensis sedis. Adfuere etiam Forto abbas, Bernardus Dassy, Azenarius abbas, Alessa comitissa, multique alii. Forto abbas erat Picianensis, Azenarius cellæ Medulfi.

ANN. CHR. 988.

IX. Hirsaugiæ pestis, & lis de abbatis electione.

Hoc anno magna Germaniam fames invasit, quam statim pestilentia ingens subsecuta, sexaginta monachos Hirsaugiæ oppressit, duodecim tantum relictis. Eadem clades Hartbertum quoque abbatem sustulit tertia die mensis Novembris, anno ejus ætatis triceſimo-octavo. Orbitatis suæ grave incommodum tribus fere mensibus deplanxit Hirsaugia, nec ante mensem Februarium insequentem superstites monachi duodecim ad creandum novum abbatem convenerunt. Illis in duas partes divisis, pars sanior Conradum monachum elegit, qui confirmationem suam ab episcopo Nemetensi, nec multo post benedictionem obtinuit. Pars altera Eberhardum cellerarium prætulit, qui æmuli successu excandescens, e monasterio fugit clenodiis secum asportatis, & cum duobus monachis, Hartungo & Hermanno, factionis suæ sociis, ad comitem de Galba, monasterio pridem infestum, se recepit. Hac occasione lætus comes, res monasterii invadit, diripit, suisque militibus distribuit, quasi Eberhardo abbati, ut jactitabat, legitimo reservandas, Conradum asserens idolum suppositum. Re ad episcopum delata, timeri se sentiens comes, monasterium se incensurum minatur. Hirsaugiæ interim residebat cum octo monachis Conradus abbas, mærore tabescens, numquam tutus, numquam a tyranni metu securus, a quo deteriora momentis singulis sibi eventura formidabat. Nec vanus timor. nam anno ejus electionis secundo Eberhardus transfuga, abbatia se privari diutius non ferens, monasterium nocturno tempore, assumtis secum quibusdam satellitibus, furtim ingreditur, Conradum comprehensurus: at ille a quodam comitis familiari submonitus, fuga sibi consuluerat. Tunc apostata dolens aufugisse quem quærebat, spoliato iterum monasterio, intactis monachis, scelere magis onustus quam præda, ad sua latibula revertit. Conradus vero per biennium profugus, ad monasterium non rediit, donec sera tandem morte Eberhardus interiit. Alter vir bonus & cultor monasticæ disciplinæ studiosissimus fuisse dicitur, & in magna rerum penuria cum paucis monachis Hirsaugiæ usque ad finem permansisse, comite semper infesto.

X. Sophiæ monachæ Gandersheimensis molitio.

Gandersheimense puellarum cœnobium, quod ab origine Hildensheimensibus episcopis per annos ducentos & quadraginta subjectum fuerat, hoc tempore Willigisus Moguntinus præsul ecclesiæ suæ vindicare molitus est. Id factum suadente Sophia sorore Ottonis imperatoris, *quæ juvenili jactantia*, ut in chronico Saxonico legitur, *& dignitate generis elata*, *a palligero tantum*, id est ab archiepiscopo pallio insignito, *velari gestivit*, *eumdemque locum sibi usurpare tentavit*. Hæc tamen machinatio in conspectu regis, Osdago Hildensheimensi episcopo agente, ventilata, cassa & irrita facta est: vixque interventu Ottonis regis ejusque matris obtentum, ut in natali sancti Lucæ missam celebraret archiepiscopus, & prædictæ Sophiæ velum imponeret: Hildensheimensis vero episcopus ceteras virgines ejusdem parthenonis suo jure velaret. De hac controversia plura inferius.

XI. Diploma pro S. Zenone.

Hoc anno Otto imperator apud Meresburgum residebat, cum ad preces Heinrici [a] Carentanorum ducis donationes quasdam confirmavit, Veronensi monasterio sancti Zenonis factas pontificatu Hilderici episcopi, quem sancti Zenonis *vicarium* appellat, eum ad modum, quo Romanus pontifex nonnumquam apud veteres beati Petri vicarius dicitur. *Data* VI. *kal. Septemb. anno dominicæ incarnationis* DCCCC LXXXVIII. *indictione prima*, *anno autem tertii Ottonis regnantis* V. Idem imperator [b] post annos octo, & quidem tempore Otberti episcopi, alias donationes eidem loco factas præcepto suo roboravit.

a *Ital. sac. to. 5. col. 660.*

b *col. 668.*

XII. Sancti Pauli cella a Farfensibus ædificata.

In Farfensi monasterio Johannes abbas, de recuperandis possessionibus monasterii sui, quæ in beneficium datæ fuerant, perquam sollicitus, ecclesiam beati Petri apostoli, in diverticulo montis positam juxta castellum Catinense, cum casali Petrorum revindicavit, & in prædicta ecclesia cellam exstruxit, ubi Johannes presbyter & monachus, qui humilis, mansuetus, castus, & præceptis sanctæ regulæ obediens fuisse dicitur, prior institutus fuit, & cum eo *duo alii monachi idiotæ*,

& unus presbyter & monachus. Ejusmodi idiotæ sic dicti videntur, quod essent illiterati.

ANN. CHR. 989.

XIII. Remorum civitas direpta.

ARnulfi promotioni ad archiepiscopatum Remensem in primis suffragatus est rex Hugo, qui hac arte ejus amicitiam & favorem contra Carolum principem, regni æmulum, sibi conciliare sategit. Verum ille brevi Hugonis spem fefellit. nam vix inauguratus erat pontifex, cum patruum suum, id est Carolum, Lauduno, ubi se, tamquam limax in concha, continebat, Remos evocavit, aut certe admisit: qua potitus Carolus, urbem militi diripiendam tradidit, sanctuarium polluit, & clerum populumque cum ipso archiepiscopo captivum fecit. Hinc anathema dictum in prædones & tanti sceleris reos ab episcopis comprovincialibus Silvanecti congregatis, & interdicto supposita Remensis ecclesia, atque etiam Laudunensis, quæ eamdem sortem pertulerat.

XIV. Gerberti hac de re litteræ.

Huic deprædationi obnoxius fuit Gerbertus, qui post obitum Adalberonis ad id tempus Remis moratus erat, eo tamen consilio, ut statim in Italiam se conferret. quod iter Remorum direptio differri coëgit. Huc spectat nona ejus epistola secundo loco edita, *reverendissimo patri Raimundo*, cujus se dudum filium dicit, scripta in hunc modum.

Quo in portu agam navim, gubernatore amisso, scire vos [*volo*] *dulcissime pater, & quinam sit status in Francorum republica. Ego cum statuissem non discedere a clientela & consilio patris mei beati Adalberonis, repente sic eo privatus sum, ut me superesse expavescerem. quippe cum esset nobis cor unum & anima una, nec hostes ejus eum putarent translatum, cum me superesse viderent. Me ad invidiam Karoli, nostram patriam tunc & nunc vexantis, digito notabant, qui reges deponerem, regesque ordinarem. Et qui rei publicæ permixtus eram, cum re publica periclitabar: velut in perditionem nostræ urbis pars prædæ maxima fui; eaque res iter meum in Italiam penitus distulit, ubi & organa etiam servantur, & optima portio meæ supellectilis. Non enim potuimus obsistere præcipiti fortunæ, nec Divinitas declaravit adhuc, quonam in portu me sistere velit. Igitur de me, & de meis fortunis gavisuri exspectant exitum instantis fortunæ. Dabo operam pro viribus, nec quicquam eorum, qua fieri oporteat, intermittam, donec optatis perfruar sedibus, reddamque Deo vota mea in Sion. Vale, amantissime pater, valeat frater Airardus, valeat sanctissimum collegium tibi subjectum, meique sitis memores in contemplativis cum patre meo Adalberone.*

Ex hac epistola intelligitur, Gerbertum, uti & Adalberonem, Hugoni novo regi ac filio ejus Rotberto, cujus præceptor fuerat, favisse præ Carolo principe: cui tamen principio suffragatus videtur ex epistola x. secundæ classis, in qua Adalberonem Laudunensem episcopum arguit, quod faverit eis, qui divi augusti Lotharii germanum fratrem, regni legitimum heredem, principatu excluserant. Quid de illo Italico Gerberti itinere consecutum sit, minime exploratum. Meminit quoque idem Gerbertus Remensis illius direptionis in epistola, Adalberoni episcopo Virdunensi scripta, cui, uti *omnium consiliorum suorum participi ac conscio*, non multa verba facit. *Scitis enim*, inquit, *post patris mei beati Adalberonis ad Dominum discessum, cur tanto tempore Remis commoratus sum, quo ante perditionem urbis abire contenderim.* Scilicet in Italiam, ut in præmissa epistola legimus. In his omnibus litteris, ubi de Adalberone archiepiscopo mortuo agit, eum *beatum* vocat. Certe in veteri necrologio ecclesiæ Remensis, quod Odalricus præpositus sæculo insequenti describi curavit, x. kal. Februarii *domnus Adalbero archiepiscopus bonæ memoriæ* laudatur. Pergit Gerbertus in prædicta epistola ad Adalberonem Virdunensem episcopum, archiepiscopi ex fratre nepotem: *Quomodo non diligam diligentes me? Sentio quippe vos condelectari, quod sceleratorum hominum conciliabula effugerim: quod communioni ecclesiasticæ restitutus sim.* An forte communione privatus fuerat ab Arnulfo, quod ejus electioni adversaretur? Tum subdit: *Agite ergo causam amici solito more, id est ut Lælius ab Elvetiis vel Suevis redeat, Aquilæ dilecto diligendus conquiratur par, ut operum nostrorum sit finis consummata caritas.* Erant hæc adscititia nomina duorum Gerberti discipulorum, quorum alterum ita commendat in epistola XXIII. secundæ classis ad Garinbertum abbatem: *Procurate itaque & vos filium meum Aquilam, donec per fidissimos mihi remittatis amicos.* Erat Garinbertus abbas antiquus Gerberti amicus, non procul ab urbe Remorum, a cujus vicinia exercitum

removeri se procuraturum dicit persuasione vel gratia augustorum, *donec in urbe recondatis*, inquit, *si quid residui habetis in agris*. an forte Warembertus abbas, qui electioni Odilonis abbatis Cluniacensis subscripsit?

ANN. CHR. 989.

XV. Arnulfi archiepiscopi donatio S. Remigio facta.

Ubi primum ad sedem Remensem promotus est Arnulfus, suam in beatum Remigium pietatem donatione burgi monasterio adjuncti testatam fecit. Ejus hac de re litteras ex tabulario Remigiano huc referre opere pretium fuerit.

In nomine Patris & filii, & Spiritus sancti, sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Arnulfus, Dei gratia Remorum archipræsul, notum volo fieri omnibus, quoniam ego non immemor liberalitatis & munificentiæ parentum meorum, quam erga patrem & patronum nostrum sanctum Remigium fideliter habuerunt, Lotharii scilicet genitoris mei, necnon & avi Ludovici inclitorum regum, atque aviæ meæ gloriosæ reginæ Gerbergæ, volo res & potestatem prædicti Sancti augere pro mea & parentum meorum salute: quatinus ipse intercedat pro nobis ad Dominum, & mereamur gaudere in regno viventium. Itaque suburbium, quod burgum vocant, quod etiam ejus castello subest, necnon & omnia ejus adjacentia, hoc est molendinos & hortos, camposque & domos, in jus potestatis ejus concedo: ita ut ab hodierna die & deinceps in potestatem alienam non transeant. In his ergo nullus potestatis vim exerceat, sed, eorum omnimodis immunitate servata, sancti Remigii ejusque monachorum potestati omnia subjaceant, hoc est taberna, furni, mercatum, bannum, macellum, & postremo quæcumque ad burgum pertinere videbuntur, necnon & omnes justitiæ ad me pertinentes, prædictæ potestati subdantur. Quod si quis dissipaverit hoc nostræ roborationis censura constitutum, omnipotentis Dei auctoritate & nostra perpetuæ damnationis incurrat maledictum. Et ut fixum & roboratum hoc permaneat, ego ipse propria manu firmavi, & autenticarum personarum annotatione, & sigilli nostri impressione roboravi. Signum Arnulfi Remorum archiepiscopi, qui hoc donationis scriptum fieri jussit. Signum Arnulfi Aurelianensis episcopi, vicedomini domini Lotharii regis, qui hoc donum laudavit & confirmavit. Sig. Guidonis Suessionensis episcopi. Sign. Adalberonis Laudunensis episcopi. Sign. Herivei Belvacensis episcopi. Sign. Gotesmanni Ambianensis episcopi. Sign. Ratbodi Noviomensis episcopi. Sign. Odonis Silvanectensis episcopi. Sign. Adalgeri decani. Signum Rotfridi archidiaconi. Sign. Brocardi comitis. Actum Remis in palatio, anno Verbi incarnati DCCCC LXXXIX. *indictione secunda, anno tertio ordinationis domni Arnulfi archiepiscopi.* haud dubie secundum calculum ecclesiæ Remensis, quæ annum a Maio inchoabat.

Burgum sancti Remigii, quod muris urbis jam pridem inclusum est, etiam nunc portis sejungitur a castello, in quo situm est sancti Remigii monasterium, cujus juris est hactenus prædictum burgum, sancti Remigii appellatum. In hoc instrumento Arnulfus ordinationis suæ tempus repetit à morte Adalberonis, uti & in alio, quo litem quamdam componit cum Hecelino comite de Grandi-prato de villa Menræ potestatis sanctæ Mariæ Remensis, quam villam Hecelinus ad advocationem tenebat a duce Godefrido, qui eam ab ecclesia Remensi in beneficium acceperat. *Actum Remis in palatio episcopali, anno incarnationis dominicæ* M. VIII. *regnante Rotberto rege, anno* XXI. *archiepiscopatus autem domini Arnulfi* XXIII.

XVI. Susanna comitissa Elnonem fecedit.

Arnulfus, ejus nominis secundus Flandriæ comes, III. kalendas Aprilis hoc anno decessit, sepultus in Blandiniensi monasterio, cui multa beneficia contulerat; Flandriæ comitatum obtinuit Balduinus, cognomento Pulcro-barbus, ejus filius ex Susanna conjuge, filia Berengarii tertii Italiæ regis. Tunc Elnonense sancti Amandi monasterium regebat Wericus abbas, cujus tempore, inquit anonymus Elnonensium abbatum historiæ breviator, *Susanna regina* (sic Arnulfi comitis uxorem vocat) Elnonem secessit, ubi *manens ante monasterium, Mauritaniam cum appendiciis suis tenuit, sicque de jure sancti Amandi in manum comitis Flandriæ transiit* hæc villa, quæ haud longe ab opido sancti Amandi posita est. Locus ille, ubi Susanna *ante monasterium* manebat, *aula regum Franciæ* dicitur in quadam charta Gualteri abbatis, anno M C XXII. data, in qua testatur, Bovonem seniorem, ejus loci abbatem, pro quadam necessitate, contra voluntatem monachorum, distraxisse *coronam auream super Crucifixum pendentem, & tabulam argenteam sancti Cyrici cum anaglypho opere ciborii, quo reposita erant reliquiæ pretiosi martyris cum aliis pignoribus, quæ omnia domnus Wericus abbas ad decorem domus Domini fabricare fecit expensis* SUSANNÆ REGINÆ, *quæ propter nimiam, quam habebat*

bebat erga ecclesiam nostram, inquit ille, *devotionem post obitum mariti sui, Arnulfi videlicet marchionis Flandriæ,* IN AULA REGUM FRANCIÆ *ante monasterium mansit, multaque beneficia cum variis ornamentis ecclesiæ nostræ contulit.* Susannam alii alio nomine Rosaliam vocant: cujus corpus post obitum Gandavum delatum, ad tumulum Arnulfi mariti positum est.

ANN. CHR. 989.

Lauduni in suburbano sancti Vincentii monasterio, quæ secunda sedes ejus urbis episcoporum censetur, Bellandus abbas, pastorali munere rite perfunctus, decessit, postquam societatem suffragiorum cum Guarino abbate & monachis Dionysianis contraxisset: quod factum legitur VI. idus Novembris, anno secundo Hugonis regis. Bellandum excepit Lampertus seu Lambertus abbas, in quem Adalbero seu Ascelinus episcopus optime affectus fuit. Illud indicio est, quod ipsum Lampertum ad Maingaudum Corbeiæ abbatem duxit, prout Adalbero ipse in quadam charta testatur, ut scrusam, quam vocant, seu cataractam molendini Chevrigniaci, quam ante annos quadraginta Ratoldus abbas, Maingaudi decessor, sancto Vincentio donaverat, eidem confirmaret. De Lamperti successoribus, Seigero & Rogero, nihil compertum. De Herveo inferius.

XVII. S. Vincentii Laudunensis abbates.

Illustris fuit in primis Fossatensis sancti Mauri monasterii reformatio, quæ non serius hoc anno facta est, uti colligimus ex diplomate Hugonis regis, de quo inferius agendum. Hæc reformatio auctorem habuit maxime Burchardum comitem Corboilensem. Is illustri loco natus, utpote Fulconis-Boni Andecavensis comitis ex Gerberga filius, in domo Hugonis, tunc Parisiorum comitis, innutritus, eidem postmodum regi acceptissimus, & præ ceteris proceribus carus fuit. Vix adultus erat, cum Elisabetham uxorem Haimoinis Corboilensis comitis, qui ad Apostolorum limina profectus in itinere obierat, in matrimonium duxit, defunctique honoribus, id est Corboilensi & Miledunensi comitatu, ab Hugone rege donatus est, accepta etiam regalis castri Parisiaci custodia. Quin etiam seneschalli-Franciæ summam dignitatem, quam Lotharius in gratiam Godefridi Grisagonellæ ejus fratris creaverat, Hugo illi commisit. In tanto honorum fastigio pietatis opera nequaquam intermisit, immo ea potestate usus est ad bonum promovendum. Insigne præ ceteris ejus pietatis monumentum est restitutio disciplinæ in Fossatensi monasterio prope Parisios, in quo regularis norma longe a pristina severitate desciverat. Magenardus abbas tunc temporis illi monasterio præerat, Anstaldi nobilis ac prædivitis civis Parisiensis filius, qui, prætermissa religionis cura, studium omne venationi & sæcularibus oblectamentis impendebat. Cum illi e claustro exire contingeret, monasticis vestibus abjectis, pellibus pretiosis indutus incedebat, & pro humili capitio *calamantum* seu *camelaucium*, quod pilei sæcularis genus erat, instar galeæ totum tegens caput, gestare consueverat. Verum, ut nulla est adeo corrupta societas, in qua Deus aliquem electum a generali corruptela immunem non servet; erat apud Fossatenses pius quidam monachus, Adicus nomine, qui de miserabili ejus loci statu ingemiscens, secum reputare cœpit, quo pacto prolapsæ religioni posset succurrere. Hæc meditanti obversata est e vicino pietas Burchardi comitis, ejusque auctoritas apud regem, a quo monasterium Fossatense, utpote regale, pendebat. Nec mora illum adit, abbate & monachis ejus facti minime consciis; rogatque obnixe, ut pro sua singulari pietate profligatam disciplinam illic restituere studeat. Roganti facile annuit comes, petitque a rege, ut sibi hæc regalis abbatia, saltem ad tempus, emendanda committeretur. Ubi id obtinuit, statim profectus est ad Mayolum Cluniacensem abbatem, per quem pleraque tunc monasteria pristinam regularis vitæ formam postliminio receperant. Ubi comitis preces audivit sanctissimus abbas, rogantis, ut grassanti morbo remedium adhiberet; modeste respondit, quærendum potius a vicinioribus auxilium, qui facilius remedium præstarent. Sed tandem repetitis precibus victus acquievit, & comitem cum nonnullis e suis monachis secutus est. Adventanti occurrere jussi Fossatenses a comite, qui præcesserat, sollemni ac festivo modo obviam iere, conceptorum consiliorum ignari. Ubi Mayolus monasterium ingressus est, jubet comes monachos adesse, renuntiatque Mayolum ad reformandum locum accessisse; singulis optionem datam illic manendi, si suis Mayolique consiliis suffragari velint; aut discedendi, si nolint. Tam inopinato nuntio perculsi torpentium monachorum animi, ut erant a rerum divinarum exercitatione abhorrentes, discessum potius eligunt, quam

XVIII. Fossatensis monasterii reformatio per S. Mayolum.

emendationem. Magenardus abbas Glannafolium missus, eique illius loci, qui Fossatensibus tunc suberat, præfectura commissa, ubi vitæ reliquum tempus exegit. Rebus in monasterio Fossatensi ordinatis, Mayolus ab Hugone rege copiosiorem monachis commeatum petiit, obtinuitque, scilicet villam, quæ Mansiones * vocatur, cum suis ecclesiis & appendicibus, sitam in pago Parisiaco inter Sequanam & Matronam. Hujus rei præceptum datum est ab Hugone rege *ad deprecationem venerabilis abbatis monasterii Fossatensis, nomine Mayoli, & monachorum ejusdem congregationis*, a nobis alias [a] editum ex authentico, quod hactenus in ecclesia Fossatensi, modo collegiali, asservatur. *Data* XII. *kalend. Julii, indict.* II. *anno* II. *regnante Hugone rege. Acta publice Parisius urbe.* id est anno DCCCC LXXXIX. quod anonymus monachus Fossatensis in vita Burchardi comitis, aliique post eum ad annum præcedentem perperam retulerunt. Subscribit diplomati solus rex Hugo, tametsi in contexta Rotbertum filium regni consortem nominat; & post eum Ragenaldus cancellarius, filius Burchardi comitis, postmodum episcopus Parisiensis, scilicet Hugonis regis [a] anno quinto, aliis Rainaldus appellatus. Ipso anno factæ reformationis sarcophagus sancti Baboleni, primi ejus loci abbatis, in oratorio beatæ Mariæ Virginis super geminas [b] duorum altitudine cubitorum columnas retro altare positus est, gypsoque decenter adopertus. Id factum VII. idus Decembris. Tunc in pariete, qui ad caput ejus tumuli positus erat, lapis inventus est nomen sancti impressum habens cum die transitus ejus, qui est VI. kal. Julii. Post hanc translationem, ad indicium sanctitatis viri Dei, oleum ex ejus tumulo per multos annos manavisse dicitur.

* *Maisons.*

a *Diplom. p.* 576.

a *Hist. Paris. to.* 1. *p.* 606.

b *Labbe to.* 1. *Bibl. p.* 656.

XIX. Teuto illic abbas post Mayolum.

Discessurus e Fossatensi monasterio Mayolus, vice sui proabbatem illic instituit Teutonem religiosum monachum, quem Cluniaco secum adduxerat. Qui Burchardi comitis acta scripsit Fossatensis monachus ait, Hugone rege mortuo, cum Mayolus » Fossatum reverti cunctaretur, Rotbertum regem Hugonis filium, consilio & hortatu » Burchardi comitis, eidem Teutoni abbatialem dignitatem contulisse. quod cum ad » aures Cluniacensium perveniisset, valde tristes factos fuisse, *quia cupiebant sibi ipsum locum in cellam redigere.* At Hugonem Mayolo ad septem annos supervixisse constat: nec tum apud Cluniacenses vigebat mos ille, qui postea obtinuit, ut abbatiæ in cellas redigerentur: sed coabbates seu proabbates instituebantur sub Cluniacensi abbate, præterquam in minoribus monasteriis, quæ tunc cellæ, obedientiæ, nonnumquam abbatiæ appellabantur, nunc vero prioratus. In majoribus vero plerisque monasteriis, quæ a Cluniacensibus emendabantur; mortuo abbate, qui illius reformationis auctor fuerat, redibat potestas electionis ad illorum locorum monachos, qui deinceps Cluniacensi abbati subjecti non erant. In quibusdam tamen monasteriis hoc pactum erat, ut, quam diu vigeret observatio regularis disciplinæ apud Cluniacenses, teneret hæc subjectio, quæ, soluta disciplina, solvenda erat.

XX. *S.* Germani Autisiodorensis reformatio.

Prioris generis erat Autisiodorense sancti Germani monasterium, quod Mayolus abbas eodem tempore ad meliorem frugem revocavit, agente Heinrico Burgundiæ duce, Hugonis regis fratre, qui sacrum illum locum Mayolo abbati commisit, a præpositis jam dudum ante regi solitum absque abbate regulari. Restituta illic disciplina, Mayolus eidem loco præfecit virum honorabilem Heldricum abbatem, qui regularem districtionem ibidem servare sollicite studuit, Heinrico duci & Heriberto episcopo ejus fratri acceptissimus. Hæc ex actis [c] episcoporum Autisiodorensium: quibus congruunt ea, quæ in historia [d] abbatum sancti Germani fusius referuntur: ubi Heldrici abbatis institutio hoc anno facta dicitur. Ob ejus amorem Heribertus episcopus complures eidem monasterio ecclesias contulit; quasdam etiam Sewinus archiepiscopus Senonensis, qui cum gravem simultatem pro quibusdam molendinis habuerat, super Ermantionem fluvium constructis. quæ simultas eo usque devenerat, *ut partes confligentes pactis sacramentis duellum* facere pararent, nisi *mediantibus bonis viris* concordia eo pacto facta fuisset, ut molendina illa inter utramque ecclesiam communia deinceps forent. Cum vero Heldricus abbas *propter suam sanctitatem & religionis fervorem* multis nobilibus carus esset, non minori eum honore prosequebatur Gersendis, Heinrici ducis piissima conjux, quæ concessu ejus monasterium sancti Leodegarii de Campellis, diœcesis Lingonensis, situm in pago Attoariorum, a Theodrada Caroli Magni filia olim instauratum, eidem abbati concessit, quod postmodum dux ipse monasterio sancti Germani in perpetuum subjecit. Quin etiam quasdam consuetudines ab suis marescallis impositas in villis monasterio subjectis,

Heldricus abbas.

c *Labbe to.* 1. *p.* 447.

d *ibid. p.* 571.

ANN. CHR. 989.

Landrico comite laudante, remisit. Is mihi videtur esse Heldricus abbas, a Syro laudatus in libro secundo de vita sancti Mayoli abbatis, *in laicali potentia præcipuus, quondam in Italia inter ceteros palatinos honorabilis*, qui *uxori cum magna rerum copia abrenuntians, deposito cingulo Cluniacum se conferens, beati Benedicti se subdidit proposito.* De aliis ejus abbatis gestis inferius agemus.

XXI. Fulconis comitis donatio facta Majorimonasterio.

Dum Majori-monasterio præesset Guillebertus abbas superius [e] laudatus, Fulco Andecavensium comes, cognomento Niger, donat *sancto Martino Majoris-monasterii, & monachis ejusdem loci, quibus præesse videtur domnus ac venerabilis abbas Guillebertus, tam pro deprecatione domni Tedbaudi monachi cognati* sui, *quam pro remedio genitoris* sui *Gausfridi, ac genitricis* suæ *Adelæ*, necnon animæ suæ atque Helisabeth uxoris propinquorumque suorum, *ut Deus omnipotens per intercessionem piissimi confessoris Martini nobis*, inquit, *filios tribuat, qui post nos hereditari possint*; donat, inquam, omnes pisces juris sui *ex piscaria Basci*, sita in pago Andecavensi, exceptis luciis: eo pacto, ut quotidie ipsi monachi psalmum unum cantent, & unaquaque hebdomada unam missam pro Fulcone & uxore ejus, ceterisque mox laudatis. *Data in mense Octobris in civitate Andegava publice, anno tertio regnante Hugone rege.* Guillebertо abbati post breve tempus successit Bernerius, qui jam abbas erat Hugonis regis anno octavo: quo anno Archembaldus archiepiscopus ejus loci monachis quædam altaria concessit.

e *lib.* 49. *n.* 99.

XXII. Tutelensium concordia cum Auriliacensibus.

Tunc temporis Tutelensem sancti Martini abbatiam administrabat Bernardus abbas, antea monachus Auriliacensis cœnobii, qui litem quamdam habebat cum Tutelensi. Litis hæc materia [a] erat, quod Johannes, quondam Auriliaci abbas, beati Geraldi propinquus, qui olim utrumque monasterium rexerat, Tutelensi *quasdam possessiones sui juris, quæ sibi a parentibus contigerant*, contulerat, *scilicet presbyterale ministerium ecclesiæ sancti Amantii de Faurcio*, & tres *mansos in eadem curte, & freda regalia, quæ Johannes habebat annuatim de manu regis Francorum in Tutelensi castro*, & alia quædam, hac quidem conditione, ut unoquoque anno in « festivitate beati Geraldi tres libras piperis aut pigmenti Tutelenses fratres Auri- « liacensibus persolverent. Johanne vivente, debito minime defuerunt Tutelenses: « at post ejus mortem orta est sæpissime lis, quæ tandem hoc modo composita est. Sci- « licet Raimundus Auriliaci abbas hoc Tutelensibus fratribus grave esse cognoscens, « rogatu illorum atque humili prece Bernardo abbati fratri suo & filio, suæ congre- « gationis monacho, ejusque successoribus, hunc annualem censum cum consilio fra- « trum suorum remisit. Hæc compositio caret chronicis notis: sed tempus colligimus « ex præfectura Raimundi abbatis Auriliacensis, qui non diu post hoc tempus superstes fuit.

a *Baluz. ad Lup p.* 635.

XXIII. Trenorchienses abbates.

Vix hunc annum excessit Odo Trenorchiensis abbas, Stephani successor, qui hoc ipsomet anno ab Hugone rege confirmationem sui monasterii possessionum obtinuit [b] XI. kalendas Junii, anno Hugonis regis secundo. Idem Doadem * villam pagi Andecavensis, quæ Trenorchiensium juris erat, Gaufrido Andecavorum comiti tradidit eo pacto, ut quasdam villas Trenorchiensibus injuste ablatas restitui curaret, & post suum obitum ad priores dominos hæc villa reverteretur. Odoni Wago ex-cancellario monasterii suffectus [c] ad annos viginti: cujus anno octavodecimo totum monasterium fortuito incendio conflagravit, restitutum a Bernerio Wagonis successore, cujus vicennalis itidem administratio fuisse dicitur.

b *Tournus p.* 289.

* *Doë.*

c *ibid. p.* 529.

XXIV. Episcopi Hildensheimenses & Wirziburgenses.

In chronico Saxonico legitur, Osdagum ex-monacho Augiensi episcopum Hildensheimensem, & Hugonem Wirziburgensem hoc anno obiisse. Hic sepultus est in suburbano sancti Andreæ monasterio ab se instaurato, sancti Burchardi corpore & nomine insignito, quod a ducentis amplius annis ad sæculares canonicos translatum est. Hugoni subrogatus Bernwardus Hirsaugiensis monachus, prænobilis Richardi comitis Rottenburgensis frater, qui a Lupoldo Hirsaugiensi abbate ad novum sancti Andreæ monasterium, ab Hugone episcopo recens instauratum, cum Arnoldo monacho, futuro ejus loci scholarum magistro, missus, cum religiosissime ibidem ac piissime vixisset, unanimi tandem cleri ac populi consensu ad episcopatum Wirziburgensem in locum demortui Hugonis suffectus est. Bruschius ait, Bernwardum ex academia Parisiensi venisse ad Hirsaugiense monasterium. quod non dicit Trithemius, ex quo superiora retulimus, nempe ex fusiori chronico Hirsaugiensi. ubi his temporibus claruisse dicitur Theodericus monachus Floriacensis, vir

ANN. CHR. 989.

cum in divinis, tum in sæcularibus litteris egregie doctus, qui inter cetera ingenii sui opuscula duos scripserit libellos de consuetudinibus & statutis monasterii Floriacensis ad prænominatum Bernwardum episcopum, cujus operis hoc sit exordium, *Domino sancto ac patri in Christo allectissimo*, episcoporum insigni, Bernwardo, frater Theodericus Floriacensis asyli cœnobita perexiguus.* An forte Bernwardus Floriaci scholas frequentaverat? Non exstant hi duo libelli consuetudinum Floriacensium. nam quæ leguntur in Bibliotheca[a] Floriacensi, recentioris sunt auctoris: in quibus centum pauperes in die cœnæ Domini refecti dicuntur, qui post missam hostias non consecratas acceperant; totidemque in vigilia Pentecostes. Qui vitam sancti Burchardi episcopi Wirziburgensis tribus libris scripsit Egilwardus cœnobii sancti Burchardi monachus, non multo post id tempus vixisse creditur, quippe qui de episcopis illius sedis agens, in Hugone mox laudato desinit.

Theodericus & Egilwardus monachi florent.

* *f.* dilectissimo.

a *Bibl. Flor. p. 390. & seqq.*

XXV. Siricus archiepiscopus Cantuariensis.

Post Dunstanum ecclesiæ Cantuariensi præpositus est Athelgarus seu Ethelgarus episcopus Selesigensis: qui cum annum unum cum tribus mensibus sedisset, ex hac luce subtractus est. Huic in primatu Cantuariensi successit *venerandæ*[b] *memoriæ* Siricus seu Siricius Wiltonienſis episcopus, olim abbas suburbani monasterii sancti Petri Cantuariensis, a quo Wilfricus senior ejus loci abbas ordinatus est. Hic est Siricus[c] archiepiscopus, qui cum clericos vidisset paucos inter monachos, extrema quædam officia, quale erat pulsandi, in ecclesia Cantuariensi exercere, eos amoveri curavit, *indignum reputans inter monachos esse consortia clericorum.* quod tamen in nonnullis Galliæ monasteriis, puta Corbeiensi, Centulensi, aliisque, usu receptum erat.

b *Gervas. p. 1648.*

c *ibid.*

XXVI. Alfricus abbas fit episcopus Wiltonienſis.

Sirico Wiltonienſi episcopo ad sedem Cantuariensem promoto suffectus est Alfricus seu Elfricus Abendoniæ abbas: quod nonnulli ante biennium factum putant. Huc spectare mihi videtur epistola, haud dubie Wiltonienſis ecclesiæ, ad Cantuarienses, in ipsius elogio a nobis relata, in qua clerus & populus ejusdem ecclesiæ aiunt se elegisse *sanctæ Abendonienſis ecclesiæ monachum, Elfricum nomine, natalibus & moribus nobilem, apostolica & ecclesiastica disciplina imbutum:* cujus electionem a Cantuariensi metropolita & Clero confirmari postulant. Quid in illius ecclesiæ regimine gestum ab eo sit, tacent veteres. Post mortem Sirici assumtus est ad ecclesiam Cantuariensem: tametsi eum Sirico præponit Willelmus, cui ceteri contradicunt.

XXVII. Florentiæ S. Mariæ monasterium conditur.

Sub idem tempus Willa Etruriæ comitissa, filia Bonifacii marchionis, Alberto Tusciæ itidem marchione marito orbata, Florentiæ beatæ Mariæ monasterium ædificavit, dotavitque liberaliter. Id factum ait Ughellus instinctu Sichelmi tunc episcopi Florentini. Exstant hujusce constructionis ac dotationis litteræ apud eumdem Ughellum[d], Ottonis III. imperatoris anno XI. datæ pridie kal. Junii, indictione VI. id est anno Christi DCCCC XCIII. quo anno monasterium sanctæ Mariæ jam conditum supponitur. In his littteris ait Willa, se monasterium a fundamentis in proprio territorio intra & juxta muros civitatis Florentiæ in honorem beatæ Mariæ „ construxisse, & ad dotem contulisse viginti & unam, tum casas, tum casinas, eidem monasterio: ubi abbatem, monachos, & presbyteros secundum regulam sancti „ Benedicti ordinare statuerit, ea lege, ut omni tempore die nocteque orationes ac „ missarum sollemnia in ecclesia ipsius monasterii canere debeant secundum eamdem „ regulam. De omnibus porro rebus abbatem ac monachos investit *per cultellum, fis- „ tucum nodatum, wantonem & wasonem terræ atque ramum arboris.* Actum Pisis X. kal. Januarii. Hanc vero dotationem non modo confirmavit Hugo Tusciæ marchio, ipsius Willæ filius, sed etiam multis aliis donationibus auxit anno DCCCC XCV. ut ejus litteræ duæ testantur, ab eodem Ughello relatæ. Hæc instrumenta, aliaque permulta, quæ prædictum monasterium spectant, postea invenimus in chronico ejusdem loci, a domno Placido-Puccinelli italice scripto. Primus illius monasterii abbas occurrit Marinus, in chartis ab anno M II. ad annum M XIX. Dein Petrus, eo nomine primus, ab anno M XXX. qui hospitale ad portam monasterii in usus pauperum instituit. quod omnino neglectum & *pæne deletum* restituit Petrus secundus, cujus documenta non pauca exstant usque ad annum M LXXXV. Johannem fortius successorem. Legimus libellum Andreæ notarii Florentini ad Nicolaum abbatem prædicti sanctæ Mariæ monasterii de ejus ædificatione, anno M CCC XLV. compositum, sed fabulis ita scatentem, ut nullam fidem mereatur. In hoc etiam alluci-

d *Ital. sac. to. 3. p. 46.*

ANN. CHR. 989.

natur, quod Hugonem marchionem Magdeburgensem vocat, itidemque Laurentius Cyathus Florentinus, qui de vita Ugonis comitis, ut ipse ait, Magdeburgensis & abbatiæ Florentinæ ædificatoris anno M CCCC XLI. libellum scripsit *ad reverendum patrem dominum Celsum Veronensem, abbatem sanctæ Mariæ Florentiæ.* De Hugone marchione plura[d] inferius.

a *infra lib. 51. n. 62. & 52. num. 26.*

ANN. CHR. 990. XXVIII. Gerbertus Hugoni adhæret.

POstero anno nongentesimo nonagesimo, detecto Arnulfi Remorum episcopi facinore, compertoque, Remorum urbem ab eo subdole in manus Caroli ducis traditam fuisse, nec serio, sed simulate in prædones anathema vibrasse; rex Hugo ad Johannem papam scripsit, eaque de re conquestus est, insuper quod urbem & castra contra se muniret; quod vocatus ad palatium venire contemneret: petitque, ut pontifex pro sua potestate statuat, quid de altero Juda fieri debeat, utque demum formam judicii in Arnulfum faciendi præscribat: ne, si dissimulaverit, urbis totiusque provinciæ excidium ipsis imputetur. Exstat ejusdem argumenti epistola comprovincialium episcoporum ad Johannem papam. Hanc porro Arnulfi proditionem per Gerbertum detectam fuisse veri simillimum est, ut sibi hac arte viam ad capessendum urbis episcopatum pararet, quem sibi ex designatione ab Adalberone facta deberi existimabat. Certe cum primum Arnulfo, uti prius Adalberoni, & Carolo duci adhærere visus esset, postmodum ad Hugonis regis partes transiit. Dubium ac nutabundum se esse significat in epistola XIV. secundæ classis ad Ecbertum archiepiscopum Trevirensem in hæc verba. *Pervenit, beatissime pater, gladius usque ad animam: gladiis hostium undique perstringimur. Hinc fide promissa regibus Francorum urgemur, hinc potestati principis Karoli regnum ad se revocantis addicti, permutare dominos, aut exsules fieri cogimur.* qua in re Ecberti sibi amici consilium petit. At in subsequente epistola XVIII. omnem a se scrupulum remotum esse testatur: ne, si Arnulfo adhærere pergeret, *non socius vitiorum, sed princeps maximorum scelerum* judicaretur. *Ille ego*, inquit, *qui sub imperio beatæ memoriæ patris mei Adalberonis militaveram in schola omnium virtutum, nunc ego regiam incolo aulam, cum sacerdotibus Dei verba conferens: nec ob amorem Karoli vel Arnulfi passus sum diutius fieri organum diaboli pro mendacio contra veritatem declamando.* Hæc ille. Nec dubito quin auctor sit duarum ad Johannem papam epistolarum, quarum effectum prohibuit prævia legatio Herberti Trecensis comitis pro Arnulfo, & pro Carolo principe, qui Agnetem ejus filiam in matrimonium duxerat.

XXIX. S. Mauri monasterium Virdunense.

In veteri chronico Virdunensi Adalbero ejus urbis episcopus, Adalberonis archiepiscopi ex fratre nepos, hoc anno[b] obiisse perhibetur. Heymo ejus successor puellare monasterium sancti Mauri exstruxit in suburbio Virdunensi, ut legitur in diplomate Leonis papæ IX. in quo Heymo locum illum juxta rivulum Scantiæ situm, in honorem sanctorum Johannis Baptistæ & Johannis Evangelistæ consecratum, ubi sanctorum Mauri, Salvini atque Aratoris Virdunensium episcoporum corpora coluntur, *renovasse* dicitur *& instruxisse* propter aquæ commoditates: ut moniales, quas ibi sub monastica regula ordinavit, commoda omnia intra fines loci ipsius habere possent. Idem Heymo proximam sanctæ Crucis ecclesiam canonicis tribuit, ea lege, ut sanctimonialibus servirent, uti nos docet diploma Heinrici imperatoris, datum anno M XI. quo res ejusdem monasterii pro anima bonæ memoriæ Chuonradi imperatoris patris sui confirmat. Prima ejus loci abbatissa fuit Adelberga, cognomento Ava, de qua suo loco. Primitus hoc monasterium sancti Johannis vocabatur, nunc sancti Mauri, qui Virdunensis urbis primus episcopus fuisse dicitur in prædicto diplomate Heinrici imperatoris.

b *Labbe to. 1. Bibl. p. 401.*

XXX. S. Benigni reformatio per Mayolum.

Cum frustra tentata esset a Brunone Lingonum episcopo reformatio Divionensis sancti Benigni monasterii per Adsonem Dervensem abbatem, tæderetque pium antistitem toleratæ diutius eo loci laxioris disciplinæ; ad Mayolum tandem confugit, tamquam peculiarem rei monasticæ per ea tempora instauratorem, a quo finem solutioribus illis monachorum moribus impositum iri sperabat. Nec sane concepta spes eum fefellit. Rogatus a Brunone Mayolus, duodecim illuc vitæ strictioris & ad exemplum compositæ monachos mittit, quibus & doctrina, & sanguinis nobilitas auctoritatem conciliabat. Hi ad locum advenere ipso die translationis sancti Benigni, nimirum VIII. kal. Decembris anni superioris, quo die in superiori choro nocturnale officium celebrarunt; Benigniani vero monachi ante sepulcrum sancti martyris

ANN. CHR. 990.

in crypta idem officium peregerunt. Istis dein hac illac, prout cuique libitum erat, secedentibus, Cluniacenses inibi sancta conversatione resplendere cœperunt; & locus ille, pravis antea incolentium moribus deturpatus, tunc virtutum omnium exercitatione refloruit.

XXXI. Willelmus illic abbas ordinatur.

Verum, Mayolo aliorum locorum gubernatione occupato, cum sancti Benigni cœnobium rectore diu carere non posset, nullus fovendæ ac conservandæ disciplinæ aptior inventus est quam Willelmus, nobilis ille monachus [a] Italus, quem Mayolus ante paucos annos e Luciaco monasterio Cluniacum adduxerat. Jam annus & dimidius erat, ex quo ad informandum cœnobium sancti Saturnini, ad Rhodanum situm, missus fuerat Willelmus, cum inde ad capessendum regimen Benigniani monasterii advocatur. Ubi istuc advenit, ordinatus est hoc anno abbas a Brunone episcopo, qui paternam illi sollicitudinem & humanitatem semper exhibuit. Ille vero cunctis seipsum præbebat bene vivendi exemplum; & sicut ordine, sic opere primus esse studebat; mitis pro tempore, & fortis erga suos, in peregrinos & egenos benignissimus: ceterum vir tantæ districtionis, ut *Supra-regulam* [b] cognomentum subinde obtinuerit. Rebus ita ordinatis, multi e diversis provinciis, abdicato sæculo, istuc confluxere: qui, licet natione diversi, uno tamen animo conjuncti erant. Crescente vero religionis studio, temporalis substantiæ supplementum, quod tepefacto ordine defecerat, non modice abundare cœpit, maxime ex beneficentia Brunonis episcopi, qui ecclesias & villas monasterio ablatas aut ipse restituit, aut per alios restitui curavit.

a *V. lib.* 49. n. 101.

b *Labbe to.* 1. p. 183. *&c.*

XXXII. Monasteria ab eo reformata in Burgundia.

Cum fama Willelmi religionis ad aures Heinrici Burgundiæ ducis perveniisset, sancti Viventii abbatiam apud Verziacum sitam, quæ tunc pæne ad nihilum redacta erat, ei commisit, quam brevi in pristinum statum restituit. Idem ab eo præstitum in monasteriis Besuensi sancti Petri, Reomaënsi sancti Johannis, Tornodorensi sancti Michaëlis, & Melundensi, ubi sanctus Valerius archidiaconus & martyr quiescebat: quibus in locis singulos abbates instituit. Quin etiam ab Adalberone Mettensi episcopo evocatus dicitur ad emendandum sancti Arnulfi monasterium: qua de re tamen nulla mentio est in actis ipsius Adalberonis, scriptis a quodam Mettensi abbate ejus æquali. Verum ejus rei testis est Glaber Rodulfus in ipsius Willelmi vita. In brevi chronico [c] sancti Benigni notatur hoc anno *ordinatio domni & eximii patris Willelmi Divionensis cœnobii per manus memorandi Brunonis Lingonicæ urbis episcopi*; eodemque anno *obitus pii patris domni Roberti abbatis* III. *kalend. Augusti*. Sed quis sit iste Robertus abbas, incertum. nam Robertus abbas tum Vizeliacensis pervenit ad pontificatum Silvestri secundi.

c *Labbe t.* 1. *p.* 294.

XXXIII. Fiscamni ecclesia consecratur.

Plura alia extra Burgundiam monasteria procuravit Willelmus, ex quibus haud ignobile fuit Fiscamnense, cujus loci basilica hoc anno XVII. kalend. Julii sollemni ritu consecrata fuit. Hoc monasterium, quod in Caletis ad oram oceani sæculo septimo pro virginibus sacris sub Hildemarca abbatissa conditum a Waningo duce olim diximus, Danorum tempestate penitus eversum, Richardus Nortmannorum dux instaurare aggressus est. Absolutis basilicæ ædificiis, vasis aureis & argenteis, variisque ornamentis [d] eam ditavit, necnon cortinarum sericarum, linearum ac lanearum triplici ordine adornavit. Tum, convocatis totius provinciæ principibus & episcopis, cum ex illa provincia, tum ex aliis, numero quatuordecim, novam ecclesiam in honorem sanctissimæ Trinitatis dedicari curavit, contulitque in dotem varias possessiones, ac duodecim ecclesias, quas, concedente atque laudante Rotberto Rotomagensi archiepiscopo, ab omni episcopali consuetudine immunes ac liberas esse sancivit, præsentibus illius provinciæ episcopis, Radulfo Bajocensi, Hugone Constantiensi, Geraldo Ebroicensi, Rogerio Lisoiensi seu Lexoviensi, Norgoto Abrincatensi, qui huic dedicationi interfuerunt. Ejus rei litteris appositæ sunt signa ipsius Richardi, necnon Willelmi & Godefredi comitum, Radulfi fratris ipsius Richardi comitis; tum Radulfi abbatis incerti loci, Hildeberti abbatis sancti Audoëni, Torstingi & aliorum. Ceterum hic locus primo clericis assignatus a Richardo est: sed cum eorum vivendi ratio minime ipsi placeret, monachis illum destinavit. quod morte præventus exsequi cum non potuisset, filius ejus Richardus exsecutus est, ejusque monasterii, subjectarumque eidem ecclesiarum immunitatem confirmari curavit.

d *Pommeraye, Conc. p.* 60.

XXXIV. Locus est in Turonico pago, inter Cæsarodunum Turonum & Salmurum, haud

ANN. CHR. 990. Burgulienſe monaſterium fundatur.

procul a Ligeri ad Cambionem * fluviolum positus, Burgolius seu Burgulius dictus: ubi Emma Pictavorum comitissa, uxor Guillemi Aquitaniæ ducis, filia vero Theobaldi comitis Blesensis, & Odonis itidem comitis soror, monasterium in honorem sanctæ Trinitatis sub invocatione sancti Petri exstruxit, eique ad subsidium monachorum contulit dotalia bona, quæ a Guillelmo comite anno superiore acceperat. Legimus primarias ejus litteras, in quibus Hemma testatur, se quoddam monasterium in sua curte Borgolio construxisse in honore sanctæ Trinitatis atque immensæ ejus majestatis, necnon beati Petri apostolorum principis, omniumque Sanctorum Dei sub norma sancti Benedicti: ut *boni monachi Dei famuli, valdeque religiosi*, pro statu sanctæ matris ecclesiæ Regi regum feliciter inibi queant militare. In fine obtestatur Johannem papam, ut hoc privilegium, cujus exemplar Romam misit, suo nomine, suaque auctoritate corroboret, & violatoribus anathema decernat. quod in fine præstat pontifex. Actum anno ab incarnatione Domini DCCCC XC. indictione tertia, quæ omnia Hugo & Rotbertus reges, Guillelmus & Odo comites postea confirmarunt. Primus Burgulienſe monasterium rexit Gauzbertus sive Gausbertus abbas Turonici sancti Juliani monasterii post Ebrardum seu Evrardum, de quo in superioribus dictum est; idemque rector Majoris-monasterii, sancti Petri Cenomannensis & sancti Petri Malliacensis. Eumdem locum sub finem undecimi sæculi regere cœpit Baldricus abbas, postmodum Dolensis archiepiscopus, qui hunc locum suis versibus celebravit in hunc modum.

* *Changeon.*

XXXV. Gauzbertus ejus loci abbas.

Burgulius locus est, & Cambio dicitur amnis,
Flumine perpetuo qui vitreus irrigat hortos:
Hocque loco locus est a turbis pæne remotus,
Qui tutat fratres a sollicitudine mundi,
Et fovet in gremio diuturnæ pacis alumnos.
Prata virent juxta, quibus est contermina silva.

De Gausberto abbate chronographus sancti Juliani scribit, quod omnem suam operam foris, id est externis monasteriis, adhibuerit, at sancti Juliani monasterio parum profuerit, immo libros, ornamenta, aliamque supellectilem ejus loci eis contulerit. Ecclesiarum tamen confirmationem sancto Juliano ab Archembaldo archiepiscopo, & a Silvestro papa secundo privilegium obtinuit.

XXXVI. Malliacense eidem committitur.

Eodem fere tempore, iisdemque auctoribus constructum fuit apud Pictones Malliacense monasterium, Vetus dictum, in loco, qui apro indice a Willelmo comite, cui ob firmitatem brachiorum Fera-brachia cognomen indictum legimus, in silva Malliacensi inter vepres & viburna signatus est: ubi inter rudera veteris ecclesiæ terna restabant altaria in crypta subterranea, ad quam aper insequentibus canibus confugit. Locum ab eo petit, impetratque Emma conjux condendo monasterio, cujus perfectio hac occasione retardata. Forte Emma a marito divortium fecerat ob stuprum filiæ vicecomitis Toarcensis, a comite illatum, quod comitissa nece illius amasiæ ex equo præcipitatæ cum ulta fuisset, inde ad castrum Caïnonem, quod suæ ditionis erat, se recepit. sic inchoati monasterii intermissum opus. Hæc vero postmodum, agentibus amicis, marito reconciliata, sumtus ad perficiendum opus ab eo facile impetravit. Dispositis ædificiis, Gauzbertum seu Gausbertum sancti Juliani Turonensis abbatem, cujus paullo ante meminimus, consanguinitate sibi conjunctum, ad informandum monasterium advocat. Mox ille adest cum tredecim fratribus, quorum unus præpositus erat. Invitatus eo advenit cum quibusdam suffraganeis Gumbaldus Burdegalensis archiepiscopus, novamque basilicam consecravit. Hæc fuse commemorat Petrus monachus in priori [a] libro de antiquitate & commutatione Malliacensis monasterii, ubi ait, Burgulienſe monasterium post Malliacense conditum fuisse.

a *Labbe to.* 1. *p.* 222. *& seq.*

XXXVII. Willelmus dux Aquitaniæ fit monachus.

Non multo post Willelmus comes senio confectus sæculo, ac dignitati nuntio remisso, in Pictavensi sancti Cypriani monasterio sacræ religionis habitum induit, ac Malliacense monasterium, ejectis Turonensibus monachis, ob invidiam uxoris, a qua denuo discesserat, sancto Cypriano subjecit. Postea vero hunc locum iratus deseruit, & ad beati Maxentii cœnobium se recepit, ubi reliquos vitæ dies exe-

ANN. CHR. 990.

git, uxori ante obitum reconciliatus. Willelmus porro ejus filius, eo nomine quintus, ſuaſu matris, monachos Turonenſes revocavit ad Malliacenſe monaſterium, cui beneficia non pauca contulit. Vir fuit maxime pius, monachorum in primis fautor & amator, cui mos erat quotannis ad limina Apoſtolorum Romam peregrinari, aut certe ad ſanctum Jacobum in Gallicia; Rotberto regi Francorum & Adelfonſo Hiſpaniarum acceptiſſimus, necnon Heinrico imperatori, cui ingentem ex auro puriſſimo enſem direxiſſe dicitur. Hæc ex Ademaro [a] monacho, qui cœnobiorum Malliacenſis & Burgulienſis conſtructionem ei tribuit: *in quibus cœnobiis regulares monachos adunavit plures, qui die noctuque laudes Deo perſolverent, eiſque ordinavit ferventiſſimum in ſancto propoſito, & diſciplinæ cæleſtis fortiſſimam columnam abbatem Theodelinum, qui ex Judæis converſus fuerat.* Hic Malliacenſi novo cœnobio, ut poſtea videbimus, præpoſitus fuit a Willelmo ejus conditore, qui Veteris tantum benefactor, non auctor exſtitit, uti nec Burgulienſis. Denique *amplectebatur maximo affectu honoris regulares monachos & abbates, & eorum conſiliis nitebatur in adminiſtratione regni.* ubi *regulares* vocat Ademarus ſtrictioris vitæ monachos & abbates, ad diſcrimen aliorum, qui ſolutioris vitæ erant. Idem Willelmus in fine vitæ monachus factus eſt.

a *ibid. p. 172. & ſeq.*

XXXVIII. Willelmus item Provinciæ dux.

Hunc præceſſit Willelmus Provinciæ ac Toloſæ dux, qui a ſancto Mayolo beati Benedicti habitum ſuſcipere meruit. Forte id contigit in extremo illo morbo, quem Syrus in libro tertio de Mayoli vita commemorat. Hunc Willelmum Cluniaci ſepultum fuiſſe non ſatis aperte declarat charta Leodegarii Cluniacenſis monachi, in qua hic dicitur cellam & eccleſiam in honorem ſancti Marcellini papæ & martyris atque ſancti Saturnini, quam Regimbaldus Arelatenſis archiepiſcopus dedicaverit, exſtruxiſſe in villa Sarrianis, quam *Willelmus quondam dux Provinciæ, pater patriæ, ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli monaſterio Clunienſi, & loco in quo ſe ſepeliri rogavit, & beato Mayolo adhuc in carne viventi, & vivens delegavit, & moriens donando attribuit.* quod argumento eſt, eum in extremis monaſticum habitum ſuſcepiſſe pro more illorum temporum. In vivis tamen adhuc erat poſt annos quinque, cum Willelmus Divionenſis abbas, ejus affinis, e Romano itinere reverſus eſt.

XXXIX. Ecoliſmenſis eccleſia monachorum.

b *Labbe to. 1. p. 325.*

c *id. to. 2. p. 253.*

Hoc anno deceſſit [b] Hugo Ecoliſmenſis epiſcopus, & quidem *in monaſtico habitu*, ut legitur in hiſtoria [c] pontificum & comitum ejus urbis, ſepultus in eccleſia ſancti Eparchii, ubi corpus ejus ſine virga & anulo in ſepulcro ipſius inventum eſt, cum vetus eccleſia dirueretur. Hugonis tempore ex alienatione bonorum cathedralis eccleſia ad tantam deſolationem redacta fuit, ut pauci in ea monachi vix ſuſtentari poſſent. Cum hæc ſcriberet auctor ille anonymus, cymbalum in clauſtro eccleſiæ & aliæ monaſticæ conſuetudines in illa eccleſia adhuc ſervabantur. Hugonis locum ſupplevit Grimoardus, qui a Guidone Lemovicenſi vicecomite captus, & in turre Lemovicina detentus fuit pro monaſterio Brantoſmenſi, quod vicecomes ab eo extorquere volebat. Poſtea ſub certa conditione relaxatus, Romam adiit, cauſam dicturus apud Silveſtrum pontificem, a quo Guido præſens ſententia damnationis multatus, eidemque Grimoardo traditus eſt. Hujus Guidonis duo fratres erant, Hildegarius & Aldoinus ſeu Eldoinus, unus poſt alterum epiſcopus Lemovicenſis. Hildegarius, ſumtis pretioſioribus monaſterii ſancti Martialis ornamentis, in Franciam abiiſſe dicitur, & poſt mortem apud ſanctum Dionyſium ſepultus fuiſſe.

Brantoſmi ſtatus.

XL. Angeriaci abbates.

* *d'Auny.*

d *Baſly Comtes p. 1279.*

Eodem fere tempore, id eſt anno Hugonis regis quarto, Willelmus dux Aquitanorum quamdam ſilvam in pago Alniacenſi * contulit cœnobio ſancti Johannis Baptiſtæ Angeriacenſi, quod ipſe ædificaverat. Exſtant hæ litteræ apud Beſlium [d] cum diplomate Hugonis regis, qui hanc abbatiam confirmat. Erat tunc ejus loci abbas Hilduinus ſeu Ilduinus, Walterii ſucceſſor, dictus ab Ademaro monacho *clariſſimus*, quem Rainaldus ſancti Odilonis diſcipulus excepit.

Alduinus, ante epiſcopatum Brantoſmenſis abbas, dura etiam paſſus eſt a Guidone vicecomite ipſius fratre, cui eamdem abbatiam in prædam dare nolebat. Jam epiſcopus apud Lemovicas ſancti Martini cœnobium inſtauravit, ibidemque humatus quieſcit.

XLI. Navenſes, item Stradenſes, & Dolenſes abbates.

Navenſe ſancti Sulpicii monaſterium apud Biturigas regebat Ingelbertus ſeu Engelbertus, Nictarii ſucceſſor, cujus tempore Adalgerius ſubdiaconus quædam monaſterio contulit, ut ſingulis diebus lunæ pro ſe ſuiſque parentibus miſſa ad altare ſancti Sulpicii celebraretur. Ejus rei litteræ anno Hugonis regis tertio datæ ſunt, quibus

ANN. CHR. 990.

quibus Gaufridus vicecomes ſubſcripſit. Ingelberti conſanguineus erat Odo-Abelinus de Bono-fonte miles, cui abbas quaſdam areas in illa urbe, aliaque ſub annuo cenſu conceſſit, regnante Rotberto. Ingelberto ſucceſſerat Vivianus abbas, anno ejuſdem regis XXVII. *magnificus* dictus in quodam veteri inſtrumento. Superiori tempore, id eſt anno circiter DCCCC XC. Stradenſe ſancti Genulfi monaſterium a Rotberto abbate nova fabrica donatum eſt, & ſancti Genulfi corpus in novam baſilicam feſtivo ritu illatum. In chronico Dolenſis monaſterii apud Labbeum [a] Rocho ſeu Roccho ſeptimus abbas Dolenſis hoc anno obiiſſe memoratur. Succeſſit in ejus locum Hugo abbas, ſub quo renovatum eſt anno ſequenti monaſterium Dolenſe a fundamento. Hugoni ſuffectus Emenus abbas anno DCCCC XCVII. Tunc eccleſiæ Bituricenſi præerat Dagbertus archiepiſcopus, qui chartam [b] de treuga & pace, a Widone Anicienſi, aliiſque epiſcopis factam, cum Theobaldo Viennenſi archiepiſcopo confirmavit. Ejuſmodi pacta de treuga & pace inſtituta erant maxime ad compeſcendos prædones, qui per id tempus impune graſſabantur. His ſub gravibus pœnis interdicta erat, ſaltem certis diebus, prædandi licentia.

a *Labbe to. 2. p. 315. Vito. 2. p. 741.*

b *Diplom. p. 577.*

XLII. Folcuino abbati Laubienſi ſuccedit Herigerus.

In Gallia Belgica Laubienſe monaſterium paſtore orbatur, mortuo Folcuino abbate, qui librum de geſtis abbatum ſui monaſterii ſcripſit. Sepultus eſt in eccleſia beati Urſmari prope Ratherium epiſcopum. Sedem abbatialem aliquamdiu vacaſſe diſcimus ex epiſtola, quam ejus loci monachi ſcripſere *dominis & patribus epiſcopis venerabilibus Rothardo* Cameracenſi, *& Notkero* Leodicenſi, ſuper electione Herigeri monachi in locum demortui abbatis, quam ab eis approbari poſtulant. Hæc epiſtola ſic incipit. *Jam dudum paſtore viduati, diutiſſime vero rectoris ſolliciti diligentia deſtituti, veſtram conventmus paternitatem ſubmiſſi... ut eum nobis provideatis abbatem, qui hoc ſit quod dicatur.* ubi quod aiunt, ſe *diutiſſime rectoris ſolliciti diligentia deſtitutos fuiſſe*, oblique notant indiligentiam Folcuini abbatis in ſua adminiſtratione. Cur vero duobus illis epiſcopis pro ſucceſſoris approbatione ſcribant, hanc cauſam afferunt, quod *alterum* eorum, ſcilicet Notkerum, *animabus, alterum*, id eſt Rothardum, *corporibus* Laubienſium *ſubintendere* Deus voluerit. Exſtat hæc epiſtola in chronico [c] Cameracenſi, ex qua diſcimus, qualis fuerit Herigerus, & quod ejus electio a quodam nebulone clanculum turbata ſit. *Nam etſi ſit aliquis,* inquiunt illi, *huic electioni non conſentaneus, licet occultus; hic in ſe tulit ſententiam, non refragante etiam veſtra conſcientia, quod omnino inutilis velit eſſe & improficuus.* De Herigero id teſtantur Laubienſes, eum ſimoniæ labis & ambitionis prorſus expertem eſſe; immo ejus mores inculpatos, idoneam doctrinam ad ſubditos erudiendos; denique nullum eo tempore aptiorem invenire ſe potuiſſe, quam Herigerum, quippe qui ante annos multos ſecum ſocialiter, ut frater, converſatus ſit, multiſque emolumentis ipſis profuerit; pluribus vero ipſorum magiſtri & educatoris officium exhibuerit. Addit continuator chronici Laubienſis, eum venerabili epiſcopo Notgero ita carum & familiarem fuiſſe, ut non ſolum in domeſticis & eccleſiaſticis rebus, ſed & in palatinis quoque negotiis, quorum tunc temporis magna penes eum auctoritas erat, non ſolum in Lotharingia, ſed etiam in Italia, ejus opera & conſiliis uſus ſit.

c *Balderic. li. 1. c. 105.*

XLIII. Monaſterii ejus ſtatus.

Quo in ſtatu res monaſterii Laubienſis tunc eſſent, paucis exponendum. Sub finem ſæculi noni Franco ex abbate Laubienſi ad Tungrenſem ſeu Leodicenſem epiſcopatum promotus ab Arnulfo rege, abbatiam epiſcopatui ſuo acquiſierat, ac deinceps per præpoſitos & decanos, qui ab epiſcopo ordinati eſſent, adminiſtratum eſt monaſterium uſque ad Notgerum epiſcopum, qui abbatiam reſignavit, & liberam electionem monachis reſtituit, idque a Johanne papa XIV. cujus diploma *in papyro* ægyptiaca ſcriptum erat, & ab Ottone ſecundo confirmari curavit, ea tamen lege, ut abbatem electum Leodicenſes epiſcopi confirmarent, & advocatum ſecundum eligentium votum in monaſterio conſtituerent: ceterum viciſſim epiſcopi Laubienſem abbatem in ſua eccleſia vicarium haberent, & Laubienſi eccleſiæ poſt matricem primæ ſedis eccleſiam primas concederent. Ad Folcuinum quod attinet, ſub gravi interminatione decrevit, ut quotidie tres pauperes cibo & potu reficerentur, & plures alii ſingulis annis ab eleemoſynario veſtes acciperent. Idem recenſionem fecit eccleſiæ ornamentorum & armarii librorum, quibus ipſe nonnullos addidit. Idem præſtitit Herigerus abbas ejus ſucceſſor, qui ad occidentalem eccleſiæ plagam oratorium in honorem ſancti Benedicti exſtruxit, illudque a Notgero

ANN. CHR. 990.

episcopo dedicari curavit, cujus auctoritate *chsonium competens*, id est congruam fratribus refectionem, *in die translationis ejusdem beati Benedicti* in posterum assignavit.

XLIV. Fulradus abbas sancti Vedasti nequam.

Infamem de Fulrado sancti Vedasti opinionem nobis reliquit Baldericus [a] in chronico, ubi Fulradus falso nomine monachus fuisse dicitur, irregulariter vixisse, & speciem sancti habitus omnino mentitus, prælationem sancti nominis exuisse indignitate honoris. Curis namque pastoralibus male posthabitis, sæcularibus negotiis plus nimio implicatus, vitiis carnalibus turpissime addictus, cum sæpe admonitus a pravis actibus minime resipisceret, apostolicæ auctoritatis virga feriri meruit. Verum, cum postea relapsus esset ad solita facinora, ut episcopi censuram a se averteret, inter eum & Arnulfum juniorem Flandrensium comitem jurgiorum materiam fevit, ut præsul his jurgiis implicatus, in ipsum animadvertendi copiam non haberet. Ad hæc pseudoabbas episcopo sancti Vindiciani privilegium obtendebat, apostolica auctoritate confirmatum, quo Vedastini monachi a ditione episcopi immunes facti erant. quod quidem ad hoc tantum valere aïebat episcopus, *ut quicte & secundum regulam sancti Benedicti monachi viventes Deo servirent, non ut inordinate & turpiter conversantes, velut iste cum suis, a proposito desciscerent.* Denique Fulrado exprobrat Baldericus beneficia ab antecessoribus accepta episcopis, in primis a Theoderico, cujus permissu monachi tempore Danicæ persecutionis cum corpore sancti Vedasti ad pagum Belvacensem commigraverant; ac demum, pacatis rebus, a Dodilone episcopo impetraverant, ut ipse sacrum corpus ad propriam ecclesiam reveheret. Non melius habuit Fulradus sub Erluino episcopo Rothardi successore, cujus cum sententiam frustra subterfugeret, dignitate demum ejectus est: cujus rei dolore contabescens interiit. Collapsam monasterii disciplinam restauravit Richardus abbas Virdunensis.

[a] *ibid. c. 106.*

XLV. Tornense cœnobium conditur.

In veteri chronico Leodicensi nondum edito legimus, Aufridum comitem Hoyensem & Lovaniensem seu Brabantinum, consilio Notgeri episcopi, fundavisse *claustrum de Torine*, ibique uxorem & filiam suam posuisse *sub regula sancti Benedicti*, & comitatum Hoyensem ecclesiæ Leodicensi contulisse. quod donum Otto imperator hoc anno confirmaverit. Exstat in tomo primo [b] de gestis episcoporum Leodiensium Ottonis tertii diploma, cujus vitiosæ sunt chronicæ notæ, in quo Aufridus comes illustris comitatum Hoyensem Notkero episcopo, ejusque successoribus concessisse perhibetur. In chronico Saxonico plura leguntur de Ansfrido comite (sic legitur, non Aufrido) qui a patruo suo Rodberto Trevirensi archiepiscopo in lege tum divina, tum humana instructus fuisse dicitur; dein a patre suo Ansfrido, quindecim comitatuum comite, domno Brunoni Agrippinensi archiepiscopo traditus ad res militares; postea Ottonis Magni spatharius factus, in Italiam cum illo profectus; ac demum Roma reversus, *abbatiam, quæ dicitur Torna*, in hereditate propria constrnxisse: in qua *filiam suam abbatissam plurimarum Deo devotarum sanctimonialium assensu pontificis constituit, sanctoque Lamberto pro remedio animæ suæ ex integro tradidit.* Duas Ansfrido filias tribuunt recentiores, Benedictam & Hildewardem, quæ utraque ejus loci abbatissa fuerit. Unicam memorat prædictus chronographus Saxonicus, qui miraculum ei tribuit aucti in vase vini, quod illa in peregrinorum usum exhauserat. Ansfridi conjux Hersuit ab eodem auctore appellatur, sed eam in monasterium se recepisse non dicit. En ejus verba. *Interea contigit, ut ejusdem comitis reverenda conjux, nomine Hersuit, in curte sua, nomine Gilisa, cæpit ægrotare. quæ statim, velut mortis præsaga futuræ, festinavit ire ad Torna. quo dum præ nimio dolore nequiret pervenire, in domo cujusdam majoris mansit in itinere.* Illic *ancilla Dei requievit in pace. quam secus monasterium sui communis laboris comes in secretario sepelivit.* Attamen in ejus charta, siquidem genuina est, a Miræo [c] primum edita, „ ubi Hilzondis comitissa vocatur, ait se de consilio domini sui Ansfredi ecclesiam „ construxisse in alodio suo de Thorne: *ubi ego*, inquit, *& filia mea Benedicta sub* „ *regula sanctæ obedientiæ ita viveremus in hoc sæculo, ut mereamur in futuro, amictæ* „ *stolis albis, inter angelos comparere*; seque eidem ecclesiæ contulisse alodium suum „ in terra *de Strien*, quod gloriosus rex Zuenteboldus olim perdonaverat. *Datum apud Thorne anno* DCCCC XCII. *kalendis Junii.* Huic instrumento Johannes abbas sancti Pantaleonis cum aliis subscribit. Ut ut sit, post conjugis decessum, Ansfridus comes animo constituit, *ut monasterialem vitam subiret, sicubi majoris obedientiæ*

[b] *to. p. 1. 215. V. Sac. 6. Bened. tom. 2. p. 85. & seqq.*

[c] *Mir. diplom. Belg. p. 49.*

regulam inveniret. Verum ab Ottone rege ad episcopatum Trajecti inferioris, agente Notgero Leodii episcopo, invitus rapitur, ut suo loco videbimus. Nunc monasterium Tornense, quod Thorense appellant, collegium est nobilium canonicarum. His consentanea haud esse scio, quæ Fisenus in Floribus ecclesiæ Leodiensis refert: sed auctoritatem præfero chronographi Saxonici, cujus chronicon ante medium sæculum duodecimum definit.

ANN. CHR. 990.

XLVI. Epternacenses scholastici.

In Epternacensi monasterio diœcesis Trevirensis Rudigerus monachus & scholasticus hoc anno obiisse perhibetur a Trithemio, qui ejus aliquot opuscula commemorat, nempe in epistolas Pauli libros XIV. & septem in epistolas canonicas, necnon explanationem in regulam sancti Benedicti. Post hunc scholis præfectus fuisse dicitur Adelharius monachus, dein abbas, qui chronicon sui monasterii composuisse dicitur præter alia, quæ Trithemius notat. Idem hoc anno ponit obitum Hattonis abbatis Fuldensis, eo nomine tertii, & successionem Branthonis secundi. at, si Broweri calculos sequamur, tunc Fuldensi monasterio præerat Erkanbaldus Wernharii successor, nec ante sæculi sequentis progressum sedit Brantohus ejus nominis primus, a Ditmaro laudatus. Trithemius non recte anno præcedente refert obitum Theophaniæ augustæ, quæ Coloniæ in monasterio sancti Pantaleonis sepulta est.

XLVII. Mortes apud S. Gallum & turbæ.

Apud sanctum Gallum Udalricus abbas & Eggehardus magister doctus obierunt. Gerardus vero seu Kerhardus ad annos undecim monasteriio præfectus est, magno disciplinæ regularis damno, quam ille omnino labefactavit. Id solum boni fecisse dicitur, quod monasterii privilegiorum confirmationem ab Ottone tertio impetravit. De cetero non modo rem familiarem attrivit ac dissipavit, sed etiam perditæ vitæ exemplo juniores ad suas partes pertraxit ac depravavit, quos ut facilius sibi devinciret, eos præcipuis monasterii officiis præfecit. Gemebant inter ea afflictæ rei publicæ casum seniores, sed inter domesticos parietes querelas continebant: at querelis obsurdescebat nequissimus prælatus, qui, quo factionem suam corroboraret, laïcos scelerum suorum fautores ingentibus donis sibi necessarios fecit. Rebus ita desperatis, erupit tandem seniorum exasperata patientia, quibus visum est Ottonem imperatorem appellare, qui solus extremo morbo remedium afferre poterat. Missæ proin ad eum litteræ, quarum hæc summa erat. Locum tum suis, tum antecessorum suorum donis & privilegiis nobilitatum in eas deveniisse miserias, ut, si ipse rerum statum resciret, ultro jam subvenisset. Ejus rei causam omnem esse penes abbatem, qui, nullo canonum, privilegiorum & regularis vitæ respectu, quivis sibi licere arbitretur. De his, si locus audientiæ apud regias aures sibi pateat, specialius acturos. Lectis litteris, quid facto opus sit, episcopos, abbates & proceres percontatur imperator. Potiorum consilium fuit, abbatem & monachos ad audientiam vocandos. His acquiescens imperator, missis litteris utrosque vocat, quibus acceptis, utrique adsunt. Primi omnium causam dicere jussi monachi, ita perorant. Abbatem, qui sibi præpositus sit, sacri loci non rectorem, sed destructorem esse. « quippe qui Dei & sui propositi prorsus immemor, sub monachi habitu nulla monachi opera faciat, immo irregulariter vivens, regulares disciplinas omnino pervertat. Paucis, ecclesiæ res vænum dare, terras in beneficium tradere, thesauros dissipare. Horum omnium probationes & testes in promtu haberi. Si hæc ad eum exauctorandum non sufficiant, majora, quæ interim reticeri visum est, non deesse: « quæ si singula persequerentur, fore ut dies ante, quam sermo deficiat. His turbatus abbas, cum ad respondendum congrua non suppeterent, ad artes confugit. Erat in palatio quidam comes multæ auctoritatis, Mutzo nomine, a quo regni negotia omnia pendebant. Hunc donis pertentat abbas, sibique faventem reddit. Ejus suasu rex abbatem & monachos postridie ad se vocat, ac monachos lenire conatur. Si abbatis mala opera palam propalentur, plus mali quam boni inde ortum iri; monasterii adeoque monachorum opinionem deterendam esse, ac demum « monasterii utilitatem deperituram. Irent in pace, & mutuam cum abbate concordiam sarcirent. Si quid abbas in eos durius deinceps egerit, mox daturum meritas « pœnas. Sic infecto negotio rediere patres, qui aliquamdiu quasi concordes & unanimes, & veluti præteritorum obliti, conquievere. at, Mutzoni data denuo quædam monasterii præpositura, querelas & gemitus instaurarunt: quibus demum Gerardi abbatis interitus finem dedit.

Quod attinet ad Ekkehardum, cujus obitus hoc anno rectius ponitur, quam ab XLVIII.

ANN. CHR. 990.

Hepidanno post annos sex, fuit is Ekkehardi senioris ex sorore nepos, vir latinæ linguæ græcæque, quod illis temporibus perrarum, peritus; primum scholæ utriquè, clausträli sive interiori, & canonicæ seu exteriori, præfectus; demum in palatium evocatus ab Ottone secundo, cujus capellanus & secretarius fuisse dicitur; minor seu junior a Goldasto dictus, potius dicendus secundus, ut distinguatur ab aliis tribus, qui ipsum subsecuti sunt.

Ekkehardus secundus magister.

Ekkehardus tertius.

Hujus consobrinus fuit Ekkehardus alter, ac monasterii per annos triginta decanus, cujus annus mortis incertus; dies festivitas sancti Benedicti, quo die natus, oblatus apud sanctum Gallum, presbyter ac monachus factus dicitur in suo epitaphio, quod in codice sancti Galli bibliothecæ legimus, in quo hi versus:

Immoritur festo Benedicti, natus in ipso,
Hoc oblatus, & hoc presbyter, hoc monachus.
*Doctrinis planus *, annos triginta decanus.*

* *f.* plenus.

XLIX. Adalbertus episcopus Romæ monachũ induit.

Praga discesserat anno superiore Adalbertus episcopus, propterea quod ejus prædicatio apud efferam Boëmiæ gentem nihil proficeret; & Romam venerat, suum discessum Johanni papæ approbaturus, simulque iter Jerosolymam, quod animo conceperat. Jam votis ejus fecerat satis pontifex, eique ad iter illud necessaria suppeditaverat Theophania imperatrix, quæ tunc Romæ versabatur: cum ipsum iter ingressus, hoc anno venit ad montem Casinum, locum sacrum invisurus, quem beatissimus Pater monachorum vitæ suæ ac discipulorum exemplis consecraverat. Illic, licet sub peregrini habitu ignotus piissimus antistes, honorifice hospitio acceptus est. Post paucos dies, cum iter destinatum persequi vellet, ipsum convenit abbas, is Manso erat, cum primoribus patrum; hortatusque est, ut, peregrinationis proposito, quod minus ejus saluti conveniret, abjecto, secum maneret. quod ille, quasi divinitus dictum, approbavit, ibique suæ peregrinationis & errabundæ vagationis metam figere constituit. Audito eum episcopum esse, Casinates sibi gratulantur, quod eum apud se præsentem habituri essent, qui ipsorum ecclesias consecraret, & clericos sacris ordinibus initiaret. Id ubi vir Dei intellexit, moleste tulit, incongruum ratus, ut, qui episcopale onus refugerat, eo denuo se implicaret. Quare id referendum duxit ad virum sanctissimum Nilum, qui in vicino Vallis-luci monasterio cum fratribus suis eo tempore demorabatur. Nec mora perrexit ad virum sanctum, eo animo, ut cum illo remaneret, si hic e re sua id esse judicaret. Itaque ad ejus pedes abjectus, consilium petit. quem ille primo intuitu virum Dei esse agnoscens, se eum recipere paratum esse dixit: at id citra sui, suorumque nocumentum fieri non posse. Quippe id ubi rescierint Casinates, locum ab ipsis repetituros, quem sibi ad cohabitandum concesserant. se hominem græcum esse; consultius fore, si homo latinus cum latinis ageret. Proinde, si se audiret Adalbertus, Romam rediret, unde digressus erat, atque Leonem abbatem monasterii sanctorum Bonifacii & Alexii conveniret, aut certe abbatem sancti Sabæ, quibus litteras commendatitias ipse scriberet. Acceptis litteris, Romam revertit Adalbertus, moxque Leonem abbatem adit, postulatque, ut ipsum in numerum fratrum suorum recipiat. Non statim acquievit abbas, immo dura ipsi perpetienda objecit, quæ tironem a proposito absterrere potuissent. At, cum Adalbertum in proposito nihilominus constantem videret, domni apostolici facultatem petendam esse dixit. Hac impetrata, monastico habitu cum Gaudentio fratre indutus est vir Dei ipso die, quo Christus Dominus apostolorum pedes lavit; & sabbato sancto, quando catechumenos baptizari, ac criminum vinculis absolvi mos est, *soluta est & ipsi capite pendens cuculla*; sicque *secundum regulæ morem fratrum numero addictus*. Itaque tirocinium sacro illo triduo absolvit, monachum professus sabbato sancto, quando cuculla, quæ pro more novitiorum caput tantum antea tegebat, a capite soluta, defluentem accepit. Illic quinquennio moratus vir sanctus, humilibus quibusque officiis, maxime coquinæ ministerio applicatus est, lætus commissa sibi provincia, ut sic cunctis fratribus serviret. Nec defuit ipsi antiqui humani generis hostis tentatio, qui dum testacea vasa, nunc vino, nunc aqua plena gestaret, ipsum impingere faciebat, & vasa ipsa ex lapsu confringi. quod cum ille ad pedes abbatis, ut regula præcipit, prostratus expiaret, contigit aliquando vas vino plenum ingenti lapsu

in pavimentum corruere absque vasis fractura, & vini effusione. Quadriennio ante Crescentius nobilis civis Romanus, Johanne & Theodora parentibus ortus, cum diutino languore vexatus fuisset, ANN. CHR. 990.

——— ab omni
Spe mundi lapsus, prostratus limina sancti
Martyris invicti Bonifaci amplexus, & illic
Se Domino tradidit, habitum monachorum adeptus,
Quod templum donis amplis ditavit, & agris.

ut in ejus epitaphio legitur, quod Baronius [a] retulit. De illo sancti Alexii monasterio, quod in monte Aventino situm est, alias plura dicturi sumus.

[a] *Baron. ann. 996.*

L. Theophaniæ præceptum pro Farfa de cella Victoriæ.

Ravennæ versabatur Theophanu seu Theophania imperatrix, cum ad eam accessit Johannes Farfensis abbas, conquestusque est, quod cella sanctæ Victoriæ, sita in Marchia-Anconitana, a suo monasterio abstracta esset; rogavitque interventu Johannis archiepiscopi Ravennatis, Hugonis principis & aliorum, ut matri filia restitueretur. quod imperatrix pro remedio animę senioris sui Ottonis imperatoris dato præcepto fieri jussit, illudque Adelbertus cancellarius ad vicem Petri episcopi & archicancellarii recognovit. *Datum kal. Aprilis anno* DCCCC XC. *imperii domnæ Theophanu imperatricis* XVIII. *indictione* III. *Actum Ravennæ feliciter*. Sic Theophania Ottonis filii vices in Italia tum agens, annos imperii sui a morte Ottonis secundi numerabat. Nunc in illa cella monasterium est virginum Benedictinarum, ubi debent esse viginti sanctimoniales & duæ famulæ, ut dicitur in synodo Farfæ nuper habita. Distat vicus ille, Victoria dictus, a Montis-alti civitate duodecim passuum millibus versus occidentem.

LI. Alia cella eidem data.

Eodem tempore Petrus comes, filius Bermundi Guinisii comitis, obtulit eidem monasterio sanctæ Mariæ in Acutiano ecclesiam seu monasterium sanctæ Mariæ ad Miniocum prope Corgnitum cum mille quingentis perticis de terra, *ad perticam pedum duodecim Liutprandi regis*. Actum intra castellum de Berule. In Itinere nostro Italico [b] egimus de pede Liutprandi, apud Langobardos olim ad metiendas terras, & etiam nunc apud Insubres usurpari solito, qui pedem regium Parisiensem cum ipsius pedis triente continet.

[b] *Iter. Ital. p. 177.*

LII. Johannes abbas Parmensis obit.

Postquam Parmense sancti Johannis monasterium septem annos & menses tres rexisset Johannes abbas, morbo tentatus ad extrema perducitur. Instante exitu, duos ex fratribus monasterii, qui lectulo ejus assistebant, Gandulfum & Restaldum, postea Pistorienses ecclesiæ præsulem, cænatum ire jubet. Illis ad portam clausam subsistentibus, subito lux emissa cum suavi odore totam ægrotantis cellam implevit. Mox beata Deipara cum virginum comitatu conspicua interveniisse dicitur, cui ille ob præstita beneficia gratias egit, obsecravitque, ut ante tribunal summi Judicis ipsi propitia esse dignaretur. Regressis dein duobus illis fratribus rem confessus est, præcepitque fratres omnes convocari ad exitum suum Domino commendandum. Statim adfuere, & præter illos Sigefredus episcopus cum suo clero; iisque psallentibus ac flentibus, vir Dei, *accepto viatico*, agonem suum XI. kalend. Junii consummavit. Funus ejus tanta sollemnitate, tantoque omnium ordinum comploratu curatum est, ut communis omnium parens, aut rex mortuus videretur. Sepultus est in loculo marmoreo intra clausträm, prope ecclesiam. Ejus gesta scripsit ejus loci monachus anonymus, qui hæc ex relatu ejus discipulorum, in his Regimprandi monasterii præpositi, acceperat, & quidem pontificatu Hugonis episcopi, cujus tempore sancti Johannis translatio facta est. Suffectus in ejus locum Johannes alter, ex Ticinensi sancti Petri monasterio, quod Cælum-aureum appellatur, assumtus, concedente Azone abbate, olim Parmensis ecclesiæ canonicus, castus, sobrius, humilis, longa inediæ maceratione expurgatus, ac demum a Sigefrido episcopo Parmensis abbas ordinatus. Azo iste decessor fuit Uberti, qui, teste Ughello, Cæli-aurei præfecturam iniit anno M VIII.

Cæli-aurei abbates.

LIII. Salvatoris monasterium Carracedi conditur.

In Hispania Vermundus seu Bermundus rex monasterium Salvatoris in diœcesi Astoricensi exstruxit, in loco, nomine Carracedo, quem adolescens, antequam ad regnum perveniret, comparaverat, eo consilio, ut has bonorum suorum primitias Deo consecraret. Exsequendi ejus consilii occasio nata est ex *abbatibus eremitanis*,

ANN. CHR. 990.

qui Sarracenorum perſecutionem fugientes, ad regnum Legionenſe ſe recepe-
rant, & ab ipſo rege auxilium & refugium poſcebant. *Et placuit*, inquit[a] rex,
[a] Tepeſ. to. 5. ſcript. 21. *ſerenitati noſtræ, ubi eos vidimus Domini athletas, ſuſcipere eos, & quærere, &*
» *alere, quia peregrini ſumus ſuper terram.* Itaque eis concedit villam Carracedum
» ſeu Carracetum cum ſuis appendicibus, ut ibi eccleſia Deo conſtruatur; nec-
» non villam, quam dicunt ſanctum Martinum, non procul a Carracedo, quam
» a Samoſenſi monaſterio coëmerat; item villam, quæ nuncupatur Galendi, quam
» avus ſuus domnus Ranemirus contulerat monaſterio beatæ Mariæ de Taulo, quod
» ab Sarracenis everſum erat. *Hoc autem monaſterium*, inquit, *regia poteſtate libe-
rum, & abſolutum ab omni jugo ſervitutis, Deo & monachis, qui in eo permanſerint,
offerimus, ut perenniter eum habeant, atque ſucceſſores eorum: ut ibi noſtro adjutorio &
aliorum fidelium poſſint vivere ſecundum regulam ſancti Benedicti abbatis, & ſuum
ordinem tenere in amorem Dei, beatæ Mariæ & omnium ſanctorum; & mando ibi
corpus meum in ſepulturam. Facta carta teſtamenti* VI. *kal. Decembris, in æra vigeſima-
octava poſt milleſimam.* Hoc monaſterium inſtauravit Alfonſus VII. illudque Ciſ-
tercienſibus monachis tribuit, quos impenſe colebat.

Aliud Nemauſi. Aliud Salvatoris monaſterium Nemauſi condidit Froterius ejus urbis epiſcopus, anno Hugonis regis quarto, pro virginibus Benedictinis juxta fanum Dianæ: quod monaſterium ab hæreticis ſæculo ſuperiori deſtructum fuit; ſanctimoniales vero Bellicadrum * ſe receperunt, ibique ad hoc tempus perſtiterunt. Modo vero cogi-
* *Beaucaire.* tant de reficiendo veteri monaſterio, quod olim abbatiæ Caſæ-Dei, & priori ſancti Baudilii Nemauſenſis ſubjectum fuit.

ANN. CHR. 991. LIV. Arnulfi archiepiſcopi depoſitio.

ANnus Hugonis regis quintus magnæ controverſiæ initium dedit. Ejus occaſio nata eſt ex depoſitione Arnulfi Remorum archiepiſcopi, & ſubſtitutione Gerberti abbatis in ejus locum, quæ utraque ab Hugone rege procurata eſt. Is exoſum habens Arnulfum archipræſulem, quod Carolo ipſius Hugonis æmulo adhæreret, nihil non tentavit, quo ambos in ſuam poteſtatem redigeret. Hi vero Lauduno opido munitiſſimo incluſi erant, nec facile, in turbulentis illis Hugonis regis initiis, ad deditionem compelli poterant. Ad dolum itaque Hugo ſe convertit, & facile in animum Adalberonis ejus urbis epiſcopi, hominis verſipellis & veteratoris, ſe inſinuare poſſe arbitratus eſt. Nec ſpes eum fefellit. Sed prius lenior in ſpeciem via tentanda viſa fuit. Indicto ab Hugone Remis epiſcoporum conventu, Arnulfus eo ſæpe citatus non adfuit, cauſatus quod a Carolo in vinculis detineretur. at proditione epiſcopi, cui Carolus temere fidebat, urbs prodita, captique ab Hugone Carolus & Arnulfus. Et Carolus quidem cum uxore Aurelianos perductus, & in carcerem conjectus: Arnulfus vero ad ſynodum ſiſtitur. Adfuere illi ſynodo ex provincia Remenſi Guido Sueſſionenſis, Adalbero Laudunenſis, Heriveus Belvacenſis, Goteſmannus Ambianenſis, Ratbodus Noviomenſis, Odo Silvanectenſis; ex Biturienſi Daimbertus archiepiſcopus; ex Lugdunenſi prima Gualterus Auguſtodunenſis, Bruno Lingonenſis, Milo Matiſconenſis; ex Senonenſi Seguinus ſeu Sewinus archiepiſcopus, Arnulfus Aurelianenſis, Herebertus Autiſiodorenſis epiſcopi; ad hæc diverſarum urbium abbates, in his Ingelardus abbas Centulenſis,
b *Spicil. to. 2. p. 530.* cui paullo ante Arnulfus epiſtolam[b] ſcripſerat, qua eum ad bona monaſterii accurate ſervanda hortabatur. Hi omnes in monaſterio ſancti Baſoli, quod tribus circiter leucis ab urbe Remorum diſtat, convenerunt xv. kalendas Julii, anno Hugonis regis quinto. Cauſæ exauctorandi Arnulfi allatæ potiſſimum duæ: una, defectus natalium abſque diſpenſatione, (hic enim ex concubina Lotharii regis natus credebatur:) altera, direptio urbis Remorum a Carolo principe facta, cujus urbis proditio Arnulfo imputabatur. Accedebat, quod defeciſſet a partibus Hugonis, cujus favore ad pontificatum aſſumtus fuerat. Quod vero epiſcopi hanc cauſam, quæ, utpote major, ad Romanum pontificem pertinere videbatur, in ſe ſuſciperent; hanc prætexunt rationem, quod conſultus hac de re Johannes pontifex, legatos abſque reſponſione poſt tridui moram abire ſiviſſet. Producto itaque in medium Arnulfo defenſores dati Johannes ſcholaſticus Autiſiodorenſis, Rainulfus abbas Senonenſis, & Abbo abbas Floriacenſis. At prævaluit epiſcoporum auctoritas, Hugoni regi faventium, uno excepto Seguino Senonenſi, qui regis offenſam in ſe concitavit. Denique, cum omnia ad perdendum Arnulfum conſpirarent, coactus ipſe libellum

ſuæ abdicationis edidit inſtar ejus, quem olim Ebbo ipſius anteceſſor protulerat. quo facto, Aurelianis cum Carolo principe in carcerem retruſus fuit.

ANN. CHR. 991. LV. Gerberti electio.

Arnulfo itaque exauctorato, non diu quæſitus eſt qui ei ſuccederet. Præſto aderat Gerbertus, qui augendæ fortunæ occaſioni non defuit, ratus hanc dignitatem ſibi deberi, quippe qui ſe ab Adalberone archiepiſcopo ſucceſſorem deſignatum ferebat. Denique nihil non ſperare poterat, novorum regum aſſecla, Rotberti regis quondam præceptor, totius negotii ſi non moderator, forte præcipuus actor, & quidem ille ipſe, a quo ejus ſynodi narrationem accepimus. Hunc proinde non ægre comprovinciales epiſcopi in locum Arnulfi ſuffecerunt, cujus electionis formula his verbis concepta eſt.

Semper quidem, dilectiſſimi fratres, judicia Dei juſta ſunt, ſed interdum occulta. Ecce enim poſt diſſolutionem beatæ memoriæ patris Adalberonis, quemdam ex ſemine regio prodeuntem nobis, eccleſiæque Remenſi præfecimus, & clamore multitudinis impulſi, ſcriptura dicente, VOX POPULI, VOX DEI, *& ſanctorum canonum inſtitutis, deſiderium ac vota cleri & populi in electione epiſcopi perquirentium caligavit acies mentis noſtræ, litteram incaute ſequendo, concordem ſententiam divinarum ſcripturarum parum inveſtigando. Non erat quippe vox Dei vox populi clamantis,* CRUCIFIGE, CRUCIFIGE. *Ergo non omnis vox populi vox Dei eſt, nec omnis cleri & populi vota & deſideria in electione epiſcopi perquirenda ſunt, ſed tantum ſimplicis & incorrupti, id eſt ſpe quæſtus minime electi, ſententiæ patrum exponendæ.* NON LICEAT, *inquit,* « *turbis electionem facere eorum, qui ad ſacerdotium provocantur: ſed judicium ſit epiſ-* « *coporum, ut eum ipſi qui ordinandus eſt probent, ſi in ſermone & in fide, & in epiſco-* « *pali vita* EDOCTUS EST. *Nos igitur epiſcopi Remorum diœceſeos ſecundum has conſti-* « *tutiones patrum, favore & conniventia utriuſque principis noſtri, Hugonis auguſti & excellentiſſimi regis Rotberti, aſſenſu quoque eorum qui Dei ſunt in clero & populo, eligimus nobis in archiepiſcopum abbatem Gerberum, ætate maturum, natura prudentem, docilem, affabilem, miſericordem; nec præferimus illi vagam adoleſcentiam, ambitionem ſe extollentem, omnia temere miniſtrantem; immo nec talibus ſubjugari patienter auditu perferimus, quorum ſapientia & conſilio eccleſiaſtica & civilia jura amminiſtrari non poſſe ſcimus. Cumque in unoquoque epiſcopo ſit hoc ſpeculandum, maxime tamen in eo, qui ceteris præeſt, metropolitano. Eligimus hunc itaque Gerbertum, qui* [*monachus*] *fuit. Hujus vitam ac mores a puero novimus; ſtudium in divinis ac humanis rebus experti ſumus. Hujus conſiliis ac magiſterio informari quærimus; ejus electionem ſubſcribendo confirmamus, ſtabilimus, corroboramus communi omnium bonorum conſultu.*

Sic electus fuit Gerbertus, cujus electio, uti & Arnulfi exauctoratio, a Johanne pontifice valde improbata, poſt triennium reſciſſa eſt, ut poſtea videbimus. In illo intervallo temporis ad ea Gerbertus appulit animum, quæ ſui muneris erant. In primis epiſtolam cum ſuis comprovincialibus ſcripſit adverſus [a] prædones, qui clericos, monachos, & pauperes quoſque tunc vexabant. Dein commonitorias direxit litteras, tum ad Heriveum Belvacenſem epiſcopum, tum ad Fulconem Ambianenſem, ſucceſſorem Goteſmanni, qui ipſius Gerberti electioni interfuerat.

[a] *Gerb. ep. 40. 44. & 46. ſec. loco.*

LVI. Rainulfus abbas Senonenſis.

Qui unus ex Arnulfi advocatis ſuperius nominatus eſt Rainulfus abbas Senonenſis, idem videtur eſſe ac Romulfus abbas ille Senonenſis, cui Gerbertus tres [b] epiſtolas ſcripſit, omnes fere de re litteraria. at cujus monaſterii abbas fuerit Rainulfus ſeu Romulfus, ſancti Petri an ſanctæ Columbæ, non ita liquet. forte ſanctæ Columbæ poſt Gunzonem, qui ejus loci abbas erat anno Hugonis regis primo, ut ſuperius vidimus. Certe nullus abbas tum præfuiſſe videtur ſancti Petri monaſterio ante Mainardum, quem Seguinus ſeu Sewinus archiepiſcopus inſtaurato ab ſe ſancti Petri monaſterio paullo poſt præfecit. Ceterum Abbonem Floriacenſem abbatem, qui tertius Arnulfi advocatus fuiſſe dicitur, ei maxime faviſſe inde colligitur, quod ipſius opera Arnulfus ex Aurelianenſi cuſtodia ſubductus ſit.

[b] *id. ep. 116. & 13. & 16. ſec. loco.*

LVII. Miliduneuſe S. Petri cœnobium conditur.

In caſtro Milidunenſi diœceſis Senonenſis ad Sequanam vetus erat tunc temporis & ſemiruta eccleſia ſancti Petri, in monte extra prædictum caſtrum poſita, quam Sewinus archiepiſcopus ab Hugone & Rotberto regibus ad exſtruendum, ſeu potius inſtaurandum eo loci monaſterium ſibi concedi poſtulavit, cum alia ſancti Stephani eccleſia, quæ intra muros ſita erat. His obtentis, Sewinus monaſterium ſancti Petri ædificavit, ipſumque locum *cuidam monacho, Walterio nomine, moribus*

ANN. CHR. 991.

egregiis ornato, & eloquiis devinis erudito, regendum commisit. Regiæ hac de re litteræ in palatio Compendio datæ sunt XVII. kal. Octobris, anno Hugonis regis quinto, Rotberti quarto. Hunc esse puto Galterium *summæ reverentiæ* abbatem, cujus tempore detectum fuit corpus sancti Leonii * confessoris in parœciali ejus ecclesia, sancti Petri monasterio subjecta, testante altero Galterio ejusdem cœnobii monacho, qui librum de miraculis ejusdem sancti Leonii confessoris medio sæculo duodecimo scripsit. In illo libro hic auctor scribit, Evrardum, probatæ vitæ monachum, revoluto tumuli sancti Leonii saxeo operculo, ejus corpus revelasse; atque sudarium, licet tenuissimum, integrum repertum fuisse, & in S. Petri monasterio repositum: ubi *cum summa veneratione* ejusdem auctoris tempore asservabatur. Hic est sanctus Leonius, cujus mentio fit apud Usuardum pridie idus Novembris his verbis: *Castello Milidunо sancti Leonii confessoris.* Burchardus Parisiorum comes Milidunense S. Petri monasterium muneribus ditasse traditur. Hujus monasterii instaurationem anno DCCCC XCIX. cœptam, seu potius absolutam, fuisse legimus in quibusdam versibus hic subjectis, in quibus idem monasterium post annos centum & sexaginta ruinis obrutum, & a Guillelmo abbate reparatum; ab Hugone vero Senonensi archiepiscopo consecratum fuisse dicitur. Hi versus sic habent:

* *S. Liène.*

Variæ ejus ruinæ.

Anno milleno minus uno cœpit ab imo
Hic restaurari diruta prima domus.
Post annos centum sex denos obruta rursus
In tribus hæc annis est reparata domus.
Hugo sacravit eam pius antistes Senonensis.
Abbas Guillelmus cœpit & egit opus.

Hic est Hugo de Touciaco, qui Henrico successit anno M C XLIV. Eadem abbatia anno M CCCC. XX. incendio denuo consumta fuit, injecto igne a Milidunensibus opidanis, ne ab Anglis & Navarrensibus occuparetur, & urbem ex eminenti loco insultarent. quod tamen non impediit, quominus ab illis invaderetur. Denique idem monasterium, tempestate Calvinistarum rursus omnino dirutum, a nostris nuperrime a fundamentis instauratum est.

LVIII. S. Mariæ abbatia Miliduni.

In prædicto libro miraculorum sancti Leonii fit mentio de basilica sanctæ Mariæ, quæ olim sanctimonialium fuisse dicitur, tunc vero, uti & modo, collegium canonicorum. Galterii monachi verba huc referre juvat ex capite IX. *Est in ipso castro* Miliduno *aula Dei in honorem intemeratæ Virginis genitricis Dei, in qua hujusmodi egregium atque toto orbe recolendum miraculum est habitum. Habitatio tunc illic sanctimonialium inerat, nunc vero conversatio virorum inibi Deo devote famulantium.* Subdit auctor, illic haberi sacrum caput sancti Leonii, decentissime super aram in capsula lignea cum quibusdam ejus ossibus servatum; quod ab igne intactum fuisse traditur, & cubitis duobus super aram accensam cælitus elevatum, quod super sindonem excepit quidam pius adolescens, Ewrardus nomine, qui postea in cœnobio S. Petri probis moribus, laudabili fine cursum vitæ complevit, patruus Roberti monachi, cujus relatu pleraque sancti Leonii miracula prædictus auctor acceperat. Ex quo intelligitur, non diu ante medium sæculum duodecimum, quo Galterius ille scribebat, canonicos in locum sanctimonialium introductos fuisse in prædictam sanctæ Mariæ basilicam. Addit idem auctor, quosdam e Neustriæ partibus orationis obtentu illuc venisse, & caput sancti Leonii inde furtim asportasse in Neustriæ partes: ubi exstructa sit ingens basilica in honorem sancti Leonii, qui plurimis illic miraculis illustretur. Et tamen ejus caput etiam nunc asservari dicitur in collegiata illa ecclesia sanctæ Mariæ Milidunensi. Hæc est abbatiola sanctæ Mariæ, sita intra castrum Milidunum, quam Carolus rex, cognomento Simplex, rogatu Adeleydis atque Erchangeri comitis, cuidam fideli suo Teudrico *usu-fructuario vel beneficiario jure* pro ejus vitæ tempore concessit. cujus rei præceptum in superiore tomo ex authentico[a] retulimus. In eodem libro fit mentio de cœnobio, cui vocabulum Cella, in finibus pagi, ut puto, Milidunensis sito, in quo degebat monachus quidam, Gozlinus nomine, vir probus & litteratus, ac vitæ contemplativæ deditus, qui ope Ingelberti sancti Petri monachi *piissimæ recordationis*, portionem reliquiarum sancti Leonii obtinuit. Exstat inter Milidunum & Monsteriolum locus Cella dictus, haud

[a] *lib. 41. n. 9.*

ANN. CHR. 991.

haud longe ab alio Cellis dicto, qui locus hic designari videtur. Idem revelatione sibi a beato Leonio facta didicisse fertur, Leonium fuisse sacerdotem, quod antea ignorabatur. Addit Galterius, se a quibusdam probatissimis personis addidicisse, antiquitus Miliduni pontificium viguisse, ibique Leonium præsulem exstitisse. Fides sit penes auctores.

LIX. Odilonis parentes & conversio.

Insignis est hic annus conversione Odilonis, brevi futuri post Mayolum abbatis Cluniacensis, de quo ita scribit Hugo Flaviniacensis: *Anno* DCCCC XCI. *sanctus Odilo venit ad conversionem Cluniaci, & quarto anno sanctus Mayolus obiit.* Id convenit cum iis, quæ scribit Petrus Damiani in vita sancti Odilonis, ubi ait, *vix evolutis quatuor annis* ab ejus conversione beatum Mayolum obdormivisse in Domino. Erat Odilo nobilis Arvernus, *ex equestri quidem ordine*, ait Petrus Damiani, id est ex genere Mercoriorum, uti Andreas Chesnius[a] conjicit ex eo, quod Odilo de Mercorio, canonicus Claromontensis & Brivatensis præpositus, quadraginta solidos censuales promisit *pro festo librando* sancti Odilonis abbatis Cluniacensis. Is a puero membrorum pæne officio, atque adeo incedendi facultate destitutus, cum ad portam cujusdam ecclesiæ, quæ in honorem beatæ Dei-genitricis dedicata erat, a nutrice relictus fuisset, reptando pervenit ad altare, & palla ejus arrepta se se erigens, omni languore depositо incolumis evasit. Jam adolescens primum Brivate apud sanctum Julianum *clericus*, id est canonicus, factus est: dein beati Mayoli magisterio se tradidit, & in Cluniacensi monasterio habitum sanctæ religionis suscepit. Priusquam fieret monachus, donationem fecit Cluniacensi monasterio de quibusdam rebus suis in charta expressis, in qua parentes & propinquos suos commemorat his verbis: *Ego Odilo filius Berardi, consentiente matre mea Girberiana, & fratribus meis Stephano, Ebone, Beraldo, Bertranno, cedo de rebus, quæ mihi legitimo ordine successerunt, & sunt in patria Arvernica, in comitatu Brivatense, in vicaria Deaurata, in villa Saraciacus, ecclesiæ Cluniacensis cœnobii, ecclesiam scilicet sancti Salvatoris, cum uno manso, quem emi ex fratribus patribusque & dominis meis canonicis beati Juliani martyris solidis centum, pro sepultura fratris mei Hicterii: ita ut abbas Mayolus vel ejus successores alienare non possint, nisi ad fratres meos.* Hæc charta caret chronicis notis, sed acta videtur ante ejus ingressum in monasterium.

[a] *Chesn. not. in Bibl. Clun. c. 69.*

Electio ejus in abbatem.

Glaber Rodulfus ejus conversionem tribuit Willelmo tum abbati Divionensi, qui aliquando Brivate profectus, Odiloni monasticæ vitæ propositum persuasit. quod ille tanto cum fervore exsecutus est, ut paullo post exactum ejus tirocinium Mayolus jam ætate provectior Odilonem in abbatiali dignitate vicarium ac successorem eligendum censuerit. quod omnium fratrum calculis comprobatum. Ad hanc electionem Cluniaci convenere non modo cœnobitæ Cluniacenses, sed etiam multi episcopi & abbates, aliorumque ordinum principes viri: quos inter primus post Mayolum occurrit Rodulfus rex Burgundiæ Jurensis, tum Burchardus archiepiscopus Lugdunensis, Leotaldus archiepiscopus, deinde Hugo episcopus Genevensis, Aynricus Lausanensis, Hugo Matisconensis, & Walterius Æduensis; post quos Teuto abbas Fossatensis, Richfredus, Hugo, Wago, Theobaldus, Warembertus, & Willelmus abbates; tum Burchardus comes Corboliensis ac Milidunensis, Lambertus & Adalbertus comites, ac demum monachi, numero centum ac septuaginta-septem. Notæ chronicæ desunt in ejus electionis litteris, editis in Spicilegii tomo sexto, ejusdem omnino formulæ, atque litteræ electionis Mayoli abbatis. Si Hermannus Rodulfi regis exordium regni, ut quidem videtur, recte statuit anno DCCCC XCIV. differenda est ad istum annum Odilonis electio, quæ paullo ante Mayoli obitum facta dicitur. nisi dixeris Rodulfum post Mayoli obitum approbasse Odilonis electionem antea factam. Certe quædam acta Odiloni abbati ante istum annum tribuuntur. In Chronico Saxonico Odilo Cluniacensi cœnobio præfectus fuisse dicitur anno sequenti, illudque per annos LVI. miro religionis fervore rexisse & provexisse.

Prima instrumenta Cluniacensis archivi, in quibus Odilo abbas nominatur, sunt litteræ Humberti Gratianopolitani episcopi, qui Cluniacensi cœnobio, *ubi domnus Odilo abbas præest*, mediam partem castri de Ursilia cum toto burgo atque ecclesia sanctæ Mariæ, aliaque confert anno tertio Rodulfi regis. Accedit charta cujusdam Bernardi viri nobilis, anno septimo Hugonis regis data, qua servos aliquot manumittit *ad preces Viviani præpositi Clunienſis cœnobii, & monachorum*; remittitque

ANN. CHR. 991.

quamdam querelam adversus dictum *Cluniaci locum, cui domnus ac reverentissimus pater Odilo præest jussione sanctissimi patris Mayoli.* quo tamen anno in quibusdam aliis chartis Mayolus abbas appellatur. Jam vero in commisso sibi munere Odilo sic fratrum suorum profectui ac saluti procurandæ vacabat, ut nihil de sui ipsius cura remitteret. Hinc sollicitus fuit divinis officiis studiosius adesse, dura corpus inedia macerare, & quotidianum fere omnipotenti Deo missæ sacrificium non sine lacrymis offerre. quod mirum est ipsi licuisse inter tot negotiorum turbas, quibus tot monasteriorum rector premebatur. Mayolus vero hoc fere tempore a Willelmo Provinciæ principe, qui ejus benedictione ante mortem se muniri optabat, accersitus, cum in insula Rhodani ad vitandam turbam in tentorio constitisset, navigio ad se nihilo minus accedentes ab imminenti naufragio liberavit.

LX. Adsonis Dervensis abbatis extrema facta.

De Adsone Dervensis monasterii abbate jam sæpius in superioribus actum est. Hunc abbatem Manasses Trecassinæ ecclesiæ præsul multo colebat affectu, eique suæ parochiæ non minimam curam committebat. Hinc ei tria hoc anno altaria concessit, videlicet altare Laderciacæ-curtis, Dodiniacæ-curtis, quam sanctum-Christophorum vocant; & Regniacæ-curtis seu sancti Leodegarii. *Actum Trecorum civitate publice sub die* v. *idus Aprilis, anno* IIII. *regnante domno nostro Hugone rege.* Eidem Manassæ episcopo frater erat, Hilduinus nomine, Arceiacensis comes, qui Adsonem secum Jerosolymam anno insequente proficisci adegit. Eodem fere tempore Heribertus Trecensis comes, cognomento Vetulus, gravi morbo vexatus, adhibitis frustra medicorum remediis, ad sanctorum suffragia confugit. Postremo Vitriacum venit, auxilium Domini sperans ex virtute Clavi dominici, qui illic servabatur. Sed tandem divino instinctu Adsonem abbatem rogavit, ut pro eo tam ipse, quam cuncta Dervensis familia Deum precaretur. Indictæ ab Adsone nocturnæ ac diurnæ preces cum missa matutinali; tum missum ad ægrotantem poculum, ex contactu catenæ sancti Petri ibi asservatæ, & sancti Bercharii reliquiarum sacratum. quo hausto, comes sanitatem recepit. Ob memoriam vero tanti beneficii septem mansos apud Velcenias Dervensibus concessit; & ipsemet ad hunc locum profectus, *ad confirmationem largitionis inde se expelli a quodam monacho, nomine Albuino, fecit.*

LXI. Fingenius abbas trium monasteriorum.

Tunc temporis Mettense sancti Felicis seu sancti Clementis monasterium administrabat Fingenius abbas pietate insignis, cujus precatu Otto tertius omnes ejus loci possessiones & immunitates [a] confirmavit, talemque prædicto cœnobio defensionem contulit, qualem bonæ memoriæ pater ejus Otto, invictissimus cæsar, *tempore sanctæ memoriæ Cadroëlis abbatis* concesserat. Datum *anno incarnationis Domini* DCCCC XCI. *imperii vero domni tertii Ottonis* XIV. * *indictione* IV. *Actum kalendis Maii publice in palatio Neristen.* Rotbertus cancellarius hoc præceptum ad vicem Heriberti archicapellani recognovit. *Neristen* seu *Neheristein* locus est ad Rhenum, ubi Cadroe abbas Adeleidem augustam convenerat. Fingenius abbas, in prædictis laudatus litteris, genere Scottus erat, ex Hibernia oriundus, Cadroæ popularis sui successor in regimine monasterii sancti Felicis, dein abbas quoque sancti Symphoriani ab Adalberone secundo institutus ante annum insequentem: quo ineunte Otto imperator, rogante Adalberone episcopo, & interventu Adeleidis augustæ aviæ suæ, abbatiam sancti Symphoriani, tunc extra muros civitatis sitam, jam dudum destructam, sed ab ipso Adalberone instauratam, cum suis appendicibus auctoritatis suæ præcepto [a] confirmavit, ea conditione, ut abbas primus, nomine Fingenius, Hibernienfis natione, quem prædictus episcopus ibi constituit, ejusque successores monachos Hibernienses illic recipiant, quamdiu tales habere potuerint; & si tales defuerint, cujusvis nationis monachos admittant. *Datum* VIII. *kal. Februarii, anno dominicæ incarnationis* DCCCC XCII. *indictione* V. *anno autem tertii Ottonis regnantis nono. Actum Francofurt feliciter.* Non multo post idem Fingenius *raptus est de monasterio sancti Felicis, ad restaurandum* Virdunense sancti Vitoni monasterium post mortem Lamberti abbatis: *quia locus ille,* inquit Hugo Flaviniacensis, *per manum laïcam aliquantulum neglectus erat.* Septem dumtaxat monachi Scottigenæ illic erant, cum Richardus, ejusdem loci futurus abbas & ornamentum, cum Frederico comite illuc se recepit. Sic trium simul, eodemque tempore, monasteriorum rector fuit Fingenius, in quorum regimine præclare se gessit, complurefque discipulos insignes habuit.

a *Diplom.* p. 577.

* *lege* VIII.

b *Meurisse* p. 338.

ANN. CHR. 991.

De monachorum institutione in monte sancti Michaëlis superius egimus, deque Mainardo primo abbate, qui hoc anno vivere desiit, uti discimus ex brevi ejus loci chronico, in quo hæc [a] leguntur ad annum DCCCC XCI. *Mainardo primo successit Mainardus nepos ejus & prior, cujus tempore combustum fuit monasterium cum omnibus officinis.* De hoc incendio agit Glaber, aitque ecclesiam beati Michaëlis archangeli, quæ in quodam promontorio litoris oceani maris constituta, *toto orbe venerabilis habetur, & a plurimis terrarum populis frequentata*, incendio crematam fuisse Rotberti regis tempore, quo cometa quidam apparuit. Mainardus abbas secundus bona monasterii sollicitudine sua non mediocriter auxisse dicitur. Ejus tempore Norgandus Abrincatensis episcopus in eodem asceterio monachum induit. Non multo post Rolandus Dolensis antistes, qui monasticen illic professus erat, ibidem sepultus est, anno scilicet millesimo quarto. Post annos viginti dux Richardus & Hildebertus abbas ecclesiam ea, qualis nunc ex parte est, forma instauraruntReliqua loci ædificia variis temporibus constructa fuere post Philippum Augustum, qui monasterium post incendium Britannicum restruxerat. Lubet hoc loco rudem saltem admirabilis illius fabricæ descriptionem cum duplici ejus tabella exhibere, ad recreandam, qua fieri potest, lectoris attentionem.

LXII. S. Michaëlis de Monte abbates, & incendium.

a *Labbe to.* 1. p. 351.

Mons sancti-Michaëlis, instar excelsæ rupis seu promontorii, positus est in finibus Normanniæ & Britanniæ, quarum alteram ab altera fluviolus Coëtnus * dirimit. Ad orientem spectat Abrincas * urbem episcopalem, tribus circiter leucis distantem; ex opposito, pari fere intervallo, Pontem-Ursonis * ad fluviolum Coëtnum. Mons ille quotidie æstu maris cingitur, ad quem, ubi fluctus recessit, ex urbe Abrincatensi accedentibus dimidiæ leucæ via est per varium & instabile salum, peditibus & equitibus non sine periculo permeabile, unde Monti-sancti-Michaëlis in-Periculo-maris inditum vocabulum. Periculum auget fluviolus, a Glabro [b] dictus Arduus *, aliis Dero, qui aliquando intumescens, atque *intransmeabilis effectus*, magnum peregrinis impedimentum facessit, ut idem auctor testatur.

LXIII. Montis & monasterii descriptio.

* *Coesnon.*
* *Avranches.*
* *Pontorson.*

b *Glaber lib.* 3. c 3.
* *l'Ardée.*

In decliviori parte montis ad austrum opidulum est muris cinctum, in cujus extrema parte superiori occurrit porta ad arcem & monasterium, in summo monte cum ecclesia positum, tanta arte fabricatum, ut spectantibus pro miraculo habeatur; tanta vero soliditate, ut ecclesia, cujus orientalis facies Gothici operis delicatissima est, nullo ventorum procellarumve impetu concuti hactenus potuerit. Adhæret huic portæ domus prima custodiarum, ubi ab ingressuris, si qua habeant, arma, deponuntur, nisi ea retinere permittat monasterii prior, qui arcis prorector est. Inde ad ecclesiam, quæ in crepidine montis seu potius rupis sita est, sinuoso tramite ascenditur per urbem & arcem, cujus porta duplici turri instructa, duplici itidem cataracta munita est cum altera domo custodiarum. Illinc fit progressus ad monasterium, ad orientem januam habens ad claustra ferentem, ex quibus ad ecclesiam & inferius dormitorium planus aditus est. Inferiori dormitorio aliud superius superstructum est cum cellis ad aquilonem & austrum conversis, quarum porticus per vitream fenestram ab oriente illustratur, unde prospectus in urbem Abrincas, & in minorem rupem, vocabulo Tumbelaniam, una fere leuca dissitam: ubi arx & ecclesia cum prioratu, aliisque ædificiis non ita pridem visebatur, sed ob periculum hostium modo destructa. Hinc Mons-sancti-Michaëlis ad-duas-Tumbas olim appellatus. Sub duplici illo dormitorio exstat amplissimum refectorium pulcre illustratum, duplici instructum fornice columnis in medio interpositis; & sub refectorio ampla itidem aula, erogandis in pauperes eleemosynis deputata. Claustrum antiqui operis fabricatum est tempore sancti Francisci Assisinatis, cujus statua cum primigenio habitu illic cernitur, ab ejus discipulis studiose observata. Claustri pratellum plumbo constratum est, & sub eo fornix, in quo tres cisternæ, quæ pluviales aquas excipiunt. Claustrum ipsum incumbit ampliffimæ aulæ, equitibus ordinis sancti Michaëlis destinatæ, triplici fornice cum columnis innixæ: sub qua ejusdem amplitudinis altera aula est ad varios usus, in qua grus tractoria habetur ad sustollendas in altum res loco necessarias. In parte australi exstant abbatis ædes, infirmorum quoque necnon & hospitum, quorum cænaculum & aula portæ monasterii adhærent. Super hanc aulam habetur insignis bibliotheca, plurimis referta libris, cum editis, tum manu exaratis, maxime tempore Roberti abbatis, de Torinneio, vulgo de Monte cognominati, qui centum & quadraginta volu-

mina describi curavisse traditur. De hoc monte Guillelmus Armoricus initio libri
ANN. CHR. 994. VIII. Philippidos pulcre ita canit.

Hic summo rupis in vertice schemate miro
Condidit ecclesiam devotio Christicolarum,
Angelico monitu sibi quam sacravit honore
Perpetuo Michaël archangelus, ut famuletur
Christo semper ibi monachorum concio sancta:
Quo vix perque gradus ascenditur; inferiusque
Pendula villa domos plures habet, & speciosas,
Et populi multi satis ampla sede capaces.
Qui locus in cælum se taliter elevat, ut dum
A longe aspicitur, aliud nihil esse videtur
Arduæ quam turris hominum fabricata labore,
Quam soli est operata sibi divina majestas.

Plura de hoc monasterio habet idem poëta, alias, favente Deo, referenda.

Quod attinet ad ecclesiam, quæ tota plumbo tecta est, ejus navis ad crucem usque veteris operis est, haud affabre constructa: at cetera pars, quæ caput ecclesiæ cum capellis in circuitu continet, tanta elegantia & tam exquisito artificio fabricata est ante annos ducentos, ut mirum sit tam delicatum opus, tam diuturno tempore ventorum procellis resistere potuisse. Nova illa pars basilicæ, quæ sex aut septem præclara sacella in circuitu habet, grandibus columnis fulta est, inter quas habetur spatium ambulationi in tam angusto loco peropportunum. Ceterum sacra basilicæ supellex loci magnificentiæ respondet, uti & monasterii jura, quo nullum in tota illa plaga nobilius est. Inter sacras reliquias eminet sancti Autberti episcopi Abrincatensis corpus, in pretiosa capsa asservatum præter caput, quod peculiari theca inclusum est. Ad occidentalem basilicæ portam exstat alia præter superiores
* *Plate forme.* aula, quam Suvraii vocant, ex qua ad vastissimum catostroma * aditus est, tam ingentibus fultum pilis, ut horrorem spectantibus præbeant. quod etiam dicendum de pilis, quæ dormitoria fulciunt. Rudem hanc descriptionem augustissimi loci, quem mihi videre non licuit, ex aliorum relatu a me factam, lectori haud injucundam fore arbitratus sum: ad quam melius explicandam totius augustissimi loci duplicem conspectum hic exhibere visum est. Illuc inducti sunt Congregationis nostræ monachi anno M DC XXII. favente & agente sereniſſimo principe Henrico a Lotharingia, tunc loci abbate commendatario. Jam ad alia pergamus.

LXIV. S. Throtfredi abbas Guigo.

Quo tempore Guido seu Wido episcopus Anicienſem regebat ecclesiam, eodem Calmeliacensi sancti Theotfredi monasterio præerat Guigo, eo nomine primus, Arimanni successor, *abbas & præsul* dictus non semel in vetustis ejus loci monumentis, episcopus scilicet Glandevensis. Jam abbas erat, cum Bertrandus quidam, una cum uxore sua Petronilla, unum mansum in villa de Monte-bracho donavit Guigoni abbati & monasterio Calmilienſi. *Actum est hoc regnante Domino, & absente rege terreno*, id est post mortem Ludovici regis, Lotharii filii. quo etiam tempore Aspasius quidam aliam donationem eidem loco fecit, *rege terreno deficiente, & Christo regnante.* Ejusmodi formulis utebantur Aquitani plerique, qui Hugonem regem necdum agnoverant. Huc spectat aliud ejusdem monasterii instrumentum, quo quædam nobilis matrona, Aldeardis nomine, cognomento Aurucia, filium suum Ilionem Deo in eodem cœnobio serviturum obtulit, & cum eo quatuor mansos, de quibus pactum inière *Guigo abbas & præsul*, ac fratres cœnobii Calmilienſis: *& facta est inde carta congadiaria anno ab incarnatione Domini* DCCCC XCI. *regnante Domino nostro Jesu Christo, Francis autem contra jus regnum usurpante Ugone rege.*

LXV. Lezatenses abbates.

Consimiles itidem formulæ tunc adhibebantur in Occitania: quo in genere Atto & Amelius Lezatenſis monasterii abbates fuisse dicuntur *regnante Domino nostro Jesu Christo.* at initio præsentis anni jam agnitus erat rex Hugo, ut probat donatio vineæ a quodam Stephano facta Deo & sancto Petro, & sancto Antonio, atque *Benedicto abbati Lezadensis monasterii*, quam vineam ille ab Amelio abbate *propter sonipedem* ei venditum acquisierat. *Facta est scriptura hæc in mense Januario, anno* IV. *regnante*

rege Ugone. Neque tamen ubicumque legitur in vetustis instrumentis formula *regnante Christo*, certum indicium est defecisse legitimum regem, ut viri docti [a] observarunt. Sæpius tamen usurpata fuit vacante regno: cujus rei formulas diversas eruditus Baluzius [b] retulit in Appendice ad capitularia regum Francorum. Redeo ad Attonem abbatem Lezatensem, qui etiam sancti Stephani Asilensis pastor erat. Hic prædonum quorumdam vexationes sustinere non valens, una cum Aymerico decano Lezatensi auxilium imploravit præpotentissimi & nobilissimi illius regionis domini Raimundi-Willelmi. Haud scio an is sit Willelmus ille præpotens marchio, qui in ægritudine constitutus, Ugoni abbati cessit quæ habebat apud Blangiacum, regnante Rotberto rege. quo tempore idem Ugo a Rodgario comite & Aldana ejus uxore ecclesiam sancti Michaëlis de Pentecoste * accepit. Eodem rege Lezatenses abbates leguntur Gaucelmus, Atto & Aymericus, ambo, ut puto, sui nominis secundi.

ANN. CHR. 991.
a *Besly, & Blondel.*
b *Baluz. to. 2. Capit. c. 1535. & seq.*
* *Pentegos.*

In Belgio Heriwardus Gemblacensis abbas ex monacho sancti Michaëlis in Periculo maris, frater Erluini primi abbatis, post annos tres regiminis præfecturam alteri Erluino, prioris consanguineo, moriendo reliquit. Erluinus [c] iste, Erluini Cameracensis episcopi nepos, in Gorzienſi monasterio apprime regulari disciplina exercitatus fuerat: sed ad eam Gemblaci retinendam ipsi defuit vigor. nam sub eo emolliri cœpit districtio regularis, & paullatim tepescere sanctæ conversationis fervor. Ex hoc rerum spiritualium decremento orta dissipatio rei familiaris: qua in communi deficiente, sub obtentu egestatis quisque sibi, suisque privatis commodis consulere cœpit, &, post habita vita communi, rem peculiarem augere, vivere justo licentius, & jam non cœnobiticam, sed privatam vitam agere. Hinc vilescere bonæ opinionis odor, qui prius ex sancta Gemblacensium conversatione circumquaque diffundebatur, & infamari in auribus sæcularium, qui in monachorum mores inclementiores esse solent. Ad rei cumulum diuturnior fuit Erluini præfectura, ut posteris luce clarius innotesceret, quantum periculi rei monasticæ incumbat ex socordia & mollitie negligentium pastorum.

LXVI. Gemblaci relaxatio sub Erluino abbate.
c *Spicil. to. 6. p. 518.*

Paullulum extra metas evagari nobis liceat, referendo dedicationem Halberstadensis ecclesiæ hoc anno factam ab Hildibardo seu Hildewardo episcopo in festivitate sancti Galli, in cujus monasterio [d] idem præsul litteris institutus fuerat, ob idque hanc celebritatem ipso die festo sancti Galli perficere semper in animo habuerat. Huic dedicationi adfuit rex Otto cum avia sua imperatrice Adelaïde, & Mathilde abbatissa Quindelinburgensi, præter episcopos & proceres non paucos. Eidem etiam adfuisse dicuntur hi abbates, Manso Casinas, Thietmarus Corbeiensis, Liutzo Lunæburgensis, Ochtradus Mersburgensis, & Lambertus Longhelus, ex chronico Saxonico, in quo hæc dedicatio refertur anno sequenti. Præsenti autem anno Faillanus *Scottus beatæ memoriæ* [e] in monasterio sancti Galli e sæculo excessisse memoratur.

LXVII. Halberstadensis ecclesiæ dedicatio.
d *Ditmar. lib. 4. p. 39.*
e *Hepidan. Herman.*

Lambertus monachus auctor est, Gotehardum hoc anno monachum factum fuisse, nimirum in Altahensi Bajoariæ monasterio, quod anno superiori monasticam institutionem denuo receperat. Duplex fuit, estque etiam nunc Altahense monasterium, in Bajoaria inferiori ad Danubium, Superius [f] & Inferius. De Superioris origine nihil fere certi nobis reliquit antiquitas: Inferius anno DCC XLI. conditum fuisse constat testimonio Arnoldi monachi, qui acta sancti Godehardi episcopi Hildensheimensis, de quo in præsens agimus, litteris mandavit. Perstitit eo in loco monastica disciplina, ex eodem auctore, per annos centum, scilicet usque ad funestam dissensionem Ludovici Pii filiorum: quo tempore monastica illic norma defecit, successitque canonicalis ordo usque ad Ottonis tertii principatum: cujus anno septimo, id est Christi DCCCC XC. in pristinum monasticæ religionis statum reformatus est. Ante id tempus Godehardus, humili loco in villa *Ritenbach*, quæ de jure monasterii erat, scholis subductus, quas inconsultis parentibus frequentaverat, illic ab iisdem oblatus Deo est. Sic vero mores composuit, ut Christianus Patavienſis præsul eum in familiarium numerum adoptaverit, & ex cubiculario demum cancellarium instituerit. at veritus sanctus juvenis, ne in negotiis illis sæculi venenum ejus animo sensim insinuaretur, accepta recedendi facultate, cœnobium repetiit, subdiaconi ordine decoratus: ubi non multo post diaconatus gradu dignus judicatus est. Tunc temporis Altahense monasterium monasticis institutis,

LXVIII. Godehardus Altahæ monachus.
f *V. lib. 21. n. 59.*

ANN. CHR. 991.

quod Otto Magnus olim, repugnante Heinrico fratre Bajoariæ duce, fruſtra tentaverat, adjuvante demum ipſo duce, denuo refloreſcere cœpit Ottonis tertii anno ſeptimo, qui auctoritate ſua rem promovit. Præfectus novæ coloniæ Erkanbertus abbas, cujus ſaluberrimis admonitionibus nonnulli canonicorum illic degentium ad monaſtica vota convolarunt. Ex his non poſtremus fuit Godehardus, qui corde & animo novum amplexus inſtitutum anno ætatis triceſimo-primo, brevi ex tirone factus eſt aliorum præceptor. Qui Godehardum illuſtri genere ex comite Scheyrenſi ortum dicunt, revincuntur teſtimonio Arnoldi monachi ejus æqualis, qui in prologo ſuo refellit quoſdam vituperatores ſuos, indigne ferentes, quod *tam præclari & inſignis viri quaſi infimam genealogiam diffamaſſet.* Immo vero id ad ejus gloriam cedit, quod ex humili genere ad tantam dignitatem aſſurrexit.

ANN. CHR. 992. LXIX. Monaſteria duo in Saxonia fundata.

ANno inſequenti, ejus ſæculi nonageſimo-ſecundo, Hildewardus Halberſtadenſis epiſcopus, ſuperius laudatus, in caſtello Stuterlingeburgenſi monaſterium ſanctimonialium exſtruxit. quo etiam anno Adeleida imperatrix filiæ ſuæ Mathildi Quindelinburgenſi abbatiſſæ curtem Walbike, in Saxonia ſitam, ad quem uſum ipſa vellet, dono dedit. Mathildis vero nihil ſibi peculiare in hoc ſæculo reſervare cupiens, inibi cœnobium virginum *ſub regula ſancti Benedicti*, ut in chronico Saxonico legitur, in honorem ſancti Andreæ apoſtoli ædificari curavit. Eodem quoque anno Gerdagus Hildensheimenſis antiſtes, cum Roma reverteretur, Cumis deceſſit, cujus ſucceſſor Bernwardus, antea regis capellanus, monaſterium ſancti Michaëlis intra muros urbis exſtruxit, ibique inſtituit congregationem monachorum, quibus prædia & poſſeſſiones ad trecentos manſos largitus eſt.

LXX. Adſo abbas Dervenſis moritur.

In eumdem annum incidit mors Adſonis Dervenſis abbatis haud incelebris, qui in itinere Jeroſolymitano deceſſit, quod iter hac occaſione anno ſuperiori aggreſſus eſt. In Dervenſes optime affectus erat Manaſſes Trecenſis epiſcopus, qui ſe ſuæque parochiæ curam uni fere Adſoni commiſerat. Huic præſuli frater erat, moribus longe diſpar, Hilduinus nomine, comes Arceïacenſis Campaniæ, qui militari audacia multa facinora commiſerat. Ejus converſionem adortus Adſo, ſic eum ad voluntatem ſuam flexit, ut eum in ſe reverſum cogeret cuncta relinquere, & Jeroſolymam pœnitentis animo proficiſci; eique ſe comitem adjunxit exemplo ſancti Bercharii, primi ejus loci abbatis, qui Waimerum, ſancti Leodegarii tormentorum reum, Jeroſolymam ſecum olim adduxerat. Itaque hoc anno DCCCC XCII. Adſo cum Hilduino comite hoc iter ingreſſus, quo die intravit mare ducens ad portum Babylonis, litteras ſuis Dervenſibus ſcripſit: at in ipſo mari correptus languore, paullo poſt ſpiritum exhalavit XVIII. kalend. Julii. Ejus corpus quinto abhinc die ad portum inſulæ Aſtiliæ deportatum, ibidem humatum eſt. Scripſit Adſo inter alia librum de Antichriſto ad Gerbergam reginam, acta quoque ſancti Bercharii abbatis, & ſancti Baſoli confeſſoris, & aliorum. Adſoni ſucceſſit Beringerus ſeu Berengerius abbas, vir religioſiſſimus, qui baſilicam a deceſſore ſuo inchoatam perfecit, curavitque dedicari. Ejus tempore ſanctus Bercharius Dervenſes ſuos a Tullenſium inſultu protexit, aliaque miracula edidit, quæ monachus ejuſdem loci anonymus tempore Brunonis abbatis poſt medium ſæculum undecimum ſcripſit.

LXXI. Latiniacenſe monaſterium inſtauratum.

Dervenſium in primis patronus & benefactor eo tempore exſtitit Herbertus Trecenſis comes, eo nomine ſecundus, uti teſtantur complures donationes eidem loco factæ, quarum nonnullas in ſuperioribus retulimus. Idem comes ſe maxime munificum etiam præſtitit in Latiniacenſe agri Pariſienſis monaſterium, ab Erchinoaldo conditum ſæculo ſeptimo, ſed poſt annos ducentos a paganis, id eſt Nortmannis, deſtructum, & in ſolitudinem redactum, quod Herbertus inſtaurandum curavit, reſtitutis eidem abbatiæ poſſeſſionibus, quæ in ſæcularium manus devenerant. Hoc factum diſcimus ex diplomate [a] Rotberti regis, in quo notum facit, *quod quidam de noſtris*, inquit, *principibus, nomine Stephanus, nobilitate & potentia comes clariſſimus, noſter etiam nepos amantiſſimus, celſitudinis noſtræ magnificentiam humiliter adiit, & auribus noſtræ ſerenitatis devote intimavit, qualiter quamdam abbatiam, cujus monaſterium in Pariſienſi comitatu fundatum, in loco ſitum habetur, qui Latiniacus dicitur: quæ olim amplis terrarum ſpatiis & largis poſſeſſionibus ditata claruerat, ſed paganorum poſtea perſecutione deſtructa, & penitus deſtituta fuerat, pater ſuus comes Herbertus reſtauraverit, ac ſuis fidelibus comcambiis redditis, abbatiæ propriam*

a *Diplom. p. p. 581.*

terram pro parte maxima reſtituerit. ubi abbatiam a monaſterio, quod jam non ſemel obſervavimus, diſtinctam obſervare licet. Quo præciſe anno hæc inſtauratio facta ſit, quive primus ab inſtauratione abbas fuerit, incertum. Certe non videtur primus fuiſſe Herbertus ejus loci abbas, qui ſancti Benedicti regularibus diſciplinis in monaſterio Latiniacenſi ſe ſubmiſiſſe dicitur in libro de miraculis ſancti Wlframni epiſcopi Senonenſis. Jam ergo ante ejus iſtuc ingreſſum, at certe paullo ante, ibidem reſtituta erat diſciplina regularis. Hic eſt Herbertus ex Judæis ortus, « ſed a puero chriſtianus, qui in omni divina & humana philoſophia inter Francos « nulli inferior fuiſſe dicitur, & cantandi arte vociſque excellentia inter ceteros ma- « xime excelluiſſe, Gerberti auditor in urbe Remenſi, ac Rotberti Francorum regis, « necnon Fulberti, poſtea Carnutenſis epiſcopi, condiſcipulus. «

ANN. CHR. 992.

Ex his intelligitur, propagationem doctrinæ hoc tempore potiſſimum factam fuiſſe ab eccleſia Remenſi, ubi Remigius Autiſiodorenſis & Hucbaldus Elnonenſis monachi ſub decimi ſæculi initia eam reſtituerant: quæ a Frodoardo dein exculta, ac demum a Gerberto excitata: quo præceptore uſus eſt Fulbertus, a quo deinceps ceteri fere omnes inſtituti ſunt. Ab eodem quoque Gerberto eruditus eſt Abbo, qui Floriaci ſtudia litterarum perſecutus, eadem etiam in Anglos tranſtulit.

Doctrinæ propagatio ab eccleſia Remenſi.

LXXII. Fulberti epiſcopi primordia.

Admonet hic locus, ut agamus de Fulberto Carnutenſi epiſcopo, doctrina & ſanctitate percelebri, quem Baronius monachum dicit, certe monachorum perquam ſtudioſum, multorumque ex ipſis præceptorem fuiſſe conſtat. Ejus quam clara & illuſtris fuit ſanctitas & doctrina, tam obſcura patria & genus. Humili loco natum ſe ipſe dicit in verſibus, quos de ſe ſcripſit:

Conſcendi cathedram pauper, de ſorde levatus.

Idem ſe ipſum alloquens:

Te de pauperibus natum ſuſcepit alendum
Chriſtus, & immeritum ſic enutrivit & auxit,
Ut collata tibi miretur munera mundus.
Nam puero faciles providit adeſſe magiſtros,
Et juvenem perduxit ad hoc, ut epiſcopus eſſes.

Ipſe de patria ſua loquitur in epiſtola ſecunda ad Einardum, in editis mendoſe Finardum, a quo conſultus Fulbertus quid ſentiret de ritu illo, quo preſbyteris recens ordinatis hoſtia conſecrata in quadraginta dierum communionem ab epiſcopo tradi ſolebat; inter alia reſpondit, id ita ſtatui in quodam codice, quem *a natali patria* inter ceteros attulerat; tum facti rationem reddit, *Dum ego*, inquit, *codicem de ejuſmodi exemplaribus a Romano ſcrinio prolatum perlegam.* Ex quibus forte quis colligat, eum natione Italum fuiſſe. Huic propinquus erat quidam clericus Sueſſionenſis, quem Guidoni epiſcopo commendat epiſtola XXXV. Nepotem inſuper habebat quemdam laïcum, nomine Rodulfum, cui Arnulfus abbas & monachi ſuburbani ſancti Petri monaſterii Carnutenſis beneficium concedunt *petitioni fidelis ſui, nepotis domni Fulberti bonæ memoriæ præſulis*; annuentes, ut quamdam vineam, quam de eorum beneficio tenebat, mittat in dotem ſponſæ ſuæ Geilæ, Haldrici præpoſiti filiæ, ea lege, ut, quamdiu ipſe Rodulfus vixerit, monaſterio ſervitium exhiberet, & poſt eum ipſius heredes. Fulbertus ex auditorio Remenſi, ubi ſub Gerberti diſciplina meruerat, reverſus Carnutas, ſcholas ibidem tenuit, quæ ipſum maxime celebrem reddiderunt. Teſtis ea de re in primis Adelmannus ejus diſcipulus in rythmo [a] alphabetico, quem de ſui temporis viris illuſtribus compoſuit, de magiſtro ſuo ita canens:

a *Analect. to. I. p. 429.*

Carnotenæ decus urbis, memorande pontifex,
Te primum, pater Fulberte, dum te conor dicere,
Fugit ſermo, cor liqueſcit, recrudeſcunt lacrymæ.
Deploranda ſingillatim multa quidem memini,
Utpote convictor ſenis hærens ſæpe lateri,
Ore bibens auris fontem aureum melliſtui.
Eheu! quanta dignitate moralis induſtria,

ANN. CHR. 992.

Quanta rerum gravitate, verborum dulcedine,
Explicabat altioris arcana scientiæ!
Floruere te fovente Galliarum studia:
Tu divina, tu humana excolebas studia,
Numquam passus obscurari virtutem desidia.
Gurges altus in minores solvitur ut alveos,
Utque magnus ex se multos fundit ignis radios:
Sic insignes propagasti per diversa plurimos.

Ex his discipulis recensentur ab Adelmanno Hildierus, Sigo, Lambertus Parisiacus, Engelbertus Genabensis, Rainaldus Turonicus, Gerard-Gilbertus, Walterus Burgundio, Raginbaldus Agrippinas, Watho Legiensis, Odulfus & Alestanus, Warinus Mettensis, & Adelmannus Nemetensis, qui prædictum rythmum scripsit. Ex his duo priores Carnutenses fuisse videntur. Hildierus quippe, qui *ceterorum princeps, atque communiceps præsuli* fuisse dicitur, eumque *vultu, voce, moribus* retulisse, non alius videtur quam Hildegarius, cujus multæ exstant epistolæ inter epistolas Fulberti, qui eum Pictavos ad thesaurariam sancti Hilarii administrandam, & ad litteras docendas misit. Ejus est epistola in editis CXXVII. ad Fulbertum, quem rogat, *carissimum quoque* ejus *Sigonem, probis moribus & artibus magnum, centenas excipere salutes.* Hic est *Sigo levita*, in necrologio cathedralis ecclesiæ notatus ad diem v. idus Julii, *sapientia clarus, vitaque venerandus, cantor hujus sanctæ matris ecclesiæ nominatissimus, ammirandi præsulis Fulberti, dum terris exularet, fidus a secretis, postea, ut datur cerni, tumulator liberalis*, quippe qui celebrandis ejus exsequiis, ornandoque tumulo opes & operam contulerit. quæ omnia penitus quadrant iis, quæ de Sigone canit Adelmannus, ubi singularis *organali in musica* fuisse dicitur. Hæc in antecessum de Fulberto, qui non tantum in divinis humanisque litteris pro tempore excelluit, sed etiam in arte medica, ut complures ejus epistolæ probant. an vero monachus fuerit, ut Baronius aliique opinantur, inferius expendemus.

LXXIII. Herberti comitis obitus.

Non diu post instauratum Latiniacense monasterium superstes fuit Herbertus comes, cujus obitus notatur v. kalend. Februarii. Sepultus est in basilica Latiniacensi ad latus aquilonare, intra murum navis inferioris, cujus tumulus cum ossibus, destructa navi ruinæ proxima, in presbyterium novæ basilicæ e regione tumuli Theobaldi comitis, me præsente & cooperante, nuper translatus est, cujus lapidi inscriptum legitur semesum ipsius epitaphium, ex quo hos versus decerpsimus.

Exemplar morum, procerum lux, norma bonorum,
Solamen miseris, exicium sceleris,
Gloria virtutis, laus famæ, forma salutis,
Quo nil, dum viguit, clarius orbe fuit:
Insignis late comes Herbertus bonitate,
Hoc jacet in tumulo sub lapidum cumulo,
Cui feb. sensum . . . . . .
Dum dignum credit, munere quisque dedit.
. . . . . .
Viribus edomuit, subdere quos libuit.
Censu pupillos pavit, vestivit [egenos,]
Affectu mater . . . . . .

LXXIV. S. Benigno datum altare. a *Perard*, p. 166.

Non omittenda hoc loco charta, tametsi in speciem levis, Gerardi sanctæ Leucorum sedis præsulis, qui sancti Benigni monasterio decimas [a] Bertiniacæ-curtis donavit. Et quia *beneficium ipsius capellæ ad prædictum locum*, id est sancti Benigni, pertinebat, *altare, quod juris erat episcopi, perpetuo monachis concessit, ea conditione, ut annuatim pro censu duodecim denarios, ob memoriale signum subjectionis debitæ, aut solvant, aut excusent synodali termino. Dehinc, indultis omnibus servitiis, quæ synodalis consuetudo exigit,* PRESBYTERUM VICARIUM, *qui curam animarum gereret, subrogari præcepit. quo defuncto vel mutato, sine renovatione doni altaris, quod semel concessit, alter succedat. Actum Tulli in plenaria synodo* III. *idus junii, anno ab incarnatione*

natione DCCCC XCII. *indictione* V. Huic instrumento post episcopum & archidiaconos subscribunt quatuor abbates, Duringus, Rotbertus, Adelmannus, & Daubertus; & post eos decani rurales. In hoc instrumento prima, ut quidem mihi videtur, occurrit mentio *Vicarii perpetui*, immo & amovibilis. *Beneficium capellæ* non aliud est, ut existimo, quam reditus capellæ, ex quo congrua portio sacerdoti curam animarum gerenti præbebatur. Hinc donatio ecclesiæ differebat a donatione altaris, quod illa reditum, hæc plebani sacerdotis institutionem aut præsentationem spectabat. Hæc clarius in consequentibus exponentur.

ANN. CHR. 992.

LXXV. S. Cæsario facta restitutio.

Cum Arelatense sancti Cæsarii parthenium ad extremas fere angustias redactum esset, illuc venit hoc anno domnus princeps & marchio Provinciæ Willelmus, cum conjuge sua, cui nomen Adalax, & filio suo Willelmo, præsente quoque domno Annone archiepiscopo, ipsa die, qua is Eloissam ibi abbatissam ordinavit. Tunc Willelmo ejus loci virgines obnixe supplicarunt, *ut monasterio deserto aliquod juvamen præstaret, & ex villis, quas domnus Cæsarius antistes eis contulit in stipendia illarum, eis redderet.* quarum justæ postulationi libenter annuit pius princeps, eisque ablata restituit, in his ecclesiam sanctæ Mariæ, *quæ est fundata in loco maritimo, ubi nuncupatur Ratis.* Factum est hoc testamentum *in isto monasterio per præceptionem domni Willelmi principis consentientis, adstante domno Annone archiepiscopo cum canonicis suis.* Subscripsere Rotbaldus comes, Stephanus episcopus, Pontius item episcopus, scilicet Massiliensis; & post mortem Annonis Pontius archiepiscopus ejus successor. Eloissæ abbatissæ non multo post successit Adalwiz, cujus tempore, id est anno DCCCC XCVII. Theudaldus quidam, & ejus conjux Amelina, quæ illic habitum religionis, consentiente marito, suscipiebat, filiam suam parvulam, nomine Bliardam, nutriendam illic obtulerunt cum nonnullis prædiis, ut moris erat.

LXXVI. S. Oswaldus archiepiscopus obit.

In Anglia sanctus Oswaldus Eboracensis archiepiscopus ad superos migravit. Pridie ante ejus obitum, egressus oratorio, defixis in cælum oculis, Christum Dominum, ad quem anhelabat, suspexit. Interrogatus a suis, quid illius oculos sic defixos tenuisset? Considero, inquit, quo tendo, & ubi me crastina constituet. Tum regressus in oratorium, convocatis fratribus, impendi sibi *ministerium sacræ unctionis cum viatico dominici corporis* præcepit. Nocte sequenti, languoris sui oblitus, in ecclesia nocturnas vigilias explevit. Mane facto, pedes pauperum lavit, psalmis quindecim recitandis, uti consueverat, subjuncto versu *Gloria Patri*; atque ubi *Spiritui-sancto* absolvisset, in manus Christi spiritum emisit hoc anno bissextili, episcopatus sui tricesimo, pridie kalend. Martii, id est Februarii die vicesimanona. Sepultus est Wigorniæ, uti vivens mandaverat, in ecclesia sanctæ Mariæ, quam a fundamentis exstruxerat, ubi clericis expulsis monachos substituerat. Paullo post Ailwinus comes ejus amicissimus, cujus subsidio Ramesiense monasterium construxerat, amissi tanti præsulis dolore contabescens exspiravit, Ramesiæ cum debito honore humatus. Oswaldi res gestas litteris mandavit Fulcardus Sithiensis monachus, testante Orderico-Vitali, haud scio an is, cujus scriptionem ex Capgravio & Bollando edidimus. Post Fulcardum Oswaldi vitam scripsit Eadmerus noster, cujus hac de re libellus exstat in Angliæ-sacræ tomo secundo. Successit in sede Eboracensi & Wigornensi Adulfus abbas Burgensis seu Medeshamstedensis, qui post annos duodecim sancti Oswaldi corpus e tumulo levavit XVII. kal. Maii, & in scrinio, quod paraverat, honorifice reposuit. Stola ejus sacerdotalis in tumulo incorrupta reperta. Ipse vero non multo post, id est pridie nonas Maii, defunctus est, Wigorniæ itidem in ecclesia sanctæ Mariæ sepultus. Ipsi pro sanctitate ignoscitur, inquit Willelmus Malmesburiensis, quod contra regulas canonum duas sedes tenuerit: quod scilicet non hoc ambitione, sed necessitate fecerit. Wlstano non ita, qui sanctitate discrepabat & habitu. Hic Willelmo indignatur Godwinus, quod tam inæqualem de his duobus episcopis in pari causa ferat sententiam. Verum legitima dispensandi ratio aliquando est ecclesiæ necessitas, & sanctitas ejus, qui nulla ductus ambitione aut cupiditate, aliorum impulsu, urgenti necessitati ecclesiæ consulit.

Aldulfus abbas ei succedit.

Vix septem diebus ab Oswaldi obitu elapsis, decessit itidem nonis Martii Egelricus abbas Crulandensis post annos octo præfecturæ: cui successit Osketulus, post Amfridum ejusdem loci longo tempore prior. Ejus tempore sancti Neoti reliquiæ Crulandam allatæ ex eo loco, ubi a tempore Danorum inhonoratæ jacuerant: quas

Crulandæ abbates.

inde extulit nobilis matrona Lefwina Osketuli soror, & in Crulandæ monasterium cum digna reverentia deportari curavit.

ANN. CHR. 993. LXXVII. Sancti Udalrici episcopi canonizatio.

SUb initium insequentis anni DCCCC XCIII. sanctus Udalricus Augustensis episcopus, sollemni ritu in sanctorum numerum relatus est a Johanne papa XV. in synodo Romana, agente Liudolfo ejusdem ecclesiæ episcopo. Hæc prima videtur esse canonizatio sollemni illo ritu a Romano pontifice facta. Quæ enim prior esse dicitur sancti Swidberti canonizatio, nonnisi suppositiis actis asseritur, ut alias diximus. Ingressus synodum Liudolfus, protulit libellum de vita sancti Udalrici, ejusque miracula recitavit. quibus perlectis, Johannes pontifex communi consilio decrevit, *memoriam illius, id est sancti Udalrici episcopi, affectu piissimo & devotione fidelissima venerandam: quoniam*, inquit, *sic adoramus Sanctos, & colimus reliquias martyrum & confessorum, ut eum, cujus martyres & confessores sunt, adoremus: honoramus servos, ut honor redundet in Dominum. Data* III. *nonas* * *Februarii per manum Johannis episcopi sanctæ Nepesinæ ecclesiæ, & bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno pontificatus domini nostri Johannis sanctissimi XV. papæ octavo, indictione* VI.

* *al.* kalendas.

LXXVIII. Sigifridi comitis donatio S. Maximino.

a *Mir. dipl. Belg. p.* 52.

Iisdem anno & indictione Sigifridus [a] comes, scilicet Luciliburgensis primus, cum uxore sua Hadewige confert sancto Maximino, qui in suburbio Trevirorum requiescit, & cœnobitis Deo ibidem eidemque sancto confessori sub regula sancti Benedicti degentibus, quibus venerabilis Folcmarus abbas tunc præerat, unum mansum in villa *Marisch*, in comitatu Ardennensi, regimini filii sui Henrici subjacente, ad altare sancti Clementis, in eodem monasterio positum, ubi corpora sua humari volebant, hoc pacto, ut Nivelongus, qui prædium illud tenebat, ejusque successores quolibet anno persolvant quinque solidos probatæ monetæ pro stipendio sacerdotis, qui ibidem psalmorum & missarum sacrificia pro ipsis celebraturus esset. Addit Sigifridus & alias in eadem villa possessiones, quarum usum fructum conjugi suæ reservat. *Acta est hæc traditio publice Treviris in monasterio sancti Maximini, coram Hilderado ejusdem monasterii advocato, astante venerabili abbate Volcmaro* seu Folcmaro, *cum omni ejusdem loci congregatione, me Sigifrido comite, & conjuge mea Hadewich tradente sub fidejussoribus, quos vulgo Salibirgiones vocamus... anno dominicæ incarnationis* DCCCC XCIII. *regni Ottonis III.* X. *indictione* VI.

LXXIX. Ingelardus abbas Centulæ bona recuperat.

b *Spicil. to.* 4. *p.* 528.

Per idem tempus Ingelardus abbas Centulensis, post renovatas monasterii regulares ædes, recuperandis etiam amissis possessionibus, quæ vel a decessoribus suis, Gerberto & Fulcherico, tempore clericorum distractę fuerant; vel a prępotentibus eorum locorum occupatæ fuerant, animum adjecit. Quapropter non solum [b] regis Hugonis, sed etiam Johannis papæ auctoritatem contra ejusmodi raptores sibi conciliandam existimavit. Unde cum dura popularium corda regia auctoritate frangere & emollire non posset, Romam profectus, pontifici narrat, quo pacto percelebre S. Richarii monasterium, paganorum cladibus attritum, consultu Francicorum principum instaurare aggressus sit. Unum superesse, ut qui sacri ejus loci bona injuste abstulerant, restituerent; ad quod præstandum ne quidem regia auctoritate hactenus adduci potuerant. Orare se, ut, quod unum restabat efficax tanto malo remedium, apostolicæ excommunicationis interminatione id facere compellerentur. His commotus pontifex, litteras comminatorias scripsit Arnulfo comiti, Balduino comiti ac matri ejus, Gosberto vicecomiti, atque Ildiardæ, qui hæc bona partim abstulerant. Alteras insuper dedit ad Fulconem Ambianensem & Balduinum Teruannensem eorum episcopos, eisque mandavit, ut Ingelardo abbati succurrant, quo monasterium sancti Richarii suo & eorum auxilio relevaretur, & raptores illorum bonorum ad restitutionem censuris ecclesiasticis adducerentur. Ea res pro voto cessit Ingelardo abbati, qui ideo ab Hariulfo ejusdem monasterii chronographo laudatur: at culpatur, quod villas quasdam & ipse distraxerit, quasdam terras vel donando iis, a quibus aliquid servitii acceperat, vel desertas aliis concedendo, qui eas habitabiles & frugiferas redderent. Ad hæc ejus tempore Francorum reges quædam prædia Centulensibus abstulerunt ad facienda castella, nempe Abbatis-villam, Incram, & Domnum-Medardum. Eodem etiam abbate corpus sancti Vigoris Bajocassinæ urbis episcopi in Centulensi basilica depositum est; eodemque allatæ reliquiæ sancti Madelgisili confessoris e vico Pontivensis pagi Monasteriolo *, ubi primum sepultus fuerat. quod utrumque Hariulfus fuse commemorat. Idem abbas cum Notkero Leodicensi episcopo pepigit de

* *Monstrelet.*

his, quæ Centulenses in regno Lotharii possidebant. Floruere sub ipsomet abbate optimi quidam monachi, regularis disciplinæ servantes, Angelrannus seu Ingelrannus, cognomento Sapiens, Centulæ post Ingelardum abbas; Guido & Hucbertus Forestis-cellæ abbates, Arnulfus sancti Judoci; Gualterus, cognomento Grimutio, sancti Salvii apud Monsterolum * abbas. Ingelramnus Fulberti mox laudati discipulus fuit, eique jam episcopo quatuor libros metricos de vita & miraculis sancti Richarii nuncupavit.

ANN. CHR. 993. Centulæ viri insignes.

* *Montreuil. V. lib.* 58. *n.* 47.

Mortuus est hoc anno Willelmus dux Aquitaniæ & Pictavorum comes, cognomento Fera-brachia, monastico habitu prius suscepto, sepultusque est in monasterio sancti Maxentii apud Pictones, cui tum præerat Bernardus abbas, qui anno superiori Gerberto successerat. Willelmus paullo ante obitum Bernardo abbati & monachis sancti Maxentii vendiderat terram de Marciaco cum tribus ecclesiis (sic tempora ferebant) & quindecim villis. *Actum in suburbio Pictavis civitate & monasterio sancti Hilarii anno* VI. *regnante rege Hugone.* Chartæ subscribunt post Willelmum Hildebertus comes, Gisslebertus episcopus Pictavensis, Audoinus episcopus Lemovicensis, Ecfridus vicecomes, & Kadelonus itidem vicecomes. Idem Willelmus seu Guillelmus *dux totius monarchiæ Aquitaniorum* vocatur in ipsius authentico pro monasterio Burgulienſi, cui capellam sancti Dionysii in villa Juliaco donavit. Nullæ chronicæ notæ habentur in litteris hac de re confectis, quibus post Guillelmum ducem Aquitanorum apponuntur signa *Emmæ comitissæ, domni Guillelmi parvuli*, domni Gisleberti Pictavorum episcopi, Savarici sancti Hilarii clavigeri, Frogarii abbatis, Segoini abbatis, Constantini abbatis, & aliorum. Constantinus Nobiliacensi monasterio præerat. Bernardo abbati sancti Maxentii, Aldeardis comitissa, post sepulturam mariti sui Arberti vicecomitis, cœnobium sancti Leodegarii ad Seprim * amnem prope Niortum restituit pro anima sua & filii sui Aymerici. quo ex tempore ita subjectum fuit Maxentianis hoc cœnobium, ut abbas illic non institueretur absque consilio sancti Maxentii abbatis & monachorum. Hactenus subsistit hoc cœnobium, estque sui juris, situm in diœcesi Santonensi. Sancti Maxentii monasterium renovasse dicitur Bernardus abbas, cui successit Raynaldus, cognomento Plato dictus ob insignem sapientiam.

LXXX. Willelmus dux Aquitaniæ fit monachus.

S. Leodegarii cœnobium prope Niortum.

* *la Sevre.*

Hoc ipso anno Geyla abbatissa sanctæ Crucis apud Pictavos, villam de Criolio sub annuo censu donat monasterio Burgulienſi; cujus rei litteræ datæ sunt Hugonis regis anno septimo. Geyla successerat Hermengardi [a] abbatissæ, quæ Gaufrido Grisagonellæ Andecavorum comiti quædam prædia concessit, ea lege, ut monasterii esset defensor & advocatus. Nulla nobis deinceps sanctæ Crucis abbatissa occurrit ante Petronillam, de qua sæculo insequenti.

Abbatissæ sanctæ Crucis.

a *lib.* 48. *n.* 86.

LXXXI. Ecbertus Trevirensis præsul obit.

Sub finem hujus anni Ecbertus Trevirensis archipræsul fato functus est, scilicet v. idus Decembris, cum per annos duodecim illi ecclesiæ præfuisset. Is cum ad monasterium sancti Eucharii confessoris, quod ipse instauraverat, ad festum ejusdem sancti præsulis celebrandum accessisset; rogatus a fratribus, ut ipsorum mensæ accumbere dignaretur, morbum jam forte præsentiscens, capere illic cibum recusavit. Domum itaque reversus, moxque gravi morbo correptus, brevi postea ad vitam immortalem, ut pie creditur, inculpatus antistes migravit. Corpus ejus illatum in oratorium sancti Andreæ, ædi metropolitanæ proximum, ibique honorifice conditum fuit, appositio epitaphio apud Browerum relato, in quo ejusdem oratorii conditor dicitur. Ejus in ordinem nostrum beneficia prædicat non modo sancti Eucharii seu sancti Mathiæ monasterium, sed etiam Egmundanum in Hollandia, olim celebre, ubi oblatus Deo a parentibus fuerat: quod quidem monasterium innumeris donariis, librisque, atque aurea tabula immensi pretii decoravit, necnon pretiosa cruce, cujus mirificam virtutem infirmi persæpe experti sunt. Tunc Egmundensi monasterio præerat Bruno abbas tertius, successor Andreæ, qui Wonoboldo primo abbati subrogatus fuerat. De Reynero abbate quarto alias agendum. De Ecberti successore Liudolfo, nihil attinet dicere.

LXXXII. Gerberti ad eum epistolæ.

b *Gerbert. ep.* 106.

Quanta eidem Ecberto familiaritate conjunctus fuerit Gerbertus, complures ad eum scriptæ ab ipso Gerberto epistolæ testantur, in primis vero crux ejusdem Ecberti jussu elaborata pro Gerberto, qui eam sibi *in pignus amicitiæ* [b] mitti postulat. Eidem paullo ante ejus obitum scripsit epistolam XVIII. secundæ classis, ejus gratiam sibi reconciliare cupiens, qua se ob querimoniam *ex persona Arnulfi archi-*

ANN. CHR. 993.

episcopi factam excidisse subverebatur. *Veritus itaque sum*, inquit, *famulante conscientia, ne in oculis vestris displicerem, qui mihimet ipsi displicere jam cœperam, eo quod non socius vitiorum, sed princeps dijudicarer multorum scelerum*, nempe quod Carolo principi, & Arnulfo archiepiscopo, qui Remorum urbem Carolo prodiderat, adhæsisset. *Ille ego*, addit ille, *qui sub imperio beatæ memoriæ patris mei Adalberonis militaveram in schola omnium virtutum, nunc ego regiam incolo aulam, cum sacerdotibus Dei verba vitæ conferens: nec ob amorem Karoli vel Arnulfi passus sum diutius fieri organum diaboli, pro mendacio contra veritatem declamando. Oro itaque antiqua benevolentia vestra dignus inveniri: quippe existimatione vestra conscientiam meam detexi, ut ex me pernoscatis, quid de perditione * Remorum intelligere debeatis.* Hactenus Gerbertus.

* *f.* proditione.

LXXXIII. Bernwardus fit episcopus Hildensheimensis.

Hoc quoque anno decessit Gerdagus Hildensheimensis episcopus: cujus in locum subrogatur Bernwardus, ortus nobili Saxonum genere ex filia Adalberonis palatini comitis, eruditus primum a Folcmaro tunc diacono, postea Trajecti ad Rhenum episcopo, cui ab avunculo suo Ofdago episcopo commissus fuerat; dein a Tangmaro, primicerio scholæ puerorum, qui ejus vitam litteris mandavit. His magistris artes omnes, etiam mechanicas, perfecte didicit. Jam adolescens ab Ofdago episcopo ad minores ordines, tum ad majores a Willigiso Moguntino archipræsule promotus est, eique Otto tertius, septennis adhuc puer, educandus & informandus committitur. Demum post mortem Gerdagi episcopi, unanimi omnium consensu, a Willigiso archiepiscopo consecratur Hildensheimensis ecclesiæ episcopus XVIII. kalen. Februarii, hoc anno, & quidem indictione sexta. Quo in munere quanta gesserit, insignis de ejus vita liber accurate explicat: ex quibus ea tantum, quæ ad nostrum institutum pertinent, suis locis referemus.

Metelensis parthenonis controversia finita.

Hoc item anno contentio exorta est inter Dudonem Mimigardevordensem seu Monasterienſem episcopum, & sanctimoniales [a] monasterii Metelensis, quod Friduvigis prima loci abbatissa, in honorem sanctorum martyrum Cornelii & Cypriani a fundamentis exstruxerat. Hæc ab Arnulfo imperatore privilegium obtinuerat eligendæ abbatissæ & advocati: quod utrumque Dudo episcopus, vacante abbatia, sibi arrogare volebat. Lite ad Ottonem imperatorem delata, interventu Evergeri Colonienſis archiepiscopi, Bernardi ducis, atque Egberti comitis, aliorumque, abbatissam Godesdin & advocatum Wigmannum secundum votum sanctimonialium constituit. Actum Trotmannniæ octavo kalendas Februarias hujus anni, indictione sexta.

a *Annal. Paderborn. p.* 339.

LXXXIV. Desertinæ confirmata privilegia.

Desertinense in Rætia monasterium tunc regebat Erkanbertus abbas, Victoris successor, qui hoc anno Ottonem regem Diaspargi degentem adiit, petiitque ab eo, ut privilegia suo monasterio ab ejus patre & avo concessa, quibus libera abbatis electio, & bonorum possessio confirmata erat, sua auctoritate roboraret. Abbatis precibus accessit interventus Willigisi Moguntini archipræsulis, & Hildiboldi Wormatiensis episcopi: quorum suffragiis Otto assensum præbuit. *Data* VII. .... *Februarii, anno dominicæ incarnationis* DCCCC XCIII. *indictione* VI. *anno autem tertii Ottonis regnantis* X. *Actum Diaspargo feliciter.* Hoc diploma Hildeboldus episcopus & cancellarius vice Willigisi archiepiscopi recognovit.

ANN. CHR. 994.

PAullo ante finem illius anni decessit Conradus rex Burgundiæ Jurensis, qui monasterium sancti Andreæ, subteriusseu inferius dictum ad discrimen superioris, instauraſſe fertur. Hoc monasterium conditum erat jam inde a sæculo sexto, & a monachis possessum per annos amplius trecentos: at sæculo nono monachi vitæ laxioris ad canonicalem statum, ut in multis aliis locis, sponte defecerant. Sane in quibusdam instrumentis Ludovici imperatoris canonici in illo monasterio nominantur. Conradus vero mox laudatus monasticum illic statum restituisse dicitur, tametsi in litteris [b] Rodulfi regis, ejus filii ac successoris, hæc instauratio tribuitur Aimoino abbati, qui primus a restitutione monachorum abbas illic fuisse videtur. Aimoinus quippe venerabilis abbas prædicti sancti Andreæ monasterii Rodulfum regem adiisse dicitur, ac postulasse, *ut res, quæ ab ipso ad præfatum monasterium a se jam dudum* » *restauratum, delegatæ erant*, pro anima Mathildis reginæ, Rodulfi regis matris, » auctoritatis suæ præcepto ad sustentationem monachorum Deo ibi servientium corroborare dignetur. quod quidem præstat Rodulfus, & insuper consilio dilectæ con-

LXXXV. Sancti Andreæ monasterium Viennæ instauratum.

b *Spicil. to* 13. *p.* 272.

ANN. CHR. 994.

jugis suæ Agildrudis reginæ, ac fratris sui Burchardi Lugdunensis archiepiscopi, villam Crisinciacum eidem monasterio confert cum rebus omnibus ad ipsam respicientibus, ex multo tempore ab eodem monasterio ablatis, quas pro anima patris sui, *sicut ipse in fine obitus sui reddidit*, sancto Andreæ sanctoque Maximo ejus loci patronis restituit. *Data* II. *idus Januarii, anno incarnationis Domini* DCCCC XCIV. *indictione* V. (lege VII.) *anno vero domni Rodulfi regis primo. Actum Viennæ.* Ex quo intelligitur, Conradum anno superiori, & quidem XIV. kal. Novembris decessisse. quod alia quoque Rodulfi regis diplomata [a] confirmant. Idem Aimoinus abbas itidem erat monasterii sancti Petri Viennensis, ut patet ex quadam charta commutationis, inter monachos sancti Andreæ, & sancti Petri juxta urbem factæ, *sub præsentia amborum monasteriorum abbatis Aimoini* regnante Conrado rege.

a *Bibl. Sebus. p.* 13.

LXXXVI. Turbæ de Gerberti electione.

Arnulfo Remorum antistite exauctorato, & in carcerem Aurelianis conjecto, querelæ hac de re delatæ sunt ad Johannem pontificem, qui episcopos ejus facti auctores sacris interdixit. quo accepto, Hugo Francorum rex, cujus instinctu id factum fuerat, legatos Romam cum litteris misit, obtestaturus pontificem, ut sibi suisque justa decernat, nec dubia pro certis recipiat; ceterum nihil se contra ejus apostolatum egisse. Quod si absentibus non credat, præsens de præsentibus cognoscat. Gratianopolim civitatem in finibus Italiæ & Galliæ sitam esse, ad quam Francorum reges Romanis pontificibus ad se accedentibus occurrere olim soliti erant. Si huc pontifex ad se invisendum accedere velit, se eum summo cum honore ex albis descendentem excepturum.

LXXXVII. Gerberti hac de re epistolæ.

Interim Gerbertus varias ad amicos epistolas scribit, eorum opem & suffragia exposcens. Exstant hæ epistolæ omnes in secunda classe Gerberti epistolarum, quarum una [b] est ad Johannem papam, in qua vehementer se dolere ait, pontifici potuisse subripi, se cujuspiam pervasionis reum videri. *Eo quippe animo in ecclesia Dei*, inquit, *hactenus versatus sum, ut multis profuerim, neminem læserim. Non ergo Arnulfi peccata prodidi, sed publice peccantem reliqui, non spe, ut mei æmuli dicunt, capessendi ejus honoris, testis est Deus, & qui me noverunt: sed ne communicarem peccatis alienis.*

b *Gerbert. ep.* 38.

Duæ sunt aliæ ad duos e nostris, ut exteros præteream, ejusdem Gerberti epistolæ: quarum una inscripta est *Constantino Miciacensi abbati*, in qua Gallicanis episcopis succenset, quod Arnulfi exauctorationis ab ipsis factæ eos pœnitere videretur: altera *G. abbati sancti Geraldi & fratribus*, cujus hæc summa: se, dum urbem Remorum causa Dei fugit, urbi Remorum gratia Dei prælatum fuisse. quæ res gentes & populos in ipsius excitaverit invidiam. Causam forensi judicio ventilatam & discussam fuisse, & se quidem, quantum sua interesset, adversariis satisfecisse; nondum tamen semel cœpta in se odia deposita. *Adeste ergo*, inquit ille, *reverendi patres, vestroque alumno fusis ad Deum precibus opem ferte. Discipuli victoria, magistri est gloria. In communi quidem omnibus vobis pro mei institutione grates rependo, sed specialius patri R. cui, si quid scientiæ in me est, post Deum inter omnes mortales grates rependo.* Hic est Raimundus Auriliacensis abbas, Gerberti magister & institutor: at quis ille abbas, cujus nomen a littera G incipiebat, ut in epistolæ titulo legitur, incertum. Forte Raimundus, cum jam provectæ esset ætatis, alium sibi coadjutorem & coabbatem adsciverat: at proximus ejus successor in Auriliacensi chronico [c] notatur Adraldus, eo nomine secundus; & post eum Geraldus, cui præmissæ epistolæ conveniret inscriptio, si tempus concordaret. Forte error est antiquarii, qui pro A sive Adraldo G. suppositit. Adraldus vir laudabilis dicitur, ortus ex opido sancti Christophori, cujus mater prædives ipsi magnum pondus auri & argenti commendasse dicitur, ex quo imaginem beati Geraldi & altare argenteum fabricaverit. Ejus etiam tempore comitissa Narbonensis eidem calicem crystallinum gemmis ornatum contulisse traditur. Eo abbate Auriliacum secessit Leo episcopus Caïetæ, de quo in libro sequenti. In fine Gerbertus Auriliacense collegium valere jubet, suosque notos & affinitate conjunctos, si qui superſint. Tum epistolam ita concludit. *Quæ adulescens didici, juvenis amisi: & quæ juvenis concupivi, senex contemsi. Tales fructus affero mihi. O voluptas! Talia mundi honores pariunt gaudia. Credite ergo mihi experto: in quantum principes exterius extollit gloria, in tantum cruciatus angit interius.* Sic Gerbertum jam tenebat satias mundi honorum, tametsi hic non stetit ejus fortuna.

Auriliacenses abbates.

c *Analect. to.* 2. *p.* 241.

ANN. CHR. 994. LXXXVIII. Mayoli extrema facta.

Biennio ante obitum, qui hoc anno contigit, Mayolus abbas Cluniacensis a publico prorsus abstinuit, in monasterio vel in privata cellula omnino se continens, ubi tum suæ ipsius saluti in lectione & oratione, tum fratrum profectibus se totum impendebat. Videres in effeto sene recalescere mentis fervorem, & quasi juvenili vigore præditum corpus ad omnia pietatis & laboris consueti officia expeditum famulari. Dum his studiis vacaret, contigit sanctum Gerardum Tullensem episcopum ad cælum migrare. quod Mayolus Cluniaci cælitus mox resciens, id fratribus pulsato cymbalo nuntiavit. Fulcuinus Mettensis apud sanctum Arnulfum monachus, in extremis agens, in raptu contemplatus est gloriam ejusdem episcopi in cælum ascendentis. Gerardi obitus contigit IX. kal. Maii. Interim Mayolus ab Hugone rege Parisios invitatur ad componendum Dionysiani monasterii statum, ubi regularis disciplina deferbuerat, Guarino tum abbate, qui Rotberto successerat. Nec mora Mayolus itineri se accingit, nulla senectutis habita ratione, licet finem vitæ suæ jam instare non ignoraret, *bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans, si ordinis monastici professores in justitiam & sanctitatem sibi socians, caritatis unitos vinculo dimitteret.* Arrepto itaque itinere, Arvernensem pagum ingressus, apud Silviniacum, cellam monasterii sui Cluniacensis, morbo correptus, supremum vitæ suæ diem ilico adesse intellexit. Tum consternati fratres ipsum interrogant, „ eccui gregem sibi commissum patrono commendaret. Ad quos ille: Jesum, inquit, „ summum pastorem habebitis protectorem, si divinorum præceptorum ac regulæ „ servantes fueritis. Iterum percontantibus fratribus, si quid molestiæ sentiret; Nihil, inquit, sed omnia tranquilla, Deo dante, & quieta. Dein, fratribus, uti rogaverant, absolutis & benedictione donatis, obmutuit, tacite nihilo minus versus quosdam repetens, & signum crucis sæpissime sibi imprimens; sicque, integris ad illam ætatem sensibus, placide obdormivit v idus Maias, illucescente feria sexta, post ascensionem Domini; & in basilica beati Petri humatus est: ubi postea tot miraculis claruisse[a] dicitur, quot nullus sanctorum in tota Europa post sanctam Dei-genitricem. Odilo, ejus in abbatiali dignitate successor, testatur, Hugonem regem sua præsentia & regalibus donis exsequias ejus honorasse, ac tumulum. Qui dum viveret pro sancto habitus fuerat, non mirum si statim a sua morte sanctus dictus est. Hinc Adelais imperatrix anno millesimo in extremis agens, non modo beatissimum patrem Benedictum donis honoravit, sed etiam *beatæ recordationis patrem Mayolum, cælesti gloria jam coronatum, quem, dum in hac vita subsisteret, præ cunctis mortalibus illo ordine diligebat.* Certe statim ab ejus obitu erectum est super ipsius tumulum altare, (is primus ad canonizationem tum gradus erat) quod Beggo Arvernensis episcopus, Hugone adhuc regnante, consecravit. Ejus festum inter præcipuas anni sollemnitates censetur apud Udalricum[b], cujus tempore ecclesia[c] sub sancti Mayoli nomine apud Cluniacum erat. In kalendario Aginnensi, v. *idus* Maii notatur *transitus beati Mayoli, cognomento Hominis-Dei.* Sacrum ejus corpus ab Urbano secundo e tumulo levatum hactenus Silviniaci asservatur cum ejus scapulari, cujus formam in præfatione Sæculi quinti Benedictini exhibuimus.

Silviniaci moritur.

a *Petrus Ven. lib. 2. de mirac. c. 31.*

b *Consuet. Clun. lib. 1. c. 11.*

c *ibid. c. 54.*

LXXXIX. Vitæ ejus scriptores.

Sancti Mayoli res gestas litteris mandarunt conjunctis studiis Syrus & Adelbaldus Odilonis discipuli, & post eos Odilo ipse abbas Cluniacensis ejus successor, qui non tam novam de Mayoli vita commentationem, quam encomium composuit. His accessit Nalgodus Cluniacensis itidem monachus sub Petro Venerabili. Quis tres Mayoli miraculorum libros scripserit, incertum. Redeo ad duos primos ejus vitæ scriptores, ex quibus prior Syrus, flagitante Warnerio, *sanctæ recordationis* monacho, id operis aggressus est. Cum vero Syrus Papiam missus opus imperfectum reliquisset, Warnerius, & ipse in Alsatiam directus, illud secum detulit: quod cum Odilo postea in Morbacensi cœnobio reperisset, Syro ex Italia reverso ut id perficeret curam demandavit. Ille vero tribus libris exsecutus est, quos Odiloni abbati nuncupavit. Post Syri obitum, Adelbaldus singulis libris prologos addidit ornamenti gratia, libriscque ipsis versus quosdam inseruit, sed nullum factum a Syro prætermissum retulit, nisi quod initio primi libri quædam narravit de Sarracenorum impressione in cœnobium Lirinense, quæ non pertinent ad Mayoli historiam.

XC. Discipuli ejusdem.

Mayoli præcipui discipuli fuere Odilo & Willelmus, ille ipsius Mayoli successor, hic abbas Divionensis, qui multum contulit ad Odilonis conversionem, & monasteria non pauca ad meliorem frugem revocavit. De hoc agens Odilo ipse in

ANN. CHR. 994.

encomio sancti Mayoli ait, Willelmum ex omnibus, qui in spirituali domus Dei fabrica insudarunt, plus omnibus laboravisse. His adjungendi Teuto Fossatensis, & Heldricus Autisiodorensis sancti Germani abbates, quorum mentio suis locis; Vivianus item sub Mayolo præpositus Cluniacensis post Hildebrandum, quem Mayolus ad deferendum sæculum adduxit. Nec prætermittendus Willelmus dux Provinciæ, qui hortatu Mayoli in extremis *beati Benedicti percipere meruit habitum*, testante Odilone. Id sine dubio contigit in extremo illo morbo, quem Syrus in libro tertio commemorat: ubi Willelmus *Provincialium princeps*, cum *ultima sorte* se prægravari sentiret, Mayoli meritis se ab æterno animæ interitu servatum iri confisus, eum *ad Avennorum opidum* seu Avenionem accersivit. quo tempore Mayolus ad vitandam turbam in Rhodani insula subsistens, utriusque sexus multitudinem ad se navigio accedentem ab imminenti naufragio liberavit. Idem Willelmus, *pater patriæ* dictus, villam quamdam *Sarrianis* Cluniacensi monasterio, *& loco, in quo se sepeliri rogavit*, & *beato Mayolo adhuc in carne viventi & ipse vivens delegavit, & moriens donando attribuit:* ubi Ragembaldus Arelatensis pontifex ecclesiam in honorem sancti Marcellini papæ & martyris & sancti Saturnini postea dedicavit. Denique principes omnes, qui Mayolum noverant, eum summis affecerunt honoribus: quos inter Hugo Francorum rex, qui eum viventem magnopere coluit, etiam mortuum in primis veneratus est. nam quadam infirmitate vexatus, cum Burchardo comite, & Rainaldo ejus filio Parisiensi episcopo, Silviniacum ad sancti Mayoli tumulum profectus est, ubi quemdam cæcum, ejus meritis illuminatum offendit, atque ab eo rei veritatem accurate exquisivit. qua comperta, mirifice recreatus Parisios revertit.

XCI. S. Dionysii monasterium reformatur.

Propositum reformandi sancti Dionysii monasterii, obitu sancti Mayoli interceptum, non abjecit idem princeps, sed eam curam Odiloni ejus successori demandavit. quod Ademarus monachus testatur his verbis: *Beati Dionysii cœnobium, quod jam pristinam monasticam corruperat regulam, rex Hugo regulari honestate, sicut in ecclesiis Domini rectum erat, honestius restauravit per manum venerabilis Odilonis abbatis; & alia nonnulla sanctorum monasteria in decorem pristinæ disciplinæ revocavit.* Hinc inter ejusdem cœnobii abbates censetur Odilo, qui tamen vice sui Vivianum illic abbatem instituit, eum forte, qui sub Mayolo Cluniaci officium præpositi gesserat. Sic vero neglectus antea erat hic locus, *ut ordo sacræ religionis usque ad sæcularem pompam devenisset:* bona ejus distracta, adeoque monasterium multis calamitatibus oppressum, ut Rotbertus rex[a] in quodam diplomate testatur. Tantæ sacri loci calamitatis commiseratione tacti Hugo & Adelaïdis regina, una cum filio suo Rotberto, ordinem in eo monasticum reparare consilio procerum suorum studuerunt; ob idque Vivianum, magnæ prudentiæ & industriæ virum, eidem loco præfecerunt qui eorum votis optime respondit. In hoc monasterio id miraculi accidisse ait Odilo, quod cum libros Dionysii de hierarchia, qui tum rariissimi in his partibus erant, perlegeret Mayolus, eoque in somnum resoluto, codex candelæ igne correptus fuisset, nihilo minus ab igne intactus remanserit.

a *Doublet p. 827. & seq.*

XCII. S. Mariæ de Campis cella.

Sub idem tempus apud Parisios beatæ Mariæ de Campis suburbana ecclesia, quam a sancto Dionysio primitus conditam tradunt, monachis Majoris-monasterii concessa fuit, & in cellam erecta. Jam enim Hugonis regis anno octavo, Rainoldi Parisiensis episcopi quarto, idem Rainoldus seu Rainaldus *terram de altari sancti Stephani*, quæ parœcialis apud Parisios ecclesia est, basilicæ sanctæ Genovefæ adjuncta, in villa pagi Blesiacensis Gilliaco, quæ terra in feodo Burchardi comitis exsistebat, possidendam confert monachis Majoris-monasterii, *apud beatam Mariam de Campis degentibus.* Id factum, ut mox dicebam, anno Hugonis regis octavo, Rainoldi episcopi quarto, XVIII. kal. Aprilis. Hic annus sequenti anno incarnationis affignandus est, qui mense Martio Hugonis regis octavus a mense Julio erat. Ad Rainaldum episcopum quod attinet, hic in alia charta[b] episcopatus sui annum primum alligat anno Hugonis regis quinto. quod cum præcedenti instrumento recte quadrat. Ab hoc tempore de cella beatæ Mariæ a Campis nihil occurrit usque ad annum M LXXXIV. quo Goffridus Parisiorum episcopus monachis ejus cellæ quatuor altaria concessit, scilicet sanctæ Mariæ in villa, quæ dicitur Incampus, sancti Juliani de Versaliis, sancti Dionysii apud Uncinas, & sancti Germani in Villa-pyrorum *. quod factum notat anno episcopatus sui tricesimo-quin-

b *Dubois hist. Paris. to. 1. p. 606.*

* *Villepreux.*

ANN. CHR. 994.

to, Philippi regis tricesimo-sexto. In eamdem cellam munifici fuere Ludovicus VI. & Ludovicus VII. Ibidem anno M CCC XLII. Fulco Parisiensis antistes ab Ambaldo episcopo Tusculanensi, papæ nuntio & cardinale, consecratus est, datis litteris, quibus jus nullum in illam ecclesiam sibi competere testatus est. Hanc cellam, cui cella de Givisiaco tributa erat, ad annum M DC III. tenuerunt Majorismonasterii monachi, quibus demum Carmelitæ excalceatæ successere. Ad majorem portam illius ecclesiæ, qua vix ulla in urbe ornatior est, prostant veteres statuæ regum & episcoporum.

XCIII. S. Germani Autisiodorensis privilegiū.

Versabatur apud sanctum Dinoysium hoc anno v. idus Octobris idem rex Hugo, cum rogatu Heinrici ducis Burgundiæ fratris sui, & Hilderici abbatis, Autisiodorensi sancti Germani monasterio liberam eligendi abbatis facultatem confirmavit, necnon abbatiolam[a] sancti Leodegarii de Campellis, sitam in pago Besuensi, ea conditione, ut in ea sint octo monachi, subjecti abbati sancti Germani. *Datum* v. *idus Octobris, anno regum Hugonis atque Rotberti* VIII. *Actum in monasterio sancti Dionysii feliciter.* In hoc diplomate Hildericus abbas *vir Deo plenus* dicitur, quem unum e sancti Mayoli discipulis fuisse mox notavimus[b].

a *Diplom. pag.* 578.

b *V. supra num.* 20.

XCIV. S. Michaëlis in Eremo ecclesia S. Florentio data.

Anno Hugonis regis septimo Aimericus Toarcensium *proconsul* seu vicecomes, postea Namnetensis comes, ecclesiam sive cellam sancti Michaëlis, quam dicunt in Eremo, diœcesis modo Lucionensis, sancti Florentii monasterio Salmurensi, cui Rotbertus abbas tum præerat, liberaliter concessit. Hæc donatio tenuit toto tempore Rotberti præfecturæ: at eo mortuo Pictavorum comes illuc profectus, cum piscium multorum *scutellatam* a monacho præposito per nuntium petiisset, ea sibi denegata in tantum excanduit, ut monachos Salmurenses inde expulerit, & sancti Michaëlis cellam in abbatiam erexerit. Prædictus vero Aimericus, cum prole careret, quasdam juris sui villas sancto Florentio contulisse dicitur, prædio quodam prope Toarcium a Rotberto abbate ad vitam accepto, quod Rodulfus, frater ejus & heres, post illius mortem injuste retinuit.

Item Livriacum.

Eodem fere tempore Gaufridus, Conani Brittonum comitis filius, Fulconis Nerræ ex sorore nepos, Galone monacho impetrante, Livriacum* sancto Florentio donavit, cum eo, ut fieret anniversarium patris sui Conani, quem prædictus Fulco in prœlio necaverat. quam donationem Galterius Redonensium præsul ratam habuit, ipsumque locum ab omni exactione absolvit. Gaufridus vero, in Romano itinere ab hospita ob gallinam ab ejus accipitre occisam lapide percussus, Alanum sanctimonialium Redonensium abbatiæ fundatorem, & Eudonem filios suos heredes reliquit. Idem Rotbertus abbas fuit etiam monasterii Miciacensis seu sancti Maximini prope urbem Aurelianorum, haud dubie post Constantinum, ad quem exstat epistola Gerberti Remorum tunc archiepiscopi, ut superius[c] observatum. Constantinum præcesserat Amalricus, de quo, aliisque ejus antecessoribus agit Letaldus in libro de miraculis sancti Maximini ejus loci abbatis.

* *Livré.*

Miciacenses abbates.

c *supra n.* 87.

XCV. S. Martialis delatio, ejusque loci abbates.

Post Guigonem sancti Martialis apud Lemovicas abbatem, itidemque sancti Eparchii Ecolismensis, ubi & sepultus est, abbatiam sancti Martialis tenuit Joffredus abbas in annos septem: cujus tempore, id est præsenti anno, tanta ignitorum morborum plaga desæviit in Aquitania, ut amplius quadraginta millia hominum interierint. Ut vero grassanti pesti cæleste remedium adhiberetur, Aquitaniæ episcopis visum est, ut sancti Martialis corpus sollemni ritu in Montem-gaudii deferretur. Nec spem fefellit eventus. nam statim atque sacer loculus levatus est, plaga illa mox cessaviisse traditur. Hæc *translatio* ab omnibus celebrata memoratur per continuos quadraginta dies: eaque peracta, sacrum corpus pridie nonas Decembris tumulo suo restitutum. Id factum, ut jam dixi, tempore Joffredi abbatis, eo nomine primi, qui ex aurea icone sancti Martialis loculum fecit aureum cum gemmis, in quo vectum est corpus sancti Martialis. Joffredo successit in annos novem Adalbaldus, cujus opera basilica sancti Martialis renovatur. Adalbaldum XI. kal. Augusti defunctum excepit Joffredus secundus, cujus anno secundo sepulcrum Domini Jerosolymis a Sarracenis & Judæis confractum perhibetur, & alia circumquaque loca vastata, excepto Bethleemi opido, quod perfidi illi barbari violare non potuerunt. Confractum porro est sepulcrum Domini III. kalend. Octobris, sed mox reparatum ab ipsis Sarracenis timore perterritis. Hæc vastatio contigit anno MX. testante Gaufredo[d] Priore Vosiensi; atque adeo Joffredus secundus præfecturam iniit anno M VIII.

Jerosolymorum vastatio.

d *Labbe to.* 2. *p.* 296.

M VIII. Quapropter si epistola[a] illa, quæ inter Gerbertinas vicesima-octava exstat, scripta universæ ecclesiæ, *ex persona Jerusalem devastatæ*, ipsius Gerberti est, ad aliam priorem cladem referri debet. Quæ hactenus de abbatibus sancti Martialis diximus, auctorem habent Ademarum[b] Cabanensem, sancti Eparchii apud Ecolismam monachum.

ANN. CHR. 994.

a *V. lib.* 49. *n.* 90.

b *Labbe p.* 272. *& seq.*

Jam annos quinque Romæ in monasterio sanctorum Bonifacii & Alexii sanctissime exegerat cum Gaudentio fratre suo Adalbertus episcopus, cum Pragam civium desiderio revocatur a Willigiso Moguntino archiepiscopo, qui Pragenses sine pastore esse graviter ferebat. Hujus rei causa legati Romam directi ad Johannem pontificem ad repetendum Adalbertum: scilicet Radla, Boleslai ducis frater, qui sancti viri *pappas* sive discipulus dicitur, & Ztrasquasus monachus, prædicti Boleslai frater, uterque filius Boleslai cognomento Sævi, qui sanctum Wencezlaum fratrem suum interemerat, cui facinori expiando filium suum Ratisponæ in monasterio sancti Emmerammi Deo voverat. Nuntiis auditis, pontifex synodum episcoporum convocavit, in qua grandis controversia Pragenses inter & monachos sancti Bonifacii agitata: his monachum jam suum retinere certantibus, illis episcopum repetentibus suum: sed tandem legatis cessit victoria ex sententia pontificis, eo pacto, ut si denuo Boëmi obtemperare Adalberto detrectarent, is ab eis quantocius absque periculo capitis sui recederet. Itaque, monachis tanti viri jacturam deplorantibus, Roma legati cum Adalberto discedunt læti & alacres, eisque Pragam accedentibus tota civitas in occursum ruit, festivisque plausibus episcopum suum excipit, data ab universis fide, se in omnibus ejus mandatis obsecuturos, vitamque ad ejus nutum composituros. Verum facta ipsa brevi fidem fefellerunt. nam paullo post eos cepit innata mollities, &, neglectis viri Dei prædicationibus, itum in omne nefas. Sicque periere labor pastoralis, & diligens cura boni patris. Inter hæc mulier quædam in adulterio deprehensa, ob idque capitis damnata, refugit ad episcopum, qui eam e manibus persequentium eripere cupiens, in puellare monasterium sancti Georgii recluſit, firmissimum vallatum muris, ratus, miserabilem feminam non tantum inter sui sexus feminas solatia doloris habituram, sed etiam sub altaris asylo tutam fore. Hinc versus inimicorum furor in episcopum, quasi contra fas & leges adulteram defenderet. Mox cum armato milite episcopale forum irrumpunt sub medium noctis, quo tempore piissimus antistes orationi vacabat. Ubi fremitum strepitumque irrumpentium audivit, *dicto versu fregit silentia*, & fratribus salute cum osculo impertita, martyrii ardore flagrans, furenti turbæ occurrit. Ast illi ex ipsis aris extrahunt infelicem mulierem, quæ pœnas violati pudoris capite exsolvit. His atque aliis indomitæ gentis vitiis curandis cum nulla remedia prodesse videret optimus pater, rursus Praga discedere, & ad Romanum sancti Bonifacii seu sancti Alexii monasterium se se recipere constituit.

XCVI. Adalbertus Pragam revocatur.

XCVII. Wolfgangus episcopus Ratisponæ obit.

Inter ea contigit Ratisponensem ecclesiam pastore viduari, morte scilicet sancti Wolfgangi episcopi, qui, cum ad orientalem Bajoariæ regionem muneris sui causa pergeret, in loco, qui Puppinga dicitur, vitæ cursum absolvit. Morti proximus, in oratorium sancti Otmari se portari jussit, & ante altare deponi; ubi orario accepto, per confessionem primum se expiavit. tum sumto viatico, humi se prostravit. Cumque æditui & ejus cubicularii ex ecclesia omnes, exceptis familiaribus, ejicere vellent; prohibuit vir sanctus, ut ex eo discerent omnes, se esse mortales, & quo pacto ad mortem se præpararent. Adspiciat quisque, inquit, in morte nostra, quod paveat & caveat in sua. Ita compositus mortem obivit pridie kal. Novembris. Corpus ejus relatum in urbem, primo quidem in majorem sancti Petri ecclesiam portatum est, dein per singula urbis monasteria, ac demum in basilicam sancti Emmerammi, ubi septimo ab ejus obitu die humatus est. Funus ejus curavit Hartwicus Saltzburgensis antistes, præsente Aribone comite. Vitam ejus posteris mandavit anonymus auctor gravis, ejus familiaris, & post eum Arnolfus monachus sancti Emmerammi, qui Wolfgangum Ratisponæ duodecimum episcopum numerant.

XCVIII. Ramvoldus abbas S. Emmerammi falso accusatur.

Huic suffectus e cœtu canonicorum Gebehardus pro more illorum temporum, quibus temporibus viciſſim sibi in illo episcopatu succedebant monachi & canonici, ita ut monacho succederet canonicus, & vice versa canonico monachus. Initio pontificatus Gebehardus bona temporalia sancti Emmerammi usurpare voluit, & resis-

ANN. CHR. 994.

tentem Ramvoldum abbatem apud Ottonem tertium infamavit. Dictis autem facilius præbuit rex, moxque ad sanctum Emmerammum, ut abbatem forte præfectura privaret, iratus accessit. Verum abbatis innocentia probata, ipsum adeo coluit, ut conscientiam ei suam in oratorio sancti Benedicti, *in humili tripedica* sedens, aperuerit, & accersito Gebehardo graviter interminatus sit, ne quid umquam contra sancti Emmerammi locum attentaret. Demum, abbati & fratribus vale dicto, Otto ad Italiæ iter se comparavit.

XCIX. Seonense monasterium fundatur.

Idem qui supra Aribo comes hoc anno monasterium in Bajoaria inferiori, & quidem in castello suo Burgilo, diœcesis Saltzburgensis, ædificavit in medio lacu, ob idque Seuva nuncupatum, quod posteri *Seon* vocant. Occasio condendi monasterii nata est ex revelatione sancti Lamperti martyris reliquiarum, quæ *in confinia Parthicæ gentis* illis temporibus devectæ sunt, ut testatur epistola [a] Ottonis tertii; postea in Bajoariorum regionem delatæ, & ab Aribone comite Burgilum deportatæ, quem patrimonii sui locum Aribo in monasterium, eidem sancto Lamperto sacrum, convertit, exstructo inibi celebri cœnobio, in quo *non modicum agmen probabilium virorum, sub institutione Benedictinæ vitæ degentium*, congregavit. Idem Otto Adalbertum abbatem eidem loco præfecit, aut potius confirmavit, concessa facultate liberæ in posterum electionis; tum abbatis, tum advocati; cujus rei litteræ [b] datæ sunt Romæ XVII. kal. Maii, anno undemillesimo. quo etiam anno post tres dies Silvester [c] papa secundus eidem monasterio consimile privilegium concessit. Carolus Stengelius hæc aliaque diplomata retulit in singulari illius monasterii historia, quod olim invisimus.

a *Analect. to. 4. p. 343.*

b *Metrop. Salisb. to. 3. p. 344.*

c *ibid. p. 342.*

C. Terracinensium oblatio facta S. Benedicto.

Per id tempus cum Terracinenses quadam clade, forte ignitorum morborum, qui hoc anno sæviebant, premerentur; hortatu Johannis episcopi, ipso die sancto paschæ unanimi consensu promiserunt, daturos se per singulos annos sancto Benedicto in Casinate monasterio sex millia anguillarum. quo voto facto, principes civitatis Casinum perrexerunt ad Mansonem abbatem, qui eos in societatem & fraternitatem sui monasterii accepit. Johannis episcopi hac de re litteræ datæ sunt indictione VII. quinta-decima die Aprilis, ipso die sancti paschæ. Hujusce donationis meminit Leo [c] Marsicanus.

c *Chron. Casin. lib. 2. c. 13.*

CI. Johannes papa Roma pulsus.

Interim Johannes papa Crescentii consulis, qui imperium affectabat, tyrannide exagitatus, ex urbe in Etruriam se recepit, & continuo Ottonem de novis Crescentii consiliis, deque toto urbis & ecclesiæ statu certiorem fecit, orans, ut sibi ad ecclesiam recuperandum, ipse vero ad servandum imperium adesset. Sub idem tempus Landulfus archiepiscopus, Mediolano itidem ejectus, Ottonis auxilium imploratum accurrit. Ita Otto simul pontificis atque archiepiscopi precibus commotus, simul asserendi sibi imperii studio, expeditionem in Italiam in alterum annum adornavit. Tunc Romæ, ut id in transcursu observem, sexaginta erant in urbe monasteria, viginti quidem sanctimonialium, quadraginta vero monachorum; ad hæc canonicorum ecclesiæ sexaginta, prout Arnolfus monachus sancti Emmerammi acceperat a quodam sene, qui se Romæ educatum fuisse asserebat.

Romæ quot tunc monasteria.

CII. Gerardi Tullensis episcopi obitus & successores.

De obitu sancti Gerardi Tullensis episcopi superius facta mentio est, cujus gloriosam assumtionem beatus Mayolus suspexit. Ante obitum *reconciliatus sacri olei perunctione*, postea *divini sumsit sacramenti viaticum*; moxque spiritum exhalavit. Hic *cœtum Græcorum ac Scottorum* congregasse, ac propriis stipendiis aluisse dicitur, divisis inter illos altaribus in oratorio, *ubi Deo supplices laudes persolverent more patrio*. Ejus vitam scripsit Widricus sancti Apri abbas, quem Willelmus abbas Divionensis ibidem instituit.

Gerardo successit Stephanus episcopus, *nobili patriensium stirpe editus*, & quidem *de Linerivilla antiqua progenie* ortus, ut in actis episcoporum Tullensium legitur, *qui in Metelaco cœnobio* VIII. *kal. Julii pontificali unguine consecratus, modico temporis spatio, anno scilicet & semis, potitus regimine*, IV. *idus Martii vita excessit apud Bodonis-monasterium, & juxta beati Petri altare est tumulatus apud Medianense monasterium*. Huic subrogatur Bertoldus, *nobilissimis Alemannorum natalibus ortus*, in sancta religione conspicuus, pontifex ordinatus V. idus Octobris: qui decessoris sui Gerardi mores & instituta imitari studuit. Certe, quod ad nos attinet, optime affectus fuit in Ordinem nostrum, quippe qui monasterium sancti Apri in melius reformari curavit, & Salvatoris monasterium exstruxit, ut suo loco videbimus.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUINQUAGESIMUS-PRIMUS.

Ab anno Christi 995. *ad annum* 1000.

ANN. CHR. 995. I. Gerbertus Arnulfo archiepiscopatum cedit.

ARNULFI Remensis olim archiepiscopi querelis ac miserabili sorte pulsatus Johannes papa, postero anno, ejus sæculi nonagesimo-quinto, Leonem Romanum abbatem monasterii sancti Bonifacii misit in Galliam ad ejus causam dijudicandam, litteris datis ad Sewinum Senonensem archiepiscopum, ut synodum episcoporum ejus rei causa convocaret. In primis conventus ad IV. nonas Junias indicitur in opidum Mosomum, situm ad Mosam in finibus diœceseos Remensis, in quo Gerbertus gravi & concitata oratione causam suam peroravit. Quippe se ab « Adalberone archiepiscopo designatum successorem, nihilo minus repulsum fuisse, « ac cessisse Arnulfo: cui quidem principio adhæserit, obsecutus mandato patris sui « Adalberonis, qui ipsi injunxerat, ut ne statim Remensis ecclesiæ curam desereret: « sed tandem ab Arnulfo recessisse, non animo capessendi ejus honoris, ut ipsius « æmuli jactitant; sed pravis ejus factis deterritum, quæ regem & episcopos ad eum « exauctorandum adduxerant. Hinc se ab episcopis & primoribus regni conventum, « ut curam dissicisi & dilaniati susciperet gregis, quorum votis non sponte, sed ægre « demum acquieverit. Falso ab æmulis suis jactari, quod Arnulfum dominum suum « tradiderit, carceri mancipaverit, ejus denique sponsam rapuerit. Falsa esse hæc « omnia, quippe qui nec ejus umquam servus fuerit, nec eum prodiderit, aut carceri « mancipaverit; immo, ut relaxaretur, postulaverit. Jam de rapta sponsa, numquam « illius fuisse sponsam, quam adeo non dotavit, ut contra collatis ante beneficiis ex- « spoliaverit, prosciderit, dilaniaverit, & pollutam demum prædonibus prostituerit. « Porro sedem, multitudine populorum refertam, quo pacto advenam & peregrinum, « nullius fretum opibus, pervadere potuisse? Quod vero inconsulta sede apostolica id « factum dicatur; id a vero prorsus esse alienum. Rem quippe sedi apostolicæ rela- « tam fuisse; exspectatum per octodecim menses ejus judicium: sed, dum nihil res- « ponsi affertur, scandalum diutius ferendum non fuisse. Arnulfum commonitum, « at non resipiscentem, tandem suo ipsius judicio damnatum & abjectum: se vero in « ejus locum suffectum. qua in re si quid a legibus deviatum est, non id malitiæ, sed « temporis necessitati imputandum. In fine episcopos appellat, ut ipsum contra æmu- « lorum artes & violentiam tueantur. Infecta re, finita est synodus, & altera in urbem Remorum ad kalendas Julii a Leone abbate indicta, ubi plenior forte conventus

ANN. CHR. 995.

episcoporum futurus erat. In hoc autem conventu pervicit Leonis abbatis, immo Romani pontificis auctoritas adversus Gallicanos episcopos, adversus reges ipsos, Hugonem & Rotbertum, quorum intererat, ut ne quis e Carolina stirpe Remorum metropolim in potestate haberet. Ita restitutio Arnulfi in pristinam sedem decreta fuit, sed tamen exsecutio usque ad mortem Hugonis regis dilata, Arnulfo semper in custodia detento. Huic Remensi concilio interfuit Abbo Floriacensis abbas, & cum Leone abbate, apostolicæ sedis legato, necessitudinem contraxit, ut constat ex ejusdem Abbonis epistola, de qua inferius [a] agendum.

[a] *infra n.* 24.

II. Leo abbas S. Bonifacii.

Ejusdem Leonis sanctorum Bonifacii & Alexii in urbe abbatis præclarum elogium habetur in vita sancti Nili junioris, qui illuc cum monachis suis hoc fere tempore se recepit, uti & plures alii, maxime Adalbertus Pragensis antistes, qui *pro caritate abbatis* Leonis, spiritualia ejus colloquia audituri, eo confluebant. Ibidem tum degebat Leo alter ejus loci monachus, *Simplex* dictus in vita beati Nili, *psalmorum amicus, & semper prædicare paratus*, distinguendus a Leone abbate mox laudato. Haud scio an hic Leo monachus idem sit cum Leone abbate Nonantulano, qui itidem ad idem monasterium secessit. Hic, referente Petro [b] Damiani, ex Jerosolymitana peregrinatione Nonantulam reversus, sic vitam instituit, ut nihil aliud possideret præter unum asinum, cujus ministerio ad portanda ea, quæ fratribus necessaria erant, utebatur. qua re peracta, psalterioque cum ipsa simul exercitatione decurso, protinus ad offerenda Deo sacra mysteria non sine multis lacrymis sanctus presbyter accedebat. Postmodum vero ad monasterii regimen subeundum vi adductus, dictitare solebat: Jesum se antea per pedes tenuisse; nunc vero miserum & cæ-
» cum ad sæculi molas volvendas adactum. Vix peracto in regimine biennio, baculum pastoralem in manu Ottonis imperatoris resignavit; moxque ad sancti Bonifacii monasterium se recepit: ubi ad finem vitæ perseverans, nihil aliud, quam vitæ æternæ præmia mente agitavit. Post ejus mortem cæcus ad ejus tumulum lumen recepisse traditur. Hæc ex Petro Damiani in epistola ad Nicolaum papam secundum. Huic Leoni successisse videtur in Nonantulæ præfectura Leo alter, cujus tempore, ob ingruentem ex nimia siccitate pestilentiam, sanctorum martyrum Synesii & Theopompi corpora, præmisso triduano jejunio, circum opidi mœnia delata sunt, eo successu, ut, missis haud procul a castro celebratis, cum sacræ reliquiæ in opidum reducerentur, copiosissimo imbre delapso, pestilentia sedata sit. Hic Leo idem videtur esse, qui Gerberto in sede Ravennatensi suffectus est, ut postea dicturi sumus.

[b] *Petr. Dam. opusc. 19. c. 11.*

Leo ex abbate Nonantulæ illic monachus.

Leo alter Nonantulæ abbas.

III. Alii duo ejusdem nominis episcopi.

Præter hos Leones, duo alii eodem tempore occurrunt. Unus Leo pontifex, cui Gerbertus epistolam XXXVII. secundæ classis scripsit, *se tanti viri amicitia felicem* reputans. qui Leo idem est, ut opinor, atque ille Trevirensis episcopus, forte chorepiscopus, anno DCCCC XCI. a Johanne papa XV. missus in Angliam, ut cum Ethelredo occidentalium Saxonum rege & Richardo Nortmannorum marchione seu duce fœdus componeret: cujus rei litteras Willelmus [c] Malmesburiensis refert. Alter est *Leo abbas de Fundo & episcopus Caïetæ*, qui, cum in Galliam hoc tempore accessisset, *apud fratres Aureliacenses mansitavit vir sanctus*, ubi *sub crypta quadam se recluſit de consensu fratrum*, ibidemque mortuus est sub Adraldo ejus nominis secundo abbate Auriliacensi. Nulla hujusce rei mentio apud Ughellum tomo I. ubi tamen Leo, eo nomine secundus, Caïetæ episcopus dicitur ex-abbate sanctorum Theodori & Martini, quod monasterium situm erat prope Caïetæ portam novam, ubi nunc arx munitissima est.

[c] *Willelm. li. 2 de reg. c. 10.*

IV. Abbonis concertatio in synodo Dionysiana.

Hoc ipso tempore, haud scio an post synodum Remensem, conventus episcoporum habitus est in sancti Dionysii monasterio prope Parisios, ubi de ecclesiis & decimis, quas laïci possidebant, tanta cum simultate actum est, ut in seditionem versus sit conventus. Principio actum de decimis, quas non tantum laïcis, sed etiam monachis episcopi detrahere volebant. Monachorum causam pro virili egit Abbo Floriacensis abbas, cujus oratione commoti, cum laïcorum, tum sancti Dionysii monachorum animi, in tumultum proruperunt eo impetu, ut episcopi in fugam se dederint præcipites. In his Seguinus seu Sewinus Senonum pontifex, ætate gravis, cum lentius fugitaret, infestis telis a seditiosis promiscui vulgi impetitur, & inter scapulas securi percussus, luto ac sordibus conspurcatus, prope exanimis vix tandem effugit. Meminit hujus tragœdiæ in Abbonis vita Aimoinus monachus, sed non ea qua decuit gravitate seditiosorum facinus, quod boni omnes horrere debuerant,

ANN. CHR. 995.

detestatus est. Ejus causa imputata fuit Abboni ab episcopis, maxime ab Arnulfo Aurelianensi, qui cum Abbo jam multas rixas habuerat ob subjectionem, quam episcopus ab eo exigere volebat. Ut vero ab hac criminatione se purgaret Abbo, Apologeticum scripsit ad Hugonem & Rotbertum reges, apud quos ipsum æmuli infamare conabantur. In hoc Apologetico, quod nuper regiis typis e Pithœano codice vulgatum est, ait se eorum injuriis ob id unum esse objectum, quod monachos defendisset, quod *monachorum senatum* salvum esse voluisset, suæque rei publicæ augmentum quæsivisset; denique quod *cavillationi* adversariorum totis viribus obstitisset. Tum de Arnulfo episcopo conqueritur, quod ipsum declamatorie accuset. se multoties legatos ad eum misisse ad pacem componendam, se quoque supplicem ad id obtulisse: ceterum salvo jure monasterii sui in omnibus ei obtemperare paratum. Quod vero excommunicatis se junxisse accusaretur, ejus exemplo id factum, qui filios Belial, nocturno latrocinio in suam ipsius necem grassatos, in suam societatem receperat, postquam eos anathematizaverat suus archiepiscopus singularis meriti Seguinus, & Odo Carnotensium episcopus, aliique magni nominis religiosi viri. Id intelligendum de Arnulfi episcopi ministris, qui Abbonem, e tumulo sancti Martini revertentem, multis plagis affecerant, ut superius [a] vidimus. Dein Arnulfo exprobrat, quod austerior fuerit in Letaldum Miciacensem monachum, quem *oblitus reverentiæ sacerdotalis* (Letaldus quippe sacerdos erat) *injuriose & sine ullis legibus tractavit.* Is est Letaldus, miraculorum sancti Maximini abbatis scriptor: quem tamen objurgat Abbo in epistola ad monachos Miciacenses, quod Rotberti abbatis sui officium præsumsisset, seque delatorem in eum exhibuisset.

[a] *lib. 49. n. 112.*

Letaldus monachus Miciacensis.

V. Simoniacorum effugia rejecta.

In eodem Apologetico Abbo invehitur in laïcos, qui episcopatus, ecclesias, & ecclesiasticas dignitates, immo thesauri custodiam, baptisterium, sepulturam, aliaque similia vendebant; clerici vero emebant, id excusationis prætendentes, quod non benedictionem, qua percipitur gratia Spiritus-sancti, sed tantum res ecclesiarum & possessiones emerent. quæ consuetudo adeo tunc inoleverat, ut hoc sine « peccato fieri crederetur: quasi benedictio a rebus ecclesiæ hoc prætextu sejungi posset. In fine Abbo quosdam notat, qui in Symbolo Athanasiano, ubi de Spiritus-sancti processione agitur, voces *nec genitus* expungebant. Ad hæc adolescentulum quemdam, qui sermonem coram populo in ecclesia Parisiorum faciens, asseruerat, « statim finito mille annorum post Christum numero Antichristum venturum; & non « longo post tempore universale judicium successurum. cui assertioni Abbo ait, se « prolatis ex Evangelio, Apocalypsi, & ex libro Danielis testimoniis pro virili restitisse. Consimilis alius error ex regno Lothariensium totum fere orbem pervaserat, *quod quando Annuntiatio dominica in parasceve contigisset, absque ullo scrupulo finis sæculi esset.* quem errorem Abbo jussu abbatis sui Richardi refellerat. Denique inter illius temporis errores deputat, quod de inchoando Adventu Domini diversi diversa sentirent, aliis post, aliis ante v. kalendas Decembris eum inchoantibus. Sed de Abbonis apologetico satis.

VI. S. Dionysii monachi damnati ob seditionem.

Porro monachos sancti Dionysii ob illam seditionem damnatos fuisse ab episcopis, saltem nonnullis, colligitur ex epistola Gerberti tunc archiepiscopi, ad Arnulfum Aurelianensem episcopum, quæ est tricesima-secunda classis posterioris, in qua hæc verba. *Accusamur quippe*, inquit, *monachos sancti Dionysii injuste damnasse. Urgebamur coram damnatis divina obsequia celebrari, nec privilegiis Romanæ ecclesiæ monasterio beati Dionysii factis contraire debere... Sed cum in me specialiter pondus causæ retorqueretur, mei juris illum non esse aiebam, nec me in dominorum meorum prosilire injuriam, ut insimulabar: ipsorum interesse, cujus culpa eadem proferant, videre.* Dein subdit, Arnulfum nescio a quo delatore insimulatum fuisse, *quasi regii honoris insidiatorem.* quod de Abbone dictum videtur.

VII. Abbonis collectio canonum.

Hic Apologetici sui meminit in collectaneo canonum, quod paullo post scripsit, nuncupavitque dominis suis gloriosissimis Francorum regibus, Hugoni, filioque ejus Rotberto, *speciem gerenti*, inquit, *dignam imperio*: quos ait ab inito principatu multa infortunia perpessos fuisse, non ab exteris gentibus, sed a regni primoribus, *ut vestri*, inquit, *regni primordia fermentarentur.* Hi primores fuere Odo comes Carnutensis, rebellionum signifer, ejusque filius cognominis, aliique eorum asseclæ, quos Glaber-Rodulfus commemorat. Jam vero pacata erant omnia, cum Abbo hoc collectaneum edidit, in quo, postquam contra æmulos Apologeticum

ANN. CHR. 995.

scripserat, Hugonis & Rotberti ministerii summam expressit, & qua ratione optimates eis fidem servare deberent, exposuit. *Ad defensionem quoque monastici ordinis*, inquit, *plura congessi: quia monachorum senatum semper salvum esse & volo, & volui, quorum etiam vos* (sic reges alloquitur) *piissimi defensores & advocati estis.* Certe quam bene affecti fuerint in ordinem monasticum ambo illi reges, multis experimentis testati sunt: Hugo quidem, cum initio regni sui abbates regulares monasteriis omnibus restituit; & in fine vitæ, cum Rotbertum filium obtestatus est, *ut nullo pacto ducem omnium patrem Benedictum a se divelli pateretur*, teste Helgaldo monacho: Rotbertus vero, qui *patri Benedicto, & suis, semper totis adhæsit præcordiis.* Hujus porro collectanei caput XIII. habet, *ut nulla pecunia episcopi ordinentur.* Quippe per id tempus, (& quo tempore non?) simoniæ crimen grassabatur, in quod stilum exseruere idem Abbo in epistola ad Bernardum abbatem Bellilocensem ab Aimoino relata in ipsius vita, Glaber-Rodulfus, aliique illorum temporum scriptores.

VIII. Bernardus abbas, Belliloci Romam adit. a *lib. 49. n. 35.*

Bernardus iste patrem habuit Hugonem, haud infimo inter proceres [a] Aquitanicos ortum loco, qui filio suo, Floriaci sub Abbonis disciplina antea erudito, Sollemniacensem primum, dein Bellilocensem abbatiam contulerat, ut superius [a] vidimus. Cum vero ejus curis ac pio in disciplinam regularem studio non bene responderent Bellilocenses; ingratæ præfecturæ pertæsus, Jerosolymitanum iter meditatur exemplo patris, qui *pœnitentiæ voto* ante omnes fere ejus temporis indigenas Gallos hoc iter percursaverat. Hoc tamen consilium absque magistri sui consilio exsequi nolens Bernardus, Floriacum venit, Abbonem hac de re consulturus. Ille vero, Jerosolymitano interdicto itinere, ne omnino Bernardi voto contraire videretur, Romam petere, & montem-Garganum adire ei concessit, datis ei e Floriacensi monasterio itineris sociis, in his Constantino presbytero, & Remigio monacho, qui postea cellæ Regulæ in Wasconia præpositus fuit. Mox itineri se committit Bernardus, sed paullo post propinquorum, qui ipsum comitabantur, pulsatur querelis, causantium ejus absessu clandestina inter suos bella consurrexisse. Horum motus querelis, Constantinum ad Abbonem remittit, citra ejus consilium nihil agendum ratus; quæritque, utrumnam melius esset cuncta relinquere, an, ut suis præsidio esset, ad eos reverti. Ad hæc ei suggerit, plerosque ex suis comitibus aut gravi morbo laborasse, aut morte obiisse: quos inter Hugo, vir magnæ gravitatis, interierat. Bernardo rescripsit Abbo, cujus epistolam integram, quæ *domno suo Bernardo abbatum carissimo* inscripta est, Aimoinus refert. In hac epistola ei condolet de
» sociorum morbo & quorumdam interitu; aitque se vereri, ne insidiæ diaboli, quæ
» multæ sunt, ipsum a via mandatorum Dei avertant, & retro respicere compellant.
» Non mirum esse, quod propinqui ipsum a proposito revocare moliantur. at memo-
» rem eum esse oportere, domi vitulis religatis quid vaccæ fecerint, quæ mugientes
» arcam testamenti, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinando, Betsamis usque
» pertulerunt. Abbatis quidem officium implere laudabile esse, cui non impossibile
» est: cui vero ob malitiam subjectorum possibile non est, quid superesse, nisi ut di-
» vino parens oraculo, misereatur animæ suæ placens Deo? Ex hac epistola intelligitur, Bellilocensium mores ad regulæ amussim & ad abbatis nutum non omnino compositos fuisse. An iter persecutus sit Bernardus, incertum: sed is paullo post ad episcopatum Caturcensem promotus, Bellilocensem abbatiam nihilo minus retinuit.

IX. Willelmus Divionensis abbas in eodem itinere ægrotat.

Anno suæ ordinationis sexto Willelmus Divionensis abbas, sacerdotio initiatus a Brunone Lingonensi episcopo, Romam perrexit ad limina Apostolorum, eorum patrocinia imploraturus; indeque ad montem-Garganum contendit. In illo itinere in gravem morbum incidit, & deplorata fere sanitate, ad tribunal supremi Judicis rapi sibi visus est, ubi pro nimia in suos severitate damnandus, eo pacto veniam meruit, ut in posterum esset indulgentior & humanior. Id factum dicitur sponsore sancto Gregorio papa, quem deinceps maxima devotione coluit, quo ex tempore primam illam austeritatem in commiserationis affectum omnino mutavit. Beneventi id contigisse Benignianus chronographus [b] tradit, at Glaber Rodulfus auctor est, Willelmum Romam orandi causa perrexisse, nulla Gargani-montis mentione facta; & apostolica benedictione munitum, cum in patriam regrederetur, ex febri ægrotare cœpisse, ac demum in cœnobio sanctæ Christinæ virginis, quod in diœcesi

b *Spicil. to. 1. p. 433.*

ANN. CHR. 995.

Mediolanensi ad Olenam fluvium situm erat, lecto decubuisse; inde vero paullum convalescentem Vercellas usque promovisse, rursumque ibidem graviter fuisse periclitatum; dumque in ecclesia sancti Eusebii jaceret, per quatuor vel quinque horarum spatium ita factum exanimem, ut vix spirare videretur. quod testatus est ipse vir Dei, ejusque monachus bonæ memoriæ Gerbaldus, prædicti sanctæ Christinæ cœnobii abbas. Ignorari porro quid in illo deliquio persenserit; sed tamen quid divinum expertum esse, quippe qui paullulum in se reversus, voce qua poterat lingua palpitans, hæc verba proferebat: Domine Jesu-Christe, rex æternæ « gloriæ, suscipe me, si placet: quoniam bonus es, non dubito me ad te ex hoc cor- « pore transiturum. Ad hunc forte locum referendum est, quod de Beneventano « morbo scripsit chronographus, nisi duplicem Willelmi morbum quis distinguendum censeat. Ubi ex illo morbo revaluit, regredienti occurrerunt tres ejus germani fratres, ejus videndi desiderio jam dudum affecti, eumque apud se aliquamdiu detinuerunt. Illuc quoque convenere ejus propinqui & affines, plurimum obsecrantes, ut, sicut apud exteros, ita in nativo solo cœnobium ædificaret. Id vero in primis flagitabant duo ipsius germani, Godefredus atque Nithardus, viri spectabiles, una cum Willelmo maximæ partis Burgundiæ comite, affinitate sibi conjuncto, polliciti, se, si id faceret, sæculari militiæ nuntium remissuros, ac se suaque omnia divino servitio mancipaturos. Assensit demum vir Dei, & de conditione Fructuariensis cœnobii cogitare cœpit.

X. Beatæ Mariæ Suessionensi restituta bona. a *pag. 435.*

Archicancellarii officium tunc regebat pro Remensium archiepiscoporum more Gerbertus archipræsul, ut fidem facit diploma Hugonis & Rotberti Regum pro Suessionensi parthenone beatæ Mariæ, cui tunc Eremburgis præerat post Cunegundem abbatissam. Exstat hoc diploma in probationibus [a] historiæ ejusdem monasterii, a nostro Michaële Germano compositæ: quo in diplomate legitur, Cunegundem abbatissam pretio sumto *de thesauro jam dictæ sanctæ Mariæ* a quodam Alberto Veromandensi comite redemisse quasdam ejus pagi ecclesias, ad prædictum locum pertinentes: sed non multo post ejusdem Alberti milites eas denuo invasisse. « Eremburgam vero ejusdem loci abbatissam post Cunegundem, religiosorum abba- « tum ac monachorum atque fidelium suorum commonitionibus, apud eumdem Al- « bertum comitem id demum effecisse, ut ipsas ecclesias denuo restitueret; idque « factum consensu & voluntate comitis Heriberti filii sui, & comitis Arnulfi generi « sui, Landeberti quoque & Ivonis militum, qui easdem ecclesias prius tenebant « ut suas; insuper & Gosberti thesaurarii sancti Quintini, Hugonis decani, alio- « rumque ejusdem ecclesiæ canonicorum. quod ambo reges sua auctoritate confir- « mant. Rainoldus cancellarius ad vicem domini Gerberti Remorum archiepiscopi « summi cancellarii recognovit. Desunt chronicæ notæ in vulgato diplomate, sed « non serius hoc anno, nec ante triennium dari potuit, ut tempus initi ac dimissi a Gerberto archiepiscopatus probat. Eremburgi abbatissæ, haud scio an proxime, successit Ermengardis, de qua suo loco.

Item S. Crispino. * *de Valois.* * *Oronez.* * *Louat.* * *l'Autemne.*

Sub idem tempus Gualterius comes prædia quædam sanctorum martyrum Crispini & Crispiniani, in Vadensi * pago sita, quæ genitor ipsius Rodulfus prædictis sanctis injuste abstulerat, eisdem restituit consensu & voluntate filiorum suorum, Rodulfi & Gualterii. Hæc autem prædia *ab incolis pagi illius nominantur Oratorium* * *& Lupi-saltus* *. Insuper idem Gualterius eisdem sanctis reddit *farinarium unum super fluvium Altumnam* *. Hæc restitutio sollemniter ac publice facta est *præsentibus regibus Hugone & Rotberto, principibus etiam Francorum compluribus, episcopis quoque vel abbatibus*, quorum signa & nomina subscripta habentur, scilicet *Hugonis regis gloriosissimi, Rotberti inclitæ prolis, Gualterii comitis, Rodulfi* & *Gualterii* ejus filiorum, *Guidonis episcopi* Suessionensis, *Herivei episcopi* Belvacensis, *Fulconis episcopi* Ambianensis, *Ratbodi episcopi* Noviomensis; ad hæc signa *Abbonis abbatis* Floriacensis, *Odelei abbatis* sancti Medardi, & *Guidonis comitis* Suessionensis. Ex hoc instrumento eruitur series primorum comitum Vadensium, ex quorum stirpe prodiit beatus Simon Crispiacensis, cujus pater Rodulfus haud dubie processit ex Gualterio comite, hujus restitutionis auctore, cujus filium Rodulfum facile crederem esse ejusdem Simonis [b] patrem, nisi longius esset temporis intervallum abhinc usque ad Rodulfum Simonis patrem, qui anno M LXXIV. decessit. Gualterius seu Walterius, hic laudatus, Crispiacensem sancti Arnulfi ecclesiam erexit, ut infe-

b *V. lib. 64. n. 63. & lib. 65. n. 12.*

ANN. CHR. 995.

rius [a] videbimus. Sancti Crispini Suessionensis abbatia, cui hæc restitutio facta; nostri est Ordinis, Major dicta ad discrimen alterius, quæ est canonicorum regularium sancti Augustini.

[a] *lib. 53. n. 9.*

XI. Burgulii fundatio confirmata.

Turonico sancti Juliani monasterio adhuc præerat Gausbertus abbas, jam superius laudatus, quo tempore Odo Turonensis, aliarumque provinciarum comes, postulante Emma Pictavensi comitissa sorore sua, una cum venerabili abbate Gausberto, Burgulensis cœnobii [b] fundationem a sorore factam confirmavit. *Data est hæc auctoritas ad obsidionem castelli Langiacensis* * ad Ligerim, *pridie idus Februarii, anno incarnationis dominicæ* DCCCC XCV. *indictione* VIII. *regnante Hugone piissimo rege anno* VIII. Nondum itaque mortuus erat eo tempore Odo comes, atque adeo non ante hunc annum datum est diploma Hugonis & Rotberti regum a Besslio [c] relatum, quo, *jam defuncto Odone comite*, Berta ejus uxor, una *cum filiis suis, pariterque domno abbate Gauberto* *, eamdem fundationem regia auctoritate corroborarunt in Parisiaco palatio, anno regni sui octavo. Itaque annus DCCCC XCIV. in contextu interpretandus est veteri more, qui annus nostro calculo in mense Februario annus DCCCC XCV. censendus est. quo anno post quintum idus Februarias Odo comes decesserit. Id vero probat huic anno conveniens indictio VIII. uti legitur in veteri illius instrumenti exemplo, mendose in alio VIIII. & apud Besslium XII. Legimus notitiam quamdam, qua Berta comitissa, una cum filiis suis Tetbaldo & Odone, rogatu Emmæ comitissæ, confirmat donationem Burgulensis prædii, ab Odone *piæ recordationis* seniore suo factam. Actum Blesis castro. sed mendosæ sunt chronicæ notæ. Ceterum Odo comes in extremis habitum monasticum induit in Majori-monasterio, ubi & sepultus est. Ante obitum alodum Caumartii monachis concessit, quod cellæ sancti Martini de Caumartio condendæ occasionem dedit. In charta ab Odone comite ejus filio hac de re confecta legitur, *qualiter Odo comes, ad ultimum vitæ exitum perductus, apud sanctum Martinum Majoris-monasterii monachorum conversatione susceptа, eidem loco in perpetuum possidendum alodum de Caumartio, simul cum omnibus consuetudinibus sibi pertinentibus, quietum & totum solidum in perpetuum concessit.* quod Odo ejus filius ratum esse jussit. Subscribunt post Odonem comitem ejus nominis secundum, Tetbaldus filius ejus, Hermengardis mater ejus, id est Tetbaldi, aliique. Statim a morte Odonis comitis relictam ab eo conjugem Bertam Rotbertus rex matrimonio sibi copulavit, vivente adhuc patre Hugone rege, contra quam olim opinatus eram in Præfatione ad Sæculum sextum Benedictinum. Id vero nos docet charta quædam ecclesiæ sancti Martini Turonensis, pro commutatione quorumdam colibertorum, facta inter Willelmum sancti Martini præpositum, & Hervinum sanctæ Mariæ de Sodobrio * ad Ligerim ministrum. quæ charta data est *primo regnante Rotberto, in anno ubi Bertæ uxori suæ maritali connubio adhibitus est*; & quidem *data in mense Augusto*, VIII. *anno regnante Hugone rege.* quæ notæ huic anno conveniunt. Hoc Rotberti regis cum Berta matrimonium propter affinitatem a Gregorio V. [d] improbatum, suspensus a communione Archembaldus Turonum archiepiscopus, illius matrimonii auctor, cum episcopis, qui nuptiis illis interfuerant.

[b] *V. lib. 50. n. 34.*

[c] *Besly, comtes p. 277.*

* *Langest.*

* *Suevre.*

[d] *V. lib. 51. n. 68. & 75.*

Rotberti regis cum Berta connubium.

XII. Cameracenses tubæ.

Etsi res Cameracensis ecclesiæ non sint nostri instituti, non licet tamen ea præterire, quæ in promotione Erluini episcopi hoc anno contigerunt. Mortuo Rothardo episcopo, Notcherus [e] seu Notgerus Leodicensis antistes, Erluinum, ecclesiæ suæ archidiaconum, virum ecclesiasticis & sæcularibus negotiis eruditum, sibique familiarem, misit ad Mathildem filiam Ottonis Magni, Quindeliburgensem abbatissam, ut ejus apud Ottonem tertium suffragio ad sedem Cameracensem promoveretur. Contra vero quidam Azelinus de Truncinis, Balduini Flandrensium comitis ex concubina filius, *postea tamen Parisiorum episcopus*, Sophiam sororem juvenis imperatoris pecunia adortus est, ut ejus patrocinio hunc episcopatum obtineret. Utrimque pulsatus imperator, Mathildi tamen amitæ, Sophia nesciente, consensit, atque Erluino die festo sancti Dionysii vacantem ecclesiam commisit. Cum vero lis esset de pontificatu Remensi Arnulfum inter atque Gerbertum, Erluinus cum Ottone imperatore Romam profectus est, ut a Johanne papa XV. ordinaretur. Verum, Johanne ante ejus in urbem adventum defuncto, a Gregorio V. ejus successore consecratus est. Ex quo intelligitur, obitum Azelini seu Ascelini, qui *postea Parisiorum episcopus fuit*, male in vulgatis indicibus, etiam novæ historiæ Parisiensis, reponi

[e] *Balderic. lib. 1. c. 110.*

Odo comes obit monachus.

reponi anno DCCCC LXXVII. cum serius annis circiter viginti hanc sedem inierit. Hinc etiam patet, Mathildem abbatissam ad hoc usque tempus Quindelinburgensi parthenoni præfuisse.

ANN. CHR. 995.

Gandersheimensem etiam tunc regebat Gerberga, Ottonis Magni soror, adeoque Heinrici Bajoariorum ducis, qui Magdeburgum [a] ad regia comitia profectus, ubi multam cum Gebehardo Ratisponæ episcopo contentionem habuit; indeque Gandersheim ad sororem invisendam regressus, subitaneo morbo corripitur. Mox accersitum ad se Heinricum, qui postea imperator exstitit, graviter admonet, cito reverti ad patriam, resque ducatus sui ordinare; ceterum regi ac domino suo, quod se feciſse admodum pœnitebat, numquam adversari. quibus dictis, filio jam digresso, *Kyrie eleison* ex corde ingeminans, decessit v. kalend. Septembris, sepultusque est in medio ecclesiæ, coram altari sanctæ Crucis. Gandersheimii hoc anno versabatur rex Otto III. kalend. Augusti, cum privilegia [b] novæ Corbeiæ rogatu Ditmari abbatis, interventu Willigisi Moguntiacensis archipræsulis & Hildibaldi Wormatiensis episcopi, renovavit. Idem præstitum Herifordensi parthenoni, rogatu Immæ abbatissæ, Bernardi ducis filiæ, cui Otto imperator [c] eodem anno, precibus amitæ suæ Mathildis Quindelinburgensis abbatissæ, necnon Sophiæ sanctimonialis fororis suæ, quoddam prædium largitus est.

XIII. Heinricus dux Gandersheimii sepultus.

[a] *Ditmar. lib. 4. p. 39.*

[b] *Annal. Paderborn. p. 340.*

[c] *ibid.*

Eodem tempore, in monasterio sancti Johannis prope Magdeburgum, Richario abbati successit Riddagus, a Ditmaro [d] laudatus: cujus tempore Sigefridus quidam juvenis puer, Ditmari frater, Sigefridi comitis de Walbike filius, sub monastico habitu instituendus versabatur. Hunc autem a proposito revocare volens Cunigundis pueri mater, flagitante altero Sigifrido comite fratre suo, nuntium ad abbatem misit, qui filium ad se reduceret. Abbas vero, ut prudens ac religiosus erat, injustæ petitioni haud quaquam assensit; responditque id sibi non licere ob curam pueri cælitus sibi commissam. Ita frustratus nuntius, Ditmarum, Sigefridi pueri fratrem, qui in episcopali sancti Mauricii ecclesia sub Ekkehardi magistri disciplina erudiebatur, ad matrem reduxit.

XIV. Riddagus abbas Magdeburgensis.

[d] *ibid. p. 40.*

Eodem fere tempore, Liudolfo Augustensium episcopo mortuo, subrogatur in annos sex Gebehardus Elewangensis abbas, huic vero Hartmannus in regimine prædicti monasterii, quod in Rhiæsa situm erat. Gebehardus vitam sancti Udalrici Augustensis episcopi novo stilo explicare aggressus est, sed morte præventus, imperfectum opus reliquit. Hic a Bernone, ejusdem vitæ post eum expolitore, *venerandæ memoriæ* dicitur, & post beatum virum quartus ejus ecclesiæ episcopus, *nulli modernorum doctorum secundus.*

XV. Augustenses & Constantienses episcopi.

Hoc ipso anno, secundum Hermannum, ejus cognominis Gebehardus Constantiensis præsul, ad cælos migravit VI. kalend. Septembris, sepultus in basilica sancti Gregorii papæ a se constructa. Successor ejus Lantpertus, *habitu & professione monachus*, inquit Hermannus, præfuit annis XXIII. quo tempore templum sanctæ Mariæ, quæ ecclesia cathedralis est, ex parte a se dirutum amplificavit. Cujus loci monachus fuerit, ignoratur.

Tunc etiam post mortem Balduini Trajectensis ad Rhenum episcopi, jussu Ottonis regis, eam dignitatem subire compulsus est Ansfridus comes, superius [e] a nobis laudatus, cum de monastica vita cogitaret. Jam episcopus in colle tribus ab urbe millibus dissito, trans flumen monasterium exstruxit, ubi orationis causa procul a turbis secederet. Ingravescente ætate, jam caligantibus oculis factus est monachus, septuaginta-duos pauperes propria manu quotidie reficere solitus. Locus, ubi conditum fuit ab eo monasterium, primum dictus est *Hohorst*, postea *Heilgenberg* seu Mons-sanctus, tandemque Mons-sanctæ-Mariæ, situs prope Amersfordiam: quo ex loco monasterium in ipsam urbem translatum est sub Adelberto abbate & Bernulfo episcopo, ubi deinceps sub sancti Pauli nomine usque ad exstinctam illic religionem perseveravit.

XVI. Ansfridus episcopus Trajectensis.

[e] *lib. 50. n. 45.*

Agebat in præfectura Blandinienſis apud Gandavum cœnobii annum octavum Adalwinus abbas, cum ex hac vita ad immortalem, ut sperare licet, transivit. In ejus epitaphio, relato a Sandero, insinuari videtur, eum mortis suæ præscium sibi ipsi tumulum paravisse, & suos ad luctam cum hoste morientem animasse.

XVII. Blandinienses abbates.

Imperat eventum loculi stans ad monumentum,
Ceu fuerat monitus, ante dies obitus.

Inde monet fortes virtutis in arma cohortes,
Inclyta bella gerant, ne quid ab hoste ferant.
Pridie dum tropicum lux Junia tangeret astrum,
Scandens astra poli liquerat ima soli.

ANN. CHR. 995.

Initio sæculi decimi-septimi, id est anno M DC XIII. instaurando monasterio, quod ab hæreticis superiori sæculo destructum fuerat, reperta sunt ossa ejusdem abbatis cum hac inscriptione: *Hic jacet Adalwinus abbas & sacerdos, qui obiit* XVII. *kalend. Julii, anno Domini* DCCCC XCV. *Rexit hanc ecclesiam annis* VII. *mensibus* VII. *successit Widoni.* quæ inscriptio aureis litteris renovata est. Adalwino suffectus Rotboldus, ejus loci monachus & sacerdos, qui senectute gravis, præfecturam Richardo abbati resignasse traditur, sed ei superites, eam denuo ad biennium resumsisse, sibique subrogasse Wicardum successorem, mortuus demum anno MXLII.

XVIII. S. Cuthberti translatio Dunelmum.

Cum corpus sancti Cuthberti episcopi per annos amplius [a] centum apud Cuncaestram subsistitisset, Aldunus episcopus, cælesti admonitus oraculo, illud Ripum primo, indeque post tres aut quatuor menses Dunelmum transtulit, factoque ex virgultis extemporaneo oratorio, illic deposuit, donec in ecclesiam ex lapide, quæ post tres annos perfecta est, inferretur. Hæc ecclesia sollemni ritu pridie nonas Septembris consecrata fuit, atque in ea posita episcopalis sedes, quæ a rege quondam Oswaldo & Aidano episcopo in Lindisfarnensi insula primitus instituta fuerat. Eo loci perseveravit monachorum cœtus, qui sacri corporis custodes & ecclesiæ ministri erant: ex quorum numero semper electi episcopi usque ad Walcherum, qui *primus in ordine clericali* sub finem insequentis sæculi assumtus est. Alduno episcopo successit Eadmundus, vir religiosus ac severus, de quo inferius.

a *lib.* 37. *n.* 70.

ANN. CHR. 996. XIX.

VErno tempore anni insequentis nongentesimi nonagesimi-sexti rex Otto, pace Saxones inter & Slavos composita, in Italiam diu optatus contendit, quo accepto, Crescentius Romanus princeps, rebus diffisus suis, Johannem pontificem per affines & propinquos ejus sibi reconciliavit, & in Urbem ex Tuscia revocatum ipse cum senatu honorifice recepit, atque ad pedes ejus provolutus excoluit. Mediolanensibus cum Landulfo archiepiscopo reconciliatis, Otto Ravennam versus movit: ubi, Johannis pontificis morte accepta, usurpato jure Brunonem Saxonem consobrinum suum, scilicet filium Ottonis ducis, pontificem ordinari curavit. Is Gregorius V. vocatus.

Ottonis iter Romam & coronatio.

Gregorii V. electio.

De Brunonis electione & consecratione nullus veterum accuratius scripsit, quam scriptor anonymus vitæ sancti Adalberti Pragensis episcopi, ejus temporis æqualis. Hic auctor est, Ottonem regem, transmissis cum multo milite alpibus, juxta sacram urbem Ravennam regalia castra posuisse, ibique cum moraretur, epistolas a Romanis proceribus & senatoribus accepisse, quibus illi adventum ejus in Urbem se vehementer optare significabant, debitam ei fidelitatem præstituri; simulque de morte domni apostolici faciebant certiorem, contestantes, se in eligendo successore sententiam ejus exspectare. *Erat tunc in capella regis*, ait idem auctor, *quidam clericus Bruno, sæcularibus litteris egregie eruditus, & ipse regio sanguine genus ferens, magnæ indolis, sed (quod minus bonum) multum fervidæ juventutis. Hunc, quia regi placuit, a majoribus electum Magontinus archipræsul Willigisus & suus collega Adelbaldus episcopus adduxerunt Romam. Proinde a Romanis honorifice acceptum ad hoc ordinati episcopi*, scilicet Ostiensis & Portuensis, *apostolico honore promulgarunt. Superveniens etiam rex Romano more egregie accipitur: deinde magno gaudio omnium imperatorium attigit apicem.* Hactenus anonymus. In chronico Saxonico Otto Romam venisse dicitur die festo ascensionis Domini, quæ XII. kal. Junii eo anno incidebat, & ab eodem Gregorio imperialem unctionem percepisse anno ætatis XV. regni autem XIII.

X X. Ottonis placitum pro Brumiensi monasterio.

Hunc diem coronati imperatoris recte assignari, etsi plerique recentiores aliter sentiunt, ejus temporis instrumenta non pauca probant. nam VIII. kalendas Junii jam coronatus imperator Romæ placitum habuit [b] *cum summo pontifice Gregorio pro definiendis rebus ecclesiasticis*: ubi venerabilis vir Eugiro abbas monasterii beati Petri Brumiensis, diœcesis tum Lunensis, proclamationem fecit super episcopo Lunensi Gotifredo, quod idem episcopus contra decreta Romanorum pontificum Gregorii,

b *Ital. sac. to.* 4. *p.* 1367.

Johannis, Benedicti, & contra imperialia & regia præcepta Liutprandi regis & subsequentium regum & imperatorum, monasterium illud suo episcopatui subjicere vellet, & a potestate Romanæ ecclesiæ, sub cujus ditione semper exstiterat, alienare. quod Otto imperator vetat. *Datum* VIII. *kalend. Junii, anno dominicæ incarnationis* DCCCC XCVI. *indictione* IX. *anno tertii Ottonis regnantis* XVIII. * *imperantis anno primo. Actum Romæ.* Idem calculus confirmatur altero præcepto, quo idem Otto imperator præcepta superiorum imperatorum monasterio Farfensi, rogatu Johannis abbatis confirmavit VIII. kalendas Junias ejusdem anni, regni sui anno XIII. imperii primo. Actum Sabinis in urbe sancti Gethulii. Utrasque litteras Heribertus cancellarius vice Petri Cumani episcopi & archicancellarii recognovit. Consimile tertium addo præceptum ejusdem [a] Ottonis pro monasterio sanctæ Floræ & sanctæ Lucillæ prope Aretium, cui ecclesiam beatæ Mariæ in monte Ionio, aliaque bona imperator asserit VII. kalendas Junii, iisdem anno Christi & indictione, Ottonis imperii anno primo. Actum Romæ. Addo & quartum pro Erluino episcopo Cameracensi, Romæ tunc ordinato a Gregorio papa, cujus diploma [b] datum est *in mense Maio & indictione nona*, Gregorii pontificatus anno primo, imperii Ottonis itidem primo. quo luculentius nihil afferri potest ad probandum, & Gregorium, & Ottonem mense Maïo hujus anni insignia suæ dignitatis accepisse. Accedit Gregorii V. diploma indultum Vinizoni abbati [c] Salvatoris in Monte-Amiato, comitatus Clusini, quo diplomate pontifex illi monasterio immunitates, decimas, sacri baptismi in suis ecclesiis conferendi potestatem, simulque accipiendi chrisma & oleum a quacumque ecclesia concedit, cum libera electione abbatis. Data VI. kalend. Junii per manus Johannis episcopi sanctæ Albanensis ecclesiæ, indictione nona, Gregorii pontificatus anno primo, Ottonis coronati imperatoris anno itidem primo. Superius [d] actum de Brumadensi seu Brumiensi monasterio, cujus abbas Constantius, Eugironis successor, litteras regiæ protectionis ab Heinrico primo imperatore anno M XIV. impetravit. Perstitit hæc abbatia usque ad pontificatum Innocentii secundi; cujus anno quarto in episcopalem sedem erecta est.

ANN. CHR. 996.

Diplomata pro variis monasteriis: pro Farfa & sancta Flora.

* *l.* XIII.

a *Bullar. Cas. p.* 57.

b *Balderic. lib.* 1. *c.* III.

c *Ital. sac. to.* 3. *p.* 710.

d *lib* 38. *n.* 44.

XXI. Gregorius V. monachus.

Bruno ante summum pontificatum Werdensis episcopus erat ex-monacho Corbeiæ-novæ, quam *pupillam suam* nominare solebat, ut tradunt annales Corbeienses. Idem Ottonis tertii imperatoris consobrinus erat, Ditmaro *nepos* dictus, ducis Ottonis filius, qui marcam Veronensem tenebat, si chronographo Saxonico credimus, antequam ad pontificatum promoveretur. Clericus tantum dicitur a scriptore vitæ sancti Adalberti superius laudato. Rupertus abbas in libro de vita sancti Heriberti Colonienſis archiepiscopi tradit, Brunonem vix adduci potuisse, ut presbyter ordinaretur. Initio pontificatus Gregorius *Werenfrido religioso abbati* litteras dedit, quibus Stabulensis & Malmundariensis monasteriorum privilegia confirmavit *anno dominicæ incarnationis* DCCCC XCVI. *indictione* VIIII. *mense Junio, die secunda.* Ex quo intelligitur, quod mox demonstratum, Brunonem ante mensem Junium pontificem creatum & consecratum fuisse. Consule quæ de Stabulensium abbatum serie superius [e] diximus.

Ejus bulla pro Stabulensibus.

e *lib.* 48. *n.* 106.

XXII. Romualdus Classensibus præficitur.

Dum Otto Ravennæ, ante suum Romam adventum, versaretur, comperto Classenses monachos non recte ad regulæ amussim incedere; eos ordinare cupiens, optionem monachis fecit, ut quem vellent abbatem eligerent. Illi Romualdum legerunt, qui tum in Pereo insula, duodecim millibus passuum a Ravenna distante, vitam solitariam angusta in cellula ducebat. Otto diffidens sanctum virum, si ad regiam aulam per nuntium evocaretur, ad se venturum; ipse ad ejus cellam, sole jam occidente, processit, & comiter ab eo receptus, ibidem pernoctavit. Mane vero eum secum Ravennam duxit; & multis precibus, ut monachos Classenses regat, sollicitatum, ubi nihil obtinet, demum episcopalis anathematis interminatione ad sententiam suam adduxit. Inito regimine, vir sanctus ejus loci monachos omnes, nulla vel nobilitatis, vel scientiæ ratione habita, dum ad districtam regulæ observationem compellere nititur, brevi fratres electi abbatis pænitere fecit. Hinc illi maledictis & calumniis eum proscindunt, se ipsi accusantes, quod tam durum & immitem sibi abbatem imposuissent. Quare Romualdus videns se illis non prodesse, sibi vero obesse plurimum; regem adhuc Ravennæ agentem statim adit, &, eo non mediocriter una cum Johanne Ravennate archiepiscopo reluctante, pastoralem virgam coram eis projecit, ac monasterium deseruit.

ANN. CHR. 996. XXIII.

Non multo post, cum rex Tiburtinam * civitatem, de opidanis, qui ducem suum interfecerant, regemque expulerant, ultionem sumturus, obsideret; eo accessit Romualdus, hocque inter eos pactus est, ut Tiburtes, ad placandum regem, murorum suorum partem diruerent; ducis vero interfectorem ad ejus matrem catenis constrictum mitterent; effecitque insuper, ut illa, suis precibus mitigata, homicidæ facinus condonaret.

Tiburtes Ottoni reconciliat.

* *Tivoli.*

Venerium eremitam informat.

Erat tunc prope Tibur vir quidam venerabilis, Venerius nomine, qui primum quidem monachus in cœnobio vixerat; sed postea fratrum, qui eum ut delirum habebant, injuriis & subsannationibus vexatus, inconsulto abbate, e monasterio in solitudinem recesserat, ubi per sex annos absque vino, omnique pulmento sub nimia districtione permanserat. Hunc Romualdus, audita ejus fama, cum visitaret, scisciatur, cujusnam regimini & directioni subesset. Respondit ille, se alieno solutum imperio hoc sequi, quod sibi utilius videretur. Cui Romualdus: Si crucem » Christi portas, inquit, supereſt ut Christi obedientiam non relinquas. Suasit proinde abbatem suum ut adiret, & ejus consensu obtento ad solitudinem reverteretur, sub ejus magisterio deinceps humiliter victurus: ut sacri operis ædificium, quod bona voluntas ædificat, humilitas erigit, obedientiæ virtus perficiat. Fecit ille quod monitus erat, & abbatis consensu accepto, ad optatam solitudinem rediit: ubi in quadam rupe hominibus impervia conclusus, per quatuor annos, quolibet humano destitutus solatio, vixit, tanta severitate, ut præter tres buccellas, quas e monasterio secum attulerat, nec panem, nec vinum, nec coctum quidquam gustaverit, solisque arborum pomis & herbarum radicibus usus sit, & aqua pura, quæ in concavum saxum hieme colligebatur. Tanta vitæ asperitate & sanctitate commoti accolæ, certatim ad eum confluere, ciborum alimenta & quæque necessaria comportare, quæ ille pastoribus pecorum & egenis distribuebat. Hortatu demum episcopi, oratorium illic fieri & consecrari permisit, in quo defunctus, orantis in modum, ante altare genibus flexis inventus est; ibidemque sepultus, miraculis claruisse perhibetur a Petro Damiani. Sic tamen apud Tiburtes neglecta est ejus memoria, ut nullus ei modo cultus impendatur. Ferrarius nihilo minus eum sanctum reponit idibus Septembris.

XXIV. Abbo mittit Leoni abbati reliquias S. Benedicti.

In concilio Remensi anno superiori celebrato Abbo Floriacensis abbas amicitiam [a] contraxerat cum Leone S. Bonifacii in Urbe abbate, & sedis apostolicæ legato, qui Romam nondum reversus erat eo tempore, quo Abbo ipse illuc profectus est. In familiari cum eo colloquio Remis habito petierat Leo abbas, ut ipsi aliquid de reliquiis S. Benedicti, in cujus honorem oratorium exstruere volebat, concedere ne gravaretur. Epistola hæc sic inscripta est: *Facundiæ prærogativa cum vitæ merito & sapientiæ doctrina mirabiliter intonanti domno L.* sancti Bonfacii carissimorum carissimo abbati, Abbo Floriacensis cœnobii humilis abbas.* Eruditissimus Baluzius, qui hanc epistolam [b] vulgavit, primo opinatus est, Leonem, cujus nomen hic decurtatum est, abbatem fuisse Fuldensis monasterii, cujus patronus est S. Bonifacius archiepiscopus Moguntinus. Verum in tertia editione librorum de Concordia se ipse emendavit, hancque epistolam Leoni Romano abbati S. Bonifacii scriptam fuisse confessus est. In hac epistola scribit Abbo, se, cum ambo Remis versarentur, ejus » colloquio mirifice recreatum, ab eodem interpellatum fuisse, ut *pretiosarum reliquiarum sancti patris Benedicti insignia* ei concederentur, *eo quod indubitatum peni-* » *tus esset, sanctissimam ipsius corporis præsentiam* a Floriacensibus *retineri:* quippe qui » *in honore illius oratorium construere* vellet; pollicitus se mutuo aliquid de reliquiis » sancti Bonifacii, aliorumve sanctorum Floriacensibus repensurum; insuper effectu- » rum, ut privilegia Floriacensium auctoritate apostolica confirmarentur. Et quidem » se hæc omnia perficere in voto habuisse ait Abbo, cum ad limina Apostolorum ora- » tionis causa profectus est: *sed Romanam ecclesiam digno viduatam pastore* se offendisse. quare negotio infecto redire coactus sit, non impetrato scilicet privilegio, quod cupiebat. Addit vero, se nuntium nuper jucundum accepisse, nimirum *erectum esse apostolicum decus per quemdam imperialis sanguinis virum, totum virtutibus & sapientia compositum*, videlicet Brunonem, dictum Gregorium V. a quo per Leonem abbatem, qui tunc Romam reversus erat, privilegia sua renovari postulat, missis ad ipsum litteris per quosdam Floriacenses monachos, qui forte petitas sancti Benedicti reliquias Leoni detulerunt. Ex hac epistola, quam in appendice inte-

a *supra n.* 1.

* Leoni.

b *Miscel. to. II. p.* 409.

gram referemus, satis intelligitur, tunc Romanis persuasum fuisse, sancti Benedicti corpus in Galliam translatum, Floriaci asservatum fuisse.

ANN. CHR. 996. XXV. Abbonis duplex iter Romam.

Duplicem eo tempore Abbonis Romam profectionem distinguit Aimoinus: unam sedente Johanne XV. pontifice; alteram Gregorio V. Prioris itineris causa fuit, ut confirmationem privilegiorum monasterii sui a pontifice obtineret. De hac ita scribit Aimoinus. *Inter ea eximius Abbo condigno apparatu Romam proficiscitur, privilegia ecclesiæ sibi commissæ corroboraturus, immo renovaturus. Sane non qualem voluit, aut qualem debuit, sedis apostolicæ pontificem, nomine Johannem, invenit. nempe turpis lucri cupidum, atque in omnibus suis actibus venalem reperit. quem exsecratus, perlustratis orationis gratia sanctorum locis, ad sua rediit, emtis optimæ speciei aliquantis holosericis palliis, ornatui ecclesiastico congruis.* Id de Johanne XV. intelligendum esse, non de altero Johanne, quem Crescentius, ut mox dicemus, Gregorio V. opposuit, colligitur ex mox laudata epistola Abbonis ad Leonem abbatem: in qua de hac priori profectione agens, ait, se *Romanam ecclesiam digno viduatam pastore* offendisse, sed paullo post *erectum* fuisse *apostolicum decus per quemdam imperialis sanguinis virum*, nempe Gregorium, cujus electio Johannis XV. mortem subsecuta est, at Johannis pseudopapæ intrusionem præcessit. De secunda Romam Abbonis profectione agemus anno sequenti.

XXVI. Gerberti ad Ottonem epistolæ.

Ottoni jam coronato imperatori, & in Italia constituto, Gerbertus scripsit epistolam XXVII. secundæ classis, in qua ejus absentiam longitudine terrarum dissitum « se omnino molestе ferre ait, nec rerum præclare ab eo gestarum ullam vel scintil- « lam ad se perveniſſe. Addit plurimum referre, ut resciat, fratrem Harmandi co- « mitis, apud Gorziam detentum, fame necari *contra suam, suorumque natalium digni-* « *tatem*; idque ignominiæ ducere sempiternæ. Removeat Otto tam immane nefas, « & petenti fratri fratrem adhuc spirantem reddat. Id videtur intelligendum de He- « rimanno comite, fratre Adalberonis Virdunensis episcopi, Godefridi & Gozelonis « ducum, ac Friderici comitis, qui monachum induit in monasterio sancti Vitoni. « Herimannus *comitum nobilissimus* dicitur ab Hugone Flaviniacensi, utpote imperiali « sanguine procreatus, quod superiori epistolæ convenit. Ex sequenti epistola XXVIII. « ad eumdem imperatorem intelligitur, Gerbertum ab eo responsum accepisse. quippe « ait, sibi pro imperatore sollicito nihil dulcius significari potuisse, quam ejus imperii « summam gloriam, summam cum dignitate constantiam. Nihil principe gloriosius, « quam legiones cogere, in hostilem terram irrumpere, hostium impetum sua præ- « sentia sustinere, seipsum pro patria, pro religione, pro suorum, reique publicæ sa- « lute, maximis periculis opponere. Hæc vero epistola scripta est post concilium Re- « mense, convocatum a Leone abbate, cujus legationem ad Ottonem directam commemorat Gerbertus, qui in fine, ab Ottone sibi liberaliter collata, sed a quodam incertam ob causam ablata restitui petit. Eodem spectat epistola XXX. in qua vehementer invehitur in illum, ut vocat, furciferum, qui Ottoni auctor fuerat, ut sibi collata eriperentur. Nihil tale se commeruisse. quippe *tribus, ut ita dicam*, inquit, *sæculi ætatibus, vobis, patri, avo, inter hostes & tela fidem purissimam exhibui; meam quantulamcumque personam regibus furentibus, populis insanientibus pro vestra salute opposui. Per invia & solitudines, per incursus & occursus prædonum, fame & siti, vi frigoris & æstus excruciatus, infractus inter tot tempestates exstiti: ut mortem potius præoptarem, quam filium cæsaris, tunc captivum, imperantem non viderem. Vidi, & gavisus sum, & utinam liceat usque ad finem gaudere, & vobiscum dies meos in pace finire.* Hæc ille. quæ vero sint illa Ottonis beneficia, quæ sibi ablata conqueritur, non exprimit Gerbertus. Forte id intelligendum de abbatia Bobiensi, quam aliquis male in Gerbertum affectus ab Ottone in Italia posito extorserit. Hanc tamen ipsi redditam fuisse patebit ex iis, quæ anno abhinc secundo referemus.

XXVII. Adalbertus Romam revisit.

Quo tempore Otto Romam advenit, jam istuc denuo se receperat Adalbertus Pragensis antistes, cum in morbido grege signa salutis nulla ineſſe probaviſſet, & instantia mala prospectaret. Congaudet illo redeunte sanctorum Bonifacii & Alexii sacrum collegium, ubi antea monasticum habitum induerat. De ejus reditu lætatus est in primis ejus loci abbas, eumque præpositum constituit. Ille vero *omni vilitate & extremitate*, ut regula [a] præcipit, *contentus*, quanto ceteris superior, tanto se cunctis inferiorem exhibebat. Dum illic degit, magis ac magis in dies proficiens, & ad divina contemplanda succrescens, duos ordines in cælo conspicere sibi visus

a *Reg. S. Bened. cap.* 7.

ANN. CHR. 996.

est, unum purpureo, alterum niveo indumento ornatum; audivitque inter utrosque sibi locum reservari, quod futuri martyrii præsagium fuit. Dum sic optatæ solitudinis otia degustaret, idemtidem invisebatur ab Ottone imperatore, qui ejus consuetudine magnopere delectabatur. Verum hæc otia interrupit Willigisus archiepiscopus Moguntinus, qui jam eum in Boëmiam revocaverat; instititque denuo, ut ad provinciam sibi commissam Adalbertus rursus reverteretur. Agitata iterum hæc causa in synodo Romana, in qua Willigisus nefas esse dixit, Pragensem ecclesiam suo pastore viduari, viduæ ecclesiæ sponsum restituendum; nec prius destitit, quam domnus apostolicus se, quod ille vellet, facturum polliceretur. Sic monasterium, non sine multo mærore, denuo relinquere cogitur Adalbertus, & Notherio magnæ prudentiæ episcopo trans alpes perducendus committitur. In illo intervallo quo Romæ degebat Adalbertus, Zraquaz monachus sancti Emmerammi, frater ducis, vacuum episcopatum affectavit, jamque a Moguntino consecrandus erat, cum a dæmonio correptus, meritas ambitionis suæ pœnas luit.

XXVIII. Moguntiæ demoratur.

Interim ex Urbe in Germaniam redit imperator, & Moguntiæ aliquamdiu commoratur. Remansit cum illo aliquantum temporis Adalbertus, & veluti cubicularius imperiali cameræ adhærens, Ottonem salutaribus monitis erudiebat. Cunctis vero qui in regia domo erant, vilissima quæque officia de nocte furtim exhibebat. quod tandem Wolfarius regius minister detexit. Dum illic moraretur, viso cælesti ad martyrium per beatam Mariam Deiparam animatur. Atque ut ad illud se præpararet, sancti Martini Turonensis episcopi, aliorumque sanctorum suffragia expetere constituit. Quapropter Turonos ad sancti Martini limina profectus est. *Nec* præteriit sanctum Dionysium, aut Floriacum, qui locus *beatissimum corpus confessoris nostri*, ait vitæ scriptor, *& patris Benedicti* conservat, *ubi etiam quis ille sit, cæcorum visus, claudorum gressus, & cælestium miraculorum multa millia protestantur.* Nec prætermisit locum, *ubi corpus discipuli quievit*, addit alter vitæ scriptor, *ubi & primus monachorum gregem rexit abbas Maurus, signo sanctitatis & miraculorum dulcedine magistro simillimus*, Regressus demum ad imperatorem, extremam ei salutem dixit, & archipræsulis sui mandato ad perfidam gentem ultimo profectus est, proprium sanguinem brevi Christo litaturus.

Sacra loca visitat.

XXIX. Johannes antipapa.

Nondum in Germaniam Otto reversus erat, cum Crescentius, veteri dominandi libidine stimulatus, Gregorium pontificem acerbe exagitare cœpit, & Johannem quemdam Placentinum episcopum in ejus locum intrusit. Quam ob rem Gregorius in Germaniam deploraturus injuriam, opemque affectis rebus suis petiturus concessit. Interim Crescentius Urbis mœnia firmare, molemque Hadriani validis præsidiis firmare, nihil denique omittere, quo se adversus Ottonis impetum roboraret. Otto vero Gregorii precibus obsecutus, simulque e re sua id esse ratus, postero anno cum validissimo exercitu in Italiam rediit.

XXX. Mutinense S. Petri cœnobium conditur.

Dum hæc Romæ geruntur, Johannes alter, Mutinensis episcopus, suburbanam ædem sancti Petri, paullo ante refectam, monachis, populo ipso probante, concessit. quod monasterium insignibus subinde ejusdem sedis episcoporum muneribus auctum, atque amplis pontificum & imperatorum concessionibus honestatum, hodie quoque floresçit sub Casinensi sanctæ Justinæ congregatione. Exstant apud Ughellum [a] ipsius Johannis primariæ hac de re litteræ, in quibus ait, se circumspectis omnibus, quo ager sibi commissus novo commodo exuberaret, nihil Deo gratius aut acceptius sibi visum fuisse, quam si in ecclesia sancti Petri suburbana cœnobium construeret. quod opus omnes orthodoxæ fidei cultores, imperatores, reges, principes, ceterique, tam præsentes quam futuri, ut intemeratum & inconvulsum conservent, adjurat & obtestatur. Statuit insuper, ut fratrum numerus pro facultatibus ibidem habeatur, quibus nihil proprium, sed omnia sint communia; & ut abbatis secundum regulam sancti Benedicti libera sit electio. Ad hæc, ut nullus fratrum pro obedientia foras mittatur, nisi quem gravitas morum & bonæ actionis conversatio probabilem reddat. Denique, ut domum hospitalem habeant, ubi secundum morem hospites de decimis laborum suorum recipiant. Actum anno incarnationis Domini DCCCC XCVI. indictione IX. Primus ejus loci abbas fuit Johannes, cui Warinus episcopus, Johannis successor, omnes donationes eidem loco factas, quibusdam rebus de suo additis, confirmavit.

a *Ital. sac. to. 2. p. 132. & seq.*

XXXI. b *lib. 49. n. 91.*

Sub idem tempus Genuæ, ubi jam duo [b] erant nostri ordinis cœnobia, sancti Ste-

phani scilicet ac sancti Fructuosi, tertium adjunxit Landulfus episcopus in ecclesia sancti Syri, ex qua Johannes [a] ejus decessor episcopalem sedem in ædem sancti Laurentii transtulerat. Itaque ne sancti Syri ecclesia divinorum officiorum expers esset, Landulfus monachos nostri ordinis sub Petro abbate constituit: ubi per multa sæcula monasticus ordo summa religione viguit, donec sæcularium abbatum incuria, immo & injuria, cœnobium pæne collapsum, monachis anno M D LXXV. amotis, ad regulares clericos Theatinos devolutum est. Abbatum ejus loci seriem ad id tempus Ughellus contexuit.

ANN. CHR. 996. Genuæ monasterium S. Syri.

a *Ital. sac. to. 2. p. 1157. & seq.*

XXXII. Mansoni abbati Casinati suffectus Johannes.

Antequam Italiam dimittamus, agendum est de funesto exitu Mansonis Casinatis abbatis, qui hoc anno excæcatus, non multo post cum lumine oculorum vitam amisit. Hoc ille infortunium sibi accersivit, tum insolenti vitæ genere, quod sancti Benedicti successorem non decebat; tum impotenti dominandi libidine, quæ illi non competebat. Is quippe sæculari more se gerens, equites sibi plurimos & famulos sericis indutos vestibus comparaverat, & ultramontani imperatoris curiam frequentare consueverat. Quin etiam castrum [b] in latere montis Asprani ædificare cœperat. quæ res maximam ei conflavit invidiam apud Capuanos principes, quasi toti provinciæ dominari vellet. Castrum hoc Roccam-Siccam posteri appellarunt, quod post multas vices in Aquinensium comitum potestatem venit, sancti Thomæ Aquinatis demum ortu illustratum. Hæc omnia indigne ferebant Capuani principes, Mansonis potentiæ suam decedere rati. Hac occasione usus [c] Albericus, Marsorum indignus plane antistes, qui Casinensi abbatiæ pridem inhiabat, cum nonnullis Capuanis civibus & nefariis quibusdam monachis pactus est, se libras centum Papiensis monetæ illis daturum, si, cæcato prius abbate, monasterium ipsi contraderent. Accepta conditione, pessimi illi satellites Marsoni demum persuadent, Capuam se conferret, tactis evangeliis subdole polliciti, se illum salvum & incolumem ad sanctum Benedictum reducturos. Quod ille de Casinate monasterio, hi vero de Capuano sancti Benedicti monasterio intelligebant. Hunc itaque Capuam perducunt, dein ad sanctum Benedictum, ubi ejus oculos evellunt, & linteo involutos ad episcopum deferre gestiunt, pactam impii facinoris mercedem recepturi. Verum divino judicio factum est, ut eadem hora, qua Manso luminibus orbatus est, vita privatus sit episcopus, scilicet XVIII. kal. Decembris anni superioris. Suffectus in Mansonis locum Johannes abbas, ecclesiam sancti Martini juxta Vulturnum ipsi inhabitandam concessit: ubi non multo post decessit, nempe VIII. idus Martias hujus anni, sepultusque est in claustro monasterii Casinensis. Tragicam hanc historiam ante Leonem Marsicanum, tacito Mansonis abbatis nomine, refert Petrus Damiani in epistola [d] ad Mainardum Eugubinum episcopum; aitque se eam pridie, quam epistolam illam scriberet, accepisse a Johanne Marsicanæ prius ecclesiæ archipresbytero, qui tunc religiosus in Casinensi cœnobio monachus erat. Omissus est in vulgato [e] catalogo Marsicanorum episcoporum, haud scio an de industria, infamis ille Albericus, uti & ejus successor & ex concubina filius, cujus meminit Petrus Damiani in prædicta epistola.

b *Chron. Casin. lib. 2. c. 14.*

c *ibid. c. 16.*

d *Petr. Dam. lib. 4. ep. 8.*

e *Ital. sac. to. 7. p. 696.*

XXXIII. Cluniaci cellæ & possessiones confirmatæ.

Vix summum pontificatum Gregorius V. subierat, cum omnia loca & monasteria Cluniaco attributa interventu Ottonis imperatoris confimavit, litteris [f] *dilecto filio Odiloni abbati* datis, in quibus quatuor ejus antecessores laudans, post Bernonem, Odonem, & Aymarum, *beatæ recordationis sanctum Mayolum* vocat. In illa monasteriorum & cellarum enumeratione hæc recensentur: In pago Matisconensi « cella sancti Martini, monasterium, quod Carus-locus vocatur; cella Regniaci, « cella sancti Victoris; in comitatu Cabilonensi cella beatæ Mariæ de Bello monte, « cum ecclesiis & terris a Manasse quondam episcopo collatis; in episcopatu Augus- « todunensi cella Oydellis in honore sanctæ Mariæ, cella Magabrensis ex dono Wal- « terii episcopi; in comitatu Arvernensi Silviniacum monasterium, ubi sanctus Mayolus « requieverit; cella Firmitas, cella apud Scuriolas, cella sancti Petri ad Boscum, mo- « nasterium beatæ Mariæ de Rivis; cellula ad Montes prope Maurengum cum terris « ab Eustorgio nobilissimo viro traditis; monasterium Celsinianense cum suis cellis & « ecclesiis, cella sancti Flori, cella Riliacus; in episcopatu Vivariensi cella Misoscus, « cella de Rumpono-monte, cella ad-fontes, cella Rioms; in episcopatu Uticensi « monasterium sancti Petri & sancti Saturnini super ripam Rhodani; in Trecastino « cella sancti Amandi; in episcopatu Arausico cella in Podio-Odoleno, monasterio- «

f *Bullar. Clun. p. 10.*

AN. CHR. 996.

„ lum ſancti Pantaleonis; in Gapincenſi epiſcopatu cella ſancti Andreæ, Canogobienſe „ monaſteriolum; in epiſcopatu Viennenſi monaſterium Taderniacum cum cella „ Cauſella; in epiſcopatu Lugdunenſi cella beatæ Mariæ Taluzatis, cella Poliacus, „ cellula Arteduni, cella Amberta, cella Saviniacus, cella Cavariacus, cellula Lui- „ niacus; in Burgundia monaſterium Paterniacum ab Adeleide auguſta conſtruc- „ tum, & a Conrado rege, ejuſque filio Rodulfo Cluniacenſi monaſterio traditum, „ & monaſterium Romanum. quæ omnia cum terris & poſſeſſionibus Cluniacenſis monaſterii pontifex confirmat; additque exemtionem ab epiſcopo, & libertatem eligendi abbatis, & recipiendi ordines a quolibet epiſcopo. Ex hac monaſteriorum, quæ tunc Cluniaco ſubjecta erant, enumeratione manifeſtum eſt, inſigniora illa monaſteria, quæ prius a Cluniacenſibus reformata fuerant, puta Floriacenſe, Auriliacenſe, Tutelenſe, Sarlatenſe, Senonenſe ſancti Petri, Autiſiodorenſe ſancti Germani, ſancti Juliani Turonenſe, Majus-monaſterium, Divionenſe, & alia ſimilia, Cluniacenſi abbatiæ ſubjecta non fuiſſe.

XXXIV. Anicienſes epiſcopi.

Pervenit uſque ad id tempus Guido ſeu Wido epiſcopus Anicienſis, auctor monaſterii ſancti Petri ejuſdem urbis: cui Drogo ejus frater, Hugonis regis favore, ſucceſſiſſe dicitur. Verum hic non diu tenuit, ſi tamen umquam tenuit, epiſcopatum. ſiquidem Stephanus, filius Stephani Gabalitani comitis & Adelaïdis ſororis prædictorum Widonis & Drogonis, a Gregorio V. depoſitus fuit, propterea quod a Widone vivente epiſcopo avunculo & anteceſſore ſuo, electus fuiſſet abſque cleri & populi voluntate; & poſt ejus mortem ordinatus a duobus tantum epiſcopis, Dagoberto ſcilicet Bituricenſi archiepiſcopo, & Rocleno epiſcopo Nivernenſi, qui ob id a communione ſuſpenſi fuere. Suffectus itaque in ejus locum Theodardus exmonacho Auriliacenſi anno DCCCC XCVIII. de quo nihil nobis relictum eſt in veuſtis illius eccleſiæ monumentis, niſi quod Silveſter II. qui ejuſdem cœnobii monachus fuerat, illius meminit; itidemque Stephanus vicecomes Gabalitanenſis in charta pro ſancto Theotfredo, de quo inferius.

XXXV. Gregorius abbas Enſidlenſis obit.

Exceſſit etiam e vivis hoc anno Gregorius abbas Einſidlenſis VI. idus Novembris: cui epitaphium Wirandus ejus ſucceſſor compoſuit in hæc verba:

Abbas Gregorius, laudum ſplendore coruſcus,
Flos Anglæ ſtirpis, præcipuus meritis,
Idibus in ſenis animam reddendo Novembris,
Spiritui cælum, oſſibus hunc tumulum
Promeruit, digna factis mercede repenſa,
Nunc fruitur ſummo lætus ovanſque bono.

Hic *divæ memoriæ* abbas dicitur in brevibus annalibus ejus loci, *ſanctus* appellatus in vulgato chronico Hermanni apud Caniſium. Paullo ante ejus obitum, ſcilicet pridie kalendas Novembres ejuſdem anni, Otto imperator omnes poſſeſſiones Meginradi-cellæ (id monaſterio tunc nomen erat) confirmavit, dato [a] diplomate *in Broxole*, id eſt Bruxellis. ac proinde jam tunc Otto ex Italico itinere in Belgium reverſus erat. Idem imperator poſt biennium in eumdem locum ſe munificum præbuit, haud dubie in gratiam Wirandi abbatis Gregorii ſucceſſoris.

[a] *Annal. Heremi. p.* 105.

XXXVI. Godehardus fit abbas Altahæ inferioris.

Apud Bajoarios Altahæ-inferioris monaſterium paſtore deſtitutum erat, abſente Erkanberto abbate, qui vel cauſa infirmitatis, vel paſtoralis curæ tædio, regimine ceſſerat, & ad ſecretioris vitæ ſolitudinem ſe receperat. Sacrum hunc locum paſtore orbatum ægre ferens Heinricus dux piiſſimus, qui recens patri in ducatum Bajoariorum ſucceſſerat, Godehardum ejus loci monachum, tunc preſbyterum, cui nuper [b] juvenum erudiendorum cura commiſſa fuerat, abbatem illic conſtituere decrevit. Reſtitit per biennium vir ſanctus, probabili ſatis excuſatione, nefas eſſe ratus locum abbatis ſui, adhuc ſuperſtitis, uſurpare. At poſtquam abbas a fratribus, quin etiam ab epiſcopis ſollicitatus revenire detrectavit, eiſque delegendi ſucceſſoris fecit poteſtatem; tandem Godehardus, fratrum unanimi conſenſu & epiſcopali auctoritate victus, monaſterii regimen ſubiit. Id factum hoc anno Lambertus monachus tradit. Mox vero novus abbas fratrum promovendæ perfectioni totus addictus, diſtrictiorem regularis vitæ tramitem cum illis ingredi ſollicite curavit: quo in ſtudio per octo annos ſe indefeſſe exercuit. Inter hæc labore manuali ſe ſuoſque occupare

[b] *lib. 50. n.* 68.

occupare ſtuduit. quo in genere præclaram eccleſiam ſanctæ Matris Chriſti Mariæ, quam peculiari cultu venerabatur, cum caſtello firmo in monte proximo conſtruxit, & ad triginta amplius manſos, ſilvis & vepribus erutis, ad uſum & culturam informavit.

ANN. CHR. 996.

XXXVII. Alfricus archiepiſcopus Cantuarienſis.

Cantuariæ Sirico metropolitæ defuncto Alfricus ſeu Elfricus, qui ei in ſede Wiltonienſi ſucceſſerat, in eccleſia quoque Cantuarienſi ſubrogatur. Antequam ejus regimen iniret, Romam pallii petendi cauſa, nudis pedibus adiiſſe traditur. Abendoniæ, ubi ante epiſcopatum abbas fuerat, aſſervabatur olim penula, qua in illo itinere uſus fuerat. Variis ejus temporis inſtrumentis archiepiſcopus ſubſcripſit. Ipſemet chartam compoſuit pro erectione monaſterii, quod Wilfricus anno M IV. apud Burthonium exſtruxit. Ratam quoque habuit chartam pro conditu monaſterii Eweshamenſis, quod Ethelmannus ſub regula ſancti Benedicti in agro Oxonienſi condidit anno M V. in honorem Salvatoris & omnium ſanctorum. Ejus opera canonicos ab eccleſia Chriſti ſeu ſanctæ Trinitatis, id eſt cathedrali, eliminatos fuiſſe tradunt nonnulli. quos refellit Willelmus Malmeſburienſis, probatque monachos a primordiis ad id tempus continuo perſeveraſſe. Utramque tamen ſententiam conciliari poſſe ait Willelmus Thornus, ſi monachi laxiores, ut fit, cenſeantur pro canonicis: quales tempore Lanfranci ibidem exſtitiſſe conſtat. Certe Siricus [a], Alfrici deceſſor, pauculos tantum clericos in illa eccleſia reperit, monachis intermiſtos ad obeunda extrema officia, quos inde amovit.

[a] *ſupra lib. 50. n.* 25.

XXXVIII. Hugonis regis obitus, & monita ad filium.

Eodem anno deceſſit Hugo rex Francorum, ut claris & certis, ni fallor, demonſtratum argumentis ſub finem primæ præfationis ad Sæculum ſextum actorum noſtrorum: qua de re nova ſubinde argumenta inferius recurrent. Mortuus eſt X. kal. Novembris, ſepultuſque juxta patrem ſuum in æde Dionyſiana. Sunt qui ejus obitum conſignant IX. kal. Novembris. quo die in necrologio Dionyſiano Hugo rex notatur. at in Remigiano decimo kalend. Decembris. quod non videtur intelligendum de Hugone juniore rege, Rotberti regis filio, qui menſe Septembri deceſſit. Moriens filium Rotbertum admonuiſſe traditur, ut ne adulatorum abbatiis « inhiantium conſiliis vel muneribus ſe corrumpi ſineret; & nullo pacto ducem om- « nium patrem Benedictum a ſe divelli pateretur. Paternis monitis pie obſecutus eſt « Rotbertus, ſanctoque Benedicto totis ſemper adhæſit præcordiis, teſtante in ejus vita Helgaldo, qui his argumentis fidem facit, quod Rotbertus jus piſcandi in Ligerito flumine ſancti Benedicti monaſterio Floriacenſi contulerit, immunitatem ejus loci firmaverit, & altare ſanctæ Dei-genitricis Mariæ pallio pretioſiſſimo cooperuerit. Mitto in præſens alia, quæ fecit aliorum cauſa monaſteriorum.

XXXIX. Richardus Nortmannorum dux obit.

Hugoni regi vix uno menſe ſupervixit Richardus Nortmannorum dux, eo nomine primus, qui moriens filium ſuum cognominem ſuis proceribus commendavit. Obiit autem apud Fiſcamnum, cujus baſilicam inſtauraverat, & clericis primum aſſignaverat, quibus monachos ſubſtituere cogitabat. Verum mors ejus conſilia prævertit, quæ Richardus ejus filius exſecutus eſt. Annum ejus obitus nongenteſimum nonageſimum-ſextum ab incarnatione diſerte aſſignat Willelmus [b] Gemeticenſis, qui mortis ejus circumſtantias a Rodulfo comite ejus fratre acceperat. In necrologio Fiſcamnenſis monaſterii, ubi humatus eſt, notatur ejus obitus XI. kal. Decembris, in quibuſdam aliis XII. eaſdem kalendas, forte quod deceſſerit ſub mediam noctem, quæ ad utrumque diem trahi poteſt. Hic abbatias quaſdam inſtauravit, teſte [c] Willelmo. nam præter Fiſcamnum, ubi *miræ magnitudinis & pulcritudinis in honore deificæ Trinitatis templum conſtruxit*, mirificiſque ornamentis decoravit; abbatiam ſancti Petri ſanctique Audoëni in ſuburbio tunc Rotomagenſi reſtruxit, & aliam in monte-Tumba in veneratione ſancti Michaëlis, *gregibuſque monachorum inſignivit.* Eidem tribuitur etiam abbatia ſancti Taurini apud Ebroicas, quæ ipſum reſtauratorem agnoſcit in necrologio, ubi notatur XI. *kal. Decembris Ricardus ſenex dux Nortmannorum, fundator hujus loci.* quod tamen Ricardo ejus filio tribuit Robertus de Monte, nimirum quod inchoata a patre ædificia perfecerit.

[b] *Willelm. li. 4. c. 20.*

[c] *ibid. c. 19.*

ANN. CHR. 997. XL. Abbonis legatio Romam.

HUgone rege mortuo, Rotbertus Abbonem Floriacenſem abbatem Romam legatum miſit ad Gregorium papam. Hujus legationis cauſam hanc affert Aimoinus in Abbonis vita, quod pontifex toti regno Francorum anathema intentaret, niſi Arnulfus Remorum archiepiſcopus, qui etiam tum Aurelianis carcere detinebatur,

in libertatem reſtitueretur, prout in Remenſi concilio ante definitum fuerat. Hoc iter ſecundo ingreſſus eſt Abbo, haud illibenter, tametſi haud parum difficulter, utpote mole corporis prægravatus, quam in tranſmarinis partibus ex peregrinorum ciborum inuſitata qualitate & decoctæ potionis hauſtu contraxerat. Nimirum gratum & jucundum Abboni erat eum videre pontificem, per quem, fama vulgante, audierat religionis normam ad priſtinum poſſe ſtatum reſurgere. Accedebat, quod Arnulfo ſemper adhæſerat præ Gerberto, qui forte ipſius electioni non admodum faverat. Unde mirum non eſt, in variis illis epiſtolis, quas ad ſui temporis eruditos viros ſcripſit Gerbertus, nullam in editis Abboni ſcriptam reperiri. Legatum incredibili gaudio accepit pontifex, teſtatus, ſe jam dudum ejus videndi & alloquendi deſiderio captum fuiſſe ex fama, quam de ejus virtute ac doctrina hauſerat. proinde peteret quod vellet; ſe vero quæcumque petiiſſet, facile conceſſurum: quippe certum, nihil eum contra jus faſque poſtulaturum. Sic octo ferme diebus Romæ detentum pontifex omni officiorum genere proſecutus eſt, menſæ frequenter adhibuit, eique poſtulata omnia conceſſit; ac demum a ſe dimiſſum planeta, qua inter miſſarum ſollemnia uteretur, honoravit, conceſſo inſuper privilegio, in quo inter alia id continebatur, ut epiſcopus Aurelianenſis, niſi invitatus, Floriacum ne adiret; & ne tempore interdicti generalis divinum illic officium ceſſaret.

ANN. CHR. 997.

XLI. Arnulfus Remis reſtitutus.

Regreſſus ex Urbe Abbo pontificis mandata regi exponit. Nec mora Arnulfus e cuſtodia educitur, & in ſedem reſtituitur, pallioque donatur, quod pontifex ad eum per Abbonem miſerat. quibus peractis, Abbo rerum ab ſe geſtarum papæ rationem reddidit, ſcriptis ad eum litteris, quarum fragmentum refertur ab Aimoino. Hæc epiſtola prima eſt ex his, quæ regiis typis editæ ſunt; ejuſque hæc ſumma: » ſe mandata pontificis ex aſſe ſervaſſe; Arnulfum e cuſtodia liberatum & abſolutum; » Rotbertum regem in omnibus pontifici religioſe paruiſſe; rogare, prædictum Arnul» fum moneat pontifex, quo pacto cum clericis ſuis converſari debeat, & eccleſiæ » ſuæ filios a priſtinis erroribus abſtrahat; poſſeſſiones denique ſanctæ Mariæ, id eſt » eccleſiæ omnium Gallicanarum nobiliſſimæ, quæ inops, abjecta, & deſolata ejus » litigio facta fuerat, reſtituat. In fine gratias agit planetæ ſibi a pontifice conceſſæ » ad miſſarum celebranda ſollemnia, in quibus ſe ſemper ejus memorem futurum eſſe » pollicetur.

Gerbertus in epiſtola CLIX. ad Adelaïdem auguſtam, quæ epiſtola paullo ante Arnulfi reſtitutionem ſcripta eſt, ait, ejus reſtitutionem ab adverſariis tutam non videri, niſi ipſum Gerbertum perdant, eamque Leonem abbatem obtinuiſſe, *ob confirmandum ſenioris*, inquit, *mei regis Roberti novum conjugium*, nimirum cum Berta, quod paullo ante contractum fuerat, ut ſuperius [a] vidimus, poſt mortem ſcilicet Odonis comitis, prioris Bertæ mariti. quod conjugium ut pontifex approbaret, Rotbertus ſe facilem præbuit in reſtituendo Arnulfo, quem alias neque Hugo, neque Rotbertus ipſe nonniſi ægre admodum reſtituiſſent. In fine epiſtolæ ait Gerbertus, ſe eccleſiam, quam epiſcoporum judicio ſuſcepit, ſine epiſcoporum judicio non relicturum; at facile id ſe facturum epiſcoporum judicio, *ubi major auctoritas adſit.*

a *lib.* 51, *n.* 11.

XLII. Ferrarienſis monaſterii ſtatus.

Abbo in ſuperiori epiſtola ſuggerit pontifici, ut eorum recordetur, quæ per ſe ſuæ ſanctitati comes Fulco ſignificavit, *malle ſe ſcilicet vetera monaſteria diruta reſtaurare, quam nova a fundamentis condere.* id vero frivole ab eo dictum, quando » vicinum Floriaco monaſterium, Ferrarias dictum, quod priſcis temporibus ex regia » munificentia nobiliſſimum erat, & Romanæ eccleſiæ membrum, nunc *vaſſallorum* » *ſuorum*, id eſt Fulconis, beneficio ita corroſum ſit, *ut vix aliquid remanſerit ad ſtipendia paucorum fratrum.* Fulco iſte non alius videtur a Fulcone Nigro, Andecavorum comite, cui ob direptas forte eccleſias & religioſas ædes, id ſatisfactionis a ſummo pontifice injunctum ſit, ut nova aliqua monaſteria fundaret. Certe eidem Bellilocenſe apud Turones monaſterium conſecrari cupienti obſtitit Hugo archiepiſcopus, niſi ante occupatas Turonicæ eccleſiæ poſſeſſiones reſtituiſſet. At quid commercii Fulconi Andecavorum comiti cum Senonenſi comitatu, in quo Ferrarienſe monaſterium ſitum eſt? Scilicet ſumma in palatio Rotberti auctoritate pollebat, utpote Franciæ ſeneſcallus; & Adelam, Haimonis Corbolienſis comitis filiam, duxerat uxorem, quæ affinitas magnam ei illis in partibus poteſtatem conciliabat. Tunc vero Senonenſis pagi comes erat Rainardus, cognomento Vetulus, qui non

minus infeſtus erat Ferrarienſi monaſterio, cujus in prædio [a] caſtrum exſtruxit, quod ex ſuo nomine Caſtrum-Rainardi appellavit. Idem monaſterium ſanctæ Columbæ in beneficium habens diripuit; cœnobium ſanctæ Faræ multum vexavit, inſuper & abbatiam ſanctæ Mariæ, in ſuburbio Senonum poſitam, tantum non deſtruxit.

ANN. CHR. 997.

a *Clarius to.* 2. *Spicil. p.* 737.

XLIII. Rainardus abbas Senonenſis.

Tunc Ferrarienſi monaſterio præerat Rainardus abbas, cujus mentio fieri videtur apud Aimoinum in libro ſecundo de miraculis ſancti Benedicti, cujus meritis reſtinctum eſt Floriaci incendium, quo totum monaſterium tempore Abbonis abbatis, die feſto tranſlationis ſancti Benedicti, deflagrandum videbatur, *cum repente uni ex abbatibus, qui ex vicinis cœnobiis emerito duci ſuo*, ſcilicet ſancto Benedicto, *militaturi advenerant, nomine Rainardo, viſio ſuperna apparuit conſolationis, nempe duarum columbarum, quæ trino volatu ambitum templi*, quod flammis correptum erat, circumvolantes, ad africum declinaverunt, ubi horreis jam flammæ violentia imminebat. Certe inter utrumque monaſterium, Floriacenſe & Ferrarienſe, magna familiaritatis connexio erat. Quamquam dubium eſt, an is ſit Rainardus abbas, qui ſancti Petri Senonenſi monaſterio tunc præfectus erat, ſi tamen alius a Rainardo abbate Ferrarienſi. nam forte idem abbas utrumque locum regebat. Hic eſt Rainardus abbas, quem Sewinus archiepiſcopus, ſancti Petri monaſterii ſuburbani inſtaurator, *ſub diſtrictione regulari ordinavit abbatem*, atque adeo regularem. quod idcirco obſervo, ne quis eum confundat cum Rainardo-Vetulo Senonum comite, qui abbatiam ſanctæ Columbæ in beneficium tenuit, ejuſque poſſeſſiones in proprios uſus convertit. Porro incendium illud, cujus ſupra meminimus, contigit tempore matutinalis officii, quod pauci ſeniorum cum pueris proſecuti ſunt, dum ceteri ad exſtinguendum incendium properarunt. Cum vero baſilicam ſanctæ Mariæ ignis jam corriperet, ſancti Benedicti corpus *humeris dolentium effertur ſervulorum, atque ad orientalem eccleſiæ partem in cœmeterio exponitur fratrum.* quod proinde extra clauſtrum erat.

XLIV. Abbonis epiſtolæ ad Gregorium papam.

Præter ſuperiorem epiſtolam, Abbo duas alias ad eumdem Gregorium papam ſcripſit, quarum in una nobilem quamdam matronam, ſibi propinquitate conjunctam, nomine Hildegardem, commendat, *quæ peccatrix eſt*, inquit, *& nobilis, non autem ideo nobilis, quia peccatrix; ſed ideo peccatrix, quia nobilis.* nam multa in ſæculo ſæcularis mulier emendatione digna commiſerat, *pro quibus pœnitentiæ remedium expetiit, & conſilio bonorum virorum duo monaſteria, unum canonicorum, alterum ſanctimonialium, ex propriis rebus & poſſeſſionibus conſtruxit; in ſingulis quoque, novem fere millibus a ſe invicem diſparatis, tantos redditus delegavit, ut ſufficere poſſint etiam plurimis, quam ſunt animæ utriuſque congregationis. Porro monaſterium alterum in honore ſancti Petri apoſtolorum principis, alterum ſancti Andreæ apoſtoli, Romanæ eccleſiæ ſub cenſus tributo addicere cupit, & ea privilegio veſtræ irrefragabilis auctoritatis muniri.* quænam ſint duo illa monaſteria, ignoramus. Altera epiſtola eidem Gregorio quemdam Hunboldum, forte epiſtolæ bajulum, commendat, eique mittit hiſtoriam tranſlationis corporis ſancti Benedicti in Galliam, a pontifice expetitam, cum duobus vaſculis manzerinis. In eadem epiſtola meminit itineris, quod in Spoleti provincia cum eodem pontifice confecerat, ſimulque collationis inter ſe ſe invicem habitæ de paſſionibus animæ.

Gregorii ad eum epiſtola.

Quanta vero idem Gregorius benevolentia ipſum Abbonem proſequeretur, teſtis eſt una ejuſdem pontificis ad eum epiſtola, quam, quia brevis eſt, hic exhibere juvat.

Domino ſpecialiter venerabili Abboni abbati, G. ſervus ſervorum Dei, Salutem in Chriſto. Quia litterarum veſtrarum portitor feſtinabat quantocius redire, vix veſpertinalis ſynaxeos ſpatio ut remoraretur valui impetrare. unde breviloquio uſus, veſtræ ſemper erga me novæ benevolentiæ gratias refero, petens, ſicut mandaſtis, ut nobis fratrem R. in præſentiarum dirigatis, qui nobis de veſtra proſperitate, de regis promiſſione, de Cantuariorum archiepiſcopi incolumitate renunciet: unum deprecans, ut ex veſtris miſſalibus libris optimum tranſmittatis; quatenus, quotieſcumque inter miſſarum ſollemnia videro, ſpecialis amici memor ſim, numquam ingratus veſtro beneficio. Valete.

Hæc Rotberti regis promiſſio forte ſpectabat divortium a Berta regina ipſi affini, quam contra eccleſiaſticas regulas deſponſaverat. Cantuarienſis archiepiſcopus, de cujus incolumitate ſollicitus erat pontifex, Elfricus eſt, qui forte tunc temporis ægrotaverat.

ANN. CHR. 997.

XLV. Martinianis canonicis favet Abbo.

Per id tempus Archembaldus, Turonum archipræsul, nonnihil molitus est contra immunitatem canonicorum ecclesiæ sancti Martini Turonensis, cujus tunc archiclavis seu thesaurarius erat Heriveus seu Herveus, vir summæ religionis, qui in monasterio Floriacensi sub Abbonis disciplina institutus fuerat. Abbonis patrocinium erga pontificem implorarunt Martiniani: quibus ille data epistola respondit, sub hac inscriptione: *His* *patribus & fratribus, in monasterio sancti Martini commanipularibus, maxime Heriveo bonæ indolis speculo, amatorum Christi amator Abbo.*

* f. *Piis* vel *Sanctis.*

» In hac epistola ait, se ex vulgi rumore didicisse, domnum Archembaldum contradicere privilegiis sancti Martini; sibi mirum videri, quod vir tantæ auctoritatis & » mansuetudinis, contraire velit Romanorum pontificum decretis, & sanctorum canonum institutis, quæ Romanæ ecclesiæ super omnes alias excellentiam probant, » unicuique ecclesiæ suum servandum esse privilegium. Monendum esse Archembaldum, ut a monasterii vexatione abstineat, & quæ tanto tempore inviolata fuere, » nullo prætextu convellere moliatur, sed cuncta illibate servet, & plus sibi in eodem monasterio, quam antecessoribus suis noverit non licere. *Absit itaque, ut sanctorum virorum, & maxime antiquorum pontificum Romanorum, scripta, modernorum sustineant præjudicia, & flocci pendant posteriorum sensa, quorum venerantur memorias.*

XLVI. Gerbertus non ita.

Non ita favebat Martinianis canonicis Gerbertus, a quo discimus, hujus controversiæ originem ex eo natam esse, quod archiepiscopi benedictionem clerus sancti Martini renuisset. Conquestus est hac de re Archembaldus, litteris scriptis ad

a *Gerbert. ep.* 48. 2. *class.*

» Gerbertum adhuc Remorum archiepiscopum, cujus hæc responsio [a] fuit, se querelam eius non sine fraterna compassione suscepisse; consilium & auxilium, quan» tum in ipso esset, non dilaturum. Interim censere, ut pro accepta repulsionis in» juria, pulverem calceamenti excutiat contra illos, secundum præceptum Christi » Domini. Rem acriter persecutus est Archembaldus, & in concilio habito in eccle» sia sancti Pauli, forte Cormaricensi, eam discutiendam proposuit. Non visi sunt damnandi absque audientia Martiniani canonici; sed omnes episcopi, qui ad præ» dictum concilium in ecclesia sancti Pauli convenerant, *omnibus clericis de monaste» rio sancti Martini* scripsere, ut vel cum suo episcopo redirent in gratiam, vel *ad* » *placitum Chelæ habendum* venirent *pro discordia diu retenta rationem reddituri* VII. » *idus Maii.* quod si non fecerint, censura canonicæ districtionis percellendos. Quis fuerit hujus controversiæ exitus, nostra nihil interest investigare.

XLVII. Sancti Martini asyli violator Fulco ut satisfecit.

Ipso tempore Fulco Andecavensium comes, claustri beati Martini sacrum jus violasse accusatus est. *Ipsius siquidem claustri locum, omnibus patens refugium, armata manu, quamvis nullis resistentibus, intravit. Domus deinde propugnacula cujusdam canonici & cellerarii præcipitari injuste fecit. cujus rei inauditæ atrocitate & magnitudine canonici vehementer perculsi, & contra hoc malum, tantum, tam subitum & insperatum, quid novum agere possent solliciti, corpora protinus sanctorum, & crucifixum terræ deponentes, super ipsum beatissimi confessoris Martini sepulcrum, & circa corpora sanctorum & crucifixum, spinas adposuerunt. Portæ insuper ecclesiæ, die ac nocte continuo clausæ, castrensibus etiam non introeuntibus, solis peregrinis patuere. Consul itaque non multo post facti sui pœnitens, & misericordiam quærens, sponte sua in claustrum & in domum Secardi magistri scholarum venit, ibique discalceatus, nudis pedibus, & quidam cum eo sui proceres in ecclesiam humiliter perrexerunt. Primum ante beati Martini sepulcrum, dato pignore, consul Deo & beato Martino per manum Rainaldi Andegavensis episcopi, & Hispaniæ Occensis episcopi, promisit se nihil amplius tale quid facturum: deinde ante corpora sanctorum, ad ultimum ante crucifixum satisfactionem fecit.* Heu! quantum distat a moribus nostris religiosa hæc majorum nostrorum pietas & simplicitas!

XLVIII. Dissensio in Majori-monasterio in abbatem.

Dum hæc in sancti Martini ecclesia geruntur, dissensio ingens in vicino Majori-monasterio exorta est occasione Bernerii abbatis, qui monachis a beato Mayolo illic restitutis præpositus fuerat. Is multorum criminum insimulabatur, ob idque monachi ejus loci ab eo secessionem fecerant, incentore in primis quodam Frederico, qui scholis præfectus erat. Ea re accepta, Abbo Floriacensis abbas, tanto scandalo occurrendum putavit, & ad remedium quantocius afferendum, Gausbertum, proximi sancti Juliani apud Turonos monasterii abbatem, litteris suis solliciti tavit. In hac epistola Gausbertum monet, ut ne facile fidem habeat subdolis qui-

ANN. CHR. 997.

busdam monachis, qui, sub ovina pelle lupi, ad monasterii asylum confugiunt, « simpliciores fratres falsis circumventionibus sollicitant, decipiunt, & in labyrin- « thum sui erroris incautos præcipitant, melioribus se detrahentes, & crimina, vel « auditu horribilia, confingentes. Id eveniisse in Majori-monasterio, quod ipsi Gaus- « berto imputandum, non quod malevolis assensum præbuisset, sed quod inauditum « nefas, sua irrefragabili auctoritate corrigere neglexisset; oportuisse, ut e diversis « mundi partibus amatores sacræ religionis judices ad dijudicandas criminis objectio- « nes convenirent. Id ita scilicet præcepisse magnum papam Gregorium in epistola « ad Lupum Augustodunensem abbatem, ut ne solus episcopus civitatis causas accu- « sati abbatis judicaret. quod Abbo ipse ait se inserendum curavisse privilegio, quod « recens a Gregorio V. impetraverat. Non decere, ut monachi *Majorianæ congre-* « *gationis*, quorum institutum erat silentio vitam degere, nulli detrahere, intra clau- « stra se continere, liberi per plateas discurrant, & abbati suo detrahant impune, « eumque ad hoc compellant, ut contra divinas humanasque leges *ignito ferro* se « purgare voluerit. Ferendum non esse, ut subditorum catenis colla committat, & « suorum manibus dilanietur. Se vero ne quidem immunem ab istorum conviciis fuis- « se. ceterum gratias agere, quod Gausbertus hæc maledicta repulerit. Scire velle, « utrum repudiatus abbas libellum repudii fratribus suis miserit, an præjudicatus vio- « lentiam sustinuerit: *quoniam mecum*, inquit, *ille totius religionis signifer Odilo con-* « *temnitur, & fratres Cluniensis cœnobii, ut nobis relatum est, de Majore-monasterio, cum dedecore sunt expulsi: & id duos tantum factionis principes egisse comperimus, quorum temeritas eo promptior ad audendum omne facinus, quo faventis concilii major est potentatus.* Hinc intelligitur, istius factionis auctores fuisse quosdam monachos, qui ex canonicali vita, quæ antea in Majori-monasterio aliquamdiu obtinuerat, ad monasticam professionem conversi, forte Cluniacensium jugum moleste ferebant. Addit Abbo se ad hoc ejus orationem non tendere, *quo sanctorum virorum atque electorum judicum* velit subtrahere examini patrem, qui dicitur incestus, vel sacri- « legii reus: sed ut filiorum pietati ac miserationi consulat, ne, veluti Cham, nudi- « tatem patris detegant. «

Quid ad hæc responderit Gausbertus, ignoramus: at responsionem ejus Bernerio abbati non admodum favorabilem fuisse intelligitur ex alia ejusdem Abbonis epistola eidem Bernerio scripta, in qua scribit Abbo, eum frustra bonorum virorum exspectare sententiam, quem propria conscientia accusat, turpissimæ actionis « opinio infamat. Jam palam esse, eum plurimos commissi gregis suo morbo conta- « minasse, lepra fœdissimæ contagionis perdidisse; nihil aliud ad hæc responsore, « nisi quia fecit, sed non perfecit. Resipiscret ergo, & ad se rediret; &, siquidem « objectorum conscius esset, abbates & monachos secum infamare ne pergat: quando « quidem non ille solus, sed omnes ejus ordinis tales esse credantur. Ne differat au- « dientiam, si innocentiam defendere valeat: sin aliter, fratribus satisfaciat, misso li- « bello repudii, ac reddita episcopo cura pastoralis regiminis, ut alter, qui dignus sit, « quantocius in ejus locum sufficiatur. Porro suffectus videtur Gausbertus abbas, qui anno millesimo-quarto Majus-monasterium administrabat.

XLIX. Miciaci alia similis.

Non multo post consimilis seditio excitata fuit in Rotbertum Miciaci abbatem, qui Salmurense itidem monasterium procurabat. Conspirationis auctor creditus est Letaldus monachus ejus loci, vir pro tempore doctus, qui eo usque processit, ut Rotberti abbatis officium usurparverit. Favebat etiam forte huic seditioni Constantinus decanus, & ipse haud ineruditus, ut Gerberti ad eum epistolæ probant. Hæc quoque tempestas Floriacenses pæne afflavit, quos suæ *calumniæ fautores, detectationis judices, accusationis præsules* dicebant Miciacenses. His malis excitatus Abbo Floriacensium rector, litteras scripsit *fratribus Miciacensibus, maxime eorum decano Constantino*, in quibus expostulat, quod, litteris ad suos Floriacenses scriptis, eos ad societatem suæ dissensionis adducere tentaverint, quos ab ejusdem proditione omnino abhorrere ait. In ejus rei argumentum affert Frederici ignobilis scribæ ejectionem, *qui nunc*, inquit, *Jerosolymis exsulat pro suorum mendaciorum fabrateria, pro excogitatorum de suis fratribus vitiorum inaudita historia.* Hic est Fredericus, qui ejusmodi turbas in Majori monasterio excitaverat. Alios similium facinorum reos ab Odilone Cluniacensi abbate expulsos fuisse addit Abbo. *Siquidem & in nostra professione singularis Odilo Cluniensium rector hujusmodi historiographos, nuperrime de-*

ANN. CHR. 997.

tectos, de suo monasterio flagris cæsos expulit, & ferro abscissionis terribiliter inussit. Tum Abbo in ejusmodi homines invehitur, quos *saterricos* seu satyricos vocat & *acephalos*, quod abbates suos in primis persequerentur, *quoniam sine capite regnant, sine patre spiritali, contra jus fasque naturæ suos fratres dilaniant, & mordentes pacem prædicant, cum nullum genus animalium sæviat, nisi in dispar feris.* Quod vero Miciacenses in abbatem suum insurrexerint, id in causa fuit, quod ille monachum quemdam suum ab eorum calumniis vindicaret. *Quapropter professionis*, inquit, *vestræ memores, vos ad vos reducite; quid coram Deo & sanctis ejus voveritis mementote: abbatem, quem cum sua una ovicula expulistis, regulariter vobis præesse desiderate.* Dein eos arguit, quod benignitatem domni Fulconis Aurelianensis episcopi contra suum abbatem exasperassent, & inauditum condemnari moliantur. In fine Letaldum ita compellat. *Tandem ad te, mi quondam familiaris Letalde, nunc sermo dirigitur, cujus alias singularem scientiam mea parvitas amplectitur, & summis laudibus extollere nititur. Quid tua interfuit unius miseri vitam corrodere, unius homunculi quæ non erant nota vitia denotare? cùm scriptum sit, quod sapiens pœnitenda non committit.. Hortor & obtestor, carissime, recordare infirmitatis tuæ: assume viscera misericordiæ: fratres tuos argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina: ita scilicet, ut nec increpatio ad desperationem pertrahat, nec patientia vitiorum fomiti succumbat. Tu enim hujus conspirationis caput diceris: tu domini Rotberti abbatis tui officium, quod dictu nefas est, præsumsisti, nec delatoris pœnam exhorruisti: quem expeditum omnibus malis absque ulla rebellione restituat omnipotens Deus.* Optatum finem habuit rixa illa. nam Rotbertus abbas Miciaci supremum diem absolvit non sine indicio sanctitatis, ut suo loco videbimus. Hæc contigere pontificatu Fulconis episcopi Aurelianensis, qui Arnulfo ejus nominis secundo successit post annum DCCCC XCIII. quo anno quamdam conventionem de castro Everæ fecit cum Abbone Floriacensi abbate.

I. Letaldus scribit vitam sancti Juliani.

Letaldus mox laudatus librum de vita sancti Juliani primi Cenomannorum episcopi, cum ejus officio composuit hortatu Avesgaudi ejusdem urbis episcopi, cui scriptionem suam nuncupavit. Id operis sibi impositum fuisse dicit, *cum desiderio afflatus tam spiritualis, quam corporalis remedii, ad memoriam præcellentissimi præsulis Juliani accessisset*, & ad colloquium venisset Avesgaudi, qui Segenfrido, infamis vitæ episcopo, successerat. Porro Segenfridus, instante obitu, ut anteactæ vitæ maculas quodam modo elueret, *postulavit* [a] *ad sanctum Petrum Culturæ se monachum fieri: qui dum esset factus monachus, statim mortuus est.* Ejus mors accidit circiter annum præcedentem. quo proinde tempore monasticus ordo jam restitutus erat in monasterio sancti Petri apud Cenomannos, ubi Segenfridus in extremis monasticum habitum induit. In veteri chronico sancti Juliani Turonensis Gausbertus abbas inter alia prædictum monasterium S. Petri fundavisse dicitur. quod de restitutione monastici ordinis per eum ibidem facta intelligendum est. nam longe ante id tempus, id est sæculo septimo ineunte, Bertchramnus episcopus illud cœnobium condiderat. Haud scio ad quod monasterium postulatus fuerit abbas ex alio monasterio Witcharius, de cujus electione seu postulatione habemus epistolam ex veterrima membrana sancti Vincentii Cenomannensis, in Appendice referendam, in qua *cunctis in partibus orbis, multis innumerabilibusque locis, longe lateque beati traditio Benedicti diligenter observari perhibetur.* Qui in Segenfridi locum suffectus est Avesgaudus, nepos ipsius fuisse dicitur. Hic molestè ferebat, teste Fulberto [b] Carnutensi episcopo, *se monasticæ vitæ dici amatorem:* quod Fulberto permirum videtur. *Amor namque religionis*, inquit, *episcopali gradu, quem repetis,* (nam ab Heriberto comite exturbatus fuerat) *dignum te potius, quam indignum efficeret, si nihil aliud impediret.* Itaque initio ejus episcopatus Letaldus ei librum suum nuncupavit de vita sancti Juliani episcopi, quem a sancto Clemente missum fuisse negat. quippe *nec ratio temporum, neque veterum consensit auctoritas.* Porro in componendo sancti Juliani officio, recedere noluit a similitudine veteris cantus, ne barbaram aut inexpertam melodiam fingeret. *Non enim mihi placet*, ait ille, *quorumdam musicorum novitas, qui tanta dissimilitudine utuntur, ut veteres sequi omnino dedignentur auctores.*

a *Analect. to. 3. p. 299.*

b *Fulbert. epist. 8.*

II. Abbonis epistola de decimis.

Sub id tempus Abbo Floriacensis cuidam carissimo fratri G. forte Gauzlino monacho, qui ipsi postea successit, epistolam scripsit de decimis, quas rectores quidam plebium monachis detrahere moliebantur. Id factum in ditione Christiani episcopi, » sed cujus loci, ignoramus. In hac epistola probat Abbo, canonum auctoritate,

ecclesiarum dotes & decimas consistere in manu episcoporum, sicut regnum in manu regis: *quatenus eorum potestate & judicio servetur unicuique æquitas ad res suas obtinendas.* Etsi vero hoc sensu in manu episcopi sint decimæ, nihilo minus tertiam, immo potius quartam tantum earum partem auctoritate canonum concedi episcopo, cui de sua portione *ad votum competit quidquid, ut ecclesiastico dispensatori, agere placuerit:* sic tamen ut eas abalienare non possit. Si quid vero de temporalibus « ecclesiæ bonis partiendum est, illis debere specialiter prodesse, qui ecclesiæ spiri- » tualiter deserviunt die ac nocte. Hæc agitata quæstio est occasione cujusdam ecclesiæ, quæ in fundo Floriacensis monasterii ædificata fuerat: cujus loci decimas parochus, ut fit, exigere volebat. *Quidam igitur antecessor meus*, ait Abbo, *in possessione nostri monasterii ecclesiam ædificavit, dotem contulit. num idcirco monasterium possessionem amisit, aut abbas id abalienare potuit? Requisiti itaque in hoc hujus nostri monasterii libri poletici* seu polyptychi, *a temporibus Magni Caroli, pene vetustate consumti, quid ædificata ecclesia mihi, meisque fratribus debeat, innotescunt: quid contra illa dotis nomine data suis burdationibus solvat, ibidem perpendit procuratoris diligentia.* Demum ita concludit, monachos ecclesias tenere, eisque deservire « posse, si clerici sint: si non, de reditibus ejus seu oblationibus vivere debere, & « posse. «

ANN. CHR. 997.

LII. Theobaldus abbas Cormaricensis.

Post mortem Danielis abbatis, qui Cormaricense monasterium anno XXIV. Lotharii regis procurabat, in ejus locum postulatus est Theobaldus monachus Cluniacensis, Haimonis Corbolienſis comitis filius, Rainardi Parisiensis episcopi frater. Is ab Archembaldo Turonum archiepiscopo facultatem obtinuit exstruendi sacelli in villa Lupantia in honorem beatæ Mariæ, litteris datis *in civitate Turonensi, in synodali conventu, anno primo regnante Rotberto rege post mortem patris.* Cum vero Fulco Andium comes castella duo exstruxisset, unum in comitatu Turonico, quod « vocatur Mons-Basonis, in terra ipsius cœnobii; alterum dictum Mirabellum in co- « mitatu Pictavensi, terræ ejusdem cœnobii proximum: veritus *nobilis & religiosus* « *abbas Theobaldus*, ne inde gravamen monasterio suo generaretur; sponsionem a « Fulcone, ut ne id fieret, obtinuit, & Fulco ipse auctoritate regia id firmari roga- « vit. quod Rotbertus rex benigne annuit, ne idem Cormaricensibus eveniret, quod « ex aliis castellis *temporibus antecessorum regum ortum est, Lotharii videlicet Francorum regis, & genitoris* sui *Hugonis itidem Francorum regis, temporibus scilicet Fulconis & Gaufredi comitum, avi & patris sæpe fati comitis Fulconis.* Hoc præceptum, quod in chartaceo codice notis chronicis destitutum est, *Gotfridus monachus scripsit ad vicem Franconis cancellarii, & ipse Franco* manu propria subscripsit. Idem Theobaldus postmodum Fossatensis abbas creatus est.

LIII. Fulberti epistola ad Adeodatum.

Haud scio an abbas fuerit Adeodatus, cui Fulbertus, nondum episcopus, primam epistolam scripsit *pro ædificandis fratribus adhuc infirmis atque novitiis*, de tribus præcipuis fidei nostræ mysteriis, scilicet de sancta Trinitate, de baptismo, & de eucharistia, in qua *duo vitæ sacramenta, id est dominici corporis & sanguinis*, contineri ait. In hac vero epistola apertissima sunt argumenta pro vera & reali Christi Domini præsentia & transsubstantiatione in divino illo sacramento, in quo *non inanis mysterii symbolum, sed compaginante Spiritu-sancto corpus Christi verum* contineri asserit, illudque ipsum in nobis manere, *non per concordiam voluntatis, sed etiam per naturæ unitæ veritatem.* Dubitari nefas esse, *ad cujus nutum cuncta subito ex nihilo substiterunt, si pari potentia in spiritualibus sacramentis terrena materies, naturæ & generis sui meritum transscendens, in Christi substantiam commutetur.*

LIV. Usercæ Agedunum donatur. a *Gall. Chr. to. 4. p. 963.* * *Ahun.*

Usercensi apud Lemovices monasterio tunc præerat Adalbaldus abbas, quando Boso Marchiæ comes [a] ecclesiam sanctæ Mariæ, in vico Ageduno * sitam ad Crosam fluviolum, contulit pro salute cum sua, tum parentum suorum, necnon fratrum suorum Gauberti & Hildeberti, ea conditione, ut *per succedentia tempora monasticus ordo & religionis observantia sub regula sanctissimi Benedicti ibi teneatur & custodiatur*, nec ullus propinquorum *licentiam habeat eam alienandi ab ordine monastico.* Subscribunt post Bosonem Gaubertus frater ejus, Alduinus episcopus Lemovicensis, Adalbaldus abbas, Hugo *Garcil.* Ramnulfus frater ejus, Rotgerius *de Leron*, Boso de Turre, Guido frater ejus. Atto de *Salaniac*, Iterius *de Magnac*, Umbertus *Drut*, Geraldus-Amelius *de Peyrac.* (quæ omnia refero, ut appareat cognomina tunc frequentia fuisse) denique Gaucelinus & Josue monachi, Radulfus item

ANN. CHR. 997. monachus, qui hoc privilegium scripsit anno incarnationis dominicæ DCCCC XCVII. regnante Rotberto rege. Clarus Agedúni abbas, salvo Usercæ jure, institutus est ab Eustorgio episcopo, Rotgerio comite Marchiæ.

L V. Turbæ de electione in Monte majori.

Vacante per id tempus abbatiali dignitate in Monte-majori prope Arelate, monachi in cœtum coëunt, & post triduanam deliberationem tandem conveniunt in Riculfum, qui præsens aderat, Forojulienſem episcopum, monasterii sui alumnum. Recusat ille, causatus, sibi jam episcopali munere obligato monasterii præfecturam interdictam esse, nisi Romani pontificis indulgeret auctoritas. Itur Romam ad Gregorium V. obtinendæ dispensationis causa. Interim quidam sancti Ægidii e Septimania monachus, Provinciæ comitum atque magnatum fultus patrocinio, in abbatiam militari manu se intrudit; monachis ejectionem, ni consentiant, minatur. Illi, exsilium tyranni dominationi præferentes, monasterio cedunt; sicque fugati querelas suas ad pontificem scripta epistola mittunt. Hæc epistola, tametsi in veteri codice mutila, hic exhibenda nobis visa est.

Epistola ad Gregorium papam.

Domino & meritis venerabili domno Gregorio papæ, omnis congregatio Montis-majoris fideles orationes in Christo. Notum esse volumus paternitati vestræ, quod nostrum monasterium, labore & industria almi patris nostri Mauringi inchoatum est, & devotione cujusdam, Thezindæ nomine, Deo devotæ commutatum: a quibus sub apostolicæ sedis defensione commendatum, a domno Leone memoria venerabili privilegium accepimus, in quo decretum est, & sub anathemate damnatum, ut nec rex, comes, vel ullæ oppositæ personæ, vim cœnobio nostro aliquam inferre audeat; nec abbatem, si unus obierit, alium mittere præsumat: sed ille sit abbas, sicut regula commemorat, quem omnis congregatio petierit eligendum. Præter ea, patre nostro debitum carnis solvente, nos omnes congregati in unum, una cum episcopo Riculfo, qui fuit nepus prædictæ Deo devotæ, nosterque nutritus, conquirentes cum eo, quem abbatem eligeremus. Dum enim hoc semel vel bis terque dies in hoc opere versaretur, una nobis voluntas exstitit ipsum episcopum expetere, eligereque patrem. quod per se ipse agere non posse confessus est, quousque ex vestra parte auctoritas veniret, si, episcopus cum foret, & episcopatum, & cœnobium regeret. Interea [nos] mittentes Romam usque, minime... quid certius ageret, detu-

* deferentes. *lentes *. Prorupit interim quidam monachus ex monasterio sancti Ægidii, & a negotio sæculari vel a principibus sæculi ultro se [ingerens, ausus est se] facere abbatem. Nos quoque a principibus interpellati, ostendimus eis monachos ex nostro cœnobio, sanctitate, religione, sapientia excellentissimos, qui eum in omnibus præcellerent, si isti, quem electum habebamus, auctoritas vetaret. Ostendimus quoque eis ordinationem abbatis in nostro esse arbitrio, & per privilegium domni Leonis papæ, & per præceptum piissimi Ottonis augusti & Conradi serenissimi regis ita firmatum,..... His & aliis multis assertionibus eis contradicentibus, tam per [postulationem] quam per pecuniam, in tantum animos principum [devinxerunt,] ut parvi pendentes quæ dicebantur, invitis ovibus lupum, non pastorem, nobis imponi, militum cuneis [stipati] non timuerint. Denique omni adjutorio seu solatio destitutis, huc illucque dispersis, minando tuetur, nisi iniquam ejus electionem firmaverimus, monasterium, quo nutriti vel conversi fuimus, omnem aditum denegandum. Nos vero in Dei adjutorio & vestræ tuitionis fiducia, quasi navis fluctibus posita in anchora, fidentes, Christo Domino & vobis in fletibus dicimus: Exsurge Domine, & judica causam tuam; emitte manum tuam de alto, & libera nos ab homine iniquo, conculcante & dispergente gregem tuum. Et ideo, Domine, ante præsentiam apostolatus vestri hos nostræ humilitatis deferimus apices, deprecantes paternitatem vestram, ut, qui nos, sub vestra defensione profitentes, desolatos agnoscitis, auxilium ferre non dedignemini. Relegite, si placet, quanta & qualia summi antistites, antecessores vestri [nobis conceſſerunt, cum esset] instantia eis quotidiana juxta Apostolum, & sollicitudo omnium ecclesiarum. Ideoque sub anathemate illi interdicite, sicut beatus Gregorius eum interdixit. Qui ultro se ambitiosus vel importunus ingerit, sine dubio est removendus. Removete eum ab hac præsumptione, & præcipite nos redire in ovile Domini nostri: ne una ovis morbida omnem gregem contaminet. Episcopo, in cujus diœcesi monasterium est situm, ordinationem inlicitam fecisse innotescite, & ut irrita fiat omnimodo intimate. Cœpiscopis provincialibus ut idem faciant intimate. Comiti vel comitissæ rogando interdicite, ut nullum ei in hac re, quousque deserat nomen abbatis, ferre suffragium impendant; & ut pœnitentiam agant, & ne similia faciant ammonete. Privilegium quoque, quod antecessores vestri nostro monasterio condonare dignati sunt, ex vestra*

ex vestra mercedis parte roborare non dedignemini. Valete in Christo, sanctissime pater, & nostri mementote.

ANN. CHR. 997.

Apud pontificem efficaces fuere supplicum preces, idque impetratum, ut, fugato lupo, oves in ovile reducerentur, eisque præesset Riculfus episcopus, quem elegerant. Accessit insuper ejusdem Gregorii [a] privilegium, datum anno sequenti mense Aprili, indictione XI. quo monasterii possessiones confirmantur, simulque electio abbatis, necnon donatio castri & ecclesiarum Beduini diœcesis Carpentoratensis, quod castrum Exmido sub jure sanctæ Romanæ ecclesiæ eidem monasterio contulerat, in solidum possidendum post mortem trium filiorum suorum, Beraldi, Feraldi & Lorgerii. Non diu superstes fuit Riculfus abbas, cujus obitus in necrologio Montis-majoris notatur his verbis: *Kalendis Martii depositio domni Riculfi episcopi & abbatis istius loci.* Ejus obitus contigit ante annum millesimum, quo Archinricus abbas Monti-majori jam præfectus erat.

[a] *Baluz. to. 4. Miscell. p. 432.*

L V I. Mosomenses abbates & Augienses.

In Mosomensi beatæ Mariæ monasterio Lietaldus primus abbas, quem Adalbero Remorum antistes ibidem instituerat, ad hunc usque annum superstes fuit, mortuus hoc anno XIII. kalend. Julii. Huic suffectus Boso abbas, biennio post basilicam amplificavit, eamque per Arnulfum archiepiscopum consecrari curavit. Idem thecam argenteam fabricari fecit, in qua sancti Victoris martyris corpus ab Ebalo archiepiscopo repositum est.

Hoc ipso anno exauctoratus est Witegowo abbas Augiensis: in cujus locum Alawicus promotus, qui Romæ ab ipso Gregorio papa *consecratus, & privilegio donatus est*, teste Hermanno, elapso triennio Argentinensis episcopus creatus post Wideroldum. Guillimannus in libro de Argentinensibus [b] episcopis, summam refert epistolæ ab Ottone imperatore anno sequenti, mense Aprili ad Alawicum abbatem scriptæ, qua eum sui officii admonet, & primo revocat illi in memoriam beneficia, a Gregorio pontifice, suo intercessu accepta; tum pontificis verba, quibus plerumque, *tales esse monachos, quales haberent præsides* affirmaverat. Monachis igitur non solum doctrina, sed & moribus & exemplo præiret: eorum magnam curam gereret, ne aliquid in victu, cultuque deesset, quo paratiores & expeditiores, pronioresque ad divinum obsequium reddantur. Hujus epistolæ exemplum, sed ex Latino factum Germanicum, penes se fuisse Guillimannus asserit.

[b] *Guilliman. p. 173.*

L V I I. Quindelinburgi nova ecclesia dicatur.

In Saxonia illustris & piissima Mathildis, abbatissa parthenonis Quindelinburgensis, majorem ejus loci ecclesiam, ab avo suo Heinrico & Mathilde avia constructam, augustius & magnificentius ædificavit, utpote angustiorem, quam populi frequentia exigebat; eamque ab Arnulfo Halberstadensi episcopo, & aliis episcopis in honorem sancti Servatii dedicari curavit. quo tempore idem Arnulfus episcopus, ejusdem abbatissæ rogatu, Walbicensem ecclesiam nonis Maii sollemniter consecravit, ut ex chronico Saxonico discimus.

L V I I I. Altenense monasterium.

In eadem regione aliud exstabat eo tempore cœnobium virginum, Altenense seu Eltenense dictum, quod Wichmannus comes ante annos viginti sub patrocinio sancti Viti martyris condiderat. Illud ipsum Otto tertius, majorum suorum exemplo, in tutelam hoc anno susceptit, dato [c] diplomate, ex quo istius monasterii conditorem, aliaque scitu digna discimus. In eo quippe Wichmannus comes temporibus Ottonis Magni in quodam loco, Altenis dicto, monasterium sanctimonialium in honorem Domini nostri Jesu Christi & sancti Viti construxisse dicitur, eique magnam suæ proprietatis partem contulisse; suamque ipsius filiam, nomine Lutgardem, ceteris sanctimonialibus abbatissam præposuisse. Wichmanno mortuo, altera ejus filia, Adela nomine, donationem monasterio, absque ipsius consensu, a patre suo factam abrogare tentavit. quæ res tempore Ottonis secundi agitata, usque ad obitum Lutgardis primæ abbatissæ, & principatum Ottonis tertii indecisa remansit. quo tempore Baldricus, ejusdem Adelæ conjux, jure suo cessit, ipsumque monasterium sua ipsius & uxoris manu in mundiburdum imperatoris contradidit, &, *sicut mos est laicorum, cum festuca semel ab eodem exivit prædio*, ea ratione, ut imperator perpetuæ libertatis privilegium eidem monasterio condonaret instar ejus, quod Assindiense, Quindelinburgense, & Gandersheimense monasteria habebant. Ut autem hæc donatio in posterum firma & inconvulsa permaneret, posterior abbatissa, Lutgarda nomine, prædictæ Adelæ quatuor curtes concessit. Ad hæc imperator eidem monasterio liberam, tum advocati, tum abbatissæ electionem indulsit. *Datum* XV.

[c] *Annal. Paderborn. p. 343.*

kalend. Junii, anno dominicæ incarnationis DCCCC XCVII. *indictione* X. *anno autem tertii Ottonis regnantis* XIV. *imperii vero* I. *Actum in palatio Noviomagi.*

ANN. CHR. 997.

Hoc ipso anno Gebehardus Ratisponensis antistes, sancti Wolfgangi successor, qui multum negotii Ramvoldo sancti Emmerammi abbati facessiverat, fundo Pruelensi[a] ab eo ex legitima permutatione comparato, illic nostri instituti monasterium in prospectu Ratisponæ cum fratre Rapatone construxit. quod ruinæ proximum Hartwicus episcopus ineunte sæculo duodecimo instauravit, ad Cartusianos demum anno M CCCC LXXXVII. translatum.

Pruelense prope Ratisponam.

a *Metrop. Salisb. to.* 1. *p.* 194. *& to.* 3. *p.* 119.

LIX. Adalberti episcopi martyrium.

Regressus in Boëmiam Adalbertus episcopus, illius gentis homines invenit amplius efferatos ob cædem fratrum suorum: cujus ulciscendæ causa ipsum eo rediisse autumantes, ei provinciæ suæ aditum interdixerunt. quo ille nuntio haud tristior effectus, quod indomitæ genti se prodesse non posse experimento didicisset, ad Prussos se contulit, tentaturus, an felicior futura esset ipsius apud eos evangelica prædicatio. Et primo quidem Gedanum * appulsus, multos illic sacro fonte lustravit, & missarum sollemni officio celebrato, eucharistiæ sacramento refecit: *quidquid vero superfuit de eo, quod ipse & novi baptizati communicarunt, colligere jubet, & mundissimo panno involutum sibi servavit, pro viatico deportandum.* Tum, navi cum duobus fratribus, Benedicto scilicet presbytero, & Gaudentio fratre suo, conscensa, in parvam insulam descendit: ubi cum Christum annuntiare cœpisset, remo a quodam barbaro percussus, nihilo minus in alteram vicini fluminis partem trajecit. Illic a domino villæ in vulgi tumultuantis conspectum adductus, interrogatusque » quis & unde esset: Sum nativitate Sclavus, inquit, Adalbertus nomine, professio» ne monachus, ordine quondam episcopus, officio nunc vester apostolus. Causa iti» neris nostri non alia quam vestra salus, ut, relictis simulacris surdis & mutis, verum » Deum & creatorem agnoscatis, & ut credentes vitam in ejus nomine habeatis. Ad hæc illi non tot verba reponunt, quot verbera; & fustibus cæsum in adversam fluminis partem deportant, id gratiæ ipsi indulgeri inquientes, quod impune abire sineretur. Transmisso fluvio, Adalbertum intercipiunt pagani, hastisque confodiunt, duce cohortis Sigone idolorum sacerdote, qui velut ex officio primos ictus in virum sanctum vibravit, quem alii subsecuti sunt. Sic profuso sanguine, vitam Christo litavit, postquam pro persecutoribus suis Deum exorasset. Demortui caput amputatum, & palo affixum: corpus in loco martyrii relictum. Passus est martyrium hoc anno vir Dei IX. kalend. Maii, & quidem feria sexta, scilicet ipsa die, qua Christus pro hominibus passus est. Multa de ejus passione cælestia visa referuntur; unum contigit fratri ejus Gaudentio in somnis, alterum Romæ Johanni Canapario monacho & abbati monasterii sanctorum Bonifacii & Alexii, in quo *sanctus iste philosophiæ Benedicti patris nutritus* fuerat, ut in secunda ejus vita legitur. Ejus martyrio comperto, dux Poloniæ Boleslaus corpus ejus dato pretio a barbaris mercatus, in patriam suam transtulit, & Gnesnæ honorifice recondidit: ubi Otto tertius ejus sepulcrum nudis pedibus adivit, & in ejus honorem ecclesiam illam, inconsulto metropolitano, erexit in archiepiscopalem sedem, cui Gaudentium monachum, martyris fratrem, imposuit, patrio nomine Kadinum a Ditmaro [b] appellatum.

* Danzig.

b *Ditmar. lib.* 4. *p.* 43.

LX. Thietdagus Adalberti successor.

Mortuo Adalberto, dux Boëmiæ Boleslaus Pragensem ecclesiam pastore destitutam haud passus, legatos misit ad Ottonem imperatorem, ut idoneum rectorem gregi novello, ne ad pristinos simulacrorum cultus relaberetur, quantocius provideret. quippe in Pragensi ecclesia deesse clericum huic muneri parem. Erat tum in curia cæsaris capellanus, Thietdagus seu Thiodagus, genere Saxo, virtute & scientia non mediocriter instructus; insuper, quod e re erat, linguam Slavonicam perfecte callens. Hunc Pragensi ecclesiæ, suffragantibus cunctis proceribus, pastorem imperator destinavit, & a Willigiso Moguntino archiepiscopo consecrari curavit. Hic in nova educatus Corbeia, Ditmaro [c] teste, medicinali arte optime instructus fuerat: quem Boleslaus senior, paralysi percussus ob inobedientiam in sanctum Adalbertum, Thietmaro Corbeiæ abbate permittente, ad se olim vocaverat, ejusque opera melius habuerat. Hic est *Thiadargus episcopus*, recensitus [d] inter monachos Corbeiæ-novæ, qui sub Liudolfo abbate vixerunt. Is Pragæ institutus episcopus, a Boleslao juniore senioris filio sæpe pulsus, toties ab Ekkihardo marchione reducitur, multas subinde passus injurias. In hospites humanus & benignus in primis, quos non invitabat modo, sed etiam trahebat. Verum hanc virtutem una dehonestabat bibacitas. Hinc forte paralysim sibi accersivit, ita ut præ manuum tremore absque adstantium auxilio presbyterorum missam celebrare non posset. Vitam ad annum M XVII. produxisse dicitur. Extat de eo dissertatio Christiani Francisci Paullini Turingi, recens edita, in qua de medicinali ejus arte agit, & de remedio, quo ille usus est ad reparandam Boleslai sanitatem. Ad hoc ipsum tempus revocat Baronius missionem ad Prussios Bonifacii discipuli sancti Romualdi: at hæc paullo serius contigisse videtur ex iis, quæ inferius dicturi sumus.

c *Ditmar. lib.* 7. *p.* 100.

d *Meibom. p.* 132.

ANN. CHR. 997.

LXI. Stephanus rex Hungariæ monasterium condit.

Interim mortuo Geizæ, Hungariæ primo christiano duci, succedit piissimus filius, nomine Stephanus, quem sanctus Adalbertus antea sacro fonte lustraverat. Suscepto provinciæ regimine, mox civile bellum, causa christianæ religionis, sustinere compulsus est, & in certamen descendere cum indomita gente, quæ torrentis instar, agros & urbes impune devastabat. Itaque furenti multitudini occurrere coactus, sanctorum Martini ac Georgii præsidio rebelles fudit, victorque reversus, ex opimis eorum spoliis monasterium in honorem sancti Martini exstruxit eo in loco, qui Sacer-mons dicitur: ubi sanctus Martinus olim, cum in Pannonia degeret, precari solitus erat; illique monasterio decimas omnium rerum, decima hominum prole ne quidem excepta, persolvi mandavit. Breunovienſe monasterium vocant, cui præfectus Anastasius abbas, alio nomine Astricus seu Austricus dictus, qui e monasterio sancti Alexii Adalbertum, Roma ultimo in Boëmiam redeuntem, cum aliis quinque sociis comitatus, eo mortuo in Pannoniam ad Stephanum ducem se recepit. Idem postea Strigonienſis ecclesiæ sedem archiepiscopalem promeruit.

Anastasius abbas.

Breunovienſis cœnobii originem alii Adalberto ipsi tribuunt: qui Roma secundo reversus, a Boleslao principe bonis quibusdam paternis donatus sit, quæ vir sanctus exstruendo, dotandoque monasterio contulerit, Anastasio abbate præposito, quibus sex socios adjunxit, Roma secum adductos, scilicet Matthæum, Benedictum, Johannem, Isaacum, Christianum, & Barnabam, viros uti sanctimonia celebres, ita hominum frequentiam abhorrentes. Hi, cæso Adalberto, ad Gaudentium divertisse dicuntur, quos cum retinere secum non posset, eos in solitarium locum, longeque ab hominum societate semotum deduxisse, ubi optatum nancti secessum, tuguriolum cum sacello ex lignis conficiunt, & in summa rerum abstinentia vitam ducunt. Hos cum aliquando invisisset Mesicho Poloniæ princeps, velut præsentia numina veneratus est, ac discessurus pecuniam illis invitis reliquit, quam illi velut exitialem ad ipsum per Barnabam referri jubent. Absente Barnaba, latrunculi in tugurium nocte ingressi, ubi quæsitam non inveniunt pecuniam, iram in cædem insontium virorum vertisse dicuntur, & ad unum omnes occidisse, solo incolumi relicto Barnaba, qui vitam colere puram, inculpatamque ad fatalem usque exitum pergens, post mortem cum sociis Gnesnæ sepultus sit. Hæc ex Dubravio.

LXII. Petri Urseoli obitus.

Sub idem tempus Petrus Urseolus, ex duce Venetiarum monachus Coxanensis, annis fere viginti tum in cœnobio, tum in privata cellula exactis, diem supremum obiit: cujus corpus in claustro monasterii ad ostium ecclesiæ humatum a Guarino abbate, qui ad aliquot annos superstes fuit. Mortuo Petro probatæ sanctitatis indicia non defuere: quibus permotus abbas Oliba, ejus ossa in ecclesiam transtulit.

Hugonis Tusciæ ducis monasteria.

Inter alia monasteria, quæ Hugo Tusciæ dux ædificavit, unum est sancti Januarii de Campo-Leone *, quod una cum Juditta conjuge in agro Aretino construxit, qua de re litteras confirmationis ab Ottone tertio imperatore obtinuit hoc anno idibus Decembris, dum Tridenti versaretur. Alias litteras Petro ejus loci abbati indulsit Conradus imperator. Utrasque retulit Puccinellus in chronico [a] abbatiæ Florentinæ, ab ipso Hugone, ejusque matre Willa constructæ. Campo-Leonis abbas erat anno M LXV. Albizus, qui Camaldulensi eremo [b] decimas ad se pertinentes concessit. Sancti Januarii monasterium de Campo-Leone dictum est a proximo castello de Campo-Leone, situm ad Arnum fluvium, quinque passuum millibus ab urbe Aretio, versus occidentem æstivum, in ditione Florentina, mensæ episcopali Aretinæ sæculo quinto-decimo unitum. Idem dux Hugo sancti Michaëlis ecclesiam, sitam in castello Marturi, in monasterium nostri Ordinis commutavit, eique ampliſſimis prædiis dotato Bonolium abbatem præfecit. Post mortem Hugonis ducis seu marchionis, cum Bonifacius, filius Alberti, in ejus honorem successisset, Bonolium [c] abbatem & monachos inde ejecit, & monasterii possessiones

* *S. Gennaio de Capoleone.*

a *Puccinell p.* 232. *& seq.*

b *Hist. Camald. lib.* 1. *c.* 50.

c *Puccinell. p.* 222. *& seq.*

ANN. CHR. 997.

invasit, direpto ecclesiæ thesauro, ibique cum famulis & concubinis habitavit. Hoc monasterium situm dicitur *in monte & podio, quod dicitur Castello-Marturi*, vulgo *Poggibonzi*. His adde monasteria duo [a] prope Luccam civitatem, nempe Salvatoris de Sexto, & sanctorum Philippi & Jacobi de Pontiano.

a *id. p. 196.*

Ad hæc idem Hugo monasterio sanctæ Mariæ de Vangadicia, diœcesis modo Adriensis, ad fluvium Athesim sito, concessit curtem suam dominicatam, quam in prædicto loco a germana [b] sua Gualdrada comparaverat: quam traditionem, atramentario, penna & pergamena manibus suis de terra levatis, lege sua Salica fecit *per fistucum nodatum, ramum arborum, atque per cultellum & guasonem.* Actum Ottonis tertii imperatoris anno secundo, VIII. kal. Decembris, indictione XI. Hæc prima nobis occurrit notitia illius monasterii, cujus auctor ignoratur. De eo plura in consequentibus.

b *id. p. 237. & seq.*

LXIII. Ambrosiani & Brixiensis monasteriorum privilegia renovata.

Mediolani Ambrosianæ basilicæ tunc præerat Gaidoaldus abbas, quo tempore Landulfus archiepiscopus ab Ottone tertio diploma [c] obtinuit, quo quædam sacræ illius basilicæ donationes confirmantur. Actum VI. idus Februarii Aquisgrani, Ottonis tertii cæsaris imperii primo, indictione X.

c *Puricell. p. 309. & seq.*

Anno sequenti Otto, dum Cremonæ versaretur, rogatu Bertæ [d] abbatissæ, privilegia renovavit Brixiensis monasterii Salvatoris & sanctæ Juliæ, quod Novum dicitur. Data XIV. kalendas Februarii, Ottonis tertii regnantis XV. imperii secundo. Actum Cremonæ. quod privilegium, uti & præcedens Heribertus, cancellarius vice Petri Cumani episcopi & archicancellarii recognovit.

d *Bullar. Casin p. 58.*

LXIV. Sigifredus episcopus Placentinus.

Vacabat tunc temporis Placentina sedes per intrusionem Johannis episcopi in sedem Romanam, qui paullo ante Nonantulanam abbatiam itidem occupaverat. In ejus locum suffectus in ecclesia Placentina Sigifredus, quem monachum Ordinis sancti Benedicti, ac virum eximia sanctimonia præditum fuisse ex monumentis ejusdem ecclesiæ Ughellus [e] se didicisse scribit. Non mirum itaque, si sancti Savini seu Sabini monasterii studiosissimus [f] exstitit, ubi monachorum numerum, eorumque fortunam mirum in modum auxit, hisque beneficiis eorum animos adeo sibi devinxit, ut monasterii præcipuus pater ac benefactor habitus sit. Id vero probant tum ejus donationes eidem loco factæ, tum privilegia ab Ottone tertio imperatore obtenta, & a Benedicto papa VIII. cujus pontificium diploma [g] exstat, a Sigifredo episcopo, & a Wimperto abbate monasterii sancti Savini impetratum. Ejus beneficentiam in idem monasterium æmulatus est Dionysius, quintus a Sigifredo episcopus, qui Albericonis [h] primum abbatis, dein Bichizonis rogatu multa contulit eidem cœnobio, de cujus primordiis alias [i] egimus.

e *Ital. sac. to. 5. p. 1557. & to. 2. p. 256.*

g *ibid. p. 257.*

h *ibid. p. 258. & seq.*

i *lib. 41. n. 23.*

LXV. Johanni abbati Casinati suffectus Johannes alter.

Suffectus in locum Mansonis Casinatis abbatis anno superiore Johannes, cum præ senectute & infirmitate tanti regiminis [k] ponderi se imparem sentiret, raro modestiæ exemplo præfectura cessit, secessitque cum quinque sociis in proximam silvam, Piretum dictam: ubi in spiritualibus exercitationibus reliquum vitæ suæ tempus exegit, mortuus tempore Theobaldi abbatis, adeoque in decrepita ætate: cujus animam ad cælos sublatam suspexit Andreas monachus, tunc præpositus cellæ Capuanæ, ut Victor in secundo libro Dialogorum tradit. Annus ejus mortis incertus, dies pridie idus Martii: quo die Sancti titulo in fastis Benedictinis donatur.

k *Chron. Casin. lib. 2. c. 20.*

Ejus successor Johannes, eo nomine tertius, nobilis Beneventanus, archidiaconi officium in illa civitate tanta religione gerebat, ut post mortem archiepiscopi summum illud sacerdotium indubie accepturus crederetur. Id suspicatus quidam ejusdem ecclesiæ diaconus, Alix nomine, qui illam dignitatem ambiebat, subdolo commento id avertere molitus est. Forte incidit occasio colloquendi cum Johanne de miseræ hujus vitæ fragilitate, & de æternæ jucunditate, deque immortali gloria justorum ac reproborum perpetua pœna: quo ex colloquio de sæculo deserendo simul constituunt, condicto die, quo ad Casinense monasterium ambo se reciperent. Ubi illuxit illa dies, simulatis quibusdam negotiis, Alix Johannem præcedere suasit, pollicitus, se quam primum eum subsecuturum. Mox consilium exsequitur Johannes; susceptoque sanctæ conversationis habitu, socium pollicitationis admonet. at ille fraudis successu mirifice recreatus, asperius illud esse vitæ institutum dixit, quam ut ejus vires corporis sustinere possent. Et quidem archiepiscopo mortuo consecratus est episcopus, favente Ottone augusto: at eodem defuncto, sedem illam adeo consequi non potuit, ut etiam alio relegatus fuerit. sicque divino consilio factum est,

ait Victor in libro secundo Dialogorum, *ut, qui cupiditatis honore ductus, fraudulenter fratrem suum studuit ab ecclesia pellere, ipse pulsus patria, exsul in alieno solo vitam finiret.* Johannis in monasterium ingressus contigit sub Aligerno abbate, ubi, cum aliquot annos sub sanctæ conversationis studio peregisset, Mansone abbate permittente, Jerosolymam voti causa profectus est. Id factum creditur tædio [a] regiminis ejusdem Mansonis, cujus tempore alii etiam Casinates è monasterio egredi maluerunt, quam sub tali vivere pastore, qui favore principum in abbatiam intrusus fuerat. Vixit Johannes in monte Sina religiose per sex annos; inde profectus in montem, qui Agionoros vocatur: ubi cum aliquamdiu subsistitisset, cælesti monitu in patriam remeavit. Casinum reversus, præpositus a Johanne abbate creatus, eo in solitudinem secedente, fratrum unanimi consensu abbatialem dignitatem subiit. Primo suæ ordinationis anno præceptum confirmationis omnium Casini possessionum & privilegiorum accepit ab Ottone tertio, qui aliquando in sacro monte per dies aliquot remoratus, beato Benedicto duas coronas argenteas obtulit. Varias donationes Johanne abbate Casino factas, variaque ejusdem opera Leo Marsicanus commemorat.

ANN. CHR. 997.

a *ibid. c. 12.*

GRegorio papa per Crescentium, qui Johannem pseudopontificem fovere perseverabat, ex urbe Roma exacto, Otto pontificis precibus obsecutus in Italiam redit ineunte anno ejus sæculi nonagesimo-octavo, summa regiminis Mathildi abbatissæ Quindelinburgensi commissa. Tempus ejus profectionis colligitur ex privilegio Ambrosianæ basilicæ tunc concesso, quo *monachos cœnobii sancti Ambrosii*, interventu [b] ducis Ottonis, de omnibus rebus ad ipsum locum pertinentibus *per baculum* investivit, eosque sub suam tutelam suscepit. *Data nonis Januarii, anno dominicæ incarnationis* DCCCC XCVIII. *regni vero domni Ottonis tertii* XIV. *imperii vero ejus secundo. Actum Papiæ feliciter.* Romam ubi advenit imperator, Johannem intrusum comprehendit: eoque excæcato, Crescentium quoque ejus fautorem, qui se in Mole-Hadriani præsidio munierat, data fide eductum, nihilo minus capitali sententia damnavit. Quo tempore id factum sit, discimus ex Ottonis [c] litteris, quibus quatuor mansos in comitatu Walterii comitis Einsidlensi monasterio donavit. *Data* III. *kalend. Maii anno dominicæ incarnationis* DCCCC XCVIII. *indictione* XI. *anno tertii Ottonis regnantis* XV. *imperii secundo. Actum Romæ, quando Crescentius decollatus suspensus fuit.* Eremo tunc præerat Virandus abbas. Sic restitutus in sedem Gregorius, qui eodem anno Ambrosiani [d] monasterii possessiones & privilegia renovavit, dato diplomate IV. kalendas Maïas per manus Johannis episcopi sanctæ Albanensis ecclesiæ & bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, Gaidoaldo illius monasterii abbate, cui Johannes post annos quinque successit.

ANN. CHR. 998. LXVI. Ottonis diplomata pro Ambrosiana & Einsidla.

b *Puricell. p. 311.*

c *Annal. Eremi p. 109.*

d *Puricell. p. 315.*

LXVII. Gerbertus fit archiepiscopus Ravennæ.

Inter ea vacante sede Ravennatensi ob decessum, vel potius secessum Johannis archiepiscopi, qui in Taurinos ad montem-Caprasium, abdicata dignitate, se abdidisse traditur, ibidemque sancti Michaëlis monasterium illustrasse; suffectus est in ejus locum Gerbertus noster, qui, post restitutum in sede Remensi Arnulfum, ad Ottonem imperatorem, discipulum quondam suum, se receperat, eumque in Italiam comitatus fuerat. Itaque archiepiscopatu Ravennatensi ab Ottone, statimque pallio a Gregorio papa donatus est. Litteras hac de re pontificias retulit Rubeus, datas IV. kalend. Maii per manus Johannis episcopi Albanensis, indictione XI. (sic legendum) Gregorii pontificatus & Ottonis imperii anno secundo. In his litteris Gerberto archiepiscopo, ejusque ecclesiæ quædam tribuit *post mortem Adeleidæ imperatricis augustæ*, id est postquam illa obiisset, nam anno tantum undemillesimo decessit.

LXVIII. Rotberti regis connubium rescissum.

Idem Gerbertus, jam Ravennæ archiepiscopus, interfuit concilio Romano, in quo statutum est capitulo primo, ut Rotbertus rex Francorum Bertam consanguineam suam & affinem, Odonis comitis quondam uxorem, quam contra leges uxorem duxerat, incunctanter dimitteret, atque utrique septennis pœnitentia indicta. « Suspensus item a communione usque ad satisfactionem Herchembaldus seu Archembaldus Turonensis archiepiscopus, talis connubii consecrator, cum omnibus episcopis, qui illis incestis nuptiis interfuerant. Depositus item Gisilarius Magdeburgensis ecclesiæ archiepiscopus, nisi canonice probaret, se citra ambitionem, at cleri & populi postulatione a Merseburgensi ecclesia ad Magdeburgensem migrasse. quod argumento est, quanta fuerit Gregorii pontificis religio.

ANN. CHR. 998.

LXIX. Ravennas concilium de eucharistia.

Romanum concilium subsecuta synodus Ravennas, quam Gerbertus initio sui pontificatus convocavit. In illa synodo emendata est consuetudo ejus ecclesiæ valde reprehensibilis, qua fiebat, *ut subdiacones corpus Domini, quod formatum appellant, tempore consecrationis episcoporum ipsis vendant episcopis, & chrisma vendant archipresbyteris.* ubi legendum puto *fermentum*, quo nomine eucharistia donatur in actis Miltiadis papæ ac Siricii, & in epistola Innocentii primi ad Decentium Eugubinum. Succurrit hoc loco quæstio ab Einardo proposita Fulberto, tunc Carnutensium scholarum rectori, postmodum episcopo, *de hostia*, quam Einardus ipse, paullo ante promotus ad sacerdotium, *de manu episcopi susceperat, quæ ratio sit videlicet, usque ad quadragesimam diem usu quotidiano eam consumere, vel quos hujus rei auctores haberemus.* Respondet Fulbertus se putasse, *hoc omnibus ecclesiis assuetum* esse; idque haberi in illo codice, *quem a natali patria inter ceteros devexerat. Nostri enim episcopi*, inquit, *provinciales in hujusmodi ritum omnes consentiunt.* quo ex loco alias conjectaveram Fulbertum ex Gallia ortum non fuisse, uti hæc verba satis innuunt: quæ comparata cum fine ejusdem epistolæ, hunc Italum fuisse, non obscure significant, ubi ait, hæc interim dicta sufficere, *dum ego*, inquit, *codicem de hujusmodi exemplaribus a Romano scrinio prolatum perlegam.* Certe ex vulgato Ordine Romano, una hostia consecrato episcopo in dies quadraginta consumenda porrigebatur, presbytero in dies octo. Addit Fulbertus, novis sacerdotibus morem fuisse, ut ejusmodi hostiam consecratam, *in pergameno in hos usus parato involutam, quotidiana celebratione solverent, & portiunculam parvam, juxta instantium dierum computatam, sumerent.* Ex quo intelligitur, si bene capio hunc locum, novos illos sacerdotes quotidie per illos quadraginta dies sacra celebrasse, & inter celebrandum aliquid de ejusmodi hostia decerpsisse, ut ex illa particula, uti & ex alia ab ipsis consecrata, communicarent in memoriam susceptæ recens ordinationis. Virginibus itidem in consecratione sua consimilis hostia in dies octo quibusdam in locis tribuebatur, ut legi in veteri libro Sacramentorum Remigianæ bibliothecæ. Hic porro Einardus, cui prædicta illa Fulberti epistola inscripta est, videtur abbas fuisse, sed illustris, utpote quem *serenitatis* titulo Fulbertus compellat. Epistolæ inscriptio est *Domino suo Einardo, sibi semper venerando, Fulbertus exiguus.* Sic Einardi nomen restituit codex Uticensis, in quo hæc Fulberti secunda epistola cum prima ad Adeodatum reperitur, adjuncto Dialogo[a] Hugonis Turonensis archidiaconi ad Fulbertum amicum suum, cujus dialogi argumentum est revelatio facta Herveo thesaurario basilicæ sancti Martini de peregrinorum conversione & salute per sanctum Martinum a Deo impetrata.

a *Analect. to. 2. p. 349.*

LXX. Hermenfredus abbas Galliatensis.

Redeo ad Johannem, Gerberti in sede Ravennensi antecessorem, cui discessuro Hermenfredus, abbas Galliatensis designatus, obsequium[b] Ravennæ, fidemque sollemni sacramento juravit. Hoc quippe monasterium sancti Hilari, in agro Galliata ædificatum, cum suis omnibus rebus; itidemque alia duo cœnobia in urbe Arimino, sancti Thomæ alterum, alterum sanctæ Euphemiæ, Gregorius papa ante biennium ecclesiæ Ravennensi asseruerat, litteris[c] datis ad Johannem archiepiscopum, quem reverendissimum & sanctissimum *confratrem* appellat: cum e contrario Gerbertum spiritualem suum *filium* dicat in illis[d] litteris, quibus ei pallium concessit. Abbatia Galliatensis sita est in Romandiola, territorio civitatis Fori-Popilii, in dominio tamen Florentino, sedi apostolicæ subjecta, quam a ducentis annis incolunt Camaldulenses. Hoc etiam anno Pomposiæ monasterio præpositus fuit Guido abbas, de quo plura in consequentibus dicturi sumus.

b *Rubeus p. 272.*

c *ibid. p. 271.*

d *id. p. 273.*

LXXI. Hugo abbas Farfensis.

Dum Otto imperator Romæ resideret, antecessorum suorum privilegia, Farfensi concessa monasterio, novo diplomate roboravit pridie idus Martii, rogatu Hugonis abbatis ejus loci triceſimi-secundi. Hic anno superiore Alberico successerat, cujus *iniquus* ingressus fuisse dicitur in chronico Farfensi, propterea quod abbas *per apostolicam præceptionem* institutus sit, sed *postmodum digne per Ottonem correctus imperatorem*, cui tunc monasterium illud subjectum erat. Extat in archivo Farfensi Ottonis hac de re præceptum, in quo ait se juste motum fuisse contra Hugonem monachum, qui sibi imperialis abbatiæ, monasterii scilicet Farfensis, absque imperatoris ipsius assensu regimen usurpaverat, &, quod deterius est, pretio a Romano pontifice emerat; eique propterea abbatiam debito cum dedecore abstulisse; ipsum vero monasterium cuidam Hugoni episcopo in beneficium dedisse, & carissimum sibi Erphonem ibi manere præcepisse. Post hæc vero eumdem Hugonem monachum, ab ejusdem monasterii congregatione magnis precibus postulatum, eidem loco se restituisse, ea lege, *ut deinceps juxta canonum, regulæque monachicæ auctoritatem, & ejusdem monasterii per antiquiorum regum & imperatorum præcepta adeptam libertatem, electus quisquis ab eadem congregatione prius, dein imperiali patrocinio præsentatus, gratis roboretur, & a summo pontifice consecretur. aliter si præsumserit, imperiali censura condemnetur.* Datum VIII. kal. Martii, indictione XI. Ottonis tertii regnantis XV. imperii II. Actum Romæ. quæ notæ huic anno conveniunt. Tanti vero deinceps apud Farfenses habitus est Hugo abbas, ut ejus nativitas in brevibus hujus loci annalibus notata sit anno DCCCC LXXII. mense Aprili; & anno DCCCC LXXXVI. ingressus ejusdem in monasterium sancti Quirici, ob id nimirum, quod *monasterii in utroque recuperator*, id est in spiritualibus & temporalibus, *& restaurator esse studuerit.* quod ejus facta in subsequentibus comprobabunt.

ANN. CHR. 998.

Ubi primum iniit præfecturam, litem adversus Farfenses moverunt Romani presbyteri[a] ecclesiæ sancti Eustathii, sitæ in Platana, *reclamantes ad dominum Gregorium papam & imperatorem Ottonem, residentes in basilica beati Petri apostoli*, de duabus ecclesiis sanctæ Mariæ, & sancti Benedicti, sitis in Thermis Alexandrinis, a Farfensibus tunc possessis, quas sibi competere contendebant. Hujus rei causa Hugo abbas jussus ad ipsum placitum venit, eique proposito Romano advocato, noluit acquiescere; atque inde recessurus erat, nisi *per cucullam apprehensus* illic sedere coactus fuisset. Inducias acceptis, se responsurum esse negavit, nisi per Langobardum advocatum, & per legem Langobardorum causa judicaretur, prout a Lothario imperatore præceptum fuerat; & juxta sui monasterii privilegium, quod erat instar ejus, quo regebantur cetera monasteria regni Francorum, id est Luxoviensium, Lirinensium, & Agaunensium: quo quidem privilegio sanctum erat, ut pontifex Romanus *nullum dominium in jure ipsius monasterii haberet, excepta consecratione.* Causantibus autem adversariis, hoc privilegium falsum esse; repositit abbas, se paratum esse ad præbendum sacramentum *cum suis sacramentalibus, quod scripta ipsa falsa non essent, & quod hoc monasterium per centum & eo amplius annos se defensavit per legem Langobardorum; insuper per pugnam, & per testimonia* id probaturus. Sed hanc conditionem presbyteri admittere noluerunt. Interrogatus abbas a presbyteris, num *cartam tertii generis* de illis ecclesiis *in tribus personis ad pensionem reddendam* ipsius antecessoribus facta fuisset; respondit pro eo Hubertus ejus advocatus, ex lege Langobardorum sibi sufficere, *quod hoc monasterium per* XL. *annos possideret eas ad proprietatem.* Jam vero presbyteris affirmantibus, *quod infra ipsorum curricula annorum pensionem accepissent*, idque tribus testibus comprobare pergerent; testium falsitate deprehensa, *presbyteri apprehenderunt baculum, & in manibus domni Hugonis abbatis & Huberti ejus advocati præfatas ecclesias refutarunt*, decem auri librarum pœna iis imposita, si hanc litem umquam renovarent. Similis controversia coram iisdem Gregorio pontifice & Ottone imperatore agitata est inter Hugonem abbatem & Benedictum comitem de curte sancti Gethulii, quam comes demum convictus, *virgulam in manu* habens, Farfensibus restituit. Actum in urbe Roma juxta Thermas Alexandrinas, in ecclesia sanctæ Mariæ, quæ erat juris ipsius monasterii, ut mox diximus.

Lis ejus cum presbyteris Romanis.

a *Mus. Ital. to. 1. p. 59.*

LXXII. Ejusdem præclara constitutio.

At pietatem ac studium Hugonis abbatis pro disciplina regulari testatum facit in primis præclara constitutio, de recipiendis consuetudinibus Cluniacensis monasterii ab ipso edita, quam hoc loco integram referre operæ pretium fuerit. En ipsa ejus verba.

Audite, fratres dilectissimi, quod modo coram Deo omnipotenti & domina nostra Maria perpetua virgine profiteor vestræ sanctitati. Denique cum in hanc abbatiam cupiditate honoris captus venire auderem, pecuniam obtuli domino papæ, & studui eam acquirere inique. Post hæc recognoscens me graviter deliquisse, cœpi de hoc ingemiscens cogitare, & de hujus monasterii redintegratione, si forte mihi propter hoc misereretur Deus, & per suæ sanctissimæ Genitricis intercessionem si aliquem fructum efficere possem ad hujus cœnobii recuperationem. Erat enim tunc iste locus in omni religione pene destitutus, ita ut plures monachi seculariter & cum maxima lascivia forent, carnem in refectorio manducantes, & inreligiose viventes, vestimenta quoque non monachica, sed quasi laïcalia ad suum libitum ferentes. Perrexi igitur primo ad Sublacenses monachos; & huc inde sustuli aliquos, quia mihi aliquantulum videbantur incedere melius; sed

ANN. CHR. 998.

non multo post eorum cognita religione, non ut desiderabam in eis reperi regularem perfectionem. Deinde ad Casinense properavi cœnobium, in quo similiter inveni quod non cernebatur commodum. Tunc relatum mihi est, quod Ravennate monasterium regularem tramitem observaret plenius. Ego autem ceu sitiens abii, & illinc quosdam, qui religiosi videbantur, acquisivi, quorum me etiam inconditæ ferocitati in tantum subdidi, ut frequenter ab eis disciplinarer indiscrete pro eorum quotidiani victus aliqua defectione: quæ omnia idcirco sustinebam, ut & mihi venia peccaminum daretur, & mei exemplo alii erudirentur. Inter ea supervenerunt quidam sanctissimi viri & patres Cluniacensis monasterii in hoc cœnobium, qui meum desiderium de hujus monasterii recuperanda perfectione cernentes, valde ædificati laudaverunt, & qualiter ad magnum pervenire possem proficuum, utillimum spiritualiter mihi consilium dederunt quorum postrema compunctus admonitione dedi operam, ut hanc abbatiam amitterem, & pœnitentiam ab eis congruam susciperem. Itaque ut dignam pœnitudinem perficerem me admonuerunt, & ne abbatiam dimitterem omnimodis interdixerunt. quod mihi sanctissimum consilium discrete illatum ab eis libentissime suscepi, & qualiter meam salvationem & hujus monasterii recuperationem possem adimplere, præcipuorum hortamine confratrum & suffragio fultus, sicut infra scribitur, exercere & ordinare studuimus, adjurantes & obtestantes nostros omnes successores & hujus monasterii futuros fratres & seniores per tremendi examinis terribilem diem, ut quæ modo communiter statuimus, non ducant in aliquam minorationem, aut violari tentent: ne exinde in die judicii rationem reddentes, pavendam recipiant damnationem, & in hoc sæculo Deus illis inferat debitam ultionem.

In nomine Domini ego Hugo humilis & indignus abbas Pharfensis cœnobii, dum per Dei omnipotentis pietatem recognoscerem gravissimum crimen simoniacæ hæreseos me incurrisse, data pecunia pro hujus honore abbatiæ; digne confessus sum, & pœnitentiam suscipiens, eamdem abbatiam in manibus sanctorum patrum præsentium Odilonis & Gulielmi Clunienſis almi monasterii refutavi, & deinceps me quiescere & continere ab ea fideli sponsione promisi. Tunc illi magis congruo huic monasterio in futurum utentes consilio, pro hoc peccato hanc mihi indixerunt pœnitentiam, ut præfati Clunienſis monasterii sanctam consuetamque religionem in hoc nostro monasterio introducerem, & proutcumque plenius valerem, juxta hujus loci possibilitatem, facerem retinere. quam jussionem nostris hortatus præcipuis senioribus, tamquam ab ore divino ab eis suscepi, & viriliter atque constantissime studui perficere. Unde præsente venerabili sanctissimoque episcopo sanctæ Romanæ ecclesiæ, & præfatis patribus, omnique nostro religioso conventu statuimus & confirmamus, ut eamdem prædictam religionem Clunienſis monasterii in officiis ecclesiasticis & dignis moribus, & confratrum cultu vestium, sive copia victus, quotidie & in sanctis sollemnitatibus, in quantum hujus loci possibilitas Domino administrante exegerit, in hoc monasterio deinceps sagacissime & constantissime teneamus, & omnimodis observemus, & a nullo nostro successore, vel hujus monasterii prælato nequaquam destruatur aut transgrediatur. quam vero nostram constitutionem ut omnis noster conventus voluntarie suscipiat, & libentissime observans per omnia custodiat, confirmantes sancimus ejus regimini omnium mortuorum totius abbatiæ oblationes & decimas & molendinos totius alvei Pharphæ, & manualia fornariæ & granicæ ac sancti Viti, & gualdum Casini cum gualdo circuitus hujus loci: quæ omnia si quis abbas aut prælatus vel subditus causa tyrannicæ dominationis, aut favore sublimitatis secularis, destruere, aut in aliquo minuere quocumque ingenio præsumserit, vel consilium dederit, aut submissionem fecerit; prælatura ejus deficiens ad nihilum deveniat, & in iram incurrat Dei omnipotentis, donec vixerit sub perpetuo permanens anathemate, & in tremendo judicio cum Juda sacrilego & traditore æternam recipiat damnationem, nisi digne pœnitens, aut fratrum imbecillitas vel impossibilitas, sive temporis aliquod remitti coegerit egestas; quod tamen nullo modo, nisi communi assensu atque concordia, discretissime fiat. Has vero constitutiones prædicti sanctissimi patres Odilo & Gulielmus cum venerabili episcopo coram se editas corroborarunt, optantes ut earum observatores in paradiso æternam percipiant remunerationem: sed & Silvester secundus apostolicus postea collaudans sua auctoritate confirmavit, & pœnitentiam pro eodem peccato adhuc canonice indixit, quemadmodum in ejus habetur decretis.

Ex his intelligitur, Odilonem abbatem, & Gulielmum seu Willelmum (is abbas Divionensis erat) eo tempore Italiam petiisse, eorumque consilio consuetudines Cluniacenses in Farfensi monasterio receptas fuisse, agente Hugone abbate, cujus

cujus zelus pro regulis ecclesiasticis & monasticis ex hoc loco maxime elucet. Neque vero hic stetit. nam denuo pœnitentia ductus pius abbas perpetratæ simoniæ, præfectura se iterum abdicavit, ut inferius dicturi sumus ad annum millesimum nonum, quo Guido ipsius nepos ei suffectus est, & prædictam constitutionem confirmavit: ubi de præmissis consuetudinibus agendum. ANN. CHR. 998.

Pistorii in Etruria versabatur imperator, cum ecclesiam sancti Salvatoris sanctorumque Donati & Martini, sitam in loco qui dicitur *Septimus*, in suam clientelam admisit, ejusque bona & possessiones a quoquam occupari vetuit. Id factum ad preces Gumperti presbyteri atque Azonis diaconi, qui forte hanc ecclesiam exstruxerant, vel dotaverant. Conditum est eo in loco monasterium, Septimum a loco appellatum, quod septimo ab urbe Florentia milliario abesset, eum ad modum, quo similis locus prope Constantinopolim *Hebdomum* vocabatur. Nugantur proinde, qui monasterium illud ob id Septimum dictum putant, quod septimum esset monasterium, conditum ab Hugone marchione. Certe quinque tantum monasteria in illis partibus ab eo constructa fuisse tradit Leo Marsicanus in chronico Casinensi, scilicet Florentinam sanctæ Mariæ abbatiam cum Willa matre, monasteria sancti Januarii de Campo-leone, sancti Michaëlis ad castellum Marturi, Salvatoris de Sexto prope Luccam, & sanctorum Philippi & Jacobi de Pontiano, prope eamdem urbem, de quibus superius egimus. Ottonis diploma [b] datum est Pistorii VIII. idus Julii, hoc ipso anno, indictione XI. Ottonis imperatoris anno tertio. [a] *Chron. Casin. lib. 2. c. 12.* [b] *Ital. sac. to. 3. p. 54.*

Gerbertus, etsi Ravennæ archiepiscopus, Bobiensem nihilo secius abbatiam retinuit, quam ab Ottone secundo receperat. Id patet ex litteris [c] Ottonis tertii, quas *vir venerabilis, nunc*, inquit Otto, *Ravennas archiepiscopus, & jam olim ex largitate reverendæ memoriæ genitoris nostri Ottonis abbas cœnobii Bobiensis*, impetravit ad confirmationem omnium ipsius loci possessionum. *Actum Papiæ anno ab incarnatione* DCCCC XCVIII. *indictione* XII. a kalendis Septembris inchoata, *anno imperii tertii Ottonis tertio. Data kal. Octobris.* Anno sequenti, cum Gerbertus ad pontificatum Romanum assumtus fuisset, Petrus abbas ei successit in præfectura Bobiensi. [c] *Bullar. Cas. to. 2. p. 58.*

LXXIII. Abbo divortium Bertæ regi persuadet.

Etsi pius esset Rotbertus rex, non tamen statim ita cessit monitis ac minis Gregorii papæ, ut mox Bertam dimitteret. Id tandem factum ait Petrus Damiani occasione monstri, filii scilicet, quem Berta pepererit, *anserinum per omnia collum & caput* habentis. Idem quoque legitur in fragmento quodam historico, quod Pithœus & Chesnius ediderunt. At Helgaudus auctor est, Rotbertum ob istud connubium *per domnum & venerabilem Abbonem, Floriacensium a Deo præelectum abbatem, nunc Christi favente gratia miraculis coruscum, spreta mortis formidine, dure increpitum privatim & publice fuisse, donec rex mitissimus reatum suum agnosceret, & quam male sibi copulaverat, mulierem derelinqueret.* quod mirum est ab Aimoïno in Abbonis vita prætermissum fuisse. De monstro illo neque Helgaudus, neque Aimoïnus mentionem faciunt. Hoc Rotberti regis cum Berta connubium præter consensum Hugonis regis & Adelaïdis reginæ ejus parentum factum videtur. Et forte hoc ipsum est, quod Willelmus abbas Divionensis ipsi reposuit, de filiorum [d] suorum in se molitionibus conquerenti. *Meminisse te, ô rex*, inquiens, *convenit injuriarum opprobriorumque patri ac matri a te illatorum in tua juventute: quoniam talia tibi, justo judice Deo permittente, a filiis ingeruntur, qualia tu ipse genitoribus ingessisti.* quo audito, rex piissimus filiorum suorum Heinrici & Rotberti injurias patientissime tulit, seque culpabilem ultro confessus est. d *Glaber lib. 3. c. 9.*

LXXIV. Rotberti diplomata pro Fossatis & S. Maglorio.

Quo præcise tempore Rotbertus Bertam dimiserit, expendimus in præfatione ad primum tomum Sæculi sexti Actorum nostrorum. Necdum eam a suo consortio removerat XIII. kalendas Maïas hujus anni, quo tempore Rainoldus [e] Parisiensis episcopus, & pater ejus Burchardus comes a Rotberto rege obtinuerunt confirmationem donationis ab ipsis factæ *abbati ejusdem loci*, id est Fossatensis *nomine Teotoni* seu Teutoni, *& fratribus ibidem Deo militantibus*, pro sua & Elizabeth comitissæ salute. quod rex benigne annuit *suggerentibus ac intervenientibus dilectis nostris*, inquit, *videlicet dilectissima genitrice nostra Adelaïde, atque conjuge nostra Berta*, quæ proinde necdum repudiata erat. *Data* XIII. *kal. Maii, indictione* XI. *anno* X. *regnante Rotberto rege glorioso. Actum publice Parisiaca urbe, anno incarnati Verbi* DCCCC XCVIII. quæ omnia referuntur non modo in diplomate Rotberti regis, sed etiam in libro de vita Burchardi comitis. In eodem diplomate fit mentio de Goscelino vicecomite e *Diplom. p. 578.*

ANN. CHR. 998.

Milidunensi, cujus deprecatione Burchardus comes ecclesiam Nosiaci-sicci, quam ille ex comitis beneficio possidebat, Fossatensibus contulit. Ipse vero vicecomes, cingulo militiæ deposito, ut in Burchardi vita legitur, in eodem cœnobio postea monachus factus, finem vitæ suæ ibidem pie explevit, obiitque XIV. kal. Aprilis. Quæ diximus de tempore repudiatæ Bertæ, amplius patebunt ex iis quæ inferius dicturi sumus, tum de alio diplomate Rotberti regis, anno millesimo Fossatensibus concesso, in quo Bertam conjugem suam vocat; tum ex litteris Adalaïdis comitissæ, uxoris Willelmi quondam Provinciæ ducis, anno millesimo-primo pro Montemajori datis, quibus Constantia necdum regina subscribit. His accedit aliud diploma [a] Rotberti regis, eas res confirmantis, quas ipsius pater *beatæ memoriæ* Hugo rex secum pie contulerat *monachis famulantibus Christo, sanctissimoque Maglorio, in urbe Parisiaca quiescenti: ubi etiam fundavimus*, inquit, *monasterium prætaxato præcipuo confessori, ceteriisque sanctis ibidem assignatis ob illorum corpora, quæ ut peregrina hospitabantur per aliorum rura.* quod ab se factum dicit, *intervenientibus reginis, Adelaïde venerabili suæ genitrice, cum nobilissima uxore, Berta nomine.* Hoc porro diplomate in primis confirmatur terra, in qua ipsum situm est monasterium; tum prædium, dictum Willaris, quod Rotbertus ipse eidem loco in die translationis sanctorum dederat; item ecclesiola in suburbio Parisiaco haud procul a mœnibus, in honore sancti Maglorii dicata, cum terra sibi adjacenti, *in qua ipsorum est sepultura monachorum*; clausus etiam vineæ juxta Saveias situs, quem dedit *divæ memoriæ Hugo avus*, inquit, *noster*, æquivocique nostri Rotberti regis filius, aliæque res, quas commemorare nihil attinet. Sub finem diplomatis, quod in editis caret chronicis notis, rex jubet monachos ejus loci, *quoniam peregrini atque alienigenæ esse noscuntur*; (nam ex Armorica, ut alias [b] diximus, Parisios confugerant) benigne, misericorditer ac pie omnibus tractari.

[a] *Marlene nova collectio parte 2. p. 6. & seq.*

[b] *lib. 48. n. 85.*

LXXV. Burchardi donatio facta S. Walarico.

Burchardus comes, mox laudatus, Leuconaensis seu sancti Walarici monasterii inopiam relevare cupiens, res quasdam ex beneficiis sibi collatis eidem monasterio conferre decrevit: *ut augmento nostri*, inquit, *solaminis monachi inibi degentes, aliquo modo sustentarentur, & terrenis commodis dilatari valerent, & pro incolumitate regis glorioſi Rotberti & successorum ejus libentius Dominum exorarent.* Quapropter eis donat in villa pagi Pontivi Herlelcurte* sex mansos terræ, & in Abbatis-villa duo farinaria, & ex vino venali, *quod infra castrum jam prædicti vici venumdabitur, sub censura uniuscujusque plaustri duo sextaria*; & hæc quidem se superstite: post ipsius vero excessum tres villas in eodem pago, *quas vulgares Hera* & Quent, & Moncellos* vocant, tum una ecclesia*, aliisque ad eas pertinentibus. *Acta Campegia castro* V. *idus junii, natali sanctorum Primi & Feliciani, anno* II. *regni Rotberti regis.* Huic instrumento apponuntur in primo ordine signa Rotberti regis, Burgardi seu Burchardi comitis donatoris, Arnulfi archiepiscopi Remensis, tunc in sedem [b] restituti, ejusque comprovincialium episcoporum, Atselini, Rotgeri, Fulconis, & Hugonis, & post eos Rainoldi Parisiorum episcopi, ipsius Burchardi filii; in secundo ordine signa Widonis comitis, Walteri comitis, Hugonis comitis, Wlberti vicecomitis, & aliorum: in tertio ordine, Ingelranni vicecomitis, Herboldi abbatis, Huboldi monachi, Folcradi abbatis, & aliorum. Franco regius cancellarius huic instrumento subscripsit, & sigillum Rotberti regis apposuit. Hic est Burgardus Parisiorum comes, qui una cum Orlando Vimnacensi vicecomite sancti Walarici corpus, inter medios hinc inde consistentes fluctus, ad proprium locum reportasse dicitur. Fulcradus abbas is esse videtur, qui Restoldo primo ab instauratione Leuconaensis monasterii abbati successit. Restoldi abbatis obitus notatur XVIII. kal. Februarii in necrologio sancti Luciani Bellovacensis, ubi monasticen professus fuerat. Campegia castrum, ubi datum est diploma, locus esse videtur pagi Wimnacensis, *Campagne* vulgo dictus, ubi veteris castelli rudera hactenus cernuntur, haud procul a loco, ubi Ludovicus Balbi filius Normannos anno DCCC LXXXI. prostravit.

* *Herlicour.*

* *Here & Quent.*

* *Moncheaux.*

[b] *supra n 41.*

LXXVI. Flaviniaci status & abbates.

Eodem anno, Rotberti regis secundo, Walterius Æduorum præsul novemdecim altaria concessit abbati & monachis Flaviniacensis monasterii, quod per Heldricum, sancti Germani Autisiodorensis abbatem, ad pristinum regularis disciplinæ statum restitui curavit. Subscribunt archidiaconi tres, & tres abbates canonici, quorum unus Ermuinus, ipsius Walterii, ut puto, futurus successor; & post alios canonicos *Landricus comes Nevernis, Arlebaldus Sinemurensis, Aymus comes Alsinsis, Hugo*

abbas & comes, deinde Unericus, Erpertus & Hugo abbates. *Acta Augustiduno in mense Martio, anno* II*. *regnante rege Rotberto.* Helmuinus episcopus, Walterii successor, hanc concessionem ratam habuit. Walterius Æduensem ecclesiam [a] post Gerardum regendam susceperat anno DCCCC LXXVIII. Hic, defuncto Milone Flaviniaci abbate, ejus loci præfecturam tradidit Rotberto, Landrici Nivernensis comitis propinquo, qui monasterium omnino pessumdaturus fuisset, nisi eum Walterius expulisset, ejusque loco Heldricum Cluniacensem monachum, qui jam sancti Germani Autisiodorensis, & sancti Johannis Reomaënsis abbas erat, subrogari curasset. Rotberto data cella Corbiniacensis, quæ ab eo abbatia dicta est.

ANN. CHR. 998.

* *sic, non v. ut apud Rover.*

[a] *Labbe to. 1. Biblioth. pag. 792.*

LXXVII. Aimoïnus historiam Francorum scribit.

Sub idem tempus Aimoïnus Floriacensis monachus historiam Francorum scribere aggressus est jussu abbatis sui Abbonis, eamque libris quatuor complexus, *domino venerabili, & in Christi dilectione fundato Abboni abbati* nuncupavit *totius gregis illi a Deo commissi*, ut de se ipse scribit, *minimus Aimoinus.* Hoc in opere res gestas gentis ac regum Francorum, quæ per diversos sparsæ libros, inculto sermone scriptæ erant, in unum redigere corpus, & ad emendatiorem latinitatis formam revocare studuit, descriptione Germaniæ ac Galliæ ex vetustis auctoribus præmissa, subinde mentionem faciens de sancto Benedicto patre, *cui ego*, inquit, *meum scire, meum posse, meumque vivere post Deum acceptum fero.* Certe in fine libri quarti caput ultimum instituit *de fundatione cœnobii Floriacensis*, cui heroïcum metrum subjungit de translatione corporis sancti patris Benedicti in Gallias. Hæc Aimoïni historia typis primum vulgata est ex codice sancti Germani Pratensis monasterii, cum additamentis & interpolamentis cujusdam ejus loci monachi, qui res sui monasterii idemtidem Aimoïni historiæ inseruit. quo ex codice Jacobus Brolius hanc historiam adscripsit Aimoïno Pratensi monacho, qui centum annis Aimoïno Floriacensi superior fuit, eamque arbitratus est nuncupatam Abboni Pratensi decano, qui carmen de obsidione Parisiaca composuit. At certum est historiam illam Aimoini Floriacensis genuinum fetum esse, eamque nuncupatam fuisse Abboni abbati, non ejus æquivoco decano Pratensi, ut patet ex editione Chesniana, in qua anonymi Pratensis interpolamenta resecta sunt. Lege hac de re Dissertationem Philippi Labbei in tomo secundo de scriptoribus ecclesiasticis.

LXXVIII. Dervensis basilicæ dedicatio.

Sub idem tempus nova Dervensis monasterii basilica, quam Adso abbas inchoaverat, perfecerat Beringerius ejus successor, consecratur a Gibuino Catalaunensi, seniori an juniori senioris nepote, qui hoc fere anno, apud Albericum præcedente, seniori successit, notatus a Gerberto [b] in epistola ad Adelaïdem augustam, quod cortem Calmiciacam pervasisset. Certe Gibuinus senior, teste Frodoardo, sedem illam inierat anno DCCCC XLVII. eamque tenuerat annis LIII. ut in veterrimo legimus episcoporum ejus urbis catalogo; laudaturque a Glabro [c] Rodulfo, quod sub finem anni millesimi, id est sæculi decimi, Leutardum hæreticum repressserit. Facta hæc dedicatio, ut in codice regio, olim Dervensi, legitur, VIII. kal. Decembris in hæc verba, *Dervo monasterio dedicatio secunda basilicæ in honore beatorum apostolorum Petri & Pauli.* quo in codice prima ejus loci basilicæ dedicatio XIV. kal. Decembris notatur, secundam vero factam fuisse a Gebuino episcopo constat ex libro de miraculis sancti Bercharii abbatis: ubi res memoratu haud indigna de quodam Hugone monacho refertur, qui *ab ipsis inferorum claustris* per merita piissimæ Dei-genitricis Mariæ, sanctique Bercharii liberatus memoratur. Is in quodam monasterio *sub strenua monachorum disciplina* puer Deo oblatus, recteque educatus, ac diversis artibus instructus, ubi ad tempus juvenilis ætatis pervenit, solutius vivere cœpit. At, cum id ejus loci religio non permitteret, fratrum suorum posthabito collegio, fugit Catalaunum. Comperta ejus scientia, ipsum retinuit Gibuinus episcopus, eoque usus est *ad renovanda opera suæ ecclesiæ, quæ erant obnubilata multorum temporum vetustate, suarum opum ei tribuens liberum fruendi arbitrium.* Ille vero, dum hujus vitæ commodis abutitur, futuræ memoriam facile abjecit. Verum hunc Deus insigni misericordiæ beneficio ab illo perdito statu revocavit. Cum enim Gibuinus ad dedicationem Dervensis ecclesiæ veniret, hunc sibi familiarem secum adduxit. Ejus industria & arte recreati abbas suique, episcopum obnixe rogant, eum apud se ad tempus dimitti. Annuit pontifex eorum votis. Hugoni privatum diversorium, & cetera quæque ad libitum conceduntur. Jussus ille effingere formam crucis dominicæ, dum imaginem Salvatoris sculpere parat, non passus est Christus

[b] *Gerbert. ep. 159.*

[c] *Glab. lib. 2. c. 11. & 12.*

Hugonis monachi emendatio.

ANN. CHR. 998.

vultus sui imaginem indignis formari manibus. nam acri morbo mox correptus apostata, brevi ad extrema redigitur. Tunc dolore intolerabili oppressus, multis lacrymis supplicat sibi reddi monasticum habitum, quem se abjeciſſe confessus est. Hoc itaque denuo indutus, cum dæmon subreptam sibi prædam vindicare conatur, beatissimam Virginem sibi adesse conspexit infirmus, monitusque ab ea est, ut deinceps vitam & mores melius componeret. Non solo hoc exemplo, sed & multis aliis, cum antiquis, tum recentibus edocemur, periculosas & maxime noxias esse monachis eas artes, in quibus excellunt, cum earum occasione in sæcularium hominum favorem & gratiam se insinuare student, vel totos se rebus exterioribus tradunt. Proximum eis periculum impendet, qui pro ejusmodi artibus se se extollunt, quos idcirco ab eis amoveri sanctus pater Benedictus [a] merito præscribit.

[a] *Reg. c.* 57.

LXXIX. S. Arnulfi monasterii reformatio & abbates.

Sub idem tempus, cum fama religionis eximii patris Willelmi abbatis Divionensis circumquaque diffunderetur; hac excitatus quidam Mettensis clericus, Benedictus [b] nomine, generosis ortus natalibus, ad eum accessit, ejusque disciplinæ se mancipavit; tantumque sub eo progressum fecit, ut brevi perfectionem vitæ monasticæ attigerit. Ejus relatu Adalbero junior Mettensis episcopus, cum Willelmi abbatis eximiam conversationem didicisset, sancti Arnulfi abbatiam ei commisit. Willelmus vero Benedictum ibidem constituit abbatem, qui multis annis hunc locum optime rexit, ibidemque vita functus *multis virtutibus* claruisse traditur. Hic videtur esse Benedictus, Teutberti & Ermentrudis filius, quem Johannes senior, abbas sancti Arnulfi, precibus a Deo obtinuit. Non rediit vacuus ex illo itinere Willelmus, quippe cui Adalbero stolam auro textam, duasque cappas purpureas, aureo limbo decoratas, dono dedit: Benedictus vero abbas ordinatus casulam auro exornatam, atque alia dedit ornamenta, quæ Willelmus monasterio Fructuariensi, ab se recens incœpto, concessit. Benedictus abbas notatur in necrologio IV. nonas Augusti. Post ejus mortem Willelmus superstes abbatiam illam *annis multis* rexisse dicitur. In vulgatis indicibus abbatum ejus loci post Benedictum proxime ponitur Warinus abbas. at Willelmum re vera monasterio sancti Arnulfi præfuisse, eique suffectum Odonem abbatem, cui Warinus ipse successerit, constat ex ipsius Warini epistola [c] ad Johannem Fiscamnensem abbatem, ut in consequentibus videbimus.

[b] *Spicil. to.* 1. *p.* 440.

[c] *Analect. to.* 1. *p.* 229.

LXXX. Item S. Apri & Gorziæ.

Quod in sancti Arnulfi monasterio, Willelmus, hoc ipsum præstitit in Tullensi sancti Apri cœnobio, & quidem interventu Bertoldi [d] ejus urbis episcopi. Is inconcussam & sinceram in Willelmo constantiam, ceteraque insignia virtutum in ejus factis & moribus resplendentia admiratus, eum obnixe rogavit, ut abbatiam sancti Apri reciperet, eamque emendaret *secundum sancti Benigni institutionem.* Episcopi studio Willelmus obsecundans, prædictum cœnobium brevi ad regularem statum commutavit. Hinc strenui ibidem informati monachi, ex quibus unum, Widricum nomine, in eodem monasterio abbatem constituit. qui magistri sui vestigiis ita inhæsit, ut in suis & verbis, & factis alter quodam modo Willelmus videretur. Multos & ipse in sancta religione erudivit, ex quibus nonnulli ad aliorum monasteriorum præfecturam assumti sunt. Hic est Widricus abbas, qui librum de gestis sancti Gerardi Tullensis episcopi composuit, eumque Brunoni episcopo nuncupavit. Denique Gorzienſe quoque monasterium Willelmi providentiæ commissum fuisse testatur Warinus abbas in epistola mox laudata, in qua Willelmus statim ab ipso principio, *quo locum Gorzienſem regendum accepit*, Benedictum monachum cum multis aliis illic admisisse perhibetur, atque Sigifridum clericum Mettensem, litteris excultum, qui post ipsum Willelmum eidem monasterio præfuit.

[d] *Spicil. to* 1. *p.* 441.

LXXXI. Willelmo abbati episcopi & abbates adhærent.

Adeo porro excrevit Willelmi religionis fama, ut exteri etiam episcopi & abbates ad ejus cœtum confluerent. Ex primis quidam [e] episcopus civitatis Albingatæ, quæ est juxta Genuam civitatem in ora Ligustici maris, relicto episcopatu, ejus disciplinæ se subdidit. Alter quoque episcopus, Barnabas nomine, genere Græcus, in Divionensi monasterio per aliquot annos sub ejus magisterio conversatus est. Idem fecit alius episcopus, nomine Benignus, qui ex urbe Roma istuc se contulit. Ex abbatibus Johannes Capuanus, alter quoque Johannes abbas monasterii sancti Apollinaris ex urbe Ravenna, insuper Benedictus abbas monasterii sancti Severi ex opido Classis; denique Anastasius & Marcus, aliique abbates, Willelmo subesse, quam aliis præesse maluerunt. His addendus archidiaconus quidam Mediolanensis, Gotefredus nomine, vir nobilis, qui cum multis thesauris & ecclesiastica supellec-

[e] *ibid. p.* 442.

tile, in quibus erat altare onychinum auro & argento rite ornatum, ad sanctum Benignum se recepit, ubi annis non paucis humilis monachus mansit; indeque postea in patriam revocatus, annuente Willelmo, ibidem abbas Ambrosianæ basilicæ institutus fuit. Quin *ipsi etiam sancti viri, patres & doctores eremitarum*, Romaldus scilicet sive Romualdus, Guillelmus ac Martinus Pomposiani, quos in magna veneratione habuit urbs Ravenna, aliique ejusdem in Italia instituti, Willelmi nostri *societatem* ac suffragiorum communionem expetiere. immo quidam etiam eremi cultores, anachoreticæ vitæ cœnobiticam sub Willelmo vitam prætulere. Ex eorum numero fuere duo præcipui, Johannes & Paulus, litteris eruditi, postea in cœnobiali vita ceterorum speculum & exemplum, contemplationi & lectioni sic addicti, ut videntibus exemplo essent & admirationi. Horum alter, scilicet Paulus, apud sanctum Benignum in pace quievit: alter, nempe Johannes, ob sanctam conversationem Fructuariensi monasterio a Willelmo præpositus fuit.

ANN CHR. 998.

LXXXII. Salvatoris monasterium in Vosago.

Revertor ad Bertoldum Tullensem episcopum, qui cœnobium Salvatoris in saltu Vosago, haud procul a Mediano-monasterio exstruxit, dotavitque ad stipendium viginti monachorum, & ecclesiasticis ornamentis instruxit. Idem quoque eo loci puellare Bodonis-monasterium restruxit, *necnon sancti Deodati cœnobium.* Priora duo monasteria destructa sunt, eorumque reditus assignati monasterio canonicorum regularium, quod apud Danubrium * exsistit.

* *Daneuvre.*

LXXXIII. Cluniaco data confirmantur.

Hoc item anno Rodulfo Burgundiæ regi supplicavit Odilo abbas religiosissimus, totusque grex Cluniacensis, ut possessiones & terras ipsorum, in Burgundiæ regno positas, confirmare dignaretur. *Talibus & tantis & tam præclaris personis* rex annuens, *loco præfato*, ut ejus verbis utar, *omnibus virtutum monilibus decenter ornato*, regiæ confirmationis & concessionis præceptum largitur. *Datum in Paterniaco, anno incarnationis dominicæ* DCCCC XCVIII. *regni vero Rodulfi regis quinto.* Paterniacum locus est in diœcesi Lausanensi, ubi monasterium erat ordinis Cluniacensis, jam non semel [a] laudatum, cujus etiam donationes idem Rodulfus hoc ipso anno confirmavit interventu Agildrudis reginæ conjugis suæ, Purchardi seu Burchardi archipræsulis Lugdunensis, necnon Otelonis seu Odilonis Cluniacensis abbatis. quo fere tempore, corpus sancti Victoris Genevæ inventum, atque humo levatum est, ejusque ecclesia Odiloni commissa, uti discimus ex litteris Hugonis episcopi Genevensis, in quibus ait, se sæpe cum seniore suo Rodulfo & aliis tractasse de reparandis suæ diœcesis ecclesiis; eoque tempore Adheleïdem *bonæ memoriæ* imperatricem augustam, in urbem Genevam ingressam, ad ecclesiam sancti Victoris orandi causa venisse, eique auctorem fuisse, ut ecclesiam illam monasticæ disciplinæ & religioni aptaret. Dein non multo post tempore, reperta fuisse ossa sancti Victoris; eaque, agente rege Rodulfo, ejusque conjuge Egildrude, e tumulo levata; moxque evocato Odiloni Cluniacensi abbati hunc locum regendum commissum fuisse, præsente Rodulfo rege, & fratre ejus Burchardo archiepiscopo Lugdunensi. Hugonis episcopi litteris * nulla apponitur chronica nota: sed id factum post annum sequentem, quo Adelaïdis augusta decessit.

[a] *lib. 46. n. 67.*

S. Victoris ecclesia Genevæ Odiloni commissa.

* *V. Append.*

LXXXIV. Beracense monasterium conditur.

Eodem tempore Rodulfus alter condere cœpit Beracense * monasterium super ripam laci Everdunensis in episcopatu Lausanensi, & comitatu Waldensi, quod Aindricus * Lausanensis episcopus hoc anno in honorem sancti Petri dedicavit, evocatis monachis e vicino monasterio Paterniacensi, de quo modo agebamus. Commissum Odiloni abbati, ejusque successoribus Beracense monasterium, ea lege, ut monachi ejus loci singulis annis sanctæ Romanæ ecclesiæ ad urnam beati Petri duos solidos pro incenso persolvant, & advocatus ejus loci ex fundatoris progenie semper eligatur.

* *al.* Becianum. * *al.* Amedeus.

LXXXV. Defunctorum commemoratio instituta.

Sigebertus auctor est, Odilonem hoc anno commemorationem omnium defunctorum secunda die Novembris instituisse in suo monasterio, cujus exemplo ad ceteras ecclesias hæc institutio promanavit. tametsi jam in nonnullis Ordinis nostri monasteriis, sed alia die, recepta erat. Id ab Odilone factum dicitur hortatu cujusdam in Sicilia recluſi, qui defunctorum animas a piacularibus flammis Cluniacensium eleemosynis & precibus eripi contestatus est cuidam viro religioso Jerosolymis revertenti, idque Odiloni abbati renuntiari curavit. Odilonis hac de re constitutio in Bibliotheca Cluniacensi edita est, & in tomo I. Sæculi VI. Benedictini.

ANN. CHR. 998. LXXXVI. 5. Theotfredi, cella.

Tunc Calmiliacense sancti Theotfredi monasterio præerat Wido abbas, idem qui Guido superius [a] laudatus, cujus tempore Stephanus vicecomes Gabalitanensium [b] cum conjuge sua Ajalmode, cum prole carerent, partem de rebus & possessionibus suis sancto Petro urbis Romæ contulerunt ad construendum monasterium sub regimine regulæ sancti patris Benedicti, & servitium Dei inibi regulariter agendum, ea conditione, *ut sub honore sancti Petri sit sancto Theofredo Calmiliacensis cœnobii subjectum.* quæ res & possessiones sitæ sunt in comitatu Gabalitano, vicaria Miliacensi, in villa Lingonia, super fluvium Elerii seu Elaveris, hoc est ecclesia sanctorum Gervasii & Protasii martyrum cum suis decimis & rebus ad eam pertinentibus. Hoc autem factum dicitur cum consilio episcoporum Matfredi Mimatensis & clericorum ejus, Theotardi Aniciensis, Petri Vivariensis, & Rigaldi fratris ipsius Stephani donatoris, ac Bertanæ, filiique ejus Willermi, Pontii quoque comitis ac Bertrandi fratrum. Commissum ejus rei negotium providentiæ Widonis Calmiliacensis abbatis & successorum ejus, *quorum consilio in eodem loco monachi aggregentur, & mutentur.* Id factum *Gregorio papa hoc auctoritate apostolica confirmante*, approbantibus Matfredo Mimatensi episcopo cum suis canonicis, ad cujus diœcesim pertinebat iste locus, Theodardo Vallavensi seu Aniciensi, aliisque superius commemoratis. quod Silvester II. postea confirmavit. Chronographus Calmiliacensis, qui sub finem sæculi XI. scribebat, auctor est, Guigonem abbatem ejus nominis primum, qui & episcopus Glandinensis dicitur, monachis ejus loci usum triticei panis, ad tollendum eorum murmur anno millesimo indulsisse, quod Guigo secundus aliique ejus successores observaverint usque ad Willelmum IV. quo abbate hic chronographus scribebat.

a *lib.* 50 *n.* 64.

b *Diplom. p.* 579.

LXXXVII. Bernardus episcopus Cadurcensis.

Sub idem tempus, Bernardus Bellilocensis apud Lemovices abbas, cujus superius [c] meminimus, Cadurcensem episcopatum adeptus est, deferente Willelmo comite Tolosano cum archiepiscopo Bituricensi ejus ecclesiæ metropolitano: (Dagbertus is erat) qui ab eo non minimam pecuniæ summam pro illo episcopatu exigebant. Rem ad Abbonem magistrum suum retulit Bernardus, cui ille respondit, suæ ut *memor professionis* illos gradus excellentiæ appeteret, in quibus Deum non offenderet. Vanos esse ejusmodi hominum prætextus, quasdam velut telas araneārum texentium, ac dicentium, *quod non benedictionem, sed res ecclesiæ possessuri emunt.* quasi possessio ipsa sit alterius, quam Dei. Hujus epistolæ fragmenta refert Aimoïnus in libro de vita Abbonis, aitque Bernardum etiam tunc Cadurcensem præsulatum regere, cum quo etiam Bellilocensem abbatiam retinuit.

c *lib.* 49 *n.* 35. *& lib.* 51. *n.* 8.

LXXXVIII. Bellilocensis monachi donatio in honorem B. Mariæ.

Ejus tempore quidam Bellilocensis monachus, Bernardus nomine, *mansionile indominicatum*, quod pater suus ipsi concesserat, resque alias a fratribus suis, Baseno & Gausfredo, ipsimet datas, item mansum unum, quem a monachis de Soliaco comparaverat, Bellilocensi monasterio confert *ad oratorium ex cera illuminandum, quod est in Bello-loco ad honorem ejusdem Reginæ, scilicet præclarissimæ semper virginis Mariæ.* quam donationem facit *in providentia domini sui Bernardi episcopi*, ea quidem ratione, ut ipse prædictas res pro Jesu-Christi amore, ejusque Genitricis tueri ac defensare dignetur; & Bernardo nepoti suo, id est ipsius donatoris, committere: ut idem Bernardus ex ipsis rebus jugiter omnipotentis Dei servitium procuret, & pro se dominoque episcopo preces fundat. *Eleemosyna vero*, inquit, *si quæ est, tribuatur domino meo episcopo, quatenus non minuatur ejus famulo Bernardo citato: sed jam prævenientibus tuis precibus, domine mi episcope, tota animi corporisque devotione tuam deprecor benignitatem, ut votum meum ac desiderium, ut hic continetur, impleri facias pro tua bonitate, meque securum deinceps ac lætum quiescere.* Hoc vero testamentum Bernardus episcopus *secundum potestatem sibi a Domino attributam* confirmat, & manu sua roborat. Nullæ his litteris appositæ chronicæ notæ. Ex his intelligitur, quod jam non semel observavimus, monachis tum licuisse paternas adire possessiones, easque in pios monasterii usus expendere. Bernardus porro episcopus Bellilocensem abbatiam Hugoni de Comborno, qui ipsius ex fratre nepos erat, homini sæculari resignavit.

LXXXIX. Monasteria in Saxoniacōdita.

In Saxonia conditum legitur [d] hoc anno insigne monasterium Helmershusanum intra limites diœcesis Paderbornensis circa fines Hassiæ, dotatumque ab Ekkihardo comite quam largissime pro monachis nostri instituti: quod Otto tertius imperiali diplomate confirmavit, & post eum Silvester secundus. Hujus monasterii basilicam

d *Annal. Paderborn. p* 348.

Meinwercus episcopus consecravit, ut inferius videbimus. Postremis hisce temporibus monasterium istud cessit in Hassorum heterodoxorum potestatem. In chronico Saxonico cœnobium *Helmwardeshusen*, eique vicinum *Hildwardeshusen in superiore parte fluminis* Visurgis situm ab Ekkihardo comite fundata perhibentur.

ANN. CHR. 999. X C. Gregorio V. succedit Gerbertus.

ANno insequente undemillesimo Gregorius V. pontifex maximus optimus migravit e vita XII. kalend. Martii. In ejus locum subrogatur Gerbertus, itidem e nostris, tum archiepiscopus Ravennas, sæpius jam a nobis laudatus, quem propria excellentis pro tempore doctrinæ merita, Ottonis imperatoris favor, qui eum præceptorem habuerat, & fortasse ipsius etiam Gerberti industria, non fabulosa illa magicæ artis scientia, ad summam illam dignitatem extulerunt. Ordinatus IV. nonas Aprilis, Silvester secundus est appellatus. Principio illud eximiæ moderationis specimen dedit, quod Arnulfo Remorum archiepiscopo, suo quondam æmulo, pallii usum, benedictionem regum, ceteraque suæ dignitatis prærogativas restituit, vetuitque ne quis mortalium abdicationis ejus crimen ipsi objiceret.

XCI. Andaonense monasterium.

Ultimum, quod quidem viderimus, diploma Gregorii V. est pro Andaonensi sancti Andreæ apud Avenionem monasterio, de quo nullum nobis antiquius monumentum occurrit. Hoc pontificium diploma inscriptum est Martino *reverendissimo abbati monasterii sancti Andreæ apostoli, & sancti Michaëlis archangeli, & beati Martini confessoris, quod est fundatum in cacumine montis, qui nuncupatur Andaon, super fluvium Rhodani.* Hoc diplomate pontifex confirmat Martino abbati, ejusque successoribus, prædictum monasterium sancti Andreæ apostoli, & sancti Michaëlis, & beati Martini: *ut his tribus ecclesiis unum semper persistat monasterium cum ipso monte in integrum, in quo adsunt ipsæ ecclesiæ.* Eidem concedit jus sepulturæ, tam masculini sexus, quam feminini, & liberam eligendi abbatis facultatem. *Scriptum per manum Benedicti scriniarii S. R. E.* in mense Januario, & indictione præsenti XII. Exstant litteræ [a] Heldeberti episcopi Avenionensis, Martino abbati ejusque successoribus conferentis ecclesiam beatæ Mariæ de Aleriaco-minori, datæ anno M VI. quo anno Girvinus quidam & ejus uxor, monasterio sancti Andreæ atque beati Martini, in monte Andaone ad Rhodanum posito, & monachis, qui ibidem Deo famulantur, consentiente filio suo Alardo, conferunt totam hereditatem suam, quam *in pago Advenico* seu Avenionensi, in villa, quam *Marmanicas* vocant, possidebant. *Facta charta ista in monasterio sancti Andreæ, in mense Novembris, die dominico, anno verbi incarnati* M V. *indictione* IV. Eodem anno Heldebertus episcopus, mox laudatus, alias litteras dedit, in quibus illius monasterii originem sibi incompertam esse dicit. Id unum se scire, illud destructum fuisse, nimirum a Sarracenis; sicque desolatum remansisse usque ad tempus Warnerii episcopi, cujus tempore instauratum est. Warnerius decessor fuit Petri episcopi, cui Heldebertus successit.

a *Spicil. to.* 7. *p.* 197.

b *ibid. p.* 200.

XCII. Leo archiepiscopus Ravennas.

Gerberto in sede Ravennate suffectus Leo abbas Nonantulanus; in Bobiensi abbatia Petrus-Aldus, cui Otto imperator privilegium [c] hoc anno amplissimum concessit. Duo fuere, ut superius [d] diximus, eo tempore Leones, unus post alterum Nonantulani abbates, a Petro Damiani laudati in epistola ad Nicolaum secundum. Prior, abdicata præfectura, in Romanum sancti Alexii monasterium se recepit, ibidemque decessit non sine opinione sanctitatis: posterior archiepiscopus Ravennas post Gerbertum creatus est. Verum hanc dignitatem non diu tenuit. nam paralysi post biennium percussus, *cathedram sprevit*, inquit Petrus Damiani; *sicque privatus fere quadriennio supervixit*, ipsius etiam linguæ destitutus officio. unde Leo-Mutus a nonnullis appellatur. Exstat insignis ejus epistola ad Durantem monachum & ad cæteros, qui cum eo erant, eremitas, ex Ughello a nobis edita ad calcem Sæculi quinti Benedictini. Eremitæ illi e monasterio, forte Classensi, obtentu perfectioris vitæ, absque abbatis sui venia in solitudinem secesserant. Consultus ab eis Leo archiepiscopus, quid de ipsorum secessu sentiret, respondit in hunc modum. Perpenderent cur sæculum reliquissent, ut artam istam & angustam viam arriperent, abbati subjecti. nempe, ut non suo ipsorum, sed alieno viventes arbitrio, Christum Dominum imitarentur, qui non suam voluntatem, sed ejus, qui ipsum miserat, facturus venerat. Cur ergo promissis non starent, & obedientiæ jugum, quod sibi ipsi sponte imposuerant, excuterent? nam si baptismi vota, quæ nescientes, & quodam

c *Bullar. Cas. p.* 59.

d *V. supra num.* 2.

» modo reluctantes pueri fecisse censentur, eos adstringunt; quanto magis monachos
AN. CHR. 999. » ligant ea, quæ integro sensu & libero proposito emiserunt, stabilitas scilicet, con-
» versio morum & obedientia? Nec valere quod ipsi opponebant, id se fecisse per-
» fectioris vitæ desiderio, & ut ab imperfectis & rudibus monachis se sequestrarent.
» Nihil quippe regula sancti Benedicti hoc in genere perfectius: cujus virtutem ver-
» borum quidam non intelligentes, putant se quid melius facturos, si eam dimittant:
» & postea nec illam, nec aliam tenent, & vacui remanent, & sine fructu apud
» Deum inveniuntur. Ceterum vanam esse eorum excusationem, quasi ab imperfec-
» tiorum consortio se hoc modo segregare velint. quippe hanc esse spem electorum,
» ut malos, non fugiendo, sed patiendo tolerent. Si velint solos quærere justos, non
» alibi quam in cælo inveniendos. nam in hoc sæculo ubique malos bonis esse per-
mistos. Et quia isti auctorem nescio quem apocryphum se sequi aiebant, in fine ad Durantem conversa oratione: *Tu vero, carissime*, inquit, *noli sequi reprobatum, sed imitare regulam electam, ab electo divo Benedicto editam, a sancto pioque Spiritu-sancto dictatam, & a præclaro doctore pontifice summo amatam, laudatam, & a perfectis viris imitatam, quæ sectatores suos ad regna cælorum perducit.* Hactenus Leo archiepiscopus Ravennas.

XCIII. Johannes abbas S. Vitalis. In eadem urbe sancti Vitalis monasterium administrabat Johannes abbas, cui Otto [a] imperator spatium quoddam, juxta atrium ipsius ecclesiæ situm, confirmavit, eumdemque locum a cunctis exactionibus exemit. *Data* IV. *idus Januarii, anno dominicæ incarnationis* DCCCCXCIX. *indictione* XII. *anno tertii Ottonis regni* XV. *imperii tertio. Actum Romæ.* quod præceptum Heribertus cancellarius vice Petri Cumani episcopi recognovit. Hic est Heribertus, qui, dum Ravennæ cum Leone archiepiscopo res imperii tractaret, in sede Coloniensi mortuo Evergero substitutus est, de Ordine nostro bene meritus ob conditum Tuitiense monasterium, cujus abbas Rupertus, vir doctrina & pietate insignis, librum de ejus vita composuit. Hic præsenti anno asserit electum fuisse Heribertum, qui tamen adhuc Romæ erat sub finem hujus anni, id est III. nonas Decembris: quo tempore imperiale Ottonis recognovit præceptum adhuc cancellarius sive notarius de cella Minionis, quam Otto Hugoni Farfensi abbati tunc asseruit post longam hac de re concertationem, de qua nunc agendum est.

a *Bullar. Casin.* p. 59.

XCIV. Cella Minionis Farfensibus asserta. Antiqua hæc cella erat in territorio Tuscano sive Centumcellensi ad fluviolum Minionem, unde cella Minionis dicta est, beatæ Mariæ sacra. Hæc prolixæ litis materia fuit Farfense inter ac Romanum monasterium sanctorum Cosmæ & Damiani in Mica-aurea, de quo superius [b] actum est. Farfensi tunc præerat Hugo abbas jam laudatus; monasterio sanctorum Cosmæ & Damiani Silvester, eo nomine tertius. Farfenses hanc cellam a multis annis sibi subjectam fuisse asserebant: alii sui juris esse contendebant. Farfensium argumenta potiora erant. scilicet [c], Caro-
» lum Magnum prædictam cellam suo monasterio contulisse, idque Ludovicum ejus
» filium, ac successores confirmasse; eamque concessionem tenuisse usque ad illud
» tempus, quo Sarraceni cuncta extra Romam monasteria devastaverant. Post illam
» cladem hoc monasterium instaurari cœptum a Ratfredo Farfensi abbate, ibique
» a Campone ejus successore institutum fuisse præpositum, ad opus perficiendum,
» Venerandum nomine, qui de prædicta cella destructa Camponi fecit *libellum in*
» *tribus personis monachorum, sicut consuetudo sæcularium monachorum tunc erat.* qua de
» re *apparum* (sic exemplum alterum ejusmodi libelli vocabant) Campo abbas penes
» se retinuit. Porro Venerandum, quam diu inibi habitavit, eidem abbati, ejusque
» successoribus obtemperasse. Interim contigisse, ut Benedictus quidam, cognomento
» Campaninus, prædictum monasterium sanctorum Cosmæ & Damiani ædificaverit
» in sua proprietate, ibique istum Venerandum, cum consensu Farfensis abbatis,
» instituerit abbatem: qui toto vitæ suæ tempore fidem Farfensibus, & annuam pen-
» sionem de hac cella præstiterit; quam pensionem Silvester ejus successor persolvere
» detrectavit. Hinc gravis controversiæ causam natam fuisse inter ipsum & Johannem
» Farfensem abbatem tempore Ottonis imperatoris primi, qui in synodo generali,
» apud sanctum Petrum habita, Johannem de hac cella reinvestiri sanxit: at, Lam-
» berto-Cæco resistente, id effectu caruisse ad tempus usque Ottonis secundi, qui ira
» motus adversus Johannem abbatem, Farfensem ei abbatiam abstulit, & alteri de-
» dit. Quam ob rem Johannem abbatem se recepisse ad Azonem abbatem de Aven-
tino,

b *lib.* 47. *n.* 45.
c *Mus. Ital. to.* 1. *p.* 57.

tino, germanum suum, asportatis secum Farfensis monasterii chartis non paucis, «
in quibus erat præceptum de cella Minionis, & *apparum* jam dicti libelli: quæ « AN. CHR. 999.
Ursus malevolus presbyter furatus sit, & Silvestro abbati sanctorum Cosmæ & Da- «
miani vendiderit pretio triginta librarum denariorum. His comparatis, Silvestrum «
abbatem falsum de eadem cella præceptum supposuisse sub nomine Hugonis regis. «
quo ex tempore ipse, ejusque successores hanc cellam, tamquam proprio jure, sibi «
retinuerint usque ad tempus Ottonis tertii, qui cum consilio & assensu Silvestri «
venerabilis papæ, necnon Hugonis inclyti marchionis, ceterorumque judicum Ro- «
manorum, hanc litem legaliter finivit in gratiam Farfensium, agente Hugone, qui «
prædictam cellam quiete possedit, uti & ejus successores, per annos triginta-duos, «
sub ipso imperatore & Hugone marchione: quibus mortuis, eam Cadulus comes «
invasit; at cito restituit, id ipsum confirmante Heinrico imperatore sub Raynerio marchione. quo ex tempore nulli, nequidem Romani pontifices, ad quos prædictum monasterium sanctorum Cosmæ & Damiani pertinet, etsi proximam huic cellæ Centumcellensem urbem possiderent, quidquam molestiæ Farfensibus de ipsa cella fecerunt.

XCV. Placitum de eadem cella. Exstat in archivo Farfensi insigne hac de re præceptum Ottonis tertii: quod, ne filum narrationis nostræ diutius interrumpamus, in Appendicem referre visum est. at placitum hac de re habitum, quod aliquanti momenti est, huc adducere juvat.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, anno Deo propitio pontificatus domini nostri Silvestri summi pontificis & universalis secundi papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli primo, & imperii domini nostri tertii Ottonis, a Deo coronati magni & pacifici imperatoris anno IIII. *indictione* XIII. *mense Decembris die secunda. Quia sanctos imperatores Deum semper præ oculis habere sancitum est, quicquid in publicum gesta imperialia transtulerunt, nulla ratione divelli potest: quicquid imperiali decreto, & judicum firmis sententiis corroboratum est, quicumque destruere nititur, reus majestatis esse convincitur. Et idcirco hanc brevem memoratoriam de præcepto supra dicti imperatoris & consensu domni apostolici* *, *sive judicium fecimus abbati Hugoni ex monasterio sanctæ Mariæ, quod dicitur in Farfa, de cella sanctæ Mariæ in Minione, cum omnibus suis pertinentiis: quia ex jure regali ipsius monasterii esse convincitur, in æternum possideat. Karolus quidem, sanctæ memoriæ imperator augustus, in primis ipsam cellam de imperiali ditione eidem venerabili monasterio donaverat, suique successores corroboraverant. Postea vero abbas ipsius monasterii per emphyteusem cartulam delegavit cuidam abbati de monasterio sanctorum Cosmæ & Damiani, quod est situm Romæ trans Tiberim in Mica-aurea, in tribus abbatibus, diebus vitæ illorum tantum, uno post alium succedente. qua vero cartula expleta, cœperunt abbates sanctorum Cosmæ & Damiani a jure & proprietate monasterii sanctæ Mariæ subtrahere, & ad illorum monasterium destinare. qua de causa inter utrosque abbates grande litigium & seditio orta est. Ad ultimum vero supra dictus Hugo abbas monasterii sanctæ Mariæ reclamavit domino imperatori supra dicto, ut exinde legem faceret. Deinde præcepit dominus imperator prædicto Hugoni abbati ire cum suis nuntiis ad Lateranense palatium ante præsentiam domni Gregorii papæ, qui illo in tempore erat, ut lex fieret; advocatusque est Gregorius abbas monasterii sanctorum Cosmæ & Damiani ad placitum. Tunc ostensa sunt ibi præcepta ex utraque parte, atque relecta: & apparuerunt quæ erant monasterii sanctæ Mariæ anteriora atque veraciora. Postea vero Gregorius abbas suprascripti monasterii sanctorum Cosmæ & Damiani ostendit unam falsissimam brevem refutatoriam, ubi continebatur, quod Johannes abbas, antecessor Hugonis abbatis monasterii sanctæ Mariæ, refutasset eamdem cellam temporibus beatæ memoriæ domni Ottonis primi imperatoris. quod omnino falsum est. Tunc Hugo abbas præ manibus tenebat capitulum, quod idem Otto imperator fecerat de cartulis falsis, ubi continebatur: Si quis aliquam cartulam falsam appellave- «
rit, & per pugnam eam approbare voluerit, ut ita discernatur. quod & Hugo abbas una «
cum suo advocato voluit facere secundum suam Langobardorum legem. Sed hi, qui ex parte Gregorii abbatis erant, neque pugnam voluerunt recipere, neque ipsam brevem ad manum collationis perducere, sicut lex præcipit Romana. Tunc supra dictus domnus Gregorius papa propter pecuniam, quam acceperat à Gregorio abbate, iratus est contra Hugonem abbatem, & surrexit, & comprehendit eum, & posuit ei suam virgam in manu, ut refutaret ipsam cellam. unde Hugo abbas cœpit fortiter reproclamare, & dicere: O domine papa, quare mihi hanc violentiam? Tunc ipse iterum atque iterum refutare tantum co-*

* Gregorii V.

ANN. CHR. 999.

gebat. quod & fecit Hugo abbas, potestate devictus. Insuper tres cartulas ei tulit, & abbati Gregorio dedit incidendas. Statim Hugo abbas reversus ad imperatorem, cœpit iterum proclamare, & narravit omnia, qualiter ei accidit. Tunc dominus imperator promisit, se iterum exinde legem facturum: sed casu accidente dilatum est. Eodem præsenti anno christianissimus imperator Otto cum domno papa Silvestro, & cum Hugone marchione ad idem monasterium sanctæ Mariæ in Farfa pervenit. Tunc prædictus Hugo abbas venit in præsentiam imperatoris & papæ cum præceptis supra dictorum regum, Karoli & Ludovici, ceterorumque ordine regum. Imperator vero supra dictus, necnon & dominus papa, justitia & legali judicio commoti, jusserunt eidem abbati venire Romam, ut, quid inde facturi essent, judicum sententia diffiniret. quod ita factum est. Abbas autem ille Gregorius, imperialibus nuntiis ad placitum provocatus primus per Johannem diaconum Ravennatis ecclesiæ duabus vicibus: sed ille sciens nil se justum habere, fuga lapsus est. Tunc imperator per consilium judicum investivit Hugonem abbatem de præfata cella, salva querela: & dedit eum in manus Hugonis marchionis, ut simul cum ipso pergeret ad ipsam cellam; &, si ibi Gregorium abbatem invenirent, simul reverterentur ad placitum. Euntes autem invenerunt ibi Gregorium abbatem: cui domnus Hugo marchio ex parte imperatoris præcepit, si suam gratiam vellet habere, iret Romam ad placitum. quod se promisit libenter facturum. Tunc prædictus Hugo abbas ad statutum terminum venit ad placitum: sed ille iterum venire renuit. de qua causa domnus imperator cogitare cœpit, & iterum atque iterum per suos nuntios, usque duodecim vices, vocavit ad placitum. Ille autem, tot vicibus vocatus, numquam venit, sed in fugam conversus est. Quadam vero die, dum resideret domnus Otto imperator in palatio, venit suprædictus Hugo abbas ante suam præsentiam; prostratusque ad pedes ejus, cœpit fortiter proclamare. Et residentibus ibi cum domno Leone archiepiscopo sanctæ Ravennatis ecclesiæ, & Gaudentio archiepiscopo sancti Adalberti, & Benedicto episcopo sanctæ Portuensis ecclesiæ, Læto & Johanne præfecto dativis judicibus, Paulo eodem dativo judice, Gerardo gratia Dei inclito comite atque imperialis militiæ magistro, Gregorio excellentissimo viro, qui de Tusculana, atque præfecto navali; Gregorio viro clarissimo, qui Nuccinus, atque vestarario sacri palatii, Alberico filio Gregorii, atque palatii imperialis magistro, Farolfo a sancto Eustachio, Teufredo & Benedicto castaldiis Hugonis marchionis, ceterisque aliis residentibus vel astantibus, quorum singula nomina enarrare longum est. Tunc ait domnus Otto imperator illis omnibus: Date mihi consilium de hoc quid faciendum sit. Respondentes judices dixerunt: Secundum legem modo investituram perpetualem dare debetis huic abbati; & omnia illa instrumenta cartarum, quæ ille Gregorius abbas habet de supra scripta cella, evacuare atque exinanire: quia Justinianus imperator præcepit: Contumacem tertia vice vocamus: datum judicatum firmum est. item & in alio loco idem imperator dicit: Litigator si se subtraxerit, & tertio acclamatus non apparuerit, inter absentes judicium datum firmum est. His vero duabus sententiis expletis atque affirmatis, placuit domino Ottoni serenissimo imperatori augusto & illis omnibus, verumque expertum & approbatum a judicio judicum & consilio illorum omnium, quod monasterium sanctæ Mariæ in Farfa ipsam cellam sanctæ Mariæ de Minione cum omnibus suis pertinentiis possidere deberet in perpetuum, & monasterio sanctorum Cosmæ & Damiani nihil pertineret. Et continuo reinvestivit Hugonem abbatem, suosque successores de supra scripta cella cum suis omnibus pertinentiis in perpetuum. Insuper & imperiale bannum superimposuit, ut, si umquam in tempore prædictus Gregorius abbas, suique successores de prædicta cella aliquam querimoniam renovare aut replicare adversus monasterium sanctæ Mariæ præsumserit, aut ipsa instrumenta, superius damnata, in placito ostendere voluerit; centum-quinquaginta libras auri cocti componat; sive potestas, quæ cogere voluerit; aut judex, qui judicare, vel ipsas cartulas damnaticias laudare maluerit. Non solum ipsi, sed omnis persona magna vel parva, quæ hoc facere præsumserit, similiter multetur, medietatem cameræ imperatoris, & medietatem prædicto monasterio sanctæ Mariæ in Farfa. sic namque finitum est. Unde pro futura memoria, futuroque testimonio & cautela, hanc brevem memoratoriam prædictus dominus imperator cum consensu domini nostri apostolici, sive judicum, mihi Petro scriniario sanctæ Romanæ ecclesiæ scribere præcepit in mense Decembris, indictione suprascripta XIII. † Otto Romanorum Dei gratia imperator. † Leo sanctæ Ravennatis ecclesiæ archiepiscopus interfui, & subscripsi. † Arnolfus... ecclesiæ interfui, & subscripsi. † Gaudentius archiepiscopus sancti Adalberti martyris interfui, & subscripsi. † Johannes præfectus. † Leo Dei gratia arcarius sanctæ apostolicæ

ANN. CHR. 999.

sedis. † Adrianus datus judex. † Paulus Dei gratia datus judex. † Hugo marchio. † Lætus Dei gratia datus judex. † Gerardus consul & dux. † Ego Petrus scriniarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui & scriptor hujus cartulæ, post testium subscriptiones suprascriptas complevi, & absolvi.

Hactenus placitum, prolixum quidem, sed non spernendæ lectionis: ex quo scilicet discimus formam judiciorum, quæ illis temporibus obtinebat. Ex subscriptionibus discimus genuinum nomen Leonis archiepiscopi Ravennatis, qui Gerberto successit. Arnolfus, qui post eum proxime subscribit, non alius videtur, quam Remorum archiepiscopus, qui forte Romam eo tempore profectus sit, tum ad pallium obtinendum, tum ad sarciendam cum Silvestro pontifice concordiam. Tertius est Gaudentius archiepiscopus Gnesnensis ecclesiæ, ubi sanctus Adalbertus Pragensis episcopus & martyr quiescebat. Ceterum mirum est, quod de Gregorio V. in prætermisso placito legitur, optimo pontifice, per quem res christiana in primaria illa ecclesia reflorescere cœpit: eum scilicet pecuniæ pretio adductum fuisse, ut cellam Minionis Gregorio abbati monasterii sanctorum Cosmæ & Damiani adjudicaret. quod tamen Hugo Farfensis in sua relatione repetit. Forte id factum per ministros pontificis, eo minime conscio, cui tamen id criminis, ut fit, imputatum sit.

XCVI. Leo Vercellensis episcopus.

Alter eodem tempore Leo erat ex monacho [a] Vercellensis episcopus, qui hoc anno amplum ab Ottone privilegium ecclesiæ suæ obtinuit. quod Silvester papa confirmavit. Leo abbatiam Bremetensem cum episcopio Eporediensi usurpare molitus, viso beatæ Dei-genitricis Mariæ ab incœpto deterritus fertur. Otto in prædicto privilegio ecclesiæ Vercellensi confirmat inter alia abbatiam de Locedio seu Lucedio, sicut eam Carolus augustus, & divæ memoriæ Otto secundus eidem contulerant. Item confirmat sancto Michaëli de Locedio cortem Quadradulam cum districtu Herimannorum, *sicut Lotharius augustus donavit, quando corpus sancti Januarii ibi collocavit.* quæ verba aliaque desunt in fragmentis ab Ughello relatis. Petrus Leonis successor, e Jerosolymitano reversus itinere, Bono-homini [b] monacho itineris sui socio hanc abbatiam concessit. Homo-bonus porro miraculis post mortem claruisse dicitur. Quare Ardericus episcopus, Romam profectus, a Johanne X. impetravit, ut pie defuncto [c] ponere aram sibi liceret: quam magno Vercellensis populi plausu denique dedicavit.

[a] *Ital. sac. to. 4. p. 1065.*

Bonus-homo abbas Bremetensis.

[b] *ibid. p. 1069.*

[c] *ibid.*

XCVII. Petrus Sublaci abbas, aliique.

Sublacense monasterium pontificatu Gregorii V. & Silvestri secundi rexit Petrus abbas, qui libros & ornamenta, resque monasterii multum auxisse traditur: non minus sollicitus in tuendis antea partis. Unde, cum castrum Armulæ quibusdam illius regionis præpotentibus viris tradere nollet, in vincula conjectus ab illis, sed meritis sancti Nicolai, quem præcipuo cultu venerabatur, semel solutus; iterum captus, & duplicatis vinculis irretitus, demum oculis orbatus, misere vitam finivit, sepultus juxta idem castrum in ecclesia sancti Vincentii, ubi Deus per eum mira quædam operatus fuisse traditur. Ejus successor Gregorius multa bona monasterio acquisivit pontificatu Johannis XIII. Gregorium secuti sunt Stephanus tempore Sergii VI. Petrus alter sub Benedicto VIII. Dementus Johanne XIX. pontifice, Petrus item temporibus Benedicti IX. quorum nuda nomina in chronico Sublacensi habentur. Plura & notiora gessit Johannes abbas sub Clemente II.

XCVIII. Mathildis abbatissa obit.

Dum Otto Romæ moraretur, Mathildis Quindelinburgensis abbatissa, Ottonis Magni filia, cui summam rerum, dum abesset a Germania, contulerat, supremum diem piissime absolvit. Paullo ante ejus obitum res quędam accidit in suo monasterio, quæ multum doloris ipsi faceſſivit. Illic sub ejus cura educabatur nobilissima puella, Liutgarda [d] nomine, filia Ekkihardi marchionis in Turingia nobilissimi. Hanc sponsam habere percupiebat Werinharius, filius Lutharii nobilissimi itidem Turingi, eamque pater puellæ ipsi desponderat. Verum, dum tempus nuptiarum differtur, alio consilia vertit Ekkihardus. quo intellecto, Werinharius puellam vi rapere, & sibi, absente Ekkihardo, qui Romæ cum imperatore versabatur, vindicare constituit. Forte Dorneburgi factus est publicus abbatissæ, totiusque senatus conventus. Interim Werinharius, armata manu in monasterium irruptione facta, puellam reluctantem & reclamantem rapit, & Walbicum se recipit. Ea re comperta, Mathildis summopere mæsta, cunctis principibus, ut hoc nefas ulciscerentur, præcepit, & virginem quovis periculo sibi restituerent. Nec mora, armatus miles id exsequi festinat. at, cum Werinharius, mori potius quam sponsam reddere certus, valido se

[d] *Ditmar. lib. 4. p. 42.*

ANN. CHR. 999.

præsidio tutaretur, irrito conatu miles reverti cogitur. Sed demum intellecta puellæ voluntate, quæ sponsum & ipsa retinere maluit, quam reverti; Mathildis utrumque Magdeburgi in publico conventu sisti jubet. Illic nudis pedibus provolutus Werinharius, sponsam reddit abbatissæ, quæ eam secum in monasterium reduxit, non ut eam retineret, sed ut Werinhario timorem & dolorem augeret. Verum post paucos dies Mathildis morbo correpta, Bernwardum Hildensheimensem episcopum accersiri jussit, acceptaque ab eo indulgentia, VIII *. idus Februarii animam Christo reddidit, atque in medio basilicæ sanctorum Petri & Stephani, juxta tumulos avi sui Heinrici & aviæ suæ Mathildis reginæ sepulta est. Magnus ubique luctus, sed maxime in Quindelinburgensi monasterio, necnon in Walbicensi, quod ipsa exstruxerat, atque in Wimethusano, cujus sanctimoniales, ut proprias filias, semper foverat.

* *al.* VII.

Adelheida succedit.

Peracto funere, Quindelinburgenses ejus obitus nuntium Ottoni imperatori Romam, & Adelaidi augustæ ejus parenti, quæ tum Augustæ morabatur, perferri curant, & fratruelem defunctæ Adelheidam, quam ipsa pro filia tenere nutrierat, ob doloris sui quoddam remedium, matrem & abbatissam sibi dari postulant. Otto, recenti obitu propinqui sui Gregorii papæ jam mæstus, sed Mathildis obitu mæstissimus, gratissimam habuit sororis suæ electionem, de qua toti illi congregationi grates retulit. Hæc autem in festo sancti Michaëlis, electione iterata, ab Arnulfo episcopo, adstantibus aliis episcopis & sorore sua Sophia, necnon nepte sua Hathwiga [a] Gererodensi abbatissa, cunctisque regni primatibus, coram altari sanctorum Petri & Stephani benedicitur, atque in throno abbatissæ sub promissione regulæ collocatur.

a *Chron. Saxon. manuscr.*

XCIX. Adelaidis augusta item obit.

Non diu supervixit piissima imperatrix Adelaidis, egenorum parens, & in monasticum ordinem cum primis optime affecta. Ultimo ætatis suæ anno monasterium Paterniacum, quod ipsa condiderat, adiit, fratribusque illic degentibus abunde necessaria suppeditavit. Instante supremo die, beatissimum patrem Benedictum, id est Floriacense monasterium, & Silviniacense ob amorem sancti Mayoli, missis muneribus honoravit; necnon sancti Martini Turonensi, cui instaurando (nam ante aliquot annos combustum fuerat) argenti non paucas suppetias contulit. Hæc acta in vico, qui dicitur Urba, ubi etiam tum erat Odilo Cluniacensis abbas; quem cum illa respiceret, flere cœpit, vestemque ejus apprehensam oculis & ori admovit, asserens se brevi morituram; eumque cum summa animi demissione rogavit, sui ut in orationibus memor esset, seque fratrum precibus commendaret. Inde ad Salisense * seu Salsense monasterium [b] ab se conditum, ubi sepeliri optabat, profecta, febre corripitur. Morbo ingravescente, ecclesiæ sacramentis se muniri rogavit. *Tum sacri olei unctione peruncta, sacramentum dominici corporis, humiliter & devotissime adorando percepit.* His munita præsidiis, psalmos pœnitentiales & litanias Sanctorum *ecclesiastico more* recitari præcepit, ipsa cum psallentibus psallens, cum orantibus orans. Denique instante anno millesimo, scilicet XVI. kalendas Januarii, ad cœlos migravit, piorum operum mercedem a Domino receptura; atque in basilica Salisensi, quam ipsa in honorem beati Petri apostolorum principis exstruxerat, honorifice condita est. Post ejus obitum Herimannus dux Sueviæ, qui fratris illius Conradi filiam duxerat uxorem, hereditario jure res ab ea Salisensibus monachis donatas occupare volebat. at illa manifestis comprobavit indiciis, *quod nullum heredem præter Apostolos & eis servientes monachos relinquebat*, ut fuse narrat Odilo abbas in libro de ejus miraculis, quem libro de ejus vita ab se compositio subjecit. In posteriori illo libro laudat Gerbertum abbatem prædicti monasterii, *piæ memoriæ virum.* Hoc monasterium in præposituram & ad canonicos mutatum, quod Saletionem vocant.

* *Selz.*

b *V. lib. 49. n. 78.*

C. Sigefridus apostata.

His chronographus Saxonicus subdit mortes Conradi ducis Suevorum, Heriberti comitis ejus fratris, & Odonis inclyti marchionis, qui subitanea morte interiisse dicuntur. Hujus marchionis filius erat Sigefridus, qui in nova Corbeia, ubi pater suus sepultus est, in habitu monastico diu conversatus, postmodum, abjecta cuculla, laïcalem vestem resumsit. Mox a Dietmaro abbate suo & Gisilero Magdeburgensi præsule ad synodum vocatus, denuo habitum, quamvis invitus, induere cogitur, pollicitus se in proposito deinceps perseveraturum. Verum brevi post sacramentis se exsolvit exemplo alterius, qui Romæ simili sententia in conspectu Cæsaris se purgaverat.

ANN. CHR. 999. Hideslevense monasterium eversum.

Eodem tempore monasterium sanctimonialium Hideslevense ab Slavis [a] est miserabiliter incensum & destructum, eductis inde sanctimonialibus; eodemque die plurimi christianorum a paganis interemti sunt.

a *Chron. Saxon.*

C I. Paredum Cluniaco subditur.

Superius [b] actum est de Paredo monasterio, quod Lambertus Cabilonensium comes in loco, qui Vallis-aurea dicitur, in honorem beatæ Mariæ & sancti Johannis-Baptistæ construxit in pago Augustodunensi, ubi monachi sub proprio pastore degerent. Verum [c] filius ejus Hugo præsul Autisiodorensis, ratus hoc monasterium in eo statu omnino per se stare non posse; consultu Rotberti regis & Heinrici ducis, illud subjecit Cluniacensi monasterio, cui domnus Odilo tum præerat: ut ipse, suique successores eumdem locum omnimoda auctoritate administrarent. quod quidem idem præsul fecit pro anima patris sui Lamberti, ac matris suæ Adeleidis, Rotberti regis & Heinrici ducis. *Actum suburbio Cabilonensi, cœnobio beati Marcelli, in præsentia regis Rotberti. Data mense Maio, indictione* XII. *anno incarnationis Domini* DCCCC XCIX. *Rotberto rege, anno* IV. *regni ejus.* Ante *datam* subscribunt post Hugonem præsulem Heinricus dux, Otto, Guido, Mauricius & Richardus comites, Rotbertus vicecomes; Rotgerius, Rainaldus, & Walterius episcopi, & Wido seu Guido abbas, aliique. Adeleis, Hugonis episcopi ex Lamberto parens, primo nupserat Gauzfredo comiti Cabilonensi, qui suburbanum sancti Marcelli cœnobium, ubi hæc charta data est, Cluniaco jamdudum contulerat. quod idem Hugo ratum habet.

b *li. 48. n. 51.*

c *Perard. p. 167.*

C II. Taluzatis cella.

* *Taluy*, al. *Taluyes-*

Exstat in pago Lugdunensi locus haud ignobilis, Taluzatis * antiquitus dictus, sex fere leucis positus infra Lugdunum, haud ita procul a dextra Rhodani ripa, ordinis Cluniacensis cella insignis, quæ Blismodi illustri feminæ originem refert acceptam. Primarias ejus donationis litteras mihi communicavit eruditissimus Stephanus Baluzius, nunc ejus loci prior, quibus in litteris ipsa donatrix loquitur in hunc modum. *Ego in Dei nomine Blismodis nobilissimâ femina, enormitatem peccaminum meorum considerans, atque pro his Domino satisfacere omnino concupiscens, dono Deo & sanctis ejus apostolis Petro & Paulo, & Clunicnsi cœnobio, cui præest domnus Odilo venerandus abba, ecclesiam sitam in pago Lugdunensi, quæ est constructa in honore sanctæ Dei-genitricis Mariæ & sanctæ Maximæ, in villa, quæ vocatur Taluzatis, & quicquid ad ipsam ecclesiam aspicit, vel aspicere videtur, totum ad integrum eis concedo.* Ad hæc eadem Blismodis donat eis in ipsa villa mansum indominicatum, atque etiam vineam, & medietatem de silvis, quæ ad ipsam villam aspiciunt; item post suum obitum mansum, vocabulo Trucium; denique ipsam villam Taluzatem post suum ipsius obitum, *& senioris* seu mariti sui Albuini, filiique sui cognominis, & alia nonnulla, quæ latius exprimuntur in ipsis litteris in Appendice referendis. Hanc vero donationem facit, tum pro remedio animæ suæ & parentum suorum, tum *pro animabus Adalardi, & Haectoris, & Gotiscalci pontificum*, Aniciensis scilicet ecclesiæ; pro anima quoque senioris sui Albuini, & filii sui Albuini & aliorum. *Actum Taluzatis villa publice.* & post signa subscribentium: *Data mense Marcio, regnante Rodulfo rege anno sexto. Ego frater Ebrardus levita indignus scripsi.* His litteris apponuntur signa Blismodis nobilissimæ feminæ, Albuini ejus mariti, & Albuini ejus filii, atque aliorum. Forte alia est Blismodis nobilis matrona, cujus filius Wigo vicecomes donationes quarumdam rerum in comitatu Lugdunensi & Matisconensi fecit Cluniaco pro anima patris sui Berardi & matris suæ Blismodæ, ac fratris sui Wichardi, regnante Rodulfo Conradi filio. Alia fuit Blismodis abbatissa, Odilonis abbatis soror, laudata in litteris pro constructione Voltæ monasterii: quippe quæ virginitate prædita fuisse dicitur a Josaldo initio vitæ ipsius sancti Odilonis. In ecclesia Taluzatensi hactenus colitur sancta Maxima VII. kal. Junii.

Saviniaco facta donatio.

Eodem anno, scilicet sexto Rodulfi regis, quidam Otgerius sacerdos aliquid ex rebus suis in agro Gosiacensi donat Saviniacensi monasterio, sito in pago itidem Lugdunensi. *Data per manum Gerberni monachi, mense Novembri, feria tertia., quando congregatio clericorum & laicorum, sive nobilium feminarum & matronarum sub appellatione fraternitatis in domo ipsius Otgerii coadunata epulabatur, anno sexto regni Rodulfi, filii Konradi.*

C III. S. Mayoli cella Papiæ.

Eodem tempore Otto [d] imperator, *ob petitionem domni Odili venerabilis abbatis*, & salutem animæ suæ, præcepto suo confirmat cuidam cellæ sanctæ Mariæ in urbe Papia sitæ, & ad Cluniacum monasterium donatione Gaidulfi, ejusque heredum

d *Bibl. Clun. p. 409.*

ANN. CHR. 999.

» pertinenti, quæ quondam Capella-Gaidulfi, tunc Cella sancti Mayoli vulgo dice-
» batur, res omnes ad eamdem cellam ubilibet pertinentes, ea conditione, ut hæc
» cella semper in ordinatione & dispositione Cluniacensis abbatis, sicut Gaidulfus
» ordinavit, permaneat. Actum Romæ idibus Aprilis hoc ipso anno, Ottonis impe-
» rii tertio.

S. Bobonis monasterium. * *Voghera.* a *V. Bolland. ad 22. Maii.*

Exstat Papiam inter & Dertonam haud ignobile opidum, Viqueria * vocabulo, sancti Bobonis seu Bovonis confessoris cultu illustratum, cujus corpus ibidem in collegiata sancti Laurentii ecclesia quiescit. Ejus obitus [a] contigit sub annum DCCCC LXXXVI. ad cujus honorem conditum fuit, incertum quo tempore & auctore, nostri Ordinis monasterium prope viam, quæ Magistra dicitur, in capite suburbii sancti Petri. Ejus loci abbas erat anno DCCCC LXX. Bernardus de Baldizonibus, quo præsente sancti Bobonis corpus in digniorem locum translatum est. Jam exstinctum est illud monasterium, cujus ecclesia Capuccinis cessit.

CIV. Episcopo facto monacho, ordinationes an licitæ.

Cum ad Cluniacense monasterium episcopi non pauci, abdicata dignitate, monasticæ vitæ profitendæ causa se reciperent; contigit, ut unus ex illis, coëpiscoporum & abbatis sui consensu, quibusdam clericis ordines ecclesiasticos conferret. Hinc dubitatio nonnullis suborta, validæ-ne essent illæ ordinationes; videnturque ab aliquibus improbatæ episcopis, qui ordinatos illos deposuerint; hique nihilo secius, ad altiores gradus conscenderant. De his consulendus visus est Silvester secundus, litteris ad eum ab Odilone abbate scriptis, delatisque per Gerbaldum monachum, eum, ut puto, qui postmodum abbas sanctæ Christinæ monasterii apud Olonnam in agro Mediolanensi factus est. Ad has vero litteras pontifex respondit in hunc modum.

Silvester episcopus servus servorum Dei, Odiloni dilecto filio & abbati præclaro, atque universæ congregationi sibi commissæ, caram salutem & apostolicam benedictionem. Vestris nos sanctissimis omni tempore committimus orationibus, & ut accipere dignemini, fidelibus exoramus petitionibus, quia in quocumque noster valuerit status, nullo modo vester defectum sentiet profectus. Ad hæc igitur, quæ nostræ auctoritati per Gerbaldum vestrum monachum discutienda præsentastis, APOSTOLICA AUCTORITATE, ET CONFRATRUM EPISCOPORUM CONSILIO, *tali vobis respondemus judicio. Cognoscimus enim illum episcopum catholice fuisse ordinatum, & rationabiliter episcopale accepisse officium: sed, postquam divino amore ductus, honoribus & officiis renuntiavit sæcularibus, non sibi licuit eadem exercere negotia, quæ prius fecerat in communi vita. Unde, quia quod fecit, non temere nec contra catholicam auctoritatem præsumsit, sed obedienter & simpliciter coëpiscoporum licentia & sui abbatis exercuit; & quia bona intentio non est contraria Deo: volumus & judicamus, ut quoscumque ille ad aliquem gradum ecclesiasticum promovendos duxit, & benedixit; benedicti sint, & proprio fungantur gradu nostra licentia & benedictione. Qui vero superbe & præsumtuose in eodem gradu, in quo eos ordinavit, noluerint persistere; ab illo suspendantur gradu, quem post * suam depositionem acceperint: sed illo fruantur licenter, quem habebant: & ipse jam dictus episcopus posthac similia non præsumat. Valete.*

* *al.* pro sua.

Cur vero episcopus, qui, dignitati episcopali nuntio remisso, monasticam vitam amplexus fuerat, ad functiones episcopales denuo redire non posset; id in causa est, quod votum relinquendi episcopatus, quem ille ediderat, etiam votum includat abdicandi episcopalia munia, inter quæ principem locum obtinet ordinum sacrorum collatio. Alia fuit sententia Benedicti [b] VIII. erga Benignum, ex episcopo factum monachum in Divionensi sancti Benigni monasterio sub Willelmo abbate, ad quem scribens pontifex, non modo eum hortatur, ut prædicti Benigni episcopi monachi sui auctoritate utatur ad reprimendos censuris ecclesiasticis possessionum suarum invasores: verum etiam dat illi *potestatem ordinandi, quidquid juste postulatus fuerit in sancta ecclesia ordinare, verumtamen abbate jubente.* Eadem fuit sententia Petri Venerabilis [c] in quadam epistola ad Innocentium II. de Hugone archiepiscopo Turonensi, qui, cum ingravescente morbo habitum monasticum in monasterio Caritatis diœcesis Autisiodorensis ad Ligerim pro more illorum temporum induisset, postea, recuperata valetudine, ad ecclesiam suam reverti nolebat, nisi potestate sibi a summo pontifice facta. Verum, cum ejus reditum urgerent Turonenses, ad eorum preces Petrus ad Innocentium scripsit in hæc verba. *Supplico quasi pro reo, cui aliquid indulgendum sit, cui commissum aliquod grave donandum sit. Sed, si ego*

b *V. lib. 53. n. 67.*

c *Petr. Ven. lib. 4. ep. 10.*

ANN. CHR. 999.

vos umquam agnovi, si dulcem affectum vestrum erga religionis professores, & maxime conservatores adverti, qui de bono melior, de clerico monachus; qui de communi schemate cleri ad Martini sui nigrum habitum conversus est, non indignus ejus, & maxime prius adepta pontificali sede, judicabitur. Redisset quidem, si magnos & sapientes viros audire voluisset, non deterior, sed jam melior factus, ad sedem propriam: sed sapienti humilitate exspectare inde maluit sententiam apostolicam. quam quidem re vera consecutus est.

Ceterum interdictum de repetendo post monasticam professionem episcopatu, quod Silvester, & post eum quidam alii opposuerunt; fundatum videtur in sola Photianæ pseudosynodi auctoritate, in qua id statutum fuit ad præcludendam Ignatio patriarchæ, quem Photius sede ejus expulerat, & in monasterium retruserat, in propriam sedem reditum, decreto edito, *ut quicumque de pontificali dignitate ad monachorum vitam & pœnitentiæ locum descenderit, nequaquam ulterius ad pontificatum resurgat.* quem locum, tamquam ex vero Constantinopolitano concilio, profert Innocentius III. ad prohibendam postulationem cujusdam canonici regularis sancti Fridiani ad sedem ecclesiæ Faventinæ, hac adducta ratione, quod is ex episcopo ad regularem [a] vitam se transtulisset. Hæc paullo fusius persequi quoddam operæ pretium visum est. Intermissam rerum hoc anno gestarum seriem resumo.

a *V. lib. 1. decretal. tit. 9. c. 11.*

CV. Burgulii res auctæ.

Duas invenio chartas hoc anno datas pro monasterio Burgulienſi, quarum authentica vidimus. Prima est, qua Corbo quidam, *nobilissimus*, ut se ipse dicit, *miles*, ex rebus *sui beneficii, quod ex ducamine* tenebat, quædam prædia in pago Turonico, in vicaria Cainoënsi, ex curte Larnienſi, sub annuo censu sex solidorum, in festo sancti Mauricii x. kalendas Octobris persolvendorum, Burgulienſi monasterio concedit, uti ipsum rogaverat *venerabilis abba Gauzbertus cœnobii martyris Juliani, una cum caterva sibi commissa Burgulienſis loci.* Actum xv. kalend. Februarii, anno incarnationis DCCCC XCVIIII. anno XI. regnante Rotberto rege. Post Corbonem apponuntur signa Aldesendis uxoris ipsius, Corbonis filii ejus, Arduini filii ejus, & aliorum. Altera charta est Willelmi Aquitanorum ducis, qui una cum conjuge sua Emma & filio suo Willelmo ecclesiam sancti Christophori, aliaque confert Burgulienſi monasterio. *Data mense Septembrio Pictavis civitate, anno dominicæ incarnationis* DCCCC XCVIIII. *indictione* XII. *regnante Rotberto rege theosopho anno* V. ut in authentico legitur, non *primo*, ut perperam legendum conjecit Besslius, qui hoc [b] instrumentum vulgavit. Quamquam necdum quintus Rotberti regis a morte patris censeri potest, sed tantum tertius secundum nostrum calculum. at ita scripsit non satis accurate Gosbertus monachus & humilis levita, qui hanc chartam exaravit, nomenque suum græcis litteris apposuit. Huic instrumento subscribunt post Willelmum Willelmus filius ejus, Emma comitissa, Gislebertus præsul, Isembertus & Manasses fratres ipsius; Boso vicecomes, Bertramnus miles, & alii. His adjungenda est alia charta ejusdem Willelmi ducis, qui una cum uxore sua Emma & filio Willelmo transfundit ad monasterium sancti Petri Burgulienſis cœnobii, in speciales usus monachorum ibidem degentium, curtim indominicatam, nomine Fonsciacum, cum ecclesia in honorem sancti Hilarii constructa: pro cujus rei firmitate a « *domno abbate Gozberto, pastore & provisore ejusdem loci*, in argento mille quingentos « solidos accepit. Hæc charta destituta est chronicis notis. «

b *Besly comtes de Poitou, pag. 268.*

CVI. Sewinus Senonum archiepiscopus obiit.

Sub finem hujus anni, scilicet XIV. kalend. Novembris, obiit Sewinus Senonum archiepiscopus, qui suburbanum sancti Petri monasterium instauravit, ibidemque regularem normam per Rainaldum abbatem restituit; decrevitque, ut abbas [c] ejus loci in synodis post archiepiscopum primus sederet. Idem alterum sancti Petri cœnobium in urbe Miliduno a fundamentis erexerat, cui Walterium abbatem præfecerat. Sepultus est in Senonensi illo sancti Petri monasterio, cui multa ornamenta contulerat.

c *Spicil. to. 2. p. 376.*

CVII. S. Laurentii de Carbonario monasterium instauratur.

Apud Astures in Hispania Veremundus rex monasterium sancti Laurentii de Carbonario, quod avi ejus Gundisalvus comes & Tarasia ejus conjux olim construxerant, hoc anno instauravit, illudque *Ascanio presbytero, & Transuario confessori* seu monacho assignavit. Situm est hoc monasterium in territorio [d] Deza, prope fluvium Uliam, loco Algali, dicto Carbonario. quod monasterium primi illi conditores eo animo instituerant, *ut esset ibi habitatio confessorum* (sic monachos olim

d *Yepes. script. 7. Hisp. Gall. 4.*

ANN. CHR. 999.

Hiſpani appellabant) *advenientium hoſpitium, atque pauperum refrigerium* Et re vera quidem tempore fundatorum locus iſte a viris ſanctis inhabitatus fuit: at poſt eorum mortem duo ex eorum genere nati, *litteris eruditi, in confeſſione* ſeu vita monaſtica *nutriti*, & *confeſſionis gradum adepti*, nempe Arias Pelagius, ad gradum epiſcopatus evectus; alter Adefonſus Bermudez, contentionem de ipſo monaſterio inter ſe ſe habuerunt, ſicque illius ſubſtantiam omnino diſtraxerunt ac diſſiparunt. Cui infortunio condolens pius rex Veremundus, ipſum monaſterium inſtauravit, illudque commiſit prædictis Aſcanio * preſbytero, & Traſuario confeſſori, *ut facerent ibidem confeſſionem in vita ſancta, quod in oculis Domini rectum & ſanctum eſt, die noctuque fideliter agentes*; & ut poſt eos obtinerent illud ſancti homines & eximii confeſſores. Actum *ipſis nonis Januarii, æra tunc diſcurrente poſt milleſimam inchoante ſeptima, poſt jam peracta triceſima.* Subſcribunt cum Veremundo rege & Pelagio ejus filio multi epiſcopi, Armentarius Dumienſis, Pelagius Lucenſis, Petrus Yrienſis, Froilanus Legionenſis, & Vihulfus Tudenſis. Poſt quos Manſianus abbas Cellæ-novæ, cui hoc monaſterium attributum eſt; Monachi Obetenſes ſeu Ovetenſes, comites Aſturienſes & Foramontani, ſeu Caſtellanenſes; & in fine *monachi palatii, Scemenus presbyter & primiclerus*, & alii tres preſbyteri monachi, qui in oratorio principis ſacra faciebant. Hoc monaſterium unitum eſt Compoſtellanæ abbatiæ ſancti Martini, ſupereſtque hactenus inſignis ejus baſilica antiqui operis in parva inſula ad montis radices ſita, tres naves habens in circuitu chori cum eccleſia ſubterranea.

* *al.* Aſcario.

ANN. CHR. 1000. CVIII. Leotericus Sewino ſuccedit. a *ibid. p.* 737.

ANno milleſimo ineunte, non unanimi totius cleri & populi conſenſu archiepiſcopus acclamatus eſt Leotericus ipſius eccleſiæ archidiaconus, cujus electioni obſtiterunt nonnulli clerici, qui eamdem dignitatem ambiebant. Quapropter ille Romam adiit ad Gerbertum ſeu Silveſtrum papam, cujus in Remenſibus ſcholis diſcipulus fuerat; atque ab eo gratanter acceptus, totius Galliæ primatu [a] donatus fuiſſe a Clario dicitur. Roma reverſum clerus & populus honorifice exceperunt: at volentes eum throno pontificali imponere, prohibuit Frotmundus comes, qui filium ſuum Brunonem clericum promovere moliebatur. Unde Leotericus iterum adiit papam, qui, ſcriptis ad ſuffraganeos Senonenſis eccleſiæ epiſcopos litteris, præcepit, ut eum ordinarent. qui juſſis obtemperantes, Leotericum in monaſterio ſanctæ Faræ conſecraverunt. Is etiam ſe valde munificum exhibuit in ſancti Petri monaſterium. at ſanctæ Mariæ abbatiam, quæ erat extra muros, Frotmundo comiti in beneficium dedit pro filio ſuo Rainaldo clerico, poſt mortem Grimerii abbatis ipſius eccleſiæ, & ſancti Stephani archiclavi. Poſtea eam dedit Leoterico præcentori, qui eam inſtaurare cœpit opera Bernardi preſbyteri, & ſex clericos in ea poſuit.

CIX. Proceſſiones Reſbacenſes & Jotrenſes.

Paſchali tempore viſa in Francia prodigia, & igneæ acies in aëre mortalium animis metum incutientes. quæ malorum prænuntia ut averteret Ragenardus ſeu Rainardus abbas tunc Reſbacenſis, cum Ermengarde Jotrenſi abbatiſſa conſtituit, proceſſiones utriuſque monaſterii condicta die ad locum intermedium, qui Crux ſancti Agili ex eo tempore dictus eſt, convenirent, preceſque ad imminentes caſus amoliendos Deo funderent. quod factum eſt, infinita populorum turba proſequente, delatis utrimque Sanctorum reliquiis, in his ſancti Agili abbatis primi Reſbacenſis, quas cum Rogerus Jotrenſis præpoſitus portare vellet, eas numquam loco movere potuit, donec ablatas ſancto Agilo apud Ventulium manſiones reſtituiſſet. Ragenardo abbati videtur ſucceſſiſſe Solio abbas, laudatus in libro primo de miraculis ſancti Agili, quo ex libro hæc accepimus. De his alias.

CX. Foſſato facta donatio.

Rotbertus rex Bertæ conjugi ad hoc uſque tempus adhæſiſſe videtur, uti ex libro de vita Burchardi comitis intelligitur. quippe cum Ermenfredus quidam miles, aſſentiente Burchardo, villam Licias, quam de ejus beneficio tenebat, & prædium Aivreum ſuper Sequanam ſitum, utrumque in pago Corboilenſi, Foſſatenſi monaſterio & Teutoni abbati contuliſſet, regi ſupplicavit, ut hæc dona præcepti ſui auctoritate roboraret. Rex vero *ſuæ matris Adelaidis, uxoriſque Bertæ ſuggeſtionibus*, uti rogatus fuerat, rem peregit, *conſcripto teſtamento, ac monogrammate regis manu facto*, cui Franco tunc cancellarius, poſtea Pariſiorum epiſcopus, *imaginem regis impoſuit. Factum eſt autem hoc in prædicta urbe anno incarnationis Chriſti* M. *indictione* XII *. *anno vero regni inclyti regis Roberti XII.* Exſtat ejus rei præceptum in chartario

* *lege* XIII.

Foſſatenſi,

Foſſatenſi, idque conceſſum dicitur *ſuggerentibus ac intervenientibus dulciſſima genitrice noſtra*, inquit rex, *Adelaïde, atque conjuge noſtra Berta*. ut dubium non ſit, Bertam ad id temporis a Rotberto uxoris loco habitam fuiſſe. Rotberto rege, Pariſios acceſſiſſe traditur Berengarius Britannorum comes, *militare obſequium* regi *præbiturus*. quo comperto, monachi eccleſiæ ſanctorum Bartholomæi & Maglorii confeſſoris, cujus reliquias e Britannia in hanc urbem allatas fuiſſe ſuperius [a] diximus, regi ſupplicarunt, ut ſuo interventu ab eodem comite ipſis obtineret ſancti Maglorii eccleſiam, in pago Lehonienſi ſitam, pravorum infeſtationibus fere in ſolitudinem redactam, ubi ſancti Maglorii corpus olim quieverat. Regis petitioni & monachorum votis aſſenſum præbuit comes, ipſamque Lehonienſem eccleſiam, quæ in honorem apoſtolorum Petri & Pauli, atque ſancti Maglorii conſecrata fuerat, Pariſiacæ ſanctæ Maglorii eccleſiæ ac monaſterio cum ſuis appendicibus benigne conceſſit. Mox illuc miſſi ſunt monachi ſex a venerabili Harduino, qui tunc temporis Pariſienſi illi congregationi præerat abbas, ut prædictum Lehonienſe monaſterium in priſtinum ſtatum reſtituerent. quod monachi illi quam diligentiſſime exſecuti ſunt. Hactenus perſiſtit hæc Lehonienſis cella ſub congregatione ſancti Mauri.

ANN. CHR. 1000.

S. Maglorio data Lehonienſis cella.

a *lib.* 48. *n.* 85.

CXI. Emmonis libri ad Willelmum abbatem.

Hoc fere tempore Emmo quidam, libros tres *de qualitate cæleſtis patriæ*, ex opuſculis ſanctorum patrum compoſuit rogatu Willelmi abbatis, haud dubie Divionenſis, cui illos nuncupavit, præmiſſa cuilibet libro præfatione, ubi Willelmum maxime prædicat. Prima ſic habet: *Reverentiſſimo in Chriſto patri Willelmo Emmo ſempiternam in Domino ſalutem. Cum ſis unicum & ſanctiſſimum veræ humilitatis & compunctionis exemplum; & huic mundo crucifixus, tibique mundus ſit crucifixus: petiſti crebro, mi domine, reverentiſſime pater Willelme, ut prata ſanctarum ſcripturarum omni cum velocitate percurrerem, & ex his tibi floſculos perpetuos, ad animæ tuæ ſalutem profuturos, tam de amore cæleſtis patriæ, & quibus ad eam bonorum operum greſſibus perveniatur, quam etiam de timore & qualitate ſupplicii perquirerem: quatinus mortificationem carnalium deſideriorum, fonteſque lacrymarum, compunctionemque continuam, largiente bonorum omnium largitore, vivis excitatus admonituſque ſententiis habere poſſes aſſidue. Scimus & nos, qui crucifixam vitam tuam non incognitam habemus, quia, poſtquam e palatinis vinculis abſolutus es, & terrena omnia reliquiſti, & ad paupertatem Chriſti feliciter acceſſiſti; omnem vitam tuam huic mundo eſſe mortificatam, & a cunctis externis, interniſque vitiis expurgatam, necnon ab omnibus ſæcularibus curis, deſideriiſque carnalibus divino ab igne pleniter excoctam, & ſine aliqua intermiſſione, cum continuis gemitibus & lacrymis te ad patriam currere & feſtinare perpetuam. Igitur, beatiſſime pater, juſſioni tuæ inobediens exiſtere nec volui, omnino nec potui.* Subdit auctor ſe hoc opus in tres libellos diſtinxiſſe: quorum primus eſt *de qualitate cæleſtis patriæ: ſecundus, quibus ſanctis beata vita adquiratur operibus: tertius, de qualitate ſupplicii.* In præfatione libri ſecundi hæc inter alia de Willelmo habet. *Sufficit vita tua, ô beatiſſime Willelme, omnibus nobis ad exemplum, qui tali indigemus patrono. Provocant nos ad deſiderium cæleſtis patriæ ſanctiſſimi & continui gemitus tui, & beatiſſimæ lacrymæ tuæ, omneſque ſanctiſſimi actus tui.* Hæc fuſius retuli ad commendationem Willelmi noſtri, maxime quod hoc opus nec editum, nec forte umquam edendum ſit. Dubium eſt an Emmo iſte monachus fuerit. nam, etſi ſancti Benedicti regulam non ſemel laudat, obſtare videtur, quod in libri primi inſcriptione nec fratrem ſe, nec monachum dicit.

CXII. S. Montanæ tranſlatio Ferrarias.

b *ſupra n.* 42.

Inſtaurato Bethleemitico monaſterio, quod Ferrarias [b] vocant, venerabilis quidam ejus loci monachus, Aimonius nomine, fraterno more majorum ſuorum in ſancti Benedicti Floriacenſi monaſterio cum abbatis ſui permiſſu ſubinde verſabatur. Ea enim tunc temporis mutua inter utrumque monaſterium confœderatio erat, ut ſe ſe invicem idemtidem inviſerent. Forte accidit, ut prædictus frater diuturno febrium incommodo pulſatus, fama vulgante mira audiret de ſancta Montana virgine, cujus reliquiæ in vico pagi Bituricenſis, Domna-Martina dicto, aſſervabantur. Illuc voti cauſa profectus, cum morbi levamen ejus meritis omnino perſenſiſſet, de aſportandis ejuſdem Sanctæ reliquiis conſilium cepit. Quam ob rem a ſacerdote loci facultatem pernoctandi in eccleſia poſtulat, impetratque. Favente itaque noctis ſilentio, tumulum reſerat, reliquias ſacras extrahit, & nitida veſte involutas furtim defert in ſuum monaſterium, ubi hactenus caput ſanctæ Montanæ

ANN. CHR. 1000.

asservatur in scrinio argenteo, quod Ludovicus *de Blanchefort* abbas ante annos ducentos fieri curavit.

CXIII. Castrum de Salis a S. Benedicto protectum.

Aimoinus [a] hoc anno refert insignem victoriam meritis sancti Benedicti reportatam in obsidione castri de Salis, ubi cella jam tum erat monasterii Floriacensis, a Capite-cervio * illuc translata, cui Otherius præpositus erat. Situm illius castri, quod in Marchia Lemovicina positum est, ita describit Aimoinus. *Mons est non multæ altitudinis, in cujus declivio castrum constitutum est, quod quidem ab orientali australive parte difficilem ad se venientibus præstat accessum: ab aquilonali sane latere devexus montis machinamentorum omnium inhibet evectionem. at occidentem versus, ubi hostium facilis formidabatur progressus, domus erat lapidibus firmissime constructa, ad australem in longum porrecta, ad repellendos inimicos satis idonea.* Qua occasione, & a quibus hoc castrum oppugnatum fuerit, quove modo propugnatum, fuse describit Aimoïnus, quod hic commemorandum est. In urbe Lemovicina vicecomitis officio tunc fungebatur Wido, cujus filius Ademarus, juvenili ardore insolescens, ut paternam augeret hereditatem, quæ numerosæ fratrum suorum stirpi haud sufficere videbatur, in res alienas animum intendit. Primum aggreditur invaditque castrum seu opidum, quod a rusticanis Bruccia vocatur, cujus media pars patri suo competebat, altera Hugoni, viro haud mediocris illis in partibus auctoritatis. Illic obsessus a Willelmo Pictavensi & Bosone Petragoricensi comitibus, eos obsidionem solvere coëgit. Hoc elatus successu, municipium de Salis, quatuor millibus & dimidio inde distans, occupare pergit. Feria sexta secundæ hebdomadis quadragesimæ erat, cum hæc latrunculorum factio prædictum cœnobium occupavit. Hoc accepto infortunio, Otherius monachus, cui a venerabili Abbone Floriacensi abbate locus iste commissus fuerat, prædictum Hugonem ad expugnandum Ademarum facile sollicitat, accedente præsertim viso sancti Benedicti, cælestem opem pollicentis. Hugo itaque, adjunctis sibi Gualdo Cluensis castri domino, & Gausfredo viro strenuo, cui, ob fortitudinem corporis, Asini cognomen erat, aliique, vino *in amore patris Benedicti* prius epoto, cum ducentis armis prædones aggrediuntur, igne injecto castrum expugnant. Multi adversariorum cæsi, Ademarus ipse captus, cumque eo quinque commanipulares, Hugo videlicet atque Archembaldus de Buciaco, Rainardus & Aimericus ejus frater, filii Hildegarii, haud ignobilis viri Argentomagensis, atque Giraldus Tirinensis. Sic Hugo, resumtis animis, abreptum sibi Bruccïæ castrum obsidet, redigitque in suam potestatem, dedito sibi Giraldo quodam, Hugonis fautore, qui illud tenebat. Idem Aimoïnus ibidem laudat duos Salensis cellæ monachos, Aannonem sacerdotem & Remigium diaconum, qui Remigius forte is fuerit, qui Bernardum Bellilocensem abbatem in itinere Romano comitatus est. His porro addit aliam victoriam, quam Hildebertus Bosonis filius retulit adversus Guillelmum comitem Pictavorum, opitulante Hugone Gargelensi, qui obtentis a prædicto Salensis cellæ præposito Otherio duobus panibus milites refecit, atque hoc pacto illæsos in acie præstitit. Nunc cella de Salis vulgo sancti Benedicti de Saltu * appellatur.

a *Aimoin. li. 2. de mirac. S. Bened. c. 5. & 6.*

* *Sacerge.*

* *S. Benoist du Sault.*

CXIV. Gauzbertus abbas Romam adit.

Hoc ipso tempore Gauzbertus abbas S. Juliani Turonensis cœnobii, Burgulienſis & aliorum, Romam profectus est cum æquivoco suo Gauzberto juniore, futuroque successore, ad Silvestrum papam, a quo privilegium de omnibus rebus sancti Juliani obtinuit, *quod hactenus in archivis nostræ ecclesiæ*, inquit chronographus, *de papyro*, seu charta Ægyptiaca, *factum servatur.* Hic abbas inter alia monasterium sancti Petri Cenomannense fundasse dicitur, id est restituisse, quod jam pridem a Bertichramno episcopo conditum fuerat, ut superius [b] jam diximus. Primus a restitutione abbas fuisse videtur Ingelbaldus seu Ingelbaudus, eductus, ut veri simile est, e monasterio sancti Juliani aut Burgulienſi, quibus Gauzbertus sancti Petri instaurator præerat. Ingelbaudus vero ipse monachos instituit in Tuffiacensi monasterio, eisque Hermentum e suis præficiendum curavit, ut inferius dicturi sumus. Instauratore sancti Petri monasterio Avesgaudus Cenomannensis præsul, archidiaconorum suorum consilio & assensu, *monachis sancti Petri ad Culturam cedit suorum relevationes & compensationes altarium*, scilicet sancti Petri de Solemiis, sancti Vincentii » de Voloniaco, & aliorum, eo pacto, ut quotannis in festo sancti Juliani ecclesiæ » cathedralis patroni, VI. kalend. Februarii, ad ejus ecclesiam cum sua processione » conveniant, atque ibidem *de vigiliis unam*, (aliæ quippe ecclesiæ suas itidem vi-

S. Petri de Cultura, & S. Vincentii status.

b *lib. 7. n. 35.*

gilias ibi celebrabant) missarumque sollemnia festive celebrent: die autem festo sanctorum Gervasii & Protasii, XIII. kal. Julii, non omnes cum sua processione, neque ad nocturnale officium; sed *pars eorum sublimior* ad missæ tantum principalis sollemnia devote celebranda conveniant. præter ea, mortuo quolibet canonico, idem orationum & eleemosynarum pensum pro eo uti pro monacho, persolvere studeant. *Firmatum est hoc testamentum Cenomanis* XIII. *kal. Julii, luna* XXII. *regnante Rotberto rege.* « « « « « « «

ANN. CHR. 1000.

Idem Avesgaudus hoc anno millesimo novam sancti Vincentii ecclesiam dedicavit. Hanc a tempestate Nortmannorum canonici sæculares duodecim occupaverant: at Segenfridus episcopus, distractis in spurium filium possessionibus, ejectisque canonicis, unicum illic presbyterum reliquerat. Locum instaurare aggressus Avesgaudus ejus nepos ac successor, ab ecclesia rem inchoavit: at Gervasius, qui ei successit, monachos ibidem restituit.

CXV. Burchardus archiepiscopus & Geraldus comes Saviniaco quædam donant.

Brochardus seu Burchardus Lugdunensis præsul, venerabilium ecclesiæ suæ fratrum *adstante caterva*, Hugoni Saviniacensi abbati petenti cedit montem Ledaïcum, situm in pago Lugdunensi, agroque Tarnatensi, in finibus villæ, quæ Conziacus vocatur, utpote triticeæ utilem sationi. *Data* [a] *Lugduni publice per manum Walterii monachi, mense Martio, feria sexta, anno* VII. *regni Rodulfi regis.* Villa Conziacus * in Foresio sita est, & juxta eam mons Legniacus, in quo positum est puellare cœnobium Legniacense * ad Lignonem fluviolum, juxta Bovinum, quod cœnobium Saviniacensi abbatiæ subjectum est. Mons Ledaïcus forsan idem sit atque Legniacus, hæcque donatio condendo Legniacensi parthenoni occasionem dederit. Eodem fere tempore Ademarus [b] abbas sancti Justi montem Algaudium Saviniacensibus largitus est. Hugone item abbate Artaldus [c] comes, Geraldi quondam nobilis viri, & Gimbergiæ filius, pænitentia ductus, quod Saviniacensi monasterio multa damna intulisset, sacerdotum ac ministrorum Dei consilio ejus loci monachis facturus satis, prædia quædam eis ex sua hereditate donat in villa Toriniaco pagi Lugdunensis in agro Cogniacensi, aliisque in locis, *pro emendatione mali facti, & pro absolutione omnium peccatorum suorum:* cui donationi uxor ejus Theodebergia, aliis Tetbergia, cum aliis subscribit, *regnante Conrado rege.*

a *de la Mure, p.* 382.

* *Cozan.*

* *Legneux les Bovin.*

b *ibid.*

c *Bibl. Sebus. p.* 85.

CXVI. Galterii abbatis statutum contra fures.

Viennæ in monasterio sancti Andreæ, quod Inferius dicitur, defuncto Aimoino seu Haimoino [d] abbati suffectus est Galterius: qui statim a sua electione furandi licentiam in monachis suis repressurus, statutum edidit, quod hic referendum videtur ex Spicilegii tomo XIII.

d *V. lib. 36. n. 92. & li. 50.*

Anno dominicæ incarnationis millesimo, constitutio constituitur in monasterio sancti Andreæ, infra * *mœnia Viennæ urbis posito, corroboratione laudationis cunctorum monachorum inibi manentium, sub præsentia Galterii monachi in prælatione abbatiæ electi: ut quicumque cœnobita deinceps sacrilegium facere ausus fuerit, subripiendo de refectorio scyphum, aut cultellum, aut mantile, aut quodlibet utensile refectorii, ultimus maneat ubique, velut fur & sacrilegus, donec sacrilegium emendetur; & insuper talis satisfactio fiat, ut ceteri metum habeant. Similiter quicumque de dormitorio aut leenam, aut sagum, aut capitale, vel quamlibet supellectilem, sine licentia regulari subripuerit; in omni loco careat consortio fratrum, velut fur & sacrilegus, donec sacrilegium restauretur; & præcipue talis fiat satisfactio, ut ceteri metum habeant. Si vero hæc constitutio profanata fuerit, adhibeatur episcopus & conventus virorum boni testimonii, ut audacia stultorum confringatur, & domus Dei ad obsequium sacræ regulæ reformetur.*

* 1. *infra.*

Justa sane & pia constitutio ad coërcendam monachorum licentiam, qui eo prætextu, quod omnia bona monasterii monachis communia sunt, quidvis subripiendi, & in privatos usus convertendi potestatem singulis pro arbitrio datam falso arbitrantur. quasi id non sit grave proprietatis crimen voto paupertatis omnino oppositum. Confer canonem XV. concilii Wormatiensis superius [d] relatum.

a *lib. 36. n. 92.*

CXVII. Monti-Majori facta donatio Pertusi.

Riculfo episcopo & abbati Majoris-monasterii jam successerat hoc anno Archinricus abbas, ut constat ex litteris, quibus Adalax seu Adelais comitissa Provinciæ, ipsiusque filius Willelmus, *& servus servorum Dei Archinricus abbas*, Amalricum Aquensem archiepiscopum obsecrarunt, ut donationem villæ Pertusi *, quam Boso comes monasterio Montis-majoris fecerat, ratam haberet. quorum postulationi Amalricus assensum præbuit. *Facta fuit hæc carta donationis in Avenione civitate*

* *Pertuis.*

ANN. CHR. 1000.

publice, anno incarnationis dominicæ M. *indictione* XIV. VII. *kal. Octobris. Data a domino præsule Amalrico in conspectu principum & canonicorum, & fidelium Christianorum Archinrico abbati de monasterio Montis-majoris, & monachis ibidem Domino famulantibus.* Indictio quarta-decima repetenda est hic a mense Septembri. Eadem Adalax comitissa cum filio Willelmo & filia sua Constantia eidem monasterio prædia quædam mense Augusto sequenti confert in valle Ollierta. Eadem quoque subscripsit anno M II. litteris, quibus Rotbaldus comes cum conjuge sua Ermengarde prædictam villæ Pertusi donationem confirmat; subscribit etiam Willelmus, haud dubie Adalaïdis comitissæ filius, quem Rotbaldus nepotem suum vocat: at non subscribit Constantia, quæ tum primum scilicet Rotberto regi nupta erat. Pertusi cella Monti-majori etiam nunc subjecta est.

CXVIII. S. Victoris monasterium instauratum. a *Labbe to. 1. Bibl. p. 339.*

Massiliense sancti Victoris monasterium, quod beatum Cassianum primarium habuit auctorem, hoc etiam anno instaurari [a] cœptum, agente in primis Guifredo seu Wifredo, qui prioris officium per annos quinque gessit, ac deinde abbatis per annos viginti. Parva primum, ut fit, initia sic brevi excreverunt, ut, cum quinque dumtaxat fratres, renascentis satores instituti habuisset, quinquaginta moriens reliquerit. Hic primo constitutus est præpositus a Garnerio abbate, ut docet nos charta quædam Willelmi vicecomitis, inferius referenda ex Guesnaïo, qui Garnerii abbatis antecessores Pontium, Adalardum, aliosque recenset, haud dubie sæculares, qui locum fere in solitudinem redactum occupaverant. Hujus loci instauratio potissimum tribuitur Willelmo Provinciæ comiti, & Honorato Massilienſi episcopo, fratrique ejus Willelmo vicecomiti, necnon Pontio ejus filio, prædicti Honorati episcopi nepoti ac successori, per quos factum est, ut monasterium sancti Victoris, *olim præcipuum ac famosissimum*, resurgere cœperit. Extat in archivo illius monasterii instrumentum, quo *Pontius præsul civitatis Massilienſis, ejusque genitor Willelmus, ejusdem civitatis vicecomes*, quod diu optaverant *impleri cernentes*, videlicet ut quandocumque in sancti Victoris monasterio, quod suæ adjacet civitati, *monachos aggregatos* viderent, qui eidem sancto martyri ac sociis ejus, *aliisque quam plurimis Sanctis, qui in eodem loco tumulati esse noscuntur*, deservirent; faciunt donationem mediæ partis possessionis suæ, quam in villa Almes habebant. Actum mense Decembri anno M I. regnante Rodulfo rege Alamannorum seu Provinciæ.

CXIX. Odbertus abbas Sithienſis.

In Sithienſi monasterio post Trudgrandum, cujus præfectura nulla re insignis fuit, locum rexit Odbertus abbas tricesimus-quartus. Ejus tempore incendium in monasterio restinctum est meritis sancti Bertini & sancti Vincentii martyris, cujus cultus ibidem nuper excitatus fuerat. Id in sancti Gregorii festivitate, quæ quadragesimali tempore servatur, contigisse vetus auctor tradit in libro II. de miraculis sancti Bertini, ubi laudatur Rambertus monachus, cui sanctus Vincentius restincti incendii gratiam sibi deberi testatus est. Ibidem agitur de controversia nata occasione villæ Calvimontis prope Noviomum sitæ, quam colonus quidam Bertinianis auferre moliebatur. Hæc controversia eo usque processit, ut non nisi duello finiri potuerit. Pugiles fuere colonus ille *& ministerialis* seu villicus, quem abbas illic constituerat. Itaque *vades* utrimque *dantur: duellum firmatur: dies statuitur.* Duello lis finita. Villicus Odbertum abbatem adit, oratque, ut vel ipse duello adsit, vel sui loco aliquos boni testimonii viros eo mittat. Spondet abbas se adfuturum. Tum, petita benedictione, precibusque postulatis; ad locum redit. Die condicto, *post celebratam a presbytero missam, devote finita prece, eucharistia digne percepta*, cum abbas frustra exspectatus esset, villicus duarum columbarum visione recreatus, quibus futuram sibi victoriam portendi putavit, e saxo, in quo sedebat, *ilico surrexit, & horrendum tonans, clypeo fulminans, cum baculo in hostem venit.* Tandem crebris ictibus solo prosternitur invasor; seque victum esse, & injuste villam invasisse confitetur. Igitur e manibus victoris vix ereptus, domum deportatur, & post triduum mortuus est.

CXX. Ottonis pœnitentia & varia gesta.

Accepta morte genitricis & aviæ suæ Otto imperator admodum mœstus, ex Italia in Germaniam revertitur. Revertenti occurrunt Franciæ & Sueviæ optimates, insuper germanæ ipsius, Adeleida & Sophia, sanctimoniales Quindelinburgenses, cum Saxoniæ & Turingiæ principibus, qui eum summa congratulatione excipiunt. Auditis vero miraculis, quæ per sanctum Adalbertum martyrem & episcopum Gnesnæ in Polonia fiebant, Otto orationis causa eo proficisci statuit. Accedenti dux Poloniæ

Boleslaus occurrit, & ad urbem Gnesnam summo cum honore deduxit. Urbem eminus prospiciens imperator, nudis pedibus eo advenit: ubi ab episcopo Ungero, martyris fratre, in ecclesiam perductus est, quam in metropolim erexit. Inde Magdeburgum revertit, dein Quindelinburgum, ubi cænam Domini & subsequentes paschales dies ob amorem sororis suæ Adelaïdæ abbatissæ celebravit. Post hæc Aquisgranum, sorore sua Adelaida comitante, pervenit, ibique celebritatem pentecostes transegit. Illic dum moraretur, sepulcrum Caroli Magni reseravit *contra ecclesiasticam disciplinam*, ejusque corpus [a] necdum corruptum invenit in arcuata spelunca, non jacens, sed sedens in aurea cathedra, coronam ex auro & gemmis in capite habens, sceptrum in manu. Inde elatum, in dextra parte basilicæ pone altare sancti Johannis Baptistæ repositum fuit, crypta aurea super illud fabricata, testante Ademaro [b] monacho, ubi miraculis deinceps claruisse fertur. *Non tamen*, inquit ille, *sollemnitas de eo agitur, nisi communi more anniversarium defunctorum.* Solium ejus aureum Otto dono misit Boleslao Poloniæ regi pro brachio sancti Adalberti martyris, in cujus honorem mirificam Aquisgrani basilicam, ubi ancillarum Dei congregationem instituit; Romæ vero monasterium exstruxit, ut idem auctor tradit.

ANN. CHR. 1000.

Caroli Magni corporis detectio.

a *V. Chesn. & Ditmar. li. 4. p. 44.*

b *Labbe to. 1. p. 169.*

Inde Alpes iterum emensus Otto, Italiam repetit, in Germaniam non amplius reversurus. Papiam ubi advenit, bona & possessiones [c] suburbani sancti Salvatoris monasterii, quod avia ipsius Adelaida fundaverat, rogante domno Andrea venerabili abbate, pridie nonas Julii confirmavit. Inde Romam versus progressus, Romualdo hortante, & magnam ei religionem incutiente, quod Crescentium tyrannum contra fidem interpositam occidisset, Garganum montem, sancti Michaëlis cultu celebrem, nudis pedibus adit, lustrato obiter Casinate monasterio, ubi duas coronas argenteas sancto Benedicto donavit. Tantum valuit apud pium imperatorem unius viri sancti auctoritas, quod ne a privato quidem, quantumvis criminum labe infecto, nunc impetrari aut extorqueri posset. Gargano reversus imperator, per totam insequentem quadragesimam in Classensi beati Apollinaris monasterio cum paucis sibi adhærentibus mansit, jejuniis & psalmodiæ intentus, cilicio ad carnem sub purpura indutus, lecto insuper fulgentibus palliis strato in storea ex papyro confecta jacere solitus, fide Romualdo data, se quam primum, abjecta purpura, monasticum habitum susceperturum. Sed promissum differendo, ob vitæ brevitatem exsequi non potuit.

c *Bullar. Casin. p. 61.*

Romæ versabatur Otto kalendis Novembris, quo tempore ad preces Leonis episcopi Vercellensis, audita dilapidatione ecclesiæ sancti Eusebii ab antecessoribus suis facta, multa eidem ecclesiæ contulit; in his omnia prædia Ardoini marchionis, filii Dadonis, qui Petrum episcopum interfecerat; & quædam alia, quæ juste perdidit Ardicinus, filius Ardoini marchionis, *quia vocatus ad palatium papæ, ut legem faceret, noctu aufugit.* Eidem sancto Eusebio confirmat *monasterium de Luceio* seu Lucedio; postulatque a successoribus suis, ut *Ugonis episcopi omnia cambia frangant, qui pro adulterio sanctam Agatham cum servis & ancillis, & ipsas mortuorum sepulturas ab ecclesia alienavit: monasterium sancti Stephani annullavit, quia Caballiacam per cambium diabolicum ei abstulit. Luceium monasterium disperdidit, quia Alice ab eo alienavit.* Hæc desunt in fragmento hujus diplomatis apud Ughellum [d] relato. *Datum kal. Novembris anno dominicæ incarnationis* M. *indictione* XIV. &c. *Actum Romæ in palatio Montis.* ita in exemplo nostro, rectius quam apud Ughellum *in palatio monasterio.* De Lucedio monasterio in superioribus sæpius actum. Sancti Stephani Vercellense monasterium nunc est canonicorum regularium.

d *Ital. sac. to. 4. p. 1067.*

CXXI. Alawicus fit Argentorati episcopus.

In illo Italico itinere Ottonem comitatus est Wideroldus Argentoratensis episcopus, mortuusque, quem recentiores nonnulli a moribus consumtum, quod sanctæ Attalæ abbatissæ cultum abrogare voluerit, ejusque parthenonis, id est sancti Stephani, donaria usurpaverit, perperam fabulantur. Substitutus in ejus locum Ottonis jussu Alawicus Augiensis abbas, imperatori perquam acceptus. Augiam post eum rexit Werinharius abbas ad sex tantum annos.

CXXII. Thammi conversio.

Fidei ab Ottone violatæ conscius fuerat Thammus Teutonicus, imperatori perquam familiaris: quo ille ministro usus fuerat ad fallendum Crescentium, cui sub jurejurando securitatem nomine imperatoris promiserat. Hic Romualdi monitis, uti & imperator, tanto perjurii dolore affectus est, ut sæculi deserendi facultatem ab

ANN. CHR. 1000. Romualdi iter Casinum, aliaque facta.

Ottone petierit, quam ille alacri animo indulsit, utpote qui *monastico ordini valde benevolus, & nimia circa Dei famulos affectione devotus erat.* Ex eo tempore Thammus factus monachus Romualdo adhæsit, & cum eo in montem Casinum, comitante Bonifacio, furuto Prussorum apostolo & martyre, aliisque Teutonibus ab eodem conversis, profectus est: ubi graviter infirmatus Romualdus, cito divina misericordia convaluit. Huic erat equus egregius, quem ipsi Busclavi seu Boleslai Sclavonici regis filius, factus ab eo monachus, dono dederat. Hunc vir sanctus modestiæ studio permutavit asino, ut Christum propius imitaretur. Casino ad Pereum reversus cum illis Teutonibus Romualdus, singulis per singulas cellas distributis, tanto fervore solitariæ vitæ cum illis se addixit, ut eorum vita omnes in admirationem raperet. Quis enim non miratus fuisset homines, prius sericis & purpura indutos, multo famulitio stipatos, omni denique deliciarum genere affluentes, tunc *uno birro* contentos, inclusos, nudipedes & incultos, multa inedia maceratos? Omnes porro labori dabant operam, alii nendo, alii retibus vel ciliciis nectendis, alii cochlearibus conficiendis: at omnes Bonifacius vitæ severitate longe superabat.

CXXIII. Bonifacius Prussorum apostolus.

Hic Ottonis consanguineus, eique ita carus erat, ut non alio ab ipso vocaretur nomine, quam Anima-mea. Idem litteris humanioribus apprime eruditus, ac musicæ peritissimus, adeoque capellæ regiæ minister, cum aliquando ecclesiam antiqui martyris Bonifacii, quæ Romæ exstat, conspiceret, mox ejus exemplo animatus: *Et ego*, inquit, *itidem Bonifacius dictus, cur martyr etiam non sim?* Hinc monachus factus, ut se ad martyrium componeret, tanta corpus suum inedia contrivit, ut sæpe præter dominicos dies & feriam quintam, per hebdomadam nihil cibi perciperet. Nonnumquam etiam in urticas & vepres se projiciens, se ipsum volutabat. quod cum quidam frater hypocrisi tribueret, id unum respondisse fertur: Tui sint confessores, mei vero martyres. Post diuturnam vitæ solitariæ probationem Romam profectus, a summo pontifice *consecrationem archiepiscopatus* accepit. Baronius id ad Gregorii V. pontificatum refert: at serius id differendum videtur, siquidem Romualdi & Bonifacii e Casino reditus, & in Pereo commoratio non ante hoc tempus contigit, ut quidem ex iis, quæ mox diximus, satis superque colligitur. Ordinatus archiepiscopus vir sanctus, sancti Adalberti exemplo iter ad Prussos instituit: quo in itinere pedes ibat, & quidem nudis plantis, jugiter psallens, dimidio pane & aqua contentus in singulos dies: quibus poma, herbarumve radices diebus festis superaddebat. A sua ipsius ordinatione cum monastico officio canonicum quotidie persolvebat. Alpes emensurus, equo quidem vehi coactus est, sed nudis cruribus & plantis frigidissimæ illius regionis iter confecit. Ubi ad destinatam sibi provinciam pervenit, tanto animi ardore christianam fidem prædicare cœpit, ut nemini dubium esset, ipsum ad martyrium anhelare. Verum barbari, ne, sicut post beati Adalberti martyrium, coruscantibus miraculis, plurimi a Sclavonica gente conversi fuerant, ipsis quoque similiter eveniret; a cæde viri Dei manus diutius continuerunt, & moriendi avido ad tempus pepercerunt. Verum assidua ejus prædicatione ac miraculis exculta provincia, nihilo minus in christianam religionem, quam olim abjecerat, reflorescere cœpit, deditque demum uberrimam messem, cum ipsius Bonifacii sanguine irrigata fuit. Quidam vir eruditus opinatur, hunc Bonifacium non alium esse a Brunone Prussorum itidem dicto apostolo, qui Bonifacius quoque vocabatur. quod in consequentibus [a] expendemus.

a *lib. 53. n. 24.*

CXXIV. Romualdi quædam facta.

Dum Romualdus adhuc in Pereo remaneret, Otto imperator illic monasterium in honorem sancti Adalberti, eo suggerente, construxit, cui contigua Classensis cœnobii prædia contulit, aliis ex regio fisco in Firmensi agro Classensi refusis. Tum instituto ibidem abbati præcepit Romualdus, ut per totam hebdomadam in solitudine consisteret, diebus vero dominicis ad revisendos fratres rediret. Ille vero, servi Dei monitis insuper habitis, sæculari modo cœpit vivere, sicque a recto tramite aberrare. Hinc Romualdus se ibi nihil proficere animadvertens, Ottonem adit, & acceptæ promissionis exactor eum interpellavit, uti monachus fieret. at ille id se facturum recepit, ubi Romanos rebelles ad officium redegisset. quod tamen exsequi non potuit, ut postea videbimus.

CXXV. Ejus discipuli in Poloniam missi.

Romualdo in Pereo adhuc residente, Busclavus seu Boleslaus Poloniæ rex, nuntios ad Ottonem mittit, rogatque, sibi ut spirituales viros mittat, qui regni sui incolas christianæ fidei mysteriis imbuerent. Mox imperator ejusmodi viros huic missioni idoneos a Romualdo petit. Hic suis facultatem dat, si qui velint, eo proficiscendi. Ex his duo tantum ultro se ad eam missionem promtos obtulerunt, Johannes scilicet ac Benedictus. Illi ubi ad illam regionem pervenerunt, septem annos in solitudine permanserunt, Sclavonicam linguam comparaturi. Ubi eam calluere, per unum e suis a Romano antistite prædicandi facultatem petunt, & a Romualdo alios fratres sui operis subsidiarios. Non multo post Boleslaus regni sui coronam ex apostolica auctoritate accipere cupiens, eos obnixe rogat, ut cum muneribus ad pontificem pergant, coronam sibi ab apostolica sede reportaturi. Illi sibi in sacro ordine constitutis sæcularia tractare nefas esse responderunt; moxque ad cellam suam reversi sunt.

ANN. CHR. 1000.

Hujus legationis conscii quidam regis familiares, sed Dei servorum responsum ignorantes, copiosum auri pondus, quod papæ deferendum erat, secum eos ad cellulam detulisse opinati, noctu in eam irrumpere tentant. Horum consilio intellecto viri Dei, facta inter se confessione, ad mortem se præparant. Tum illi, irruptione facta, utrumque mactant cum duobus adolescentibus, quos rex ad eorum custodiam deputaverat. Verum, eversis omnibus, cum nihil auri invenissent, cellulæ ignem subjiciunt, ut crimen obtegant. at repulsa divinitus flamma nequidem cellulæ, nedum sacris martyrum corporibus, nocere valuit. Quin etiam ipsi parricidæ, fuga sibi consulere volentes, ex opaca illius loci silva pedem efferre nullo modo potuere. Ita districtis adhuc cruentisque mucronibus deprehensi, ferreis catenis constricti, ad sepulcra martyrum destinati sunt: ut vel ibi facinus expiaturi ad mortem usque perseverarent, vel, si martyribus ita videretur, catenis per eos absoluti demum liberarentur. quod quidem paullo post contigit. Hinc erecta super sanctorum tumulum basilica, in qua multa divinitus prodigia patrata fuere. Hæc cædes contigit principatu Heinrici, Ottonis successoris, qui Boleslai consilium non ignorans, undique vias observari jussit, ut nuntios ejus Romam mittendos interciperet. Sic monachus ille, quem sancti martyres Romam miserant, in manus Heinrici satellitum venit, captusque mox carceri mancipatus est: sed sanctorum martyrum meritis, quorum necem angelico monitu resciyit, sequenti nocte liberatus, præparatam sibi naviculam ad trajiciendum proximum flumen invenit. Hæc continua serie referre visum est, quod temporum accurata ratio non satis constet. Horum Sanctorum martyrium Cosmas Pragensis ad annum millesimum quartum refert.

CXXVI. Monachi duo resipiscunt.

Tunc temporis Parthenopoli in metropolitana sancti Mauricii ecclesia duo nostri ordinis monachi erant, qui monasticum habitum canonico mutaverant: unus Eppo dictus, alter Marquardus. Eppo ex suburbano sancti Johannis monasterio decanus factus canonicorum, cum jam senex paralysi subito percussus obmutuisset, postmodum utcumque convaluit, ac deserti propositi pœnitens, graviter se peccasse habitum monachicum relinquendo ingemuit, factumque emendare eum resumendo curavit. Non multo post mortuus sepultus est apud sanctum Johannem cum suis fratribus, cum quibus vivere debuisset. Marquardus ex monacho Helmenstadensis cœnobii, quod sanctus Liudgerus olim condiderat, factus itidem Magdeburgi canonicus, viso in somnis apud inferos, ni resipisceret, præparato sibi loco, pristinum habitum denuo induit, vovitque obedientiam, & non longe post in monasterio decessit. Hæc ex chronico Saxonico seu Magdeburgensi.

CXXVII. Stephani Hungariæ ducis legatio Romam.

Ad hunc annum revocatur legatio Stephani Hungariæ ducis ad Romanum pontificem, ut episcopatus illius gentis a duce recens erecti confirmarentur, & regium nomen duci tribueretur. Hoc munere functus est Astricus, sancti Martini Breunovensis abbas, tunc creatus Colocensis episcopus, mutato nomine Anastasius dictus, qui piissimi ducis res gestas ex ordine referens, a sede apostolica coronam regni petiit; dignum esse ducem eo honore probans, quippe qui divina fretus ope, non modo populos illos subjugasset, sed etiam multos infideles ad Christum convertisset. His mire exhilaratus pontifex, postulatis libenter annuit, regemque Stephanum dixit, cum ea prærogativa, ut ante eum crux, ceu apostolatus ejus insigne, gestaretur. Reverso Anastasio, Stephanus rex coronatus est; moxque edictum cum episcopis & regni primoribus promulgavit, quo & singulis vitiis congrua remedia parata erant, & ecclesiasticæ disciplinæ ordo sancitus. Inter ea Sebastianus, qui ex monacho sancti Martini Strigonensis archiepiscopus creatus fuerat, lumen oculo-

ANN. CHR. 1000.

rum amisit; sicque totius regni metropoli quadamtenus pastore orbata, verendum erat, ne gregis novelli fides periclitaretur. Quare Stephano regi visum est Anastasium in sedem Strigoniensem evehere. quod annuente Romano pontifice factum. Verum post annos tres, cum Sebastianus amissum lumen recuperasset, eidem sedem suam restituit Anastasius, & ad suam Colocensem ecclesiam se recepit. Pallii tamen usum & alia dignitatis archiepiscopalis insignia cum nomine ipso retinuit. Fallor si non est ille ipse Bonibertus archiepiscopus, cui Fulbertus, necdum episcopus Carnutensis, quintam epistolam scripsit, in qua magnas ei gratias agit, quod » se, licet immeritum atque ignotum, salutatione ac munere dignatus fuisset archi- » episcopus, & in fine precatur, *ut illam novam ac gloriosam adoptionis prolem summi* » *Regis, regem videlicet Stephanum*, cum suo, tum congregationum, quæ in Carnu- » tensi episcopatu erant, nomine salutaret.

CXXVIII. Monasterium Ravennæ ab eo exstructum.

Idem Stephanus rex, ut popularibus suis, ad Apostolorum limina voti causa profecturis, consuleret; monasterium sancti Petri, ad Vincula dictum, in agro Ravennate exstruxit, illudque a Gerardo Morisiensi episcopo, ac paullo post martyre, consecrari curavit, assignato annuo vectigali viginti-quinque marcarum puri argenti, quo non solum monachi ibidem ab ipso constituti, sed etiam peregrini Hungari alerentur. Id patet ex ejusdem regis diplomate apud Rubeum [a] relato, quod » Stephanus, jam Ungariæ rex, venerabilibus viris, abbatibus & conventui sancti » Petri ad Vincula, quod in territorio Ravennæ situm est, inscribit. Hoc in diploma- » te ait rex, se hoc monasterium cum consilio Gerardi venerabilis episcopi ecclesiæ » Morisanæ fidelis sui, una cum nobili viro Romano duce Ravennæ construi fecisse, » per prædictum Gerardum, ac auctoritate Romanæ ecclesiæ dedicari: ut in ipso » monasterio servire Deo possint monachi, & peregrinos Ungaros ac nuntios ipsius » regis tractare. Quam ob rem viginti-quinque marcas puri argenti de camera sua se » quotannis persolvendas assignare. Nulla diplomati apponitur chronica nota. Pro- cessu temporis datum fuit Camaldulensibus hoc monasterium, cujus modo sola rudera supersunt.

a *Hist. Rav. lib. 5. p. 260.*

CXXIX. Monachi laxius viventes, non mutandi, sed reformandi.

Per id tempus, sancti Pauli in Urbe monachis depravatis, Ottoni augusto [b] ab ipso Silvestro pontifice, aliisque zelum Dei præ se ferentibus, suggestum est, ut in eorum locum canonici substituerentur. Imperatori id animo agitanti sanctus Paulus in somnis apparuisse dicitur, ac monuisse, ut ne id faceret. Non enim expedire, cujusvis ecclesiastici ordinis, etsi depravati, immutari propositum; sed unumquemque in illo judicandum ordine, in quo Deo serviturum se devovit. Emendari proinde oportere prave viventium mores; non statum immutandum. His monitis flexus imperator, de emendatione monachorum cogitare cœpit: at mors ejus brevi subsecuta, pia ejus consilia frustravit. Hoc monasterium sanctus Odo Cluniacensis abbas olim reformaverat, & post eum monachi Gorzienses: at Cluniacenses ob frequentes Urbis motus inde discedere coacti, *Apostolorum cinerum sacra secum pignora detulerunt*, ut Hugo monachus in epistola ad Pontium Cluniacensem abbatem tradit, sicque Cluniacum propere pervenerunt. Non multo post a Casinatibus reformatum est sancti Pauli monasterium, cujus Leo abbas a Victore secundo, & a Leone Marsicano laudatur.

b *Glaber. lib. 1. c. 4.*

CXXX. Poppo lustratis sacris locis, fit monachus.

Tunc annum ætatis vicesimum circiter tertium agebat Poppo, nobilis Belga, in Listrogangii partibus ortus parentibus illustrissimis, Tizechino & Adalwina. Is patrem septima ab ortu septimana amisit in bello Hasbanensi, illo scilicet, ut quidem veri simile est, quod inter Arnulfum Flandriæ comitem & filios Ragineri Longicolli Hannoniæ comitis ante annos viginti-tres exarsit. Primis adolescentiæ annis militiam sectatus, non multo post eam abjecit, sicque vitam instituit, ut monachi specimen jam tum ederet. Hinc ejus animum incessit desiderium sacra Jerosolymorum loca lustrandi. quod iter, piis viris Rotberto & Lauso comitatus, non sine magno tum labore, tum discrimine, paganis vias infestantibus, confecit, paschalis ignis, qui quotannis sabbato sancto illis temporibus divinitus accendebatur, visione recreatus. Reversi in Galliam tres isti peregrini, diversum vitæ institutum arripuerunt. nam Rotbertus in cœnobio Waslogiensi seu Bellilocensi in Argona, quod tunc venerabilis Richardus abbas Virdunensis procurabat, monasticum habitum induit: Lausus, sub laïcali habitu monachum prætendens, Gandavum se recepit, ibidemque post mortem sepultus est in ecclesia sancti Johannis, quam ipse exstruxerat:

ANN. CHR. 1000.

xerat: Poppo vero, non multo post, aliam peregrinationem ad limina Apostolorum aggressus est cum Theoderico nobilissimo viro, sub quo olim militaverat. In reditu, cum ambo ad Remorum urbem perveniissent, divertissentque ad proximum sancti Theoderici cœnobium, Theodericus in gravem morbum incidit: ex quo, cum sancti Theoderici meritis convaluisset, primum qui sibi nasciturus esset, filium Deo vovit. quod quidem votum postea exsecutus est, eique Theoderici nomen imposuit in grati animi monumentum. quem annis maturum Poppo in Trevirensi sancti Maximini præfectura sibi successorem designavit. Vix in Flandriam reversus erat Poppo, cum in generum expetitur a Frumoldo quodam principe, Balduino comiti in primis familiari, qui tunc apud *Sithiu* morabatur. Cum illuc ad celebrandas nuptias Poppo noctu se conferret, luce cælitus emissa intellexit se ad aliud vitæ genus vocari. Nec mora, dimissis viæ sociis, projectis militaribus armis, ad notum sibi sancti Theoderici monasterium contendit. Illic tunc degebat religiosissimus vir, Eilbertus nomine, Gerardi Cameracensium episcopi carne germanus, eidem Popponi ex pristino hospitio jam probe notus & adamatus. Forte hic nescio quo pergens, psalterium obiter recitabat, atque ad hunc versum psalmi LXXIX. pervenerat: *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ*, &c. cum obvius Popponi factus, eoque agnito subintulit, *Et non discedimus a te, vivificabis nos.* quo veluti cælesti oraculo confirmatus Poppo, votum ei suum aperuit. quod cum Eilbertus abbati & fratribus retulisset, petenti abbas ingressum annuit, probatumque, ut regula docet, monastico habitu induit, & Eilberto litteris & regularibus institutis informandum commisit. Dehinc, Eilberto portæ custodiæ deputato, Popponi xenodochii cura imposita: quo in munere leprosum, suo ipsius coopertorio tectum, sanavisse traditur. Tunc temporis monasterium sancti Theoderici rexisse videtur Dominicus abbas, qui novam sancti Theoderici basilicam ædificasse traditur. Eilbertus ejus discipulus ad præfecturam Maricolensis cœnobii assumtus est.

CXXXI. « Sagunti monasterio fit « donatio.

In Hispania Froylanus Legionensis [a] episcopus donat Saguntensi monasterio sanctorum Facundi & Primitivi atque sancti Thyrsi, *sito in loco*, quem vocitant, *Domnos- sanctos juxta crimines* apostoli & evangelistæ*; quo in monasterio Vincentius abbas habitabat *cum magno collegio fratrum, & Scemena Deo vota*, habitans in domo sancti Johannis; donat, inquam, & facto testamento, voluntarie offert *censum de ecclesiis*, quæ sunt juxta fluvium Estulæ seu Histulæ, necnon *arcisterium*, quod vocitant sanctorum Petri & Pauli in loco prędicto Cremanes, cum omnibus rebus ad ipsum pertinentibus, aliasque ecclesias; testaturque se a domna Scemena *in offertione* accepisse lectum pallium, valens solidos centum, & duos frenos optimos, quibus se contentum esse dicit. Actum XVIII. kal. Octobris, æra M XXXVIII. Subscribunt post Froylanum episcopum Veremundus rex, Alvinus, Olavius, & Michaël abbates, aliique. Is est Froylanus episcopus, qui litteris [b] Veremundi regis pro monasterio sancti Laurentii de Carbonario subscripsit anno præcedente. Non diu superstes fuit Froylanus episcopus, vir sanctus, assumtus ex ordine monastico, cui Veserensis & Tabarensis monasteriorum origo tribuitur.

« a *Yepes. Scri. 24. Hist. 18. Gall.*

« b *supra n. 107.*

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI

SÆCULUM CHRISTI XI. ORD. VI.

LIBER QUINQUAGESIMUS-SECUNDUS.

Ab anno Christi 1001. *ad annum* 1007.

ANN. CHR. 1001. I. Ordinis in hoc sæculo status.

HACTENUS unum sancti Benedicti Ordinem exhibuimus, necdum in varias partes divisum, sed eodem habitu & eodem fere vivendi genere uniformem: at deinceps ab sæculo undecimo, quod modo ingredimur, eumdem in varias congregationes, veluti diversos in ordines, distinctum visuri sumus, diversis ritibus, diversoque habitu a se invicem disparatos. Alia quippe disciplina fuit, aliusque modus & habitus Camaldulensium, Romualdo auctore; alius Vallumbrosanorum sub Johanne Gualberto; alius Cartusiensium atque Grandimontensium, quorum institutores sanctissimi, Bruno & Stephanus, Benedictinæ regulæ non omnino addicti fuere; alius denique Cisterciensium, qui sub finem istius sæculi exorti sunt. Soli nigrum habitum retinuerunt cum antiquis monasteriis Cluniacenses, qui & ipsi demum quasi quemdam distinctum Ordinem constituerunt. His omnibus, tot veluti luminibus, resplenduit Ordo noster, ne dicam ecclesia: atque inde prodiere viri sanctitate & doctrina illustres quam plurimi, in decursu horum Annalium commemorandi: quorum alii ad summum pontificatum, alii ad alias ecclesiæ dignitates provecti fuere: alii contra hæreses, alii contra pravos sæculi mores dimicarunt: alii denique pro fide & religione sanguinem suum profundere non dubitarunt. Hinc nova in illorum gratiam condita fuere monasteria, non modo in occidente, sed etiam in oriente, ubi Ordo noster hoc sæculo propagari cœpit.

Otto S. Adalberti monasterium condit.

Unum imperator Otto in honorem sancti Adalberti episcopi Pragensis, recens martyrio affecti, hoc anno prope Ravennam condidit in Pereo insula, cujus fines Pado, Juveniaco, Fossa-augusta, Padoreno, & medio Gangreno circumscribuntur. Ipse Otto in eam insulam profectus, cœnobii locum juxta sancti Cassiani templum designavit, illudque Romualdo commisit: qui paullo post monachis illic collocatis sanctum vitæ institutum præscripsit, eisque unum e suis abbatem præfecit, dato ei mandato, ut se in solitudinem abderet tota hebdomada, ac die dominico rediret

ad cœnobium, monachos invisurus. quæ monita cum abbas parvi faceret, brevi in deteriora lapsus est, ut in superiori libro notavimus, ex Rubeo in historia Ravennate. Erat hoc anno in illa urbe Otto XI. kal. Maii, quo die Erluinus Cameracensis antistes præceptum [a] ad construendum quoddam castellum obtinuit *ob interventum Leonis episcopi*, haud dubie Ravennensis, *& alium*. Ravenna Papiam profectus Cæsar, privilegium [b] Novariensi ecclesiæ rogatu Petri episcopi concessit x. kal. Julii. Inde Ravennam reversus est, & sub finem anni Romam, ubi natale Domini celebravit.

ANN. CHR. 1001.

a *Baldric. lib. 1. c. 112.*

b *V. Baron. hoc anno.*

II. Leoni Ravennæ præsuli suffectus Fridericus. Pomposæ monasterium liberum.

Ante finem anni Leo archiepiscopus e nostris, cum in nervorum resolutionem ita incidisset, ut etiam loquendi usum amiserit, unde Leo-mutus, seu Neo-mutus vocatus; seque inutilem publicę administrationi sentiret, dignitatem sponte abdicavit: qua de re eum Petrus Damiani laudat in epistola ad Nicolaum II. Fridericus in ejus locum subrogatus, abbatiam Pomposæ, petente Ottone imperatore, ab omni [c] subjectione archiepiscoporum exemit, ut regalis abbatia esset, nullique alteri, præterquam imperatori, subjecta; essentque monachi a qualibet servitute immunes, haberentque potestatem eligendi abbatis, qui benedictionem a Comaclensi episcopo acciperet. In cujus rei compensationem Otto ecclesiæ Ravennati concessit *omnia placita, & districtus, & bannum de omni terra sancti Apollinaris, & de omnibus episcopatibus & comitatibus* eidem ecclesiæ subjectis. Actum Ravennæ hoc anno, XV. kal. Decembris. quo proinde tempore Leo archiepiscopatu jam cesserat. Celebris fuit ab eo tempore hæc abbatia, sita in ditione Ferrariensi, tredecim passuum millibus ab urbe Comaclo versus aquilonem. Incerti ejus natales & auctores. Nullum de hoc monasterio antiquius invenio monumentum, quam epistolam [d] Johannis papæ VIII. ad Ludovicum II. imperatorem, in qua ei conquerenti, aut certe archiepiscopo Ravennati, quod *monasterium sanctæ Mariæ in Comaclo, quod Pomposia dicitur*, necnon monasteria sancti Salvatoris in monte Feretri, & sancti Probi, Ravennati ecclesiæ abstulisset; negat se ea abstulisse, sed loca ab antecessoribus suis possessa retinere. Sub finem sæculi præcedentis Adelais imperatrix [e] Papiensi Salvatoris abbatiæ inter cetera Pomposæ monasterium assignat. Plura de hoc monasterio inferius, ubi de beato Guidone ejus abbate, & de Guidone monacho agemus. Ceterum Leo archiepiscopus necdum dignitate cesserat die secunda mensis Junii hujus anni, qua die quædam sub annuo censu donavit *Bonizoni venerabili presbytero & monacho atque abbati monasterii sanctæ Mariæ in Palatiolo*, in Tuscia siti, de quo in superioribus egimus. Leonis archiepiscopi litteræ datæ sunt anno pontificatus Silvestri tertio, Ottonis imperii quinto, die secunda mensis Junii, indictione XIV. Extremum hoc factum est Leonis archiepiscopi, cujus successor Fridericus insequente mense Novembri hanc dignitatem obtinebat, antea Romanæ ecclesiæ cardinalis, ut postea videbimus.

d *Baluz. Miscel. to. 5. p. 489.*

e *lib. 49. n. 57.*

III. Senensia monasteria.

Ad id usque tempus mos ferebat, ut nonnullæ mulieres sub velamine sanctæ religionis in privatis ædibus remanerent. Exemplo est nobilis matrona Senensis, Ava [f] nomine, filia bonæ memoriæ Zenonis comitis, relicta Ildebrandi, quæ velamen sanctæ religionis induta, nihilo minus in domo conjugis sui defuncti permanebat. Hæc ex propriis rebus monasterium in loco, Insula dicto, prope Burgum novum, juxta lacum in territorio Senensi exstruxit in honorem Salvatoris, beatæ Mariæ semper virginis, sancti Johannis Evangelistæ, & beati Benedicti; illudque liberaliter dotavit, uti fuse refertur in ejus charta, data anno ab incarnatione Domini millesimo primo, Ottonis imperatoris quinto, indictione XIV. Hæc abbatia ab Eugenio IV. unita fuit Senensi sancti Eugenii monasterio, quod Warnefridus [g] Senarum castaldus sive rector principatu Liutprandi *sub regula sancti Benedicti* excitaverat, dotaveratque in loco, qui Philodianus dicitur. Aliud erat sancti Anthymi monasterium in territorio Senensi, cui Apollinaris [h] abbas præerat imperante Ludovico Pio, qui bona ejus monasterii confirmavit. His adde monasterium beatæ Deiparæ virginis, quod Johannes [i] Senensis antistes pro sanctimonialibus nostri Ordinis prope fontem Baccium fundavit, Cistercienſibus attributum, sed modo pæne excisum.

f *Bullar. Casin. p. 62.*

g *Ital. sac. to. 7. p. 622.*

h *ibid. p. 623.*

i *ibid. p. 625.*

IV. Gandersheimensis lis summa.

Romæ habita est hoc anno synodus, in qua ventilata controversia [k] de Gandersheimensi parthenone, de quo Willigisus Moguntinus archiepiscopus & Bernwardus Hildensheimensis præsul diu disceptaverant. Hoc monasterium a Liudolfo Saxoniæ

k *V. lib. 50. n. 10.*

ANN. CHR. 1001.

duce & Oda ejus conjuge ſuper fluvium Gandæ, a quo inditum loco nomen, conditum erat in Hildensheimenſi epiſcopatu, Altfrido tum epiſcopo, qui primo Hathumodam conditorum filiam, dein ejus ſororem Gerburgam virginibus illis Deo ſacris præpoſuit. Gerburgæ ſuffecta tertia ſoror Chriſtina abbatiſſa, ſub qua illarum parens Oda centeſimo-ſeptimo ætatis ſuæ anno deceſſit. Sex tantum annos Chriſtina matri ſupervixit, cujus in locum Roſwitham venerabilem feminam, ex ipſa congregatione electam, Walbertus ſeptimus Hildensheimenſis epiſcopus ſubrogavit, idemque conſecrationes in illo parthenone, ac velationes virginum, aliaque epiſcopalia munia perfecit, uti & Sehardus ac Thiotardus ejus ſucceſſores. Poſt Thiotardum Otwinus Gerburgam, ejus nominis ſecundam, quæ Ottonis Magni ſoror erat, ibidem abbatiſſam inſtituit, Willelmo archiepiſcopo, Magni Ottonis filio, in nullo ipſi adverſante; quem etiam Hatto & Rotbertus Otwini ſucceſſores amiciſſimum habuerunt. At rerum facies poſt annos a condito monaſterio centumquadraginta mutata fuit ſub Willigiſo Moguntino archipræſule, & Oſdago Hildensheimenſi epiſcopo. Diſſenſionis fomes exſtitit Sophia, Ottonis ſecundi filia, quæ in monaſterium admiſſa, ſacrum velamen ab Oſdago accipere noluit, infra ſe exiſtimans, ſi ab alio, quam *a palligero* conſecraretur. Hæc itaque Willigiſum ejus rei cauſa advocat, quod ipſe libens annuit, diemque ſancti Lucæ ad velandas virgines indicit. Adfuit condicta die; & poſt longam concertationem, faventibus Oſdago epiſcopis, qui ſimul cum Ottone imperatore & Theophana auguſta præſentes erant, demum in id convenit, ut Sophiam ambo ad altare velarent, poſtquam illa, ceteræque velandæ virgines ſubjectionem & obedientiam Hildensheimenſi epiſcopo profeſſæ eſſent. Hinc publice denuntiatum, archiepiſcopo nihil juris illa in eccleſia competere præter epiſcopi conſenſum & permiſſum. His ita peractis, ſumma pace diſceſſum eſt. Stetit deinceps illa unanimitas ſub Oſdago, & Gerdago ejus ſucceſſore, primiſque annis Bernwardi epiſcopi, qui anno DCCCC XCII. hanc ſedem adeptus eſt. Tunc Gandersheimenſis parthenon multum a primaria religione deſciverat, gliſcente luxu ac ſuperfluitate, ex qua morum inſolentia ſubintravit, obedientia torpuit, nulla fere epiſcopis habita reverentia. Hinc quidvis agendi pro libidine & arbitrio licentia: cui malo vires addidit diuturna infirmitas Gerburgæ abbatiſſæ, alias religione & virtute inſignis, & obitus religioſarum ſororum, quæ ad antiquæ diſciplinæ normam inſtitutæ fuerant; adeoque numeroſa virginum in earum locum admiſſio, quæ delicatius enutritæ, metam prioris diſciplinæ ac ſeveritatis ignorantes, deſideriis ſuis frena laxabant. Ad hæc Sophia, invita multumque renitente abbatiſſa, ad palatium factione Willigiſi archiepiſcopi ſe contulit, ibique per integrum amplius annum commorata, variis de ſe rumoribus occaſionem præbuiſſe fertur. quod gravius ferens Bernwardus epiſcopus, hanc primo blandius monere, ad monaſterium ut rediret; blanda negligentem urgere, ſæpius inſtare. At illa confugiens ad archiepiſcopum, ejus animum in epiſcopum exaſperat; pactum in ſua velatione fœdus abnegat, cauſata, ſe ab archiepiſcopo velatam, non ab epiſcopo, cui nec ipſa, nec locus ſuus eſſet obnoxius; complures ſe in promtu habere homines, qui id teſtentur. Poſt hæc in monaſterium reverſa, varia de epiſcopo ſpargit inter ſorores, quarum animos ab eo abalienare pergit. His compertis, epiſcopus eo ſe confert, ſed tamquam extraneus, nullo fere honore accipitur. Ille vero injuriam ſibi factam conqueritur, beneficia a ſe ſuiſque deceſſoribus collata ingerit; violatam obedientiam, qua nulla Deo victima gratior: ſe quidem hæc omnia patienter ferre: ſed illæ paverent Chriſtum, cujus vice fungatur; & debitam ſibi obedientiam demum exhiberent.

V. Gandersheimenſis eccleſiæ dedicatio turbata.

Interim inſtabat tempus, quo nova ejus loci eccleſia conſecranda erat. Poſtpoſito epiſcopo, invitatur ad id agendum archiepiſcopus a Sophia, cui hæc cura ab infirma abbatiſſa commiſſa fuerat. Conſecrationis dies ad exaltationem ſanctæ Crucis ſtatuitur. Invitatus nomine abbatiſſæ epiſcopus adeſt ad præſcriptum diem. at archiepiſcopus rem ad ſancti Matthæi feſtum differt, Bernwardo ſignificans, ut ad illum diem eo ſe ſiſteret. Epiſcopus ſe imperialibus juſſis pro certis rebus obſtrictum, illa die adeſſe non poſſe reſpondit. Gandersheimium tamen venit in exaltatione ſanctæ Crucis, eccleſiam dedicaturus, uti abbatiſſa rogaverat: ſed nihil paratum, immo ſubornatos homines, qui ipſi reſiſterent, invenit. Miſſam tamen illic ipſa die celebravit, licet maxima ſororum indignatione, quas *ut oblationes offerrent, benedictionemque perciperent*, adduxit. Hæc acta præſente innumera promiſcuæ plebis multitudine, quæ epiſcopum ſuum tam indigne haberi ægre ferebat. Verum ille omnes habito inter miſſarum ſollemnia ſermone conſolatur, & conſecrationem eccleſiæ a quoquam, citra ſuum conſenſum, fieri interdicit. quod ſororum in eum iras vehementius accendit. Ubi ad oblationem ventum eſt, illæ *oblatas incredibili furore & indignatione projiciunt*, & contumelias epiſcopo ingerunt. quarum errorem & malevolentiam præ ſua ipſius injuria deplorans pius antiſtes, redit ad altare, miſſamque perficit. Tandem inſtante ſancti Matthæi feſtivitate, archiepiſcopus ad monaſterium accedit cum Rothario Patherbrunnenſi & Berengero Verdenſi epiſcopis, & cum Bernardo duce, aliiſque quam plurimis. Miſſi qui epiſcopum ad ſollemnitatem invitarent. Poſtera die adeſt diluculo epiſcopi vice cum potioribus canonicis Ekkehardus epiſcopus Slevicenſis, qui ob bellorum clades ſedem deſerere, & ad Bernwardum ſe recipere coactus fuerat. Accepta loquendi venia, archiepiſcopo Bernwardi nomine honorifice ſalutato, dixit, Bernwardum, imperiali detentum obſequio, adeſſe non potuiſſe; ceterum mirari vehementer, in eccleſia parochiæ ſuæ, ab anteceſſoribus ſuis abſque contradictione poſſeſſa, ſine ſuo conſenſu, eccleſiæ conſecrationem indictam fuiſſe; fraterna caritate precari, ut archiepiſcopus ab hujuſmodi invaſione deſiſtat. Si quid juris in illa eccleſia ſe habere putet, communi fratrum judicio ac definitioni ſe libenter id permiſſurum. Lancinatus his dictis archipræſul, mandat, ut prima luce ſequentis diei, quæ dominica erat, epiſcopus adſit. alias, ſe eccleſiam ipſa die dedicaturum. Ubi dominica illuxit, ad dedicationem ſe parat archiepiſcopus: Ekkehardus vero cœptis reſiſtit; ſicque conſecratio intercepta, frendente licet Willigiſo, qui ſynodum ad ſancti Andreæ natale indicit. Ejus factum epiſcopi haud probantes, Bernwardo litteris ſignificant, pertinaciam archiepiſcopi amplius coërceri non poſſe. id unum ſuppetere, ut apoſtolicum adeat & imperatorem, qui tum in Italia verſabatur; ipſius cauſam ſibi omnibus eſſe communem; nec ſe defuturos, quin de toto negotio apoſtolicum & imperatorem litteris inſtruant. Tantum iter, etſi imbecilli & confecto corpore, aggreſſus epiſcopus nonis Novembris anno milleſimo, pridie nonas Januarias anni inſequentis Romam ingreſſus eſt. Ut id reſcivit imperator, feſtinus a palatio ad ſanctum Petrum, id eſt ad duo fere milliaria, venienti occurrit, eumque benigne amplexus, ad hoſpitium deduxit: in ſumma, ſua ei officia pollicetur, & per ſex ſeptimanas, quibus apud ſe moratus eſt, cuncta ei liberaliter ſuppeditari curat. Non minor eidem a pontifice exhibita humanitas. Per illud ſex hebdomarum intervallum, quo Bernwardus Romæ commoratus eſt, Tiburtes denuo rebelles Ottoni reconciliavit, atque etiam Romanos, qui veniam & pacem Tiburtibus datam impatienter ferebant. Inſigne per id tempus diploma [a] vir ſanctus eccleſiæ ſuæ obtinuit ab Ottone, datum Romæ x. kal. Februarias hoc anno, quo in diplomate egregia in ſe Bernwardi merita commemorat imperator, eum ſuæ pueritiæ ac juventutis informatorem appellans.

[a] *Annal. Paderborn. p. 356.*

VI. Varia hac de re concilia.

Inter ea Willigiſus cœpta perficere pergens, ſtatuto die Gandersheimium denuo contendit: ſed, obſiſtente Ekkehardo, re infecta iterum diſcedere cogitur. Hæc ubi Romam perlata ſunt, Heinrici piiſſimi ducis ſuaſu Romæ ſynodus viginti-quinque epiſcoporum e Romania, cum aliis ex Italia, Tuſcia, & Germania, a Silveſtro pontifice convocatur, in qua Willigiſi acta reſciſſa, mandatumque, ut ab ejuſmodi cœptis in poſterum deſiſtat. Inſuper ſynodum ad XII. kal. Julias Palithi in Saxonia indici placuit, cui Fridericus cardinalis preſbyter ſanctæ Romanæ eccleſiæ, brevi futurus poſt Leonem Ravennæ archiepiſcopus, Saxo genere, ætate juvenis, vice pontificis præſidere juſſus eſt. In illa ſynodo tumultuoſe acta omnia factione Willigiſi, qui legatum indigne tractavit, reque infecta e ſynodo diſceſſit. Quare ab officio ſuſpenſus eſt per legatum, qui inde Romam reverſus, totius rei geſtæ ſeriem pontifici & imperatori narravit; paullo poſt factus Ravennæ archiepiſcopus, ut ſuperius diximus. His ita geſtis, cum Bernwardus, ex Italia regreſſus, Hildewardeshuſenſem abbatiam, ab ſe dedicatam, dotatam, ornatamque, quam ipſius matertera regebat, inviſeret, ab hominibus archiepiſcopi rebus omnibus ſpoliatur. Inde, quibuſdam ſuorum amiſſis, Gandersheimium adit, ut quæ illic emendanda eſſent corrigeret. Verum ei obſtitit armata hominum manus, quos Sophia tum ex familia ſua, tum ex ſatellitibus archiepiſcopi conduxerat. Quam ob rem epiſcopus

ANN. CHR. 1001.

ANN. CHR. 1001.

recedere coactus, apud episcopos fategit, ut consilium Francofurti ad assensionem Domini haberetur. In illo mitior tantisper archiepiscopus visus est: sed causæ judicium suspensum. Romam missus a Bernwardo Tangmarus decanus, qui ejus vice Francofurti adfuerat, ab apostolico & imperatore obtinuit, ut episcopi causa in concilio Tudertino, quod ad natale Domini celebrandum erat, denuo agitaretur. Huic concilio interfuit Fridericus jam Ravennæ archiepiscopus, qui archiepiscopi in Palithensi concilio gesta exposuit. His auditis, Willigisi temeritas ab omnibus arguitur: in commune tamen consentiunt, Colonien sem archipræsulem, ceterosque e Germania episcopos, qui proxime venturi erant, exspectandos. Missi etiam nuntii, qui eos ad præsentiam utriusque principis in epiphania Domini venire jubeant. Dimissus tertio idus Januarii Tangmarus ab imperatore: quo non multo post mortuo, cui non diu Silvester pontifex supervixit, lis illa Gandersheimensis indecisa remansit. Hæc Tudertina synodus a Tangmaro vitæ sancti Bernwardi scriptore, qui fusius hæc omnia commemorat, habita fuisse dicitur *anno* a nativitate Domini *millesimo secundo, indictione decima-quinta*, & quidem in festo sancti Johannis Evangelistæ: sed constat initium hoc esse anni millesimi secundi, more quorumdam veterum, qui novum annum a natali Domini inchoabant; & indictionem quintam-decimam a Septembri inchoatam. Utrumque probat tum rei gestæ mox commemorata series, tum brevi subsecuta mors Ottonis imperatoris, quem decimo kalendas Februarii anno millesimo secundo decessisse constat, eodemque anno Heinricum successisse: cujus diplomata ipso anno data id ipsum confirmant.

VII. S. Germani monasterium Autisiodorense inexpugnatum.

Dum hæc in Italia & Germania geruntur, novi motus in Gallia exorti, occasione mortis Heinrici Burgundiæ ducis, qui hoc tempore Pulliaci * ad Ararim decessit idibus Octobris, nullis liberis legitimis relictis. Sepultus juxta fratrem suum Ottonem in Autisiodorensi monasterio sancti Germani, cui devotissimus erat. Post ejus obitum nata est contentio [a] de ducatu Burgundiæ inter Rotbertum regem, Heinrici ex fratre nepotem, & Burgundionum primores, qui adversus Rotbertum rebellarunt. Quare Rotbertus subsequenti anno, numeroso collecto exercitu, & Richardo Nortmannorum duce sibi adjuncto, in Burgundiam irrupit, & Autisiodorum civitatem, cujus cives, Landrico Nivernensi comite eam tenente, ipsi restiterunt, obsidione cinxit. Adjunctum erat urbi monasterium sancti Germani, instar castri cujusdam munitissimum. Hoc sibi ad oppugnandam urbem opportunum rati milites regales, castrum illud vi occupare constituunt. At Heldricus abbas monasterii direptionem veritus, regem supplex adiit, obnixe rogans, ut ab hac intentione desisteret. Sed, cum a rege nihil impetratum esset, Heldricus cum multis e suis fratribus mærens, & supra modum tristis secessit in Reomaense monasterium, quod sibi etiam subjectum erat, octo tantum fratribus in proprio monasterio relictis. Furenti regi occurrit Odilo Cluniacensis abbas, ut pacem inter dissidentes componeret. Sed ubi nihil obtinet, hortatur fratres, qui in monasterio residui erant, ut orationi assidue instarent. quod cum strenue exsequerentur, sexto obsidionis die, dum Gislebertus monachus in oratorio beatissimæ Virginis hora tertia de more sacra faceret, rex impetu in castrum facto, multis suorum amissis, inde recedere coactus, superiores Burgundiæ partes prædis & incendiis infestasse traditur. Heinricum ducem *anno tertio de millesimo* mortuum fuisse scribit [b] Glaber. quod Chesnius & alii quidam de anno millesimo-tertio interpretantur. Alii forte de anno tertio ante millesimum intelligent, eum ad modum, quo dicitur *undemillesimus, & duodemillesimus annus*, pro anno uno & altero ante millesimum. quod si probetur, eadem interpretatio superiori ejusdem auctoris capiti pro portione adhibenda est, ubi mons Vesevus multos cum cinere lapides evomuisse dicitur *septimo de millesimo anno*. Clarius tamen monachus & alii nonnulli, quos sequitur Labbeus, Heinricum hoc anno millesimo-primo obiisse tradunt; Odorannus anno sequenti. cujus auctoritas, utpote auctoris æqualis, videtur præferenda. Consentit breve chronicon sancti Germani Pratensis ad cyclos paschales. atque adeo Glaber hoc modo interpretandus, ut Heinricus mortuus sit anno millesimo secundo, qui *tertius de millesimo* apud Glabrum dicatur, ita ut millesimus primus dicatur secundus a millesimo, millesimus secundus censeatur tertius a millesimo. Hæc observatio non levis momenti erit ad illustrandum tempus habiti concilii Aurelianensis, quod *tertio de vicesimo infra millesimum anno* habitum dicitur ab eodem Glabro, id est millesimo

* *Pouilly.*

[a] *Glaber lib. 2. c. 8.*

[b] *ibid.*

vicesimo-secundo, ut suo loco demonstrabimus. Certe Landricus comes Autisiodoro urbe adhuc potiebatur anno millesimo secundo, mense Julio, ut probant ejus literæ pro Flaviniacensi monasterio, quas inferius proferemus. Non multo post Rotbertus rex factus placatior, privilegia [a] monasterii sancti Germani confirmavit, in his præceptum quoddam ab avo suo Hugone Magno concessum, quod Heldricus abbas cum monachis suis renovari petiit. id rex benigne annuit *ob glorioſi avunculi* seu patrui sui *Heinrici ducis Burgundiæ memoriam, & Ottonis fratris ejus. Actum Autisiodori civitate.* Desunt chronicæ notæ in chartaceo codice monasterii.

ANN. CHR. 1001.

[a] *Diplom. p. 580.*

VIII. S. Benigni nova basilica inchoata.

Magis exploratum est tempus, quo Willelmus abbas Divionensis novam sancti Benigni basilicam inchoavit. Id anno millesimo-primo cœptum, & quidem XVI. kalendas Martii, testatur [b] ejus loci chronographus, suppetias conferente Brunone Lingonensi episcopo, qui columnas lapideas & marmoreas ad hoc opus undequaque adduci curavit. Destructa itaque ecclesia, quam sanctus Gregorius Lingonum antistes olim condiderat, longe amplior & insignior exstructa fuit, cujus rotundum opus etiam nunc supereſt. Triplex condita sub eodem tecto ecclesia, superior, media, & infima, præter rotundum oratorium, quod in capite basilicæ exstructum adhuc cernitur. Media seu major ecclesia, crucis in modum fabricata: cujus longitudo ducentorum ferme cubitorum, id est trecentorum pedum, latitudo quinquaginta-trium cubitorum, altitudo in medio quadraginta, in collateralibus partibus unius supra triginta. Omnes columnæ mediæ ecclesiæ centum octoginta-septem. Princeps altare sancto Mauricio sacrum.

[b] *Spicil. to. 1. p. 434. & Sæc. 6. p. 337.*

Infima sub ea ecclesia ejusdem longitudinis, *Domus-orationis* dicta, in modum T efformata, sepulcro sancti Benigni, aliisque sanctorum, & Lingonensium episcoporum tumulis insignis, columnas habebat centum octoginta-duas, quarum unius capitello inscriptus erat WILLELMUS LEVITA. quod argumento est, Willelmum abbatem, si tamen hic idem sit, necdum sacerdotio præditum fuisse. In capite exstabat oratorium sancti Benigni, cujus corpus infra oratorium, quod rotundo schemate factum, terno columnarum ordine in semet regyrato constabat, in eleganti mausoleo compositum erat, quod chronographus describit in hunc modum. *Est tumba ex quadris edificata lapidibus, quæ octo cubitos in longum, quinque autem tenet in latum: cujus cacumen lapideum quatuor sustinetur suffragio columnarum. Desuper autem quatuor columnæ marmoreæ locatæ erant antiquitus. Olim super lapideos arcus, qui eam continebant, absidam ferebant ligneam sex cubitorum longitudinis, & trium latitudinis, septemque ac semis altitudinis: quæ undique auro & argento vestita, historiam dominicæ nativitatis & passionis pramonstrabat, anaglypho prominente opere, pictura satis optima. Verum hoc decentissimum, de quo loquimur, ornamentum, ob recreationem pauperum, tempore famis fuit dissipatum a domno abbate Willelmo; & cum capsa aurea, mirifice gemmis exornata, pariterque tribus tabulis ac duobus thuribulis argenteis, crucibusque, ac omne ornamentum in auro & argento venum datum est.* Hæc chronographus. quæ postrema verba Willelmi abbatis eximiam caritatem ostendunt, non inferiorem caritati sanctissimorum patrum, qui calices & pretiosa quæque ecclesiæ ornamenta in egentium necessitates expenderunt. Addit chronographus, quædam alia ornamenta & cimelia, quæ rex Guntchramnus sancto Benigno contulerat, a latronibus in ejusdem Sancti sollemnitate, cæsis custodibus, furto asportata fuisse.

Willelmi caritas in egenos.

Ecclesia superior sanctæ Trinitati sacra, præter præcipuum ejus altare, duo alia hinc inde habebat, unum sancti Michaëlis, alterum sancti Pauli apostoli. In modum coronæ constructa erat, triginta sex innixa columnis.

Inferiori cryptæ seu ecclesiæ ad solis ortum conjunctum erat rotundum sancti Johannis Baptistæ oratorium, triginta-septem cubitos diametri habens, decem altitudinis, senis fenestris illustratum: quod terno columnarum ordine in semet regyrato, quadraginta scilicet atque octo, geometricali dispositione ambiebatur. Hujus culmen celso desuper erectum fastigio viginti-quatuor columnarum ac triginta-duorum arcuum, tripertita comparis numeri machinarum divisione, eleganti opere concameratum erat. Ab hac ecclesia per cochleam triginta-septem gradibus congrue illustratis ascendebatur ad basilicam seu oratorium sanctæ Deigenitricis Mariæ, sexaginta octo subnixum columnis, eumdem ferme habens modum, eamdemque formam in diametro seu altitudine, atque inferior, undenis

irradiatum vitreis feneſtris. In illo oratorio, præter altare beatæ Virginis, ad quod per quatuor tripertitos aſſcendebatur gradus, duo erant alia hinc inde altaria: ad dextram quidem ſancti Johannis Evangeliſtæ & Jacobi fratris ejus, ſanctique Thomæ apoſtoli; ad lævam vero ſanctorum Matthæi, alterius Jacobi & Philippi apoſtolorum. Ab hoc oratorio ad ſuperiorem ſanctæ Trinitatis eccleſiam triginta per cochleam gradus præſtabant aſſcenſum. In ſumma illius templi ædificio adhibitę ſunt columnæ trecentæ ſeptuaginta & una, præter illas, quæ turribus & altaribus deſerviebant; feneſtræ vitreæ centum viginti; turres octo; portæ tres; oſtia viginti-quatuor. Hæc ſatis in rude ſpecimen præclaræ illius baſilicæ, quæ Willelmum habuit auctorem. In brevi chronico Benigniano novæ baſilicæ fundamenta jacta dicuntur menſe Februario anni ſequentis milleſimi ſecundi: quod forte pro veteri calculo chronographus anno milleſimo primo conſignavit. Hæc baſilica ſæculo tertio-decimo cum ex lapſu ingentis turris, quæ ejus medio incumbebat, fere omnino corruiſſet; nova alia, qualis modo cernitur, ab Hugone de Arcu eleganti opere inchoata fuit, poſt ejus obitum abſoluta. Ex antiquiori proinde baſilica unum ſupereſt rotundum illud, de quo diximus, oratorium, cujus ichnographiam hic exhibere viſum eſt, ſimulque triplicis illius eccleſiæ, quam modo deſcripſimus.

ANN. CHR. 1001.

Vizeliaci abbates.

Vizeliacenſis monaſterii jam inde ab anno DCCCC LXV. rector erat Rotbertus abbas, cujus rogatu Silveſter [a] papa ejuſdem loci privilegia renovavit. Superſtes fuit ad annum milleſimum octavum Rotbertus, cui Evrardus [b] ſucceſſit ad annos tres: cujus ſucceſſor Ermannus ſedit ad annum M XXXVI. quo Gaufredus eum excepit.

a *Spicil. to 3. p. 465.*

b *Labbe to. 1. Biblioth. pag. 395.*

IX. Fiſcamnum Willelmo commiſſum.

Etſi his, aliiſque ejuſmodi operibus occupatus eſſet Willelmus, præcipuam tamen curam gerebat ſpiritualis ædificii, quod in fratrum profectu & augmento conſiſtit. *Creſcebat ergo quotidie,* inquit chronographus Benignianus, *multitudo monachorum ſub ejus magiſterio degentium, ita ut, exceptis his, qui per alia erant monaſteria, in hac congregatione ſancti Benigni quotidie fratres eſſent ſeptuaginta, aut octoginta.* Certe mirum eſt, tot ipſi ſuppetere potuiſſe diſcipulos, ut monaſteriis ad quadraginta, quæ ejus providentiæ & informationi commiſſa erant, tot colonias ſufficere quiverit. Præcipuum ex illis fuit * Fiſcamnenſe, nobiliſſimum in Caletis ad oram oceani monaſterium, quod olim a Waningo viro illuſtri pro virginibus Deo ſacris inſtitutum, ſed a Normannis poſtea everſum, poſtmodum ab eorum ducibus reſtitutum eſt, & a canonicis occupatum. At cum illi, ceterorum ejus ſæculi more, latas perditionis vias ſectarentur, ſeque totos luxui ac deſidiæ darent; projectam eorum vitam abhorrens dux Richardus, eo nomine primus, Mayolum Cluniacenſem abbatem Fiſcamnum advocavit, ut locum illum monaſticis inſtitutionibus ſecundum ſancti Benedicti regulam informaret. cui non alia conditione acquieſcere voluit vir ſanctus, niſi generalem totius ducatus conſuetudinem, quæ vulgo *paſnagium* dicitur, eſtque vectigal pro jure paſcendi porcos, aliaque animalia in ſilva domini, Fiſcamnenſi monaſterio relaxaret. quod cum Richardus concedere noluiſſet, re infecta Mayolus diſceſſit. Interim canonicis in deteriora prolabentibus in dies, Richardus ſecundus animo recogitans, quo pacto patris conſilium exſequeretur; miſſis hoc anno nuntiis Willelmum Divionenſem abbatem, cujus fama religionis ad ejus aures pervenerat, multis precibus ſollicitavit, ut Fiſcamnenſem eccleſiam ad ſancti Benedicti normam ordinaret. Hic vero duci reſpondiſſe fertur, ſe aliorum relatu accepiſſe, Normannos duces, homines natura immites & efferatos, templa ſubverte-
» re, non ædificare ſolitos eſſe; delere & effugare, non colligere aut fovere ſpiri-
» tualium virorum congregationes. Inſuper longum eſſe iter, ſibique deeſſe equos,
» aliave onerifera animalia, quæ fratribus iſtuc deducendis, eorumque ſupellectili
» comportandæ neceſſaria eſſent. quæ ubi ad Richardum perlata ſunt, continuo multos equos & clitellarios miſit ad Willelmum. qui ducis conſtantia victus, aſſumto ſecum congruo fratrum numero, Fiſcamnum contendit: ubi a duce, velut e cælo delapſus angelus, tanto cum honore acceptus eſt, ut dux ipſe, amotis miniſtris, viro Dei ad menſam inſervierit. Tum, canonicis iis, qui converti nollent, expulſis, Fiſcamnenſis eccleſia Willelmo tradita eſt, quæ ſubita converſione cæleſtium virorum ſtudiis flagrare cœpit, & circumpoſita monaſteria ſuo ſplendore obſcurare. Illic nempe parſimonia, pudicitia, & voluntaria paupertas, adeoque bonorum omnium communio refloruit, ubi antea luxus, corrupti mores, & rerum omnium malus

* *V. lib. 50. n. 33.*

To 4. Annal Bened ad pag. 153.

Eccleſiæ Superioris ichnographia

A, Eccleſia S. Trinitatis in modum coronæ.

B, Altare novum S. Trinitatis.

C, Altare vetus. S. Trinitatis.

D, Altare S. Michaelis.

E, Altare S. Pauli Apoſtoli.

Eccleſia SS. Trinitatis in modum coronæ constructa, 36. innixa eſt columnis, ſeilicet octo minor circulus, 28. major. In ſumma, in hoc ædificio ſunt 371. columnæ, marmoreæ & lapideæ præter illas quæ ſunt in turribus & altaribus.



malus usus invaluerant, quod adeo Richardo placebat, ut sæpe illuc accedens, fratribus ad mensam ministrare gauderet, completoque ministerio ultimus omnium ultimo in loco reficeret. ANN. CHR. 1001.

X. Ejus loci viri illustres.

Ad tantæ religionis & celebritatis famam eo convenerunt nobiles viri complures, tam clerici, quam laïci: quos inter Osmundus episcopus, habitu monastico illic suscepto, religiosissime vixit. Ex clericis duo apprime litterati, Joscelinus & Beringerius, aula regis postposita, Willelmi disciplinæ se tradiderunt, quorum prior postmodum abbas exstitit: posterior Fiscamni reliquum vitæ exegit. Quin etiam e transmarinis partibus Angli illuc accedebant, quos inter unus regali clarus prosapia, Clemens nomine, relictis sæculi pompis ad idem monasterium venit, Deo inibi cupiens deinceps militare: sed cum a popularibus suis eo adventantibus sæpius inviseretur, & vanitates sæculi frequenter audire cogeretur; Divionense expetiit monasterium, ubi a turbis remotus, vitæ cursum feliciter absolvit; vir tantæ humilitatis, ut, cum sacerdos esset, numquam tamen in tota vita sua, nisi semel, ad sacra mysteria celebranda adduci potuerit. His adde Supponem, natione Italum, qui post Willelmum Montem-sancti Michaëlis, deinde Fructuariense monasterium rexit. Fiscamni sub Willelmo prior exstitit Theodericus, quem postea Gemeticensi monasterio præfecit.

Alia monasteria Willelmo commissa.

Præter Fiscamnum quippe alia quoque Neustriæ monasteria Richardus Willelmo ordinanda commisit, scilicet Gemeticense, sancti Audoëni, & Montem-sancti-Michaëlis, quod monasterium hoc anno [a] incendio conflagrasse dicitur. Præter ea, Rotbertus rex abbatiam sancti Germani apud Parisios, & Oddo comes monasterium sancti Faronis in urbe Meldorum eidem venerabili patri commisit. ut ne hic repetamus, quæ de Gorziensi, Mettensi sancti Arnulfi, & Tullensi sancti Apri monasteriis [b] superius diximus.

[a] *Glab. lib.* 3. *c.* 3 & *Labbe to.* 1. *p.* 351.

[b] *lib.* 51 *n.* 79 & 80.

XI. Abbonis abbatis epistola ad Odilonem abbatem.

Sub idem tempus, Abbo Floriacensis abbas epistolam scripsit *venerabili Odiloni Cluniacensis congregationis patri* de canonibus evangeliorum, qua de re quidam ex Odilonis fratribus, dum ambo in sancti Dionysii (sic legendum puto) monasterio remorarentur, ipsum Abbonem interrogaverat.

In primis observat, singulis evangeliorum libris, nempe in vetustis codicibus, « triplices præfixos esse numeros, quorum alii capitula, alii æras, alii subnotationes « designant, communes scilicet ac proprias. Capitula & æræ *ex minio* in hoc differunt, quod capitula exprimuntur majore charactere; æræ vero nusquam denarium « numerum excedunt, nec infra denarium ex ordine se sequi solent. Per has cognoscitur, quo in canone quævis subnotatio inveniatur. Subnotationes ex atramento in « singulis evangelistis ab uno incipiunt, & in multam pluralitatem usque ad finem « cujusque evangelii protenduntur. Denique canones seu tabulæ sunt tantum decem, « in quibus evangelistæ sibi invicem novies dumtaxat conferuntur. Hæc omnia tabulis Abbo illustrat. « «

XII. Friderici comitis & Richardi monastica professio.

Sub idem tempus Fridericus Virdunensis comes, & Richardus decanus Remensis ecclesiæ, monasterium sancti Vitoni sua conversione nobilitarunt. Illustre fuit in primis Friderici genus, cujus parentes Godefridus Virdunensis comes, in superiori sæculo sæpe memoratus, & Mathildis ex comitibus Saxoniæ orta; fratres, Adalbero Virdunensis episcopus, Herimannus comitum nobilissimus, Godefridus & Gozelo duces exstitere; omnes in sanctum Vitonum munifici, ibique humati, præter Adalberonem episcopum, in Italia mortuum, cujus corpus Virdunum relatum, contra parentum voluntatem in majori ecclesia sepultum fuit. Friderico obtigit comitatus Virdunensis, quem cum maxima justitiæ & modestiæ laude aliquamdiu administrasset, Heimoni post Adalberonem fratrem suum episcopo eum contulit ad reparanda ecclesiæ damna, isque Jerosolymam voti causa profectus est. In illo itinere cum ex diutina rerum divinarum & Christi Domini passionis meditatione pectus ejus ad contemtum sæculi & ad pietatem incaluisset; id tamen vir prudens absque sapientis cujusdam viri consilio exsequi haud tutum existimavit. In reditu itaque ubi ad Remorum civitatem pervenit, eum virum nanctus est quem optabat, Richardum scilicet, Remensis ecclesiæ decanum, genere illustrem ac religione nominatissimum, qui forte jam ipsi notus erat. Ubi votum ei suum aperuit Fridericus, ille simili se desiderio teneri dixit: sicque alternis ambo confirmati exemplis & adhortamentis, communi consilio decreverunt, *ut pauper quilibet locus eligeretur,*

ANN. CHR. 1001.

in quo honor seu cultus *Dei, & rigor regulæ conservaretur.* Delectum primo Virdunense sanctorum Petri & Pauli atque sancti Vitoni monasterium, antiquitate, sanctorum patrociniis & reliquiis, ac religione insigne, in quo viri pauci quidem, sed boni ac religiosi, a Scottorum partibus oriundi, sub disciplina Fingenii abbatis, Deo perfecte serviebant. At ubi Virdunum locum exploraturi convenissent, occurrit eis aliud in eadem urbe sancti Pauli monasterium, nuper conditum a Wigfrido episcopo, cujus locus & situs opportunior eis visus est præ Vitoniano cœnobio, quod & loci angustia, & situs asperitate minus commodum videbatur, licet regularis in eo disciplina melius servaretur. In hac anxietate Odilonem abbatem, non minus prudentia, quam sanctitate tunc celebrem, consulendum statuunt. Eunt Cluniacum, & fluctuantis animi angustias viro Dei exponunt. Quis non crederet fore, ut Odilo tales, tantosque viros sibi retinendos putaret? At vir sanctus, proprio commodo postposito, priori voto standum censuit, præferendumque sancti Vitoni cœnobium, quod ipsi primum elegissent. Esse quidem modo angustum & injucundum: at eorum industria fieri posse, ut processu temporis ædificia crescerent, fieretque locus ille insignis, qui tunc despicabilis & ingratus videretur. Redierunt igitur novi monasticæ religionis tirones Virdunum, & advoluti genibus Fingenii abbatis, in monasterium se admitti postularunt. Ille viros mollius enutritos, & ad tolerandas injurias ac loci penuriam minus idoneos existimans, primo quidem se difficilem præbuit: at instantibus cessit tandem, & ingressum annuit. Admissi itaque in monasterium, brevi facti sunt omnibus forma patientiæ & humilitatis; fluxarumque rerum penitus obliti, majori desiderio cælestibus inhæserunt, quam prius terrena sectati fuerant, adeo ut mortuo non multo post Fingenio abbati Richardus substitutus fuerit, & Fridericus ab eo missus ad restituendam in Atrebatensi sancti Vedasti monasterio regularem disciplinam.

His, quæ de Friderici & Richardi conversione ex Hugonis Flaviniacensis chronico hactenus retulimus, non omnino concordant ea, quæ Richardi vitæ scriptor anonymus & subæqualis tradit. Principio hic auctor patriam ac parentes accuratius recenset Richardi, quem *in finibus Montis-Falconis, in villa, quæ dicitur Bantonis, parentibus nobilissimis*, Waltero & Theodrada, oriundum dicit; eumque a puero in scholis Remensibus eruditum; processu temporis præcentoris, postea decani officio in ecclesia Remensi perfunctum fuisse. Hinc votum relinquendi sæculi cum Friderico exsecuturus, ad cœnobium sancti Vitoni cum eo se contulisse dicitur, *ubi septem tantummodo Scottigenæ sub abbate multæ simplicitatis viro, nomine Fingenio, qui abbatiam sancti Felicis extra muros Mediomatricæ urbis conditam cum ista regebat, non multum laudabili*, si huic anonymo credimus, *vita incolebant.* Cum ejus loci regularem disciplinam minus accuratam animadverterent, Cluniacense monasterium adeunt, tunc religione celeberrimum sub Odilone abbate: qui, intellecto eorum consilio, ex affectu caritatis, quæ non quærit quæ sua sunt, eis persuasit, ut in priori proposito persisterent. Illi tanti viri obsequentes consilio, ad sanctum Vitonum revertuntur: sed iterum ejus loci fratrum inconditis moribus exasperati, ad suburbanum sancti Pauli monasterium se recipere constituunt, ubi sub Hervino religioso abbate novella colonia florere cœperat. Verum ab hoc consilio revocantur piissimæ cujusdam anus consilio, prope sanctæ Mariæ cathedralem ecclesiam reclusæ, quæ cælesti oraculo edocta, Fingenium admonuit, ut duos illos fratres nuper conversos ad promittendam stabilitatem induceret. quod illi exsecuti sunt v. idus Julii: quæ dies *nostro Ordini*, ait auctor ille, *annuatim memorabilis* erat, *translatio scilicet almi patris Benedicti.* In his cunctationibus duos vel tres annos insumsisse videntur piissimi illi candidati: quibus elapsis, defuncto post breve tempus Fingenio Richardus apud sanctum Vitonum suffectus est. Quod ait anonymus de laxiori sancti Vitoni sub Fingenio abbate disciplina, valde suspectum nobis est: tum quia Hugo Flaviniacensis, gravis auctor ejusdem temporis, aliam nobis ejus loci notitiam exhibet: tum quia haudquaquam veri simile est, eum fuisse illius monasterii statum sub Fingenio religiosissimo abbate, cui, ob notam pietatem ac religionem, duo alia in urbe Mediomatricum cœnobia, videlicet sancti Felicis seu sancti Clementis, atque sancti Symphoriani, commissa fuerant.

XIII. Hucbertus abbas S. Albini. a *Labbe t. 1. p. 275.*

In monasterio sancti Albini apud Andecavos, post obitum Rainaldi abbatis, Hucbertus [a] abbas solito more ordinatur, præsente Fulcone comite, qui liberam

eligendi abbatis facultatem monachis denuo confirmavit. Id actum mense Septembri. Rainaldus Hucberti decessor IV. nonas Decembres anni præcedentis decesserat. Hucberto abbate Girmundus [a] quidam, paralysi correptus, post annos septem, in festo sancti Albini, cum se in perpetuum ejus servitio devovisset, insolito pietatis instinctu, *usque ad januas ante dominicum altare* fulcris suffultus accessit, ibique membrorum facultatem & usum recepit. *Tunc temporis*, ait ejus rei scriptor æqualis, *beati Albini congregationi beatæ memoriæ abbas præerat Hubertus, vir miræ simplicitatis & mansuetudinis. Plures quoque alii advenerant abbates cum monachis suis: qui, mox solutis primæ horæ debitis orationibus, intraverant capitulum, sicut a sanctis patribus est constitutum.* Abbas, voto Girmundi intellecto, *præcepit ei peregrinis, egenis & infirmis deservire sub monachi manu, qui pauperum curam gerebat.* quod cum septem annis cum magna cura & humilitate exsecutus fuisset, abbati & toti congregationi visum est, ut eum *intra monasterii claustra* reciperent, *sanctoque habitu* induerent. Hoc miraculum scriptor anonymus a domno Walterio, monasterii tunc decano, *nunc vero*, inquit, *abbate*, & ab ipso Girmundo se accepisse testatur. Ejusdem abbatis anno tertio Rainaldus episcopus ecclesiam Saiaci * ab ipso abbate erectam, ubi monachi degebant, in honorem Salvatoris & beatæ Mariæ consecravit, diras violatoribus imprecatus, confirmante Fulcone, qui ipso anno Jerosolymam profecturus erat, & fratre ejus Mauricio.

ANN. CHR. 1001.
a *Bolland. to. 1. Mart. p. 61.*
* *de Cé.*

Hoc anno basilica sancti Martini Turonis, quæ ante aliquot annos incendio violata fuerat, instaurari cœpta ab Herveo ejus archiclavo seu thesaurario, viro piissimo, cui hoc officium Rotbertus rex commiserat, teste [b] Glabro, *cupiens illum postmodum constituere pontificem.* quod ille præ modestia recusavit. Erat is *ex nobilibus Francorum*, liberalibus disciplinis apprime eruditus, sed in primis pietate insignis: qui, *relictis pompaticæ scientiæ studiis*, in quodam monasterio se monachum fieri obnixe postulaverat. *Sed quoniam clari erat generis*, parentum ejus iras pertimescentes monachi, eum admittere noluerunt. Id intelligendum videtur de cœnobio Floriacensi, in quo educatus fuit Herveus sub Abbone, quem ejus *nutritorem* vocat Aimoïnus in epistola præfixa libro de ipsius Abbonis vita, eidem Herveo nuncupata. Antiquior fuit Herveus alter, ejusdem basilicæ thesaurarius anno DCCCC LXVI. Suscepta ecclesiæ cura Herveus junior, *vesteque alba indutus* more canonico, vitam nihilo minus monachicam egit; exstructa parva ecclesia in insula, quæ nunc sancti Cosmæ dicitur: ubi a curis sæcularibus, & mortalium consortio abstractus, totum se rebus divinis tradidit. Sed inde a Martinianis canonicis revocatus, cellulam oratorio sancti Basilii continentem inhabitavit. quod oratorium erat prope ecclesiam beatæ Mariæ de Scriniolo *, ubi sanctimoniales erant, quas Herveus apud Bellum-montem collocavit, ut postea dicturi sumus. Hanc insulam cum monasteriolo sancti Cosmæ monachis Majoris-monasterii conferri curavit Herveus ab ea discessurus; eisque facile, ipso petente, concessere canonici Martiniani, præcipue Hugo sancti Martini cellerarius, ad quem hæc insula proprie pertinebat. Hæc autem concessio ea lege ab Herveo facta est, *ut jugiter in illo monasteriolo duodecim monachi, aut plures, de Majori-monasterio illic perseverarent, & sacrarum orationum acceptabiles Deo victimas offerrent:* quibus insuper *concessit quamdam suam ecclesiam, e regione supra dictæ insulæ in margine Ligeris fluminis sitam, per assensum Gilduini Salmurensis opidi primicerii, qui eam de beneficio Odonis comitis tenebat.* Berengarius post ejuratam hæresim in illam insulam secessisse traditur, ibique humatus fuisse, quo tempore illam tenebant monachi Majoris-monasterii. Nunc canonici regulares occupant hanc ecclesiam, in qua Petrus Ronsardus, poëtarum sui temporis princeps, cum insigni mausoleo conditus est. Redeo ad Herveum, cui per id tempus epistolam scripsit Amblardus abbas Sollemniacensis, misso ad eum libro de vita sancti Eligii episcopi, quam ab ipso petierat. Sic epistola habet.

XIV. Herveus canonicus monachice vivit. b *Glaber lib. 3. c. 4.*

* *Ecrignolet.*

Præcellentissimo, Deoque amabili, ac bonorum operum insigniter adornato domino meo Arveo, humillimus omnium Amblardus abba, cunctaque congregatio mihi subjecta Sollemniacensis monasterii, perpetuam in Christo salutem. Mentio sacra vestri sic nostro semper adhæret pectori, ut nulla perturbatione sæculi nequaquam possit elabi. Quamvis enim inter turbines sæculi simus positi, tamen in orationibus nostris, Deo largiente, in quantum possumus, memores sumus vestri. Novimus enim, ab ipsis pene cunabulis vos nihil aliud amasse, præter Deo vivere. Vestri autem sub ditionem positus agnovi,

ANN. CHR. 1001.

diligentius vos quotidie miris augeri virtutibus: pro quo petimus, ut memores ſitis noſtri in orationibus veſtris. Vitam beatiſſimi Eligii confeſſoris atque epiſcopi, quam dudum a nobis popoſciſtis, expreſſimus ut potuimus, ac, Deo volente, veſtræ præſentiæ deſtinavimus. Precamur itaque vos, reverentiſſime pater, ut cum avide eam ſumpſeritis, ac bene eam memoriæ commendatam habueritis, etiam Rotberto regi oſtendatis: ut ex ea cognoſcat, quanta familiaritate ac benignitate circa locum noſtrum ſollicitudinem habere debeat. Cum enim ego apud vos habitarem, ac cum illo frequenter locutus fuiſſem, ipſe mihi rogavit, ut ego ei eam habere facerem.

Hanc epiſtolam referre viſum eſt ad qualemcumque notitiam Amblardi abbatis, de quo nihil comperti habebatur.

Prulliaci abbatia.

Condita eſt hoc tempore Prulliaci abbatia in diœceſi Turonenſi ad Clayam fluviolum, cujus auctor Ecfridus ſive Effredus, dominus Prulliaci & Rupepozeæ, progenitor comitum Vindocinenſium, humatus in eodem monaſterio, appoſito ad ejus tumulum epitaphio, quod ex Cheſnio retulerunt Sancta-marthani cum nudis nominibus quatuor abbatum, quorum primus eſt Amblardus. Deſideratur in illis Otho abbas, qui Prulliacenſi monaſterio præerat Urbani ſecundi pontificatu. Eſt & aliud Prulliacum ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Senonenſi.

XV. S. Theotfredo canonici Anicienſes quædam donant.

Haud ſcio quid ſibi velit quoddam inſtrumentum Calmiliacenſis ſancti Theotfredi monaſterii, datum *anno* M I. *regnante Vgone, & Guigone abbate, indict.* XIIII. *luna* XXIII. XVI. *kal. Septembris*, quo tempore clerici eccleſiæ beatæ Dei-genitricis Mariæ, id eſt canonici Anicienſes, monaſterio beati Petri, ſanctique martyris Theotfredi, *ubi domnus Guigo præeſſe videbatur abbas & præſul*, donant quaſdam ex rebus ſuis poſſeſſiones in villis Cantaduco, de Croſo, & de Carretis, *pro ſalute animæ domini Theotardi epiſcopi ſenioris ſui*, qui tunc forte obierat, *ut pietas divinæ miſericordiæ ejus peccatis ignoſceret, & per interceſſionem beati Theofredi, aliorumque Sanctorum ad vitam perducere dignaretur æternam.* Quis enim ille Ugo, qui tunc regnaviſſe dicitur? forte Hugo ſcriptus pro Rotberto, niſi ſi id pro Ugone duce ſeu regnante intelligendum ſit.

XVI. Aniauæ abbates.

Anno quinto regnante Rotberto rege, Stephanus epiſcopus Agathenſis cum ſuis canonicis, *Rainaldo abbati de monaſterio Aniano*, ejuſque congregationi quædam vendit apud Caunas villam pagi Biterrenſis. Rainaldo ſucceſſit Salvator abbas, cujus tempore Fredolus epiſcopus quædam Anianenſi monaſterio donat & reſtituit in comitatu Suſtantionenſi, ſcilicet *locum eremum, qui vocatur Podio-alto: ut ipſe abbas & monachi faciant ibi manſiones & curtes ad jumenta ſua & pecora alenda*, abſque ullius hominis *blandimento* ſeu exactione. Actum IV. nonas Maii, regnante Rotberto rege. Ejuſdem principatu Salvatori ſuffectus eſt Pontius abbas, cujus præfectura diuturna fuit.

XVII. Canigonenſis monaſterii initia.

Jacta hoc anno fundamenta Canigonenſis * monaſterii in diœceſi Helenenſi a Guifredo ſeu Wifredo comite Ceritaniæ, qui poſtea monachum illic induit, finemque vitæ ac tumulum poſt annos quinquaginta ibidem ſortitus eſt. In brevi chronico [a] Canigonenſi, monaſterii primordia his verbis expreſſa leguntur. *Anno Domini milleſimo primo, æra* M XXXIX. *anno* VI. *Rodberti regis, indictione* XIV. *Guifredus comes cœpit ædificare monaſterium ſancti Martini Canigonenſis.* Poſt annos octo, perfectis ædificiis, baſilicæ dedicatio facta eſt: in cujus actis [b] Selva preſbyter & monachus hoc cœnobium exſtruxiſſe dicitur, *præcipiente, ordinante, & in omnibus perficiente, atque ad plenum effectum perducente domno Guifredo gratia Dei comite, ejuſque conjuge, nomine Guiſla*, qui prædictum locum rebus omnibus inſtruxerunt.

* *Canigou.*

a *Baluz. to. 2. Miſcell. p. 309.*

b *Marca Hiſp. p. 971.*

XVIII. Burchardus abbas S. Galli.

In monaſterio ſancti Galli Gerardus abbas, hoc itidem anno exſtinctus, dilapidandi monaſterii finem fecit. Electus in ejus locum Burchardus, Ekkehardi ſenioris nepos, vir nobilis ac pius, qui, velut alter Moſes, ſancti Galli alumnos, dura ſervitute exemtos, ad optatam quietem & libertatem reduxit. Hic in primis diſciplinam regularem, jam vitiatam, ad priſcum rigorem caſtigavit, vetera damna reſarciit, cœnobii commoda in omnibus promovit, ſacram eccleſiæ ſupellectilem Immonis exemplo multum auxit, ſtudia reduxit; denique, ubi diſcordia & contentiones prius vigebant, pacem & concordiam revocavit, ut, ſi adfuiſſes, non hominum, ſed angelorum in ipſis vitam conſpexiſſes.

XIX. Ramvoldi abbatis & Gerbergæ abbatiſſæ obitus.

Longe pretioſior fuit mors Ramvoldi abbatis monaſterii ſancti Emmerammi Ratiſponenſis. Is languore diuturno confectus, utpote centenarius, cum per quatuordecim dies decubuiſſet, e lecto ſurrexit, ac tunica ſancti propoſiti amictus, orario

accepto, fratribus convocatis, obedientiam exemplo Chriſti Domini, ceteraſque religioſas virtutes eis inculcavit, atque adverſa eventura prædixit. tum, alterna inter ipſum & fratres confeſſione facta, indulgentiam eis imprecatus, in oratorium cellæ ſuæ proximum ſe portari juſſit, & inter duo altaria deponi, quorum unum ſancto patri Benedicto, alterum ſancto Kiliano martyri ſacrum erat. Illic poſitus, caput ad ſancti Benedicti, pedes ad ſancti Kiliani aram converſos habens, miſſas illic celebrari præcepit. Cum ventum eſſet ad communionem, *ut accepit corporis & ſanguinis dominici euchariſtiam*, extenſis ad caput manibus, efflavit animam. Mox adfuere venerabiles abbates Gotehardus ſeu Godehardus Altahenſis, & Adalpertus Seunenſis*, juſta mortuo perſoluturi: ad cujus exſequias Heinricus Bajoariorum dux, brevi futurus imperator, cum multis aliis proceribus conveniſſe dicitur, aſſumto ſecum Gebehardo epiſcopo, qui ſancto abbati parum favorabilis fuerat; & propriis humeris feretrum portaſſe ad ſepulcrum, quod vir Dei vivens ſibi ante annos quindecim paraverat ad altare ſancti Gregorii in auſtrali parte cryptæ ab ipſo ædificatæ. Addit Arnolfus, ex-comite ejus loci monachus, a quo hæc accepimus, Heinricum ducem introiviſſe in foſſam ſepulcri, ipſamque clauſiſſe arcam, in qua corpus viri Dei poſitum fuit; ac ſibi claviculam ejuſdem arcæ pro pignore ſacro reſervaſſe, ac ſecum deinceps, *velut inſigne triumphi*, ſemper geſtaſſe. Tanta erat viri Dei apud eum exiſtimatio, quam ſubſecuta miracula confirmarunt. In his Arnolfus ipſe beati Ramvoldi meritis ſe febre liberatum fuiſſe teſtatur. Ex hoc auctore gravi & æquali intelligimus, Heinricum eo tempore ex Italia, ubi cum Ottone plurimum verſatus eſt, regreſſum fuiſſe, id eſt xv. kalendas Julii, quo die Ramvoldus abbas ad cælum migravit.

ANN. CHR. 1001.

* *de Seon.*

Non multo poſt deceſſit quoque Gerberga ſeu Gerburga Gandersheimenſis abbatiſſa, ex chronico Saxonico, in quo idibus Novembris hoc anno obiiſſe dicitur. Suffecta in ejus locum Sophia, filia Ottonis ſecundi, quæ antea pro nutu omnia jam diſpoſuerat extremis annis Gerbergæ abbatiſſæ, cujus affecta valetudo procurando monaſterio impar erat.

XX. Ramvoldi ſucceſſores.

Ramvoldum in præfectura monaſterii excepit Wolframmus, manſuetudine, ceteriſque virtutibus præditus: qui ſucceſſorem habuit ex collegio fratrum electum, Richboldum nomine. Huic ſucceſſit Hartwicus, vir magnæ virtutis, qui præſulatum abdicavit, & abbatiam Burchardo regendam reliquit. Eo mortuo, magiſtratum obtinuit Udalricus, prius in canonica vita probitate inſignis, poſtea *regulariter & monaſtice* ſancti Emmerammi congregationi prælatus, ut loquitur Arnolfus, qui ſub eodem abbate hæc ſcribebat.

XXI. Hirſaugiæ deſolatio.

Funeſta in primis fuit hoc ipſo anno mors Conradi Hirſaugienſis abbatis, quæ accidit XIX. kalendas Septembris: quo mortuo, ingens monaſterii deſolatio facta eſt, quæ per annos amplius ſexaginta-quatuor duravit. nam Conrado ſepulto, cum octo dumtaxat monachi in monaſterio ſupereſſent, duo ex illis, qui Eberhardo, Conradi abbatis æmulo, quondam in diſſenſione adhæſerant; ſuggerente Calvenſi comite, qui monaſterii rebus jam dudum inhiabat, electionem interturbarunt, comite interim per œconomum cuncta pro libitu diſponente, & vana ſpe monachos lactante, ſe abbatem illis ex alio monaſterio gnavum & utilem proviſurum. Interim inter fratres & œconomum diſſenſio, ut fit, exoritur, conquerentibus monachis de abuſu & diſpendio rerum omnium, qua occaſione captata, tyrannus ſex illos monachos e cœnobio pellit: ex quibus Theobaldus ſcholæ magiſter Fuldam, cum uno ſocio; alii duo Moguntiam ad ſanctum Albanum, duo quoque alii Herbipolim ad ſanctum Burchardum migrarunt. Non multo poſt, duobus aliis ſeditioſis aut mortuis, aut etiam expulſis, rerum potitus eſt comes, qui locum monachis omnino deſertum pauculis clericis ſub exiguo ſtipendio inhabitandum permiſit.

XXII. Vilikenſis monaſterii abbatiſſa prima Adelheidis.

Hoc item anno, ut in annalibus circuli Weſtphalici legitur, Megengozus Geldriæ comes, pro ſancto habitus, obiit XIV. kal. Januarii. Inter cetera ipſius pietatis opera, quæ plurima fecit, virginum monaſterium Vilikæ, ex oppoſito Bunnæ oppidi in ducatu Bergenſi a fundamentis exſtruxit, dotavitque ampliſſime una cum conjuge ſua Gerberga æque piiſſima, quæ cum eo ibidem humata eſt. Hoc cœnobium condere cœpit Megengozus poſt expeditionem in Boëmos ab Ottone tertio factam, in qua frater ejus Godefridus occubuit. Abſoluto opere, locum illum tradidere

ANN. CHR. 1001.

conditores in manum Ottonis imperatoris, qui eum omnimoda libertate donavit *ſecundum legem & conſtitutionem monaſteriorum* Gandersheimenſis, Quindelinburgenſis, & Aſindenſis, ita ſcilicet, ut nullus judex vel advocatus inde umquam ſervitium, aut in ejuſdem loci confiniis placitum exigeret, niſi quantum placuiſſet abbatiſſæ vel congregationi ſibi commiſſæ, & perpetuam eligendæ abbatiſſæ poteſtatem ejus loci ſanctimoniales haberent. Matre mortua, Adelheidis, quæ eatenus a mutando habitu retardata fuerat, de amplectenda demum monaſtica religione apud ſe conſtituit. Sed, ne imprudenter id aggrederetur, vires ſuas primum experiri voluit, an *forte ſufficere poſſet ad ſubeundam regulam beati Benedicti*, ne, iis deficientibus, in opprobrium evangelici dicti caderet. Ejus rei cauſa, *ſpretis carnibus, ceteriſque variis & exquiſitis alimentis*, ad quotidianam refectionem monaſticis pulmentis aſſuevit, ejus rei conſcia tantum una ſororum; & quamquam lineis exterius indumentis niteret oculis hominum, ſubtus *laneæ veſtis aſperitate* propter Deum corpus affligebat. Poſt annuam ejuſmodi probationem, Bertradam abbatiſſam, quæ ſoror ejus erat, & priores monaſterii ſanctæ Mariæ in Capitolio, quod Coloniæ-Agrippinæ tum religione celebre erat, accerſivit, earumque ſe ſubdidit magiſterio informandam, ſibique ſubjectis puellis, ut idem inſtitutum ſuſciperent, perſuadere tentavit. Ex his quædam dominæ ſuæ adhortamentis & exemplis paruere, aliæ ſæculum prætulere, quarum illa cæcitati vehementer condoluit. Priores vero, ne forte a propoſito corruerent, jejuniis & precibus confirmare curavit, *ne creſcentis ſacræ religionis ſuffocarent initia*. Sic mater omnium facta, *memor præceptorum ſancti Benedicti pii patris*, nomen & officium matris factis implevit. Hinc, *ſecundum præcepta regulæ*, prudentibus & ſollicitis ſororibus commiſit curam infirmarum ſororum, quibus ipſa ſæpe miniſtrabat. Nec minor ei de pauperibus ſollicitudo. Nam ex poſſeſſionibus monaſterii curtem unam aſſignavit, ex cujus annuis fructibus quindecim pauperes veſtiri ac nutriri poſſent: quibus inſuper in natali Domini quindecim ſolidos quotannis diſtribuebat. Alios etiam quindecim paſcendos inſtituit ex interioribus ſumtibus monaſterii, quibus etiam in quadrageſima & in feſtivitatibus Apoſtolorum, jejuniiſque quatuor temporum certam pecuniæ ſummam diſpenſabat. Tempore famis immenſa ejus caritas in egenos fuit. Denique ſcholæ in monaſterio ab ea inſtitutæ, ad informandas humanioribus litteris ſorores, quarum ingenioſioribus præmiola, ad excitandam æmulationem, ſubinde tribuebat. Ejus parens Megengozus triennio tantum Gerbergæ conjugi ſupervixit, cujus perennis felicitas filiæ viſo manifeſtata eſt. Itaque ſi recte Megengozi obitus hoc anno aſſignatur, Adelheidis monaſtica profeſſio anno undemilleſimo conſignanda eſt, anno poſt obitum ejus matris proximo, quem Adelheidis ſibi ad probationem indixit. Præter Bertradam ſanctæ Mariæ abbatiſſam, aliam ſororem Deo itidem Coloniæ conſecratam habuit: duas vero alias, quas ſpe poſteritatis parentes nuptui tradiderunt: quarum una Remintrudis nomine, avia fuit Heinrici ducis, Adelberonis Mettenſis epiſcopi, & Frederici ducis: altera Alverat ſeu Alverada, præclara ſobole itidem inſignis exſtitit, quæ omnia Andreas Cheſnius in ſtemmate ſtirpis Luxemburgenſis explicavit. Ex dictis manifeſtum eſt, regulam ſancti Benedicti viguiſſe in monaſterio ſanctæ Mariæ in Capitolio, ad cujus normam inſtitutum eſt Vilikenſe, ubi eadem regula obſervata eſt.

XXIII. Sceptoniæ facta donatio.

In Anglia Ethelredus rex cœnobium Bradefordenſe [a] ſubjecit ſanctimonialibus Sceptonienſis parthenonis, quæ tunc ob Danorum infeſtationes Scafteſbiriæ reſidebant. Hæc donatio eo pacto facta eſt, ut, parta pace, ſi ſanctimoniales ad priorem revertantur locum, pars tamen ex ipſa familia Scafteſbiriæ ad divina officia perſolvenda remaneat. Scripta eſt hoc anno ejus rei chartula, cui poſt regem ſubſcripſere Alfricus Dorobernenſis archipræſul, aliique epiſcopi, ſex filii regis, necnon abbates ſeptem, multique regni proceres. Ex epiſcopis ſubſcripſit Wlſigus ſeu Wlffinus Schireburnenſis, qui proinde ad hunc annum ſuperſtes fuit. Corrigendus itaque Godwinus, quem nos ſecuti, Wlffini obitum ante annos triginta collocavimus. Ei ſubrogatus Alfvoldus ex monacho Wintonienſi, quem *reverendiſſimæ vitæ* fuiſſe Willelmus [b] Malmeſburienſis tradit. Hic inter profuſiſſimos conviviorum apparatus, qui tunc in Anglia a Danorum temporibus exhibebantur, catino ligneo, ſine ullo unctiori cibo, & pocillo exiguo, aqua ſuperfuſa, ut cerviſiæ ſapor omnino dilueretur, ſemper uſus memoratur.

a *Monaſt. Anglic. tom. 1. p. 216.*

Epiſcopi Schireburnenſes.

b *Willelm. li. 2. c. 4.*

ANN. CHR. 1002. XXIV. Ottonis imperatoris obitus.

ANnum inſequentem milleſimum ſecundum mors Ottonis tertii imperatoris infeſtum reddidit. Hic, poſtquam Ravennæ diem VIII. kal. Decembris peregit, dum Romam ire cogitat, a Romualdo convenitur, atque ut piaculi cauſa, uti ſæpe fuerat admonitus, monachum induat, admonetur. Ad quem Otto: Obſequar tibi, inquit, ſancte pater, poſtquam Romanos res novas molientes domuero, Ravennamque rediero. Cui Romualdus: Si Romam adieris, Ravennam amplius non videbis. qua voce nequaquam exterritus, Romam perrexit, ubi natale Domini celebravit. Seditione dein auctore Gregorio quodam ipſi familiari adverſus eum excitata, Heinrici ducis & Hugonis Tuſciæ marchionis induſtria ex urbe cum Silveſtro pontifice elapſus, dum forte Ravennam tenderet, apud Paternum Romaniæ urbem exſtinctus eſt hoc anno milleſimo ſecundo ſecundum noſtrum calculum, adeoque præcedente ſecundum veterem computandi modum; & quidem menſe Januario, die non ſatis explorato, quem alii XII. aut X. alii denique IX. kalend. Februarii aſſignant. Ejus corpus ubi Coloniam allatum eſt, ab archiepiſcopo Heriberto honorifice ſuſceptum, primo ad monaſterium ſancti Severini poſt dominicam palmarum; inde feria ſecunda ad ſanctum Pantaleonem; die inſequente ad ſanctum Gereonem; quarta feria ad cathedralem ſancti Petri eccleſiam deportatur; unde ſacro die paraſceves elatum, ſabbato ſancto perducitur Aquiſgranum, ubi die ſancto paſchæ in medio choro baſilicæ ſanctæ Mariæ ſepultum eſt.

XXV. Heinricus ſuccedit.

Ottone mortuo, variæ ſimultates de imperio exortæ. In Italia Arduinus Eporediæ comes, quem chronographus Saxonicus Hartwicum vocat, Lombardiæ regnum occupat, eodemque anno bona & jura monaſterii Salvatoris Papienſis, petente Andrea abbate, confirmat. In Germania Ekkehardus marchio Saxoniæ imperium ambit: ſed Palithi ab adverſariis confoſſus, ab Alskero loci abbate, ut apud Ditmarum [a] legimus, ibidem ſepulturæ mandatur. Heinricus vero dux Bajoariæ, filius Heinrici ducis, Ottonis Magni fratris, victis demum imperii æmulis, Moguntiæ VIII. idus Junii regiam poteſtatem, cum dominica haſta ſibi traditam, a Willigiſo archiepiſcopo accepit. Poſt ea rex Corbeiam venit, ubi Cunigundis ipſius conjux ei occurrit: ibique ambo ab Hoſeto abbate cum omni honore ſuſcepti. Inde poſtera die, quæ ſancti Laurentii natalis erat, Patherbrunnam profecti ſunt: ubi Cunigundis *regalem coronam & benedictionem*, ut Tangmarus in vita ſancti Bernwardi epiſcopi teſtatur, ab ipſomet Willigiſo archiepiſcopo ſuſcepit. Sophia vero ſoror Ottonis, quæ poſt obitum Gerbergæ abbatiſſæ ad Gandersheimenſe regimen electa fuerat, more ſuo benedictionem a proprio epiſcopo, ſcilicet Bernwardo Hildensheimenſi, recipere noluit, ſed ab eodem Willigiſo archiepiſcopo, a quo jam velamen acceperat.

a *Ditmar. lib. 5. p. 53.*

Sophiæ abbatiſſæ benedictio.

XXVI. Heinrici prima diplomata.

Paullo poſt ſuam coronationem Heinricus ad Augiam inſulam venit, ibique nativitatem ſancti Johannis-Baptiſtæ celebravit. Inde, fruſtra exſpectato Hermanno Alemanniæ & Alſatiæ duce, qui cum eo de regno diſceptabat, in Turingiam rediit, & Merſeburgum veniens, ab Heimone abbate ſuſceptus eſt. Ex eo loco Babenburgum perrexit, ubi aream [b] quamdam intra muros urbis Ratiſponæ Altahenſi ſancti Mauricii monaſterio, quod Inferius vocant, petente Godehardo abbate, donavit. *Data* III. *idus Julii, anno dominicæ incarnationis* MII. *indictione* XV. *anno vero domni Heinrici regis primo. Actum Babenburch.* Alia duo ejuſdem regis diplomata Godehardus abbas poſtea obtinuit. Aquiſgranum dein profectus, rogatu Cunegundæ reginæ & Notkeri Leodicenſis epiſcopi curtim Coſlam, monachis Deo, ſanctoque Remigio Francorum doctori, ſub regulari diſciplina in ſuburbio Remorum militantibus a Magno Ottone conceſſam, præcepto ſuo eiſdem confirmavit V. idus Septembris. Idem rex hoc ipſo anno Ratiſponæ XII. kalend. Decembris verſabatur, cum venerabilis [c] Oda, Inferioris ſanctæ Mariæ monaſterii abbatiſſa, quod monaſterium divæ memoriæ Juditha, Heinrici regis avia, olim exſtruxerat, interventu Cunigundæ reginæ in ſuum mundiburdium accepit: ut *ſanctimoniales, monaſticæ vitæ ſub regula ſancti Benedicti mancipatæ, liberius & devotius illam, quam aggreſſæ ſunt, vitam abſque inquietudine regalium exactorum, vel ſubintrantium perſonarum conſervare valeant.* Inſuper confirmat omnes ejus loci poſſeſſiones, & liberam abbatiſſæ electionem, atque advocato ab ipſis ſanctimonialibus electo leges præſcribit. Oda abbatiſſa hic laudata non alia mihi videtur ab Ota ſeu Outa abbatiſſa,

b *Hund. to. 2. p. 21.*

c *ibid. p. 590.*

ANN. CHR. 1002.

cujus obitus in necrologio ſancti Emmerammi notatur IV. idus Octobris, & in kalendario Murenſi ipſo die in hæc verba : *Outa abbatiſſa, Deo hominibuſque digna, migravit. Arnolt nepos ejus.*

Hugo dux Florentiæ ſepultus. a *num.* 24.

Ex his quæ ſuperius [a] diximus de Hugone Tuſciæ duce ſeu marchione, ejus ſcilicet ope & induſtria Ottonem imperatorem ex urbe Roma, quod Ditmarus, Baldericus, aliique tradunt, evaſiſſe; manifeſtum eſt ipſum ad hunc annum perveniſſe. De eo fuſe agit Petrus Damiani in opuſculo LVII. ubi parentes ejus Obertum marchionem, regis Hugonis filium, & Guillam ſeu Willam Bonifacii marchionis filiam laudat; aitque Hugonem iſtum marchionem annis quinquaginta vixiſſe, ſexque monaſteria in ſui juris poſſeſſione conſtruxiſſe, quæ non modo prædiis & mancipiis, ſed & argenteis aureiſque vaſis, nec non variis eccleſiaſticis ornamentis liberaliter ditaverit: *in quorum uno*, inquit, *venerabili* [b] *videlicet ac religioſo, quod ad honorem Dei-genitricis eſt in Florentina urbe conſtructum, jacet cadaver ejus humatum.* Hoc eſt celebre illud ſanctæ Mariæ monaſterium, Abbatiæ nomine abſolute inſigniri ſolitum, ubi re vera Hugo marchio ſepultus eſt in ſarcophago porphyretico, quod hodie quoque cernitur in atrio ejuſdem monaſterii, ad miniſterium aquæ nimis ingrate redactum, uti Baronius ſe accepiſſe tradit. Ejuſdem Hugonis epitaphium idem auctor hoc anno refert, ubi XII. kalendas Januarii obiiſſe dicitur; ac proinde aliquot ante Ottonem auguſtum diebus. unde probabile redditur id, quod poſt ſuperiora refert Petrus Damiani, Ottonem auguſtum defuncto Hugoni inſultaſſe, quod adverſus eum aliquando ſtimulo invidiæ actus fuiſſet; eumque eodem anno defunctum fuiſſe. Cum enim ex dictis Otto imperator non ante duodecimum kalendas Februarias deceſſerit, certe aliquot diebus ſuperſtes fuit Hugoni, qui duodecimo kalendas Januarii obiiſſe traditur. Nec omittendum id, quod idem Petrus ſubdit de Marino prædicti monaſterii abbate, qui nocturna viſione admonitus dicitur, *ut corpus* Hugonis ducis *in ſupinum juxta conſuetudinem volveret, quod in os reclinatum jacebat.* Tantum de Hugone duce, cujus religionem & pietatem idem Petrus, immo ipſa facta magnopere commendant, ut ex dictis manifeſtum eſt.

b *V. lib.* 50. *n.* 27.

XXVII. Correni cella Montis-majoris. c *lib.* 51. *n.* 117. * *Correns.*

Dum Archinricus abbas, ſub finem [c] præcedentis ſæculi jam laudatus, Montis-majoris cœnobio præeſſet, matrona quædam nobilis, Balda nomine, ſecundum ſupremam conjugis ſui Lamberti-Dodonis voluntatem, res ſuas in villa-Correno *, eidem abbati conceſſit ad conſtruendam cellam in honorem ſanctæ Mariæ. Hic locus ſitus eſt in Provincia ad Argintium fluvium, ubi Aquenſem dioeceſim a Forojulienſi diſterminat. Facta eſt hæc donatio apud Arelate VII. idus Decembris hujus anni, eique Rotbaldus comes, Adalax comitiſſa, & Willelmus hujus filius cum tribus Baldæ filiis ſubſcribunt. Non multo poſt idem abbas Otbertum monachum ſuum Romam miſit ad Sergium IV. qui dato diplomate novæ Correni eccleſiæ dedicationem, in honorem beatæ Mariæ, ſanctique Johannis & ſancti Petri ac ſancti Benedicti faciendam injunxit. Illic monaſterium magnifice condidiſſe perhibetur Umbertus Montis-majoris monachus, ſic enim in rudi ejus epitaphio legitur; idemque grammaticam docuiſſe.

S. Luciani reliquiæ inventæ.

Bellovaci in monaſterio ſancti Luciani, Rotgero epiſcopo, Rainero abbate, cuidam fratri, nomine Giraldo, facta eſt hoc anno revelatio de ſepulcro & de quibuſdam reliquiis ſancti Luciani; præceptumque, ut viſum & locum, quem ſplendenti lumine illuſtratum viderat, epiſcopo & abbati renuntiaret. Cum id exſequi differret, morbo non ſemel pulſatus, viſum tandem abbati & fratribus indicavit. qui humo in loco deſignato effoſſa, ſepulcrum, in eoque reconditum loculum invenerunt, idque ſtatim epiſcopo ſignificarunt. Hic, jejunio prius ab archidiacono indicto, iſtuc acceſſit: tum loculum reſeratum *in medio poſuit monaſterio*, id eſt eccleſia, in eoque reliquias ſancti Luciani martyris invenit, *id eſt ſandalia atque albam, ſanguine quaſi recenti perfuſam.* Hæc legimus in veteri illius monaſterii membrana, in qua hæc revelatio fratri Giraldo primum facta dicitur *anno* M II. *regnante Roberto rege, in epiſcopali cathedra Rogero reſidente, ſexta feria, quæ eſt ante ſabbatum ſanctum Pentecoſtes, poſt celebrationem matutinorum hymnorum.* In ejuſdem loci necrologio notatur VI. *kalend. Octobris Rainerus abbas:* cui forte ſucceſſit Fulco, de quo hoc legimus in eodem necrologio, II. nonas Decembris *Fulco epiſcopus Aurelianenſis, quondam abbas hujus eccleſiæ*, de quo poſtea.

Ad hunc

ANN. CHR. 1002. XXVIII. Flaviniacenſes abbates.

Ad hunc itidem annum revocanda eſt reſtitutio Flaviniacenſi facta monaſterio, *ſupplicante domno Heldrico abbate*, cunctoque cœtu Flaviniacenſium monachorum, a Landrico ſeniori comite Nivernenſi, qui alodium quoddam, vocabulo *Corbeton*, quod olim Wilencus, cognomento Pilans-porcum, eidem cœnobio contulerat, ab eo abſtractum, eidem pro animæ ſuæ ſuorumque remedio reſtituit. *Actum Autiſiodoro publice, ſcriptum* vero *manu Willelmi ſancti Germani monachi juſſu Landrici comitis, regnante anno* VII. *rege Rotberto*, V. *kal. menſis Auguſti.* quo tempore, mortuo Heinrico Burgundiæ comite, Landricus Autiſiodorum civitatem contra Rotbertum regem tenebat. Ejus reſtitutionis inſtrumento appoſita ſunt ſigna *domni Landrici comitis*, Bodonis & Landrici filiorum ejus; Richardi, Alwalonis, & Iterii militum, aliorumque. Non multo poſt miles [a] quidam, Gerardus nomine, *domni Hildrici abbatis præſentiam, omniumque fratrum Flaviniacenſis cœnobii adiit*, ſupplicaturus, ut duobus filiis ſuis Humberto & Gerardo, necnon uni heredum illorum concederent *poteſtatem quamdam ſancti Petri, Fontanas nuncupatam, Atoarienſi comitatu conjacentem*, quam ipſe antea tenuerat. Supplicanti aſſenſum præbuere Flaviniacenſes, *conſentiente domno Walterio ſereniſſimo Æduæ civitatis pontifice*, conceſſeruntque duobus Gerardi filiis, necnon uni heredi illorum, prædictam *poteſtatem* « cum ſua eccleſia, aliiſque duabus eccleſiis, una ex villa Domni-Petri; alia ex villa « Acellis nuncupata; & quidquid ipſi habebant ex ipſa poteſtate in villa Fiſcentiis « comitatus Divionenſis: ea ſcilicet lege & conditione, ut quotannis cenſum decem « ſolidorum in feſtivitate ſancti Petri III. kalend. Julii reddant; & poſt obitum illo- « rum trium heredum hæc poteſtas ad prædictum monaſterium revertatur. *Actum* « *Flavigniaco* VIII. *anno regnante rege Rotberto.* Huic præſtariæ ſubſcribunt Heldricus abbas, ejuſdemque loci fratres numero novem, quorum primus Amadeus, idem, ut videtur, qui Heldrico abbati poſtea ſucceſſit. Hæc villa Fontanæ non alia mihi videtur ab ea, cujus dominus erat Teſcelinus, ſancti Bernardi abbatis pater, qui forte a prædicto Gerardo milite originem traxit.

a *Rovere in Reomao p.* 173.

S. Michaëlis item ad Moſam.

Non omittendus hoc loco eſt Adalbertus ſeu Albertus Aubertuſve, abbas ſancti Michaëlis ad Moſam, eo nomine primus, ſucceſſor Oddonis ſuperius laudati, cujus obitus in necrologio notatur kalendis Februarii. Adalberti abbatis tempore Thybertus quidam donat ſancto Michaëli manſum unum in villa *Vilercel*, in parochia « ſancti Martini, *in pago & comitatu Barrenſi. Actum anno ab incarnatione Domini* « M II. *indictione* XV. *regnante Rotberto rege anno* VIII. His litteris ſubſcribunt Theodericus dux, Theodericus comes, Adalbertus abbas, Wlfrinus præpoſitus, & alii. In necrologio ad diem XVI. Aprilis notatur *Aubertus primus, abbas hujus loci; & Albericus eques ejus frater.* Adalberto ſucceſſit Nanterus abbas, de quo plura inferius.

XXIX. Heinrici præcepta pro Corbeia & Herifordа.

Poſt mortem Thietmari Corbeiæ-novæ abbatis, quæ IV. idus Martii accidiſſe dicitur, in ejus locum ſubrogatus eſt Hoſed ſeu Huſat, cujus rogatu Heinricus [b] rex antiqua illius monaſterii jura præceptione regia renovavit, *data* IX. *kal. Septembris, anno dominicæ incarnationis* M II. *indictione* XV. *anno vero domni Heinrici regis* I. *Actum Noviomago.* Hic occurrunt ſcrupuli duo: unus, quod Thietmarus Hoſeti deceſſor, qui IV. idus Martii obiiſſe dicitur in chronico Corbeienſi, hoc ipſo anno Heinricum regem Corbeiæ menſe Auguſto excepiſſe in chronico Saxonico memoretur. alter, quod anno tantum ſequenti Heinricus Noviomagum adiiſſe videatur. unde non improbabili conjectura dici poſſit, hoc præceptum anno tantum milleſimo-tertio datum fuiſſe. quod tamen ſub dubio propoſuerim. Nicolaus Schatenus, qui hoc privilegium retulit, aliud [c] quoque ejuſdem regis conſimile præceptum profert pro parthenone Herifordenſi, quod domna Godeshiu abbatiſſa, interventu reginæ Cunegundæ, & conſultu Willigiſi Moguntini archiepiſcopi ac Bernardi ducis, obtinuit pridie idus Auguſti hoc anno. *Actum Arundi.* Utrumque privilegium, aliaque ibidem relata, Egilbertus cancellarius vice Willigiſi archicapellani recognovit. Bernardus ille, Saxoniæ dux, frater erat Godeshiu ſeu Godeſti abbatiſſæ, avaritiæ & rapacitatis notatus in actis ſancti Meinwerci epiſcopi Patherbrunnenſis, ſcilicet quod illius parthenonis theſaurum confregerit, ac multam inde abſtulerit pecuniam. qua de re in ſynodum ab epiſcopo citatus, in noxæ piaculum triginta denariorum talenta reſtituere coactus eſt. In eodem parthenone Meinwercus novam baſilicam, Ad-crucem dictam, ædificaſſe, & conſecraſſe traditur. Prædictus

b *Annal. Paderborn. p.* 363.

c *ibid.*

ANN. CHR. 1002.

abbas Hosetus monumentum erexit Witichindo, nobili ejusdem loci historico, quem *pium & doctum schola magistrum* vocat *& historicum, etiam regi*, scilicet Ottoni secundo, *& reginæ dilectum*. Eodem abbate, beatus Godefretus monachus junior statim post mortem miraculis claruisse dicitur in annalibus Corbeiensibus ad annum M IX. quo forte anno decessit. In annalibus Saxonicis nondum editis, rex Heinricus ejusque conjux *a venerabili abbate Thietmaro cum omni honore susceptí* fuisse dicuntur. Verum id tempore Hoseti abbatis contigisse certum est ex privilegio, quod Husat ab eodem rege anno M II. vel sequenti obtinuit.

XXX. Perusini privilegium assertum in synodo Romana. a *Ital. sac. to. 9. p. 918. & seq.*

Sub finem hujus anni habita est Romæ synodus in palatio Lateranensi, præsidente Silvestro pontifice, apud quem Petrus abbas monasterii sancti Petri Perusini de Cononе [a] ejus urbis episcopo questus est, quod *armata manu suorum satellitum* ipsum Petrum, sub altari ejusdem monasterii jacentem, abstraxisset, extraxissetque ab ecclesia, & omnia illic inventa diripuisset. At id suo jussu aut nutu factum pernegavit episcopus, immo se paratum esse dixit ad tutandum abbatem, si qua vis ei illata esset. sed monasterium suæ sedi omnino subjectum esse debere contendit, non Romanæ, nec passurum imminui ecclesiæ suæ dignitatem. Ad quod pontifex: *Ego monasterium ecclesiæ tuæ neque subtraxi, neque subducere feci*: sed *sub jure & dominio ecclesiæ nostræ illud inveni, & ita possessum usque nunc tenui*. Tum pontifex anteccessorum suorum pontificum Johannis ac Gregorii hac de re privilegia recitari jussit, quæ monasterium illud Romanæ sedi vindicabant. Ad hæc reposuit Cono, hæc absque decessoris sui consensu facta fuisse: si ille consensisset, æternum inde silentium se habiturum. At cum Romani clerici id consensu & rogatu decessoris ejus factum fuisse, seque ejusdem hac de re epistolam vidisse assererent, idque tactis evangeliis sacramento firmare parati essent; Cono demum monasterii privilegium & exemtionem agnovit, & dato Petro abbati osculo, se illi adfuturum, ubi res postularet, pollicitus est. His actis, ne Perusini episcopi in posterum hanc litem renovarent, pontifex decem librarum argenti multa vetuit. Hæc synodus habita est præsidente, ut dixi, Silvestro secundo, *in palatio sacro-sancto Lateranensi, anno quarto ordinationis suæ, mensis Decembris die tertia, indictione prima*, a Septembri inchoata. Idem privilegium denuo assertum est sub Benedicto IX. agente Bonizone abbate adversus Andream episcopum Perusinum. Priori illi synodo Petrum abbatem quinque annos superstitem fuisse Ferrarius, aliique scriptores Italici scribunt, eumque Sanctorum numero adscribunt ad diem decimum Julii, quo die in fastis Benedictinis locum habet, eumque notat anonymus subæqualis, qui ejusdem sancti Petri abbatis vitam litteris mandavit, editam ad calcem I. partis Sæculi VI. Benedictini.

XXXI. Brunonis nativitas & parentes.

Antequam hunc annum finiamus, non omittenda est commemoratio Brunonis, postea Tullensis episcopi, ac demum summi pontificis sub nomine Leonis IX. cujus nativitas hoc anno consignatur. Ejus pater Hugo consobrinus erat Conradi imperatoris, cognomento Salici; mater Heilewidis seu Helvidis nobilitate non impar, pietate haud dissimiles, qui amplissimum patrimonium condendis monasteriis, egenisque sublevandis impenderunt, exemplo majorum suorum: quorum patres & avi, post egregia armorum facinora, *circa senium, abjecta omni superbia generis & luxu mundi, induerunt humilitatem & paupertatem Christi, patrimonia sua dando ecclesiis, cœnobia construendo in suis & ex suis prædiis: sicque tandem perfecte secuti Christum, se ipsos etiam abnegarunt; stultaque sapientia sæculi omnino posthabita, sapienti stultitiæ Dei atque monastico habitui tota cordis contritione submiserunt, laudabilique per cuncta fine decesserunt*. Vignerius id interpretatur de Hugonis patre & avo, quem utrumque itidem Hugonem vocat. Johannes de Bayone Brunonis avum, haud dubie maternum, Ludovicum appellat. Hi, præter alia plurima, ex suis prædiis duo instituerunt cœnobia, scilicet Hissam * in honorem sancti Martini prope Sareburgum pro sanctimonialibus; alterum virorum sub titulo sancti Cyriaci martyris apud Altorfium. quin etiam Lutrense suis facultatibus plurimum auxerunt. Huc spectat quod in actis sancti Deicoli abbatis Lutrensis legitur de Hugone, filio Eberardi potentissimi in Alsatia comitis, qui Hugo, cum Lutrense monasterium diripuisset, tribus filiis suis membrorum contractione multatis, crimen agnovit, ablata cum fenore restituit, ac demum monasticæ vitæ cum tribus filiis suis se devovit. An is avus fuit Hugonis, Brunonis parentis, qui una cum uxore sua in Vosago, haud procul a Senonensi monasterio, prope Salmam & Asburgum * habitasse fertur. In chronico tamen Sa-

* *Hesse.*

* vulgo *d'Abo.*

ANN. CHR. 1002.

xonico manu-scripto, in castello Alsatiæ, quod dicitur *Egenesheim*, ortus fuisse traditur. Illic itaque Bruno, toto corpore crucis signis insignito, in lucem editus est XI. Kalend. Julii, præsenti anno: qui dies & annus, ob præclara tanti pontificis merita, inter faustos ecclesiæ dies accensendus est. Ambo ejus parentes tantæ pietatis fuisse perhibentur, ut eis non modo laïci, sed & ecclesiastici viri haberent quod imitarentur. Hi cœnobium, solitariæ vitæ aptissimum, Woffenheimii prope Engesheimium castrum suum construxerunt. Cum Bruno annum quintum attigisset, Bertholdo Tullensi episcopo educandus, & litteris informandus a pia genitrice, quæ eum ipsa lactaverat, traditus est: qua in schola duos collegas habuit natu majores, Adalberones nuncupatos: quorum alter, Theoderici ducis filius, immaturo fato functus est: alter Hezelonis ducis germanus, Friderici principis filius, sub scholasticorum magistro, magister nepotuli sui Brunonis exstitit. Hugonis senioris tres filii, mox laudati, fuere Heberardus, Hugo, & Guntramnus, ex actis [a] sancti Deicoli: ex quibus Hugo Brunonis, Eberhardus Conradi Salici parens fuisse creduntur.

a *V. lib. 46. n. 24.*

OTtonis imperatoris obitum mors Gerberti seu Silvestri secundi papæ, ejus olim præceptoris, brevi subsecuta, cum vix annum quintum pontificatus inchoasset. Obiit quippe anno incarnationis millesimo tertio, indictione prima, mensis Maii die XII. ut ejus epitaphium docet, quod Sergius IV. ipsius post Johannem alterum successor, in ejus honorem composuit. Ex hoc uno monumento refelli potest fabula in vulgus a Bennone cardinale primum jactata, dein ab imperitis scriptoribus excepta, Silvestrum magicis artibus ad summum pontificatum perveniisse. Si quas enim artes ad illam dignitatem conscendendam adhibuit, non alias sane quam doctrinam, eruditionem, & industriam haud vulgarem, qua dextere usus est ad faciendum sibi gradum ad honorem. Neque enim Gerberto, etsi humili loco nato, umquam defuit, ut verum fatear, ambitio, nec obsequium in magnates & principes, quos consiliis suis favorabiles fore existimavit. Nec mirum, quod mathematicis studiis plurimum deditus male audierit, cum mathematici eodem loco atque magi ab antiquis non raro habiti sint. Unde, Tiberio [b] imperante, *facta de mathematicis, magisque Italia pellendis senatusconsulta: quorum e numero L. Pituanius saxo dejectus est.* Quamquam Gerbertus ab æqualibus ejus temporis scriptoribus pro magno viro habitus, laudatusque est. Sed non mirum, nec novum, excellentes viros invidia laborare. Certe, etsi Gerberto ambitionem non defuisse assentior, zelum tamen præ se tulisse probant tum ejus epistolæ, tum sermo ab eo compositus ad informationem episcoporum, quibus præclara monita suggerit. Ad hæc Helgaudus initio vitæ Rotberti regis auctor est, Silvestrum nostrum in pontificatu *multa virtutum insignia*, & præcipue *in eleemosyna sancta*, operatum fuisse. Præter editas Gerberti epistolas, una est nondum vulgata, ab ipso jam summo pontifice scripta ad quemdam Adalboldum, qui eum de quibusdam geometricis quæstionibus consuluerat. Exstat hæc epistola cum litteris ipsius Adalboldi in codice, olim Floriacensis, nunc Ottobonianæ bibliothecæ, cum tractatu necdum edito ejusdem Gerberti de abaco, quem Gerbertus composuit hortatu Constantini monachi Floriacensis, ut ipse testatur in epistola CLXI. ad eum scripta. Ex quibus intelligas, quam immerito e numero summorum pontificum expunctus sit a nonnullis, qui Agapetum nescio quem ejus loco substituerunt.

b *Tacit. lib. 2. c. 32.*

ANN. CHR. 1003. XXXII. Silvestri papæ obitus, scripta, & apologia.

Humatus fuit primum Silvester in porticu basilicæ Lateranensis: ex cujus marmoreo sepulcro, cum non esset humido loco situm, nihilo minus, sereno etiam cælo, aquæ guttatim manabant non sine complurium admiratione, ut Rasponus [c] observavit in libro primo de basilica Lateranensi. Huc spectat id, quod legitur quodam in chronico [d] Vezeliacensi de Gerberto, *cujus tumba*, inquit auctor, *sudat ante obitum paparum*. Addit Rasponus, ejus sepulcri tabulam marmoream in reparatione ecclesiæ, tumulo effosso, intra basilicam, citra minorem ejus portam, ubi nuper erat effigies sanctissimi Crucifixi, collocatam fuisse. Nec illud prætermittendum ex eodem auctore, quod anno M DC XLVIII. dum pro ecclesiæ reparatione nova jacerentur fundamenta, repertum fuit ejusdem Silvestri cadaver, in marmorea capsa palmis duodecim sub terram defossa integrum, pontificiis vestibus amictum, brachiis in crucem conformatis, capite sacra tiara obtecto: sed confestim loco motum, aëre

Sepultura ejusdem.

c *Raspon. p. 25.*

d *Labbe bibl. to. 1. p. 395.*

AN. CHR. 1003.

„ permeante, in cineres diſſolutum fuit: e quibus tamen, fortaſſe ob aromata, qui-
„ bus corpus conditum fuerat, ſuavis odor fragravit; neque, præter argenteam cru-
„ cem & pontificalem anulum, aliud incorruptum remanſit. Hactenus Raſponus.

XXXIII. Succeſſores.

Defuncto Silveſtro ſuffectus Johannes, cognomento Siccus, patria Romanus, ejus nominis ſextus-decimus, dictus decimus-octavus; ſeditque tantum menſes quinque & dies aliquot: cui ſucceſſit Johannes dictus decimus-nonus, cognomento Faſanus. Hi duo electi factione Tuſculanorum comitum, qui dominationem in urbe, Ottonum tempore intermiſſam, reſumſerunt. Hos notat charta Farfenſis, data hoc anno, ſcilicet *temporibus domni Johannis ſanctiſſimi ſummique pontificis & XVI. papæ, & venerabilis Rainerii epiſcopi, & Rainerii & Creſcentii comitum ac rectorum terræ*
„ *Sabinis, in menſe Julio, indictione* I. quo tempore Hubertus filius Tebaldi mar-
„ chionis, jacens in lecto, reddidit terras, quas injuſte tenebat de monaſterio ſanctæ
„ Mariæ, & apprehenſo fuſte inveſtivit, & refutavit eas ad Johannem præpoſitum
„ prædicti monaſterii. Menſe Junio præcedente, & quidem die XIV. ejuſdem menſis,
viri quidam nobiles eidem monaſterio, cui tum præerat *domnus Hugo Dei gratia*
„ *humilis presbyter, eximius monachus, atque angelicus abbas*, conferunt eccleſiam ſan-
„ ctorum Adriani atque Nataliæ cum curte ſua, poſitam infra civitatem Veterem,
„ quæ vocatur Albula, non longe a civitate Tiburtina, in loco, qui vocatur Marini;
jurantes per Deum omnipotentem, ſanctæque ſedis apoſtolicæ dominum Johannem ſanctiſ-
„ *ſimum XVI. papam*, ſe hæc omnia inviolabiliter conſervaturos.

XXXIV. Fructuarienſe monaſterium conditur.

Inter varia decora, quæ Willelmus abbas Divionenſis bene multa Ordini noſtro contulit, inſigne eſt præ cæteris Fructuarienſe monaſterium, quod in fundo paterno a fratribus ſuis, ipſo curante ac ſuffragante, conditum eſt. Hujus monaſterii natales ad hunc annum milleſimum-tertium revocant verſus quidam, ex veteri ejuſdem loci chronico deſumti, aſſignantque ſeptimum diem ante kalendas Martii, quo die fundamenta cœnobii jacta ſint. Sic enim hos verſus interpretor.

Si quis Fructuariæ mavult prænoſcere quando
Cœnobii cœptum rite fuiſſet opus:
Milleſimus ſublimis erat tunc tertius annus
Partus virginei principis ætherei:
Martii ſeptenæ, ſeu Indictio prima, kalendæ
Tempus, vel curſum ambo ſuum peragunt.
Rex Ardoinus, regni moderamine feſſus,
Regnat in Heſperia, tendit in Auſoniam.

Erant Willelmo noſtro tres fratres, Gotofredus, Nitardus, & Robertus: quorum duo priores monaſticen in Divionenſi abbatia profeſſi, amplas poſſeſſiones Roberto fratri reliquerunt. Nitardus Roberto auctor fuit, ut conſtruendo monaſterio Fructuariam impenderet, qui locus eſt Galliæ ſubalpinæ in diœceſi Eporedienſi, poſitus inter duo flumina, Orcum & Amalonem. Fratris pio conſilio acquieſcens Robertus, legali teſtamento, quod *judicatum* appellant, locum tranſtulit in Dei poſſeſ-
„ ſionem per manus Gontardi Taurinenſis archidiaconi, ea conditione, ut locus ille
„ *nullo modo primam & antiquam perderet libertatis dignitatem*; & nulli epiſcopio ſive
„ monaſterio, ſeu ſæculari dominio ſubjaceret. quod Johannes decimus-nonus confirmavit, & poſt eum Benedictus in plena ſynodo Lateranenſi, in qua, præter abbates, alioſque diverſi ordinis viros, quadraginta epiſcopi cum ſancti Petri cardinalibus adfuiſſe dicuntur. Non parum etiam ad id opus rex Arduinus & Berta ejus conjux contuliſſe memorantur. Atque ne Divionenſes monachi quamdam ſibi injuriam factam cauſarentur, quod Fructuarienſe monaſterium eorum ditioni ſubtraheretur; conceſſa eis inſignia ornamenta ab eodem monaſterio, ſcilicet textus evangeliorum auro & gemmis ornatus, caſula auro decorata, duæ ſtolæ cum manipulis pariter deauratæ, aliaque nonnulla; idque Bruno Lingonum antiſtes comprobavit. Hæc omnia conſtant ex litteris Willelmi abbatis, deſtitutis chronicis notis: quibus multi epiſcopi, abbates, ac proceres cum Rotberto rege & filio ejus Hugone jam rege, ſed forte diverſis temporibus, ſubſcripſere, ut poſtea videbimus.

XXXV. S. Benigno factæ donationes.

Etſi anni Rotberti regis a morte patris paſſim numerabantur, nonnumquam tamen ab inito cum patre principatu numeratos fuiſſe vetera quædam monumenta

probant. Unum eſt Hugonis [a] cujuſdam & conjugis ejus Ermengardis, ſancto Benigno quædam prædia in pago Alſenſi conferentium *præcipue pro ſepultura filii ſui*, ea conditione, ut domnus abbas Willelmus, & ejus monachi ſucceſſoreſque eorum in perpetuum ea poſſideant. *Actum Sarmatii* caſtro. Datum feria quinta*, VII. *kal. Decembris, anno* XV. *regnante Rotberto rege*: quæ chronicæ notæ huic anno milleſimo tertio conveniunt. Eodem modo Rotberti regis anni numerantur in ſequenti charta Walterii epiſcopi Æduenſis apud Perardum, confirmantis donationem cujuſdam eccleſiæ prope Belnenſe caſtrum ſitæ, eidem monaſterio factam anno ſequenti a quodam Oddone & Ingola ejus uxore, qui illam eccleſiam, ab annis amplius centum deſtructam, reſtruxerant, atque ex rebus ſuis dotaverant *auctoritate regia, ſenioriſque ſui illuſtriſſimi, ſcilicet comitis Ottonis*: cujus eccleſiæ cœmeterii limites Rotbertus rex ipſe deſignaſſe dicitur. Huic inſtrumento poſt Walterium epiſcopum ſubſcribunt Huboldus abbas, Helmuinus, Gerardus, Hunricus itidem abbates. *Actum Belno* in curia Ottonis comitis*, qui etiam ſubſcripſit.

ANN. CHR. 1003.

[a] *Perard*, p. 168.

* *Saumaiſe.*

* *Beaune.*

XXXVI. Odonis vicecomitis, ejuſque conjugis epitaphia.

Hic Oddo vicecomes erat, filius Heinrici ducis, teſte chronographo Benigniano, qui hujus inſtrumenti ſummam refert. Non dubitem, quin idem ſit Odo ille, cujus epitaphium reperi in veteri codice Benigniano, cum epitaphio ejus uxoris, quæ Inga appellatur. Utrumque huc referre placet.

Mortalis titulo ſignabar nominis Odo,
Iſtic pro poſſe, pro fore niſus ope.
Exſolvi invitus hic ultima fata ſepultus,
Et terræ matri terrea membra dedi.
Dilexi Stephanum vivens in carne beatum:
Ac ſpe ſalvandi, do mea, meque ſibi.
Lector, ſarcophagi te poſco epigrammate triſti,
Sortem cerne meam, ac memorare tuæ.
Da lacrymas, impende preces, gremioque redibunt
Res, tua ſi nobis gaudia plena petis.
Sena dies menſis, Junii quæ eſt ante kalendas,
Clauſit ab officio ne videant oculos.

Ex his verſibus patet, Odonem ſepultum fuiſſe in Belnenſi eccleſia ſancti Stephani, quem ait ſe, dum viveret, dilexiſſe. Sequitur Ingalæ ſeu Ingæ ejus conjugis epitaphium.

Inga vocante Deo dedit iſti membra ſepulcro,
Femina virtutis actibus apta piis.
Fœdere legitimo conjunx copulata marito,
Pauperibus monachis vixit opima bonis.
Quapropter lugubrem qui præteris, aſpice tumbam,
Et dic, Summe Deus, da famulæ veniam.
Quæ ſevit, Domine, pro vita perpete redde:
Incurrit noxam; gratia tollat eam.
Idibus hæc Jani ſublata eſt carcere mundi.
Judicio mortis eſt ſibi clauſa dies.

XXXVII. Argentoilum reſtitutum.

Argentogilum ſeu Argentoilum monaſterium Chlotharii tertii principatu conſtruxerat quidam Ermenricus cum conjuge ſua Numana, illudque monaſterio Dionyſiano ſubjecerat. Hoc ipſum poſtea Carolus Magnus a Dionyſianis obtinuit, ſacraſque virgines illic collocavit, quibus Theodradam filiam ſuam præfecit, eo pacto, ut poſt mortem ejus ad Dionyſianos locus ille reverteretur. An effectus conſecutus ſit, incertum: at certum videtur, hoc monaſterium, ut pleraque alia, Normannorum tempeſtate deſtructum fuiſſe. quod poſtmodum Adelaïs regina, Hugonis regis conjux, reſtruxit, teſte Helgaldo, *ubi numerum ancillarum Dei non minimum, ſub norma ſancti Benedicti vivere paratas, adunavit*, iiſque multas aſſignavit poſſeſſiones. Hanc donationem pius ejus filius Rotbertus, matris voluntati morem gerens, regali præcepto confirmavit, quod Gerardus a Boſco in hiſtoria eccleſiæ Pariſienſis ex authentico vulgavit. *Actum in paſcha apud ſanctum Dionyſium, anno*

ANN. CHR. 1003.

tertio-decimo regni Rotberti glorioſiſſimi regis Francorum, indictione prima. Franco cancellarius præceptum recognovit. Sic reſtitutum monaſterium ſanctimonialibus ſubjectum manſit ad annum uſque M C XXVII. quo Sugerius abbas ea, qua pollebat, auctoritate Dionyſianis illud vindicavit.

XXXVIII. Miliduneníis monaſterii immunitas. a *V. lib. 50. n. 57.*

Idem rex Rotbertus matris ſuæ Adelaïdis piis ſuaſionibus, accedente etiam Burchardi comitis, ejuſque filii Rainoldi Pariſienſis epiſcopi hortatu, immunitatem omnium exactionum indulſit Milidunenſi [a] ſancti Petri monaſterio, cujus poſſeſſiones inſuper confirmavit. *Actum Pariſius palatio anno ab incarnatione Domini milleſimotertio, regni autem Rotberti glorioſiſſimi octavo.* Poſt regium monogramma ita ſubſcribit cancellarius: *Sanctæ matris Dei Mariæ Remenſis eccleſiæ Franco levita, regiſque Rotberti a commentariis relegit.* Regio præcepto appoſita ſunt dilutiori atramento ſigna Adelaidis reginæ & Conſtantiæ reginæ, Brunonis, Fulconis, Willeberti, & Odonis epiſcoporum. Burchardi, Gualterii, Guidonis & Giſleberti comitum, qui omnes poſt tempus dati diplomatis videntur ſubſcripſiſſe. Certe ſi Conſtantia tum præſens, regique conjugata fuiſſet, non tantum Adelaïdis reginæ & Burchardi comitis, adeoque Rainoldi hujus filii rogatu conceſſum diploma dicturus fuiſſet Rotbertus. Bruno epiſcopus erat Lingonenſis, Fulco Aurelianenſis, Willebertus, forte Gilbertus Meldenſis, & Odo Carnutenſis. Prædictam immunitatem ratam habuit rex Heinricus dato diplomate Miliduni in curia epiphaniæ, omiſſo anno; atque inſuper *viam publicam extra atrium* ejuſdem cœnobii, ſuperius ad occaſum vergentem, ſancto Petro conceſſit. Hanc vero immunitatem renovavit pulſatus querelis monachorum, quos regii ſatellites vexabant, *& patris eorum Adalerii*, quem *dilectum Deo & hominibus morum probitas*, inquit, *& vitæ ſimplicitas efficit.* Appoſita ſunt poſt regem ſigna Mainardi archipræſulis Sennenſis, Walterii & Frollandi epiſcoporum; Radulfi, Willermi & Oddonis comitum. Walterius Meldenſem eccleſiam, Frollandus Silvanectenſem regebat.

XXXIX. Magenardus in Carnutenſe monaſterium intruſus.

Vix ſerius hoc anno reponi poteſt obitus Giſberti abbatis monaſterii ſancti Petri Carnutenſis: quo mortuo, ingentes turbæ de futuro ſucceſſore exortæ ſunt. His acceptis, Abbo Floriacenſis abbas, ad quem ejus loci providentia, ob reformatum olim a Floriacenſibus ſancti Petri monaſterium, quodam modo ſpectabat, litteras hac de re ſcripſit ad Fulbertum, tunc in illa urbe litteras publice docentem, ut ab eo facti veritatem reſciret. Fulbertus, Abbonis dignatione captus, officioſiſſime illi [b] reſpondit, ut ipſius epiſtolæ inſcriptio & exordium teſtantur, quibus honorificentius nihil de Abbone dici poteſt. Inſcriptio epiſtolæ ſic habet: *Pleno virtutis, & gratia circumfuſo cariſſimo patri Abboni, Fulbertus ſuus.* Tam honorificis titulis reſpondet epiſtolæ exordium in hæc verba: *Quanam te reſalutatione digner, ô ſacer abba, & ô magne philoſophe? Quid rependam muneris ſanctæ amicitiæ, quam promiſerunt ſigna gemmatæ facundiæ, vix æſtimare ſufficio. Nam cum illa, quæ dicuntur eſſe, victor animo teneas; cum illa, quæ non eſſe, forſitan vilipendas: quid ego conferre poſſim, quod tu aut non habeas, aut non habere contemnas?* Ad rem quod attinet, non melius exprimi poteſt, quam ipſius Fulberti verbis ac litteris, qui Magenardi intruſionem in hunc modum deſcribit. *Præceptis itaque tuis modeſtiſſime deſervire cupiens, Mediolano diſcipulo quod precatus es facio; quæque tibi ſcribenda petiſti, ea omnia fere, juxta fidem exarata tranſmitto. Abbate ſancti Petri graviter ægrotante, ſed adhuc mentis & ſermonis compote, Magenardus * monachus, ante mihi non mediocriter carus, noctu ſe ſe de clauſtro ſurripuit, & ad Tedbaldum * comitem, qui Bleſis tunc morabatur, abbatiæ petendæ gratia properavit. Comes illum poſtridie remiſit ad nos cum legatis, qui denuntiarent recipiendum magnifice, ſicut abbatem, monachis & canonicis. At vero nobis fere omnibus ea res æque nova & horribilis fuit. Reſpondimus itaque, longe nobis aliter videri. nec enim legitime fieri abbatem, nec debere recipi, qui abbatiam alterius, ipſo vivente, per ambitionem petit: qui a fratribus non eligitur, & ſuper illos nititur dominari: poſtremo qui noſter neque monachus ſit, neque clericus; & plures habeat teſtes curialiter agitandi, quàm monaſtice vivendi. Hæc ille non gratanter accipiens, ad comitem redequitat, iramque juvenis adverſum nos vehementer inflammat. Sed die quinto, poſtquam ſuum ambitum publicavit, prædictus abbas ægritudinem ſuam morte limitat. Conveniunt ad capitulum monachi noſtri, & quidam canonici, quos ratio poſtulabat admitti. Interrogamus, an aliqui fratrum, incœpto Magenardi faveant. Negant ſinguli, negant omnes. Decrevimus ergo quoſdam eorum eſſe mittendos ad co-*

b *Fulb. ep. 21.*

Fulberti hac de re epiſtola ad Abbonem.

* al. Megenardus.
* al. Theobaldum.

mitem, nobis videlicet deſignatum epiſcopum: ut patris Giſberti obitum nuntiarent, & alterius eligendi regularem precarentur licentiam. Id intelligendum de Rodulfo, poſt Odonis epiſcopi obitum deſignato epiſcopo, qui hujus legationis princeps fuit. Pergit Fulbertus. *Quibus miſſis, ecce alii duo, Vivianus ſcilicet & Durandus, alter illiteratus, alter litterarum male ſanus interpres, ambo præpoſiti, ſimulantes cauſa communis commodi ad obedientias ſuas ſe velle exire, ac ne aliorſum pergerent, ſibi interdicente decano monaſterii, Magenardum tamen ſecuti ſunt, qui cœptam præſumtionem occulte perſuaſerant; & Bleſis in præſentia domini Tedbaldi ipſum Magenardum a fratribus peti ac eligi perfide mentiti ſunt. Horum ſuffragio lætus comes, ſtatim eum baculo paſtorali publice donat. Quo audito fratres, qui in clauſtro remanſerant, contra hanc fraudulentiam, zelo divinæ legis accincti, libellum reprobationis fecerunt, atque ſubſcripſerunt hujuſmodi.* SCIAT *omnis eccleſia, quia Magenardum noſtrum abbatem* « *fieri non eligimus, non laudamus, non volumus, non conſentimus; ſed reprobamus, re-* « *futamus, & omnino contradicimus, nos vero de cœnobio ſancti Petri, quorum nomina* « *ſubſcripta ſunt, Durandus decanus, Geneſius, Iſembertus, Alveus, Richerius, Herbertus,* « *Benedictus, Radbertus, Evrardus, Arnulfus, Marcuinus, Warinus, Walterius, Guar-* « *nerius, Beringerius, Waldricus, Bernardus. Iſti itaque omnes ſua nomina aut ſubſcripſerunt, aut ſubſcribi fecerunt, me vidente. Die proxima comes Tedbaldus redit: ſe in monaſterium recipi cum proceſſione præmandat. Monachi reſpondent, ſe libenter hoc agere, ſi præſumtorem illum non adduxerit ſecum. Ille denuo iratus, ipſo tamen die ſuſtinuit: ſed inſequenti, cum ſtrepitu commeantium *, in ſancti Petri monaſterium ſuum Magenardum obtruſit. Ad cujus violentum ingreſſum ſancti fratres, contaminari ipſius communicatione timentes, ſanctuario Domini ſalutato, cum lacrymis exierunt: atque refugium aliud neſcientes, ad limina principalis eccleſiæ confugerunt. Ibi quoque utroque * paſtore deſertæ oves, mæſtis ſe ſe vocibus conſolantur: ſed recipit eos ſancta Mater Domini ſolita pietate: recipit Rodulfus decanus * dulci benignitate. Inde tranſierunt ad cœnobium ſancti patris Herberti, cujus dives caritas de paupere cenſu, quæque poteſt, illis neceſſaria ſubminiſtrat, Ceterum ille, cujus fratres importunitate depulſi ſunt, ab Herviſo quodam, ut aiunt *, Britannicæ regionis epiſcopo, IV. nonas Februarii abbas ſimulatus eſt in ſuburbio Carnotenſi, abſente clero, indignante populo, legato archipræſulis * palam contradicente ne id fieret; reclamantibus etiam quibuſdam monachis, qui in loco remanſerant, vero vultu, viva voce atque regulari auctoritate. Sed quid inter furentes ratio? Sedet nunc ille primas in abbatiæ ſuggeſtu, ſæculari potentia fretus, de peracta victoria glorioſus; fautores ejus abbates, epiſcopos atque ipſum papam ambitiendo *, ne quid gravius ſtatuatur in illum, modis omnibus elaborat. Jacet interim victa confuſaque fratrum expulſorum humilitas: nec eſt præſul in Galliis, cujus viſcera tangat affectio pietatis, aut zelus ſacræ legis inflammet: ut conſurgat ad frangendos impetus errorum, ad relevandas ſpes dolore tabeſcentium. Defuncta eſt enim Dionyſii fortitudo: non comparet pietas Martini: tu quoque dereliquiſti nos, ſancte pater Hilari, qui olim unitatem eccleſiæ Spiritus-ſancti gladio tuebaris. O derelicta, ô mæſta, ô deſolata Galliarum eccleſia! quæ jam erit ſpes ſalutis ulterior? ubi amplius anima chriſtiani afflicta reſpirabit? Hoc namque ſolum vel maxime nos confortare videbatur, quod, ſi contingeret ruinas mœnium tuorum reſarciri non poſſe, liceret ſaltem ad firmum adhuc capitolium vitæ monaſticæ confugere. quod etiamſi furibus irreptare, aut impune quibuſlibet ambitioſis invadere licet, prô dolor! funditus occidiſti. Unde jam ad te revertens, venerande pater, quem ego credo & video adjutorem a Domino nobis eſſe proviſum, cum domino meo tuoque fideli Rodulfo deprecor & obteſtor per ea, quæ tibi data ſunt, ſapientiæ ſancta chariſmata, per dulcedinem fraternæ caritatis; ſi quid potes, impugna hoſtes Domini, fratres alliſos refove; nec perire ſinas inopia ſolatii tui, pro quibus credis eſſe fuſum ſanguinem Chriſti.* Hactenus præclara Fulberti epiſtola ad Abbonem: quæ, quia multa obſervatione digna continet, fere integra nobis referenda viſa eſt, & emendatior quidem ex veteri ſancti Petri codice, quem Haganonis vocant.

ANN. CHR. 1003.

* al. comminantium.

* al. male non invento.

* al. tuus.

* al. addunt.

* Leoterici.

* al. ambiendo.

XL. Notanda in hac epiſtola.

In primis obſervandum, hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe poſt annum quintum Rotberti regis, quo anno Giſbertus abbas duas ſorores cujuſdam Haimonis libertate donavit, ſcripta manumiſſionis charta, cui ſubſcribit poſt Giſbertum Herbertus abbas Latiniacenſis, antea ſancti Petri monachus, ad quem monachi ſancti Petri poſt intruſionem Magenardi confugerant. Scripta eſt porro ſaltem ante finem anni milleſimi quarti, quo tempore interiit Abbo Floriacenſis abbas, ad quem di-

ANN. CHR. 1003. recta est. Deinde observandum est, necdum mortuo Gisberto abbate, baculum pastoralem delatum fuisse ad Tedbaldum comitem, qui dato pro more illius temporis baculo Magenardum investivit, vivente adhuc Gisberto. quod canonicis legibus omnino contrarium erat. Ad hæc mortuo abbate Gisberto, cujus obitus in necrologio notatur XVIII. kalend. Februarii, monachos in capitulum eligendi abbatis causa convenisse cum canonicis quibusdam ecclesiæ Carnutensis, quos inter Fulbertus unus erat: qui nec cum monachis refutationi Magenardi subscripsit, nec se monachum [a] dicit. Præter ea, tunc vacasse Carnutensem episcopatum, post mortem scilicet Odonis episcopi, cujus loco tunc designatus erat Rodulfus decanus, necdum consecratus, qui postea monachus apud sanctum Petrum factus est. Hinc *utroque pastore*, episcopo scilicet atque abbate, destitutæ dicuntur *oves*, id est monachi sancti Petri, cum ob intrusum Magenardum e monasterio egressi sunt. Denique occasione illorum verborum, quibus Fulbertus ait non comparere pietatem Martini, in patrandis scilicet miraculis, scriptum fuisse ab Ugone Turonensi archidiacono [b] dialogum de quodam miraculo, facto in translatione sancti Martini: quem dialogum Hugo nuncupat *Fulberto amico ex dilectis singulariter dilecto*, ubi eum secum interlocutorem adhibet.

a *V. lib. 50. n. 72.*

b *Analect. to. 2. p. 349.*

XLI. Gisberti abbatis epitaphium. Redeo ad Gisbertum abbatem, cujus epitaphium legere memini in veteri monasterii sancti Petri membrana, ex quo discimus, eum basilicæ instauratorem fuisse. Sic enim habet epitaphium.

Istius exstructor templi venerabilis abbas
Parvo Gisbertus hoc tumulo tegitur.
Qui vivens monachos semper docuit sibi junctos
Exemplis patriam quærere perpetuam.
Christicolæ Mauri colerent cum festa beati,
Hunc tulit aspera mors carnis ab hospitio.
Sedulo quem propter cuncti rogitate precantes,
A pœnis famulum protege, Christe, tuum.

XLII. Comite mortuo, Magenardus stabilitur. Inter ea Tedbaldus comes Romam orationis causa proficiscitur, indeque revertens, in itinere absque liberis moritur: cujus corpus Carnutas relatum, in capitulo sancti Petri *ad pedes fratris sui Theoderici* * honorifice humatur. Rodulfo decano interim, favente Rotberto rege, ordinato episcopo, monachorum zelus denuo in Magenardum inflammatur; eoque progreditur, ut, extorto e manu ejus pastorali baculo, ipsum ad domum episcopi refugere compulerint. ubi, cum precibus & vigiliis, studiisque litterarum sedulo vacantem animadvertissent; postposita demum lite, baculum ei pastoralem & abbatiæ dignitatem ultro reddiderunt. quo munere optime functus, illicitum ingressum laudabili fine emendavit. Multas eo abbate chartas invenio in codice Haganonis, tum Richardi secundi Normannorum ducis, tum aliorum, sed omnes sine chronicis notis. Prima est ipsius Richardi de villa comitatus Ebroïcensis Rescolio, data sancto Petro, cui chartæ post Richardum apponuntur signa Rodberti archipræsulis Rotomagensis, Gunnoridis comitissæ eorum matris, simulque Richardi & Rodberti filiorum ipsius Richardi. Secunda est donatio ecclesiæ Wadonis-curtis in eodem comitatu, a prædicto duce confirmata: cui subscribunt post eum Rodbertus archiepiscopus, Herbertus episcopus, & Theodericus abbas, forte Gemeticensis. Duabus subsequentibus apponuntur signa Odonis comitis, scilicet Carnutensis, eo nomine secundi, *Bertæ comitissæ* ejus matris, quæ se reginam non dicit, *Agnetis filiæ ipsius*, Walterii comitis, & aliorum. Instrumento quinto, quæ conventio est Odonis comitis cum Magenardo abbate & monachis sancti Petri de Bosco-medio, apponuntur signa Odonis comitis, Ermengardis uxoris ejus, *Bertæ reginæ*, Agnetis, & aliorum. Addit codicis scriptor, hanc conventionem non tenuisse. nam *gladio Lothariorum interfectus* Odo non *valuit sequi conventionem*. Odonis cædes contigit anno M XXXVII. Hæc tamen conventio longe ante facta fuit. siquidem Magenardus abbas vix annum M XII. attigit.

XLIII. Dolenses abbates. Dolensi apud Bituriges monasterio tunc præerat Hugo [c] ejus loci abbas octavus, cujus tempore, id est hoc anno Christi millesimo-tertio, ejus regiminis quinto, monasterium sanctorum Donatiani & Rogatiani apud Namnetas Dolensi abbatiæ concessum

c *Labbe to. 1. Bibl. p. 315.*

concessum est. Hugoni successit post annos undecim Eumenus *bonæ memoriæ* abbas nonus, & post annos novem facta secunda *dedicatio Dolensis monasterii* IX. kalend. Februarii. Eumeni successores [a] Herbertus, Bernardus, Ingelboldus, mortuus anno M LI. Raimundus ejus successor, de quo alias.

ANN. CHR. 1003.

a *id. to. 2. p. 741.*

XLIV. Lezati quædam cellæ. Lezatense monasterium administrabat Hugo abbas, cum vir quidam, Sulmus seu Sulmo nomine, eidem monasterio & sancto Dei confessori Antonio tradidit ecclesiam sancti Beati, positam super ripam Garumnæ in comitatu Convenarum, & ecclesiam sancti Vincentii super eamdem ripam, eo pacto, *ut semper ibi monachi Deo serviant, & regant locum secundum regulam sancti Benedicti.* His litteris subscribunt Petrus episcopus, Raduinus monachus, &c. Vitiosæ sunt chronicæ notæ, quæ sic habent: *Acta sunt hæc* VI. *idus Augusti in festivitate sancti Cyriaci, feria* VI. *luna* X. *epacta* XXVI. *& bissextilis annus, indictio* IX. *anno ab incarnatione* M III. At hic annus bissextilis non erat. Hæ notæ melius conveniunt anno M XII. bissextili qui indictione X. præditus erat. Nunc locus redactus est in simplicem, ut vocant, prioratum. Hugoni abbati successit Aimericus, cujus tempore Pontius & Arsenda conjuges ecclesiam sancti Michaëlis, in suo alode Sancianis ab ipsis ædificatam, *Domino Deo & sancto Michaëli archangelo, & sancto Petro Romæ* obtulerunt, subjeceruntque *sancto Petro Lezatensis monasterii, & reliquiis, quæ ibi venerantur, & domno abbati Aimerico, & Benedicto decano, & Auriolo, Bernardo & Emelio monachis, & cunctæ catervæ monachorum, qui ibi habitant.* Hæc donatio facta est *in mense Augusti, feria* V. *regnante Rotberto rege.* Subscribunt cum donatoribus Rotgarius frater Arsendæ, Atto abbas sanctæ Mariæ *de Lombers*, & alii complures. Raimundo videtur successisse Guarinus.

ANN. CHR. 1004. XLV. Fingenius abbas obit. ANnus insequens millesimus quartus insignes duos nostri Ordinis abbates, Fingenium & Abbonem, e medio sustulit. Tribus, ut superius vidimus, monasteriis præerat Fingenius, nempe sancti Petri & sancti Vitoni monasterio in urbe Virduno, & apud Mettas duobus, uni sancti Symphoriani, alteri sancti Felicis seu sancti Clementis. Fingenii, natione Scotti, adventus, peregrinatio, & conversio scripta erat, teste Hugone Flaviniacensi, in vita Theoderici Mettensis episcopi: at excidit hæc vita, nec quisquam alius venerabilis illius abbatis gesta litteris mandavit. In necrologio sancti Clementis laudatur VIII. idus Octobris *Fingenius bonæ memoriæ abbas & rector hujus loci, qui jacet ante aram sancti Johannis in sinistra parte.* Invenimus in codice Remigianæ apud Remos bibliothecæ brevem epistolam *Phingenii abbatis ad Fastradem sanctimonialem, de Guiliero monacho*, quam epistolam nostri Fingenii esse non dubito. sic autem habet. *Nonnum Guilierum ex nostra, omniumque fratrum nostrorum parte salutantes admonete, ne nimia, quod absit, absorbeatur tristitia pro tentatione, qua, Deo permittente, afficitur; verum spem suam in ipsum jactans, orationibus citius fidelium misericordiam piissimi Conditoris sibi affuturam fideliter ac perpetualiter confidat.* Nec plura ibi. Fingenii successores fuere apud sanctum Vitonum Richardus, ob pietatem cognominatus Gratia-Dei; apud sanctum Clementem Haimo, apud sanctum Symphorianum Siriaudus, ut constat ex actis Adalberonis Mettensis episcopi, eo nomine secundi, non Constantinus, ut in vulgatis indicibus legitur, qui Siriaudi successor potius dicendus est. nam illorum actorum scriptor, qui sancti Symphoriani abbas post Fingenium tertius erat, adeoque Constantinus, abbates recensens ab Adalberone secundo ordinatos, ait duos in quibusdam cœnobiis, treve ab eo promotos fuisse; *ut est indicio*, inquit, *hic sacer locus, cui, Deo auctore, licet indignissimi, præsidemus, dum præcedentibus duobus sanctis & venerabilibus patribus, Fingenio ex Hibernia, & domno Siriaudo, ex Gorziæ ferulis ad regendum adducto, nos qui hæc scribimus, benedictione hujus beati pontificis, tertio loco, regimini succedere compulsi sumus.* Constantinus in tabulario sancti Symphoriani notatur anno millesimo vicesimo-quarto. Vir fuit gravis & eruditus, ut indicio est, si quidem ejus sit, liber de vita prædicti Adalberonis, quem ab eo scriptum fuisse ex superioribus verbis colligimus. Ejus successores illo sæculo notantur Richerus & Durandus. Alios vide sis in versione Gallica [b] chronicorum Yepesii.

Ejus successores.

Constantinus scriptor vitæ Adalberonis.

b *Centur. 6. p. 580.*

Apud sanctum Clementem Haimo communi fratrum calculo electus fuisse dicitur, repugnante licet Adalberone episcopo, qui Walterum, sancti Arnulfi monachum, beati Clementis monasterio præficere moliebatur, immo etiam hoc monaste-

XLVI. S. Clementis Mettensis abbates.

rium sancto Arnulfo subjicere obtentu villæ Rumiliaci, quam a sancti Arnulfi monachis ea conditione acceperat. quæ res magnæ controversiæ seminarium postea exstitit sub Widelone abbate, Haimonis successore, ut in consequentibus videbimus. ANN. CHR. 1004.

XLVII. Richardus abbas S. Vitoni. a *supra n.* 12.

Fingenii apud sanctum Vitonum successor Richardus, istuc ante paucum tempus a cum Friderico comite secesserat. In libello de ejus vita, quem anonymus ejus loci monachus scripsit, Fingenius obiisse dicitur *post tres vix emensos menses*, quam Richardus & Fridericus, post varias cunctationes, stabilitatem suam in Vitoniano cœnobio voverant. Cum fratres successoris deligendi gratia in unum convenissent, non una fuit eorum sententia. Præsens aderat Heimo seu Haimo Virdunensis episcopus, ad cujus interrogationem, pueri duo juniores ejus loci monachi, consona voce Richardum abbatem proclamasse memorantur. Probavit hanc electionem Haimo, quam antea cum Friderico peroptabat; eodemque anno, in festo sanctorum apostolorum Simonis & Judæ, novum abbatem ordinavit. Sic impleri cœpit vaticinium Odilonis abbatis, qui præsagierat fore, ut locus, permodicus antea & angustus, Richardi & Friderici amplificaretur & augeretur industria. Ordinatus Richardus mox sollicitus fuit ut magis prodesset, quam præesset. Huic vero Deus tantam contulit gratiam, ut a regibus & principibus, a divitibus & mediocribus miro affectu diligeretur. Nec apud suos veneratio ejus minor. Forte quorumdam negotiorum causa ad Heinrici regis aulam profectus erat cum Friderico monacho, imperiali sanguine procreato, cujus idcirco apud principes plurima gratia erat. Dispositis sedibus, cum Fridericus, utpote regis & principum consanguineus, eminentiori loco sederet, non tulit se Richardo abbati præferri; surgensque a latere principis, (vide memorabile modestiæ in tanto viro exemplum!) suppedaneum proprium ad pedes abbatis posuit, atque ad ejus pedes resedit. quod factum omnium laudem & admirationem excitavit. Rex vero altiori animo ejus modestiam admiratus, abbatem e latere suo, & proximum ei Fridericum sedere jussit. Ea porro fuit Heinrici regis in Richardum propensio, ea liberalitas, ut dona ei ingentia in auro & argento, in ornamentis & vasis sacris conferret, seque totum in ejus amorem transfunderet. Ille vero tanto magis Deo placere studebat, quanto per gratiam ejus regibus & principibus, episcopis & quibusdam præpotentibus acceptior esse videbatur. Cœpit itaque divino cultui, suorumque profectui totum se dare, tantosque brevi progressus fecit, ut non modo per totum Lotharii regnum, sed etiam per universam Galliam fama ejus religionis ac sanctitatis diffunderetur. Hinc magnus ad eum undequaque concursus, aliis ejus magisterio se se subjicere certantibus, aliis suos ei liberos erudiendos offerentibus: ut jam monasterium ejus, præ multitudine fidelium illuc confluentium, monasteriis Nitriæ vel Ægypti conferendum videretur. Hinc Galliæ & Germaniæ pontifices, duces, comites, aliique principes viri sua ei monasteria informanda committebant, aut ex ejus disciplinis abbates accersebant; aut denique, si patres inde habere non poterant, e suis aliquos ab eo probandos aut instituendos illuc dirigebant. Sic Richardi nomen ubique clarescebat, sanctitas prædicabatur, & nomen Dei per eum celebrabatur.

Friderici modestia.

XLVIII. Abbonis iter in Wasconiam.

Jam veniendum est ad Abbonem Floriacensem abbatem, quem hoc anno, paullo post Fingenium, mortem oppetiisse constat. quod hac occasione contigit. Regulæ monasterium in agro Burdegalensi, jam dudum Richardi Floriacensis abbatis, ejusque successorum providentiæ commissum a Guillelmo-Sanctionis Burdegalensium comite, & totius Wasconiæ duce, hactenus ad regulæ normam, contra proprii vocabuli sensum, componi haud quaquam potuerat. *Nulla quippe religionis norma*, inquit Aimoïnus, *nulla, aut rara bonæ conversationis saltem vestigia usque ad hæc tempora* ibidem *apparuerant*, tametsi in id a Richardo, ejusque successoribus, Amalberto & Oylboldo, diu multumque laboratum fuerat. Sæpius interpellatus Abbo, ut locum adiret, faceto illo & jucundo suo modo aiebat, se demum illuc iturum, quando ipsum cepisset vitæ satietas; nam qui eo profecti fuerant abbates, non diu post hæc supervixerant. Iverat ille tamen jam semel, sed nullo fructu; ibique quosdam e suis, qui locum regularibus institutis informarent, reliquerat. At illi, Regulensium duritiam & accolarum injurias experti, Abbonem sollicitare non destitere, dum ille alios eorum loco mitteret. Hi vero similia passi, nuntios ad eum mittunt, quid patiantur significant: ni maturato sibi subveniatur, locum se deser-

turos, & ad propria reversuros. Veniret tandem; magis quippe favorabiles sibi futuros Guillelmi ducis filios, Bernardum & Sanctionem comites, necnon Amalwinum vicecomitem & loci advocatum, qui operam ei suam pollicerentur, curaturi, ut, quos manere decrevisset, illic manerent vel inviti; quos expelli debere censuisset, vi se expulsuros. His flexus Abbo, illuc iter instituit, comitantibus e suis Remigio, Aimoïno, & Guillelmo, *suæ venerantiæ juxta abbatum morem bajulo*, ut loquitur Aimoïnus, id est gerulo abbatialis sigilli, cui Abbonis imago impressa erat, aut certe pedi pastoralis. Floriaco profectus sub finem Octobris, ubi Pictavos attigit, cum Willelmo comite, ejus nominis quinto, colloquium habuit de quibusdam rebus ad suum monasterium spectantibus; detentusque est aliquot dies a Gisleberto suburbani sancti Cypriani monasterii abbate, consanguineo suo, falsi criminis insimulato, de quo litteras scripsit ad Odilonem Cluniacensem abbatem, cui hoc monasterium subjectum erat. quæ litteræ, quia ultimæ sunt ipsius Abbonis, huc referendæ videntur. ANN. CHR. 1004.

Epistola ejus ad Odilonem.

Prærogativa insignito Odiloni Cluniensium patri, amatorum Christi amator Abbo Floriacensium rector, salutem in Domino. Proficiscenti mihi in Wasconiam ob institutionem monasticæ religionis, contigit devenire ad monasterium sancti Cypriani martyris, situm in suburbio Pictavensis famosissimæ urbis: quem locum, postquam reperi vestræ subditum ditioni, nostrum credidi: quoniam amicorum sunt omnia communia, ut est quorumdam sententia; atque idcirco nimis indolui de fama, quæ tunc temporis volitabat per aures vulgi. quam vice discutiens vestra, ultra modum ingemui, quod in viros nostræ professionis invidia diaboli per indisciplinatos subrepit: quod illi, qui dicuntur monachi, efficiantur satyrici, criminatores fratrum, incentores vitiorum; ac viperino dente corrodunt viscera matris ecclesiæ. quorum insaniam, venerabilis pater, deterreri necesse est, ne conculcent sancta profanis, ne vilescant pretiosi lapides sanctuarii. quando quidem jam refrigescit multorum caritas, & mali cucullati sibi auxilio & consilio junguntur, ut de pennis Leviathan scribitur, quarum una uni conjungitur, & nec spiraculum quidem incedit per eas. Delatores enim mundanis legibus capitali sententia puniuntur. Qua temeritate ergo audent miseri os aperire in necem fratris, in detractionem proximi, assumendo officium proditoris, quorum professio est tacere etiam a bonis? Prudenter, dilectissime, horum præcave versutias, qui mordentes bonorum vitam simplicem, & lupi sub ovina pelle prædicant pacem. Quo certe lectum est, monachos & sacerdotes Domini damnatos esse accusatione meretricis? Quis monachus auctoritate patrum abbatem suum ad sæculare judicium compulit? quis clericorum vel episcoporum concilio addixit? Vere fateor, severissima districtione feriendam esse hujusmodi præsumtionem: quia, ut ait discretissimus monachorum legislator Benedictus, suum & alienum peccatum ille, suæ professionis immemor, abbati vel spiritali seniorum debuit patefacere, non detegere & publicare. quod non vobis potestatem judicandi de fratribus vestris sustulit, cum hanc alteri commisit. Tandem quia in objectione criminis, auctoritate Magni Gregorii, alii sunt accusatores, alii testes, alii judices; age, vir prudentissime, ut innocens, expeditus crimine, gaudeat, & accusator temerarius reum se sentiat, ne de pœnis innocentum rideat. Vale.

His scriptis litteris, Abbo cum suis ex urbe Pictavorum post festum omnium Sanctorum, quinta postquam illuc advenerat die, & quidem feria quinta progressus, per Carrofense monasterium ad Nantoliacum sancti Benedicti cœnobium divertit: indeque progressus die sabbati, Ecolismam venit; & ex ea urbe ad castrum, cui Alba-terra * vocabulum est: ubi ipsius castri dominus, Giraldus nomine, Aimoïni monachi propinquus, ipsos perhumaniter excepit. Postera die, trajecto Ella * flumine, in villa ad-Francos dicta, hospitati sunt in domo Aunendrudis ejusdem Aimoïni genitricis, quæ prædicti Giraldi consanguinea erat. Inde ad Dordonæ fluenta ventum, quo enavigato flumine, Wasconiæ fines ingressi sunt. Dornoniam transvectis occurrit torrens, *Droth* appellatus, quem non sine periculo trajecit Abbo, qui postero die ad monasterium Regulæ pervenit.

* *Aubeterre.*

* *Ille.*

XLIX. Mors ejusdem.

Altera quam accesserat die inter famulos ipsius & Wascones ejus loci incolas jurgium propter cibaria equorum vesperi ortum, vixque a majoribus tunc sedatum. Postridie, ubi id comperit vir sanctus, suos acriter redarguit, quod inermes, & inter infensam sibi gentem, cierent rixas; monetque patienter se gerere, dum ipse cum comite ac loci advocato de injuriis ipsis factis tractet. Erat hæc dies sancti

ANN. CHR. 1004. Martini ſollemnitate celebris : qua die & ſequenti dominica pius abbas *miſſarum feſtiva celebravit ſollemnia*. Subſequente feria ſecunda, qua ſancti Briccii agebatur ſollemnitas, tumultus denuo excitatus adverſus famulos viri Dei, incentore primorum motuum auctore monacho Waſcone, cui nomen Anezan: qui graviter increpitus a ſancto abbate, quod abſque permiſſu e monaſterio egreſſus, foris cibum ſumſiſſet, eamque reprehenſionem impatienter ferens, novam ſeditionem concitaſſe dicitur. A conviciis incœptum, eoque deventum eſt, ut Francis & Waſconibus mutuis ſe ſe conviciis laceſſentibus, unus Francorum, nimium impatiens convicii domino ſuo illati, conviciatorem baculo inter cervicem & ſcapulas ictum humi proſtraverit. Hinc exardeſcente pugna, ad tumultuantium clamorem e monaſterio egreſſus Abbo, ut ſeditionem reprimeret; ab uno adverſæ partis ſatellite, lancea in lævo lacerto tam valide feritur, ut ferrum interiora coſtarum penetraret. Tum, eo brachium elevante, ut vulnus Aimoïno, qui tum aderat, oſtenderet, repente e latere unda cruoris prorumpens, *manicâ laxioris pelliceæ excipitur*. Verum ipſe nihilo commotior, nec vultus colore mutato, juſſit ſuos ad ſe accerſiri, ut turbæ illæ ſedarentur. At ubi ingreſſi ſunt, ipſe exſanguis factus, inter manus diſcipulorum, famulorumque ſe ſuſtentantium, animam efflavit idibus Novembris, prolatis
» hiſce verbis: Miſerere, Deus omnipotens, animæ meæ, locoque ac congregatio-
» ni, quam nunc uſque, te concedente, rexi. Nec ſic tamen compreſſa ſeditio. nam furioſi homines, circumdata domo, ubi vir ſanctus exſpiraverat, quibuſdam ſauciatis, Adelardum ejus cubicularium, qui caput domini ſui, propriis genibus impoſitum, lacrymis rigabat, ad necem uſque fuſtibus præacutis ac lanceis confoderunt. Tandem, ubi furentium ardor reſedit, certatim in fugam ſe convertunt univerſi, ita ut ne mulieres quidem in illo opido remanerent. Pœnæ de nocentibus a Bernardo Waſconiæ duce ſumtæ. Dubitatum aliquamdiu eſt, quonam in loco vir Dei humari deberet. Inter omnes demum convenit, *ut, quando innocenter, ac pro veritate, quæ Chriſtus eſt, interemtus erat, in eccleſia ponereitur*. Id duabus noctibus, unaque die dilatum, ſcilicet ad feriam quartam. qua die illuceſcente, cum ipſis quibus indutus erat *veſtimentis, uti mos eſt ſepeliri interemtos, inlotus etiam*, lapideo in tumulo in crypta ante altare ſanctiſſimi patris Benedicti humatus eſt. Quatriduo illic remanſere ejus ſocii ac famuli, omnes numero ſexdecim, quos per biduum Amalwinus vicecomes, ſed maxime uxor ejus Roſemberga recreavit, atque in via procurari ſategit. Ubi tanti nuntius infortunii Floriacum perlatus eſt, incredibile dictu eſt, quantus omnium luctus & ejulatus fuerit. Hunc porro dolorem auxit adventus plurimorum abbatum ad inſtantem ſancti Patris Benedicti ſollemnitatem, quæ menſe Decembri colitur: quos inter aderat venerabilis Odilo Cluniacenſium abbas, qui Abboni toto vitæ ſuæ tempore conjunctiſſimus fuerat. Encyclicam Floriacenſium de ejus morte epiſtolam huc referre non ab re fuerit.

Sepultura ejus qualis.

Encyclica de eo epiſtola.

Univerſis abbatibus, Chriſtique fidelibus quoquo locorum habitantibus, Floriacenſis conciola dejecta, & patre viduata. Fletu pene abſorptis, dolore contritis manum porrigite ſpiritalis auxilii, patres ſanctiſſimi, per affectum fraternæ caritatis. Pane mœroris, potuque amaritudinis cibati, veſtris orationibus mereamur recreari: quorum cythara lætitiæ verſa eſt in luctum mæſtitiæ, quorum organum luctuoſe ſonat lamentum, & jocunditas vocem tantummodo flentium. Pervenit gladius doloris uſque ad animam, dum deploramus pro ſanctæ religionis ſtudio domnum & abbatem noſtrum Abbonem exceſſiſſe a ſæculo coronatum martyrio: qui Waſconum gladiis felix promeruit feliciter beatorum martyrum ſocius fieri. cujus animæ contagia veſtra oratio abſtergat, qui veſtri amator, omniumque Chriſti ſervientium verus ſemper exſtitit dilector. Nobis quoque, quos orphanos reliquit, fraternis ſuccurrite votis, & Deum omnipotentem placate orationum hoſtiis: ut dignetur ſua gratia gregem decapitatum, & pio patre orbatum conſolari. Obiit idibus Novembris, die natalis ſancti Briccii.

L. Martyrium ejus & cultus.

Non ſolum in hac encyclica epiſtola & apud Aimoïnum, ſed etiam apud alios ejuſdem ævi ſcriptores, Abbo ut martyr habitus eſt. Glaber [a] Rodulfus tradit, eum ad tumultum ſedandum, pugillares gerentem in manibus tabellas proceſſiſſe: *cum unus e vulgo, afflatus ſpiritu diabolico, irruens in eum, ejuſque latus lancea perforans, Chriſti martyrem fecit: qui etiam, ut fertur, paullo poſt arreptus a dæmone, miſerabiliter vitam finivit.* Quippe illis temporibus mos erat, ut qui innocentes vitæ, ſceleriſque puri, temere & injuſte necarentur, pro martyribus haberentur.

a Glaber lib. 3. c. 3.

Quamquam alia in Abbone occurrit cauſa, quod pro caritate cæſus ſit, cum furentes a mutua cæde revocare tentaret. Addit Glaber, ad ejus tumulum perplura hominibus beneficia collata fuiſſe; Ademarus ait miraculis (quod idem eſt) ſepultum claruiſſe. Abbonis *virgæ paſtoralis*, ex eodem auctore, *remiſſa eſt in Franciam*, id eſt in Floriacenſe monaſterium, in cujus kalendario antiquo *paſſio beati Abbonis abbatis Floriacenſis* idibus Novembris notatur; & in alio ejus memoria fieri præſcribitur ſub ritu quatuor lectionum. Nunc celebrior eſt in utroque monaſterio, Floriacenſi & Regulenſi. In ſermone habito tempore concilii Lemovicenſis, anno M XXXI. celebrati, ejus cultus in multis eccleſiis jam receptus erat. *Jam enim longe ante nos*, inquit auctor ejus ſermonis anonymus, *præceſſit* Abbo, *martyrio coronatus, ſanguine effuſo ab impiis paſſus: ad cujus ſepulcrum jam clarere audivimus miracula; verum teſtimonio comprobata: cujus martyrium etiam in pluribus eccleſiis more ſanctorum martyrum ſollemniter celebratur.* ANN. CHR. 1004.

LI. Vita ejus ab Aimoïno ſcripta.

Ejus vitam ſtatim ab ejus morte in litteras retulit Aimoïnus Floriacenſis cœnobita, ejus diſcipulus, & in ultimo Waſconiæ itinere ſocius, hortante Herveo eccleſiæ ſancti Martini Turonenſis theſaurario, cui ſuum hac de re libellum nuncupavit. In epiſtola nuncupatoria, *reverentiſſimæ vitæ viro domno Herveo clerico, ſancti pontificis Martini theſaurario* inſcripta, ait Aimoïnus, ſibi obverſari jucundam ejus
« pueritiæ indolem, Floriaci exactæ: quam lenis ſodalibus, quam grata majoribus,
« quam placita Deo, ſanctiſque omnibus fuerit; eumque memorem eſſe jubet bono-
« rum exemplorum, quæ in ſacro Floriacenſi cœnobio viderat, vel audierat; ſimul-
« que præceptorum & admonitionum *nutritoris ſui ſancti patris noſtri Abbonis*. Et mo-
« nachus quidem illic fieri optaverat Herveus: ſed quoniam clari erat generis, ejus parentum minas veriti Floriacenſes, eum admittere non auſi ſunt, ut ſuperius [a] vidimus.

a lib. 51. n 54.

LII. Ejuſdem ſcripta.

Quod attinet ad Abbonis ſcripta, quædam recenſet Aimoïnus in libro de ejus vita, nempe de ſyllogiſmis, de computo; de ſolis, lunæ ac planetarum curſu; collectaneum ex patribus; Apologeticum, epiſtolas nonnullas. Pleraque modo regiis typis ex codice Pithœano edita ſunt, ſcilicet Apologeticum integrum, cujus fragmenta in ejus vita referuntur ab Aimoino; epiſtolæ duodecim: quarum tres priores ad Gregorium papam V. quarta ad monachos ſancti Martini ſeu Majoris-monaſterii; quinta ad Rotbertum regem; ſexta & undecima ad Odilonem Cluniacenſem; ſeptima ad G. id eſt Gauſbertum abbatem monaſterii ſancti Juliani Turonenſis; octava ad Bernerium abbatem Majoris-monaſterii; nona ad quemdam epiſcopum de juramento; decima ad monachos Miciacenſes; undecima, ut jam dixi, ad Odilonem abbatem; duodecima non eſt Abbonis, ſed Alberti abbatis Miciacenſis ad Johannem papam XVIII. denique tertia-decima, quæ Abbonis duodecima eſt, inſcribitur *cariſſimo fratri G.* forte Geraldo, de quo infra, vel Gauſlino, qui ei in Floriacenſi præfectura ſucceſſit, cujus epiſtolæ argumentum eſt de altaribus eccleſiarum & decimis. Inſuper Cl. Baluzius aliam ejuſdem Abbonis edidit epiſtolam ad Leonem abbatem ſanctorum Bonifacii & Alexii, in ſuperioribus [b] a nobis relatam. Denique ad Hugonem & Rotbertum reges a nobis editum eſt ejus opuſculum in tomo II. Analectorum, quod forte non aliud ſit quam collectaneum ex patribus ab Aimoïno indicatum. Nondum vulgatæ ſunt duæ aliæ, quas præ manibus habemus, ejuſdem Abbonis epiſtolæ: quarum una eſt de paſchalibus cyclis ad Gerardum & Vitalem Floriacenſes monachos, in qua Dionyſium Exiguum emendat, agitque de tranſitu ſancti patris noſtri Benedicti: altera de anno dominicæ paſſionis ad eoſdem Gerardum & Vitalem. Addo & tertiam ad Angligenas monachos de quæſtiunculis grammaticalibus, cujus fragmentum ſuperius [c] retulimus; ad hæc opuſculum de pondere, numero & menſura, quod penes nos eſt. Ceterum epiſtolis ſuis hanc inſcriptionem adhibere amat, *Amatorum Chriſti amator Abbo, Floriacenſium rector, &c.*

b lib. 51. n. 24.

c lib. 49. n. 69.

LIII. Diſcipuli ejus.

Reſtat agendum de ejus diſcipulis, quos ſane plurimos habuit, non modo in Gallia, id eſt in academia Floriacenſi, ſed etiam in Anglia, præſertim in Rameſienſi monaſterio. At ſingulos commemorare nec licet, nec juvat. Unus e præcipuis fuit Aimoïnus, ejus vitæ ſcriptor: tum Conſtantinus ſcholaſticus, ejuſdem cœnobii Floriacenſis monachus, Gerberti litteris celebratus, cujus hortatu librum de abaco Gerbertus [d] compoſuit; Gerardus item & Vitalis, quibus Abbo duas

d Gerbert. ep. 161.

ANN. CHR. 1004.

epistolas superiores scripsit. Inter exteros unus fuit Herveus modo laudatus, thesaurarius ecclesiæ sancti Martini; nec dubium quin multi alii ejus condiscipuli fuerint in illis Floriacensibus scholis, ubi ad quinque amplius millia scholarium simul exstitisse [a] dicuntur, qui singuli, muneris honorarii gratia, bina monasterio volumina offerebant.

a *Bibl. Flor. p.* 301.

LIV. Gauzlinus Abbonis successor.

Abboni mortuo suffectus est in regimine Floriacensi Gauzlinus, *nobilissimi Francorum principis*, id est Hugonis Capeti, *filius manzer* seu nothus, Ademaro [b] testante, *a puero in sancti Benedicti cœnobio enutritus*: quem repugnantibus ob natales Floriacensibus abbatem, & postea Bituricensibus itidem reclamantibus archiepiscopum Rotbertus rex imposuit. Multa ei de subjectione monasterii controversia fuit cum Fulcone Aurelianorum episcopo, sed paullo serius, aut certe protracta ad duos annos, cum ecclesiæ Carnutensi jam præesset Fulbertus, qui tum episcopus quasdam hac de re epistolas scripsit. Eidem Gauzlino abbati, totique Floriacensis cœnobii congregationi libros duos de miraculis sancti Benedicti inscripsit Aimoinus, Adrevaldum & Adelerium Floriacenses itidem monachos prosecutus: quibus libris ea comprehendit miracula, quæ Floriaci maxime, & alibi patrata fuerant regnante Rotberto: quibus Rodulfus Tortarius ejusdem loci monachus adjecit ea, quæ principatu Heinrici gesta sunt.

b *Labbe to.* 2. *bibl. p.* 172.

LV. Monacho in extremis derelicto adest sanctus Benedictus.

Abbonis tempore contigit, ut cœnobita quidam monasterii sancti Albini Andecavensis, Ainfredus nomine, qui ex clerico illic monachus fuerat, *meliorandæ vitæ gratia*, ut cum Aimoïno [c] loquar, ad Floriacense monasterium se conferret: ubi, postquam aliquamdiu commoratus fuisset, ad proprium cœnobium reversus est. Paullo post accidit, ut in gravem tumescentis coxæ morbum incideret: sed aliud longe gravius accessit incommodum, quod abbas ipsius monasterii, forte Hucbertus superius [d] memoratus, ob quasdam cum eo simultates, cunctis fratribus interdixisset, ne quis eum, etiam in extremis, visitaret. Ingravescente morbo, fratres, ut moribundo succurrerent, accersiri rogavit. at id negatum. Causam ubi rescivit ab eo fratre, cui soli ipsum invisere permissum erat, abbatem obnixe per nobiliores civitatis precatur, sibi ut misereatur, utpote ad satisfactionem, si quid in eum non recte commisisset, parato. sed abbas ad preces obsurdescit. Tum vero communem omnium monachorum patrem invocat infirmus frater, sanctum videlicet Benedictum; vovetque, se, si ejus meritis revalescceret, ad sacras ejus reliquias voti exsolvendi, & gratias agendi causa profecturum. Nec mora precanti adfuit benignissimus Pater, pressoque vulnere particulam quamdam putrefactæ carnis expressit; sicque infirmo pristina brevi sanitas restituta, cujus beneficii memor frater, votum suum devote implevit.

c *Aimoin. li.* 2. *de mirac. S. Bened. c.* 14.

d *Supra n.* 13.

LVI. Johannis papæ privilegium pro S. Florentio.

Salmurense sancti Florentii cœnobium ad hoc usque tempus regebat Rotbertus, idemque Miciacensium abbas, quo flagitante Johannes papa XIX. amplissimum Salmurensibus privilegium impertiit ad preces *domnæ Bertæ reginæ, ac filiorum ejus Theobaldi & Odonis*, quo privilegio omnes ejus loci immunitates, tum a fiscalibus tributis, tum a synodalibus debitis omnium ecclesiarum, quæ ab ipso loco pendebant, confirmatæ sunt, prout eas longe ante concesserant Carolus Magnus, qui monasterium in loco, cui vocabulum Glonna, olim restruxerat; ejusque filius Ludovicus, cognomento Pius. De illo autem novo cœnobio, quod post vastationem Nortmannicam a nobilissimo comite Theobaldo constructum fuerat in loco, qui dicitur Salmurus, videlicet in abbatia sanctæ Dei-genitricis Mariæ & sancti Johannis Baptistæ, quæ a Carolo, filio Ludovici, sancto Florentio collata fuerat, statuit pontifex, ut ne cujusvis alterius dominio subdatur, præterquam Theobaldi atque Odonis, eorumque heredum; nec ullus novas eidem loco leges imponat, præter eas, quæ ab Arduino archiepiscopo & comite Odone, filio Theobaldi, præscriptæ fuerant. Scriptum per manus Georgii notarii ac scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Aprili, indictione secunda. Paullo ante, id est anno DCCCC XCIV. Rainaudus episcopus Andecavorum eumdem Rotbertum abbatem, & ecclesiam sancti Florentii ei commissam, omnesque ejus *obedientias* per suum episcopatum constitutas, ob omni procuratione absolverat, excepto, cum ipse, ejusve successores per abbatiam sancti Florentii transirent. Actum IV. nonas Junii, anno Hugonis regis VII. quibus litteris subscribit Rainaudus episcopus, & cum eo Hildemannus archidiaconus, Lebertus decanus, & Karitius thesaurarius: tum ex parte abbatis

ANN. CHR. 1004.

Ogerus præpositus, Helias ædituus, Galo cellerarius, Rainaudus abbas sancti Mauri, & alii. Ille est Galo monachus, qui Livriacum a Gaufrido Britanniæ comite, Conani filio, Fulconis Nervæ ex sorore nepote, impetravit, eo pacto, ut patris ejus Conani anniversarium fieret. quem locum Galterius Redonensium præsul ab omni exactione exemit.

LVII. Gauzbertus abbas Majoris-monasterii.

Majori-monasterio tunc præerat Gauzbertus abbas sancti Juliani & Burguliensis monasteriorum, ut probat notitia quædam rei gestæ, quo pacto *anno incarnationis dominicæ millesimo quarto accessit ante præsentiam Bertæ reginæ Gislebertus præpositus* laïcus, *humiliter deprecans domnum abbatem Gauzbertum, pariterque congregationem sancti Martini Majoris-monasterii*, ut in alodo Comarciaco arpennos quatuor vineæ sibi, uxorique suæ Ingutiæ concederent. quod ipsi concessum, acceptis ab eo solidis octoginta. His litteris apponuntur signa *Bertæ reginæ, Odonis comitis filii ejus, Gauzberti abbatis, Gauzfridi vicecomitis*, & aliorum. Hinc emendandus catalogus [a] abbatum Majoris-monasterii, in quo Odo comes hoc anno Guislebertum ejusdem loci abbatem fecisse dicitur. Eodem fere tempore Burchardus comes, ejusque filius Rainoldus Parisiorum antistes a Rotberto rege obtinuerunt, ut ex rebus sibi a rege in beneficium concessis aliquid conferrent *oratorio pientissimi confessoris Christi Martini, quod Majus-monasterium præ cæteris in nostris*, inquiunt, *partibus nuncupatur*, nempe capellam quamdam, sancti Audoëni nomine consecratam, *quæ proprio jure olim eidem loco videbatur adjecta, sed a ducibus Franciæ* inde abstracta, hactenus in beneficium concessa fuerat. Rotberti hac de re diploma est sine chronicis notis. Hæc capella alio nomine abbatia sancti Audoëni vocatur, ex qua monachi sancti Juliani arpennum unum & dimidium terræ, super quam *capitium monasterii*, id est ecclesiæ, sancti Juliani fundatum erat, obtinuerant sub annuo censu sex denariorum. qui census tam diu persolutus est, *donec domnus Gauzbertus abbas sancti Juliani Majori quoque monasterio præesse cœpit*. qui a fratribus Majoris-monasterii remissionem istius census impetravit, ea lege, *ut singulis annis in festo sancti Juliani pleno congio pigmenti, & plena corbe canistellorum, & oblatarum, & nebularum redditis, prædicti census cessaret exactio*. quod tamen post Gauzberti obitum persolvi desitum est; sicque utrumque, & census nimirum & munus, amissum. Mirum est in superioribus litteris Rotberti regis Majus-monasterium *oratorii* nomine designari. Etsi enim a prima restitutione vitæ monasticæ exiguum erat, eo tamen tempore illic jam multum creverat monachorum numerus, qui quidem viginti-septem subscribunt chartæ anno nono Rotberti regis datæ, qua Gauzbertus abbas, Sicbardus decanus, ceterique Majoris-monasterii fratres, monachis sancti Juliani, quasdam suæ potestatis vineas sub annuo censu tradunt, ea conditione, ut tres homines sibimet succedentes, *jure mortalium* eas tenerent, ex quibus unus fuit Adraldus nepos Odonis abbatis sancti Genulfi. Sub abbate autem Ebraldo Gauzberti successore monachi ad quinquaginta in Majori-monasterio erant.

a *Baluz. Miscell, to.* 2. *p.* 309.

Eodem Gauzberto abbate stipulante, ut in Burgulienſi chartario legitur, Guillelmus Aquitanorum dux & Pictavorum comes, ecclesiam de *Buceau* fundasse dicitur, eique prædia in dotem assignasse. His litteris appositæ sunt signa ipsius Guillelmi Aquitanorum ducis, Emmæ comitissæ genitricis ejus, Adalmodæ uxoris ipsius, Isli Santonensis episcopi, Fulconis comitis, Odonis sancti Martini decani, Gauzfredi thesaurarii, Savarici vicecomitis. *Actum Malliacensi monasterio in sollemnitate sancti Johannis Evangelistæ, anno incarnationis Domini* M IV. *regnante Rotberto rege anno* XIII *.

* *l.* VIII.

LVIII. Teutoni Fossatensi abbati suffectus Theobaldus.

Cum Teuto abbas Fossatensi monasterio aliquamdiu præfuisset, pastoralis demum sollicitudinis pertæsus, præfecturam abdicare, & secessum petere constituit. Huic rei opportuna visa est villa quædam in agro Remensi, scilicet [b] Floriacus, ubi Carolus Calvus prædium Fossatensibus olim contulerat. Istuc profectus, *baculum curæ pastoralis* per Walterium ministrum suum, tamquam abdicationis suæ testimonium, Fossatensibus referri jussit. Rotbertus rex facti admonitus, cum Burchardo comite, ejusque filio Parisiorum episcopo Rainaldo consuluit, quid hac in re agendum esset. Hi successorem Teutoni sufficiendum censent. Erat tunc temporis in Cormaricensi monasterio Theobaldus, Rainaldi episcopi ex matre frater & filius Haimonis comitis Corboilensis & Elizabethæ, quæ Burchardo comiti secundo nupserat. Is monachum Cluniaci sub sancto Mayolo professus, postea Cormaricensi

b *Capitul. to.* 2. *p.* 1389.

ANN. CHR. 1004.

monasterio præpositus fuerat. Hunc rex accersiri jussit, eumque Fossatensibus præfecit, suadentibus nimirum Burchardo & Elizabetha, quibus gratissimum fuit, talem virum proximo & acceptissimo sibi monasterio præesse. Verum Teuto, postquam aliquantum temporis in illo secessu exegit, Fossatenses revisere in animum induxit. Ubi Novigentum ad Matronam accessisset, suum fratribus adventum significavit. Plerique inopinato attoniti nuntio, reditum ei negandum censent. munus quippe, quod gesserat, ab eo sponte relictum; alium abbatem subrogatum; nec proinde locum ei superesse. Teuto accepta responsione dubius ancepsque quid ageret; Cluniacum demum, ubi primo monachum egerat, repetere statuit, ibique reliquum vitæ in sanctis exercitationibus transegit, diemque obiit idibus Septembris: ad cujus sepulcrum multas virtutes patratas fuisse auctor est Odo Fossatensis monachus in libro de vita Burchardi comitis, ex quo hæc omnia accepimus. Idem testatur, Teutonem Cluniaci supervixisse duobus ejus successoribus, Theobaldo & Hildeberto, qui brevi tempore Fossatense post eum monasterium rexerunt. In necrologio sancti Benigni Divionensis notatur idibus Octobris *Teto abbas*, non alius, ut puto, quam Fossatensis.

LIX. Psalmodium instauratur.

In Septimania Psalmodiense monasterium, quod solo fere æquatum erat, instaurari cœptum Rotberti regis anno octavo. Habitus ea de re illius provinciæ nobilium conventus, in quo restruendi cœnobii cura Warnerio abbati demandata est, eique commissa loci præfectura. Exstat ejus rei mutilum instrumentum in codice Psalmodiensi, cujus extrema tantum verba legi possunt, nempe ut *dictus Warnerius suscipiat reædificandum & reparandum sancti Petri Psalmodii monasterium, & ei abbas præesse* debeat. Subscripta leguntur signa *Warnerii abbatis, Giraldi abbatis S. Ægidii, Adalaicæ comitissæ, Willelmi comitis Toloſæ, Pontii comitis, Iterii, Willelmi comitis Provinciæ, Rotbaldi comitis, Hugonis comitis, & Pontii fratris sui; Froterii episcopi, Aribaldi pontificis, Dolonis episcopi, Fulcranni episcopi, Petri præsulis, Gauselini, Bernardi,* & aliorum. *Actum anno regis Rotberti* VIII. Hoc ipso Rotberti regis anno Arimannus & uxor ejus S. Petro Psalmodiensi & Warnerio abbati contulerunt ecclesiam sancti Ascisculi de Mutationibus *, in territorio Sustantionensi. Ad hæc eidem Warnerio Guillelmus comes & uxor ejus Adelaïs, ac cognatus ejus Rotbaldus comes, ac Guillelmus frater ejus, dimiserunt ecclesiam de *Bergen*, cum appendicibus suis, sitam in comitatu Aquensi. Multa alia eidem collata loco tempore Warnerii abbatis usque ad annum tricesimum Rotberti regis.

* *Mudaisons.*

Coxano facta donatio. a *Marca Hisp. p. 419.*

Hoc anno millesimo-quarto [a] consignatur donatio cujusdam alodis, pertinentis ad abbatiam sancti Laurentii unitam ecclesiæ Narbonensi, Guifredo abbati & monasterio Coxanensi, facta ab Ermengaudo archiepiscopo. Huic donationi subscripsere post eumdem Ermengaudum Adalbertus episcopus Carcassonensis, Fredolonus Helenensis, & Ermesindis vicecomitissa, cognomento Bona. *Facta carta donationis ista, indict.* II. *sub die* III. *kal. Novemb. anno* VII. *regnante Rotberto rege.* Legendum *anno* VIII. vel id referendum ad annum præcedentem. Hæc sancti Laurentii abbatia undecimo hoc sæculo redacta fuit in prioratum, & monasterio Crassensi unita.

LX. Willelmi vicecomitis professio monastica in extremis.

Sed præ aliis insignior est Willelmi Massiliensis vicecomitis conversio in extremis facta in monasterio sancti Victoris, ex cujus tabulario totidem verbis referenda videtur.

Inspirante Dei misericordia, & ejus pia annuente clementia, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat; ego Willelmus vicecomes Massiliensis, dum jacerem in lectulo meo in infirmitate, quam mihi idem Dominus dederat; circunsteterunt me fratres monasterii beati Victoris, Wifredus scilicet præpositus ipsius monasterii, a domno abbate Garnerio constitutus, ac reliqui fratres: &, sicut mos est servorum Dei, cæperunt insurgere, quatenus sæcularem militiam relinquerem, & Deo militarem, multa de sanctis scripturis nuntiantes. Ego autem sermonibus eorum compunctus, gratia Dei comam capitis deposui, & secundum regulam sancti Benedicti habitum monachalem suscepi, & supra ea, quæ in sanitate mea jam olim eidem monasterio beati Victoris martyris dederam, id est villam Almis cum omnibus adjacentiis ac terminis suis: nunc etiam pleno sensu ac plena memoria, propter remedium animæ meæ, facio hanc donationem omnipotenti Deo ac sancto Victori, & abbatibus ac monachis in eodem loco servientibus, de ipsa villa, quam vocant Campanias, de ipsa scilicet medietate mea, quam ego propter vestitionis causam ibi habeo, vel habere debeo, cum integritate & absque

ANN. CHR. 1004.

& absque ulla diminutione, &c. Facta charta donationis hujus in Massilia civitate, anno incarnationis dominicæ M IV. *idibus Octobris, regnante Rodulfo rege. Ego Willelmus, qui hanc donationem fieri jussi, manu propria roboravi. Domnus Pontius episcopus firmavit. Guillelmus frater suus firmavit. Fulco firmavit. Aicardus firmavit. Ermengarda mulier domini Willelmi firmavit. Lambertus firmavit. Ademarus filius Willelmi firmavit. Legarda filia sua firmavit, &c.*

Ex his apparet, Garnerium abbatem sæcularem fuisse, qui loco sui Wifredum præpositum constituit, postmodum abbatem futurum. Willelmo vicecomiti successit Willelmus seu Guillelmus, frater Pontii episcopi, qui & ipse munificus fuit in sanctum Victorem.

LXI. S. Eusebii Aptense monasterium. * *Apt.*

Apud Aptam-Juliam * in Provincia occidentali exstat sancti Eusebii monasterium nostri Ordinis, cujus prima hoc anno diserta mentio nobis occurrit in quodam instrumento, a Sancta-Marthanis primum relato, in quo *donatio loci sancti Eusebii cum ecclesiis Deo constructis, videlicet sancti Eusebii, sancti Mauricii, & sancti Justi confessoris* cum suis adjunctis, facta perhibetur *ad ipsum abbatem & monachos anno* M IV. a Roberto quodam & Muraco eorumque uxoribus, qui *fundatores* dicuntur. Hinc sancti Eusebii monasterii origo relata est ad hunc annum, cujus primus abbas fuisse traditur sanctus Martianus, ortus ex castro Sanione in diœcesi Aptensi. Verum vir nobilis & eruditus D. De *Remerville* a sancto Quintino, civis Aptensis, qui omnia sancti Eusebii & aliarum ejusdem urbis ecclesiarum archiva diligenter evolvit, nec prædictum instrumentum invenit, censet sanctum Martianum longe antiquiorem esse, utpote cujus nomen perantiquo martyrologio, quod nullos sæculi noni sanctos continet, insertum est; adeoque sancti Eusebii monasterii primordia ad finem saltem sæculi octavi referenda: quod a Sarracenis sub exitum sæculi noni cum multis aliis ecclesiis eversum, in manus laïcorum devenerit, abbatiæ nomine donatum, quam laïci illi anno M XXXII. Nemausensi sancti Ægidii monasterio contulerunt, ut suo loco videbimus. Insuper ad id confirmandum idem vir doctus profert quasdam donationis litteras, *anno* XX. *imperante Ludovico Bosonis filio*, Aptensi sanctæ Mariæ ecclesiæ factæ cujusdam vineæ apud Sanionem, attinentis ab una parte *ad sanctum Justum*, quo nomine significari putat sancti Eusebii monasterium, cujus patronus cum sanctis Eusebio & Mauricio erat sanctus Justus. Verum etsi hæc probabilia sint, non tamen tanti videntur, ut sancti Eusebii monasterium ejus esse antiquitatis evincant. Quapropter vulgatam sequimur opinionem, dum certiora nobis argumenta suppetant. De sancto Martiano abbate plura inferius.

LXII. Fulradus abbas S. Vedasti ejectus. a *Balderic. lib. 1. capp. 6. & 16.*

Ad hoc etiam tempus revocanda est exauctoratio Fulradi abbatis monasterii sancti Vedasti Atrebatensis, qui, ut irregularis vitæ actus impune prosequeretur, rixas [a] inter episcopum Rothardum & Balduinum comitem primum, dein inter eumdem Balduinum & Erluinum episcopum ferere non desistebat. Sed tandem fraude ejus intellecta, comes Atrebati, *in ipso claustro monachorum statuto concilio*, Erluinum episcopum eo invitavit, & facta de Fulradi moribus inquisitione, comperto quod nihil religionis, nihil bonæ frugis haberet, eum episcopo in custodia recludendum tradidit. Tum regiminis cura Heriberto probatissimæ vitæ monacho commissa: sed, cum is ad reparanda monasterii damna minus idoneus videretur, in ejus locum substitutus est Richardus abbas Virdunensis. Fulradus interim metropolitanum appellat; tum rapta secum pecunia, quam ex rebus sancti Vedasti furto subtraxerat, in urbem Remorum tendit ad Arnulfum archiepiscopum, quem oblatis muneribus sibi faventem reddere tentavit, ut ejus auctoritate reditus ad amissam dignitatem sibi pateret. Verum, dum causa suspenditur, Fulradus in turpi conversatione perseverans, male periisse traditur.

LXIII. S. Trudonis abbates. b *lib. 46. n. 82.* c *Spicil. to. 7. p. 347.* d *Labbe to. 1. Biblioth. pag. 678.*

Post Erenofridum abbatem sancti Trudonis superius [b] memoratum, monasterio præfectus est hoc anno Adelardus abbas, eo nomine primus, qui locum rexit *annis triginta-quinque, scilicet usque ad annum incarnationis tricesimum-nonum*, ut habet chronographus [c] Trudonianus, qui tamen paullo post, Adelardum anno DCCCC XCIX. abbatem factum fuisse dicit. Hunc ab Adalberone secundo Mettensi episcopo, cujus sedi ab origine monasterium subjectum erat, ordinatum fuisse colligimus ex vita ipsius Adalberonis, qui *sancto* [d] *Trudoni duos abbates* præfeciſſe dicitur, Erenofridum scilicet, qui quatuor tantum annis cœnobio præfuit; & Adelardum

ANN. CHR. 1004.

primum, de quo in præsens agimus. Id si verum est, Adelardi ordinationem factam esse oportuit non serius hoc anno, qui Adalberonis junioris extremus fuit. Hic sancto Trudoni decimas villæ Pomerii, in Mosellacensi provincia sitæ, concessit, eas ultro conferentibus incolis, qui reliquias quasdam sancti Trudonis ab Adelardo abbate in grati animi signum acceperunt, testante Stepelino monacho in libro primo de miraculis sancti Trudonis. Adelardus abbas ejus loci familiam sincere dilexisse perhibetur, multæque caritatis fuisse tempore urgentis famis erga subjectos » monasterii, quos ceteris præferebat, aliis solitus dicere: Pascat te tuus dominus, » cujus es servus. De ceteris ejus factis nihil aliud accepimus, nisi quod vexatus fuit a Theoderico Mettensi episcopo, & in eam urbem captivus abductus, dum per præpositos interim res monasterii curarentur, exsulantis abbatis vices gerente Poppone abbate Stabulensi: sed tandem, agente Leodicensi episcopo, honorifice revocatus. *quem revertentem tanta comitata est gratia*, inquit chronographus, *ut ecclesiam suam non modo necessariis faceret abundare, verum interius & exterius vario cultu, diversisque utensilibus gloriose coruscare.*

LXIV. S. Martini Trevirense cœnobium direptum

Apud Treviros grave damnum passi sunt [a] sancti Martini cœnobitæ ab Adalberone viro præpotenti, ædis Paulinianæ præposito, qui agris & fundis illius monasterii jam dudum inhiabat. Jacebat tum puellare sancti Symphoriani cœnobium, juxta urbem versus aquilonem olim supra litus Mosellæ positum, sed Nortmannica tempestate eversum. Ex ejus tamen superstite templo nonnihil proventuum redigebant Martiniani monachi, qui sacra illic subinde celebrabant. Dum vero ipso die festo beati Symphoriani martyris pervigilium illic haberent, contigit in proximo fluvio Mosella, solutis rudentibus, molas in se ipsas impactas illisasque quassari, ob idque ingentem concurrentis vulgi clamorem tolli. Hoc excitati monachi, e templo mox prosilientes spectatum accurrunt, ecquid rei esset. Forte, dum hæc aguntur, Liudolfus archiepiscopus pro festi religione templum ingreditur cum Adalberone, qui hac officii divini intermissione ad probandam monachorum socordiam tam dextre usus est erga archiepiscopum, ut, eo permittente, sublatum inde thesaurum ad ædem sancti Paulini asportaverit. Rei indignitate commoti monachi, postera die querelas apud archiepiscopum deponunt. at ille, variis cunctationibus controversia extracta, petitores tam diu ludificatus dicitur, donec non solum templum Adalbero, sed & omnes eo pertinentes agros, nemine vetante, occuparet. Non multo post archiepiscopum rei dissimulatæ pænituit, isque de restitutione serio cogitare cœpit. at morte præventus, id exsequi non valuit. Adalbero ille filius erat Sigefridi comitis Luciliburgensis, frater vero Cunegundis reginæ, postmodum imperatricis, & Theoderici junioris Mettensis episcopi, de quo paullo post agemus.

[a] *Brouver. to. 1. p. 496.*

Burtonense monasterium.

In Anglia conditum est Burtonense monasterium in agro Staffordiensi, ab Ethelredo rege confirmatum, cujus annales nuper editi sunt, sed in his nihil fere in rem nostram præter seriem abbatum illius monasterii; cetera pleraque ad res civiles pertinent.

LXV. Johannis Canaparii & Fráconis obitus.

In Campania Italiæ terræ-motus per dies quindecim ita sæviit, ut, præter cetera multis in locis, ædem Casinatem decusserit. quo tempore Romæ ex anginæ morbo plurimi interierunt: cujus morbi occasione Franco quidam ad monasticam professionem confugit. sic autem res se habuit. Vigebat tunc monasticæ religionis norma in monasterio sanctorum Bonifacii & Alexii sub Leone sanctissimo abbate. Ejus fama commotus vir nobilitate, opibusque insignis Johannes Canaparius, eo accessit, & monasticum habitum induit, idemque amicis & propinquis suis ut facerent, persuadere, sed frustra, tentavit. Ex eo numero erat quidam ejus convicaneus & affinis, Franco nomine, cognomento Maringus, homo nec ignobilis, nec fortunæ mediocris: qui, dum ante ecclesiam sanctorum Cosmæ & Damiani, via sacra consisteret, turgente gutture, ad extremos halitus redactus est. Mox ille, data cuidam adstanti dextera, ad prædictum monasterium se duci rogavit, immemor parentum & eorum, quæ ipsum a sequendo Canapario deterruerant. Ubi illuc advenit, deficientibus viribus & anhelitu, genibus ejus advolutus multis precibus obsecrat, ut se infidelem in suum demum consortium admittat, sanctisque loci patronis, Bonifacio & Alexio, conciliet, ne in potestatem veniat dæmonum sibi infestorum. His flexus Canaparius, abbatem & fratres obnixe rogavit, ut Franconis voto facerent satis. Illi vero con-

festim annuunt, eumque monastica veste induunt. Sed, cum dæmones Franconi insultare pergerent, quod unum ei deerat, professionem regularem fecit; statimque animam exhalavit. Eodem anno ibidem decessit Johannes Canaparius, cujus epitaphium, quod in eadem ecclesia haud longe ab altari hactenus legitur, Baronius ad hunc annum retulit. In cujus fine post undecim metricos versus, prosa oratione Johannes sic inducitur loquens. *Precor vos omnes, qui huc post me venturi estis, ut pro me preces fundatis; & propter charitatem, quam violare non licet, nemo suum, nec alienum cadaver super me mittat. quod si hoc præsumpserit, sit maledictus, atque in perpetuum anathemate constrictus.* Hæc adjuratio apud veteres Romanos usitatissima erat. tum subditur. *Credo quod Redemptor meus vivit, & in carne mea videbo Deum salvatorem meum. Ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi anni sunt mille* IIII. *obiit mense Octobri, die* XII. *indictione* III. a Septembri inchoata.

ANN. CHR. 1004.

ANN. CHR. 1005. LXVI. Lotharingiæ duces.

POst mortem Ottonis Lotharingiæ inferioris ducis, filii Caroli principis, qui ex Ludovico Transmarino & Gerberga regina ortus erat, Heinricus Germaniæ rex, nulla ratione habita duarum Ottonis sororum, qui absque liberis decesserat, ducatum contulit Godefrido, Godefridi comitis Virdunensis filio ex Mathilde Herimanni Saxonum ducis filia, quæ itidem Friderici ex-comite monachi facti apud sanctum Vitonum, Gozelonis & Hezelonis, alio nomine Herimanni, parens erat. Godefrido absque mascula prole defuncto, suffectus in illo ducatu frater Gozelo, qui etiam ducatum Mosellanum post Fridericum ducem anno M XXXIV. adeptus est. Hezelo comes Einhamensis ex Mathilde uxore duos habuit [a] filios, Gregorium & Godefridum; & filiam unam, nomine Odiliam, quæ fuit abbatissa ancillarum Dei in monasterio sanctæ Odiliæ, ac demum apud sanctum Vitonum, ex beati Richardi vaticinio, mortua, sepultaque est: ubi Hezelo Herimannum filium *in annis puerilibus Deo obtulit*, ob idque *omnem devotionem suam* deinceps *ad eumdem locum vertit*; postmodum ibidem factus & ipse monachus. Ceterum Ottoni Lotharingiæ inferioris duci superius commemorato duæ sorores fuere, Ermengardis & Gerberga: quarum natu-major Ermengardis Alberto Namucensi comiti nupsit, quæ Albertum similiter comitem Namucensem genuit, duasque filias, Hadewidem & Emmam Lossensem: Hadewidis porro, Gerardo Alsatio nupta, Theodericum Lotharingiæ Mosellanæ ducem, ex quo deinceps Lotharingiæ duces haud interrupta serie prodierunt, & Gerardum comitem procreavit.

[a] *Labbe to. 1. p. 161. & 167.*

LXVII. S. Arnulfi res ab Adalberone servatæ.

Tunc Lotharingiam Mosellanam administrabat dux Theodericus, Friderici itidem ducis filius ex Beatrice Hugonis Magni filia, frater vero Adalberonis secundi Mettensis episcopi, qui patruo suo ejusdem nominis episcopo in illa sede successerat. Forte Theodericus ejus frater res quasdam sancti Arnulfi monasterio abstulerat, quas ejus loci cœnobitæ ab eo repetebant. Ad finiendam litem dies medio mense Maio ab eo ægre tandem indicta. Adfuit condicta die Adalbero pontifex, qui tum ejus diei æstu vehementi, quantum nemo ab omni retro mortalium memoria expertus erat, tum litis importunitate fatigatus, Numeniacum impransus media nocte pervenit. Tum cibo refectus, ubi paullulum somni cepisset, ad laudes Deo persolvendas surrexit. Vix eas absolverat, cum paralysi repente ita correptus est, ut neque manus pedesve, neque linguam movere posset. Ad tam insperatum nuntium fit undique concursus, non modo sæcularium & clericorum, sed etiam monachorum, immo & sanctimonialium & eremitarum, qui tanti patris casum inconsolabiliter lugebant. Eo etiam accurrit dux Theodericus ejus frater cum primariis aliis viris. Numeniaco in urbem deportatus, primo sancti Stephani principem ecclesiam adire voluit, ubi sibi commissum gregem Deo commendavit; inde ad domum episcopalem delatus, quidquid residui ex facultatibus ipsi supererat, ecclesiis, servis Dei, egenisque distribui curavit. Quin etiam *beato Martino Turonis*, ut ejus vitæ scriptoris verbis utar, *sancto Dionysio Parisius, sancto Remigio Remis, sanctæ Mariæ Virduni, sancto Petro Coloniæ, multisque aliis per Franciam superiorem, inferioremque sanctis xenia* misit, quo eos sibi in cælo patronos conciliaret. Tandem post aliquot dies ad eorum consortium migravit sub finem hujus anni, scilicet XIX. kalend. Januarii, prima hora feriæ sextæ. Ejus corpus lotum *ex more*, & *pontificalibus vestibus, & ipsis pretiosis*, indutum, toto ejus diei tempore & sabbato insequenti in ecclesia sancti Stephani servatum, indeque devectum in monasterium sancti

Adalberonis obitus.

ANN. CHR. 1005.

Symphoriani ab eo conditum, ibidem cum aliis sanctis antecessoribus suis humatum est feria secunda ante altare sancti Symphoriani, justa ei persolvente Bertoldo Leucorum venerabili pontifice, qui ab eo educatus fuerat.

LXVIII. Abbates quadraginta ab eo ordinati.

Adalberonis gesta posteris tradidit auctor gravis & æqualis, abbas scilicet ejusdem monasterii tertius, qui se ab illo benedictum fuisse testatur, asseritque abbates *usque ad quadragenarium pæne numerum*, non quidem in totidem locis (nam in illa diœcesi tot monasteria non erant) sed tres aliquando uno in loco ab eo consecratos. *ut est indicio*, inquit auctor, *hic sacer locus, cui Deo auctore, licet indignissimi præsidemus, dum præcedentibus duobus sanctis & venerabilibus patribus, Fingenio ex Hibernia, & domno Siriando, ex Gorziæ ferulis ad regendum abducto, nos, qui hæc scribimus, benedictione hujus beati pontificis tertio loco regimini succedere compulsi sumus.* Hunc vero Constantinum abbatem nobis videri superius [a] diximus. Addit ille, abbates sancto Trudoni duos, sancto Adelpho in monte Romarici duos, sancto Felici seu Clementi duos, sancto Martino ultra fluvium Mosellæ duos ab eodem ordinatos episcopo, cui solus Immo Gorziensis abbas, ante ejus promotionem ordinatus, eidem supervixit.

a *num.* 45.

LXIX. Theodericus ejus successor.

Adalberoni suffectus in sede Mettensi Theodericus junior, Chunegundis reginæ frater, qui multas in illa ecclesia procellas excitavit. Huic dux Theodericus post mortem fratris sui Adalberonis episcopi, favente Heinrico rege, commiserat Mettensem episcopatum, dum ipsius filius Adalbero, cui hanc dignitatem asserere volebat, adhuc puer adolesceret. Verum ille, puero urbe excluso, episcopatuque usurpato, ipsum etiam Theodericum ducem bello capit, & cum Heinrico fratre suo, Luciliburgensi comite, rebellat adversus Heinricum regem. Hic urbem obsedit, opitulantibus Slavis, a quibus *ecclesia una*, forte sancti Martini, *quæ extra Mettensem stabat civitatem, & congregatio ibidem serviens vastatur*, Ditmaro [b] testante. quod damnum rex magna ex parte reparasse dicitur. Facta demum pace, Theodericus episcopus novæ sancti Stephani permagnificæ ecclesiæ fundamenta jecit. Eidem Albertus [c] Mettensis monachus historiam de rebus sui temporis nuncupasse dicitur: sed an hæc historia uspiam reperiatur, ignoramus. Theoderici tempore Mettis in insula Mosellæ prope monasterium sancti Vincentii conditum est Benedictinarum virginum [d] cœnobium, cujus nulla fere supersunt vestigia. In chronico Saxonico agitur hoc anno de synodo nonis Julii habita in loco, *qui dicitur Trotmanni*, eique Theodericus Mettensis episcopus interfuisse dicitur. quod si ita est, hæc synodus celebrari non potuit hoc anno nonis Julii: siquidem Adalbero Theoderici decessor usque ad Decembrem insequentem superstes fuit. Ditmarus tamen hunc annum assignat huic synodo cum chronico Saxonico, ex quo lacuna hujus loci apud Ditmarum supplenda est. In illa synodo, præter preces & eleemosynas indictas, decretum est, ut vigiliæ sancti Johannis-Baptistæ, apostolorum Petri & Pauli, atque sancti Laurentii *in pane, sale & aqua* jejunarentur, uti & sexta feria ante natale Domini; vigiliæ vero assumtionis beatæ Mariæ, & apostolorum, & quatuor tempora, sicut in quadragesima: excepta feria sexta ante natale Domini, quam *in pane, sale & aqua* jejunari statutum est. Hæc est illa synodus, quæ vulgo Tremoniensis appellatur.

b *Ditmar. lib.* 5.

c *Meurisse p.* 349.

d *ibid.*

Trotmanni synodus.

LXX. Godehardus abbas Hersfeldenses reformat.

Post mortem Bernarii Hersfeldensis abbatis, suffectus in ejus locum Godehardus abbas Altahensis. Erat Bernarius genere non minus quam dignitate illustris, sed humanitatis popularis famam aucupatus, fratres suos fovebat indulgentius, *ita ut more canonicorum proprietates sibi, tam in privatis ædificiis, quam & in equis, & cultioribus quoque plurimis vestimentis, ac ceteris mundanæ gloriæ pompis vindicarent, & licentiam quoque dandi & accipiendi cum illicitis ac superfluis conviviis, ceterisque talibus usurparent.* His accessit biennio ante obitum morbus Bernarii abbatis, ejusdemque a monasterio absentia, qui ultra Fuldam amnem in monte, ubi monasterium in honorem sancti Petri exstruxerat, curandæ valetudinis causa, *cum militibus ac ceteris sibi familiaribus*, mollius degebat, dum interim fratribus vix necessaria suppeditarentur. Hinc factum est, ut Hersfeldenses, rei indignitate commoti, Heinricum regem sæpius interpellaverint, ut sibi alium pastorem provideret. Dum autem res differtur, moritur tandem Bernarius, cujus in locum rex Godehardum episcopum illic institutus, cum regulæ severiores leges ibidem reformare vellet, metropolitani rogatu optionem dat laxioribus monachis alio discedendi, paucos secum voluntarios retinens, quos brevi ad regularis vitæ normam flexit: sicque locum a superfluis & ineptis repurgavit ædificiis, & habitatores ad honestam morum formam composuit. Horum religiosa conversatione permoti vagi alii monachi, ad proprium tandem ovile ultro reversi sunt, & leni jugo Christi mansuefacti. Sic intra septem annos, quibus Godehardus Hersfeldensibus præfuit, locus ille pristinum vitæ monasticæ splendorem recuperavit.

ANN. CHR. 1005.

LXXI. Tegernsense & Chremense eidem commissa.

Addit Wolferus sancti Godehardi vitæ scriptor, ex quo hæc accipimus, duo alia monasteria ei commendata & commissa fuisse, Degarense & Chremense. Degarense seu Tegernsense in Bajoaria superiori monasterium, ad alpium fauces ad lacum cognominem situm, Gozpertus abbas ad annum M I. rexisse [a] dicitur, eidemque defuncto Godehardus ad unum tantum annum ac duos menses successisse, *ut reformaret locum, insolentia monachorum pæne collapsum.* at monachis eam translationem contra statuta esse vociferantibus, Gotescalco quoque Frisingensi episcopo Godehardum, quod alienæ incubaret provinciæ, carpente, Godehardus ad Heinricum rediisse, qui Eberhardum abbatem vel ingratis imposuerit; Eberhardus porro post duos annos abbatiam propter monachorum insolentiam reliquisse; & tamen obiisse, quod implicat, anno M III. & quidem IV. nonas Martii, juxta chronicon monasterii: post quem Peringerius, concorditer electus, bene ac pie monasterium rexisse perhibetur.

a *Metrop. Salisb. lib.* 10. 3. *p.* 391.

LXXII. Tegernsensium abbatum series emendata.

In his multa sunt quæ emendatione, vel explicatione indigent. Gozpertus abbas Hartwico, post annos quinque regiminis defuncto, successit anno DCCCC LXXXVII. ut ex superioribus [b] intelligitur. Si verum est Gozpertum Tegernsensibus viginti annis præfuisse, ut Hundius notavit, superstes fuisse dicendus est ad annum M VII. nec ante hunc annum Godehardus ei successisse. at non serius hoc anno Godehardus Tegernsensi monasterio præesse cœpit: si quidem ejus præfecturæ adversatus sit Gotescalcus Frisingensis antistes, cui successit Egilbertus seu Engilbertus ante mensem Novembrem anni M VII. quo anno Egilbertus synodo Francofurtensi subscripsit. Exstat epistola quædam Godehardi abbatis ad Theodulum episcopum, haud dubie Frisingensem, qui Godehardo parum se favorabilem præbuit in præfectura Tegernsensi, (quod Gotescalco tribuitur apud Hundium) eumque in ovile Domini irrupisse criminatus est. quod crimen Gotehardus seu Godehardus ipse [c] a se amolitur his verbis. *Si in unius tam nefariæ criminationis causa me umquam reprehenderet propria conscientia, quam verecundo vultu, quamque pœnitenti animo mea sponte voluissem me sequestrare a totius christianitatis communione.* & infra. *Quod me furtive in ovile Domini me dicitis irrupisse, testis est fidelis curia, populique christiani innumera agmina, quia nihil de vestræ potestatis vel alicujus alterius subjectione mihi vindicare præsumsi: nisi quod de potestativa manu summi principis*, id est Heinrici regis, *hodie (non fateor utrum vellem an nollem) suscepi. Hujusmodi prohibitionem obeditionis in regula conscriptam vitæ Benedictinæ non invenio, quamvis sæpe sæpius hinc inde detrita sit præ manibus nostris.* Hæc Godehardus in epistola ad Theodulum episcopum, non alium quam Frisingensem; ad quem itidem scribit Fromundus [d] Tegernsensis monachus & *portarius*, rogans, ut prædones monasterii coërceret, ne pauperes ex hac fraude inopiam paterentur, quibus *ex decimatione* rerum suarum eleemosyna conferebatur. Nullus tamen in vulgatis indicibus invenitur Theodulus episcopus Frisingensis; sed proxime subjicitur Gotescalco Engilbertus, qui annis triginta-quatuor illam sedem tenuisse dicitur. aut igitur inserendus est Gotescalcum inter & Engilbertum Theodulus: aut dicendum est, binominem fuisse Gotescalcum. quod forte veri simillius sit. Jam Tegernsensis monasterii præfecturam inierat Godehardus, cum Chremense seu Cremifanense regendum accepit, ut colligitur ex ejus epistola [e] ad Tegernsenses, quibus significat, se *honorifice, simulque caritative* a cunctis fratribus susceptum fuisse, eosque *devote* feciisse, quidquid eis *regulariter* præscripserat. In fine librum Horatii & epistolas Tullii sibi mitti postulat. Exstat alia [f] ejusdem Godehardi abbatis epistola ex codice Tegernsensi ad A. abbatem Lunælacensis monasterii, alio nomine *Mansee* dicti, qua prænotatum abbatem a Christiano Pataviensi episcopo *intra quatuordecim noctes* sub excommunicationis interminatione citatum fuisse dicit; eumque monet, ut veniat *cum licentia episcopi* sui G. scilicet Gebehardi Ratisponensis, eo nomine primi. Hoc monasterium ab

b *lib.* 49. *n.* 15.

c *Analect. to.* 4. *p.* 450.

d *ibid. p.* 352.

e *ibid. p.* 349.

«

«

f *ibid. p.* 351.

ANN. CHR. 1005.

Hungaris vastatum, a sancto Heinrico rege instauratum fuisse legitur. Alia quoque epistola [a] idem Godehardus cuidam abbatissæ vagam sanctimonialem remittit, eam apud se commorari passurus, *si qualitas sexus aliquot permitteret monasterio fratrum feminas cohabitare;* petitque, ne ad dedecus suæ professionis vel habitus monasterialis, quo ista soror vestitur, ulterius illam vagari per diversa loca patiatur.

a *ibid. p. 353.*

LXXIII. Tegernsenses sub Godehardo abbates.

Tegernsensis monasterii res adhuc procurabat Godehardus anno M XIX. cum Heinricus [b] imperator, interventu Chunegundæ conjugis suæ, atque Gotehardi dilecti sui abbatis, monasterio sancti Quirini, quod situm est in loco, qui nominatur Tegrinse, duos regales mansos apud Liupanam contulit. Ejus proinde vices in illo monasterio gessere Eberhardus, Peringerus, & Burchardus, forsan etiam Ellingerus. Gotescalci Frisingensis episcopi potius, quam Godehardi Hildensheimensis nunc mihi videtur esse epistola [c] pro Eberhardo abbate ad Heinricum regem, conquerente, quod præ magna penuria victus & vestitus ordinem regularis vitæ cum fratribus sibi commissis retinere non possit, ni rex subveniat; petitque cum illo episcopus, ut monachis jus electionis secundum regulam & privilegia sua restituat. Ejusdem fere argumenti est epistola [d] Eberhardi abbatis ad Heinricum regem. Eberhardo suffectus Peringerus abbas, cujus exstat epistola [e] ad ipsum Heinricum contra Diemonem seu Thiemonem comitem, prædicto monasterio maxime infestum. Sub eo ibidem vivebat Fromundus monachus, qui ad subeundum sacerdotii gradum vix adduci poterat, hac maxime [f] ratione, *quia quanto quisque altius scandit, tanto durius cadit, si illum cadere contigerit.* tum subdit Fromundus. *Hæc omnia committo Deo, vestroque salubri consilio. Hunc gradum non multum renuo, nec multum desidero: sed vobis, ceterisque senioribus obedio. & si talem gradum assumsero, quidquid tunc in eo deliquero, puto, spero, credo, confido in Christo, mihi multo indulgentius esse, si accedo timide, non temere.* Hæc erat pii ac docti illius monachi mens de sacerdotio, cujus epistolam ad Theodulum episcopum superius laudavimus. Ejus discipulus [g] fuit Ellingerus, post Burchardum Eberhardi successorem, aut certe post Godehardi promotionem ad episcopatum ejusdem loci abbas, non semel depositus, ut inferius [h] videbimus.

b *Gretser. Divi Bamb. p. 77.*
c *Annlest. to. 4. p. 355.*
d *ibid.*
e *ibid. p. 356.*
f *ep. 357.*
g *ibid. p. 358.*
h *ibid. p. 359.*

LXXIV. S. Benigni cella erecta.

Redeo ad Galliam, ubi Bertoldus Leucorum præsul, *a venerabili* [i] *Lingonum pontifice domno Brunone ac Willelmo Burgundionum comite, interveniente religioso Divionensis cœnobii abbate Willelmo, interpellatus, oratorio sancti Benigni* * *Bersiniacæ-curtis*, duo altaria concessit, Algisi scilicet villæ & Bersiniacæ-curtis: ea conventione, ut idem locus Bersiniacæ-curtis, a domno Jacob, Tullensis quondam sedis episcopo, monachis sancti Benigni Divionensis ex proprio jure olim traditus, ab eodem abbate monastica religione insigniretur; & ut *vicarios more ecclesiastico, qui debita synodalia solvant, & curam animarum gerant,* in illis duabus parochiis constituant. *Acta sunt hæc, quando fuit placitum de abbatia Poloniacensi inter domnum Bertoldum & domnum Brunonem episcopos in Dodonis-curte juxta Quercus, præsente Willelmo comite, & Willelmo abbate, multisque magnis & nobilibus viris; deinde in plena synodo corroborata omnium clericorum laude,* III. *idus Junii, anno dominicæ inc.* M V. *regnante Heinrico Romanorum augusto.* Ex laïcis subscribunt Odalricus comes, Raimboldus comes, & alii. quam donationem idem Bertoldus postea [k] confirmavit. Huic cellæ præpositus [l] fuit Arnulfus, Gorzienſis monasterii quondam prior, qui cum Gorziæ magistratum, deferentibus Theoderico Mettensi præsule & Willelmo abbate, subire recusasset, prædictæ cellæ curam suscepit: ubi novam basilicam amplam exstruxit cum officinis & ædificiis congruis ad usus monachorum, eumdemque locum prædiis & possessionibus non mediocriter auxit, ut in chronico sancti Benigni fuse memoratur. Præ ceteris laudatur iste Arnulfus, quod illam sancti Benigni ecclesiam librorum copia decoraverit, impensas tribuendo, Girbertus vero monachus scribendo: qui Girbertus ex primis fuit, quos Willelmus abbas instituit, *& ab officio Scriptor est appellatus.*

i *Perard p. 169.*
* *S. Belin.*
Vicarii perpetui.
k *id. p. 170.*
l *Spicil. to. 1. p. 446. & seq.*

LXXV. S. Stephani cella item Belnensis.

Tunc temporis Avalonem Burgundiæ castrum, forte contra Landricum comitem, Rotbertus rex obsidebat: qua in obsidione cum versaretur, Oddo *vicecomes* [m] *Belnocastri*, interventu Ottonis comitis, cognomento Willelmi, & Walterii Augustodunensis episcopi, quasdam res in comitatibus Dumensi & Belnensi, & ecclesiam sancti Stephani in Belnensi suburbio ab ipso reædificatam, tradidit sancto Benigno & Willelmo abbati, sibique subjectis monachis possidendas, ut in illa ecclesia *mo-*

m *Perard ibid.*

ANN. CHR. 1005.

nachorum ordo regularis collocaretur; eique attribuit spatium ad amplificandam ejus sepulturam, quam *antiquitus spatiosam* fuisse *ipsa petrea sepulcra, quæ in circuitu & circumquaque inveniuntur*, testimonium perhibent. qualia sepulcra exstant etiam nunc in quibusdam aliis ecclesiis diœcesis Æduensis. *Data* VIII. *kalend. Septembris, anno ab incarnatione Domini* M. V. *indictione* III. *epacta* VII. *regnante Rotberto rege* XVII. *Actum apud Avalonem castrum in obsidione.* Ita in authentico diplomate, quod Perardus vulgavit. Oddo vicecomes Belnensis obiit VI. kalend. Junii: Inga vero ejus uxor idibus ejusdem mensis, quorum epitaphia superius [a] retulimus.

a *supra n. 36.*

LXXVI. Patriciaci miracula facta.

Hoc ipso anno, *tertia videlicet feria* [b] *ante Pentecosten, cujus in ipso anno festivitas* XIII. *kal. Junii evenit*, mulier quædam, Adelais nomine, linguæ ac pedum privata officio, ad Patriciacense cœnobium, quod Eccardus Burgundionum comes olim exstruxerat, reptando venit; ibique in oratorium admissa, ad altare sanctæ Dei-genitricis Mariæ, & sancti Benedicti repente sanata est. Præerat tum huic loco Rotbertus præpositus, qui cum Bernardum [c] quemdam virum illustrem, Letboldo propinquo suo, uti & Patriciaco infestum, reprehendisset, & ille minas & convicia in sanctum Benedictum jactaret; imminentem ei interitum, qui brevi re ipsa subsecutus est, prænuntiavit. Alia ibidem tunc patrata miracula refert Aimoinus. quo tempore Durandus quidam [d] conjugatus Floriacum conversionis gratia venit, *reverendum patrem poscens Gauzlinum*, ut habitu monastico indueretur. quod ubi obtinuit, eidem obtulit locò, quidquid ex paterno vel materno jure possidebat in pago Cabilonensi: quorum omnium tertiam partem uxori suæ Alexandræ ad vitam reliquit. *Actum Floriaco, tempore Rotberti regis & Gauzlini abbatis.*

b *Aimoin. lib. 2. de miraculis S. Bened. c. 17.*
c *ibid. c. 16.*
Durandus Floriaci monachus.
d *Perard. p. 31.*

LXXVII. Cluniaco factæ donationes.

Eodem tempore Rodulfus rex [e] Burgundiæ Jurensis Cluniacensi monasterio quasdam res in comitatu Matisconensi donat *ad deprecationem Emmæ imperii sui consortis*; confirmatque donationes a Bernone episcopo, aliisque eidem loco factas. *Actum Ansa-villa* XI. *kal. Julii, indictione* III. *anno* IX. *regnante Rodulfo rege glorioſſimo.* Reamundus ad vicem Ansusi episcopi recognovit. Ansa opidum est ad Ararim fluvium supra Lugdunum, ubi conventus quidam in consequentibus habiti sunt. Ad idem tempus referenda videtur donatio Lamberti militis, qui mansum unum in villa pagi Matisconensis, *Latonai* dicta, eidem monasterio & Odiloni abbati contulit. *Actum publice apud Cabilonem civitatem regnante Rotberto rege, apud nos vero regnante domino nostro Jesu-Christo, mense Aprilis, die Jovis, indictione tertia.* Hæc formula, apud nos *regnante Jesu-Christo*, forte indicat Lambertum fuisse ex illa Burgundiæ parte, quæ Rotbertum regem nondum agnoverat. Nullæ apponuntur chronicæ notæ quibusdam instrumentis Agnetis comitissæ Pictavensis, filiæ Ottonis cognomento Willelmi, uxoris autem Willelmi Magni ducis Aquitanorum. In uno ex his Agnes comitissa & filii ejus, Willelmus & Gaufridus, Cluniacensi monasterio, ubi domnus Odilo abbas præerat, donant monetam totam, quam habebant in villa, quæ dicitur Engeliacus; & in alia, quæ dicitur Melgonus, omnes consuetudines, quas habebant, loco sæpiarum, quas Cluniacensibus dare consueverant. *Unde etiam postulamus*, inquiunt, *adscribi nomina nostra in missali, quo recitantur benefactores vestri; quia maximam fiduciam habemus in orationibus vestris, vestræque congregationis, &c. In hoc anno*, ut in illa charta legitur, *jam dicta nobilissima comitissa Agnes obsedit castrum Volventem* *, *&*, *ut fuit sua consuetudo, cepit eum.* Alia prætereo ejusdem Agnetis pro Cluniaco monumenta.

e *Bibl. Clun. p. 410.*
* *Vouvant en Poitou.*

LXXVIII. S. Remigii Remensis abbates.

Agebat annum præfecturæ vicesimum Arbodus abbas archimonasterii sancti Remigii Remensis, cum vivere desiit, & quidem III. idus Aprilis. Sub eo numerantur monachi quinquaginta-sex, ex quibus quinque sunt abbates, scilicet Gotbertus, Fulradus, Manasses, Goderannus, & Gislebertus, qui forte fratres tantum conscripti erant, uti & alii, quos sub antecessoribus recensitos superius vidimus. His annumeratur Arnulfus archiepiscopus, qui & monachus in necrologio Remigiano dicitur. Arbodi semesum epitaphium retulit Marlotus [f], in quo *abbas egregius & gregis pastor vigil* fuisse memoratur. Annos præfecturæ bis denos notat Bernerus, qui *hunc* ei *titulum* ornavisse dicitur. Arbodum excepit Airardus hoc ipso anno, testante Anselmo ejus loci monacho, qui novam basilicam ab eo inchoatam tradit in libello de ejus dedicatione a Leone nono facta: nimirum quod antiqua ecclesia, quæ ante annos centum quinquaginta-duos ab Hincmaro archiepiscopo consecrata fuerat, tunc præ vetustate fatiscens, ruinæ proxima videretur. Hinc *Airardus anno do-*

f *Metrop. Rem. to. 1. p. 351.*

ANN. CHR. 1005.

minicæ incarnationis milleſimo quinto, poſt reparationem autem monaſticæ religionis per Hugonem pſeudo-epiſcopum inibi factam ſexageſimo-ſecundo, ab Arnulfo archipræſule ordinatus abbas, poſt Hincmarum a reformatione primum *ordine ſextus*; cernens ubique Galliarum novas exſtrui, & auguſtius reformari eccleſias, initio ſtatim ſuæ præfecturæ novam baſilicam ædificare conſtituit. Quam ob rem viris architecturæ peritiſſimis adſcitis, futuri templi fabricam ex quadris lapidibus erigere cœpit a fundamentis, multo quidem magnificentiorem ceteris, quæ alibi renovari cœperant; ſed operoſiorem, quam ut ab ſe, immo & ab aliis ejus ævi hominibus abſolvi poſſet, tametſi per viginti & octo annos paſtorale officium adminiſtraverit.

LXXIX. Figiaci abbates.

Rotberti regis *anno nono* [a] deceſſit Geraldus Figiaci abbas, ibidemque ſepultus eſt. Hunc excepit Rogerius, qui, cum *multum honorem*, id eſt multa prædia, militibus in beneficium dediſſet; cruce ex auro & lapidibus facta, Jeroſolymam profectus eſt, quo ex itinere non revertit. Inter ea Adalgerius, qui ex Salinario * Figiacenſi abbatiam Conchenſem non minimo dato pretio adeptus fuerat, ſub occaſione ſepeliendi cujuſdam Figiacenſis monachi probitate inſignis, cognomento Roſad-Bernardi, Figiacum venit, completoque officio, abbatiam dato ſimiliter pretio comparavit, quod ſcelus non diu impune tulit. nam dum *abbatiam*, id eſt abbatiæ poſſeſſiones, perluſtrare vellet, apud Fiſcellam hoſpitatus, mox ut *ſolarium* ſive conclave ſibi paratum ſubiit, pede lapſo, crureque fracto, qui equitando venerat, vix domum reportari potuit. quæ res tantum ei pudoris attulit, ut Conchas reverſus, Figiaci deinceps non comparuerit. Mox Figiacenſes, quorum nonnulli Adalgerii ſimoniacæ intruſioni haud conſenſerant, abbatem e ſuis elegerunt, virum nobiliſſimum, Lautardum nomine, qui etiam Conchenſem abbatiam principatu Heinrici regis triennio tenuit, ac demum apud Conchas mortuus, ſepultuſque eſt. Huic in utroque loco ſucceſſit Willermus: quo propter ſimoniæ crimen rejecto, Figiacenſes domnum Hugonem Cluniacenſem abbatem elegerunt, admonueruntque Conchenſes, ut eidem abbati ſe ſubderent. Verum illi non modo Figiacenſes monachos, ſed ipſum etiam Airardum Figiacenſem, cui ſubditi auctoritate apoſtolica fuerant, contra jus omne a ſe projecerunt. Hic deſinit chronicon Figiacenſe.

[a] *Baluz. Miſcel. to. 2. p. 301.*

* *al.* Salmario.

ANN. CHR. 1006. LXXX. Fames ingens.

INſequens annus milleſimus ſextus rei frumentariæ inopia & peſtilentia ita gravis & infeſtus fuit, referente Sigeberto, ut tædio ſepelientium vivi, adhuc ſpiritum trahentes, obruerentur cum mortuis. quod anno præcedente contigiſſe tradit Hermannus. Sed utrumque ſimul conſtare poteſt, ita ut fames præcedenti anno inchoata, hoc anno perſeveraverit, creveritque. Famem peſtilentia gravis in Lombardia maxime excepit. Per id tempus ſanctorum martyrum Syneſii & Theopompi corpora, in ædæ Nonantulani monaſterii recondita, Mutinenſium ac Bononienſium precibus per utriuſque civitatis agros atque caſtra pie a monachis circumlata, ſalutem ægris corporibus attulerunt. Ea tempeſtate id contigiſſe cenſet Baronius, ut Odilo Cluniacenſis abbas, exhauſtis in egentium uſus horreis & ærariis, ſacra etiam vaſa confregerit, nec coronæ quidem, quam ipſi Heinricus imperator dono dederat, perpercerit, ut miſerorum inopiam temperaret. Verum quod de corona imperatoris dicitur, ſerius contigit, ut ſuo loco dicturi ſumus, cum alia fames terræ incubuiſſet. quo utroque tempore non dubito virum ſanctum pro ſua in Chriſti membra caritate etiam res ſacras ad levandam egentium inopiam expendiſſe, quod pariter fecit Willelmus abbas Divionenſis.

LXXXI. Rotberti diplomata pro Fiſcamno.

Dum hic Divionenſi & Fiſcamnenſi monaſteriis præeſſet, Rotbertus rex *pro remedio* [b] *animæ patris* ſui *Hugonis ac genitricis* ſuæ *Adelaidæ reginæ*, quæ forte tum obierat, *monaſterio ſanctæ Trinitatis, quod eſt ſitum ſupra litus maris ad caſtrum, quod dicitur Fiſcamnum*, concedit villam, quæ vocatur Villaris, cum omnibus ad eam pertinentibus, ſitam ſuper Iſaram fluvium, in comitatu Silvanectenſi. *Anno ab incarnatione Domini milleſimo quinto*, ſecundum veterem calculum. *Actum Silvanectis in palatio Epiphania, regnante glorioſiſſimo rege Roberto, anno ſeptimo-decimo, luna* XVI. *indictione quarta.* Legendum videtur, *in epiphania* * *Domini.* Franco cancellarius palatii ſubſcripſit. Sed præclarum eſt in primis ejuſdem regis præceptum, quo reſtitutionem monachorum Fiſcamni a Richardo comite factam, & donationes eidem loco ab eo factas confirmat, dum rex ipſe Fiſcamni orationis cauſa verſaretur. quod quidem præceptum hic integrum referre juvat.

[b] *Labbe Miſc. p. 554.*

* *V. ſupra n. 38.*

In nomine

ANN. CHR. 1006.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Rothertus divina favente clementia rex. Quoniam inter numerum illorum computamur, qui regali cenſentur nomine; ſi in omnibus hujus nominis officium devote nequimus adimplere, nimis impium eſt omnia inefficaciter præterire. Unde Fiſcannenſis, quam orationis gratia viſitavimus, juſtam eccleſiæ cauſam, qua interpellamur, & benigne ſuſcipimus, & gratanter adimplemus. Notum ſit igitur præſentibus & futuris, quod pia ſumus petitione dilectiſſimi fidelis noſtri Richardi comitis exorati, ut res, quas huic loco, in honore individuæ ſanctæ Trinitatis conſubſtantialis Patris & Filii & Spiritus-ſancti conſecrato, tradidit, & per cartæ teſtamentum firmavit, nos quoque noſtro præcepto corroboraremus. Cujus preces delectabiliter auditas, ſicut juſtum eſt, ſuſcepimus tam libenter implendas. Pii enim prioris Richardi intentio ad hoc hunc locum conſtruxit, ut monachorum ordo ibi ſub Regula ſancti Benedicti viveret, & Dei laudibus inſerviret. quod deſiderium quoniam morte interveniente adimplere non potuit, pius filius Richardus æquivocus implere procuravit: & divina providentia repertum domnum abbatem Guillelmum, hujus monaſticæ religionis, quæ ibi cernitur, præfecit magiſtrum & rectorem. Sub quo creſcente monachorum numero hic comes Richardus junior temporale bonum augere ſtuduit. In comitatu Calcienſi, in ipſa villa Fiſcanno, tertiam partem hoſpitum, quos colonos vocant... Silvæ unam partem, a publica ſtrata uſque ad mare terminatam: cui etiam dedit in Rotomagenſi civitate eccleſiam ſancti Paterni cum uno manſo, ubi ſita eſt, &c. Hæc & omnia, quæ data ſunt ab ipſo comite, vel a patre illius, vel noſtra largitione collata ſunt, vel a quocumque fideli huic loco deinceps fuerint conferenda, ſancimus, corroboramus, &c. In abbatis autem electione, ordinatione, ſive conſecratione, illa apud iſtos conſuetudo ſequatur, quæ hactenus in Cluniaco cœnobiorum ſervata eſt illuſtriſſimo, unde fons ſanctæ monaſticæ religionis per multa jam longe lateque derivatus loca, ad hunc uſque Deo profluxit propitio. Nihil quippe horum, quibus inibi Dei poſſit impediri ſervitus, ſubreptori relinquimus amaro, dum quæque ad continendam quietis ſecuritatem cuicumque monaſterio noſtris a prædeceſſoribus regali conceſſa ſunt auctoritate, nos in honore ſanctæ Trinitatis dedicato, his etiamſi pleniter non notantur ſcriptis, huic ſacro libentiſſime annuimus loco: cujus, ut ſancta, quæ ibi Domini opitulante gratia digne modo religionis viget obſervatio, non deficiat, ſed magis ac magis ad profectum tam noſtræ, quam omnium fidelium proficiat animarum, ſicut nulli ordini, dignitati, poteſtati, hereditariæque ſucceſſioni, noſtræ quinimmo majeſtati ſuper idem jus relinquere decrevimus dominationis; ita nulli, ſi, quod abſit, habitatores ejus a tam bene jam cœpto rectitudinis aliquando deviaverint propoſito, in priſtinum illud reformandi poteſtatem denegamus, huic dignæ a Chriſto mercedem promereri qui voluerit recompenſationis. Et ut noſtræ auctoritas confirmationis inviolabilem atque inconvulſam obtineat firmitatem, anuli ac monogrammatis noſtri ſigno illam decrevimus inſigniri. Actum Fiſcamnum anno dominicæ incarnationis M VI. *indictione* IV. *die tertio ante kalendas Junias*, V. *feria dominicæ aſcenſionis gaudio celeberrima feliciter.*

Hucuſque præceptum, cujus chronicæ notæ apprime concordant.

In brevi chronico Uticenſi hoc anno obiiſſe dicitur Hildebertus abbas, *qui reſtauravit monaſterium ſancti Audoëni.* Quis proximus ejus ſucceſſor fuerit, Henricus an Arefaſtus, non convenit inter auctores. De Nicolao abbate inferius. S. Audoëni abbates.

LXXXII. Rotberti diploma pro S. Benigno.

Eodem anno Rotbertum regem Francorum una cum Heinrico Germaniæ rege colloquium ad Moſam habuiſſe docet nos ejuſdem Rotberti [a] diploma, quo idem rex, interventu Ottonis comitis & Walterii epiſcopi Auguſtodunenſis, ratam habet donationem loci dicti Puteoli, ſiti in comitatu Belnenſi ſecus fluvium, qui dicitur Duina, a Letbaldo milite factam ſancto Benigno & Willelmo abbati, eo pacto, ut prædictus abbas monachos ibidem ad ſerviendum Deo conſtitueret. *Actum publice ſupra Moſam, apud regale colloquium glorioſiſſimi regis Rotberti, atque Heinrici regis ſereniſſimi, anno ab incarnatione Domini* M VI. *indictione quarta, regnante eodem rege Rotberto illuſtriſſimo anno* IX-X. ut in authentico exprimitur, id eſt nonodecimo. Haud ſcio an ullus hiſtoricorum noſtrorum hujus colloquii hoc anno meminerit, in quo ſine dubio de limitibus utriuſque regni actum eſt, de quibus exorta ſubinde inter ambos reges contentio. Sequens apud Perardum inſtrumentum, quod nullo modo ſancti Benigni monaſterium ſpectare videtur, *frater Aimoinus*, haud dubie monachus, ſcripſit. quod argumento eſt, ipſum notarii publici vices egiſſe. Ejus colloquii cum Heinrico.

[a] *Perard, p. 171.*

ANN. CHR. 1006.

Non exceſſit hunc annum Theobaldus Foſſatenſis abbas, cui Burchardus caſtri Corboili comes, una cum filio ſuo Rainaldo Pariſiorum epiſcopo, id privilegii ob ſancti Mauri amorem indulſit, ut quicumque aliquid beneficii Foſſatenſi monaſterio conferre vellet, ei liceret; adjecitque, ut ſi quis clericorum aut canonicorum ejuſdem caſtri Corboili monachus fieri voluerit, *Foſſatis efficiatur: laïci denique extra ſuas parochias ad nullam aliam eccleſiam admittantur, niſi ad abbatiam Foſſatenſem: quia hoc in mandatum*, inquit, *a dominis & principibus regibuſque noſtris, Hugone atque Rotberto ipſius filio, accepimus, ut omne bonum, quod ipſi eccleſiæ quomodocumque poterimus, eorum fulti auctoritate & auxilio faciamus. Actum publice in curia noſtra Corboili, anno incarnationis Domini* M VI. Non diu poſt datam hanc chartam ſupervixit Theobaldus abbas. ſiquidem paullo poſt Hildeberto ejus ſucceſſori alia conceſſa eſt a Rainaldo mox laudato Pariſiorum epiſcopo. Hic nimirum *præbendam*, ab ipſius anteceſſore *beatæ memoriæ* Ænea epiſcopo in eccleſia cathedrali monachis Foſſatenſibus collatam, hac ratione confirmat, ut Hildebertus abbas, ejuſque ſucceſſores vicarium ex ordine clericorum pro ſe in eccleſia beatæ Mariæ ſerviturum, aſſenſu tamen capituli, inſtituant: qui vicarius, præbenda de manu abbatis in capitulo Foſſatenſi accepta, ab uno fratrum Foſſatenſium, cui abbas id injunxerit, ad capitulum beatæ Mariæ adducatur, decano & canonicis præſentandus, & ab eodem decano gratis admittendus. Statuit inſuper epiſcopus, ut prædictus clericus bis quotannis ad Foſſatenſe monaſterium venire debeat, ſcilicet ad feſtum apoſtolorum Petri & Pauli IV. kal. Julii, & XVIII. kal. Februarii ad tranſitum beati Mauri: ſi defuerit, abbatis judicio ſubjiciendus eo modo, quo epiſcopus ipſe utitur erga beatæ Mariæ canonicum. Clericus vero ille poſt mortem a canonicis beatæ Mariæ humetur, *ſi in noſtro*, inquit Rainaldus, *habitu vitam finierit.* Denique Rainaldus denuo indicit *proceſſionem illam*, quam annuatim jam dictus ejus deceſſor in quadrageſima, quarta ſcilicet feria poſt dominicam paſſionis, inſtituerat *in monumentum illius proceſſionis, quam Chriſti dilectori Mauro exhibuit die, qua primum receptus eſt a Foſſatenſibus, ſicut in ſuo quodam invenimus ſcripto*, ait Rainaldus. *Actum publice Pariſius in capitulo ſanctæ Mariæ, anno incarnationis dominicæ milleſimo-ſexto.* Ex hac charta recte infert Gerardus [a] a Boſco, Æneæ Pariſienſis hac de re litteras non eſſe ſuppoſitas, ut male auguratus erat Launoïus; obſervatque, quod ſicut Æneas initium fecit præbendis, quæ aliis eccleſiis datæ ſunt: ſic Rainaldus dedit initium vicariis majoribus, qui habentur in eccleſia beatæ Mariæ. Vix ultra biennium ſupervixit Hildebertus abbas, ſiquidem ipſe & Theobaldus ejus anteceſſor annis tantum quinque regimen tenuiſſe dicuntur in libro de vita Burchardi comitis. Poſt Hildebertum nullus abbas certus nobis occurrit ante Odonem, de quo inferius agemus.

Foſſatenſibus præbenda & alia confirmata.

[a] *Hiſt. Pariſ. to. 1 p. 626.*

LXXXIV. S. Vitoni monaſterium inſtauratur.

Cum ex fama ſanctitatis Richardi abbatis Virdunum plurimi ad monaſticam profeſſionem convolarent, jamque locus eſſet anguſtior, quam ut omnes poſſet capere; de illo amplificando, noviſque ædificiis exſtruendis cogitare cœpit vir Dei, idque Heinrici regis favore & munificentia fretus aggreſſus eſt. In tanto opere adjutorem quoque habuit Fridericum ex-duce monachum, qui non modo ſuis, ſuorumque propinquorum opibus rem promovit, ſed etiam ipſe operam contulit ſuam, ut mox videbimus. Ab eccleſia, ut par erat, ductum initium, cujus pæne jam diruta ſarta-tecta erant. His dejectis, amplioris baſilicæ jacta fundamenta, quæ brevi tempore abſoluta fuit. Turres ejus domnus Fridericus ex ſuo fecit, uti & cellarium, fratrumque refectorium.

LXXXV. Friderici monachi humilitas.

Dormitorio novo exſtruendo, cum veteris immunditiis efferendis nonnulli manus apponere ſubterfugerent, Fridericus *vere monachus*, adeoque vere humilis, ipſe manus admovit, terram effodit, & effoſſa onere facto exportavit. Quis jam ſimilia facere erubeſceret, cum videret Fridericum comitis filium, fratrem duorum ducum, imperatoris conſanguineum, & feciſſe, & non erubuiſſe? Idem quoque præſtitit in turrium exſtructione; nec puduit ipſum, cum jam in altum ſtructura porrigeretur, inſtrumentum illud, ſubvehendo cæmento aptatum, *quod avis nominatur*, cum unus e nobilioribus id miniſterii ſubterfugeret, cervice ſuppoſita portare. Multa alia de eodem piiſſimo viro modeſtiæ exempla referuntur. qui, cum aliquando ſcutellas, aliaque id genus vaſa in coquina ablueret; Godefrido duci ipſius fratri, qui forte tum ſupervenit, ac dicenti, non decere comitem talia facere,

ANN. CHR. 1006.

reſpondit, tantam eſſe dignitatem hujus officii, tantæque dignitatis eſſe ſanctos apoſtolos Petrum & Paulum, & ſanctum Vitonum, quibus impendebatur, ut ipſe hoc officio indignus eſſet, nec mereretur in illorum, qui eo digni habentur, conſortio deputari. Eodem ſpiritu animatus, cum frater quidam, Johannes nomine, calceos ei vellet detrahere, ille præ modeſtia obſtupeſcens prohibuit eum, dicens: *Quid mihi prodeſt, frater, honores ſæculi reliquiſſe, ſi a fratribus obſequium, quod habuiſſem in ſæculo, cum non ſit neceſſe, accipio? Qui ad hoc veni ut ſerviam, ſervitium, quod non expedit, quomodo accipiam?* Hæc in tranſcurſu de tanti viri modeſtia dicta ſint. Ædificata itaque nova baſilica, neceſſarium fuit, ut corpora quorumdam ſanctorum pontificum, qui in veteri eccleſia ſepulti erant, tranſmutarentur. Corpus ſancti Madelvei incorruptum repertum eſt, & in crypta ſanctæ Mariæ ſub altari in loculo marmoreo decenter poſitum. Corpus itidem domni Berengarii epiſcopi & monachi, qui in aditu clauſtri ſepultus erat, incorruptum inventum: & caſula cum ſandaliis ab ejus corpore abſtracta, in theſauris eccleſiæ cum reliquiis poſita, caſula nova & ſandaliis corpori aptatis. Longum eſſet ſingula enarrare, quæ Richardus ad ornandam baſilicam fecit, quæ omnia Hugo monachus ejus loci, dein Flaviniacenſis abbas, in chronico fuſe proſequitur. Multis deſcribit pulpitum ex ære deaurato fabrefactum, in quo evangelium in miſſa canebatur. Fuſe itidem depingit *propitiatorium*, quod ſanctorum ejus loci patronorum corpora exornabant: cujus in medio prominenti ciborio ſanctus Vitonus erat, redimitus frontem auro puriſſimo & gemmis pretioſiſſimis, *quibus concluditur majeſtas Dei incircumſcripta & incomprehenſibilis*, id eſt, ſi bene capio, ſacra euchariſtia, de qua in conſequentibus idem auctor ait, Heinricum imperatorem, præter calicem aureum permaximum, aliaque innumera munera auri & argenti, Richardo dediſſe unam pyxidem de onychino, *in qua ſervaretur corpus dominicum, dependens ſuper altare.* Aliud erat altare majus, ſancto Petro apoſtolo ſacrum.

LXXXVI. Benefactores ejus loci & viri illuſtres.

Plurima eidem loco munera contulerunt alii magnates, Adverada ſcilicet comitiſſa, Liethardus comes ibidem factus monachus, Ludovicus quoque comes & monachus. Hildradus etiam comes, qui Richardum filium ſuum, poſt epiſcopum, beato patri baptizandum obtulit, Baronis-curtem ſancto Vitono dedit, & defunctus *in galilæa*, id eſt in navi eccleſiæ, humatus eſt. Denique tota Friderici progenies ſancto Vitono ſe in primis munificam exhibuit, ſcilicet Godefridus comes ejus pater, dux Godefridus ibidem ſepultus, & Herimannus, qui & Hezelo, ejuſdem Friderici fratres: ex quibus Hezelo filium ſuum Gregorium, ut jam ſuperius diximus, in annis puerilibus Deo ibidem obtulit, & ſe ipſe demum monachus factus, ac filium ſuum Godefridum, natum ex concubina, in clauſtro ſepeliri curavit: ubi etiam uxor ejus Mathildis, multa virtute prædita, humata eſt, & ad cujus caput filia eorum Odilia, virgo Chriſto ſacrata, & abbatiſſa ancillarum Dei in monte ſanctæ Odiliæ. Hæc a finibus Bajoariæ Virdunum cum acceſſiſſet feria quarta ante paſcha, Richardus prædixit fore, ut poſtridie moreretur. quæ viri Dei oraculo confiſa, ſequenti die ſancto oleo ab eo inuncta, cum nullum morbi ſenſum haberet, poſt miſſarum ſollemnia, ubi *vivificis myſteriis* communicaſſet, levi dolore pulſata, rediit ad cellam, ſuumque exitum precibus muniri petiit; moxque in cinere & cilicio jacens, inter verba orationis ſpiritum efflavit. Funus ejus dilatum in ſabbatum-ſanctum. Lietardus comes in necrologio his verbis notatur decimo-quarto kalend. Junii, *Lietardus ex-comite converſus, qui nobis quæ habemus apud Baylodium contulit, & dona auri & argenti pretioſa.* De Herimanno, ceteriſque alias. His adjungendus Poppo, piiſſimus tunc apud ſanctum Theodericum monachus, de quo ſuperius [a] facta mentio eſt. Ad hoc cœnobium cum Richardus abbas aliquando divertiſſet, religioſa Popponis converſatione captus, eum, an ſecum venire vellet, pertentavit; volentemque ſibi dari ab ejus loci abbate poſtulavit. Abnuit primo abbas: at flagitanti negare non potuit. Hunc autem ſublimiori loco promovit æquus meritorum æſtimator Richardus, eique præcipua monaſterii ſui commiſit negotia, quæ ille ſtrenue ac prudenter adminiſtravit.

[a] *lib. 51. n. 130.*

LXXXVII. Immo Gorzienſis fit Augiæ abbas.

Gorzienſi monaſterio ad hoc uſque tempus præerat Immo abbas, ſuperius [b] a nobis jam laudatus, quem multum prædicat ſcriptor vitæ Adalberonis Mettenſis

[b] *lib. 47. n. 93. & lib. 48. n. 77.*

ANN. CHR. 1006.

episcopi, eo nomine secundi. Gorziæ locum hic auctor *felicem* dicit, *non minus ex eo*, ait, *qui in præsentiarum præest, & sanctissime dulcissimeque prodest, quam ex his, qui jam beati ad cœlestia transmigrarunt, quorum vita inclyta & gloriosa proprios libros expetunt, & gesta vere memoranda otium satis longum ad scribendum requirunt. De hujus viri multum venerandi gestis honestissimis, ad augendum nostræ materiæ decus, plurima inserenda judicaremus: sed quia ad votum, utilitatemque patriæ adhuc Dei gratia superest; adulationis nota aduri timentes, alii tempori vel personæ id reponamus. Hic certe dominus & multum venerabilis Immo, post decessum patris Odelberti, a domno Theoderico sacro pontifice Gurgitensibus pastor & abbas constitutus, ex omnibus primoribus domus* * *sancti Stephani, abbatibus & abbatissis, quos domnus Adalbero præesse invenit, solus hunc eumdem sanctum antistitem supervixit, & interim, quo multum gaudemus, supervivit.* Ita gravis ille auctor, tertius abbas sancti Symphoriani Mettensis, quem Constantinum esse reor. Hæc præstruenda visa sunt iis, quæ de Immone scribit Hermannus hoc anno, quo Werinharius Augiæ abbas decessit, quo defuncto, fratres Heinricum monachum elegerunt. *sed rex Heinricus ejus insolentiam, quamvis ab eo pecunias accepisset,* (itane etiam piissimum principem fascinabat pessima illius temporis consuetudo!) *detestatus, fratribusque apud se accusatis infestus, Immonem quemdam Gorziensem abbatem, qui & Prumiam ipso tempore tenebat, virum austerum, ipsis invitis præposuit. Unde nonnullis ex ipsis sponte locum illum relinquentibus, quibusdam etiam ab eo jejuniis, verberibus, exsilioque graviter afflictis, nobile monasterium in magnis viris, librisque, & ecclesiæ thesauris, grave, peccatis exigentibus, pertulit detrimentum, sicuti R. (Rudolpertus) monachus, nobilis, doctus & facetus, matris meæ patruus, prosa, rythmo, metroque flebiliter deplangit.* Ita Hermannus. Hæ Rudolperti scriptiones ad notitiam nostram non venerunt. Quid de Immone abbate consecutum sit, altero abhinc anno exponemus.

* le dome.

LXXXVIII. Prumiense monasterium ab Heinrico rege visitur.

a *Annal. Trevir. to. 1. p. 496.*

De Prumiensi monasterio, cui Immonem abbatem mox laudatum præfuisse tradit Hermannus, apud Browerum [a] legitur, Heinricum regem, circumeundo illam provinciam, Prumiensem abbatiam, religione tum atque opibus in primis florentem, lustravisse: cumque ingentem ibi rerum sacrarum & ecclesiastici instrumenti thesaurum asservari conspexisset, enixe ab Udone abbate hæc omnia recensseri, atque in apographam relata tradi sibi postulavit. Exstat etiam nunc, ex eodem auctore, prolixus index vasorum omnis generis, ad usum rei divinæ spectantium, ex solido auro argentoque, lychnuchorum, & quibus reliquiæ conduntur vario opere thecarum, atque universæ demum sacræ augusti templi supellectilis ab hac ætate descriptio. Ita ille. Udo ejus loci abbas forte Immonis vices agebat.

LXXXIX. Placitum ejus pro Italicis monasteriis.

b *Ital. sac. to. 3. p. 712. & seqq.*

* *Neubourg. ibid. p. 176.*

Vexabat per id tempus monasterium Salvatoris in Monte-Amiato Arialdus seu Esualdus Clusinus præsul, nec ab hac vexatione revocari potuerat litteris Gregorii papæ V. quas Winizo abbas obtinuerat. Idem abbas adversus eumdem episcopum imploraverat opem Ildeprandi comitis, scripta ad eum gravi epistola, quam Ughellus [b] refert. Sed cum hæc nihil proficerent, tandem Winizo ad Heinricum confugit in Germaniam. Forte hoc ipso anno, indictione IV. & quidem IV. nonas Aprilis, Heinricus placitum habuit apud Novum-burgum *, castellum hereditatis [c] suæ, *in caminata*, in præsentia episcoporum, Brunonis scilicet fratris sui, Augustanæ civitatis episcopi, Vitelini (lege Wernheri) civitatis Argentinæ, Lampercthi Constantiensis, Olderici Curiensis, itemque Olderici Tridentini; & in præsentia abbatum, domni Odilonis Cluniacensis, Inizonis Leonensis, Hugonis Farfensis, Boni Ravennatis, Idelberti Senensis, Johannis Lucerni, Othonis Amorbacensis, multorumque aliorum: quo in placito conquesti sunt apud ipsum Heinricum Winizo abbas Salvatoris de Monte-Amiato, necnon Boso abbas sancti Anthymi, quod Arialdus Clusinus episcopus ecclesias suas, in ejus diœcesi sitas, consecrare recusaret. Accitus episcopus, qui tunc in eodem castello erat, interrogatusque cur id facere nollet; hanc attulit causam, quod abbates illi sibi, suisque canonicis decimas persolvere detrectarent. At oppositere abbates *antiquissimas monasterii* sui *scripturas*, & testimonia *circumadstantium*, quibus constabat, quod *ab initio monasterii, & tempore domini regis Caroli Magni, abbates & monachi decimas illas habuerint, & omnes antecessores episcopi Arialdi cum omni pace eos habere permiserint.* quibus intellectis, Heinricus id ipsum confirmavit, jussitque, ut deinceps episcopus illorum

ANN. CHR. 1006.

abbatum ecclesias gratis consecraret. quod Arialdus promisit. Verum dictis haud stetit, renuitque Montis-Amiati ecclesias consecrare. qua de re a Benedicto VIII. severe increpitus est.

X C. Theodericus monachus S. Mathiæ.

Trevirense tunc temporis monasterium sancti Eucharii seu sancti Mathiæ administrabat Richardus abbas, cujus tempore, & quidem hoc ipso anno, Theodericus quidam, jam grandævus, is qui libros duos, unum de inventione, alterum de miraculis sancti Celsi episcopi scripsit, ad conversionem venit, & in monachorum cœtum admissus est. sic enim ille de se scribit sub finem libri primi. *Dominicæ incarnationis anno* M VI. *qui est ultimus vicesimi-quinti decemnovenalis cycli in secunda serie magni anni, qui paschalis dicitur, undosum hujus mundi salum, Christo gubernante, nudus evasi, & ad tutissimum beati Eucharii portum hospitalitatis gratia confugi. Cumque ab ejusdem monasterii patre summæ venerationis viro, nomine Richardo, germanitus satis essem susceptus, & omni monachili devotione tractatus, fratrum me conventui immeritum jussit adunari, nec quasi hospitem jam, sed sicut familiarissimum affatus est.* Cum vero jam monasticis institutionibus apprime esset informatus Theodericus, jussus est ab eodem Richardo abbate, ut scriberet de inventione ac miraculis beati Celsi, cujus corpus instaurando monasterio inventum fuisse superius [a] diximus. Primus ab instauratione abbas fuit Gontherius, e Gandensi assumtus monasterio, a Theoderico in priori libro laudatus: cui succesisse videtur Gunderadus, cujus mentio est in libro secundo, ubi *beatæ recordationis* abbas vocatur. Hunc excepit Richardus, cui Theodericus monachus libros suos inscribit in hunc modum: *Excellentissimo Christi operario, patrique permagnifico Richardo, suus ille suorum ultimus Theodericus, quo inter monachos nihil habetur vilius, monastici tamen haud immemor propositi, omni apologiæ dimota ambage, veræ obedientiæ obsequelam.* In fine libri secundi ait auctor, se podagræ morbo, quo per tres annos afflictatus fuerat, liberatum fuisse meritis beati Celsi, de quo sermonem etiam scripsit, in ejus sollemnitate legendum.

a *lib. 48. n 91.*

Abbates ejus loci.

X C I. Guntherus Altahæ fit monachus.

Lambertus Scafnaburgensis auctor est, Guntherum seu Guntharium, nobilem Turingum, Hersfeldiæ monachum hoc anno factum fuisse, sed postea ad Altaham transivisse consilio Godehardi abbatis, qui utrique monasterio præerat. Id quemadmodum factum sit, Wolferus ejus temporis scriptor, Hildensheimensis canonicus, fuse commemorat. Guntherus, ante-actæ vitæ pœnitentia ductus, Godehardum, Hersfeldiæ recens abbatem creatum, convenit, eique conscientiæ suæ aperuit arcana. Pœnitentem blande tractavit vir Dei, eique ad expianda facinora ut monasticæ vitæ se devoveret, persuasit. Ille corporis & animi propriæ infirmitati diffisus, multas quidem possessiones, quas a progenitoribus acceperat, sancto Wigberto loci conditori ac patrono, cum heredum suorum consensu, firma traditione contulit, sed eo pacto, ut factus monachus monasterium, vocabulo *Gelinge*, ad victum & vestitum retineret. At sanctus abbas, quantum inde periculum ac dispendium recens converso oriri posset, intelligens, interim illum ab incœpto suspendit, & laïco habitu adhuc indutum Altaham secum perduxit. Vix illuc advenerat novus tiro, cum Romam lustrandi facultatem, priusquam monachum profiteretur, sibi dari postulavit. Ea accepta, ivit, & redivit; reversusque mox ante altare sancti Mauricii cingulum deposuit, caput & barbam totondit (hi initiandi novitii ritus tum erant) &, facta de more petitione, in cœtum novitiorum admissus est. Dein aliquamdiu probatus in habitu sæculari, ab eodem abbate monasticum demum habitum accepit. Post votum professionis, non immemor pactionis initio factæ, patriæ repetendæ, & Gelingæ incolendæ licentiam petiit. Petenti interim indulsit pius pater, etsi rem minime probaret, ratus aliquando tempus fore magis opportunum, quo illicita cupientem animum paullatim reprimeret ac mitigaret. Profectus ad locum Guntherus, & multa impedimenta rei familiaris, variaque aliarum rerum ac tentationum expertus incommoda, ad abbatem idemtidem recurrebat, consilium pariter & auxilium imploraturus. qua occasione usus abbas, eum blande primum excepit: dein paullo severius nutantem animum castigavit: sed modicum initio profecit. At, cum eadem sæpe recurrerent, tandem vir Dei ex justitiæ zelo acriter respondit, ut vel promissis obedientiæ & stabilitatis votis staret, aut ad sæculum abjecto habitu rediret. qua ille voce territus, errorem agnovit, & ingemuit. Id ubi, suggerente secretius abbate, rex Heinricus resciyit, Guntherum ad se ac-

ANN. CHR. 1006.

cersitum monitis & hortamentis ita flexit, ut ille, abdicata pactione, ad Altahense monasterium se receperit: ubi in tanta deinceps districtione & humilitate vixit, ut Arnolfus monachus sancti Emmerammi, ejus æqualis, nullum monachorum ea ætate illi comparandum esse dicat his verbis. *Est quidam, ut æstimo, adhuc in vita, senex religiosus, ex laico conversus, nomine Guntharius, qui apud sæculum aliquando ex rerum copia tumens, & nobilitate generis vanescens, exstitit superbiæ filius: sed per misericordiam Dei post factus est tam humilis monachus, ut merito non possim aut debeam illi comparare ullum nostri temporis cucullarium, de vanitate sæculi conversum.* Postquam vero in cœnobitica vita biennium sic exegisset, ad solitudinem annuente abbate secessit. Verum antequam in eremum se reciperet, Stephanus rex Hungarorum, cujus ille cognatus erat, accepta ejus piæ conversationis fama, eum ad se invisendum per nuntios invitavit. Ille vero id sibi minime licere respondit. Hoc responso rex majori ejus videndi desiderio accensus, preces iteravit: sed cum ille nec sic acquiesceret, tertium nuntium misit, & ut flagitanti id annueret, humiliter postulavit. Guntherus pii principis precibus victus, postulatis demum, licet invitus, cessit, & accepta abbatis fratrumque benedictione, cum nuntiis ad regem profectus est. Rex eo viso admodum recreatus, omnem ei humanitatem exhibuit. Cum vero aliquando mensæ regiæ vir Dei accumberet, rex ipsi pavonem assatum apposuit, & ut carnibus vesceretur, obnixe flagitavit, ac præfracte neganti id præcepit: at ille jubenti parere detrectavit. Cum vero nihilominus rex urgere pergeret, Guntherus, ne se illicitis cibis contaminaret, inclinato super manus capite, preces ad Deum cum lacrymis fudisse dicitur, moxque avis apposita e mensa avolasse. quæ res magnam ei reverentiam conciliaverit.

XCII. Montis sanctæ Mariæ monasterium dedicatur.

Exstabat olim in territorio Trajecti inferioris prope Amersfordiam opidum Heiligenbergense monasterium, Mons sanctæ Mariæ, ut jam [a] diximus, a posteris appellatum, quod Ansfridus episcopus ejus auctor hoc anno dedicavit, eidemque congruam dotem assignavit. Id nos docet vetus instrumentum ab Arnoldo-Buchelio primum, dein a Bollandianis [b] relatum, in quo Ansfridus episcopus notum facit, „ se in loco, qui vocatur Hohorsta, cellam ædificasse in honorem Christi Domini, „ sanctæ Mariæ, & beatorum Petri & Pauli, sanctique Martini patroni sui peculia„ ris, *ea ratione, ut inibi fratribus monachis, sub sancti Benedicti regula feliciter vivere cupientibus, dies ducere liceat huic vitæ concessos*; eisque donavit quidquid possidebat in villa Thrile, in pago Testerbantensi. *Actum est hoc publice coram idoneis testibus in basilica sanctæ Mariæ, sanctique Martini in Hohorst, ipso die dedicationis ejus* XIV. *kal. Decembris, anno ab incarnatione Domini* M VI. *indictione* IV. Eo introducti sunt ex Gladbacensi sancti Viti cœnobio duodecim monachi sub Weringero abbate, docto pariter ac pio, cui Adelboldus episcopus, Ansfridi successor, decimas dedit. Secundus abbas fuit Adelbertus. Post quem Bernoldus seu Bernulfus episcopus monasterium in urbem Trajectinam transtulit, sancti Pauli nuncupatum, cui præfuit Gervicus, ordine tertius, sed primus sancti Pauli in urbe abbas. Hæc ex Miræo. Ansfridus sub finem vitæ luminibus orbatus præ senectute, in monasterio ab se condito habitum monasticum induit: *ubi septuaginta-duos pauperes propria manu quotidie pavisse* dicitur. Libellum de ejus vita scripsit anonymus sancti Pauli monachus, ac proinde post annum M L. quo anno monasterii facta transmutatio est. Eumdem Sanctum laudat chronographus Saxonicus, qui ejus obitum anno M X. collocat cum Lamberto Scafnaburgensi. Sepultus est in suo monasterio, ubi, sumto viatico, exspiraverat.

a *lib. 16. n. 51.*
b *Mait to. 1. p. 430.*

XCIII. Alfrico Cantuariæ archiepiscopo succedit Elfegus.

Decessit hoc anno Alfricus Cantuariensis primas, sepultus in Abendoniensi monasterio, ex quo primum ad Wintonienſem episcopatum assumtus fuerat. Paullo ante eum mortuus est [c] Wlfricus abbas sancti Petri Cantuariensis: cujus successor Elmerus, *vir magnæ sanctitatis*, ab eodem Alfrico benedictionem accepit. Suffectus in Alfrici sedem Elfegus Wintonienſis antistes: qui Romam pallii causa proficiscens, a quibusdam opidanis spoliatus est rebus suis, quæ ipsi demum restitutæ sunt, opidanis incendio cælitus immisso multatis. Romæ cum versaretur, divinitus accepit mortem Kenulfi, sui in Wintonienſi episcopatu successoris ex abbate Bergensi, qui hanc dignitatem dato pretio mercatus fuerat. Elfegi jussu Adalardus cœnobita Blandinienſis composuit officium de sancto Dunstano archiepiscopo, qui illic quondam exsulaverat. Ejus vita, *in lectiones ter quaternas distincta*, ita inscribitur:

c *Thorn p. 1781.*

ANN. CHR. 1006.

Domino Elfego archiepiscopo, Adalardus sancti Blandinienſis cœnobii exiguus famulus. Exstat in tomo secundo Angliæ sacræ. Tunc Blandinienſe monasterium regebat Rotboldus, qui Richardo Virdunensi abbati præfecturam resignavit. Alfrico Cantuariensi archiepiscopo, an Ælfrico grammatico tribuenda sint opuscula ex Lelando a Pitseo relata, nobis incompertum.

XCIV. Adalbertus abbas Bisuldunensis.

Sub finem hujus anni, cum Adalbertus Bisuldunensis in Catalonia monasterii sancti Genesii abbas excessisset e vivis, *tanto destituti* [a] *pastore omnis Bisuldunensis ecclesiæ clerus simul & populus, provoluti ad genua piissimi ducis Bernardi*, ejusdem cœnobii conditoris, successorem sibi dari petierunt *illustrem virum*, nomine Adalbertum, diaconi gradu præditum, ibidem educatum, bonis moribus & sapientia insignitum, quem ipsi elegerant. Assensit Bernardus comes cum primatibus & Odone episcopo Gerundensi, a quo Adalbertus abbas ordinatus est VI. idus Decembris, *feria prima* sive dominica. Non confundendum hoc sancti Genesii Bisuldunense monasterium cum sancti Petri itidem Bisuldunensi, quod a Mirone Gerundensi episcopo, & fratribus ejus Olibano & Soniefredo conditum fuisse superius diximus, non multo post exstinctum: cum sancti Genesii monasterium conditores habeat Bernardum comitem & Totam ejus uxorem, quæ cum marito & Willelmo vicecomite prædictæ Adalberti electioni subscripsit.

a *Marca Hisp. p. 962.*

ANN. CHR. 1007.

POstero anno millesimo-septimo rex Heinricus, natali Domini apud Palithi opidum celebrato, epiphaniam Domini Gandersheimii peregit: ubi controversiam de subjectione ejus loci parthenonis inter Willigisum Moguntinum archiepiscopum & Bernwardum Hildensheimensem antistitem composuit secundum Bernwardum, qui ejusdem cœnobii dedicationem, jam pridem dilatam, tunc demum perfecit. Quin etiam Willigisus archiepiscopus, in proximo Francofurtensi concilio culpam confessus, ejus loci repetitioni abrenuntiavit, & in hujus rei testimonium ferulam episcopalem Bernwardo tradidit. Inde Heinricus, collecto grandi exercitu, contra Balduinum Flandriæ comitem, qui Valentianas invaserat, profectus, eum in fugam convertit, & Scaldi fluvio transmisso, regionem contiguam populatur. Cum autem in Gandensi sancti Bavonis abbatia ab Eremboldo abbate, fratribusque honorifice susceptus fuisset, eidem loco & cunctis rebus ad eum pertinentibus parci jussit. Compositis cum Balduino rebus, generale concilium Francofurtum indixit. Quippe pius princeps, liberorum expers, Babenbergensem seu Bambergensem episcopatum in Francia orientali erigere meditabatur. Atque ut faventes huic consilio episcopos haberet, Francofurti habita eo anno synodus, in qua patres supplex rogavit, sibi ut assentirentur. Tanti principis precibus non ægre cessere episcopi, præter Heinricum Wirziburgensem, cujus maxime intererat, tametsi principio se favorabilem exhibuisset. Bambergensis ecclesia, sancto Georgio martyri sacra, ab Heinrico, ejusque conjuge magnifice dotata, primum episcopum habuit Eberhardum, Heinrici cancellarium. Factum satis Heinrico Wirziburgensi episcopo, e cujus territorio pendebat locus: quem Arnoldus Halberstatensis præsul gravi epistola [b] flexit demum ad regis voluntatem. Lectu dignissima est hæc epistola, in qua Heinricus Heriberti Colonienſis archiepiscopi *frater uterinus* dicitur. Duo præter ea Bambergæ erecta sunt ab Heinrico rege monasteria, alterum canonicorum sub patrocinio sancti Stephani; alterum monachorum nostri Ordinis, quod sub tutela sancti Michaëlis archangeli esse voluit, in monte civitati proximo ædificavit, in quo multi viri eruditione & vitæ merito illustres floruisse perhibentur. Idem rex, cum in civitatem Argentoratum ex urbe Basilea tenderet, Scotteraugiæ tribus ab Argentorato millibus hospitatus, Scutteranum beatissimæ virginis Deiparæ cœnobium pæne collapsum indoluit, curavitque reparari, & impense dotatum Bambergensi episcopo subjecit. Ad hæc abbatiam ejusdem diœceseos, *Gengenbach* dictam, eidem sedi attribuit. Hujus rei præceptum datum est hoc anno Francofurti kalendis Novembris; quo tempore prædicta synodus illic, præsidente Willigiso Moguntino archipræsule, habita est, cui Anastasius *Ungarorum archiepiscopus* e nostris, id est Strigonienſis, interfuit, non diu post illud concilium superstes. Ipso etiam die, ipsoque anno Francofurti Heinricus rex Deckingense seu Teckingense sancti Martini monasterium diœcesis Augustanæ, in extrema Rætiæ ora summo in colle prope Ottingam positum, de cujus origine nihil certi comperimus, eidem Bambergensi ecclesiæ adjecit.

XCV. Bambergæ episcopatus & monasteria.

b *Baluz. miscell. to. 4. p. 435.*

Alia Bambergæ subjecta.

ANN. CHR. 1007.

Hujuſce monaſterii, hodie quoque inſignis, ectypum Stengelius æri incidi curavit, relato Heinrici diplomate, quod Gengenbacenſi omnino conforme eſt. Deckingenſe monaſterium ſanctus Otto Bambergenſis antiſtes ſæculo XII. inſtauravit.

XCVI. Giſla & Rathegardis abbatiſſæ mortuæ.

Paullo ante ſynodum Francofurtenſem Giſla, venerabilis matrona, mater Heinrici regis, obiit XII. kal. Auguſti, Ratiſponæ in monaſterio ſancti Emmerammi ſepulta. Natali Domini præcedente e vivis exceſſerat Rothegardis, dignæ memoriæ Hildewardeshuſenſis abbatiſſa, matertera Bernwardi epiſcopi Hildensheimenſis. Hæc mortis ſuæ temporis præſcia, ad primam miſſam noctis natalis Domini in eccleſiam ſe deferri præcepit, ubi dominici corporis & ſanguinis viaticum percepit. Inde ad lectum reportata, ſororibus interdixit, ne majoris miſſæ ſollemnia ſui cauſa interrumperent, confiſa Dei tanto majus auxilium ſibi affuturum, ſi modo ipſius cauſa nulla ejus ſervitii fieret intermiſſio. Dum vero ſequentia in majori ſacro caneretur, pia illa anima carne ſoluta eſt, ut in actis ſancti Bernwardi ejus nepotis legitur. Porro dum Ratiſponæ verſaretur Heinricus, quædam prædia contulit *Neuburgenſis eccleſiæ ſororibus, ſub ſancti Benedicti regula degentibus.* quod monaſterium eſt nobilium Benedictinarum ad Danubium ſupra Ingolſtadium, ſed a quo primum conditum ignoratur. *Data* [a] XVII. *kal. Maii, indictione* V. *anno Dominicæ incarnationis* M VII. *anno vero domni Heinrici ſecundi regnantis* V. *Actum Ratiſponæ.*

Neuburgenſe monaſterium. a *Metrop. Salisb. to.* 2. *p.* 525.

XCVII. Epternacenſes abbates.

In hunc etiam annum incidiſſe dicitur mors Ravangeri Epternacenſis abbatis, qui exſtinctam eo loci monaſticam diſciplinam denuo excitavit. Mortalis ejus dies XIX. kal. Septembris. Ejus epitaphii paucos verſiculos retulit Browerus, qui optimam ab eo religioni navatam operam teſtantur.

Hunc Otto primus tranſmiſit cæſar opimus
Sifridi monitis egregii comitis,
Miſit & hunc talem, qui vitam cœnobialem
Hic reparare pio ſufficeret ſtudio.
Nam locus iſte bonis hoc tempore relligionis
Factus erat vacuus, rebus & exiguus.

Uroldus ejus ſucceſſor principio quidem veſtigiis deceſſoris inſtitit, monaſterii ædes incendio deformatas reſtituit, jecitque fundamenta novæ baſilicæ, qualis etiam nunc cernitur: at nimio labore confectus, remiſſius vivere cœpit, eoque ſe projicere, ut epiſcopali auctoritate exauctoratus ſit, indeque Wirtzenburgum ſe receperit, ubi & mortuus eſt.

XCVIII. S. Livini translatio Gandam.

Cum rex Heinricus Balduinum comitem in Flandria perſequeretur, auditis viſiſque miraculis, quæ Holtemii ad tumulum ſancti Livini epiſcopi & martyris fiebant, de efferendo ejus corpore cogitare cœpit. Verum, cum a Gandenſibus monachis, quorum de jure erat iſte locus, honorificentiſſime exceptus fuiſſet, eorumque rebus omnibus ob id parci juſſiſſet; recepto in gratiam Balduino comite, intactum ſancti Livini tumulum reliquit. At vero Eremboldus Gandenſis abbas tanti theſauri jacturam in poſterum præcavere volens, ſancti martyris reliquias, præmiſſis precibus ac jejuniis, in ſuum monaſterium transferri curavit. id factum ſollemni pompa v. kal. Julii hoc anno; ſimulque tranſlatæ ſunt eodem reliquiæ ſancti Briccii pueri & martyris, ejuſdem Livini e ſacro fonte filii. Ejus rei hiſtoria, auctore anonymo, e veteri codice Alnenſi a nobis edita eſt.

XCIX. Herigero abbati Laubienſi ſuccedit Ingobrandus.

In monaſterio Laubienſi obiit hoc anno in ſenectute bona Herigerus abbas poſt annos regiminis ſeptemdecim, ſepultuſque eſt in eccleſia ſancti Urſmari ante altare ſancti Thomæ, quod ipſe exſtruxerat, propterea quod ipſa die abbas ordinatus fuerat. Pleraque ejus ſcripta recenſet continuator [b] hiſtoriæ abbatum Laubienſium, in his librum de geſtis pontificum Leodienſium, carmen de vita ſancti Urſmari, libellum de corpore & ſanguine Domini contra Paſchaſium Ratbertum. quæ tria opuſcula typis vulgata ſunt, tertium quidem a Ludovico Cellotio ſub titulo anonymi: quod Herigero abbati tribuendum eſſe alias [c] a me demonſtratum eſt, probatumque Herigerum in hoc libello in modo tantum loquendi a Paſchaſio diſſidere, in eo ſcilicet, quod etſi Herigerus veram ac realem Chriſti Domini corporis præſentiam cum Paſchaſio, admitteret; non tamen idem omnino corpus, quod e Virgine natum eſt, dicendum contendebat ob exteriorem ſpeciem diverſam. Ad hæc

b *Spicil. to.* 6. *p.* 591.

c *Præfat.* 2. *ad Sæc.* 4. *Bened.*

Herigerus

ANN. CHR. 1007.

Herigerus epiſtolam ſcripſit de quibuſdam quæſtionibus ad Hugonem quemdam; item dialogum de diſſonantia eccleſiæ circa adventum Domini ſub ſua & Adelboldi perſona Leodienſis clerici, poſtea vero epiſcopi Ultrajectenſis, quæ duo necdum edita ſunt, & alia nonnulla minoris momenti. Quæ fuerit hæc eccleſiæ diſſonantia circa Adventum Domini, diſcimus ex apologetico Abbonis Floriacenſis abbatis, in cujus fine hæc leguntur. *De initio etiam Adventus, qui ante nativitatem Domini per ſingulos annos agitur, aliquando error graviſſimus exſtitit, aliis inchoantibus poſt* V. *kal. Decembris, aliis ante: cum numquam plus quatuor hebdomadas, & ſaltem unam diem, adventus habeat. Cumque de ejuſmodi diverſitate ſoleant contentiones in eccleſia creſcere, concilio determinandum eſt, ut omnes, qui in ea vivimus, unum ſapiamus.* Hæc Abbo. Qui Adventum Domini prolixiorem faciebant, ſulciebantur veteri Gallorum more, qui quadrageſimam unam ante natale Domini præmittebant, initio ducto a feſto ſancti Martini. In Herigeri abbatis locum ſubrogatus eſt Ingobrandus, qui tertio-decimo anno ſuæ præfecturæ a Wolbodone Leodicenſi epiſcopo ejectus, Richardo abbati Virdunenſi locum fecit. Ejus tempore Laubiis floruit Olbertus monachus, quo præceptore pariter & adjutore uſus eſt Burchardus, poſtmodum epiſcopus Wormatienſis, in Decreto ſuo condendo. Liber de geſtis Leodicenſium epiſcoporum, ab Herigero abbate compoſitus, deſinit in Notgero ſeu Notkero epiſcopo, cujus obitus Herigeri mortem brevi ſubſecutus eſt, ut videbimus anno ſequente.

Quæſtio de Adventu.

C. Theodoricus Belga naſcitur. * *Tuin.*

In Belgio naſcitur hoc anno Theodericus, futurus Andaginenſis ſeu ſancti Hucberti abbas & reformator, ortus e villa, quæ dicitur Lerna, haud procul a Tudiniaco * caſtro & Laubienſi monaſterio, ubi monaſticæ vitæ nomen dedit. Natus eſt *anno dominicæ incarnationis* M VII. *imperante apud Romanos & Germanos Henrico, anno, poſtquam juniori Ottoni ſucceſſerat, ſexto; præſidente in Leodienſi ſede Notgero, magnæ ſanctitatis & prudentiæ viro, poſtquam ordinatus fuerat epiſcopus, anno ſeptimo & trigeſimo; &*, ut alter codex addit, *priuſquam vita decederet, anno uno.* quæ ſignanter afferre lubet ex vitæ ſcriptore æquali, ad præſtruendum tempus obitus Notgeri epiſcopi. Theoderici pater Gonzo, miles honoratus, filium militiæ adſcribere volebat: at mater piiſſima, cujus nomen ignoratur, ex viſo quodam futuræ ejus ſanctitatis ac ſacerdotii omen edocta, eum litteris, renitente primum, ſed tandem aſſentiente patre, imbuendum curavit in Malbodienſi ſeu Melbodienſi parthenone ſub cura filiæ ſuæ Anſoaldis ſanctimonialis pietate inſignis, quæ prima litterarum elementa cum pſalterio eum docuit. Hæc a teneris Deo ibidem a parentibus oblata, ſic ab ineunte ætate virtuti ac pietati aſſuevit, ut aliis bene vivendi exemplum præberet, aliis terrori eſſet. Huic vigiliæ fere aſſiduæ, pavimentum aut ſella pro cubili, refectio panis cum ſale & aqua, raro legumina vel poma pro cibo erant: cetera ſibi penitus interdixerat. Cuſtos oris ſui ad ſilentium, linguas detrahentium & laudantium æquali animo ferre didicerat. His aliiſque virtutibus corporis integritatem illibatam ſervavit, multaſque in Malbodienſi cœnobio ſanctimoniales ad ſui imitationem, multas poſt lapſum ad pœnitentiam excitavit. Illic, favente Gerardo epiſcopo Cameracenſi, & Rainero Montenſi comite annuente, *ordinem religionis monaſticæ, quæ pene adnihilata erat in eodem monaſterio, correxit, & in melius reformavit*, ut diſerte tradit Theoderici vitæ ſcriptor. Demum ſeptimo ante obitum anno cancri ulcere percuſſa, nihil de propoſito ac fervore minuit, ſemper Deo gratias pro hac probatione egit, ſicque virginitatis ac patientiæ virtute decorata ad Chriſtum migravit.

Melbodii erudit ur ab Anſoalde ſorore.

C I. Fulbertus fit epiſcopus Carnutenſis. a *Lib.* 50. *n.* 72.

Præclarum hoc anno lumen Carnutenſi eccleſiæ Deus impoſuit, ſcilicet Fulbertum, qui agente Rotberto rege, in locum Rodulfi epiſcopi demortui ſuffectus eſt. Quam modeſte de ſe vir piiſſimus ſentiret, in ſuperioribus [a] vidimus, ubi de ejus origine & docendi officio dictum eſt. Hanc vero de ſe exiſtimationem maxime teſtatus eſt in ipſo epiſcopatu epiſtola LXVIII. ad Odilonem abbatem Cluniacenſem, qui gratulatorias ei litteras de recepta ſanitate ſcripſerat. In hac epiſtola ſe hominem valde miſerabilem eſſe dicit, qui, cum ad propriam non ſufficeret, ad publicam curam, ratione an temeritate, perductus ſit. Quanti vero habuerit Odilonem abbatem, ſatis ſuperque prodit tum in prædicta epiſtola, tum in ſequente, quæ *ſanctiſſimo atque dilectiſſimo patri Odiloni* inſcripta eſt: tum ex epiſtola XXXI. ad Leuthericum Senonenſem archiepiſcopum, a quo conſecratus fuerat epiſcopus:

Odilo abbas quanti apud eum.

AN. CHR. 1007.

» de quo se plurimum bonæ spei capere dicit ex eo, quod *cum sanctis viris ac sapientibus* agere cœpisset. *Patrem nostrum*, inquit, *Odilonem loquor, & assectas ejus. Consilio enim illorum spero, te non solum animæ periculum evadere, sed etiam hujus vitæ gloriam & honorem posse recuperare.* Leothericus quippe male audierat, quasi de Christi corpore in eucharistia non bene sentiret, propterea quod probationem corporis Domini erga servos Dei adhiberet. qua de re Rotbertus rex eum graviter [a] arguit, eumque ad corrigendum factum adduxit. Falluntur qui Fulbertum Rotberti regis cancellarium fuisse dicunt. Baronius ex monacho monasterii sancti Petri assumtum putat. Hujus sententiæ fundamentum petitur ex epistola XLI. in qua de Magenardi electione agitur, cui Fulbertus ipse nondum episcopus interfuit, refertque *libellum reprobationis* Magenardi, & nomina monachorum, qui eum reprobarunt, & se vidente libello subscripserunt, cui Fulbertus non subscripsit. Hic vero de Magenardo agens, *qui noster*, inquit, *neque monachus sit, neque clericus.* & infra: *Conveniunt ad capitulum monachi nostri, & quidam canonici, quos ratio postulabat admitti.* His adde quod Odilonem abbatem *patrem nostrum* vocat, & alia id genus, quæ afferuntur ad monachatum ejus asserendum. Favet epistola LXVII. ad eumdem Odilonem, cujus videndi magno se desiderio teneri ait: *Veniam autem aliquando*, inquit, *si licuerit, ad vos, quos vere inhabitat Spiritus-sanctus, consilium divini oraculi petiturus.* quæ verba confirmant id, quod mox dicebamus, de Fulberti erga Odilonem veneratione. Fulbertum porro, etiam episcopum, in docendi officio perseveravisse testis est Adelmannus, qui *senis* adhærebat lateri; testes & alii, quos idem in suo rythmo commemorat, ipsius Fulberti discipuli. Subscripsit Fulbertus precariæ, a Magenardo abbate & monachis sancti Petri factæ de Gerani-villari Gradulfo militi, qui in compensationem sancto Petro dedit alodum suum *in Drocacensi comitatu super flumen Blesis positum*, nomine Palisiacum: qua de re multæ rixæ post mortem ipsius Gradulfi militis & Odæ ejus uxoris excitatæ sunt ab eorum propinquis, qui illa prædia sibi vindicare moliebantur. Certe si non monachus Fulbertus, saltem a Gerberto monacho in schola Remensi, ut superius [b] vidimus, educatus & in monachos optime affectus fuit.

a *Glaber. lib. 3. c. 3.*

b *ibid.*

CII. Gauzberti abbatis successores.

Hoc anno consignandus videtur obitus Gauzberti abbatis sancti Juliani Turonensis, qui Burgulense itidem ac Majus-monasterium regebat. Successor ejus apud sanctum Julianum Gauzbertus alter suo monasterio multum profuisse traditur, tum in ecclesia ornanda, tum in ædificando sanctæ Trinitatis oratorio, tum denique in augendis rebus sancti Juliani. quippe monasterium sancti Petri Pruliacense emisse dicitur, quod ab Arnulfo archiepiscopo post ejus mortem sancto Juliano ablatum est. In Majori-monasterio Gauzberto seniori successit Sichardus, & non multo post Ebrardus, de quo inferius dicendi erit occasio. Apud Burgulium quis Gauzberto successerit, non ita liquet. In vulgatis indicibus ante annum millesimum abbates ponuntur post Gauzbertum Berno & Julianus: post millesimum Gauzbertus secundus usque ad annum millesimum octavum, & post eum Raynaldus. at certum est, Gauzbertum seniorem Burgulio post annum millesimum præfuisse, nec obiisse ante annum millesimum septimum. siquidem Gauzbertus junior, ut ex sancti Juliani chronico discimus, anno M XXV. decessit post annos regiminis octodecim. Itaque si Berno & Julianus Burgulium rexerunt ante annum millesimum, non primarii, sed secundarii tantum abbates fuisse dicendi sunt, sub Gauzberto scilicet seniori, qui aliis etiam regendis monasteriis occupatus erat. At Bernonem post Gauzbertum Burgulio præfuisse constat ex iis quæ libro [c] sequenti dicturi sumus.

c *lib. 53. n. 61.*

CIII. Belli-montis monasterium conditur.

Exstat uno lapide a Cæsaroduno-Turonum puellare ordinis nostri monasterium, beatæ Mariæ sacrum, quod Herveus *archiclavis* seu thesaurarius sancti Martini, a nobis jam non semel laudatus, hoc tempore exstruxit, comparato loco a quodam Eblone fideli suo per commutationem: cujus rei confirmationem a Rotberto rege impetravit. Inductus est ad id operis vir pius, propterea quod admodum gravate ferret, nullum esse in pago Turonico cœnobium, ubi virgines Deo sacræ, sicut in plerisque aliis regionibus, Deo famularentur. Huic autem dotando cœnobio contulit non solum ecclesiam Belli-montis, sed etiam vivarium, cui Mala-morta vocabulum est, ecclesiam Soriniacam, viginti *arpennos* seu jugera vinearum inter Ligerim & Carum fluvios, curtem quoque Liuzam cum ecclesiis & rebus ad eam pertinentibus, cum assensu Odonis comitis & fratris ejus Landrici, ex cujus beneficio

erat; necnon Quiciacum villam, quam prædictus Herveus tenebat, prout fusius refertur in præcepto Rotberti regis. *Actum Bolonia foreste* v. *kal. Octobris, anno ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi* DCCCCC VII. *indictione* V. quod præceptum Theodoricus levita ad vicem Franconis summi cancellarii recognovit. Huic apponuntur signa Hugonis archiepiscopi, qui excommunicationem violatoribus comminatur; Avesgaudi episcopi Cenomannensis, Odonis comitis, Gaufridi, Landrici, & aliorum; idque confirmant canonici sancti Martini, scilicet Odelgerius decanus, Herveus archiclavis, Walterius præcentor, Ildegarius subdecanus, Guillelmus magister scholæ, Hugo cellerarius, & ceteri. In veteri chronico Turonensi legimus, Herveum ex insula sancti Cosmæ, ubi solitariam vitam agebat, a Martinianis canonicis revocatum, secessisse in cellulam oratorio sancti Basilii adhærentem. quod oratorium erat *juxta matriculam beati Martini, scilicet ecclesiam beatæ Mariæ de Scriniolo* *, *ubi moniales erant, quas idem Herveus apud Bellum-montem posuit: in quo loco, tam de rebus propriis, quam de rebus ecclesiæ beati Martini, monasterium construxit.* Prima ejus loci abbatissa Theophania laudatur in libro de miraculis sancti Martini, cujus sanctuario cereos obtulisse dicitur. Habet hoc monasterium præbendam in ecclesia sancti Martini *in blado, vino, & nummis.* Mortua abbatissa sanctimoniales olim petebant facultatem eligendæ novæ abbatissæ, quæ ab uno e canonicis *in stallum suum* ducebatur. Ad exsequias cujuslibet canonici Martiniani & in certis festis ecclesiæ sancti Martini sanctimoniales adesse debebant: canonici vero exsequiis solius abbatissæ interesse. Verum hæc modo obsoleta.

* De l'Ecrignole.

Sub idem tempus in ipso pago Turonico prope Loccas * opidum ad fluvium Angerem *, ubi olim Ursus [a] abbas monasterium exstruxerat, aliud ex altera flumi- CIV. Belliloccense apud Loccas cœnobium conditur.
nis parte conditum est, a situ Bellus-locus appellatum. Ejus auctor Fulco Andium comes, cognomento Nerra sive Niger, qui ex Jerosolymitana peregrinatione prima (nam bis eo profectus est) reversus, id operis aggressus est, ubi lapidem sepulcri dominici ab se allatum deposuit, cum reliquiis sanctorum Chrysanthi & Dariæ martyrum, quas ex urbe Roma attulerat; ipsumque locum [b] Odoni venerabili abbati sancti Genulfi exstruendum commendavit. Absoluta basilica, Hugonem [c] archiepiscopum ad eam dedicandam invitavit. Negavit præsul se id facturum, ni comes prius damna ecclesiæ suæ illata sarciret. Ille, ut erat ferox, cum muneribus Johannem papam convenit, ab eoque unum e cardinalibus, Petrum nomine, obtinuit, qui basilicam consecraret. Indignanter id tulere Gallicani præsules, rati, diœcesani episcopi auctoritati fieri hac in re injuriam: sed tamen hæc dedicatio ab episcopis, qui in Fulconis ditione erant, mense Maio facta est. Verum ad horam ipsius diei nonam, cum prius placidum & serenum cælum esset, subito turbine correpta basilica corruisse dicitur. quod male perpetrati piaculi indicium ac pœnam esse nemo dubitavit. Restructa basilica, Fulco ut se archiepiscopi jugo eximeret, monasterium sedis apostolicæ patrocinio submisit, obtento a Johanne privilegio, ut ne quis episcoporum illic ullam jurisdictionem exerceret. qua re permotus Hugo archiepiscopus, Romam se contulit, postulavitque a Sergio quarto Johannis successore, ut novæ basilicæ consecrationem juxta canones peragere sibi liceret. at id ipsi negatum, ea videlicet ratione, quod Fulconi liberum fuerit cœnobii in proprio fundo constructi dedicationem Romano pontifici deferre, ut inferius [d] videbimus. Ad hunc annum revocari solet constructio monasterii sancti Johannis de Orbisterio * apud Pictones: verum ad sæculum sequens differenda videtur.

a *Greg. Tur. de vit. Pat. c. 18.*

b *Chron. S. Julian. ms.*

c *Glab. lib. 2. c. 4.*

d *lib. 53. n. 66.*

* *Orbestier.*

Ante annos sex jacta erant fundamenta Canigonensis in Helenensi diœcesi monasterii, cui hoc anno Guifredus comes [e] Ceritaniæ, & Guisla seu Wiscla ejus conjux, quædam alodia ad ipsos pertinentia contulerunt, sita in villa Verneto pagi Confluentini: *ut idem locus ad honorem Domini nostri Jesu-Christi ædificetur, & militantes regulariter ibi adgregentur sub beati patris Benedicti norma, & ibi juxta voluntatem ac privilegium Romani pontificis, & præsulis sedis Helenensis, ac institutionem Francigeni regis in futurum Deo omnipotenti perenniter serviatur.* Facta est hæc donatio *anno trabeationis Christi* M VII. *indictione* IV. (lege V.) *pridie idus Julii, luna* XXVI. *anno* XI. *regnante Rodberto rege.* Post biennium ejus loci ecclesia dedicata fuit ab Oliba Helenensi episcopo in vigilia sancti Martini: cujus dedicationis [f] litteris Oliba abbas cum Wifredo comite & Guisla comitissa subscripsit. Anno quoque undecimo Rodberti regis Guislabertus [g] comes Ruscinonensis & Hugo Emporitanus

CV. Canigonensi & Rodensi monasteriis fit donatio.

e *Marca Hisp. p. 964.*

f *ibid. p. 971.*

g *ibid. p. 978.*

ANN. CHR. 1007.

comes Rodensi sancti Petri monasterio campos duos in comitatu Petralatensi circa villam Castilionem; & in comitatu Emporitano, ad locum dictum Bedengam, decimam piscationis piscium & anguillarum contulerunt.

CVI. S. Flori monasterium.

Sub idem tempus nobiles Arverni, Eustorgius & Amblardus, cognomento Hibernatus, ipsius nepos, ecclesiam sancti Flori, & alia ad eam pertinentia, *quæ conjacent in comitatu Arvernensi, in patria, quæ vocatur Planetia, in monte Indiciaco*, conferunt *beatis apostolis Petro & Paulo, ad locum Cluniacum & Celsiniense monasterium, quibus præest domnus ac reverendus pater Odilo*, concessa successoribus & heredibus suis facultate hanc augendi donationem, seclusis aliis, sive monachorum, sive canonicorum congregationibus. Id factum tempore Stephani episcopi Claromontensis, & Rotberti vicecomitis, qui cum prædictis donatoribus subscripserunt illius donationis instrumento, quod ex chartaceo codice Celsiniacensi in Appendice referemus. Legitur in archivo ecclesiæ sancti Flori, modo episcopalis, narratio de conditu monasterii sancti Flori, cujus auctores dicuntur Amblardus *de Brezons*, & Amblardus Comptor tempore Rotberti regis. Sed quia hæc narratio in multis fabulam redolet, eam omittere visum est. Stephano priori sancti Flori Amblardus *de Brezons*, frater Eustorgii, *omne rectum* Petræ-ladæ concessit. Ejus loci basilicam novam Urbanus secundus dedicavit, ibidemque aliquot dies demoratus est, ut pontificiæ ejus litteræ ibidem datæ docent. Ibi etiam mortuus, sepultusque est Johannes cardinalis episcopus Portuensis. Hoc monasterium in sedem episcopalem a Johanne XXII. erectum est.

CVII. Hugoni abbati Saviniaci succedit Durantus.

Decessit hoc anno piissimus abbas Saviniacensis Hugo, anno præfecturæ suæ vicesimo-tertio: cujus obitus in necrologio ejus loci notatur XVIII. kalend. Julii. Sepultus est in cœmeterio juxta fenestram capituli. Convenere ad successorem eligendum Burchardus Lugdunensis archipræsul, ejusdemque sedis canonici atque illustres viri & abbates. Horum omnium usus consilio Burchardus, in primis *domni Odilonis, jura regiminis Cluniacensis archimonasterii eximie tenentis, necnon domni Rainaldi patris Athanacensium, domnique Bernardi rectoris Insulæ-barbaræ, ac domni Wigonis abbatis sancti Theuderii* ex diœcesi Viennensi, *elegit virum eximiis moribus decoratum, ætate perfectum, scientia præditum*, nomine Durantum; eumque, monachis ejusdem monasterii faventibus & assensum præbentibus, instituit, ordinavitque *abbatem archimonasterii Saviniacensis, anno ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi* M VII. *sceptrum regni domno Rodulfo rege lucidissime exerente*, uti in instrumento [a] ejus electionis fusius legitur. In chartario Pontii abbatis Durantus, eo nomine primus, monasterio suo quinquaginta prædia & quasdam ecclesias acquisivisse dicitur. In his [b] Evrardus Maurianæ episcopus ecclesiam sancti Verani Saviniaco tribuit anno XVII. Rodulfi regis.

a *de la Mure p. 183.*

b *Bibl. Sebus. p. 58.*

CVIII. Padolironense monasterium conditur.

Padolironense monasterium, haud procul Mantua Italiæ civitate, sic dictum, quod inter Padum & Larionem fluvios positum sit, hoc anno conditum fuit a Teudaldo marchione, filio Attonis comitis, alio nomine Adelberti, filii Sigefridi de comitatu Luccensi, qui Atto hanc insulam partim a Willelmo [c] Mantuano episcopo, partim a Martino [d] archipresbytero & præposito ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Michaëlis Regiensis per commutationem comparaverat. Hæc insula *Moricula* dicta, passim *insula sancti Benedicti* nuncupabatur ob capellam, quæ sancto Benedicto, ante conditum illic monasterium, sacrata erat. Commutatione facta, nihilo minus Reginguarda [e] abbatissa monasterii beatæ Dei-genitricis Mariæ e civitate Papia, litem de ea movit adversus Attonem: sed causa cecidit in placito habito in urbe Regio anno Ottonis Magni imperatoris augusti, & Ottonis ejus filii regis tertio, indictione VI. id est anno Christi DCCCC LXIII. Idem Atto comes tunc Mutinensis, quarto post anno, aliam commutationem [f] fecit cum Domnino abbate monasterii sancti Benedicti, siti *ad Leones*, de corte una, *quæ dicitur Gonziaga*, & de capella sancti Benedicti ibidem sita ad fluvium Gonzagam: deditque vicissim Domnino abbati duas alias capellas cum rebus ad ipsas pertinentibus. Horum omnium instrumenta refert eruditus noster Benedictus Bacchinus, monachus congregationis Casinensis, in historia italice scripta monasterii Padolironensis. Tempus conditi monasterii discimus ex litteris [g] Teudaldi marchionis ejus conditoris, qui illud in fundo proprietatis suæ ædificavit, curavitque dedicari in honorem sanctæ Mariæ, sanctique Benedicti & sancti Michaëlis archangeli, & sancti Petri apostoli, pro re-

c *pag. 10.*

f *pag. 12.*

g *pag. 16.*

ANN. CHR. 1007.

medio animæ suæ & Wiliæ seu Willæ conjugis quondam suæ, filiorumque suorum: eo pacto, ut monachi ibidem *vivant secundum Regulam, & eleemosynas, ut justum est, faciant:* & ut abbas ipsius monasterii benedictionem petat ab episcopo Mantuano. Si vero ille id facere noluerit, aut ejus rei causa quidvis servitii exigere voluerit, tunc abbati a quocumque episcopo benedictionem accipere liceat. *Actum infra Roccha-Canossa*, anno Heinrici regis in Italia quarto, indictione quinta. De Teudaldo & de condito ab eo monasterio ita canit Domnizo.

Iste Padum juxta, Larionis propius undam,
Cœnobium dignum Domino Sanctum-Benedictum,
Construxit certe: monachos ibi voluit esse.
Felix iste locus nimis est quam relligiosus.

Abbas ejus loci primus dicitur fuisse Rozus nescio quis, an potius Venerandus: cujus tempore Symeon monachus eo accessisse traditur.

CIX. Symeonis monachi vitæ compendium.

Hic nobilis Armenus, cum jussu parentum uxorem ducere coactus fuisset, ea dimissa, patriaque relicta, monasticen sub sancti Basilii regula professus est. Inde fecessit in eremum, in qua divinitus aliquando pastus fuit. Hinc peregrinandi voto concepto, primum Jerosolymam, dein Romam profectus est, sedente Benedicto VII. pontifice. Tum variis Etruriæ urbibus ac locis lustratis, in quibus varia miracula patravit, Aquitaniam, Wasconiam & Hispaniam peragravit; progressusque in Galliciam, adiit ecclesiam sancti Jacobi orationis causa. Inde in Franciam regressus, Turonos accessit, *ibique beati Martini magni & incomparabilis viri oratorium petiit.* Post aliquot dies in Italiam revertit; atque ubi Mantuanæ provinciæ fines attigisset, illic *juxta flumen Padum, monasterium in honore almi patris Benedicti a Teudaldo marchione, Alberti filio, jam constructum, ac probis fratrum moribus digne exornatum reperit*, in quo deinceps quiescere decrevit. *quem reverendus abbas, Venerandus nomine, totaque fratrum religiosa congregatio summa cum caritate susceperunt*, eique congruum habitaculum *in loco, quem elegerat*, construxerunt: ubi ille, cælibem agens vitam, atque sanctis orationibus assidue vacans, vitæ cursum peregit. Abbati vero ceterisque fratribus ita morem gerebat, ut absque eorum permissu e cella egredi haud sibi licitum putaret. Statis tamen diebus ad commune refectorium accedebat pro more Ordinis nostri recluforum, tumque fratrum cibos ac mensam parabat. Denique ubi res postulabat, præsto aderat ad fratrum labores sublevandos. Hi ejus usque ad obitum mores.

CX. Bonifacius dux Etruriæ.

Non diu post hunc annum vixit Teudaldus, cujus filii Bonifacius & Conradus. Ex his Bonifacius, marchio & dux Tusciæ, tantas in Italia opes ac ditiones habuit, ut omnium principum Italicorum fuerit ea tempestate longe clarissimus & potentissimus. Hunc patrem habuit Mathildis comitissa, in consequentibus sæpe celebranda, quæ omnem ejus hereditatem adivit, professa passim se vivere *lege Salica*, cum Bonifacius ejus pater viveret *lege Langobarda*. Multa & ipse Bonifacius contulit monasterio sancti Benedicti (sic enim non raro appellatum) in agro Mantuano. Prima ejus donatio, vivente patre, facta est [a] anno Heinrici regis in Italia primo, mense Martio, indictione secunda, id est anno millesimo quarto, quo tempore Heinricus ab Italis, devicto Arduino, rex agnitus est, jamque inchoatum sancti Benedicti monasterium, quod anno post tertio absolutum fuit, ut Teudaldi marchionis tabulæ probant. Alia [b] ejusdem Bonifacii donatio facta est anno Heinrici regis in Italia nono, indictione decima. Richilda ejus prima conjux, filia Giselberti comitis palatii, eidem etiam loco se munificam [c] exhibuit, ut patet ex ejus charta, data in ecclesia sancti Benedicti apud Gonzagam anno Christi M XXXV. Altera Bonifacii uxor Beatrix, Mathildis comitissæ parens, non minus munifica in eumdem locum exstitit. Erat hæc filia Frederici Lotharingiæ ducis, ut Baronius [d] ex Domnizonis versibus colligit.

a *ibid. p. 20.*

b *pag. 22.*

c *pag. 24.*

d *Baron. ann. 1070.*

CXI. Prataliæ cœnobium conditur.

Ejusdem Bonifacii germanus frater exstitit Theudaldus Aretinæ ecclesiæ piissimus antistes, in Camaldulenses munificentissimus, qui post Albertum Aretinæ sedi impositus est sub annum M XXIII. Alberti decessor Helimpertus in honorem beatæ Mariæ & sancti Benedicti, omniumque sanctorum, abbatiam exstruxit, consecravitque in loco episcopii sui, *cui nomen est Pratalia, juxta rivum, nomine Viventem,*

ANN. CHR. 1007. „ „ „ *ad radicem Montis Acuti, qui dividit Tusciam & Romaniam:* ubi Sigizonem abbatem ordinavit. Ad ejus vero abbatiæ dotem assignavit decem mansos de curte Orgia in Cusentino, pro anima antecessoris sui *beatæ memoriæ episcopi Heverardi, cujus fuit hereditas*, ut in primariis ejus rei litteris legimus, quæ datæ sunt anno dominicæ incarnationis M VIII. mense Septembri, indictione VII. Processu temporis hæc abbatia Camaldulensibus cessit.

CXII. Petri Damiani ortus & vitæ initia. a *Petr. Dam. opusc. 57. c. 5.*

Insignis est hic annus ortu Petri Damiani, qui unum fuit ex præcipuis sui sæculi ornamentum. Tempus suæ nativitatis notat ipse, siquidem [a] *vix plane quinquennio ante suæ nativitatis exortum humanis rebus exemtus est tertius Otto.* Natus est Ravennæ mediis parentibus, quorum nomina ignorantur, postremus matris ejus partus, quæ multos jam liberos procreaverat. Eo nato, unus fratrum, qui jam adultus erat, conquerendo exclamasse traditur: Prô pudor! ecce jam tot sumus, ut vix una nos capiat domus! Heu, quam male congruit tanta heredum turba cum hereditate tam angusta! Ad hæc indignata mater, non admodum pia, quæ tot liberorum pertæsa erat, se miseram vociferans, infantem vix pæne lactatum ablactat, & infausta sibimet imprecata, abjicit. Exhorruit ad tantum facinus quædam mulier, quæ, algente infantulo, & jam pæne palpitante, supervenit, factumque inhumanum matri exprobravit, quod ne quidem tigrides leænæve committerent. Tum illa pudore suffusa, infantem recolligit, substrata pelle ad ignem corpusculum multa arvina perungit. Mox, resumto vitali calore, rubescit infantulus, spirituque resumit, simulque maternos affectus parens, quæ deinceps omnem ei curam ac diligentiam adhibuit. Verum utroque orbatus parente vix ablactatus puer, novercalem in se expertus est fratris animum, qui eum educandum susceperat. Nec mitior in eum fratris conjux. Ambo siquidem puerulum ita inhumane tractant, ut seminudum servorum cibariis, quæ magis congruerent porcis, vix sustentarent, multisque insuper plagis passim conficerent. Grandescit inter hæc infelix puer, qui aliquando nummo casu reperto, quo inediam utcumque suam reficere posset, consultius judicavit tradendum presbytero, qui Deo sacrificium pro patre suo offerret. Flexit hæc pietas divinam pietatem, effecitque, ut alter ejus frater, Damianus nomine, Petrum e manibus inhumani fratris abstraheret, & paterno affectu educaret. Idem jam grandiusculum primis litterarum elementis ac liberalibus studiis informandum tradidit magistris. Petrus ipse ait, se primum Faventiæ [b] litteris studuisse, deinde Parmæ [c], ubi Ivone præceptore usus est. In his studiis brevi magnos progressus fecit, brevique habilis evasit ad alios erudiendos. Sic meliori fortuna uti cœpit Petrus, qui fraternæ beneficentiæ memor, Damiani cognomentum ab eo accepisse creditur. Sub hæc lascivientis ætatis impetus expertus juvenis, eos inedia, vigiliis, precibus, cilicio, aliisque duris exercitationibus refrenare studuit; dumque stimulis ardentioribus urgeretur, mediis noctibus e strato consurgebat, aquis se fluvialibus immersurus, in quibus tam diu nudo manebat corpore, dum, noxio edomito calore, algentia membra rigescerent. Ad hæc liberalis in pauperes, eos non raro mensæ socios adhibebat, quemdam cæcum præbendarium habere solitus, quem iisdem alebat cibis. Forte aliquando unus erat triticeus panis, qui uni sufficeret: appositus proinde alter suppar, secundæ scilicet consperſionis. Hæsit primo Petrus, utrum pauperi præberet. Sed tandem secundarium dedit. quod pauper graviter tulit. Mox inter edendum, transversa piscis spina Petri gutturi ita inhæsit, ut nullo conatu trahi in interiora posset. Hæc ille tacitus ægre dissimulabat: sed tandem id sibi evenisse ob neglectum pauperem existimans, primarium illi panem apposuit, moxque spina se absolutum sensit. Verum in Petri pectore cum flamma divini ignis in dies major accenderetur, hoc vitæ genere contineri non potuit, sed eum impulit, ut sæculo penitus abrenuntiaret.

b *Petr. lib. 5. ep. 16. & lib. 6. ep. 17.*
c *id. opusc. 36. c. 14.*

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUINQUAGESIMUS-TERTIUS.

Ab anno Christi 1008. *ad annum* 1014.

ROLAPSAM in sancti Dionysii monasterio disciplinam regularem ubi restituisset [a] Vivianus abbas, ab Hugone & Rotberto regibus institutus, proxima ei cura fuit instaurandæ rei familiaris, quæ magnopere labefactata erat. Quare in synodo [b] Calensi, quæ anno millesimo octavo in ejus loci palatio XVI. kalend. Junii habita est, Rotbertum regem, qui huic synodo cum episcopis aderat, convenit idem abbas, petens, *ut sicut spiritalia, sic etiam terrena incrementa eidem loco provideret.* Cujus petitioni rex assensum præbens, quasdam res juris sui *cum conjuge ac filiis suis, hoc est bannum* seu judicium *hominis vulnerati vel interfecti, & infracturam intra vel extra castellum ipsius cœnobii, & legem duelli, quod vulgo dicitur campus;* aliaque in regio diplomate contenta donavit. Hanc autem donationem facit *pro remedio animarum* parentum suorum & *fidelis* sui *Hugonis*, haud dubie mortui. quod de Hugone Rotberti regis filio perperam interpretantur nonnulli. Huic diplomati subscribunt Lethericus Senonum & Hugo Turonum archiepiscopi; & post eos episcopi, Fulbertus Carnutensis, Adalbero Laudunensis, Fulco Aurelianensis, & alii octo ex provinciis Senonensi & Remensi. Calæ supersunt vestigia quædam veteris illius palatii, in quo synodus habita est, scilicet basilicæ beato Martino sacræ: cui adjuncta erant duo alia oratoria, nempe sancti Cæsarii & sancti Leodegarii.

ANN. CHR. 1008. I. S. Dionysio ablata restituitur.
a *lib. 50. n. 91.*
b *Doublet p. 828.*

Eodem tempore Fulco Aurelianensis antistes litem de subjectione Floriacensis monasterii renovavit adversus Gauzlinum abbatem. Fulco ante pontificatum abbas sancti Luciani Bellovacensis videtur fuisse, ut superius [c] diximus, & quidem post annum millesimum secundum, quo sancti Luciani reliquiarum revelatio facta est Rainero abbate. Scio proferri litteras [d] Rotberti regis pro S. Dionysio, quibus Fulco subscripsisse fertur cum Fulberto Carnutensi anno primo Rotberti regis. at serius uterque; nec ante annum millesimum septimum Fulbertus episcopatum adeptus est. Fulco episcopus totam [e] terram sanctæ Crucis *Hugoni potentissimo Belvacensi* dedit, quam Rotbertus rex eidem ecclesiæ restituit. Fulconi de subjectione Floriacensis abbatis, Gauzlini scilicet, Fulbertus [f] scripsit in hæc verba: *Si abbas sancti Benedicti de vestro contemtu culpam suam recognoverit, & illam deinceps subjectionem pro-*

II. Lis renovata de subjectione cœnobii Floriacensis.
c *lib. 52. n 27.*
d *Doublet p. 825.*
e *Helgaud. p. 68.*
f *Fulb. ep. 41.*

ANN. CHR. 1008.

miserit, quæ vobis canonice debetur; hortor & suadeo ut recipiatis: sacramenta vero & cetera, quæ ad mundanam legem pertinent, propter amorem regis Domini missa faciatis: ut religionem magis, quam sæcularem ambitionem vos sectari cognoscat. At si abbas in tantam superbiam intumuerit, ut ipsam quoque subjectionem canonicam vobis derogare contendat; superbiæ, cui non parcit Deus, Dei servus quomodo parcat, nescio. Qua in re posita esset hæc subjectio canonica, alias diximus: nimirum in obedientia & reverentia erga episcopum, in ordinationibus sacris & consecrationibus ecclesiarum, aliisque similibus: cum lex mundana insuper sacramentum & fidem clientelarem exigeret. Fulberti mentem recte intellexit Fulco, abbatemque subjici detrectantem [a] excommunicavit, & coepiscopos suos, ut idem facerent, popposcit. At Fulbertus inducias Gauzlino indulsit, eumque commonuit, ut, gradibus humilitatis, quos sanctus Benedictus monachis suis præscripsit, usque tertium relectis, episcopo suo se subjiceret: aut, si id sibi faciendum non videretur, facti sui rationem redderet. *Ego enim*, inquit, *neque legem, neque modum ratiocinationis invenire possum, qui vos ab jugo subjectionis hujus absolvat.* Quid exinde consecutum sit, ignoramus.

a *id. epist.* 72.

III. Richardo commissa abbatia S. Vedasti.

Consimilis rixa fuit Fulradi abbatis sancti Vedasti cum Erluino Atrebatensi episcopo, sed causa paullo dissimilis. nam Fulradus episcopo subjectionem canonicam denegabat, non tam ut privilegium sui monasterii assereret, quam ut pravos [b] mores suos episcopi censuræ subtraheret. Sed tandem ejus proterviam vicit episcopi constantia, isque abbatia cedere compulsus est. Suffectus in ejus locum Heribertus boni testimonii monachus: at cum tantis ejus loci damnis reparandis impar esset, *abbatiam Richardo* [c] *religiosissimo viro*, qui sancti Vitoni apud Virdunum abbas erat, Balduinus comes, *providente episcopo atque ordinante, moderandam commisit.* qui sic disciplinam regularem & rem familiarem illic brevi restituit, ut in illis partibus *nullæ abbatiæ religione præstantior* esset, *aut opibus locupletior.* Richardus vero semper *episcopo cum tota reverentia subjectus* fuit, eique *in omnibus, sicuti decet, intemerato amoris signaculo obsecundavit*, inquit Baldericus. Id factum ait Hugo Flaviniacensis anno M VIII. sed in eo corrigendus hic auctor, quod Gerardo episcopo Erluini successori Richardi institutionem tribuit, quam Erluino tribuendam esse Baldericus docet, probatque ratio temporis ab ipso Hugone assignati, scilicet anni millesimi octavi, cui Erluinus quadriennio toto superfuit, ab ipso Richardo abbate humatus, teste Balderico. Hugonis de Gerardo episcopo hæc verba sunt. *Hic ecclesiam sancti Vedasti, in suburbio Atrebatensi sitam, de maximis divitiis ad maximam redactam penuriam, anno ab incarnatione Domini* M VIII. *huic patri nostro*, nempe Richardo, *quem unice diligebat, assignavit: in qua vir Domini tanta egit & passus est, ut, si singula scribercntur, & lectori, ut vereor, tædium, & audientibus generarent fastidium.* In his Richardus cujusdam sancti Vedasti liberti, qui turrim contra monasterium erexerat, proteriam fregit; & duos ejus loci monachos, qui ipsi necem inferre meditabantur, ad meliorem frugem convertit. *Cæpit ergo*, subdit idem Hugo, *tanto ferventior studiis religiosis insistere, &, deductis a Virduno fratribus, in spiritualis exercitii tirocinio probatis, curam loci commisit: inter quos erat Rothardus a Leodio, sapientia & religione nominatissimus, quanto noverat & sibi qui præerat, & eis qui suberant, expedire.* Ibidem præpositum instituit Fridericum, ex comite monachum, qui illic usque ad finem vitæ perseveravit. Utrumque, Richardum scilicet ac Fridericum, in monasterium sancti Vedasti a Letduino monacho introductum fuisse testatur [d] Baldericus, qui eum magnopere laudat: nimirum quod *per indoctam sapientiam, stultam ostendit grammaticorum inflatam doctrinam, dum quidquid sæculi fuit, sollicitus cavit, & quæ Dei sunt, fideliter adimplevit.* Et tamen Hugo scribit eum fuisse unum ex illis duobus, qui Richardi necem machinati erant ipso die cænæ dominicæ: quo die, dum Richardus cubitum iret, uni eorum Letduino, dum gladio virum Dei confodere parat, armata dextra obriguit. quo miraculo ille perterritus, factique pœnitens, veniam petiit, & publica confessione & satisfactione facta, ita deinceps mores composuit, ut nullus eo carior Richardo fuerit, eique in Vedastini monasterii regimine successerit. Ejus quoque exemplo alter resipuisse traditur. Quid Poppo ad reparandum Vedastini monasterii statum etiam contulerit, postea videbimus.

b *V. lib.* 52. *n.* 62.

c *Chron. Camerac. lib.* 1. *c.* 116.

d *ibid. lib.* 3. *c.* 59.

Alia monasteria ei item commissa.

Ad hæc Balduinus Flandriæ comes eidem Richardo alias abbatias quam plures regendas

regendas commisit, scilicet sancti Petri Gandensis, sancti Amandi, sancti Bertini, sancti Judoci. Hugo addit abbatiam sancti Richarii: sed hæc Rotberto regi subegerat, non Balduino. Addit insuper multa cœnobia, Bretuliense, Humolariense, sancti Quintini de monte, sancti Wandregisili, sancti Hucberti, sancti Remacli, Malmundariense, Walciodorense, Bellilocense, sancti Urbani, sancti Vincentii in insula Mettensi, quæ omnia Richardus in meliorem reparavit statum, eisque reparatis abbates e suis præfecit. His adde monasteria sancti Petri Catalaunense, & sancti Laurentii Leodicense: quibus instituendis operam egregiam navavit. In summa, viginti & unam abbatias, tam in Lotharingia, quam in Francia & Flandria sub sua providentia habuisse memoratur.

ANN. CHR. 1008.

IV. Notgeri Leodicensis episcopi obitus.

Ad hunc annum differendus nobis visus est obitus Notgeri seu Notkeri Leodicensis episcopi, quem alii nonnulli anno præcedente obiisse scribunt. At præferendam esse priorem sententiam persuadet scriptor vitæ sancti Theoderici abbatis Andaginensis seu sancti Hucberti, qui natus est, ut superius vidimus, anno M VII. *præsidente in Leodiensi sede Notgero, magnæ sanctitatis & prudentiæ viro*, atque, ut alter codex habet, ante ejus obitum *anno uno*, quem mense Aprili decessisse constat. Et quidem Lambertus Scafnaburgensis ad hunc annum Notgeri obitum refert, qui cum erectioni Babenbergensis episcopatus anno M VII. kalendis Novembris subscripsisse dicatur, non ante annum insequentem mense Aprili devixisse dici potest. Hic ex præposito sancti Galli creatus episcopus, multa præclare gessit, adeo ut vix aliquid magni operis sit in illa civitate, quod non inchoaverit, vel perfecerit. In primis magna ei fuit in educandis pueris, scholaribusque erudiendis cura & sollicitudo, quos etiam in itinere secum ducebat, librorum copiam ad eorum usum circumferre solitus. Ex ejus schola multi prodiere doctrina, pietate, & dignitate illustres: quorum præcipui Guntherus Saltzburgensis præsul, Rothardus & Erluinus Cameracenses, Heimo Virdunensis, Hezelo Tullensis, & Adelbodus Trajectensis exstitere. Morti proximus ad ecclesiam sancti Johannis se contulit, & in domo, interiori claustro adhærente, quam sibi ipse ædificaverat, orationi, lectioni, aliisque piis exercitationibus se totum dedit, ibidemque hoc anno decessit IV. idus Aprilis, cum Leodicensem ecclesiam annis sex & triginta rexisset. Sepultus est in eadem ecclesia, & quidem in oratorio sancti Hilarii, quod una cum ædicula sancti Remigii ibidem condiderat. Suffectus in ejus locum Baldricus, vir nobilis, de quo id memoriæ proditum, nullam ecclesiam, nullumve monasterium ab eo prætermissum, quod non aliquo prædio vel beneficio dotaverit. Idem monasterium sancti Jacobi in insula exstruere cœpit, sed morte præventus absolvere non potuit, ut postea dicturi sumus. Ex his intelligitur, Notkerum non potuisse subscribere anno M XIII. litteris Benedicti papæ VIII. pro ecclesia Urgellensi, in Marca [a] Hispanica relatis. Gozechinus Leodicensis scholasticus Notgeri nostri honorifice meminit, ubi ait, *a diebus domini Notgeri* illius *urbis episcopi, eorum pontificum, qui ei contemporales in ecclesia florebant, præcipui*, usque ad medium sæculum undecimum, misericordiam, veritatem, & justitiam atque pacem viguisse.

a *Marca Hisp. p.* 994.

V. Olbertus monachus, Burchardi episcopi præceptor.

Florebat tunc in Laubiensi monasterio Olbertus monachus, *in utraque scientia*, divina & humana, peritus. Hunc Baldricus Leodicensis antistes ad se accersivit, ut Burchardum ecclesiæ suæ canonicum scientia canonum informaret. Ordinatus non multo post Wangionum episcopus idem Burchardus, magistri sui haud immemor, Baldricum episcopum rogavit, ut, data opportunitate, eum ad aliquam dignitatem provehere curaret. quod & factum est. nam Gemblacensis monasterii abbas eo procurante ordinatus, insuper in monasterio sancti Jacobi, quod Baldricus in suæ civitatis insula perfecit, primus rector institutus est. Ita rem memorat chronographus [b] Laubiensis; at paullo aliter [c] Gemblacensis, & forte veri similius. Hic quippe scribit, Burchardum factum Wormatiensem episcopum a Baldrico juniori Tungrensium episcopo, qui ejus contubernalis in palatio fuerat, petiisse, ut sibi aliquem litteris sacris eruditum mitteret, cujus ope & doctrina ipse in scripturarum lectione proficere posset. Nullum vero magis idoneum Olberto repertum, qui a Burchardo perquam honorifice exceptus, tanto viro præceptoris officium exhibuerit: cui episcopus *ad formam discipuli* se submittere non sit dedignatus, eo magistro usus ad componendum volumen canonum, quod sub ipsius nomine vulgatum est. quo facto, Burchardus optionem magistro suo dedisse dicitur, velletne se-

b *Spicil. to.* 6. *p.* 591.

c *ibid. p.* 520.

ANN. CHR. 1008. cum cum honore debito remanere, an remeare in patriam mallet. Eum vero patriam prætuliſſe, & cum multa gratiarum actione remiſſum, commendatumque Baldrico, cujus opera Gemmelacenſis rector factus ſit. Anonymus vero in libello de vita Burchardi epiſcopi tradit, eum ſeceſſiſſe ad quamdam ſilvam, duobus milliaribus a Wormatia diſtantem; ibique collectarium canonum elucubraſſe, Walterio Spirenſi epiſcopo adjuvante, & Brunichone præpoſito exhortante; idque operis aggreſſum fuiſſe, *quia canonum jura, pœnitentiumque judicia in epiſcopatu ſuo omnino neglecta fuerant.* Is vitam communem canonicorum ſuorum inſtituit, vitamque regularem in monaſteriis ſancti Cyriaci & ſancti Andreæ pæne deſtructam renovavit. Ejus exemplo animatus Brunicho prædictus, *vitam monaſticam aggreſſus eſt.* Alii quoque illuſtres viri, ejuſdem documentis & hortamentis adducti, relicta civitate & ſæculo, *vitæ monachorum ſe ſubdiderant.* Ille autem veritus, ne clericorum eccleſiæ in ſolitudinem redigerentur, eos hortatus eſt, ut in propoſito ſuo permanerent, nec monaſticæ vitæ cauſa citra permiſſum diſcederent, ſed cum fratribus ſuis in commune laborarent.

VI. Trevirenſes turbæ. Interim Liudolfo Trevirenſi pontifice mortuo, ingentes turbæ in Belgica prima de ſucceſſore exortæ, auctore in primis Adalberone ædis Paulinæ præpoſito, Theoderici Mettenſis epiſcopi, Heinrici Luciliburgenſis comitis, & Chunigundæ reginæ fratre, cui magnos ſpiritus natalium ſplendor & ambitio inſpirabant. At, rejecta ejus aſſeclarum interpellatione, Heinricus rex archiepiſcopatum Megingaudo, Willigiſi Moguntini antiſtitis camerario, detulit. quæ res Adalberonem & Lotharienſes ei faventes ita exaſperavit, ut Trevirenſe palatium contra regem occuparent: ſed tandem fame & aſſidua impugnatione defatigati, ſe ſe dedere coacti ſunt. & Bajoariæ ducatus Heinrico Adalberonis fratri abrogatus, quem poſtea cum regis gratia recepit.

Berno Augiæ abbas. a *lib.* 52. *n.* 87. Dum hæc apud Treviros geruntur, Heinricus rex Bernonem Prumienſem monachum, virum doctum ac pium, Augiæ abbatem conſtituit loco Immonis [a] abbatis Gorzienſis, qui ob nimiam, ut credebatur, ſeveritatem Augienſibus exoſus erat. Berno illic gratanter exceptus, fratres diſperſos recollegit, & a Lantperto Conſtantienſi epiſcopo abbas conſecratus, per annos quadraginta eidem loco magna cum laude præfuit, ex Hermanno.

VII. Guntherus eremum petit. b *lib.* 52. *n.* 91. Vix biennium in Altahenſi monaſterio Guntherus [b] exegerat, cum ſolitudinis majoris ſtudio deſerti loci ſeceſſum cum aliquot ſociis petiit, annuente Godehardo abbate. Locum deſignat Wolferus ejus vitæ ſcriptor in quodam ſaltu Boëmico, *Rinchnach* ab ipſo appellatum, in quo ad triginta ſeptem annos in ſtudio ſanctæ religionis & in ſumma rerum inopia permanſiſſe dicitur. Arnolfus ſancti Emmerammi cœnobita ſignantius rem explicat, ſcribitque, Guntherum, in cœnobitica rite probatum palæſtra, ſolitariam vitam aggreſſum fuiſſe: atque ut ei majori cautela ſe aptaret, montem quemdam petiiſſe, a monaſterio *una ferme reſta*, ſeu milliario diſtantem, quem Rancingam nominavit: in quo *pæne per tres annos conſiſtens, modico victu ac humillimo habitu, parvaque cella contentus erat.* Verum cum a multis illic conveniretur, veritum, *ne frequentia populi & gloriola ſæculi, ſibi ſub ſpecie religionis, quid de veris ſurriperet aut minueret bonis*, inde fugiſſe in eremum, quæ Aquilonaris-ſilva vocatur; ibique ſingulare certamen contra diabolum iniiſſe, multaſque tentationes pertuliſſe. In priori illo loco cellulam in honorem ſancti Johannis Baptiſtæ exſtruxit. Heinricus rex in diplomate anno ſequenti dato, eccleſiam » vocat, ſitam in eremo, quæ vocatur *Nortwald*, a Guntherio monacho, inibi primi» tus vitam eremiticam ducente, conſtructam in honore victorioſiſſimæ Crucis, ſan» ctæque Dei-genitricis Mariæ, necnon beati Johannis Baptiſtæ, *in uſum fratrum ibi* » *Deo ſub regula ſancti Benedicti ſervientium:* quibus quoddam ſpatium terrarum concedit ob interventum conjugis ſuæ Chunigundæ reginæ, Brunonis Auguſtenſis eccleſiæ præſulis, Eberhardi Ratiſponenſis, & Bennonis Patavienſis epiſcoporum. Atqui *Nortwald* germanice idem locus eſt qui Arnolfo *Aquilonaris-ſilva* dicitur; ac proinde locum illum Guntherus principio excoluit, ſiquidem Heinrici hac de re præceptum datum eſt VII. idus Junii, anno Domini M IX. Ceterum annona ei, ejuſque ſociis e vicino monaſterio ſuppeditabatur: ſed plerumque, viis ob hiemis injurias intercluſis, vix panis eis ſuppetebat; ipſaque aqua non ad ſufficientiam, ſed ad menſuram, etiam hoſpitibus dabatur. Porro vir Dei, etſi litterarum expers, ſacrorum tamen librorum intelligentiam ex crebra fratrum lectione mire percepit: adeo ut ſæpiſſime obſcuriora ſcripturæ arcana ſtupentibus auditoribus proferret.

ANN. CHR. 1008. VIII. Zoërardus & Benedictus eremitæ. * *Nitrachi.* Eodem tempore Zoërardus, e Polonia in Hungariam ſuperiorem profectus, a Philippo abbate Zoborenſis monaſterii, quod in Nitrienſi * territorio in honorem ſancti Hippolyti martyris poſitum erat, monaſtico habitu accepto, & Andreas nominatus, eremiticam itidem vitam excoluit, uno comitatus ſocio, cui nomen Benedicto, a quo Maurus epiſcopus, tum Breunovienſis monachus, ejus vitæ rationem didicit retulitque. Jejunium ad triduum paſſim produxiſſe traditur. Quadrageſimæ vero tempore, exemplo Zoſimi quondam abbatis, quadraginta nucibus a Philippo abbate, a quo habitum religionis acceperat, acceptis contentus, diem ſanctæ reſurrectionis cum gaudio exſpectabat. Labor illi extra orationis tempus aſſiduus: poſt laborem quercinus truncus pro lecto erat. Denique cum tres annos in hac vitæ aſperitate tranſegiſſet, ſanctiſſime obiit; nec multo poſt Benedictus ejus diſcipulus, quem latrones ad ripam fluminis Wagæ jugularunt. Conditus uterque eodem tumulo in baſilica ſancti Emmerammi.

IX. Gerardus abbas Criſpiacenſis, tum Fontanellenſis. * *Mante.* Ex Hungaria in Galliam revertor, ubi tunc religione florebat Latiniacenſe monaſterium agri Pariſienſis ſub Herberto abbate, qui in divina & humana philoſophia inter Francos nulli tunc inferior fuiſſe traditur. Hoc abbate præ ceteris doctrina & pietate inſignis erat Gerardus monachus, ex pago Medantiſſæ * & patrimonio Jelia oriundus Fulberto & Ailende parentibus ingenuis. Is, poſtquam Carnutis Fulberto præceptore litteras didiciſſet, monaſticæ vitæ inſtitutum amplexus eſt in cœnobio Latiniacenſi, cui jam tum Herbertus abbas, e Carnutenſi ſancti Petri monaſterio aſſumtus, præerat. Eo tempore Walterius, cognomento Albus, Ambianorum comes & caſtri Criſpiaci in pago Vadenſi * dominus, cum Adela uxore monaſterium in eodem caſtro conſtruxit in honorem ſancti Arnulfi martyris, qui ſancti Remigii diſcipulus, & Turonum archiepiſcopus fuiſſe dicitur. Huic loco cum idoneus rector quæreretur, electus eſt ad id muneris Gerardus, qui primus illic, ubi canonici aliquamdiu conſederant, regularem vitam inſtituit. Forte aliquando ad Richardum Nortmannorum ducem, eo nomine ſecundum, qui monachos ſingulari ſtudio proſequebatur, profectus, ut neceſſaria quædam ab eo peteret, adeo principi placuit, ut Fontanellenſe monaſterium ipſi commiſerit. Hic locus paullo ante refloreſcere cœperat ſub Mainardo abbate: ſed, eo ad ſancti Michaëlis, ut ſuperius diximus, præfecturam aſſumto, ſub tribus ejus ſucceſſoribus in deterius prolapſus erat. Oblatum munus haud reſpuit Gerardus. qua re admodum recreatus princeps, ilico unum ex optimatibus ſuis, Roſcelinum ſcilicet, ex numero cubiculariorum illuc miſit, qui Gerardum in Fontanellenſis abbatiæ poſſeſſionem induceret. Hinc non multo poſt Criſpiacenſem præfecturam abdicavit, & probiores quoſque monachos inde ſecum Fontanellam abduxit. Gerardo in Criſpiaci regimine ſucceſſit Lezcelinus, quem Rotberto regi carum & acceptum fuiſſe tradit Helgaldus, cujus verba huc referre juvat. *Caſtrum Criſpiacus dictum, a Waltero potenti nobiliter conſtructum Sueſſionico in territorio, abbatiam ſancti Arnulfi a ſe factam, nobilis nobilem, & per ſæcula reddidit illuſtrem. Noſtra enim ætate ibi abbatem quemdam, Lezcelinum nomine, conſtituit, boni teſtimonii virum, profeſſione regularis vitæ monachum, quotannis venientem ad hunc Dei virum*, ſcilicet Rotbertum. *Suſcipiebatur ab eo ut Dei ſervus, & colloquium habentes de cæleſtibus, poſt in redeundo honorabatur ab eo honorabilibus muneribus quam ſplendide, quæ erant juncta cæleſtibus perfectæ caritatis virtute.* Factum de eodem abbate refert Helgaldus, quod hic referre non vacat. Lezcelino in Criſpiacenſi regimine forte ſucceſſit *Hugo abbas monaſterii Criſpienſis, monachus autem cœnobii Resbacenſis:* qui Reſbacum ad diem feſtum ſancti Agili abbatis profectus, ibidem quarto poſt die pie deceſſit III. nonas Septembris. Ex his non apparet, quid Richardus Virdunenſis abbas in Fontanellenſi monaſterio præſtiterit.

Lezcelinus Criſpiaci abbas.

* *le Valois.* a *V. Marlot. to.* 1. *Metrop. p.* 196. & 197.

X. Felix in Armoricam miſſus. b *Aimoin. lib.* 2. *de mirac. S. Bened. c.* 11. & *ſeqq.* * *Hueſſan.* Hoc ipſo anno Felix Floriacenſis monachus a Gauzlino abbate in Armoricam miſſus eſt, petente Gaufredo duce, ut illius provinciæ monaſteria, bellorum vaſtata injuriis, inſtauraret. Erat & ipſe Britto [b] Armoricanus ex Cornu gallia, ex qua in Oſam * inſulam tranſmigraverat, ubi beatus Paulus, poſtmodum Leonenſis epiſcopus, ſolitariam olim vitam duxerat. Ejus amore ductus Felix, conſulto prius epiſcopo ſuo, ad Floriacenſe monaſterium ſe contulit, ſacras ejus reliquias veneraturus,

quæ sub medium sæculi decimi a Mabbone episcopo istuc translatæ fuerant. Neque temporaria fuit ejus devotio in sanctum Paulum & in sanctum Benedictum, quorum meritis ex imminenti naufragio non semel ereptus fuerat. Itaque loci veneratione captus, habitum inibi monasticum induit Abbone abbate. Inter ea Gaufredus Britanniæ dux, monasteria suæ provinciæ vastata miseratus, Gauzlinum abbatem Abbonis successorem rogavit, sibi ut Felicem monachum ad ea instauranda mitteret. Missus ilico Felix hoc anno a duce honorifice acceptus est. Mox ei dux contulit monasteria, seu potius monasteriorum cadavera, ut ea excitaret: plurima illi dona se adjecturum pollicitus, ubi ex Romano itinere, quod orationis causa incunctanter aggressurus erat, revertisset. Ivit itaque Romam, sed non rediit, mortuus [a] in illo itinere ipso anno. Ejus mortis nuntio accepto, Felix ad suum monasterium regredi parabat: sed obstitit Hadegogis seu Hadvisa Gaufredi conjux, cum Judicaële Venetensi episcopo, aliisque primoribus, quibus dux Felicem discessurus commendaverat. Duo erant illis in partibus monasteria, Ruyense scilicet ac Moriacense, vulgo *Locmenech*, id est locus-monachorum, cognominatus, quæ Felicis operam in primis postulabant. Erant quippe eorum locorum ecclesiæ sine tectis, & magna ex parte dirutæ: atque inter parietinas annosæ arbores creverant, & ostia ipsa occluserant. Porro nulla hominum illic habitatio, nulla frequentia, sed erant in ipsis etiam ecclesiis cubilia ferarum. Hæc autem omnia instaurare immensi laboris & operis esse videbatur. At Felix, divino confisus adjutorio, rem tentare non dubitavit; nec spe sua frustratus est. Nam brevi convenerunt ad eum optimi & religiosi viri, quorum adjutorio ecclesias instauravit, domos ædificavit, vineas plantavit, atque pomaria: ex quibus etiam pueri in Dei servitio enutriti fuere. In primis opem ei contulit Alanus, Gaufredi ducis filius ac successor, præter Hadvisam, aliosque optimates.

ANN. CHR. 1008.

a *Baluz. miscell. to. 1. p. 121.*

XI. Aimoini obitus & scripta.

Hanc Felicis missionem discimus ex actis Gildæ abbatis Ruyensis, ab Aimoino prætermissam, qui ejus iter ad Floriacense monasterium commemoravit in libro secundo de miraculis sancti Benedicti. Hinc colligimus Aimoinum vix ad hunc annum pervenisse. Certe libri ejus duo de sancti Benedicti miraculis desinunt in anno millesimo-quinto: ut patet ex eo, quod in fine libri secundi ait, se descripsisse miracula, patrata *sub triginta abbatibus, qui huic Floriacensi cœnobio, ab initio suæ fundationis, per trecentos octoginta-quinque & eo amplius præfuerunt annos*: cujus fundationis tempus cum Helgaudo, aliisque collocat anno sexcentesimo vicesimo, atque adeo paullulum post annum millesimum quintum Aimoinus in his libris progreditur, quos Gauzlino abbati, necdum Bituricensi archiepiscopo, nuncupavit. quam dignitatem Gauzlinus anno millesimo tertio-decimo adeptus est. Promittit quidem Aimoinus, se, si Dei voluntas & vitæ ejus cursus ferat, acturum de miraculis in Neustria per merita sancti Benedicti factis: sed non videtur id exsecutus fuisse. Quamquam Rodulfus Tortarius, qui sancti Benedicti post eum miracula scribere aggressus est, ea tantum commemorat, quæ a principatu Heinrici Francorum regis contigere. Nec serius anno millesimo quinto Aimoinus scripsit librum de vita Abbonis Floriacensis abbatis, quem Herveo sancti Martini thesaurario dicavit, adjectis quibusdam miraculis, quæ statim facta sunt a morte Abbonis abbatis, cui libros quatuor de gestis Francorum nuncupavit. Ultimum caput libri quarti in editione Chesniana est de monasterio Floriacensi, quo ex capite & ex epistola operis nuncupatoria eum ejusdem cœnobii monachum fuisse constat. His libris subjunctum est carmen ejusdem auctoris de translatione corporis sancti Benedicti in monasterium Floriacense. Excidit ipsius liber de gestis abbatum monasterii sui, quem laudat in actis Abbonis.

XII. Besuæ tributæ supplicationes & confessiones.

Willelmo Divionensi abbati tunc commissum erat Besuense monasterium, censu tenue & exiguum: ad cujus inopiam relevandam Bruno, Lingonum episcopus perquam munificus, cum consilio [b] totius capituli sui statuit, ut circumpositarum a sex leugis ecclesiarum tam viri quam mulieres tempore rogationum *ad sanctorum Petri & Pauli limina*, id est ad Besuensem ecclesiam, cum oblationibus convenirent: & quia eodem tempore Lingonas, ut decebat, ob longitudinem viæ ad verbum Dei audiendum & peccata confitenda accedere non poterant; eos Besuam ejus rei causa adire jubet, peccatorum veniam postulaturi ab eis, *quorum linguæ claves cæli factæ* sunt, & absolutionem a monachis illic Deo servientibus percepturi.

b *Spicil. to. 2. p. 536.*

cujus rei instrumentum hoc anno datum est. Idem pontifex quasdam Besuensium in Campellenses monachos lites composuit; confirmavitque donationem decimarum in Nova-villa, quas Humbertus miles Besuensi monasterio contulerat. Willelmo Besuæ abbate, prioris officium gerebat Benedictus, qui inter alia Miloni cuidam militi, ex consensu Willelmi abbatis, tertiam partem ecclesiæ [a] Beriæ dedit, altera parte sibi retenta, altera presbytero *pro servitio* reservata. Habitum est per id tempus concilium [b] episcoporum, in quo libertas quorumdam hominum Besuensis monasterii asserta est, præsidente Hectore Vesontionensi archiepiscopo: cui concilio Bruno Lingonensis, Walterius Æduensis, Euchardus incerti loci, & Goslenus Matisconensis episcopi interfuerunt. Hæc synodus habita est non serius anno M XVI. quo Bruno decessit.

ANN. CHR. 1008.

a *ibid. p. 546.*

b *ibid. p. 540.*

XIII. S. Martialis abbates.

Adalbaldo abbati sancti Martialis apud Lemovicas XI. kalend. Augusti mortuo, successit hoc anno Josbertus [c] secundus, qui coronam auream cum gemmis pendentem ante corpus sancti Martialis fecisse dicitur, & basilicam Salvatoris magnifico opere renovasse. Ejusdem anno [d] decimo, dominicæ mediæ quadragesimæ nocte, dum promiscuum vulgus intraret ad matutinas in veterem basilicam Salvatoris, compressione nimia (vide hominum illius temporis religionem!) in introitu portarum homines quinquaginta-duo exstincti sunt.

c *V. lib. 50. n. 95.*

d *Labbe bib'. to. 2 p. 273.*

XIV. Guarinus abbas generalis.

Hunc annum attigit, forte etiam excessit Guarinus abbas Coxanensis in marca Hispanica, sæpius a nobis jam laudatus, qui veluti generalis præpositus monasteriorum in illis partibus erat, scilicet Lezatensis, sancti Hilarii Carcassonensis, sanctæ Mariæ Electensis, sancti Petri Garnensis, & sancti Michaëlis Coxanensis; habens sub sua potestate vicarios abbates, Benedictum in Lezatensi, qui & duorum sequentium monasteriorum, nempe sancti Hilarii & sanctæ Mariæ, rector erat; Hugonem in Garnensi, & Giffredum in Coxanensi. Hæc nos docet diploma [e] Johannis XIX. quo diplomate confirmantur Guarino abbati prædictorum locorum præfecturæ, eorumque possessiones, necnon libertas eligendi abbatis, quem sine *mundano & corruptibili munere* consecrari pontifex jubet. Si vero aliter fieri nequiverit, tunc electo abbati liceat consecrationem & benedictionem petere ab apostolica sede, cui hæc monasteria subjecta sunt. *Scriptum per manum Benedicti scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Junio, indictione sexta.* Hic prima nobis occurrit mentio monasterii sanctæ Mariæ Electensis, incerto auctore conditi in comitatu Redensi * ad Atacem * fluvium, quo sedes episcopalis, Limosii * primum à Johanne XXII. instituta, paullo post ab eodem translata est: cujus ecclesiæ, etsi toga sæculari donatæ, sanctus Benedictus hactenus unus e præcipuis patronis habetur.

e *Marca Hisp. p. 966.*

Electense monasterium & Garnense.

* *de Razez.*
* *l'Aude.*
* *Limoux.*

Dum Hugo abbas præesset Garnensi monasterio mox dicto sancti Petri, super fluvium Garumnæ posito, Forto-Guillelmus vicecomes donavit Ugoni abbati & Videliano monacho, & cunctæ catervæ monachorum ejusdem loci, alodum suum apud Annonnas propter amorem Dei & sancti Petri, sanctique Gerontii, *& propter emendationem de salvitate* seu immunitate, quam infregerat, quando Bernardum nescio quem comprehendit. Facta charta ista in mense Februario, sub die feria VII. regnante Rotberto rege. Hoc monasterium alio nomine Curtense vocabatur.

XV. Montis-majoris abbates, & quidam monachi illustres.

Vix annos decem in regimine Montis-majoris expleverat Archinricus abbas, cum vitæ privatæ amore in Cariloci cellam secessit, ubi reliquos vitæ dies in piis operibus & divina contemplatione absolvit. Exstat hæc cella in diœcesi Aptensi prope Relaniam opidulum, sed quem auctorem habuerit, incertum. Illic pie decessit Archinricus, ibique humatus est: ad cujus anniversariam memoriam die XVI. Februarii celebrandam olim rectores & vicarii omnes ecclesiarum Cariloco subjectarum eo convenire solebant. Legimus hac de re epistolam, qua Stephanus-Dionysii, prior ejusdem cellæ sancti Petri, illos omnes convocat *ad festum seu anniversarium beati Archinrici abbatis* de more celebrandum. quod indicio est, ipsum istius cellæ auctorem fuisse. Post ejus secessum Montis-majoris præfecturam communi fratrum calculo adeptus est Rambertus seu Raimbertus, cujus tempore non modicum cepit incrementum res familiaris. Multa vero sustinuit a filiis Nevelongi super villæ Pertusi * donatione, quam sibi ereptam illi gravate ferebant. at illorum violentia tum Adelaidis comitissæ auctoritate, tum Sergii IV. intentatis diris repressa. Verum illud in primis Ramberti præfecturam commendat, quod novam monasterii basilicam exstruxerit, ut inferius videbimus.

* *V. lib. 51. n. 117.*

Tunc temporis florebat in Monte-majori Domnus monachus, qui novem annos continuos in schola Fulberti apud Carnutas studuisse memoratur in suo ipsius epitaphio, quod in Appendice referemus cum epitaphio Umberti ejusdem loci monachi itidem docti, qui Correni [a] *magnificam domum* fundasse dicitur.

a *V. lib. 52. n. 27.*

ANN. CHR. 1009.

XVI. Jerosolymis templum eversum.

b *Glaber lib. 3. c. 7.*

POstero anno millesimo nono Rodulfus Glaber [b] auctor est, sacrosanctum Jerosolymorum templum a rege Babylonis eversum fuisse instinctu Aurelianensium Judæorum, qui per quemdam servum fugitivum Melerensis in pago Autisiodorensi cœnobii, ab se pecunia corruptum, litteris missis Ammiratum Babylonis ad hoc facinus impulerunt: sed ejusdem principis mater christianissima, nomine Maria, prædictum templum politis & quadris lapidibus hoc ipso anno restruere cœpit. Reversus Aurelianos servus ille, quæstione adactus, hujus facinoris auctores prodidit Judæos, qui meritas pœnas dederunt.

Johanni papæ succedit Sergius IV.

Huic infortunio accessit mors Johannis papæ XIX. cui cognomen erat *Phasianus, id est Gallus*, ut in chronico Saxonico legimus. Mortuus est XV. kalend. Augusti. successit Sergius IV. cognomento Bucca-porci, in annos duos & menses novem. Ad prædictum Johannem missam fuisse puto a Stephano Hungarorum rege & Gisla ejus conjuge pretiosam casulam, quæ modo in Mettensi sancti Arnulfi basilica, ex dono, ut creditur, Leonis papæ IX. asservatur: in cujus posteriori parte hæc verba aureis litteris, textili opere adscripta sunt: S. UNGRORUM R. ET GISLA. DILECTA SIBI CONJUNX MITTUNT HÆC MUNERA DOMNO APLICO JOHI. Consimile Giselæ pallium, ad Ferdinandum cæsarem ætate nostra de Pannoniæ insignibus allatum, Browerus [c] memorat, cujus in fimbria Giselæ nomen inscriptum erat.

c *Annal. Trevir. to. 1. p. 501.*

XVII. Hugo & Guido abbates Farfenses.

Actum est superius non semel de Hugone Farfensi abbate, qui pro simoniæ causa monasterii regimine sponte cessit, postea semel & iterum restituendus. Abdicationis suæ causam & occasionem Hugo ipse exponit in quodam scripto, quod de imminutione rerum sui monasterii ab eo conditum est, integrum in Appendice referendum, ex quo ea tantum hic delibamus, quæ ad præsentem locum pertinent. *Inter ea*, inquit, *contentio alia orta est nobis in marchia, pro qua me oportuit ire ultra montem* * *ad Heinricum regem, ubi, cooperante Domino, rege omnino placato, occulte illi refutavi istam abbatiam pro peccato*; scilicet simoniæ, *quod omnes scitis. Qui multum rogavit me, ut usque ad suum huc adventum illum præstolarer, quem ipso dicebat anno esse. Exspectavi autem illum illo & altero, & usque in tertium annum: quo minime veniente, dimisi illam. Vos autem elegistis domnum Guidonem, quem Johannes Patricius & Rainerius gratis fecerunt consecrari a papa Johanne pro nostro amore.* Hactenus Hugo, qui ad aliud monasterium inde se recepit, nempe ad monasterium sanctæ Mariæ, cujus monachum se fuisse dicit. quod de monasterio sancti Quirici intelligendum puto, quod anno DCCCC LXXXVI. ingressus est. Electus in ejus locum Guido ipsius nepos, repugnante Gratiano monacho, qui se abbatem ferebat. Litem diremit litteris suis Sergius papa, quarum hic tenor.

* *l.* montes.

Sergius episcopus servus servorum Dei, Gratiano abbati, & omnibus habitantibus in castello Corgnito, salutem carissimam cum benedictione apostolica. Nostra cura pastoralis talis est, Christo favente, ut discordantes clericos vel laïcos ad concordiam revocemus. Ideo monemus te, prædicte Gratiane abba, & omnino jubemus, ut, secundum præceptum regulæ sancti Benedicti, humilies te sub Guidone abbate monasterii sanctæ Mariæ, quod ponitur in Farfa; & quidquid contra prælibatum monasterium injuste egisti, citius emendes, & ecclesias, quas jam dicto abbati contendis, scilicet sancti Peregrini & sancti Michaëlis, cum omnibus suis pertinentiis reddas illi. Quod si facere nolueris, ab omni officio sacerdotali maneas alienus. Similiter mandamus omnibus prædictis hominibus, vel aliis, qui tibi contra hanc nostram jussionem adjutorium præstare voluerint, ut extra ecclesiam maneant, usque dum per satisfactionem emendaverint.

Mox ut electus est Guido, publico scripto pollicitus est, se constitutionem Hugonis abbatis de admittendis consuetudinibus monasterii Cluniacensis servaturum; necessaria fratribus ad victum & vestitum accurate præbiturum; res denique monasterii pro viribus conservaturum. Insuper fratribus portionem illius monasterii bonorum assignat, quæ omnia fuse in ipsius instrumento referuntur, cujus hoc exordium. *Ego frater Guido, humilis vir, electus ad hujus monasterii regimen, omnibus vobis vestrisque sociis & confratribus, sive successoribus, filiisque fidelissimis ipsius gloriosæ Farfensis ecclesiæ, nostræque dominæ beatissimæ Mariæ, coram Deo & sanctis ejus spondeo atque promitto observare & retinere constitutionem domni Hugonis abbatis, huic monasterio & omni conventui concessam, scilicet authenticam religionem Cluniacensis monasterii, in officiis ecclesiasticis & bonis moribus, & confratrum cultu vestium, sive copia victus quotidie, & in sanctis sollemnitatibus, in quantum hujus loci possibilitas & temporum vicissitudo, Deo administrante, exegerit, &c.* Ad hæc omnes fratres ejusdem monasterii privilegia & societatem suffragiorum confirmant populo de castello, quod dicitur Petra-dæmonis, de jure ipsius monasterii: propterea quod opidani illi Farfensibus fideles exstiterant in dissensione, quæ pro abbatum electionibus emerserat.

ANN. CHR. 1009.

XVIII. Cluniacenses consuetudines Farfæ receptæ.

a *lib. 51. n. 72.*

b *num 6808.*

Hugonis abbatis constitutionem, qua consuetudines Cluniacenses in Farfense monasterio receptæ fuerunt, superius [a] retulimus, quæ consuetudines descriptæ sunt duobus libris in codice olim Farfensi, nunc Vaticano [b], sub hoc titulo: *Incipit perfectus usus sive ordo ad ornandam ecclesiam catholicam, necnon ad conservandam regularis tramitis normam in cœnobio beatæ Mariæ semper virginis, in agro Acutiano comptus.* Quo pacto hi ritus e Cluniacensi monasterio, & per quos accepti sint, docet prologus sequens. *Cum per universam Italiam Christi præcepta annularentur, & velut in fastidio versarentur; diabolicæ suggestiones cœperunt augmentari, & opere compleri, ita ut etiam in sacris constituti ordinibus, sicut mos laïcorum est, uxores acciperent, & sine aliqua difficultate hæresim exercerent simoniacam. Cælestis tunc clementia favente Regis, qui pretioso olim mundum suo redemit cruore, suscitatus est quidam decore splendidus monachico, Romualdus nomine, qui normam priscæ justitiæ in sexu renovavit utroque & ordine. Cujus exempla imitatus venerabilis Hugo abbas, renovavit prisca sanctorum patrum eximiique Benedicti clarissimi & luculenti patris in cœnobio beatæ Mariæ semper virginis in loco, qui dicitur Acutianus, ubi destructus erat nimis omnis ordo & compositio monachorum: illorum ulnis imponens usum Cluniaci cœnobii in Gallia ædificati, ac per totum orbem, cuncta ultra monasteria, regulari tramite pollentis ipso tempore. Insonante etenim longe lateque fama prælibati cœnobii, necnon & prædictorum patrum, Romualdi scilicet & domni Hugonis abbatis benignissimi; hi denique patres, nimio zelo ferventes & inter se concordantes, domnus Romualdus in theoretica præclarus effulsit, necnon & in ædificatione multorum monasteriorum: pater vero Hugo, sequipeda ejus effectus in regali cœnobio, in tantum, ut ad Galliarum studia venerabilium cœnobiorum Cluniacensium, ubi venerabilis pater Odilo, velut lucerna radians, adhuc fulget, multa de illorum consuetudine, ad utilitatem fratrum, illis commissis & in ovile Christi aggregatis imposuerit ad salutem animarum. Ex quibus unus valde inspiratus, & accensus in fervore monastico, ex discipulis domni Romualdi, nomine Johannes, cum uno suo socio ad videndum & scribendum properavit apud eumdem Cluniacense cœnobium, & ita exaravit in paginulis, ut oculis vidit, & in codicibus affixit, posterisque legenda contradidit. Domnus vero Hugo pater, per omnia imitator illorum effectus, hæc & multa alia in suo regali & antiquo cœnobio advexit, ut ab illorum usu in nullo discreparet, cupiens adimplere quod in actibus apostolorum legitur: Multitudinis credentium erat cor & anima una. Quam consuetudinem si quis adimpleverit, in præsenti exaltabitur vita, & post intra perennem lætabitur pascuam, &c.* Subsequitur post hæc in codice prologus alter Johannis prædicti, qui sub religiosissimo abbate Joseph in monasterio incerto vixisse dicitur. Scriptus est porro iste codex a Guidone monacho, haud scio, an eodem, quem Hugoni abbati successisse mox diximus.

XIX. Officinarum regularium mensuræ.

Hæ vero consuetudines, etsi cum editis Udalrici libris, & cum Bernardi opere necdum edito in plerisque consentiant; multa tamen continent, quæ apud illos auctores desiderantur. In priori libro divina ordinantur officia: in posteriori regularis disciplina explicatur. Liber secundus incipit *a positione seu mensuratione officinarum*; de quibus nonnulla observatione magis digna hic notare juvat.

Ecclesia longitudinis CXL. pedes habeat, altitudinis XLIII. fenestras vitreas CLX. Galilæa seu navis, ut vocamus, longitudinis LXV. pedes. Duæ turres sint in ipsius fronte statutæ, & subter ipsas atrium, ubi laïci stare debent, ut non impediant processionem. A porta meridiana usque ad portam aquilonarem pedes CC LXXX.

ANN. CHR. 1009.

Sacriſtia longitudinis LVIII. pedes habeat cum turre, quæ in capite ejus ſtatuenda eſt.

Oratorii ſanctæ Mariæ longitudinis XLV. pedes ſunto, latitudinis XX. murorum altitudinis XXIII.

Dormitorium longitudinis CLX. pedes habere debet, latitudinis XXXIV. feneſtras vitreas XCVII. quarum altitudo tanta ſit ad menſuram hominis, quantum ſe poteſt extendere uſque ad ſummitatem digiti; latitudo duorum pedum cum uno ſemiſſe: altitudo murorum pedum XXIII.

Capitulum XLV. pedes longitudinis, latitudinis XXXIV. habeat: ad orientem feneſtras IV. contra ſeptemtrionem tres; contra occidentem XII. balcones, & per unumquemque duæ columnæ affixæ in eis.

Auditorium XXX. pedes: camera vero XC. pedes longitudinis.

Calefactorium latitudinis XXV. pedes, tantumdemque altitudinis habeat: a janua eccleſiæ uſque ad januam calefactorii pedes LXXV.

Refectorium longum ſit pedes XC. latum XXV. muri ejus alti pedes XXIII. feneſtræ ex utraque parte octo, altæ ſint V. pedes, latæ tres.

Coquina regularis XXX. pedes longitudinis, latitudinis XXV. Coquinæ laïcorum eadem menſura.

Cellarii longitudo LXX. pedum, latitudo LX. Eleemoſynarum vero cella latitudinis X. longitudinis LX. ad ſimilitudinem latitudinis cellarii.

Infirmis ſex cellæ deputatæ ſunto. Prima cellula latitudinis XXVII. pedum, longitudinis XXIII. cum lectis octo, & cellulis totidem in porticu juxta exteriorem ipſius cellulæ murum. *Clauſtra*, forte clauſura, prædictæ cellulæ habet latitudinis pedes XII. Secunda cellula iiſdem menſuris & rebus conſtet, uti tertia quoque & quarta. Quinta ſit minor, ubi conveniant infirmi ad lavandum pedes diebus ſabbatorum, *vel illi fratres qui exuſti* * *ſunt ad mutandum*. Sexta cellula ſit, ubi *famuli ſervientes* lavent ſcutellulas & omnia utenſilia.

* *f.* exuti.

Juxta galilæam ſeu navim eccleſiæ *ſtructum debet eſſe palatium*, longitudinis CXXXV. pedum, latitudinis XXX. *ad recipiendum omnes ſupervenientes homines, qui cum equitatu adventaverint monaſterio*. Ex una parte ipſius domus ſint præparati XL. lecti, & *totidem pulvilli ex pallio*, ubi requieſcant viri tantum: ex alia parte ordinati ſint lectuli XXX. *ubi comitiſſæ, vel aliæ honeſtæ mulieres pauſent*. In medio ipſius palatii *affixæ* ſint menſæ, *ſicuti refectorii tabulæ*, ubi edant tam viri, quam mulieres. In feſtivitatibus magnis ſit ipſa domus ornata *cum cortinis, & palliis, & boncalibus in ſedilibus ipſorum*.

In fronte ipſius ſit alia domus longitudinis pedes XLV. latitudinis XXX. cujus longitudo pertingat uſque ad ſacriſtiam: ubi ſint ſartores atque ſutores ad faciendum quod eis camerarius præceperit.

Inter iſtam domum & ſacriſtiam atque eccleſiam necnon & galilæam ſit cœmeterium, ubi laïci terræ mandentur.

A porta meridiana uſque ad portam ſeptemtrionalem contra occidentem, ſit conſtructa domus longitudinis CC LXXX. pedes, latitudinis XXV. pro ſtabulis equorum: ſuper quæ ſit *ſolarium* pro famulis & adventantibus infimæ conditionis.

Extra refectorium ſint cryptæ XII. & dolia parata, ubi temporibus conſtitutis balnea fratribus præparentur.

Huic loco adjaceat cella novitiorum, quæ *ſit angulata in quadrimodis*. In prima meditentur, in ſecunda reficiant: in tertia dormiant: in quarta loca neceſſaria.

Inter prædictas cryptas & cellam novitiorum poſita ſit alia cella, ubi aurifices, incluſores, & vitrei magiſtri operentur. quæ cella habeat longitudinis CXXV. pedes, latitudinis XXV. cujus longitudo pertingat uſque ad piſtrinum, quod in longitudine habeat cum turre, quæ in capite conſtructa ſit, LXX. pedes, in latitudine XX. Conſer quæ in ſuperioribus [a] diximus de antiquo monaſterio ſancti Galli, ejuſque diſpoſitione. In eodem codice præſcribitur forma & menſura veſtium, ut in Appendice noſtra videre licet.

a *Annal. to. 2. lib. 31. n. 37.*

XX. Libri dati in capite quadrageſimæ.

In capite quadrageſimæ ſingulis monachis ex præſcripto regulæ ſinguli diſtribuebantur libri: qua de re in eodem codice indicantur illi, qui ſingulis Farfenſibus monachis, numero LXIV. tunc dati ſunt. In his præter libros ſacros & ſpirituales, qui pleriſque dantur, nonnullis data ſunt opera theologica ſanctorum patrum, ut Auguſtini

Auguſtini de Trinitate, ejuſdem enchiridion, de doctrina chriſtiana, de civitate Dei; atque etiam eccleſiaſtica hiſtoria, Euſebii Cæſarienſis, Oroſii, Venerabilis Bedæ; uni Joſephi, immo etiam alteri Titi-Livii hiſtoria. Hactenus de Farfenſibus conſuetudinibus e Cluniacenſi monaſterio per Hugonem Farfenſem abbatem acceptis, quibus conveniunt illæ, quæ habentur in veteri codice monaſterii ſancti Pauli in Urbe. ANN. CHR. 1009.

XXI. S. Mariæ Florentiæ facta donatio.

Cum Marinus abbas cœnobio ſanctæ Mariæ Florentiæ præeſſet, eidem ſe munificum præſtitit Bonifacius [a] inclytus marchio, Alberti comitis filius, profeſſus ſe vivere *juxta legem Ribuariorum*; traditque curtes quaſdam apud Broilum & Raddam atque alibi *per cultellum, fiſtucum nodatum, wantonem, waſonem terræ atque ramos arboris juxta legem Ribuariorum*, eo pacto, ut, ſi abſque liberis decedat, hæ poſſeſſiones in perpetuum maneant in illius loci poteſtate. In cujus rei teſſeram, *pergamenam, pennam, atramentarium, juxta legem Ribuariorum, de terra levavit*, & Rolando notario ad ſcribendum dedit. *Actum in loco Planorio, territorio Mutinenſi*, & quidem ab incarnatione Domini anno nono poſt milleſimum, pridie idus Auguſti, indictione VII. ut legitur initio inſtrumenti, cui Bonifacius marchio, aliique ſubſcribunt. Aliam [b] ejuſdem donationem poſt triennium Marino abbati factam vide ſis in Bullario Caſinenſi.

a *Baluz. to. 1. Miſcell. p. 509.*

b *ibid. p. 70.*

XXII. S. Johannis monaſterium Venetiis.

Dandulus in hiſtoria Venetiarum teſtatur, hoc anno corpus [c] ſanctæ Barbaræ virginis ab eccleſia ſancti Marci tranſlatum fuiſſe in puellare monaſterium ſancti Johannis Evangeliſtæ de Torcello, Felicia abbatiſſa, quæ Petri ducis Venetiarum filia erat. Hoc monaſterium ante medium ſæculum ſeptimum catholicæ mulieres, quæ vitam monaſticam amplecti cupiebant, cum favore multorum procerum condidiſſe [d] perhibentur.

c *Ital. ſac. to. 5. p. 1434.*

d *ibid. p. 1432.*

XXIII. Arduinus preſbyter Arimenſis.

Eodem anno deceſſiſſe memoratur ſanctus Arduinus Ariminenſis preſbyter, qui ob diuturnam in ſancti Gaudentii monaſterio, cui Venerium abbatem præficiendum curavit, commorationem monachus fuiſſe creditur. Ibidem obiit XVIII. kal. Septembris, humatuſque eſt in ſancti Gaudentii eccleſia extramurana, ubi ejus corpus ſæculo XV. aſſervatum fuiſſe tradit Cæleſtinus ejuſdem loci monachus, in libello apud Ughellum [e] relato, quem de ſtationibus, & indulgentiis ſui monaſterii anno M CCCC XLII. compoſuit.

e *Ital. ſac. to. 2. p. 410.*

XXIV. Brunonis archiepiſcopi martyrium.

Subiit hoc anno martyrium Bruno, alio nomine Bonifacius, Ruſſorum apoſtolus & archiepiſcopus ex monacho Magdeburgenſi. Duodecimo converſionis ſuæ anno in Ruſſiam profectus, ſteriles hos paganorum adhuc hominum agros ſemine divini verbi fœcundare ſtuduit: at ſpinis pullulantibus dura pectora emollire non valuit. Cum vero in confinio illius regionis verbum Dei prædicaret; prohibitus primo ab incolis, ubi id nihilo minus facere perſeveraret, captus ab illis, ac demum capite plexus eſt XVI. kal. Martias cum ſociis octodecim. Pater ejus, Bruno itidem dictus, filio ſuperſtes, cum in morbum incidiſſet, monentem filium, ut monaſticum habitum indueret, adſtare ſibi viſus eſt. Fecit ille, uti juſſus erat, nec multo poſt, XIV. kal. Novembris in pace quievit. In quodam chronico [f] Wirziburgenſi ad hunc annum, *Brun epiſcopus & monachus a Pruſis multis ſuppliciis affectus, & manibus pedibuſque abſciſis, poſtremo capite plexus cælos petiiſſe* dicitur. Quidam vir doctus exiſtimat, hunc Brunonem ſeu Bonifacium non alium eſſe a Bonifacio ſancti Romualdi diſcipulo, de quo ſuperius [g] actum eſt. Utrobique enim idem nomen, eadem patria, genus illuſtre ex Ottonum ſtirpe, idem Pruſſorum apoſtolatus; idem denique martyrii genus, ſcilicet capitis amputatio. Verum ex adverſo nonnulla occurrunt, quæ unum ab altero diſtinguunt: nempe quod unus Romualdi diſcipulus, & ab eo in Italia rebus monaſticis informatus dicatur; alter Magdeburgi, quem in Italiam acceſſiſſe neque Ditmarus ejus conſanguineus, nec chronographus Saxonicus tradunt. Scio equidem Petrum Damiani, qui Bonifacium illum ſancti Romualdi diſcipulis annumerat, non magnopere accuratum eſſe. at veri ſimillimum eſt, Petrum id ab ipſis Romualdi accepiſſe diſcipulis, qui facile Romualdum ipſum viventem videre potuerunt. Fateor tamen priorem illam opinionem fundamento non carere.

f *Baluz. to. 1. Miſcell. p. 509.*

g *lib. 51. n. 123.*

XXV. Parricidii pœnitentia.

Vigebat ad hoc ſæculum illud pœnitentiæ genus parricidis impoſitum, ut reis ſcilicet brachia & corpus loris ferreis conſtringerentur, ſicque mitterentur ad ſacra loca, ſi quando ſanctorum meritis ſolverentur. Ejus rei exemplum nobis occurrit

ANN. CHR. 1009.

hoc anno in libello de miraculis sancti Mansueti Tullensis episcopi, de quadam Angligena muliercula, nomine Gondelinde, quæ eo venisse dicitur, *gestans in læva ferri ligamen ob materni effusionem sanguinis*, quod facinus cum fratre suo clerico patraverat. Ob hoc crimen clericus *a suo pontifice pœnitentiali ferro vincitur exterius, ac toto trunco corporis artatur strictis circulis.* Porro soror, ejusdem facinoris conscia, *accepit duos circulos in sinistro brachio* ad tantum malum expiandum. Mox ambo pergunt Jerosolymam, fratreque in itinere mortuo, soror sancto Mansueto se commendat, ejusque meritis *tandem rigor ferri dissolvitur, & morsu sciisso ligaminis brachium ex parte eripitur: alter vero circulus non decidit.* Tunc illa cum alio fratre suo, nomine Rodulfo, *confugit ad sancti Odelrici* seu Udalrici *merita*, tum *ad sancti Deodati limina:* sed tandem rediit ad sanctum Mansuetum, apud quem omnino absolvi meruit. *Prædicti circuli*, inquit auctor anonymus, *pendent ad pedes crucifixi Domini: quorum prior kalendis Januarii prorsus, alter* III. *kalendis Junii cecidit anno ab incarnatione Domini nono & millesimo*, Bertoldo Tullensi episcopo, indictione VII.

XXVI. Poppo matrem suam convertit. a *lib* 52. *n.* 86.

Cum Poppo in Virdunensi sancti Vitoni monasterio [a] degeret, matrem suam Adelwinam, marito viduatam, in sæculo hærere ægre ferens, ei auctor fuit, ut, omnibus sæculi rebus posthabitis, ad cœnobialem vitam se conferret. Illa, ut erat ad pietatem optime instituta, monenti non difficulter assensit. Verum, ubi id exsequi parat, intercedunt liberi ac servi, piæ matris ac dominæ solatio destitui non ferentes; eamque clamoribus lamentisque sunt prosecuti, ut etiam plerique eorum se in Scaldim fluvium ad eam remorandam præcipites dare simularent. Verum illa constans in proposito, primo ad Elnonense sancti Amandi monasterium cum filio venit, ibique ad sancti Cyrici reliquias orans, cælesti viso in proposito confirmatur. Inde Virdunum se contulit, *veloque piæ conversationis ex consilio* Popponis *sibi impositi*, cœnobiali vitæ se addixit. dein jam cum humani generis hoste certare docta, *apud sanctum Vitonum reclusa*, singulare certamen cum eo inire non dubitavit, eoque triumphato, cursum vitæ demum in pace confecit.

XXVII. S. Vedasti res curat.

Inter ea, cum Richardo abbati sancti Vedasti Atrebatense monasterium a Balduino comite Flandriæ commissum fuisset, Frederico, ut superius dictum est, interioribus occupato, Popponi assignata est rerum exteriorum providentia. quæ cum pleræque in manus laïcorum devenissent, incredibile est, quantas ille molestias & injurias, quantas persecutiones sustinuerit ad eas recuperandas. Hac in re adjutores habuit tum Balduinum comitem, tum Heinricum imperatorem, quem aliquando ad Batuam, Rheno flumini e vicino adjacentem, convenit; histrionum ludis & spectaculis intentum redarguit, eumque ab ejusmodi spectaculis cum suis optimatibus compescuit.

XXVIII. Ænhamense concilium.

In Anglia habitum est hoc anno concilium Ænhamense, hortatu Elfegi Dorobernensis & Wlstani Eboracensis archipræsulum ab Ethelredo rege indictum: cujus decreto primo sancitum est, ut abbates & abbatissæ suam ipsorum vitam recte instituant, familiamque suam & conventum ad normam regulæ sancti Benedicti componant. De monachis monachabusque apostatis aut gyrovagis, ut ad sua monasteria quantocius revertantur, peccata sua & violatæ professionis crimen serio deploraturi, memores voti & sponsionis, quibus Deo se ipsos consecrarunt. Insuper monentur abbates & abbatissæ, ut errantes cum caritate recipiant. Si vero contigerit, ut illorum monasterium in alium statum, ut fit, commutatum sit, puta monachorum ad canonicos vel ad sanctimoniales: tunc monachi illi ad diœcesanum episcopum se conferant, eique promittant tria saltem se deinceps observaturos, scilicet castitatem, habitus monastici gestationem, & perpetuam in Christi servitio perseverantiam. quod statutum observatu dignum est.

XXIX. S. Michaëlis de Monte abbates. b *Labbe to.* 1. *bibl. p.* 351.

In monasterio sancti Michaëlis de Monte Mainardus junior senio gravatus [b] successorem designavit Hildebertum, cujus tempore corpus sancti Autberti Abrincatensis episcopi, quod a canonicis olim absconsum fuerat, repertum est. Norgandus prædictæ sedis episcopus monachus factus dicitur sub Mainardo abbate, qui abbatiæ bona non mediocriter auxisse perhibetur, mortuus III. nonas Julii. Hildeberto successit cognominis ejus nepos, cujus tempore, cum monasterium Mainardo juniori sedente conflagrasset, inchoata fuit nova basilica a Richardo II. duce & ipso Hildeberto anno M XXXIII. qui ipsius Hildeberti supremus fuit. Decessit VII.

idus Januarii Hildebertus senior, humatus in hortulo juxta presbyterium ecclesiæ cum nepote, qui III. nonas Septembris e vivis excessit.

ANN. CHR. 1009.

Sub id tempus in quodam vico pagi Cenomannensis, *quem veteri vocabulo Solemnas vocant*, Gaufridus de Sablolio seu Sabolio, comparato loco a fratre suo Radulfo vicecomite Cenomannensi, cellam regularem exstruxit sub patrocinio sancti Petri, eamque monachis sancti Petri de Cultura subjecit. Exstant [a] primariæ hac de re ipsius Gaufridi litteræ sine chronicis notis, quibus testatur se dare Deo & cœnobio sancti Petri de Cultura, monachisque inibi Deo servientibus, *ecclesiam de Solemis* prope castrum Sablolii *juxta alveum Sarthæ sitam*, aliaque prædia, in his partem viculi Buxedi, *quam possidebat Primaldus, vir Deo devotus, qui reliquit sæculum, & secutus est Deum*; insuper sepulturam & consuetudinem castri Sablolii: cujus rei chartam in dedicatione ecclesiæ sancti Petri de Solemis obtulit Hugoni Cenomannensi comiti confirmandam, qui ipsius rogatu ad consecrationem ejusdem ecclesiæ convenerat. Huic petitioni, signo crucis appositio, assensum præbuit comes, præsente Avesgaudo Cenomannensi episcopo, & Hucberto [b] Andecavensi ab anno M VI. qui id ipsum confirmarunt, eidemque chartæ subscripserunt, uti & Gaufridus de Sablolio, uxorque ejus Adelais, & filius eorum Drogo, multique alii: quos inter Ingelbaudus & Rainaldus abbates subscribunt, ille sancti Vincentii abbas, hic sancti Petri de Cultura. Primaldus in hac charta laudatus, is videtur esse qui sancti Albini factus est abbas anno M XXVII. Celebrantur ejus loci statuæ insignes ad pietatem compositæ, quas medio sæculo proxime elapso Johannes Bouglerus, ultimus prior regularis, fieri curavit.

XXX. Solemensis cella.

a *Menage Sablé p.* 25.

b *Labbe bibl. to.* 1. *p.* 28.

In Hispania sanctus Attilanus Zamorensis sub idem tempus ad cælos migravit, principatu scilicet Veremundi secundi; distinguendus ab altero Attilano seniore, Zamorensi itidem episcopo ex monacho Saguntino, qui tempore Alfonsi Casti floruit. Attilanus vero junior, monachus primum in Tarraconensi monasterio, sub Froilano abbate prioris officium gessit. Post annos decem assumtus ad sedem Zamorensem, eodem tempore, quo Froilanus abbas ad Legionensem, omnes pastoris partes strenue obivit. Verum post decennium, adolescentiæ errata repetens animo, episcopatum abdicavit, iisque diluendis denuo sacras peregrinationes aggressus est. Reversus demum in patriam, de indulgentia cælitus sibi concessa factus certior, in sedem suam a civibus revocatur. Denique post annos octo, quibus supervixit, pia morte defunctus est anno ætatis septuagesimo, III. nonas Octobris: quem Urbanus II. sanctorum catalogo adscripsit.

XXXI. Attilanus episcopus obit.

ANN. CHR. 1010.

Mortuo sub finem anni, id est XIX. kal. Januarii, Heldrico abbate sancti Germani Autisiodorensis, qui etiam Reomaënsi & Flaviniacensi monasteriis præerat, subrogatur anno insequente millesimo decimo [c] in cœnobio sancti Germani Achardus: cujus tempore Dodo quidam ecclesiam sancti Petri, quæ Berardi-monasterium dicitur, *cum omni justitia & libertate*, multaque alia sancto Germano donavit. Idem a Landrico Nivernensi comite Salvatoris monasterium ejusdem urbis obtinuit: sed quia nullum hujus donationis instrumentum factum est, Rainaldus comes, Landrici filius, hoc monasterium sancto Germano abstulit. Achardum Heldrici abbatis tempore præpositi officium gessisse intelligimus ex Rodulfo Glabro, qui eum *virum eruditissimum* vocat. Heldricus abbas pingendi peritus erat, ut patet ex versibus, Haimonis Halberstadensis expositioni in Ezechielem præmissis in codice nostro sancti Germani a Pratis, cujus initio variæ depictæ sunt imagines, in his Heldrici abbatis & pictoris, prostrati ad pedes sancti Germani cum his aliisque versibus:

XXXII. Heldrici abbatis S. Germani obitus & successores. c *Labbe to* 1. *bibl. p.* 572.

Hoc pater Heldricus quod pinxerat ipse volumen,
Summo pontificum Germano rite dicavit.

& infra:

Ergo sub hoc reserata legens epigrammate verba,
Ob requiem patris Heldrici deposce Tonantem.

quod non de alio intelligendum puto quam Autisiodorensi abbate; idque probat characterum forma, quæ ad ejus ætatem pertinet.

ANN. CHR. 1010.

Achardo Heldrici successori, v kalendas Augusti defuncto, successit Thealdus, assumtus ex monasterio Meleredensi ab se instaurato, quod sancto Germano sacratum erat. Hujus obitus notatur III. nonas Martii, & quidem anno M XXXII. quo anno in ejus locum Odo suffectus est.

XXXIII. Wlferius monachus Reomaensis.

Monasterii Reomaensis post Heldricum præfectura cessit Willelmo abbati Diviomensi, quem Roverius Heldrico præponit. Heldrico abbate floruit eo loci Wlferius monachus pietate insignis, cui duplex revelatio [a] facta memoratur. Una in suo ipsius monasterio de quibusdam christianis cæsis a Sarracenis, ex Hispania in Gallias effusis, quos tandem Willelmus dux Navarræ, id est Wasconiæ, cognomento Sancius, subegit. quibus in conflictibus regionis illius monachi arma bellica sumere compulsi sunt. Dum itaque Wlferius octava die pentecostes, finitis matutinis laudibus, fratribus ad lectos reversis, in ecclesia oraturus quiescret; prædicti martyres ei apparuerunt, eique ut ipsos sequeretur, innuerunt, prænuntiantes, multos ex ea regione ipsorum collegio brevi esse addendos. qua ex re Wlferius intellexit, suum ex hac vita discessum imminere. Et re quidem vera sic accidit. nam quinto abhinc mense Decembri, abbatis sui Heldrici jussu ad monasterium sancti Germani missus, ut infirmis fratribus (nam medicinæ peritus erat) opem ferret, quam primum id præstare curavit. Volentem discedere fratres sancti Germani retinent in crastinum. Prima luce acri dolore pulsatus, nihilo minus ad altare beatæ Mariæ *sacra missarum* celebravit. dein ad domum infirmorum accessit, seque lecto composuit. Tantisper inter doloris angustias quiescenti adstare visa est beata Virgo, eumque bono animo esse jussit, se illi ducem & custodem fore pollicita. Ubi ad se rediit, accersivit *loci præpositum, nomine Achardum, eruditissimum valde virum, qui postea ejusdem monasterii abbas exstitit*, eique visum revelavit. Hinc ab eo ad persolvendum naturæ humanæ debitum animatus, fratrumque de more visitatione recreatus, tertia die desinente e corpore migravit. Ejus corpus *dum fratres ex more abluere, ac pannis componere pararent, signaque monasterii pulsarent*, dæmones auditi, qui ejus animam sibi vindicare moliebantur; sed incassum, ut beata Virgo moribundo promiserat. Ex his constat, Wlferii obitum, adeoque prædictam cladem Sarracenorum, contigisse ante præfecturam Achardi sancti Germani abbatis, quem Heldrico successisse hoc anno constat. Hinc corrigendus Roverius, qui hæc differt ad tempus Guidonis abbatis Reomaënsis, qui forte Willelmo abbati successit.

a *Glab. lib. 2. c. 9.*

XXXIV. Flaviniacenses abbates.

Heldricum in regimine Flaviniacensis monasterii excepit Amedeus, qui cellam [b] Corbiniaci recuperasse perhibetur. Idem Colticensem, Sinemurensem, & Bellilocensem cellas instituit, & *multæ auctoritatis* obiisse dicitur. Aimo ejus successor, simoniæ insimulatus, in manu Leonis papæ IX. virgam pastoralem resignavit. Suffectus in ejus locum Odo, ejus nominis primus, monachus Adremarensis seu Arremarensis, qui post duos annos alteri Odoni præfecturam cessit. Anno primo Amedei abbatis Walterius Æduensis præsul, qui regularem disciplinam Flaviniaci restituerat, ejusdem quoque loci monachis necessaria suppeditare studuit. Quam ob rem villas quasdam, quæ tempore Rotmundi antistitis, ob diutinum ejus languorem, a sæcularibus occupatæ fuerant, Flaviniacensibus restitui curavit: ut *quibus sub monastica institutionis norma animarum emolumenta providerat, eis quoque corporum subsidia in aliquo augeret.* Hujus beneficii interventores præter Amedeum abbatem exstitit *domnus ac venerabilis Bruno pontifex Lingonicensis, faventibus Fulcone Suessionis episcopo ac comite Notcherio fratribus*, ut fusius legitur in charta hac de re scripta, quam in appendice referemus. *Actum Flaviniaco, anno* XV. *regnante Rotberto rege.*

b *Labbe to. 1. bibl. p. 792.*

XXXV. Tiernense monasterium Odiloni commissum.

Apud Arvernos vetus erat monasterium, Tiernense dictum, Salvatori, beatæ Mariæ, sanctis Petro & Paulo, sancto Symphoriano martyri & sancto Desiderato confessori sacrum, quod jam dudum omnino incultum, & a sæcularibus occupatum, tandem venit in manus cujusdam viri prænobilis & divitis, Widonis nomine, qui in habitu laïco religiose vivebat. Huic pia orta est cogitatio, ut locum illum ad monasticum statum, uti antea, revocaret, & secundum regulam sancti Benedicti componeret. Delectus ad id exsequendum Petrus abbas, *omni nobilitate conspicuus & beatæ simplicitatis filius*, ordinatusque a Begone Arvernensi episcopo, nihil prætermisit, quo minus monasterium sibi commissum in pristinum statum restitueret. Sed cum id solus præstare non valeret, Odilonis Cluniacensis abbatis

opem imploravit, probante Widone; convenitque inter eos, ut domnus Petrus abbas, quam diu viveret, locum regeret sub providentia Odilonis abbatis; & post ejus obitum Cluniacenses abbates & monachi, cum consilio Widonis, prædictum locum regerent & ordinarent eodem modo, quo Celsinianense, Silviniacense, ceteraque nobilissima monasteria non pauca, Cluniacensi subjecta monasterio, cui Wido quædam eodem tempore prædia contulit. quæ omnia *apostolico privilegio, regali præcepto, auctoritate Stephani Arvernensis ecclesiæ pontificis, & donatione carissimi senioris sui Willelmi confirmari optavit.* Hujus rei instrumento subscribunt cum Widone uxor ejus Riclendis, Stephanus episcopus, Willelmus comes, Ambrardus abbas, aliique. *Franco scripsit mense Septembri, feria sexta, regnante Rodberto rege anno* XV. Hactenus cella est Cluniacensis monasterii, ubi antiquitus quatuordecim monachi esse debebant cum abbate; anno vero M CCC XXIV. definitum est, ut viginti-quinque illic monachi essent cum abbate. ANN. CHR. 1010.

XXXVI. S. Severi res confirmatæ.

Huic anno Petrus de Marca obitum consignat Bernardi-Guillelmi Wasconiæ ducis, Guillelmi-Sancii filii, qui condito paullo ante obitum testamento monasterium sancti Severi in Capite-Wasconiæ, a patre suo constructum, resque omnes eidem loco ab eo concessas confirmavit; in his abbatiam sancti Genii in Lactoratensi civitate positam, quam, Oddato vicecomite & Arnaldo abbate consentientibus, pater ipsius sacratissimo illi loco attribuerat. Testamento subscribit Urraca comitissa, multique alii. Actum tertio nonas Aprilis, luna quarta: quæ notæ anno superiori conveniunt. Exstinctus etiam hoc anno fuit Orto Gerundensis præsul, olim sancti Cucuphatis monasterii abbas, cæsus in pugna Cordubensi, sepultusque in eodem monasterio ad portam claustri, appositio lugubri carmine, quod Baluzius [a] vulgavit.

a *Marc. Hisp. p. 412.*

XXXVII. Malliacense novum monasterium conditur.

Jam anni viginti effluxerant, ex quo apud Pictones monasterium in insula [b] Malliacensi, Vetus dictum, a Willelmo comite, cui Fera-brachia cognomen, & ab Emma ejus uxore constructum fuerat; cum Willelmus ejus filius, instinctu Emmæ parentis suæ, & Theodelini abbatis rogatu, illud transtulit in castrum ejusdem insulæ, ibique novum monasterium in honorem sanctorum Petri & Pauli magnis sumtibus ædificavit, præposito eidem loco Theodelino venerabili & erudito abbate, qui Vetus cœnobium antea rexerat. Novum monasterium multis possessionibus dux Willelmus ditavit, sanctorumque reliquiis, quas inter Hugo Cenomannensis comes sancti Rigomeri confessoris reliquias Theodelino abbati donavit, ut fuse narrat Petrus ejus loci monachus in libro secundo [c] de monasterio Malliacensi, quod opus Goderanno abbati, Theodelini successori, nuncupavit.

b *lib. 50. n 35.*

c *Labbe to. 2. bibl. p. 233.*

XXXVIII. Angeriaci caput S. Johannis inventum.

Idem auctor, relata monasterii sui in novam sedem translatione, subdit inventionem capitis sancti Johannis-Baptistæ, factam in ecclesia monasterii Angeriacensis, in qua *antiquitus absconditum ferebatur:* cui spectaculo Theodelinus abbas interfuisse memoratur, ipsumque caput populo innumero, qui eo confluxerat, ostentasse, atque ob unum dentem ab eo detractum punitus fuisse. Rem accuratius commemorat Ademarus eo tempore monachus Ecolismensis, nempe ad illustranda [d] tempora Willelmi Aquitaniæ ducis, tunc in Angeriacensi basilica, *in saxea theca instar pyramydis turrita*, inventum fuisse caput sancti Johannis ab Alduino clarissimo abbate, *quod sanctum caput dicitur esse proprium sancti Johannis-Baptistæ.* quo tempore Willelmus dux, post paschales dies Roma reversus, tanti thesauri inventione recreatus, sanctum caput populis ostendi curavit, quod *in turibulo magno argenteo reconditum erat* sub hac inscriptione, HIC REQUIESCIT CAPUT PRÆCURSORIS DOMINI. tametsi quo tempore, vel a quo istuc allatum fuerit, nullo idoneo constet argumento. Circumferri quidem scriptionem [e] nescio quam, quæ id Pippino regi tribuat, at nihil ejusmodi haberi in sinceris actis Pippini regis; & multa historiæ veritati absona in illa scriptiuncula contineri. denique caput sancti Johannis-Baptistæ a duobus monachis primo Jerosolymis inventum, & in Ciliciam deportatum; deinceps a Theodosio imperatore delatum fuisse Constantinopolim, ibique etiam tum in veneratione haberi. At, cujuscumque sit caput istud, ad ejus inventionis famam certatim concurrit Gallia omnis, Italia quoque & Hispania. Quin etiam rex Francorum Rotbertus cum regina, multisque proceribus, & Sancius rex Navarræ eo accessisse, & plurima dona contulisse perhibentur: ex quibus rex Francorum concham ex auro purissimo, libras triginta pensantem, cum pretiosis vestibus obtulit ad

d *ibid. p. 178.*

c *Inter opera Cypriani.*

ornatum ecclesiæ. Eodem etiam confluxerunt aliæ aliorum locorum ecclesiæ cum
ANN. CHR. 1010. reliquiis Sanctorum : in his Josfredus abbas & monachi sancti Martialis Lemovicensis istuc processerunt, comitante innumera promiscui vulgi multitudine, cum Giraldo episcopo, qui missarum sollemnia de nativitate sancti Johannis, cum esset
a *Traité hist. de S. Jean c. 6.* mensis October, ibidem celebravit. Cangius [a] existimat hoc caput fuisse, non sancti Johannis Baptistæ, sed sancti Johannis Edesseni martyris, quod tempore Pippini regis Aquitaniæ Angeriacum allatum sit. Guibertus libro primo de pignoribus sanctorum Angeriacensibus monachis opponit Constantinopolitanos, qui caput sancti Johannis-Baptistæ se habere tunc gloriabantur. Verum caput illud, cujuscumque fuerit, combustum est a Calvinistis, qui Angeriacense monasterium funditus subverterunt, quod a nostris jam, Deo favente, pæne instauratum est.

XXXIX. Angeriacenses abbates. Non multo post illam inventionem mortuus est Alduinus abbas Angeriacensis, quo mortuo Willelmus dux [b] Odilonem Cluniacensem abbatem accersivit, qui *in monasterio sancti Johannis regularem renovavit districtionem*, ibique Rainaldum abbatem instituit, cui paullo post defuncto Aimericum substituit. Alduino seu Ilduino abbate, monasterio Angeriaco, *ubi caput almi Johannis* requiescere dicitur, & monachis ibidem Deo servientibus, *Gelia famula Christi*, pro remedio animæ suæ, necnon domni Willelmi comitis, *per præceptum nostræ*, inquit, *regalitatis*, confert in pago Santonico alodum, qui Carbonicus dicitur, ex jure hereditario patris sui sibi provenientem. Huic instrumento, quod caret chronicis notis, apponuntur signa Geliæ, nullo addito titulo, Willelmi comitis, Kadelonis vicecomitis, Ameliæ *uxoris suæ*, Willelmi vicecomitis. Mirifice de se loquitur idem abbas Alduinus, qui ait quemdam ad suam *sublimitatem* accessisse, & postulasse beneficium monasterii seu societatem suffragiorum. In necrologio notatur XVI. kal. Aprilis *depositio domni Alduini abbatis*.
b *Labbe to. 2. bibl. p. 279.*

XL. Landulfi episcopi donatio pro parte capitis. Tempore Rainaldi ejus successoris Landulfus Taurinensis ecclesiæ antistes, comperto caput sancti Johannis *Ingeriaco opido* repertum fuisse; afflictæ ecclesiæ suæ consulturus, eo accessit, partemque sacri capitis obtinuit apud Willelmum comitem, & Islonem Santonensem episcopum, necnon & abbatem Rainaldum, qui tunc temporis loco illi præerat. Ob quod beneficium eidem monasterio ecclesiam sancti Secundi in territorio urbis Taurinatis contulit, eo pacto, ut omni tempore die noctuque missæ matutinæ, omnesque horæ ibidem pro se suisque celebrarentur.
c *Besly Comtes p. 325.* Edita est mendose hæc charta apud Besslium [c], ubi dicitur Landulfus *in Lodevi episcopatu residens*, rectius apud Baluzium [d], *in sede sui episcopatus*. Prædictam ecclesiam sancti Secundi, in fundo Quaranta sitam, Cunibertus Taurinensis antistes non
d *Miscell. to. 4. p. 445.* multo post Caburrensi monasterio contulit. Brevis fuit Rainaldi abbatis præfectura, a Sancta-Marthanis omissi, de quo in necrologio pridie kal. Junii, *anniversarium domni Rainaldi abbatis*. Prolixior fuit Aimerici ejus successoris procuratio, ut postea videbimus. Ambo, id est Rainaldus & Aimericus, eo nomine secundi fuere. nam alterum invenio Rainaldum abbatem anno XII. Lotharii regis; alterumque Aimericum Hugone rege.

XLI. Carantiniacum monasterium. Eodem fere tempore nobilis quædam femina, Actildis nomine, annuente Willelmo duce Aquitanorum, alodium suum, situm in pago Alnicnsi *, hoc est monasterium Carantiniacum, quod ipse cum Willelmo duce, forte fratre suo, construxerat, Ingeriacensi seu Angeriacensi monasterio tribuit. Litteris subscribunt Willelmus comes idemque dux Aquitanorum cum filiis suis Willelmo & Odone, necnon Gillebertus episcopus Pictavorum, & Gaufredus vicecomes, & multi alii.
* *d'Aunis.*

XLII. S. Fidis miracula scripta a Bernardo scholastico. Sub id tempus Bernardus scholasticus, scholis Andecavensibus præpositus, librum de miraculis sanctæ Fidis Conchensis seu Conchacensis composuit, eumque Fulberto Carnutensium episcopo, magistro quondam suo, nuncupavit. Editus est magna ex parte hic liber in tomo secundo [e] novæ Bibliothecæ Labbeanæ, sed absque
e *Labb. p. 531. to. 2.* nomine auctoris. Bernardum vocat Albericus in chronico ad annum D CCCC XCIV. *Ad sanctum Fulbertum episcopum Carnotensem*, inquit, *Bernardus scholasticus Andecavensis edidit libellum miraculorum sanctæ Fidis de Conchis, quæ passa est Aginno sub impio Daciano cum beato Capraſio*. Exstat in codice Carnutensi hic liber, editis auctior, sub hoc titulo : *Incipit liber miraculorum sanctæ ac beatissimæ Fidis virginis & martyris, editus a Bernardo scholastico, Andecavinæ scholæ magistro*. Hunc vero librum dicat *sanctissimo atque hominum doctissimo Fulberto Carnoteno episcopo Ber-*

nardus scholasticorum minimus. Itaque hic liber scriptus est post annum millesimum
ANN. CHR. 1010. septimum, quo Fulbertus ad sedem Carnutensem assumtus fuit. Hujus scriptionis occasionem inde natam refert hic auctor, quod, cum Carnoti in Fulberti schola verfaretur, suburbanam sanctæ Fidis ecclesiam, *vel scribendi causa vel orandi*, sæpius adiret, & multa de miraculis in cœnobio Conchacensi patrari solitis audiret, quæ nonnulli fabulis anilibus deputabant; subierit animum cogitatio, ut locum adiret, & rei veritatem coram exploraret. Verum ad scholæ Andecavinæ magisterium ab episcopo invitatus, & per triennium illic docendo immoratus, postposito tandem hoc munere, Conchas se contulit non semel : ubi de sanctæ Fidis vulgatis miraculis sollicite indagare cœpit, quæ quidem vera esse certissime deprehendit. In his testatur se vidisse hominem, cui oculi *violenta ustione* avulsi fuerant, sed meritis sanctæ Fidis omnino restituti *universa attestante provincia*. quod miraculum, veluti fundamentum ceterorum, ait se posuisse initio libri, in quo potius rerum inter se similitudinem, quam ordinem temporum servavit, referendo tantum ea, quæ ipsius tempore facta sunt, & a viris fide dignis comprobata. Hæc fusius auctor in libri sui prologo, quem in appendice integrum referre visum est. In his miraculis non semel fit mentio de peregrinantibus ad loca sancta, quos *Romeos* vocat. qualis fuit ille Witbertus Romeus, cui evulsi oculi cælitus restituti fuere. In capite V. laudatur *Arsendis, uxor Willelmi Tolosani comitis, fratris illius Poncii, qui ab Artaldo posthac privigno suo dolo interfectus fuit*. In cap. VIII. memoratur *Bertillis comitissa* : ubi sancti Marii confessoris *aurea majestas*, sancti Amantii æque confessoris & episcopi *aurea majestas*; denique sanctæ Fidis *aurea majestas*, id est statua, vocatur. In cap. XIV. laudatur *domnus Oebalius*, dominus castelli, *quod dicitur Torenna* in pago Lemovicensi, ejusque conjux *domna Beatrix, per divortium ab eodem deserta*, quæ Richardi secundi Nortmannorum ducis soror erat, ut probat auctor in fine ejusdem capitis his verbis. *Anno fere & dimidio post secundam a Conchis reversionem, accidit mihi certo negotio, domni Willelmi Pictavorum comitis adire curiam, in qua cum domnam Beatricem viderim, a Ricardo fratre suo Rotomagensium comite illuc missam, ardenter ejus colloquium aggressus, ilico recogitare cœpi super hoc miraculo*, nempe de peregrino e mariti vinculis divinitus liberato : *cujus verba, per omnia monachorum Conchacensium* verbis *concordantia, esse poterat probabile argumentum, si quis dubitaret in aliis etiam mihi ab eisdem narratis*. In cap. XXI. ad probandum miraculum de milite, intestinorum inordinatis motibus exemto, testem adducit *Rodbertum Cantoiolensis monasterii abbatem, virum reverenda canitie satis honestum*. Hæc ex editis.

Longe plura sunt in codice Carnutensi. In his ait auctor tot carceratos meritis sanctæ Fidis absolutos, *ut ferreorum compedum, quos pagensi lingua bodias vocant, immensitas occupationem in monasterio faceret. Quocirca tantam ferri massam extundi, atque in januas redigi studio fabrorum seniores decreverunt*. unde nullus fere in ecclesiam, quæ triformis est, aditus patet, qui de prædictis compedibus seu catenis januas confectas non haberet. De triformi hac ecclesia sic idem auctor. *Est deforis tectorum dimensione basilica triformis, quæ interius, propter mutuam transeundi amplitudinem, in unum corpus coit ecclesiæ... Dextrum latus sancti Petri apostoli, læva sanctæ Mariæ; medietas autem sancti Salvatoris titulo dedicata est. Verum quia eadem medietas psallendi assiduitate frequentata habetur, illuc ex proprio loco sanctæ martyris pretiosa translata sunt pignora*. In consequentibus agitur de multis miraculis sanctæ Fidis, in Arvernica processione factis, cum scilicet *imago sanctæ Fidis & capsa aurea, quam fertur donavisse Carolus Magnus*, portata fuit per Arverniam in quoddam sanctæ Fidis prædium, *quod Molendinum-Pisinum indigenæ nuncupant*, præeunte cruce cum textu evangeliorum, aqua benedicta, & corneis tubis, quæ a nobilibus peregrinis ornamenti causa in monasterio oblatæ fuerant. Huic prædio adjacet castrum Aurosa, cui *princeps quidam, Robertus vocabulo*, præerat, qui ob monachum illius prædii custodem male ab ipso habitum cælitus multatus est. Sed de his satis, superque satis. Ermengaudus Urgellensis comes testamento [a] suo, quod anno duodecimo Rotberti regis confecit, sanctæ Fidis cœnobio legat *gradales duas de argento*.
a *Marca Hisp. p. 973.*

XLIII. Monasteria marcæ Hispanicæ, &c. In eodem testamento memorantur illarum partium monasteria, quibus etiam quædam legat idem comes. Hæc sunt sancti Michaëlis de Coxano, sanctæ Mariæ

de Arulis, cui tunc Gauzbertus [a] abbas præerat; ſancti Petri de Campo-rotundo, ſancti Petri de Rodis, ſancti Petri de Cantu, ſanctæ Mariæ de Amer, ſancti Cucuphatis, cui legantur auri triginta unciæ ad faciendam tabulam ante altare; ſancti Benedicti, & ſancti Vincentii, quæ duo cœnobia ſita erant prope alveum Lubricati; ſancti Laurentii de Maruniis, ſanctæ Cæciliæ in valle Elins, ſancti Andreæ apud Sentilias, ſancti Saturnini, ſancti Andreæ apud Planezas, ſancti Vincentii de Caſtris, & ſancti Ægidii, cui dedit ſcachos ſuos ad opera eccleſiæ, & *ſancti Geralli de Orliago*, id eſt ſancti Geraldi de Auriliaco, cui legat anapos quatuor de argento. Sallæ vero, Arnulfo, Otoni & Æthio epiſcopis quædam etiam donat, ut ipſum abſolvant. Hoc teſtamentum fecit Ermengaudus comes, Cordubam adverſus Mauros profecturus anno XII. Rotberti regis, qui ſecundum noſtrum calculum convenit anno M VIII.

ANN. CHR. 1010.

[a] *ibid. p. 972.*

XLIV. Taraſia princeps fit monacha.

Commemoranda venit hoc loco Taraſia, Veremundi regis & Geloiræ reginæ filia, ſoror vero Aldefonſi Legionenſis regis, quæ a Sarraceno rege Habdalla in conjugem expetita, non prius acquievit, quam ille ſe chriſtianam fidem profeſſurum polliceretur. Hic ſe aſſentiri ſimulat, moxque ad eum regia virgo ſe duci paſſa eſt. Verum, ea promiſſionem exigente, & divinam comminante ultionem, ſi quid contra fidem datam in ipſam attentaret; ille, nulla fidei datæ ratione habita, puellæ vim intulit. quam injuriam non diu tulit impune. nam repente morbo graviſſimo correptus, ubi divinam in ſe ultionem expertus eſt, Taraſiam cum magnis muneribus ad fratrem remiſit. Hæc autem veſte mutata, vitamque profeſſa monaſticam, reliquum vitæ tempus Oveti in eccleſia ſancti Pelagii piiſſime exegit. Obiit ſub die ſeptimo kalend. Maii, feria quarta, peracta ſexta mundi ætate, ut habet ejus epitaphium a Morale & Baronio relatum.

XLV. Martianus abbas S. Euſebii.

Superius [b] actum eſt de Aptenſi ſancti Euſebii monaſterio, quod ſanctus Martianus abbas condidiſſe, primuſque rexiſſe traditur. Ortus is erat ex caſtro Sanione dioecesis Aptenſis in regno quondam Arelatenſi, cælitus obtentus a parentibus non mediocris fortunæ & pietatis, qui liberorum expertes eum a Deo precibus impetrarunt. Piiſſime educatus, vitæ ſolitariæ captus amore, inſciis parentibus clam ſeceſſit in ſolitudinem, ubi duriſſimam vitam vixit. Poſt aliquot annos de conſtruendo monaſterio cogitare cœpit, ad cujus fabricam ipſe lapides, aquam, aliaque neceſſaria comportavit. Locus Deo ſub ſancti Euſebii patrocinio conſecratus: in quo ſex tantum ab initio monachi degebant ſub regula ſancti Benedicti & regimine Martiani abbatis, qui longe duriorem illis vitam agebat, aſperrimo indutus cilicio, ſuper nudam humum cubare ſolitus, &, ut cetera omittam, precibus & vigiliis præ ceteris intentus. Dum viveret, mortuum puerum excitaſſe dicitur. Denique cum ex civitate Apta onuſtus ſarcina, quam ad victum fratrum geſtabat, reverteretur; viribus defectus, in via exſpiravit. Orta inter Aptenſes & monachos de ejus corpore controverſia, epiſcopus ſuperveniens litem diremit, illicque in baſilica ſanctorum Auſpicii & Caſtoris ejuſdem urbis quondam epiſcoporum & martyrum humari curavit, quod etiam nunc in cathedrali Aptenſi eccleſia religioſe aſſervatur. Ibidem ſancti Martiani abbatis feſtum colitur VIII. kalendis Septembris, & in ſuburbano ſancti Euſebii monaſterio, quod etiam nunc exſiſtit. Martiano in ejus loci præfectura ſucceſſiſſe fertur Durandus, poſtmodum epiſcopus Vencienſis.

[b] *lib. 52. n. 61.*

XLVI. S. Solutoris & Caburri monaſteria.

Florebat tunc temporis Landulfus Taurinenſis antiſtes, ſucceſſor Geſonis epiſcopi, ejus qui abbatiam ſancti Solutoris apud Auguſtam Taurinorum exſtruxit. Eamdem, jam ſuo tempore penitus dirutam, inſtauraſſe dicitur Landulfus Gezonis ſucceſſor, mox [c] laudatus, cui monaſterii quoque Caburrenſis conditio [d] tribuenda eſt. Mons eſt in Taurinenſi provincia, Padum inter & Pelicem medius, a vicinis montibus ſejunctus, in cujus excelſo vertice arx inexpugnabilis cernitur, & ad ejus radices Caburrum haud ignobile opidum, ubi Landulfus epiſcopus monaſterium in honorem beatiſſimæ virginis Mariæ exſtruxit, dotavitque, & Johanni *ſummæ induſtriæ & ſanctitatis viro* procurandum commiſit: quod Wido Landulfi ſucceſſor litteris ſuis confirmavit.

[c] *num. 40.*

[d] *Chronol. Pedem. p. 213.*

XLVII. Bodonis monaſterii fortuna.

Varias temporum & fortunæ vices, ut pleraque alia, ſuſtinuit Bodonis-monaſterium, ſæculo ſeptimo a Bodone Tullenſi epiſcopo, qui alio nomine Leudinus dictus eſt, in Voſago conditum pro virginibus Deo ſacris, quibus Teutbergam filiam ſuam, quam ex legitimo connubio ante epiſcopatum habuerat, præpoſuit. Hoc monaſterium

rium Bodo Tullenſi eccleſiæ ſubjectum eſſe voluit: at illud ei ſubtraxit rex Lotharius, filius Lotharii imperatoris, infenſus Arnulfo epiſcopo, quod inſanis ipſius amoribus non faveret. Hac de injuria eccleſiæ ſuæ illata conqueſti ſunt Arnulfus, ejuſque ſucceſſores Arnaldus & Ludelmus, ſed incaſſum: dum Drogo hujus demum abbatiæ reſtitutionem a Carolo rege, cognomento Simplice, obtinuit, eo pacto, ut feſtiva canonicis & monachis refectio ipſo die, quo Carolus regni ſolium adeptus fuerat, ſcilicet v. kalend. Februarii, quotannis præberetur. qui dies poſt ejus obitum in anniverſarium ejus depoſitionis diem converteretur. Hæc diſcimus ex Caroli regis præcepto, cujus chronicæ notæ, nonnihil vitiatæ, coincidunt in annum DCCCC XII. Jam eo tempore monaſterium illud valde labefactatum erat, & forte ſanctimonialibus deſtitutum: dum Bertholdus epiſcopus ipſum reſtruxit, ut in ejus actis legitur in hæc verba: *In ſaltu Voſago reſtruxit Bodonis-monaſterium, necnon ſancti Deodati cœnobium.* Idem *cœnobium quoque in honore Salvatoris in ſaltu Voſago conſtruxit, quod diverſis eccleſiaſticis ornamentis decentiſſime locupletavit, & ſtipem ex his, quæ acquiſierat, ad viginti monachorum cœtum inibi delegavit.* Idem teſtatur Richerius in chronico [a] Senonienſi, idque hoc anno milleſimo decimo facto dicit, quo anno Bertholdus monaſterium ſancti Salvatoris, *in clivo montis prope Bodonis-monaſterium*, a fundamentis ædificaſſe dicitur, & monachos ibidem inſtituiſſe, & ex proprio dotaſſe patrimonio, in primis villa cum hominibus de Domno-Apro *. At Johannes de Bayone in hiſtoria Mediani-monaſterii ait, cœnobium illud monialium per Bertholdum epiſcopum tranſlatum fuiſſe in clivum montis, eoque deleto, monaſterium Salvatoris ab ipſo erectum fuiſſe pro monachis noſtri Ordinis: quibus demum canonici regulares ſucceſſerint. Veri ſimile eſt, Bodonis-monaſterium a Bertholdo inſtauratum fuiſſe, ſed poſtmodum unitum Salvatoris monaſterio ab eodem exſtructo. Hactenus loco Bodonis-monaſterio * vocabulum hæret: Salvatoris autem cœnobium tranſlatum eſt ad vicum Domni-Apri, haud procul ab Albo-monte *, cujus dominus Salvatoris monaſterii conſervatorem fuiſſe ex Richerio diſcimus.

ANN. CHR. 1010.

Salvatoris monaſterium.

[a] *Chron. Senon. lib. 2. c. 16.*

* *Dom-Evre.*

* *Bonmoutier.*

* *Blamont.*

XLVIII. Ansfridus epiſcopus Trajecti obit.

Hunc annum ſupremum fuiſſe Ansfridi ſeu Aufridi Trajecti ad Rhenum epiſcopi auctor eſt Lambertus Scafnaburgenſis cum chronographo Saxonico, qui librum de ejus vita legerat, ejuſque obitum refert in hunc modum. Reſidebat in ſuburbano ſanctæ Mariæ monaſterio ab ſe conſtructo Ansfridus oculis orbatus, cum in letalem morbum incidit, qui a natali Domini uſque ad inventionem ſanctæ Crucis ipſum vexavit, ac demum confecit. Imminente exitu, viſa cruce, quæ poſt caligationem ejus oculorum in feneſtra depicta fuerat, brevi ſe viſurum lumen indeficiens intellexit. Accepto viatico, ſanctæ Dei-genitricis interceſſione, cui ſe ſuaque dederat, multum confiſus, facto ſigno crucis, exſpiravit. Ejus corpus Trajectenſes vi abſtulerunt, repugnante licet Benedicta abbatiſſa ejus filia, quæ patrem eo loci quieſcere volebat, ubi deceſſerat. Sacris faſtis ejus memoria conſignatur v. nonas Maii.

XLIX. Johannes quoque abbas Caſinenſis.

In eumdem annum incidit mors Johannis Caſinenſis abbatis, eo nomine tertii, cum duodecim annos & aliquot menſes ſacro iſti loco præfuiſſet, non ſine patientia rerum adverſarum. Nam dum variis ad ornatum eccleſiæ & ad tutelam monaſterii operibus conficiendis vacaret, ingens terræ motus per quindecim amplius dies ſacrum montem exagitavit, & eccleſiam aliquot in locis labefactavit anno regiminis ejus nono. Huic incommodo alia graviora acceſſerunt, tum ex vicinorum comitum infeſtationibus, qui eum Capuam ſecedere compulerunt, tum ex perſecutione propriorum filiorum, qui in abſentis locum alium abbatem intruſerunt, ut ei ſpem reditus omnem præcluderent. Sed eos fefellit opinio. nam ſeptimo poſt illam intruſionem menſe, rebus pacatis, ad monaſterium revertit, ſuæque dignitati reſtitutus eſt, quam ſenio confectus ſimul cum vita tandem exuit xv. kal. Aprilis, ſepultus juxta eccleſiam ſancti Benedicti. Ejus tempore quædam monaſteria juris Caſinenſis condita memorantur. unum in territorio Carſeolano, cujus auctor Rainaldus Marſorum comes, qui in caſtro ſancti Angeli monaſterium Cellæ dictum exſtruxit. Alterum ſub ſancti Benedicti patrocinio juxta portam Sueſſæ urbis in Campania Felice, quod Johanni monacho Caſinati ſuam debet originem. Tertium exſtruxit Tranſmundus clericus dives ac nobilis de Aprutio juxta fluvium Trutinum *, loco Sumuſiano, ubi antea ſancti Nicolai eccleſia erat.

* *Tronto.*

ANN. CHR. 1010. L. Athenulfus ejus succeſſor.

Mortuo Johanne, ejus nepos Johannes alter, cognomento Rotundulus, quem ille ſibi adhuc vivens ſubſtituerat, aliquamdiu abbatiam occupavit, non ferentibus monachis, qui Athenulfum, Pandulfi Beneventani ducis filium, expetierunt, virum quanto nobiliorem, tanto magis humilem & humanum. Hic puer a patre obſes Ottoni auguſto traditus, in Germaniam abductus, in quoddam monaſterium retruditur. Poſt aliquantum temporis e monaſterio clam ſe proripuit, ſumta monaſtica veſte, ut ſecurius in patriam rediret. At medio in itinere cum in gravem morbum incidiſſet, quam ſimulate induerat, ſponte deinceps ſe geſtaturum Deo promiſit. Quare in patriam redux, patris nec blanditiis, nec adhortamentis retineri potuit, quo minus in Beneventanum ſancti Modeſti cœnobium ſe reciperet. Inde ad Caſinatis monaſterii regimen expetitus, ſub initia felici aura potitus eſt, multaque ſuis aut reſtitui curavit, aut de novo acquiſivit. at fauſtis illis initiis finis non reſpondit. nam apud Heinricum imperatorem proditionis inſimulatus, dum fuga ſaluti conſulere tentaret, in mari naufragium paſſus interiit præfecturæ anno XII. Ejus tempore Jeroſolymis a quibuſdam monachis Caſinum allata eſt VI. idus Decembris particula quædam lintei, quo Chriſtus Dominus diſcipulorum pedes exterſit. ſed cum de ejus veritate a pluribus dubitaretur, injecta in ignem particula, cum nihil detrimenti paſſa eſſet, omnis dubitatio ſublata eſt.

LI. Rupertus epiſcopus & Meginfridus monachus defuncti.

His ſubjungendi ſunt Rupertus epiſcopus ex monacho Wiſemburgenſi, & Meginfridus monachus & ſcholaſticus cœnobii Fuldenſis, qui hoc anno, uti & ille, obiiſſe traditur, & quidem XVII. kalend. Julii, vir omni ſcripturarum genere eruditus: cujus ingenium, eruditionem, & ſcripta Trithemius [a] ſuo more multis elogiis prædicat. Præcipuum ejus opus eſt chronicon monaſterii Fuldenſis, necdum editum, ſed a Trithemio paſſim laudatum, brevem omnium ejus loci abbatum continens hiſtoriam, aliorumque abbatum, qui ex eodem monaſterio prodierunt. Poſt Meginfridum Richardus monachus ſcholam Fuldenſem rexit, vir doctus & prudentiæ ſingularis, qui, Erkembaldo abbate ad pontificatum Moguntinæ eccleſiæ provecto, in ejus locum abbas ſubſtitutus eſt.

a *Trithem. Hirſaug. pag.* 128. & 153.

Corbeiæ-novæ abbates.

Eodem quoque anno, cum monaſterium Corbeiæ-novæ igne cæleſti conflagraſſet; inde recedens Hoſetus abbas cum Ruthardo capellano ſuo, lento morbo ex mœrore animi contabeſcens occubuit nonis Decembris. Poſt ejus obitum ſedes abbatialis ad biennium vacavit; demumque electus eſt Wala, ſub quo rigor diſciplinæ aliquantulum remiſſior, illius abjiciendi occaſionem præbuit Meinwerco Patherbrunnenſi epiſcopo, qui Rethario anno ſuperiori M IX. ſucceſſerat, de Ordine noſtro alias meritus quam optime, ut in conſequentibus videbimus.

LII. B. Mariæ Superius monaſterium Ratiſponæ renovatur.

Actum eſt in ſuperioribus [b] de Ratiſponenſi monaſterio ſanctæ Mariæ, quod Superius vocant: ubi regularem diſciplinam a ſancto Wolfgango epiſcopo reſtitutam diximus. Idem monaſterium a fundamentis inſtauravit rex Heinricus, illudque jam perfectum [c] & abſolutum hoc anno in præſentia ſua XV. kal. Maii conſecrari fecit, conceſſa eidem parthenoni quadam ſui juris curte, nomine *Salach*, in comitatu Ruperti comitis, ad uſum & ſtipendia ſanctimonialium inibi Deo famulantium, quibus Wilpurga abbatiſſa tunc præerat. quod Heinricus quartus poſtmodum confirmavit. De hoc monaſterio, uti & de Inferiori, rara & fere nulla in poſterum futura mentio eſt. Utrumque Fridericus II. imperator Ratiſponenſi eccleſiæ ſubjecit, eo pacto, ut [d] vacantibus abbatiis prædictorum monaſteriorum, electæ ipſarum temporalia & alia omnia jura, quæ ab imperio requiſierant, deinceps requirant ab eccleſia Ratiſponenſi. Ad extremum ambo hæc monaſteria denuo ad ſtatum canonicarum ſæcularium deflexerunt.

b *lib.* 48. *n.* 9.
c *Hund. to.* 3. *p.* 2.
d *ibid. p.* 5.

ANN. CHR. 1011. LIII. Bernardi ducis & Willigiſi archiepiſcopi obitus.

Anno inſequenti undecimo poſt milleſimum Heinricus rex Germaniæ, natali Domini Francofurti celebrato, in capite jejunii Corbeiam venit, ubi Bernardus pius dux obiit v. idus Februarii, ſepultus in Lunæburgenſi ſancti Michaëlis monaſterio, quod ipſe a fundamentis exſtruxerat. Ejus filius æquivocus in ducatu ſucceſſit: cujus frater Thietmarus comes in duello coram Heinrico tum imperatore poſtmodum interfectus eſt.

Erkenbaldus Willigiſi ſucceſſor.

Eodem anno deceſſit Willigiſus archiepiſcopus Moguntinus, cujus in locum Erkenbaldus Fuldenſis abbas ſubſtituitur, vir, *cui nihil deerat catholicæ fidei*: quem Bernwardus Hildensheimenſis præſul kalendis Aprilis conſecravit, ut in actis ipſius

ſancti Bernwardi legitur, cum quo Erkenwaldus perpetuam concordiam tenuiſſe memoratur, longe aliter quam ejus anteceſſores, qui cum Hildensheimenſibus epiſcopis, occaſione Gandersheimenſis parthenonis, multas lites habuerant, quas Aribo ejus ſucceſſor renovavit. Monaſterium ſanctæ Mariæ in Campis extra muros Moguntiæ condidiſſe dicitur, quod nunc ſanctæ Crucis templum vocatur. Fuldenſem abbatiam poſt eum Brantho, teſtante Lamberto, obtinuit ad breve tempus, poſt biennium exauctoratus ab Heinrico imperatore ob laxiorem diſciplinam. Eodem anno Mathildis abbatiſſa obiit, filia Liudolfi filii Ottonis Magni imperatoris. ANN. CHR. 1011.

LIV. Diploma pro Tegernſenſibus.

Archicapellani, adeoque archicancellarii officium, ut ejus anteceſſores, geſſit Erkenwaldus ſeu Erkanbaldus archiepiſcopus. Unum e primis diplomatibus, quod ejus nomine inſignitum eſt, occurrit Heinrici regis præceptum, quo quamdam permutationem fecit cum Tegernſenſi monaſterio, cui totum territorium, *Strenberg* nuncupatum in inferiori ſitum Auſtria, ceſſit interventu dilecti ſui Gotthardi ſeu Godehardi abbatis Altahenſis, qui Tegernſenſis quoque monaſterii providentiam gerebat. *Data* XIV. *kal. Julii, indict.* IX. *anno dominicæ incarnat.* M XI. *anno vero domni Heinrici ſecundi regnantis* X. *Actum Radesburc.* quod diploma Guntherius cancellarius vice Erkanbaldi archicapellani recognovit. Sub Godehardo abbate [a] Peringerius abbas Tegernſenſe monaſterium regebat, uti diſcimus ex ſerie totius hiſtoriæ, *quo modo parochia ſancti Quirini, totumque Strenberg ad monaſterium Tegernſee devenerit*, nempe ex obitu famoſi cujuſdam artificis, nomine Perengerii, ſervi ejuſdem monaſterii: quo mortuo ad monaſterium devolvi debebant hæc prædia, quæ ille ex munificentia Ottonis tertii in Turingia & Francia orientali adeptus fuerat.

a *V. lib* 52. *n.* 72. & 73.

Herifordenſium reformatio.

Mira ſub id tempus morum converſio in melius facta eſt in Herifordenſi Saxoniæ parthenone, ubi regularis diſciplina in deterius prolapſa erat. Ejus converſionis auctor beatiſſima virgo Deipara, quæ Godaſti abbatiſſæ per mendicum quemdam ſub interminatione ſignificavit, mores & ſanctimoniales emendare curaret, ſi divinam offenſam, iramque vellent effugere; ſibique ædem exſtrueret. quod ſtatim, probata nuntii fide, exſecutioni demandatum. Meinwercus Patherbrunnenſis antiſtes hanc ædem poſt ſex annos conſecravit. Hæc fuſius annales Paderbornenſes.

LV. Arnulfus abbas Carnutenſis.

In Gallia apud Carnutas non ſerius hoc anno deceſſit Magenardus ſancti Petri abbas, cujus obitus III. kalend. Aprilis notatur. Huic ſucceſſit Arnulfus ædituus, qui a puero illic monachus, ita mores compoſuit, ut in defuncti locum ſubrogari meruerit, & a Fulberto antiſtite ordinari. Gratus & acceptus fuit Odoni comiti, in primis autem Richardo ſecundo Nortmannorum comiti, cujus *confeſſor* exſtitiſſe memoratur. Ejus gratia Richardus monaſterio ſancti Petri eccleſiam ſanctorum Gervaſii & Protaſii, non longe a mœnibus urbis Rotomagi ſitam, contulit cum decima piſcium, qui in Sequana a coquis principis ſeu piſcatoribus prehendebantur. Verum, cum monachi, colligendæ iſti decimæ præpoſiti, eam in uſus proprios converterent, nec quidquam in monaſterium conferrent; ex eo loco a comite poſtea expulſi ſunt. Eidem abbati etiam ſe valde munificum exhibuit Rodbertus archiepiſcopus Rotomagenſis, quorum beneficiorum memor Arnulfus ſtatuit, ut pro ejus « anima unus pauper poſt lotos pedes quotidie reficeretur, opportunis diebus pſalmus « *Exaudiat* pro eo *in conventu plenario* cantaretur, & per ſingulas hebdomadas miſſa « ſpecialiter celebraretur *cum plenario conventu*; idque *in aureo textu ſancti evangelii* « ad inviolabile poſteris teſtimonium ſcribi mandavit. Inter hæc regularem diſciplinam in monaſterio conſtanter retinebat Arnulfus abbas: quæ res nonnullis eum ita exoſum reddidit, ut poſt mortem Fulberti epiſcopi a Theoderico ejus ſucceſſore exauctoratus fuerit.

LVI. Abbates Miciacenſes & Salmurenſes.

Exceſſit etiam e vivis hoc anno Rotbertus abbas Salmurenſis & Miciacenſis, cum Miciaci reſideret. Cum in extremis eſſet, dubitantibus fratribus an exſpiraſſet, Boſo præpoſitus dixiſſe fertur, ut pili de pollice ejus pedis evellerentur. Si motum ederet, ſignum eſſe eum necdum animam exhalaſſe. quo facto, ille ad ſe reverſus (nam in ecſtaſi poſitus erat) queſtus eſt, quod ipſum, cum ſancto Maximino abbate, aliiſque ejuſdem loci patribus ſanctis colloquentem, interturbaſſent. Moxque, poſtquam fratres Deo commendaſſet, animam egit VI. idus Auguſti, ſepultus in clauſtro, *juxta arcellum capituli*, ut legitur in chronico Salmurenſis monaſterii, ubi voces canentium, eo moriente, auditæ feruntur. Succeſſores ejus fuere in Mi-

ANN. CHR. 1011.

ciacensi monasterio Albertus abbas, in Salmurensi Adhebertus, Cainonis castro pagi Turonici oriundus, qui tempore Amalberti abbatis monasticis regulis apprime institutus fuerat. Huic post biennium Gerardus abbas successit.

LVII. Albertus abbas Miciacensis.

Albertus abbas, Rotberti abbatis in Miciacensi præfectura successor, ortus e nobilissima gente Belismensi, conjugatus fuerat ante monachatum, quem in Gemeticensi monasterio professus erat, & ex legitimo conjugio Arnulfum, postea Turonum archiepiscopum, susceperat. Monasticam ejus apud Gemeticum professionem probant ipsiusmet [a] litteræ, quibus testatur, se alodum Domnæ-Mariæ *in pago Bellemensi*, quem ex materna hereditate habebat, *sancto Petro in Gemetico monasterio*, ubi habitum monasticum susceperat, dedisse pro remedio animæ suæ, filiique sui Arnulfi Turonensis archiepiscopi, quam donationem, cum Miciaci abbas esset, ratam habuit. Mater ejus Hildegardis, vicecomitissa Castriduni, monasterio sancti Petri Carnutensi contulit alodum Belli-montis, *assentiente filio* suo *Hugone archiepiscopo Turonorum*, qui Alberti abbatis frater erat, patruusque Arnulfi sui successoris. Litteris hujus donationis subscribunt Hugo ipse archipræsul, Gaufridus nepos ejus, Helgodius filius archiepiscopi, aliique. Albertus Miciaci factus abbas epistolam scripsit ad Johannem papam, quem rogat, ut donationem a quadam matrona, Regina nomine, Miciacensibus factam, sua auctoritate confirmare dignetur. Epistola hæc referenda est ad Miciacensis cœnobii commendationem. sic autem habet.

a *Analect. to. 3. p. 441.*

Epistola ejus ad papam.

Domino sancto & venerabili papæ Johanni Albertus abbas abbatiæ sancti protomartyris Stephani & Christi confessoris Maximini, & omnis congregatio monachorum ejusdem loci, videlicet Miciacensis, salutem in Christo. Novimus te, pater reverende, constitutum in terris vicarium universalis ecclesiæ vice beati Petri apostoli, ut sustentes eos, qui injuste opprimuntur, & opprimas eos auctoritate beati Petri, qui se nimium erigunt. Quapropter ad tuam confugimus reverentiam per hanc epistolam, ut subvenias nobis, & facias quod precamur. Locus, in quo habitamus, dicitur Miciacus, quem sanctissimi viri, scilicet beatus Eusticius & nepos ejus venerabilis Maximinus, regio nomine Chlodovei primi christiani Francorum regis fundaverunt, & alii quam plurimi deinde proprio beneficio construxerunt. Et idem præfatus locus in tantum floruit olim in spirituali & temporali bono, ut centum quadraginta monachi ibidem congregati Deo assidue famularentur; in tantum postmodum dissipatus pervasione malorum, ut nullus vivere potuerit monachus. Gratia autem Christi juvante, paullatim nunc, quasi quidam redivivus æger a longa agritudine convalescens, ita idem locus a vilitate suæ dejectionis resurgere aggreditur per eleemosynas bonorum virorum ac mulierum: ex quibus hæc bona mulier est; domna Regina nomine, quæ multa prædicto loco pro salute suæ & pro remedio animarum, videlicet sui mariti & filiorum suorum jam defunctorum, Deo & sanctis ibidem veneratis obtulit. Timet autem, ne post obitum suum aliquis suorum vel extrancorum conetur aliquid auferre ex his omnibus, quæ dedit Deo: & ob hoc suggerimus vestræ sanctitati, ut duos tomos, quos in vestro nomine scripsimus, quorum unum proprietatem largiti beneficii hujus feminæ venerabilis continet, alter autem totius summam substantiæ nostri cœnobii, corroboretis vestra auctoritate cum sigillatione sigilli vestri nominis: & nos assidue pro vobis vivo & mortuo Deum deprecabimur. Dignum est enim, venerande pater, ut prædecessorum vestrorum morem sequamini, & monasteriis novos indiculorum biblos corroboretis, quibus ipsæ congregationes ab omni strepitu quietæ Deo servire possint, maxime sub epitimio excommunicationis. Vestrum apostolatum Deus custodiat in æterna pace. Vale in Christo, beate pater.

An hæc epistola scripta sit ad Johannem XVII. seu XIX. an ad Johannem XX. an vero pontifex Alberti abbatis precibus annuerit, nobis manet incompertum. Quamquam veri similius est priori Johanni scriptam fuisse hanc epistolam, ubi primum Albertus iniit præfecturam Miciacensem.

LVIII. Alberti donationes Gemetico, & S. Audoëno.

Hic est Albertus vir illustris, qui *quasdam res sui beneficii sancto Petro Gimegiensi concessit pro redemtione animæ suæ, & patrui sui illius loci abbatis, nomine Annæ, & patris sui Alberti, & patrui sui Azenerii *, & matris suæ Hildeburgis, & uxoris suæ & sobolis feminini generis:* quæ res sitæ *erant in pago Pincesiaco *, in loco, qui dicitur ad sanctum-Martinum*, vulgo Boafra * nuncupatus. Hanc autem donationem, Alberto petente, confirmavit Rotbertus rex, qui eum *fidelem* suum vocat, suaque manu Hugo comes, appositio signo crucis, corroboravit. Anna abbas Gemeti-

* *V. lib. 44. n. 55.*
* *de Poissy.*
* *Bonaste.*

ANN. CHR. 1011.

censis, de quo hic mentio, non alius est quam Anno, abbas primum Gemeticensis, tum Miciacensis, de quo in superioribus [a] egimus. Quia vero hic locus Mellenti castro vicinus erat, idem Albertus [b] Walerannum comitem adiit, datoque mulo magni pretii flagitavit, ut nullum illi loco damnum inferret. quod ille quidem aliquamdiu exsecutus est. at Roberto duce ejus terras infestante, prædictum locum vi cepit, ut suo loco dicturi sumus. Gemetico tunc præerat Rotbertus abbas, cujus mentio fit in charta de conditu cellæ Longæ-villæ ad Sequanam prope Vernonem anno sequenti.

a *lib. 44 n. 55. & lib. 47. n. 96.*
b *Neustria pia p. 319. & seq.*

Erat Richardo duci uterinus frater, Rodulfus comes Ebroïcensis, cujus donatio sancti Audoeni Rotomagensi monasterio facta legitur, his fere concepta verbis. Rodulfus comes peccator Ebrocasini consulatus, cum conjuge sua Albereda, ad locum sancti Petri & sancti Audoëni, situm contra orientalem plagam in suburbio urbis Rodomensis, tempore Hildeberti abbatis, res proprietatis suæ, sitas in fundo Bretuelli, confert. Post decessum vero conjugis suæ & Hildeberti abbatis, alias res donavit tempore Henrici abbatis, scilicet villam in comitatu Rodomensi, vocabulo *Almaneir*, cum ecclesia, ceteriisque ad eam pertinentibus, aliamque villam, dictam ad-sanctum-Martinum itidem cum ecclesia; & in Ebrocasensi comitatu super fluvium Auduræ * duo molendina cum piscatura in loco, qui Cocherellus * vocatur, & in Bretevilla prope Fiscannum omnes decimas totius villæ. Dudo capellanus Richardi Nortmannorum ducis & marchionis hanc chartam composuit, & scripsit. *Actum est hoc Rodomo civitate, anno ab incarnatione* M. & XI. *indictione* IX. *feria* VII. *luna* XIV. XVII. *kal. Octobris, regnante Rotberto rege Francorum, & procurante Nortmanniam Richardo secundo, & in sede Rotomagense archipræsule Rotberto.* Henrico abbati sancti Audoëni post annos circiter viginti duos successit Herefastus, de quo nihil observatione dignum dicendum occurrit; Herefasto Nicolaus, filius ducis Richardi, eo nomine tertii.

* *l'Eure.*
* *Cocherel.*

LIX. S. Victoris ecclesia datur S. Theotfredo.

Hoc ipso anno M XI. Lambertus Valentinensis præsul, suburbanam sancti Victoris ecclesiam incultam & pæne desertam miseratus, eam reparandam commisit Guigoni abbati Calmiliacensis apud Vellavos monasterii seu sancti Theotfredi: cui ecclesiæ reparandæ silvam, quæ vocatur Castanetus, aliaque contulit. Plura in eodem pago, Guigone abbate, sancto Theotfredo collata. In his Arimandus quidam cum Gerino filio suo dedit quidquid in villa Brasco possidebat; idque similiter fecit Pontius quidam cum uxore sua Crispina. sed hæc minutiora. Hujus loci possessiones confirmavit rex Conradus, Rodulfi successor, cujus anno vicesimo Achideus episcopus quædam donavit ecclesiæ sanctorum Theotfredi, Eudonis & Petronis, sitæ in pago Diensi, in loco, qui dicitur ad-Pontum, Waldone tunc Calmiliacensi abbate.

LX. Stablonensis cella.

Hoc ipso anno Wigo & Hildebertus quidam cum uxoribus suis Stablonensem ecclesiam conferunt Archinrico abbati Montis-majoris, ejusque successoribus & monachis Cariloci degentibus, ad construendum ibidem monasterium. Posita erat hæc ecclesia in diœcesi Senecensi, uti colligitur ex litteris Petri Senecensis episcopi, qui Montis-majoris monasterio & monachis Stablonis cœnobii ecclesiam sancti Theotfredi de castro Nonanta, & ecclesiam sancti Andreæ de Auransi cum sponsalitiis, decimis, oblationibus, aliisque ad-ipsam pertinentibus tradit. De Archinrico abbate jam actum superius.

LXI. Sergii papæ bullæ pro variis monasteriis.

Decesserat hoc anno Guarinus abbas ille famosissimus monasterii Coxanensis, aliorumque monasteriorum veluti rector generalis: cujus successor Oliba Rivipullensis & Coxanensis abbas a Sergio papa obtinuit mense [c] Decembri confirmationem omnium bonorum & privilegiorum, quæ antea illis monasteriis concessa fuerant. Hic Oliba seu Oliva filius erat Olibæ comitis Bisuldunensis, is qui ad conversionem illuc venit sub Seniofredo abbate, factus demum episcopus Ausonensis. Eodem mense idem Sergius præsidio apostolicæ auctoritatis munivit cœnobium, quod Bernardus Bisuldunensis comes ædificare cœperat in comitatu Fenolietensi, eo scilicet in loco, ubi ecclesia in honorem sancti Petri apostoli jam exstabat. Ad hæc idem pontifex ipso mense Decembri Guifredo comiti Ceritaniæ privilegium indulsit pro monasterio Canigonensi, cujus possessiones & facultas eligendi abbatis confirmantur. Consimile item privilegium Gauzberto abbati monasterii Arulensis concessum. Denique eodem mense, id est undecima die Decembris, anno Sergii papæ tertio, Romæ coram Johanne patricio & Crescentio urbis præ-

c *Marca Hisp. p. 978. & seqq.*

ANN. CHR. 1011.

fecto lis ventilata fuit inter *Guidonem venerabilem presbyterum & monachum atque coangelicum abbatem* monasterii Farfensis, & Gregorium quemdam de una domo, ante portam sancti Andreæ, posita in regione nona in Scorticlari juxta thermas Alexandrinas, infra claustra monasterii sanctæ Mariæ. Vocatus ad placitum Gregorius per tres continuos dies, accedere noluit. Perstitere in reclamatione sua monachi prædicti monasterii, *scilicet Hugo presbyter & monachus, quondam abbas*, & Johannes presbyter & monachus, olim præpositus, aliique. Sententia judicum ad quindecim dies dilata: nec tamen Gregorius ad placitum se stitit, etsi ad tres iterum dies exspectatus fuisset. quare domus illa Farfensibus adjudicata. Prædictus abbas denuo præfecturam post tres annos recepit.

LXII. Onience monasterium duplex.

In Navarra Sancius comes cum conjuge Urraca *domum* [a] *sanctæ conversationis* seu monasterium constructit ad honorem sancti Salvatoris, sanctæ Mariæ virginis, sanctique Michaëlis archangeli; & aliorum innumerabilium sanctorum, quorum reliquiæ illic continebantur. Situm est in loco Onia dicto super ripam fluminis Vesicæ; ubi filiam suam, Tigridiam nomine, abbatissam constituit *ad regendos Dei cultores seu omnes Deo devotas*, id est monachos & sanctimoniales: *ut ex Dei famulis, famulabusque ejus sit cura, quantum ad curationem detinet animarum: ut spiritualiter arguantur, doceantur, & de spirituali studio suaviter repleantur.* Ex quibus intelligitur, Onience hoc monasterium duplex fuisse, curamque tam virorum, quam sanctimonialium, penes abbatissam fuisse. Tum Sancius & Urraca eidem loco tradunt *animas* suas *simul cum corporibus*; jubentque in hac charta exarari donationes ei factas, *tam monasteriorum, quam villarum*: quæ omnia fuse in illa charta recensentur. *Facta carta confirmationis* æra M XLIX. quæ huic anno respondet. Subscribunt Blascus, Petrus, & Sancius episcopi, aliique. Non multo post Cluniacenses monachi a Sancio majore inducti sunt in illud monasterium, in quo Tigridiæ abbatissæ corpus magno in honore habetur.

a *Yep. to. 5. script. 30.*

ANN. CHR. 1012. LXIII. Sergii papæ extrema facta & successor.

QUam diu superstes fuerit Sergius pontifex, nonnulla est difficultas. In ipsius epitaphio, quod Baronius refert, obiisse dicitur anno Christi millesimo decimo-tertio. Cum vero ejus obitus contigerit tertia-decima die mensis Maii, Baronius censet hoc in epitaphio computatum fuisse annum decimum-tertium ab incarnatione dominica, id est a vicesima-quinta die Martii, qui a nativitate sit annus tantum duodecimus. quo anno Marianus Scotus, Hermannus & Sigebertus collocant initium pontificatus Benedicti octavi, ex Portuensi episcopo ad Romanam sedem assumti post mortem Sergii papæ. At idem Baronius, prolatis quibusdam tum Sergii, tum Benedicti diplomatibus, quæ Sergium anno insequenti decessisse probare videntur, rem in medio relinquit. Quapropter operæ pretium est varia utriusque pontificis diplomata huc conferre, ut hæc difficultas amplius elucescat.

LXIV. S. Vincentii ad Vulturnum monasteria & abbates.

Sergius mense Februario anni millesimi duodecimi amplissimum privilegium [b] tribuit Hilario venerabili abbati monasterii sancti Vincentii ad Vulturnum; qui exeunte anno superiori successerat Maraldo, cujus obitus XI. kal. Decembris consignatur. Hoc diplomate pontifex confirmat omnes ejus loci possessiones, & ecclesias, in quibus recensentur monasteria beati Petri apostoli ad fluvium Sabbati in territorio Beneventano, sanctæ Mariæ apud Locum-sanum, Salvatoris in Alise, sanctæ Mariæ loco Apinianici in territorio Marsicano, sancti Mauri in comitatu Atinensi, sanctæ Mariæ apud Mosenum in territorio Pinnensi; denique sanctæ Mariæ ad Duas-basilicas, cum cellis sanctæ Mariæ juxta fluvium Trinium, & sancti Sosii in Liburia. Ad hæc eidem monasterio concedit pontifex facultatem invitandi quemlibet episcopum ad ecclesias consecrandas, benedicendos abbates, & ministros sacros ordinandos. Data V. kal. Martii, anno tertio Sergii papæ, indictione X. Post Leonem sancti Vincentii abbatem, quem anno DCCC XCI. sedisse [c] diximus, non satis exploratus est index ejus loci abbatum. Falsum est Maïonem post annos viginti successisse Maïoni patruo, & anno DCCCC I. obiisse. Id enim revincitur ex tempore Leonis prædicti, quem anno DCCC XCI. monasterio præfuisse Widonis imperatoris diploma probat. Godelpertus, Maïonis junioris ad annos octodecim successor, inchoasse traditur novam ecclesiam, quam Raimbaldus ejus successor absolvit. Huic anno DCCCC XLIV. suffectus Leo, ejus nominis secundus:

b *Ital. sac. to. 6. p. 488.*

c *lib. 39. n. 64.*

quem subsecuti sunt Paulus, Johannes, Roffridus & Maraldus antecessor Hilarii, cui Sergius prædictum diploma indulsit. Roffridus Ottonis tertii coronationi [a] interfuisse traditur apud Chesnium, ubi non Roffridi, sed Maraldi obitus pridie kal. Decembris anno M XI. ponitur. Hilarius Maraldi successor monasterium ad triginta-tres annos rexisse, & miraculis claruisse dicitur.

ANN. CHR. 1012.

a *Chesnei to 3. p. 699.*

LXV. Farfensium lis.

Non multo post prædictum privilegium Romæ coram Crescentio urbis præfecto, aliisque judicibus renovata fuit contentio, anno superiori jam agitata inter Guidonem abbatem Farfensem & quemdam Gregorium filium Ursi presbyteri de quadam domo, sita Romæ ad pedes graduum ecclesiæ sanctæ Mariæ, quæ Farfensibus demum adjudicata est. Id actum anno pontificatus domini nostri Sergii IV. papæ tertio, indictione X. mense Martio die XXVII. quæ notæ anno M XII. conveniunt.

LXVI. Bellilocensis monasterii dedicatio.

Eodem anno M XII. Sergii papæ tertio, indictione X. die quarta-decima mensis Aprilis, habitus est [b] Romæ conventus, agente Hugone Turonensi archiepiscopo, qui conquerebatur, quod Bellilocensis apud Loccas monasterii consecratio ipsi auferretur. Hugonis causam egit Benedictus episcopus, eique consecrationem monasterii *secundum statuta canonum & Justinianæ legis* servandam esse dixit. Contra Petrus episcopus respondit in hæc verba. *Certe monasterium ipsum, quod Fulco ædificavit, sua propria hereditas fuit, & beati apostoli Petri ecclesiæ & nostri senioris potestati & dominio monasterium & consecrationem perpetualiter pro suæ obtulit animæ* remedio: *qualiter perdere a suo dominio debeat, ostendite, & nobis innotescite. Unum scio tantum, quia cujus est hereditas, ipsius & consecratio.* His auditis, Hugo archiepiscopus acquievisse dicitur, & monasterii consecrationem, tradita virgula, quam de manu Gregorii Silvæ-candidæ episcopi acceperat, rufutasse: ad quam consecrationem peragendam, Petrus Vipernensis ecclesiæ episcopus a Sergio papa in Galliam missus est. Confer ea, quæ superius [c] de hoc monasterio, ejusque primordiis diximus; & quæ inferius referemus ex litteris Willelmi abbatis Divionensis de Fructuariensis monasterii libertate, quæ ex libertate ipsius fundi asseritur.

b *Gall. chr. to. 1. p. 756.*

c *lib. 52. n. 104.*

LXVII. Benedicti papæ litteræ pro S. Benigno.

Post mensem Maïum hujus anni nulla nobis occurrit certa memoria Sergii papæ, sed deinceps se se offert Benedictus VIII. ejus successor ex Portuensi episcopo, contra quem intrusus est factione quorumdam Romanorum Gregorius, qui Benedictum ad Heinricum Germaniæ regem fugere compulit. Exstant apud Perardum [d] quatuor ipsius Benedicti litteræ pro Divionensi sancti Benigni monasterio, quarum duæ priores datæ sunt *pridie kal. Decembris indictione* X. ac proinde hoc anno; tertia ipsis kalendis Decembris, eademque indictione; quarta absque ullis chronicis notis. Priores duæ inscriptæ sunt Brunoni Lingonum præsuli, cui Willelmum abbatem, ejusque monasterium commendat. *Et quoniam novimus te*, inquit, *quod successores tuos timemus non agere, proposito religionis favere monasticæ, & eumdem locum ate constrúi & amari; ideo prohibemus, prænominato abbate suppliciter exorante, a te vel a tuis successoribus divinum ibidem officium interdici, quod etiam beati Gregorii auctoritate confirmamus.* Eadem repetit in tertia epistola, *dilecto in Christo Jesu filio Willelmo abbati monasterii Divionensis* inscripta, uti & quarta, qua ipsi compatitur ob vexationes, quas ab exteris patiebatur; gratulaturque pro longanimitate patientiæ, quam huc usque ecclesiæ suæ adversariis exhibuerat. tum addit. *Ceterum hactenus sufficiat patientiam hanc ita exhibuisse, ut * impune ad nihilum redigantur penitus res ecclesiæ, & præ penuria inopiæ labefactetur ordo religionis monasticæ, qui inibi sub te dinoscitur prepollere. Habes tecum filium nostrum Benignum episcopum, gratias Deo effectum monachum, quem ammonemus honeste & religiose conversari, professionem obedientiæ moribus & opere adtendere, in qua vocatione vocatus est in ipsa permanere. Deinde illi jubemus cum omni imperio, ut inimicos martyris Benigni insequatur omni justitiæ zelo, ac cum divina auctoritate feriat eos anathemate. Tibi etiam præcipimus, ne obsistas ei in hoc: sed ut illi auctoritatem pervasores tuos feriendi concedimus, jubemus, & imperamus: ita tibi per veram obedientiam mandamus, ne impedias eum, ne eum prohibeas, quin ipsos malefactores divini verbi gladio coerceat.* Et infra: *Damus etiam illi potestatem ordinandi, quidquid juste postulatus fuerit in sancta ecclesia ordinare, verum tamen te jubente.* Huc spectat quod Silvester secundus [e] improbat ordinationes, a quodam episcopo facto Cluniaci monacho celebratas, etiam cum permissu episcoporum & abbatis: sed hanc potestatem Benedictus papa Be-

d *Perard p. 172. & seqq.*

* *f.* ne.

Benignus episcopus ibi monachus.

e *lib. 51. n. 104.*

nigno episcopo restituit. De hoc Benigno episcopo agit chronographus [a] Benignianus, scribitque ipsum ex urbe Roma Divionem ad Willelmum abbatem accessisse, eique per aliquot annos subjectum & obedientem fuisse. Quæ hactenus retulimus ad probandum tempus initi a Benedicto VIII. pontificatus, amplius eluescent ex dicendis anno sequenti, ubi id ipsum ex monumentis Farfensibus, aliisque confirmabitur.

ANN. CHR. 1012.

[a] *Spicil. to.* I. *p.* 442.

LXVIII. Rotbertus abbas Gemeticensis.

Post Rodericum Annonis successorem, a nobis superius [b] laudatum, Gemeticensi monasterio præfuit Rotbertus abbas, cujus præfecturam hoc anno collocat vetus notitia Gemeticensis tabularii, in qua de Longæ-villæ acquisitione agitur. In illa quippe notitia legitur, quemdam virum præpotentem ac patrem-familias, Aspasium nomine, alodum suum in villa Tortoniaco contulisse sancto Petro in cœnobio Gemeticensi, videlicet tertiam partem ipsius villæ cum tota ecclesia & flumine in eamdem villam decurrente: cujus loci incolæ plura alia adjecerint. Post multos deinde annos, Willelmum nobilissimum comitem Rotomagensis civitatis uxoris suæ Leyardæ in dotem tradidisse Longam-villam, cujus tertia pars data sit Emmæ eorum filiæ, quæ eam Burgulienſi monasterio, ab ipsa condito, postea donavit. Demum *temporibus Rotberti humillimi abbatis Gemeticensis sacri cœnobii, & venerabilis abbatis Berni seu Bernonis Burgulienſis almi cœnobii*, inter eos convenit, ut ipsam terram Longæ-villæ Gemeticensibus conferrent, quæ villa est agri Vernonensis ad fluvium Sequanam. Huic donationi assenserunt *Richardus comes inclitus*, cujus voluntate, *filiique* ejus *Richardi principis magni* hæc donatio facta est; tum *filius ejus Richardus, & nobilissima mater Richardi comitis Gunnor, quæ tribuit pro redemptione animæ suæ triginta libras nummorum; & uxor comitis Richardi Judith*; ad hæc *Rotbertus archiepiscopus sanctæ ecclesiæ Rotomagensis, & Willelmus & Malgerus fratres Richardi comitis*; *Wuillelmus Pictavorum comes, & uxor Prisca; Gislebertus episcopus* Pictavensis, *Rodulfus vicecomes, & uxor ejus.... & mater ejus Heldiardis, & Gosfredus frater ejus*; *ex monachis Rotbertus abbas, Albertus monachus*, forte is ipse, quem ex-monacho Gemeticensi factum Miciaci abbatem superius [c] dicebamus, qui necdum tunc abbas; item Bernardus, Odo & Gislebertus monachi Gemeticenses: e Burgulio *Berno abbas*, *Tedelinus abbas*, haud dubie Malliacensis, aliis Theodelinus; tum Warnerus, Rotbertus, Helgoth, & Lambertus monachi, aliique sacerdotes & laïci. *Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini* I.* XII. *indictione* X. *epacta* XXV. *concurrentes* II. *Bissextus etiam eodem fuit anno, regnante Rotberto Francorum rege glorioſissimo.* Hinc patet, quod superius [d] observatum, Gauzberto abbati seniori Bernonem in Burgulienſi præfectura successisse: cujus successores haud ita explorati, Julianus, Rainaldus, Teudo, Johannes & Raimundus, quem excepit Baldricus, de quo nos suo loco.

[b] *lib.* 44. *n.* 55.

[c] *num.* 57.

* id est *millesimo.*

[d] *lib.* 52. *n.* 102.

Burgulienſes abbates.

LXIX. Burchardus comes obit monachus.

Pervenit ad hunc annum Burchardus, nobiliſſimus comes Parisiensis & Corboilenſis, in Fossatense monasterium perquam munificus, ut probant ea, quæ de eo superius retulimus. Cum sub finem vitæ in gravem languorem incidisset, ad prædictum monasterium se contulit, allatis secum pretiosissimis donariis, ibique monastico habitu indui voluit. Mox tantisper convalescere cœpit, tumque *servitium sanctæ ecclesiæ, quod more cœnobitarum a sæculo conversi Deo exhibere debent*, sedulo peregit. Quale fuerit hoc ecclesiæ servitium, explicat Odo monachus, nempe candelabra in divinis officiis gestare, aliaque id genus ecclesiæ ministeria exercere. Unde fratribus percontantibus, eccur vir nobiliſſimus, ac senio jam confectus, humilibus ejusmodi officiis se manciparet, ille respondebat: Si, cum miles essem in „ sæculo, mortali regi cereum præferre non abnui; quanto magis nunc immortali „ Imperatori candelabra ardentia anteferre debeam? Denique non multo post, in languorem denuo relapsus, octogenario major, animam Deo reddidit IV. kal. Martii, sepultusque est *in domo, ubi fratres ad matutinum & serotinum conveniebant capitulum*, id est ubi Regulam post primam, & collationes ante completorium legebant, quod nos Capitulum vocamus. Ibidem humata fuit Elisabeth ejus uxor, mortua XV. kal. Februarii, quæ primum Haimoni Corboilenſi comiti nupta fuerat. Plura de utroque legere licet in libro, quem Odo monachus anno M LVIII. scripsit de vita Burchardi comitis, cujus mentio inferius recurret, ubi de Vindocinensis monasterii origine acturi sumus. Inter alia donaria, quæ Burchardus ad Fossatense monasterium in fine contulisse dicitur, Odo commemorat vas unum, quod *manipulum*, inquit, *vocamus, eo quod manu geritur: in quo etiam litteræ habentur, quæ*

quæ Abagari regis ad sanguinem minuendum illud fuisse testantur.

ANN. CHR. 1012.

LXX. S. Martini cœnobium Lemovicis, ejusque abbates.

Antiquum est sancti Martini cœnobium apud Lemovicas, *Ad-basilicam* dictum, teste Gaufrido Vosiensi, quod ab *Alicio*, sancti Eligii fratre conditum ferunt, ubi ipse sanctus Eligius viginti monachos posuisse, & parentes ejus humati fuisse dicuntur. Cum temporum & bellorum injuria pæne destructum esset hoc monasterium, instauratum est ab Alduino seu Heldoino Lemovicensi episcopo, Gotofredi abbatis sancti Martialis & Widonis vicecomitis fratre, qui illud privilegiis apostolicis & regiis muniri curavit. Id ab eo factum aiunt pœnitentiæ causa, quod monachos Ageduno * extrusisset. Primus instaurati monasterii abbas fuit Radulfus, accersitus e Tutelensi; secundus Berengarius, tertius Donadeus, & ipse monachus Tutelensis, Herveo sancti Martini thesaurario familiaris, quo favente sancti Martini brachium subripuisse, & in suum monasterium asportasse fertur. Iterum eversum fuit monasterium medio sæculo duodecimo, sed denuo restitutum: quod demum patribus Fulienſibus cessit. Hujus loci chronicon primus scripsit Petrus *Coral* abbas, electus anno M CC XLVII. quod duo anonymi postea continuarunt. Temporum seriem non bene observat Petrus, ubi de Donadeo abbate agit, quem anno M LXXIV. electum dicit, & tamen familiarem fuisse Herveo sancti Martini thesaurario, quem anno M XXII. decessisse constat.

* *Abum.*

LXXI. S. Theotfredo ecclesia S. Laurentii subjicitur.

Eodem religionis instinctu Umbertus, Gratianopolitanæ ecclesiæ præsul, ecclesiam beati Laurentii, suæ sedi subjectam, instaurare, & in pristinum religionis statum restituere cupiens, consentiente Rodulfo rege cum Ermengarda regina & Brochardo Lugdunensi archiepiscopo, necnon matre sua Fredeburge, suoque nepote Malleno, atque Humberto & Wigone, qui in contextu ejus nepotes, in subscriptionibus *fratres* dicuntur, accitis domno Widone abbate & Johanne monacho sancti Theotfredi, locum illum eis commisit. quod Wido gratanter accepit, eo pacto, ut locus ille perpetuo in potestate sui monasterii permaneret. Assensit Umbertus, „ modo ut quotidie exceptis diebus festis, psalmus *Deus misereatur* pro se, suisque „ successoribus & propinquis flexis genibus decantaretur; & vigilia cum missa, pro „ temporis opportunitate, celebraretur. *Facta est carta hujusmodi anno ab incarnatione Domini* M XII. *feria* V. *luna* XXV. *indictione* X. Wido abbas in hac charta laudatus, idem est atque Guido [a] seu Wigo, eo nomine secundus, qui post annum millesimum successit Wigoni seniori abbati & episcopo Glandevensi. Guigo secundus ante præfecturam apocrisiarii officium gessisse dicitur, & abbas non ignobiliter locum rexisse. Hujus successor Willelmus, parum utilis, ante obitum inde recessit sub annum M XXXVI. In ejus locum suffectus Willelmus alter ex castro Soleuniaco, Odilonis abbatis Cluniacensis ex sorore nepos, placidus moribus: qui cum diu monasterio præfuisset, languore ac senio confectus, relaxationi morum occasionem præbuit. Ejus tempore, id est anno M XLII. Umbertus comes ejusque filii Amedeus & Oddo, Calmilienſi monasterio & prædictæ cellæ sancti Laurentii conferunt ecclesiam sanctæ Mariæ ad-Scalas * cum suis appendicibus in episcopatu Gratianopolitano, qui locus olim in-Lavastone appellabatur, situs in via quæ fert Camberiacum. Post hunc Willelmum electus a fratribus Guigo tertius jam senex, cum ferendo regiminis oneri & corrigendis erratis imparem se sentiret, præfecturam abdicavit. Hanc ægre in se susceptit circiter annum M LXXIV. Guillelmus tertius, qui veteres morum ac morum ruinas resarcivit. Prædictæ cellæ sancti Laurentii suberat ecclesia Visilienſis, quam postea eidem subtractam restituit Hugo episcopus Gratianopolitanus, interventu Ugonis Dienſis episcopi atque *sanctæ Romanæ apostolicæ sedis vicarii* seu legati.

S. Theotfredi abbates.

[a] *V. lib.* 51. *n.* 86.

* *les Echelles.*

LXXII. Condomi instituti monachi.

Mortuo ante biennium Bernardo-Guillelmo Wasconiæ duce, ejus consobrinus Hugo episcopus Aginnensis ac Basatensis, atque abbas Condomensis, hanc ecclesiam, quæ antea sæcularium clericorum fuerat, in monasterium Ordinis nostri monachorum convertit. Illius ecclesiæ originem vetus chronographus [b] tribuit Algasio duci, cujus epitaphium refert, & Agneti ipsius uxori; ejusque instaurationem Garsiæ principi, cognomento Curvo: quo ex tempore locus ille a clericis occupatus fuerat. Wasconiæ principatum adeptus Guillelmus-Sancii, consortem honoris & dignitatis fecit germanum suum Gumbaldum comitem, postmodum episcopum, cujus filius exstitit Hugo episcopus mox laudatus, qui Condomense monasterium, incendio tunc consumtum, restruxit. Perfectis ædificiis, Romam profectus est ad Benedictum papam, ejus nominis

[b] *Spicil. to.* 13. *p.* 432.

ANN. CHR. 1012.

octavum, qui, quod ille duos simul episcopatus tenuisset, id piaculi ipsi injunxit, ut, dimisso Basatensi episcopatu, amotis vitæ solutioris clericis monachos instituti nostri in Condomensi ecclesia substitueret. Exstant ejusdem Hugonis episcopi [a] literæ, in quibus id factum legitur *anno dominicæ incarnationis* M XI. *glorioso Henrico Romanam urbem imperante, Rotberto autem Franciam regente, sedi vero apostolicæ summæ sanctitatis viro Benedicto præsidente, apud provinciam Wasconiam Sancione illustri viro ducatum obtinente.* ubi reponendus incarnationis annus millesimus duodecimus, » quo Benedictus sedere cœpit. Dotando autem monasterio Hugo omnem hereditatis » suæ portionem, quam in pago Leumaniæ *libere & absolute* possidebat, Domino » Deo, principique apostolorum Petro, sedique Romanæ in conspectu plurimorum » dedit, id est ecclesiam sancti Petri & locum ipsum Condomi cum suis adjunctis. *Et ut hoc donum apud Deum semper esset in memoria, placuit mihi*, inquit, *seu duci Sancioni, vel aliis principibus terræ, clericos sæculariter & absque regulari disciplina ibi degentes, penitus amovere, & monachos Deo jugiter servientes, & sub regulari jugo militantes, in illorum loco secundum instituta vel monita sancti Benedicti ibi ordinare, & hoc jussu & apostolica auctoritate firmare.* tum de primo abbate hæc subdit. *Ad hoc omnium commune votum idonee perficiendum, quemdam nostrum filiolum, nomine Petrum, divinitus nobis collatum, virum omni virtute probatum, apostolica auctoritate, ut præesset ceteris, in loco patris constituimus, abbatemque secundum instituta patrum benediximus.* Ne vero, ut in locis & abbatiis factum viderat Hugo, per simoniam abbas a posteris suis, vel quibusvis aliis illius regionis potentibus viris eo intruderetur; omnimodam prædicto loco immunitatem & libertatem impertit, & monachis integram facultatem eligendi abbatis. *Hæc descriptio acta est* IV. *kalend. Augusti, Hugone episcopo, & Sancione jubente, Domino autem sine fine regnante.* Idem chronographus recenset varias donationes eidem loco factas, maxime ab iis, qui vel filios suos Deo illic offerebant, quales plurimi principum virorum filii memorantur; vel qui ad conversionem ipsi illuc accedebant. Abbates, qui huic loco ante erectam sedem episcopalem sæculo XI. præfuere, hi [b] sunt: Hugo episcopus Aginnensis, Petrus de Sentas-puellas, Guillelmus de Puerletian, Seguinus de Calsada, Durandus de Sentaler, Oddo de Casa-nova, Bergomus de Lana, Ainerius de Caninont, Raimundus d'Albuhon. De aliis agemus sæculo insequenti.

[a] *ibid. p.* 440.

Abbates ejus loci.

[b] *ibid. p.* 511.

LXXIII. Gerardus episcopus Cameracensis ordinatur.

Erluino Cameracensi episcopo vita functo tertio nonas Februarii, hanc sedem Lotharienses non pauci ambiebant: at rex Heinricus, ceteris rejectis, Gerardo capellano suo, Arnulfi Florinensis & Ermentrudis filio, qui Remis in Gerberti schola sub Adalberonis archiepiscopi disciplina eruditus fuerat, eam tribuit. Hunc itaque *episcopali* [c] *munere infulatum*, postridie purificationis, atque adeo post annum integrum ab Erluini obitu, rex eum ad urbem Cameracum deducendum commisit Richardo Virdunensi & Bertaldo Indensi abbatibus, necnon Herimanno comiti: quibus Balduinus Flandriæ comes, eo nomine quartus, obviam factus, ejus in urbem processionis pompam non mediocriter auxit. Receptis clericorum & laïcorum sibi subditorum sacramentis, Gerardus Noviomagum * ad Heinricum revertit. Ordinatus coram eo presbyter a rege obtinuit, ut a metropolitano suo Remorum archiepiscopo (is tum Arnulfus erat) ordinaretur. Annuit rex, tametsi eum Bavenbergæ consecrari cupiebat, eique discedenti *largitus est librum, consecrationes clericorum & ordinationem episcopi continentem*, ut ex ejus ritu consecraretur, non more *Karlensium* seu Francorum, quorum *inregularem & indisciplinatum morem* immerito vocat Baldericus, qui hæc refert. Hujus generis forte erat codex ille, quem Fulbertus [d] a » patria sua attulerat, in quo præscriptum erat, ut promotus ad sacerdotium de manu » episcopi hostiam acciperet, ex qua particulam usque ad quadragesimum ab ordina» tione diem usu quotidiano consumeret.

[c] *Balderic. lib. 3. c. 1.*

* *Nimegue.*

[d] *Fulbert. epist. 2.*

LXXIV. Florinense monasterium.

Gerardus porro, Arnulfo patre suo mortuo, apud Florinas monasterium [e] sancti Gengulfi, quod pater imperfectum reliquerat, pro clericis absolvit: aliud vero monachorum in honorem sancti Johannis-Baptistæ ipse condidit, dotavitque ex propriis, atque Richardi abbatis mox laudati regimini subjecit, qui vice sua Benedictum [f] huic loco præposuit. Porro hæc abbatia, Heinrici imperatoris *auctoritate formata, cœpit florere*, inquit Baldericus, *ac postea magis magisque, tam affluentia rerum, quam sanctitate monachorum efflоruit.* Benedicto abbati Wericus successisse dicitur, forte ille ipse Wenricus, cui Heinricus cellam [g] sancti Ghisleni, mortuo Simone abbate, commendavit. Gonzo Werici successor religione ac doctrina floruisse dicitur pontificatu Leonis IX. in quo ait pontifex sibi ob ejus religionem complacuisse. Arnulfus archiepiscopus, ad preces Gerardi episcopi, reliquias sanctorum martyrum Mauri & Timothei concessit Florinensi monasterio, quod hodie quoque perstat & floresci.

[e] *Balderic. lib. 3. c. 18.*

[f] *Flores Leod. p.* 561.

[g] *Balderic. lib. 3. c. 20.*

ANN. CHR. 1012.

Hoc ipso anno kalendas Junii decessit in Gemblacensi monasterio Erluinus abbas Junior, Erluini Cameracensis episcopi nepos, sub cujus regimine, quod annis viginti-tres tenuit, regularis disciplina molliri cœpit, & tepescere sanctæ conversationis fervor. Sepultus est in ecclesia sancti Petri juxta decessorem suum Heriwardum. Suffectus in ejus locum a Baldrico Leodicensi episcopo Olbertus [a] Laubiensis monachus, Burchardi Wormatiensis antistitis, ut superius vidimus, antea præceptor, repugnantibus principio monachis, qui, se inconsultis, abbatem sibi præfici ægre admodum ferebant. Sed, iis tandem virorum prudentium consilio emollitis, novus abbas XI. kal. Octobris ordinatus est, magno illius monasterii commodo & ornamento. Hic ab inita cura pastorali, abbatis nomen factis implere cum primis studuit: & quia exterius ingruebat rei familiaris tenuitas, interius magna irreligiositas inerat; utrique medicam manum cito apponere curavit. Primo quidem indisciplinatos mores correcturus monachorum, pravas eorum vias, quibus illicite vagabundi passim aberrabant, spinis regularis disciplinæ sæpire cœpit, & ad vias rectas eos reducere: nec prius destitit, quam paleas vitiorum ex area dominica prorsus excussit. Tum suos, sancta religione jam satis imbutos, ad studia litterarum applicuit: ut ex scripturæ sacræ & sanctorum patrum lectione in pio proposito confirmarentur. Ubi vero interioris religionis ac regularis disciplinæ recaluit fervor, mox exterius ex bono rerum proventu res familiaris abundavit. quod cum ita succedere videret pius abbas, de instaurandis monasterii officinis, quæ minus habiles erant, serio cogitavit: atque a domo Dei incipiens, anno præfecturæ suæ primo novæ ecclesiæ fundamenta jecit: cui circumpositi fideles, maxime Baldricus episcopus, suppetias conferre gestiebant.

LXXV. Olbertus abbas Gemblacenses reformat.

[a] *Spicil. to. 6. p.* 521.

Eodem anno contigit obitus Odberti Sithiensis abbatis post annos regiminis duodecim: cui successit Hemfridus abbas triceſimus-quintus. Hujus præfectura nulla re insignis fuit, nisi quod ab Heinrico imperatore obtinuit confirmationem eorum bonorum, quæ Sithienses in Alemannia possidebant. Annis regiminis novem exactis, locum fecit Roderico, de quo inferius acturi sumus.

Sithienses abbates.

Per id tempus, cum gravis dissensio in Lotharienſi provincia inter Heinricum regem, ejusque uxoris fratres grassaretur; Mettensi urbe a rege obsessa, Helvidis, Brunonis superius [b] laudati genitrix, ad Medianum-monasterium, tamquam ad firmum præsidium, confugit, ibique aliquamdiu morata est, dum illius belli tempestas remitteret. Hæc Johannes de Bayone, qui illius monasterii historiam sæculo quarto-decimo composuit. Tunc decennis erat Bruno, educatus sub disciplina Bertholdi Tullensis episcopi, & quidem in sancti Stephani cathedrali ecclesia, ut Wibertus in ejus vita non obscure videtur significare, qui nullam de Brunonis monachatu disertam mentionem facit. Id tamen aperte innuere videtur, cum de Brunone jam electo Tullensi episcopo id scribit, quod gaudebat se ad humilem episcopatum invitari, *non immemor* SUI PRIORIS PROPOSITI, *quo malebat jugiter omni humilitate & extremitate contentus Christo famulari*, quam cum vitio ad majora sublimari. Hic enim *prioris sui propositi* verbis designari videtur ordo sancti Benedicti, in cujus regulæ capite VII. ubi de humilitatis gradibus agitur, monacho præcipit sanctus Benedictus, *ut omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus.* ad quæ verba Wibertus hoc loco manifeste alludit. Accedit quod idem Bruno in charta de instauratione [c] monasterii sancti Apri, *in quo*, inquit, *ante episcopatum* NOSTRAM SOCIETATEM COLLOCAVI, *in episcopatu autem positus quibus potui ampliavi.* quod ne de societate tantum precationum intelligendum videatur, eam jam episcopus se obtinuisse dicit. Accedit quod Bruno ipse in libello de ipsius obitu, ab auctore æquali composito, quem Ughellus ex antiquissimo, ut ipse ait, codice Beneventanæ bibliothecæ, Langobardicis litteris exarato, emisit in lucem, hæc de se morti proximus dixisse traditur: *Cellam, quam monachus incolui, in spatiosissima palatia jam dudum vidi conversam: modo ad hujus sarcophagi angustias iterum est remeandum.* Scimus hæc verba, aliaque nonnulla abesse in editione Bollandiana, quæ ex variis

LXXVI. Brunonis mater se recipit ad Medianum-monasterium.

[b] *lib. 52. n. 31.*

Brunonis monachatus.

[c] *Diplom. p.* 583.

ANN. CHR. 1012.

centonibus consarcinavit anonymus. at verba hæc retinere pergemus, ac Brunonem ordini nostro cum Trithemio, aliisque e nostris vindicare, dum hæc in Beneventano codice antiquissimo addita fuisse probatum fuerit, quod nemo, ut speramus, facile probaturus est. Certe in multis actis Sanctorum nostrorum, nulla de eorum monastica professione mentio facta est, quos tamen monachos fuisse aliunde constat. Forte Bruno, dum Tulli versaretur, quo tempore sancti Benedicti ope e gravi morbo convaluit, monasticen amplexus est in suburbano sancti Apri monasterio, cui favorabilem admodum se præstitit, & pro eo murum se ipse opposuit, teste Wiberto, adversus adulatorum linguas, qui ejus loci monachos apud Herimannum episcopum, Bertholdi successorem, infamare moliebantur. In actis [a] sanctæ Bellendis virginis invenio, monachum quemdam *cœnobii sancti Stephani* Tullensis reliquias sacræ illius virginis e Merbecco monasterio in Tinensem solitudinem attuliſſe. quod non de alia quam de cathedrali ecclesia intelligendum videtur, ubi proinde aliquando monachi, saltem canonicis permisti, exstiterint. Certe Gerardus episcopus monachos græcos & Scottos illic admisit, ut superius [b] vidimus.

[a] *lib. 19. n. 4.*

[b] *lib. 50. n. 102.*

LXXVII. Adelheidis Coloniæ fit abbatissa.

Sub id tempus Bertrada, Colonienſis parthenonis beatæ Mariæ in Capitolio antistita, ex hac vita migravit: cui Adelheidem ejus sororem, quæ Vilikenſi monasterio præerat, Heribertus archipræsul subrogare constituit. At cum illa repugnaret, re ad Heinricum regem Aquisgrani tunc commorantem delata, jubenti parere coacta est. In nova hæc præfectura suarum Vilikensium curam nullo modo abjecit, nec valuit tantæ urbis nitor earum memoriam in ejus pectore vel tantillum minuere. Si quando ad eas revertebatur, omnes ad se eximia sua caritate trahebat, eisque vel absens omnia providebat. Denique sic curam ac providentiam suam inter utrumque monasterium partiebatur, ut uni tantum præesse videretur. Forte accidit, ut, cum celleraria e dolio vinum produceret, a matre per nuntium festinato accerseretur. quæ moram in obediendo nescius, duciculum secum tulit. Id cum animadvertisset, matri culpam confessa est, de vini effusione admodum mæsta. at mater eam bono animo esse jussit, ambæque ad locum profectæ, ne guttam quidem vini e doliolo effluxisse compererunt. quod mater filiæ obedienti, filia matri præcipienti certatim tribuebat.

LXXVIII. S. Udalrici monasterium, ejusque primi abbates.

Celeberrimum sancti Udalrici & sanctæ Afræ monasterium, apud Augustam-Vindelicorum, quo haud scio an ullum in tota Germania elegantius, a monachis hoc tempore inhabitari cœpit. Prima ejus basilicæ origo antiquissima, & fere ab eo tempore, quo sancta Afra martyrium passa est, id est a principatu Diocletiani. Sacrum ejus corpus pia mater Hilaria in suburbano sepulcro condidit, & super illud ædiculam vilibus ex lignis exstruxit, quæ fidelium subinde pietate aucta, prima illius urbis episcoporum sedes, & commune fere aliorum etiam fidelium conditorium fuit. Quinquies ut minimum passa incendium, toties majori sumtu denuo exædificata & amplificata est. Præcipui ejus rei auctores fuere Augustenses episcopi, in primis Wicterpus & Simpertus; tum Tosso, Nitkarius, & Adelbero, basilicam instaurarunt vivi, mortui sepultura sua honorarunt. Omnes tamen munificentia vicit Udalricus sanctissimus præsul, qui eamdem ecclesiam primo sui pontificatus anno, dein post Hungaricam vastationem iterum reparavit, ac demum ibidem conditus nomen suum eidem post obitum indidit. Ad id tempus locum incoluerant sæculares clerici: quibus a recto tramite prolapsis, Bruno Heinrici regis frater, ab anno M VIII. episcopus, instituti nostri monachos substituit, eisque Reginbaldum præfecit abbatem, cujus pietas & caritas in egenos maxime prædicatur, post triennium postulatus ad Eberspergensem, tum ad Laurishamensem præfecturam, ac demum ad Spirensem episcopatum. Post Reginbaldum Dego & Gotiscenus locum rexerunt: quibus successit Frideboldus, inferius memorandus.

LXXIX. Bonifacii archiepiscopi martyrium.

Sub idem tempus Bonifacius archiepiscopus, beati Romualdi quondam discipulus, quem in Prussiam prædicandi evangelii causa missum fuisse [c] diximus, martyrium passus est. Cum ad illius gentis regem perveniſſet, rex eum squalidis vestibus indutum, ac nudis pedibus incedentem videns, id non religionis, sed pecuniæ conquirendæ causa ab eo fieri opinatus est, pollicitus, si ab illa, uti putabat, vanitate recederet, se ejus inopiæ largissime subventurum. at Bonifacius domum reversus, ut se ab omni cupiditate alienum probaret, pontificalibus ornamentis quam pretiosissimis induitur, sicque ad palatium profectus, regi se sistit. Verum cum nec sic ejus

[c] *lib. 51. n. 123.*

ANN. CHR. 1012.

prædicationi fidem haberet princeps, duas lignorum cataſtas, parvo intervallo sejunctas, erigi jubet, igneque accenso, Bonifacium per medium transire: si læsus vel tantillum esset, in ignem projiciendus: si illæsus, omnes ei absque dubio credituros. Conditione accepta, Bonifacius, ut erat sacris vestibus indutus, postquam aqua sanctificata & thure ignem undique perlustrasset, stridentes flammarum globos ingressus, ita illæsus exivit, ut nec minimus capitis ejus pilus aduſtus videretur. Tunc rex & omnes, qui ad hoc spectaculum convenerant, ad ejus pedes provoluti, baptismum certatim deposcunt: quos ille in spatioso quodam lacu omnes baptizavit. Quin etiam rex a Bonifacio numquam divelli cupiens, regnum abdicare, illudque filio resignare decrevit. quod ubi regis frater intellexit, in Bonifacium ira succensus, eum comprehendit, &, ne e suis manibus eriperetur, capite plecti jussit. at ille statim oculis captus est, tantusque circumstantes stupor oppressit, ut loquendi & audiendi impotes, veluti rigidi lapides, immobiles remanserint. His compertis, rex consternatus ad unum omnes morti destinat: at, conspecta cælesti de illis vindicta, in hanc demum sententiam descendit, ut pro eis preces in commune fierent, si divina eis misericordia forte subveniret: &, si quidem sanati Christo crederent, indulto crimine vivere sinerentur; sin vero credere nollent, omnes ultrici gladio interirent. Factum est, oratum est. sanati ad unum omnes, tum conversi, mox sacro fonte lustrati; sicque veniam obtinuerunt, & super corpus beatissimi martyris ecclesiam construxerunt.

LXXX. Romualdi varia monasteria.

Interim varia in Italia sui ordinis monasteria erigebat Romualdus, in quibus duo in Istria fuere, scilicet apud Bifurcum * & Parentium *: ubi aliquamdiu habitavit. Parentii tanta ei lacrymarum vis cælitus concessa est, ut in publico missam celebrare non auderet. Ibidem libellum de pugna dæmonum scripsisse traditur. Inde Bifurcum a Polæ episcopo, instinctu fratrum, revocatus, cum Parentinus antistes omnem enavigandi modum præclusisset, conscensa mercatoria navi, immanem tempestatem precibus sedavit. Bifurcum reversus, lustratis omnium fratrum cellis, in nulla earum, quod *superstitione quadam ambitiosæ videbantur*, hospitari voluit, nisi in illa tantum, in qua Petrus venerabilis ejus discipulus habitabat, vir mirandæ abstinentiæ, & humilitatis singularis, qui cellulam sibi, ad sancti Hilarionis exemplum, vix quatuor cubitis ampliorem fieri permisit. Ubi vero nec abbatem illic sibi præferri, nec ad Romualdi arbitrium flecti se passi sunt ejus loci fratres, iis relictis vir Dei, *sterilitatis impatiens*, ad Camertes divertit: ubi cellulis exstructis, in loco scilicet, qui Vallis-de-castro antiquitus vocabatur, ampliſſimam messem invenit. Cœpere namque homines ad pœnitentiam hinc inde illuc confluere, & sua pauperibus erogare: alii sæculum omnino relinquere, & ad sanctæ conversationis ordinem ferventi animo convolare. Uni fere viri Dei prædicationi restitere simoniaci clerici & episcopi. *Est enim venenata illa hæresis*, inquit Petrus, *præsertim in episcopali ordine, tam dura & ad convertendum rigida; semper promittens, semper de die in diem procrastinans: ut facilius possit Judæus ad fidem converti, quam hæreticus* ejusmodi *plene ad pœnitentiam provocari.* Postremo, dimissis in Valle-de-castro nonnullis discipulis, ad regionem Urbis-veteris * se contulit, ibique in possessione Farulfi comitis monasterium erexit: ubi multos a sæculo abstraxit, etiam nobiles, e quibus unus fuit Guidonis comitis filius, qui in adolescentia moriens, dæmones vidisse dicitur, propterea quod aliquot *scopas* sibi a priore impositas *nondum accepisset.* Denique tantus in sanctissimi viri pectore ardor erat ad convertendos homines, ut totum mundum in eremum convertere, omnesque monastico ordini sociare velle videretur.

* *Bifolco.* * *Paranzo.* * *Orviete.*

LXXXI. Hungariam adire non finitur.

Inter ea, accepto nuntio de martyrio Bonifacii discipuli sui, & ipse martyrii desiderio in Hungariam proficisci constituit. Hinc, facultate ab apostolica sede acceptа, & duobus discipulis in archiepiscopos consecratis, cum viginti-quatuor fratribus iter arripuit. Duo illi discipuli fuere Ingelbertus & Gregorius, qui *archiepiscopi in gentibus* consecrati memorantur. Illis ad Pannoniarum fines progressis, Romualdus languore correptus, ulterius progredi non valuit; sæpiusque tentato itinere toties ex morbo retardatus, ut id exsequeretur, Dei voluntatis non esse demum intellexit. Itaque pedem referre coactus, eo proficiscendi facultatem suis indulsit: ex quibus quindecim in Hungariam profecti, quidam pro Christi nomine flagellis cæsi, plures venditi & in servitutem abducti; nulli tamen martyrio, uti

ANN. CHR. 1012.

vir ſanctus prædixerat, coronati ſunt. Romualdus porro, converſo quodam nobiliſſimo viro, Adalberonis ducis filio, qui poſtea monachus factus in ſancta uſque ad mortem converſatione permanſit, aliis Teutonicis pariter converſis, ad monaſterium, quod in regione Urbis-veteris exſtruxerat, reverſus eſt. ubi tamen diu non permanſit, quod ejus loci abbatem ad ſuam voluntatem componere non valuerit. *Volebat enim abbatem, ut re vera monachum, extremitatem diligere, ſæcularia ex deſiderio non tractare, res monaſterii pro vana gloria non expendere, fratrum uſibus neceſſaria præſtare.* quod cum ille facere ſuperſederet, Romualdus, variis locis perluſtratis, ad monaſterium Vallis-de-caſtro denuo revertitur, tentaturus, ſi quo modo poſſet abbatem pro nutu ſuo inſtituere. quippe *volebat, ut cellam, qua uſus fuerat, occaſione regiminis non omnino deſereret; ſed in ea ſibimet ſpiritualiter vivens, præcipuis tantum feſtivitatibus fratres, admonitionis gratia viſitaret. Erat enim beato viro tam odioſa iſta, quam cernimus, abbatum converſatio, ut non minus gauderet, ſi de manu cujuſquam abbatiam potuiſſet evellere, quam ſi ei datum fuiſſet potentiſſimum quemlibet ſæcularium ad ſanctæ converſationis ordinem convocare.* Verum ubi nihil monita ſua proficere intellexit vir Dei, demum Aquam-Bellam acceſſit, uti poſtea videbimus.

LXXXII. Reſtaldus Parmæ epiſcopus.

Hoc anno Reſtaldus, diſcipulus ſancti Johannis primi abbatis Parmenſis, ex monacho [a] creatur ejuſdem urbis epiſcopus: qui poſt annos ſex ſollemni ſanctorum Baronti abbatis, Deſiderii & ſociorum monachorum tranſlationi interfuit, & paullo poſt ex hac mortali vita deceſſit.

a *Ital. ſac. to. 3. p. 354.*

LXXXIII. Germanicæ res.

Redeundum in Germaniam, ubi Heinricus rex Babenbergenſem eccleſiam in frequenti epiſcoporum & procerum conventu conſecrari curavit, cui dedicationi interfuere regiæ duæ ſorores, Sophia & Adelheida abbatiſſæ, hæc Quindelinburgenſis, illa Gandersheimenſis, *inſigne decus* [b] *imperatoriæ aulæ.* Hæc dedicatio facta eſt pridie nonas Maii per manus Johannis patriarchæ Aquileienſis & aliorum triginta-ſex epiſcoporum. Poſt hæc magna ſynodus ibidem habita eſt, in qua Gebehardus Ratiſponenſis epiſcopus ab Hartwico archiepiſcopo ſuo arguitur, & Theodericus Mettenſis eccleſiæ præſul a rege increpatur, quod ſe in epiſtola ad papam injuſte accuſaret. Inde Merſeburgum profectus imperator, ubi Thagmo Magdeburgenſis archipræſul, aliis Thagino mendoſe dictus, infirmari cœpit: qui accerſitis Erico Havelbergenſi epiſcopo, & Sigefrido abbate, fratre Thietmari Merſeburgenſis antiſtitis, *peccatorum confeſſionem* feciſſe traditur in chronico Saxonico inedito. Hic eſt Sigefridus abbas monaſterii ſancti Johannis in monte prope Magdeburgum, qui ante biennium Alfkero abbati ſucceſſerat; ac præſenti anno fundamenta eccleſiæ ſancti Johannis poſuiſſe [c] dicitur. Non multo poſt ſancto fine vitam clauſit Thagmo, *canonicus habitu, ſed monachus in omni converſatione ſua,* ut in prædicto chronico legitur. Suffectus ad breve tempus Walthardus præpoſitus eccleſiæ Magdeburgenſis, de quo ſcribere nihil ad nos attinet. Poſt feſtum ſancti Martini rex ſynodum epiſcoporum Confluentiæ convenire juſſit, in qua Theoderici Mettenſis epiſcopi, aliorumque rebellium cauſa agitata: ad quam illi, ſuæ cauſæ diffiſi, legatos de pace miſerunt. Theoderico injunctum, ut ante purgationem miſſam non celebraret. Heinricus, recenti ſaucius injuria, pacem poſcentibus per omnia non annuit: ſed tamen Moguntiæ ſui videndi copiam fecit, quo quidam ex illis venire neglexerunt.

b *Saxo chronog. Leibniz.*

Sigefridus abbas Magdeburgi.

c *ibid.*

LXXXIV. Godehardus Altaham redux. Theodorus obit.

Hoc ipſo anno Godehardus, relicta Hersfeldenſi abbatia, ad Altaham ſe recepit. Arnoldus in ejus locum ſubſtitutus. Exeunte anno Theodorus monachus & ſcholaſticus ſancti Mathiæ ad muros Trevirenſes, nonis Decembris fato functus, vir in humanis & divinis litteris exercitatiſſimus, nullique pietate ſecundus, ut in ejus epitaphio apud Trithemium [d] legitur, qui multa ejus opera recenſet, in his librum unum in geſta Trevirorum. Golſcherus ejus diſcipulus in docendi officio ei ſucceſſit.

d *Hirſaug. chron.*

LXXXV. Elfegi archiepiſcopi martyrium.

In Anglia ſumma morum licentia Danos in illam inſulam, duce Turkillo, accerſivit. Rex Ethelredus imbellis, adeoque ad omnem belli injuriam repellendam impar; populus in laſciviam effuſus, nil niſi commoda & voluptates curare; &, dum quiſque ſibi, rebuſque ſuis timet, omnes a bello temperare; nemo unus pro cauſa omnium fortunam certaminis experiri volebat. His acceſſit aliud infortunium ex impotentia Edrici, ſuperbi ac ferocis hominis ex infimo loco ad ſummam potentiam a

rege elati. Huic frater erat temeritate haud impar, quem nobilibus Cantuariis contumelias inferentem, multorumque hereditates violenta dominatione invadentem, offenſi Cantuarii interficiunt, ædeſque ejus ſuccendunt. Mox Edricus, fratris ulturus necem, Danos advocat. Hi Cantuariam oppugnant, expugnantque intra viginti dies, urbemque totam cædibus complent, nulla ſexus ætatiſve habita ratione. Elfegus inter hæc cum turba monachorum in eccleſiam ſe receperat: at tam barbaram ſuorum ſtragem non ferens, & manibus ſe tenentium elapſus, in medios hoſtium cuneos ſe ingerit, exclamans, ſi viri eſſent, ſaltem ut imbelli ætati & ſexui parcerent. Indignum eſſe, ut innocentes perimantur: in ipſum potius ſævirent. Nec mora, eo capto & dure habito, barbari eccleſiam igni conſumunt, gregem Domini nullo reſpectu trucidant: ita ut quatuor tantum monachi & octingenti viri ex illa clade ſuperfuiſſe referantur: ex quibus Ailmarus abbas ſuburbani ſancti Auguſtini monaſterii unus fuit. Tum vero ira Dei deſæviit in barbaros, qui demum, nullo alio relicto remedio, ſancti epiſcopi opem implorant. Vix ille Deo preces fuderat, cum reſedit divinus furor. At barbari, nihilo mitiores facti, virum Dei denuo in carcerem retrudunt: ubi multis plagis & ærumnis pæne confectus, cum nihil pro ſua redemtione a civibus jam exhauſtis impendi voluiſſet, demum ſecuri percuſſus occubuit XIII. kalendas Maii. Corpus a barbaris projectum in flumen, ſed a civibus, qui huic cladi ſuperfuerant, ereptum, Londoniam transfertur, & in eccleſia ſancti Pauli ſepelitur. Ejus martyrium contigit *adveſperaſcente ſabbato paſchalis hebdomadæ*, & quidem XIII. kal. Maii, anno ſeptimo archiepiſcopatus, ætatis ſuæ quinquageſimo-nono, ut tradit Oſbernus monachus in libello de ejus vita, cui alterum librum de ejus tranſlatione & miraculis ſubjungit. Dani ejus necis auctores mala, ſed condigna morte periere. Ejus martyrium aſſeruit ſanctus Anſelmus, cujus verba hac de re Eadmerus in libro primo de ejus vita refert. Suffectus in ſedem Cantuariæ Livingus Wellenſis antiſtes, & poſt annos ſeptem Egelnothus, de quo in conſequentibus acturi ſumus. Hanc cladem nonnulli Anglicani ſcriptores pro veteri calculo anno præcedenti conſignant, in his Willelmus Thornus, qui Leofvinam abbatiſſam ſanctæ Mildredæ cum Godwino Roffenſi epiſcopo, aliiſque a Danis comprehenſam fuiſſe ſcribit; monachos cathedralis eccleſiæ decimatos, & decimum quemque reſervatum, in ſumma quatuor tantum ſuperſtites; denique unum ſancti Auguſtini ſuburbanum monaſterium illi cladi ſuperfuiſſe, terrore divinitus in Danos immiſſo, qui ſancti Auguſtini ſepulcrum violare cœperant. Sextus hic annus erat Almari ſeu Elmeri ejus loci abbatis triceſimi-quinti, qui Wlfrico ſucceſſerat ab anno MVI. *vir magnæ ſanctitatis*, Willelmo Thorno teſtante, poſtmodum Schireburnenſis epiſcopus. In tam immani clade pleraque Angliæ monaſteria vel ſubverſa, vel direpta fuere, uno fere excepto [a] Crulandenſi, cujus abbas Godricus, qui Oſketulo ante annos ſeptem ſucceſſerat, duo millia marcharum Swano pendere coactus eſt. Illuc, tamquam ad aſylum, confugêre variorum cœnobiorum abbates & monachi, in his Baldocus abbas ſanctæ Pegæ cum toto ſuo conventu, abbas item Burgenſis cum ſuo, ſacriſque reliquiis.

ANN. CHR. 1012.

a *Ingulf. nova edit. p. 58.*

POſtero anno milleſimo tertio-decimo *duæ lucernæ ardentes, mundo ſubtractæ reconduntur cælo*, ait chronographus Saxo apud Leibnitium, Lievizo ſcilicet ſeu Libentius Hammaburgenſis archiepiſcopus, & Wonleph preſbyter & monachus ſolitarius. *Obiit quoque Ekvardus presbyter & monachus in claustris*, ut legitur in alio chronico Saxonico nondum edito, ubi *Wonleph presbyter & ſolitarius laudatur.* Idem mihi videtur eſſe, qui in conſequentibus ibidem laudatur his verbis: *Wanlief eremita, verus Iſraëlita*, XV. *kal. Aprilis in Domino obdormivit.* Lievizo archiepiſcopus ad Chriſtum migravit pridie nonas Februarii. quod alii ſecundum veterem ſtilum ad annum præcedentem referunt. Erat Lievizo litteris plurimum excultus, vir tantæ caſtitatis, teſte Adamo, ut ſe raro mulieribus videndum præbuerit; tantæ abſtinentiæ, ut pallida jejuniis ora portaverit; tantæ denique humilitatis & caritatis, ut in clauſtro ſicut unus fratrum vixerit. *Unwanus archiepiſcopus, primus omnium, congregationes ad canonicam traxit regulam, quæ antea quidem mixta ex monachis converſatione degebant.*

ANN. CHR. 1013. LXXXVI. Mortes in Germania.

LXXXVII. Gerenrothe monaſterium.

Exſtabat eo tempore in Halberſtadenſi epiſcopatu puellare cœnobium a ſaltu

ANN. CHR. 1013.

Geronis *Gerenrothe* dictum, cui tunc Hatwi abbatissa præerat. Illuc Arnulfus ejus parochiæ præsul ab antistita ad festivitatem sancti Cyriaci martyris invitatus accessit. Ipso die post missam ab ecclesia egressus, vidit clericum quemdam accipitrem manu tenentem. Ejus rei indignitate commotus, clericum apprehendit, secumque duxit, non ut puniretur, sed ut moderate, ut par erat, verbis corriperetur. Id in malam partem acceptum a Gerone marchione, qui suæ ditioni hac in re factam injuriam reputabat. Eo deventum, ut milites armati, ignorante tamen marchione, episcopum comprehensuri, domum, in qua cænaturus erat, irrumperent. Quæsitus in monasterio & in claustro inveniri non potuit. Digressis satellitibus, antistes ad propriam sedem remeavit. His compertis, rex pro eo ac debuit iratus, hujus tumultus auctores sibi sisti jussit, nec prius eos audire voluit, quam ut *trecenta pondera talentorum episcopali ditioni solverent.* Pacta demum concordia in hunc modum, ut, episcopo in occidentali monasterii parte sedente in solio summi gradus, marchio juramento se purgaret: ejus vero satellites, *more pœnitentium*, impositum sibi jejunium subirent. Hæc ex Ditmaro & chronico nostro Saxonico.

a *Ditmar. lib. 6. p. 83.*

LXXXVIII. Fuldæ mutatio.

In eodem chronico legitur, Heinrico regi Fuldensium nostrorum mores ita displicuisse, ut bona eorum diripuerit; hincque factum esse, ut data occasione corrigendi invaluerit potestas destruendi. Tum Branhago ejusdem cœnobii abbas depositus; ejusque in locum Poppo Laureshamensis suffectus. Diffugiunt hac & illac cœnobitæ: sicque monasterii prior status omnino mutatur. Idem paucis testatur Ditmarus & chronographus Saxo Leibnitianus. Ditmari [b] hæc verba sunt. *In diebus illis Bronhag abbas Fuldensis deponitur, & succedente sibi Poppone converso, & tunc Laresseensi pastore, hoc monasterium, fratribus late discedentibus, a priori statu mutatur.* Browerus *conversi* nomine potentem sæculi virum significari suspicatur. At conversi nomine apud majores nostros passim intelligebantur ii, qui in adulta ætate ad conversionem veniebant. Heinrici factum longe æquiori modo interpretatur Trithemius, scilicet Fuldenses monachos solutioris vitæ, a rege sæpius increpitos, mores emendare neglexisse; ob idque regem, comperto illos ob nimiam divitiarum abundantiam factos fuisse contumaces, multa eidem monasterio bona abstuliisse, & aliis monasteriis, ubi regularis vigebat observantia, in jus proprietatis perpetuo concessisse. Qui Branhago abbas chronographo Saxonico, Bronhag Ditmaro dicitur, Browero Brantohus appellatur. Poppo, in ejus locum suffectus, undecim monachos e Laurissa Fuldam secum adduxisse traditur, *piissimus pastor Bobbo* dictus in quadam formula libri secundi traditionum Fuldensium. quo nomine designatur in chronico Laureshamensi, ubi, relicto militiæ baltheo, ad ipsius loci regimen provectus fuisse dicitur. quibus verbis explicatur id, quod de *conversi* nomine mox dicebamus.

b *ibid. p. 82.*

LXXXIX. Bardo cum abbate recedit.

Rem totam accuratius refert anonymus ejus temporis in libro de vita sancti Bardonis archiepiscopi Moguntini, qui tum Fuldæ monachus, cum Brantoho abbate discessit. Is opido Veteraviæ in ditione Moguntina, patre Adalberone, Christina matre, nobilissimis & piissimis parentibus natus principatu Ottonis secundi, Fuldæ sub Erchanbaldo abbate in pietate ac litteris eruditus, monasticum habitum ibidem induit adolescens. Ubi Erchanbaldus sedem Moguntinam adeptus est, ejus vices in Fuldensi præfectura supplevit Brantohus, cui Bardo ob morum affinitatem maxime adhæsit. Hinc factum est, ut *in ea disceptatione, qua* Erchanbaldus archiepiscopus contra Brantohum abbatem *desæviit, & eum sine divino, humanoque judicio ab Heinrico imperatore sua dignitate destitui fecit, exeuntibus cum eo cunctis ingenuis & liberis, hic sanctus vir, non fortunæ, sed virtutis amicus, Brantohum secutus sit; & cujus lætis communicaverat, ejus nec tristia recusaverit.* Unde *tanto tempore permansit cum eo, usque dum calumnia illa sedaretur*, quod non multo post accidit, & quidem ante obitum Bobbonis abbatis, qui post triennium accidit. Itaque *sub Bobbone abbate*, Bardo *ad nidum suæ rediit professionis*, ubi totus suæ saluti, fratrumque utilitati vacavit, dum, *concedente abbate Richardo*, qui Bobboni anno M XXIII. successit, eum *fratres unanimes* decanum elegerunt.

X C. Hermanni Contracti nativitas.

Longe aberrat a recto calculo Trithemius, cum in nova editione chronici Hirsaugiensis scribit, Hermannum Contractum, monachum sancti Galli, Helperico monacho in docendi munere successisse anno M V. Hermannus quippe non fuit sancti Galli, sed Augiæ prope Constantiam alumnus; nec anno M V. natus erat, tantum

tum abest ut eo anno docendi munus ceperit. Certe non ante hunc annum millesimum tertium-decimum in lucem editus est, quo anno ita de se ipse scribit: *Herimannus ego* XV. *kal. Augusti natus sum.* Parentes habuit nobilissimos, Wolferadum comitem Veringensem, & Hildrudem, Piligrini & Bernhardi filiam, ex qua quindecim liberos, ipso Hermanno annumerato, suscepit, uti Hermannus ipse testatur in chronico [a] editionis Canisianæ, quod in Urstitiana deest. Idem Bertham, religiosam [b] feminam, aviam suam; Rudolpertum [c] Augiæ monachum, doctum & facetum, matris suæ patruum vocat. Porro comites Veringenses ditionem habebant in alpibus Sueviæ ad Danubium supra Riedlingam. Hermanno cognomen fuit Contracto ob contractionem membrorum. quæ res in causa fuisse creditur, ut parentes eum, veluti mundo inutilem, adhuc puerum Augiæ monasterio educandum tradiderint. sed hæc postea.

ANN. CHR. 1013.

a *Herman. ad ann.* 1009.
b *an.* 1032.
c *an.* 1003.

XC I. Gauzlinus fit archiepiscopus Bituricensis.

Non ante hunc annum Gauzlinus abbas Floriacensis promotus videtur ad sedem Bituricensem, quam post obitum Dacberti archiepiscopi adeptus est, retenta nihilo minus monasterii sui præfectura. Necdum receptus erat, cum Geraldus episcopus Lemovicensis consecratus [d] est Pictavis apud sanctum Hilarium mense Novembri, omnibus gradibus ecclesiasticis a Gisleberto Pictavorum episcopo acceptis, & gradu pontificali a Siguino monacho, archiepiscopo Burdigalensi. *Non enim adesse potuit Gauzlenus Bituricensis archiepiscopus, quia necdum receptus erat in sede Biturica. Habuit tamen ibi missos suos ex sancti Benedicti monachis*, ut scribit Ademarus, qui modum recipiendi Lemovicensis episcopi ibidem explicat. Idem auctor paullo post subdit, ecclesiam sancti Petri sedis Ecolismensis eo tempore dedicatam fuisse a tribus episcopis, videlicet Seguino monacho Burdegalensi, Grimone & Islone fratre ejus: at cujus loci monachus fuerit Seguinus seu Siguinus, nobis incompertum.

d *Ademar. to. 2. Labbe p. 175 & seq.*

XC II. Floriacum se recipiunt nobiles Hispani.

Cum Gauzlinus Floriacensi monasterio & simul Bituricensi ecclesiæ præesset, multi nobiles undequaque ad sancti Benedicti cœnobium, abdicatis sæculi honoribus, se receperunt. Non minori studio Hispanici eo se contulere, in his eo duo germani, profecti ab urbe Barcinone, quorum unus, Johannes nomine, in Rivipolensi beatæ Mariæ monasterio a pueritia sacris imbutus litteris, abbatiam sanctæ Cæciliæ, in cujusdam montis vertice sitam, obtinebat: alter, vocabulo Bernardus, florentis militiæ abjectis deliciis, spretisque nuptialibus vinculis, Floriaci habitum sanctæ religionis induit. Hujus relatu didicere Floriacenses, exstare in illis partibus monasterium sancto Benedicto nuncupatum, in quo miracula fieri consueverant: ex quibus nonnulla referuntur in Martio Bollandiano.

XC III. Giraldus abbas Salmurensis.

In Salmurensi monasterio Adebertus abbas obiit hoc anno VI. idus Aprilis, virtutum odoribus plenus, ut in ejus loci chronico legitur. In eligendo successore orta est altercatio. Quidam enim fratrum cum Gelduino Salmuri domino Galonem sancti Florentii monachum & procuratorem volebant: alii vero cum Odone comite Giraldum, ortum ex primoribus castri Toarcensis præferebant: quorum sententia prævaluit. *Hic Giraldus, Ingelbaldi divitis, cognomenti Gohelli, frater exstitit, quod supernomen, in Toarcensi pago diffusum per successores eorumque possessiones, servatur in ævum.* Eligentium votis non respondit Giraldus. nam tyrannica potestate utens, monasterii beneficia distraxit, terras, prædia, domos amicis & propinquis suis concessit. In his Espetuæ terram in pago Medalgico partim suis consanguineis, per homagium Gaufridi Toarcensium comitis, & posteris suis dedit. Hanc terram, uti Gortiacum, quæ nunc, ait anonymus, Roriacum dicitur, Poliernus olim sancto Florentio dederat tempore Caroli imperatoris: quo in loco sanctus Macarius nescio quis antea habitasse traditur cum monachis non paucis, quibus in vasta illa tunc solitudine diversa habitacula exstruxerat.

XC IV. Manuascæ ecclesia S. Victori datur.

Willelmus Provinciæ comes monasterio sancti Victoris Massiliensi donavit hoc anno ecclesiam sancti Martini in villa pagi Sistaricensis, vocabulo Manuasca *, cujus donationis charta, quia brevis est, ipsius Willelmi verbis hic referenda.

* *Manosque.*

Ego Willelmus comes Provinciæ, conjuxque mea Girberga, una cum filio nostro, nomine Willelmo, offerimus atque donamus omnipotenti Deo, qui nobis dedit omnia quæ habemus, de ipsis donis suis aliquid in eleemosyna ad proprium alodem, sanctoque Victori ejus martyri, & abbati præsenti domno Wifredo, omnibusque monachis. Est autem prædicta donatio in comitatu Sistarico, intra terminos de villa, quæ dicitur Manuasca, id est ecclesiam sancti Martini, quæ sita est non longe a fluvio Durentiæ. Facta

ANN. CHR. 1013.

donatio hæc anno incarnationis M XIII. *indictione* XI. *Ego Willelmus comes Provinciæ, annuente Deo, hanc donationem feci, & manu mea firmavi, & ſubter annexis teſtibus firmare rogavi. Domna Girberga inclita comitiſſa ſubſ. Domnus Willelmus, eorum præclara ſoboles, firmavi. Willelmus vicecomes firm. Accelenà & Odila firmaverunt &c. Domnus Wifredus abbas, rogantibus ſuprà ſcriptis poſſeſſoribus, ſcripſi.*

Willelmus vicecomes, qui his litteris ſubſcripſit, anno ſequenti eidem monaſterio quædam etiam prædia donat, quæ a ſuis progenitoribus, Willelmo ſcilicet vicecomite & Belielde ejus conjuge ipſi provenerant, in his tertiam partem de villa Porcillis *, quam tenebat frater ſuus Pontius epiſcopus. Non diu ſupervixit Willelmus comes, qui anno M XVIII. jam mortuus erat, ut ſuo loco videbimus. Manuaſcæ hactenus cella eſt, ſubjecta monaſterio ſancti Victoris.

* *Ponſſius.*

XCV. S. Miniatis monaſterium inſtauratur.

Florentinam eccleſiam tunc adminiſtrabat Ildeprandus epiſcopus, qui, cum parochiæ ſuæ luſtraret eccleſias, animadvertit ſuburbanam ſancti Miniatis eccleſiam, quæ antiquitus monaſterii nomine inſignita erat, præ nimia vetuſtate neglectam ac pæne deſtructam; eamque renovare in animum induxit, renovatam dotavit, conceſſo, inter alia ipſo monte ſancti Miniatis, qui mons olim Florentinus dicebatur. Ejus rei monumenta [a] exſtant apud Ughellum. Ildeprandi munificentiam æmulatus eſt Lambertus ejus ſucceſſor, qui in ſuis litteris Leopardum ejus loci abbatem commemorat, qui alio nomine Leo dictus fuiſſe videtur.

a *Ital. ſac. to. 3. p. 62. & ſeqq.*

ANN. CHR. 1014.

XCVI. Heinrici iter in Italiam.

ANno inſequente milleſimo quarto-decimo, cum Ardoïnus, qui ſe Lombardiæ regem ferebat, agrum Mediolanenſem populationibus, aliiſque detrimentis afficere non deſiſteret, Arnulfus archiepiſcopus id ulterius ferre impatiens, Heinricum Germaniæ regem auxilio advocat. Ille vero, regni rebus diſpoſitis, alpes transgreſſus, natale [b] Domini Papiæ celebravit, atque inde Ravennam perrexit: ubi ſynodo congregata, Arnulfum fratrem ſuum, epiſcopali jam dignitate ornatum, archipræſulem inſtituit curat in locum Adalberti, qui poſt Friderici archiepiſcopi obitum hanc ſedem nullis legitimis ſuffragiis occupaverat, ex indulgentia dein Aretinæ præfectus eccleſiæ. Heinricum comitatus Benedictus papa, quem a Gregorio intruſo fugatum diximus, Ravennæ tunc cum eo verſabatur, qui Ravennæ duos, totidemque Romæ epiſcopos ſynodali judicio depoſuiſſe dicitur a Ditmaro, *ab archiepiſcopo Leone jam muto conſecratos*. ſic legendum, ut probat chronicon noſtrum Saxonicum non *mortuo*, ut ſuſpicatus eſt Baronius. Is eſt Leo Friderici deceſſor, qui mutus factus, ideoque Leo-mutus vocatus, nihilo minus epiſcopos quoſdam conſecravit, quos pontifex, non rite ab eo *jam muto* conſecratos, exauctoravit.

b *Ditmar. lib. 7. initio.*

Ejuſdem coronario.

Ravenna egreſſus montem Caſinum, indeque Romam adiit imperator VI. kal. Martii, die dominica, tumque imperialem unctionem & coronam cum conjuge ſua Chunigunde a pontifice ſuſcepit. Romæ octava die tumultus excitatus a tribus Germanis, quorum unus evaſit: ſecundus Heal dictus, *ad Suldum* ductus dicitur, ut in mſ. chronico legitur, in editis Ditmari libris *ad Fuldam*; Leibnitius *ad Fuldum abbatem*, tertius in caſtello *Guukinſtein* (ita mſ.) diu ſervatus traditur. Roma digreſſus imperator, Papiæ reſurrectionem Domini celebravit; atque inde in Germaniam contendit.

XCVII. Varia ejus diplomata.

Romæ cum verſaretur, rogatu Athenulfi Caſinenſis abbatis, per præceptum, aureo ſigillo munitum, univerſas ſacri monaſterii terras & provincias confirmavit, teſtante Leone [c] Marſicano. Conſimile privilegium indulſit Andreæ [d] abbati monaſterii Salvatoris, quod Adaleida quondam imperatrix in ſuburbio Papienſi exſtruxerat, datum Romæ anno Heinrici imperii primo. quod diploma, uti & duo ſequentia, Heinricus cancellarius vice Everardi epiſcopi & archicancellarii recognovit. Ex his probatur id, quod alibi obſervavimus, ſcilicet alium fuiſſe imperatoris in Italia, alium in Germania archicancellarium. nam in Germania Moguntinus archiepiſcopus, qui tunc Erkambaldus erat, hoc munere fungebatur: in Italia Everardus initio Heinrici imperii, qui Everardus videtur eſſe Eberardus epiſcopus Babenbergenſis. Sequenti diplomate imperator curtem-Blondi confirmavit, quam Petrus Terdonenſis epiſcopus uſurpare moliebatur. Veronæ cum eſſet imperator, bona & jura Brixienſis monaſterii Salvatoris & ſanctæ Juliæ, quod *Novum* tunc nuncupabatur, præcepto ſuo roboravit ad preces Rolindæ ejuſdem loci religioſæ abbatiſſæ. Actum Veronæ hoc anno, ſed ubique abſque diei deſigna-

c *Chron. Caſ. lib. 2. c. 31.*
d *Bull. Caſin. to. 2. p. 71. & ſeqq.*

ANN. CHR. 1014.

tione, quod in pleriſque Heinrici imperatoris primis diplomatibus obſervare licet. Baronius ad hoc tempus revocat privilegium, Romanæ eccleſiæ ab eodem imperatore conceſſum: at ſubſcriptiones quædam ſatis oſtendunt, hoc eſſe poſterioris temporis, quippe cui ſubſcribit Richardus abbas Fuldenſis, qui vix ante annum M XXIII. hanc præfecturam iniit. Denique eodem tempore Heinricus in Bobio opido cathedram epiſcopalem erexit, non in eccleſia monaſterii, de cujus bonis novum epiſcopatum dotavit, ſed in altera beatæ Mariæ & ſancto Petro ſacra: cui primus epiſcopus Atto præfuit, qui pro abbate principio ſe geſſit. ſed poſtea proprius paſtor monaſterio reſtitutus. Ex eo numero fuere Lanfrancus & Gandulfus, poſt medium undecimum ſæculum.

XCVIII. Symbolum an Romæ olim cantatum.

Tunc in comitatu imperatoris erat Berno abbas Augienſis: quo præſente Heinricus Romanos preſbyteros interrogavit, cur ſymbolum in miſſa poſt evangelium non canerent. reſponderunt illi ideo illud omitti, quod Romana eccleſia nulla hæreſeos nota umquam contaminata fuiſſet. at nihilo minus Benedicto papæ perſuaſit imperator, ut deinceps in miſſa caneretur. Ita quidem Berno in libro de miſſa. Verum tamen longe ante id tempus ſymbolum Nicænum in Romana eccleſia recitatum in miſſa fuiſſe patet ex variis libellis de Ordine Romano a nobis editis, & ex Amalarii egloga in ordinem Romanum, aliiſque monumentis, quæ in commentario [a] in Ordinem Romanum alias retulimus. Forte a Romanis omitti cœpit ex eo tempore, quo additamentum *Filioque* prædicto ſymbolo inſeri cœpit a Gallis, quod Leo tertius improbavit: aut certe occaſione ſchiſmatis a Photio excitati, qui Romanæ eccleſiæ illud additamentum objecit. quod cum Romani pontifices principio non omnino probaſſent, illud in miſſa intermittendum ad tempus cenſuerint.

a *Comment. p. XLIII.*

XCIX. Heinrici dona Cluniaco facta.

Glaber Rodulfus [b] auctor eſt, Benedictum papam Heinrico Romam ingreſſo tradidiſſe *aureum pomum*, gemmis & aurea cruce ſupereminente ornatum, ut eſſet ei documento, ſic eum debere mundo imperare, ut dignus eſſet ſanctæ Crucis ſeu Salvatoris præſidio. quo ille grataner accepto: Nullis, inquit, melius hoc donum congruit, quam illis, qui, mundi calcatis pompis, Salvatoris crucem expeditius ſequantur; ſtatimque globum illum miſit ad Cluniacenſe monaſterium, præ ceteris Galliarum monaſteriis tunc religione florentiſſimum, cui jam plurima alia ornamenta & munera contulerat. De aliis donis Cluniaco ab Heinrico factis inferius agendum.

b *Glab. lib. 1. c. 5.*

C. Poppo abbas eum a ſpectaculis revocat.

Reverſo ex Italia Heinrico, contigit fores imperiales ludis hiſtrionum occupari: eoque ſpectaculi genere imperatorem cum ſuis delectari. Spectaculi materia erat miſer quidam nudus, melle perunctus, ſicque urſis objectus. Forte regi tunc adſtabat Poppo, tum præpoſitus monaſterii ſancti Vedaſti Atrebatenſis, de rebus ſancti Vedaſti cum eo acturus. Hic illius hominis periculum veritus, Heinricum illiciti ſpectaculi tam acriter redarguit, ut eum ab ejuſmodi ſpectaculis, ejuſque optimates compeſcuerit, effecitque, ut ne in poſterum id fieret.

CI. Hatwi abbatiſſæ obitus.

Actum eſt anno ſuperiore de parthenone ad Geronis ſaltum condito, cui Hatwi abbatiſſa tunc præerat, Mathildis olim reginæ [c] inclyta neptis, quæ tertio-decimo ætatis ſuæ anno Sigefrido Geronis comitis filio nupſerat, cui per annos tantum ſeptem conjuncta fuit. Poſt cujus deceſſum ob Dei amorem *ſacrum velamen a Bernardo Halberſtadenſi antiſtite; & mox conſecrationem ſuſcepit* in prædicto cœnobio, quod per annos quinquaginta-quinque piiſſime & prudentiſſime rexit, aſſidua, ut Anna vidua, in Dei ſervitio; caſtitate & abſtinentia cum Juditha conferenda. Vivebat ſub ea in eodem parthenone Mathildis nobilis virgo, abbatiſſæ conſanguinea, quam illa ſibi ſucceſſuram optabat. At votum ejus prævertit Mathildis præmatura mors, quæ hoc anno contigit IV. kal. Maii, inconſolabili mærore ac dolore Hatwi abbatiſſæ, quæ proximo menſe Julio, id eſt IV. nonas ejus menſis, eam ſubſecuta eſt. Sepulta fuit a Bernardo epiſcopo, non ubi petiit, ſed ubi gemens congregatio rogavit, ſcilicet in medio eccleſiæ ante altare ſanctæ Crucis: ubi contractus quidam ejus meritis ſanitatem recepiſſe traditur.

c *Ditmar. init. lib. 7.*

CII. Morardo abbati S. Germani ſuccedit Ingo.

Vixit ad hoc tempus Morardus abbas monaſterii ſancti Germani Pratenſis apud Pariſios, qui novam eccleſiam exſtruxiſſe dicitur cum turri, ex qua dependent ſigna, quibus fratres in eccleſiam convocantur. Ejus obitus hoc anno contigit kal. Aprilis. Sepultus fuit ad chori ſuperiorem ingreſſum, qualis ante annos quin-

ANN. CHR. 1014.

quaginta disposítus erat. Morardo successit Ingo, *vir magnæ nobilitatis in sæculo*, Rotberti regis in schola Gerberti collega, *quem abbatia sancti Martini Masciacensis remuneratum, post abbatia sancti Germani Parisiacensis inclitum sæculo reddidit, ut decebat tantum virum*, inquit Helgaldus in epitome vitæ Rotberti regis. Non tamen monachorum suorum mores ita componere valuit, quin post ejus obitum emendatione indiguerint. In chronico Clarii monachi Ingo regis *consanguineus* dicitur, factus abbas sancti Petri Vivi anno insequenti.

Ratbodo Elnonensi Richardus.

Sub idem tempus Richardus Virdunensis abbas Elnonense sancti Amandi monasterium, ubi regularis disciplina nonnihil intepuerat, denuo excitasse memoratur post mortem Ratbodi abbatis, qui Werico superius laudato ante annos quatuor successerat. De Ratbodo id tantum referunt veteres, quod vir regiæ stirpis, excelsam turrim, fronti ecclesiæ adhærentem, erexerit, & quod oratorium in cœnobio Elnonensi a beato Amando antiquitus exstructum, sed propter paganorum vastationem fere in solitudinem redactum, instauraverit. Cum in aula frequens versaretur, inde fratres occasionem ceperunt mollioris vitæ, quorum mores ubi Richardus aliquot annis emendare conatus esset, regimen in Malbodum rejecit abbatem, qui rem non ita bene administravit, ut postea videbimus.

CIII. Malliacum S. Rigomeri corpus transfertur.

Eodem anno corpus sancti Rigomeri confessoris e pago Cenomannico translatum est ad Malliacense monasterium, agente apud Hugonem Cenomannensem comitem Theodelino ejusdem loci abbate. Sacræ reliquiæ primum Andecavos mira celeritate delatæ ipsa die anniversaria sollemnitatis beati Albini, non sine metu *Fulconis ejusdem urbis comitis, ad quem attinebat Cenomannensis comitatus*; tum ad cœnobium Burgolense, ubi Theodelinus abbas eis occurrit; tandemque in Malliacense monasterium advectæ sunt, quod ex cælesti lumine quidam ejus loci monachus Barcinone oriundus, Gezo nomine, nocte præcedente intellexerat.

CIV. Nobiliaci abbas Constantinus, aliique.

Nobiliacense apud Pictones monasterium tunc regebat Constantinus abbas, Fulconis successor jam inde ab anno Hugonis regis octavo, cujus anno undecimo Constantinus sacerdos villæ Corniaci quædam donavit Nobiliacensi monasterio, *ubi sanctus Junianus & beatus Warinus corpore requiescunt*. Multa ejusdem abbatis tempore confecta leguntur instrumenta in archivo Nobiliacensi, ex quibus unum, quo Ingelelmus quidam servos nonnullos eidem loco tradit oblatione perpetua, datum est *anno ab incarnatione Domini millesimo septimo, tertia feria*, IV. *idus Februarii, natale sanctæ Scholasticæ, luna trigesima*. quæ notæ anno millesimo octavo secundum novum calculum conveniunt. Alio instrumento Constantinus abbas cum tota congregatione Nobiliacensi quædam ex suo beneficio ad manum-firmam tradit nobilissimæ feminæ Adelendi, & filio ejus Rorgoni, dato mense Junio, Rotberti regis anno XVII. qui huic anno incarnationis respondet, si anni Rotberti ab ejus monarchia computentur. Huic instrumento subscribunt Gislebertus episcopus, Willelmus comes, Constantinus abbas, & monachi numero viginti. Prædicta Adelendis postmodum monacha facta est, filiusque ejus Rorgo archidiaconus: quo nomine alodum suum, quem ex parte Avisernæ matris ejusdem Adelendis habebant, transfundunt in potestatem Ugonis de Liziniaco & uxoris ejus Aldeardis, qui oratorium quoddam construebant in pago Pictavo, super fluvium Divam, in villa, quæ vocatur Brugeria. quod quidem factum est cum consensu Isemberti episcopi, Willelmi comitis, ejusque uxoris Agnetis & filiorum, qui omnes signa sua apponunt, in his tres Willelmi comitis & Agnetis filii, scilicet Willelmus, Odo, & Willelmus alter. Hæc charta data est mense Augusto. Constantino abbati jam successerat anno M XVI. Petrus seu Petronus, quem excepit Imo abbas post annos ut summum octo: cujus tempore Liziniaci cella beatæ Mariæ ab Hugone de Liziniaco exstructa fuit. Hinc corrigendus Petrus-Raymundi chronographus Malliacensis, qui forte non male Constantini abbatis obitum hoc anno M XIV. reponit; sed non recte Imonem ejus successorem, expuncto Petro seu Petrono, cujus complures chartæ habentur.

CV. Rainaldus-Plato, aliique S. Maxentii abbates.

Tunc temporis sancti Maxentii cœnobio præerat Rainaldus abbas, cognomento Plato, Bernardi successor, quem *pro sapientiæ ornatu* [a] prædicto cœnobio præfecit Willelmus Pictavorum comes & dux Aquitaniæ, Magnus dictus, qui *maximo affectu regulares monachos & abbates* prosequebatur, eorumque consiliis in administratione provinciæ sibi commissæ uti solebat: carus & acceptus summis pontificibus, regibus, ipsique Heinrico imperatori, qui ingentem ex auro purissimo ensem ei

a *Ademar. to. 2. Labbe p. 173.*

ANN. CHR. 1014.

dono dedit, cui hæ litteræ inscriptæ erant, HEINRICUS IMPERATOR CÆSAR AUGUSTUS. Rainaldo abbati subrogatus Gulferius post annos duodecim. Gulferio Amblardus anno M XXVII. cujus successores Emmo & Archimbaldus, postmodum archiepiscopus Burdegalensis, de quo inferius suo loco.

CVI. Bassiacum monasterium conditur.

Exstat etiam nunc in pago Santonensi Bassiacum Ordinis nostri monasterium, ad ripam Carantæ fluvii loco amœno positum, cujus auctores fuere Wardradus seu Gardradus, e principibus Ecolismensium, & uxor ejus Rixendis, liberorum expertes. quod hac occasione factum traditur. Wardrado Romam devotionis causa profecto, cum illic quadragesimæ tempore versaretur, optaretque libro cælestis patriæ adscribi; suggestum est a Benedicto pontifice, ut monasterium monachorum in honorem sancti Stephani protomartyris & sancti Petri apostolorum principis ædificaret. quod veluti mandatum quoddam cæleste arripiens, festinato reversus ad propria, in villa Bassiaco exsequi maturavit. Ejus rei causa Isonem Santonensem episcopum quantocius illuc invitavit: designatisque ab eo monasterii fundamentis, atque ædificiis absolutis, locum a Grimaldo Ecolismensi episcopo & Isone Santonensi ejus fratre dedicari curavit. tum ubi *regulares monachos* illic instituisset, dotasseque liberaliter, venerabilem [a] Ainardum abbatem eis præfecit. His peractis, Wardradus Romam denuo perrexit cum uxore sua Rixende, & monasterium Romanæ ecclesiæ in manu Benedicti papæ sub annuo censu quinque solidorum subjecit. quæ omnia confirmata sunt tum ab ipso Benedicto pontifice, tum ab aliis episcopis & nobilibus, qui in Urbem orationis causa tum advenerant, quorum ista sunt nomina: Iso Santonensis episcopus, Grimoardus Ecolismæ, Gilbertus Pictavensis episcopi; *Saim* dux Vasconiæ, Seguinus archiepiscopus Burdegalensis, aliique archiepiscopi & abbates; item Willelmus dux Aquitaniæ, Willelmus comes Ecolismensis, aliique comites, vicecomites & marchiones. Ubi mirum non immerito videri possit, tot episcopos & magnates Gallicanos Romæ eodem tempore simul exstitisse. Veri similius esset si diceretur, hæc omnia primo Romæ a Benedicto papa, tum in Gallia ab illis episcopis & principibus viris confirmata fuisse. Vitiosæ sunt instrumenti chronicæ notæ, quod datum dicitur *regnante Rotberto Francorum rege, anno ab incarnatione Domini* M II. *indictione* XV. quæ nullo modo inter se quadrant, nec cum pontificatu Benedicti papæ, haud dubie octavi, qui solus ejus nominis regnante Rotberto, nec ante annum M XII. sedere cœpit. Neque vero indictio XV. convenire potest, cum Grimoardus Ecolismensis episcopus decesserit anno M XVI. qui indictione XIV. præditus erat.

a *Ademar. to. 2. Labbe p. 182.*

CVII. Selva abbas Canigonensis.

Jam ab annis quinque dedicatum erat Canigonense monasterium, quod quidam presbyter & monachus, Selva nomine, adjuvante Guifredo comite, exstruxisse traditur: at nullus ante hunc annum abbas illic institutus fuerat. Itaque *anno Domini* M XIV. ut in brevi [b] ejus loci chronico legitur, *electus fuit in primum abbatem Selva monachus sancti Michaëlis Coxanensis*, idem sine dubio, qui primus monasterii auctor fuerat. *Eodem anno* [c] *delatæ fuerunt reliquiæ sancti Gauderici confessoris e finibus Tolosæ*: cujus ecclesia anno M XXVI. consecrata fuit. Selva locum rexit ad annos triginta.

b *Baluz. Miscell. to. 2. p. 309.*
c *ibid.*

CVIII. Andaonensi monasterio datæ ecclesiæ.

Ecclesiam Cavellicensem tunc administrabat Inguilrannus episcopus, qui monitus litteris domni papæ Johannis recens defuncti, & supplicante Martino abbate monasterii sancti Andreæ montis Andaonensis, quod Avenione nuper [d] ædificatum diximus, confirmat ecclesias a prædicto Johanne papa eidem loco tributas, quæ ædificatæ erant, vel ædificandæ in monte Tozonis. quæ confirmatio hoc anno facta dicitur. Ejusdem monasterii basilica consecrata est anno M XXIV. & quidem mense Novembri, quo mense & anno Stephanus quidam, civis haud dubie Avenionensis, ejusque conjux Garsinnis, prædia quædam in pago Nemausensi conferunt in dotalitium ecclesiæ; itidemque Emma comitissa & Pontius ejus filius *mansum unum in Advenione* civitate. An tunc superstes fuerit Martinus abbas, litteræ hac de re datæ non produnt. Ejus obitus in necrologio notatur pridie idus Julii. De successoribus ejus nihil fere comperti habemus usque ad sanctum Pontium, suo loco laudandum.

d *lib. 51. n. 91.*

CIX. Heinrici diploma pro Fructuaria.

De Fructuariensi apud Taurinates monasterio superius [e] actum est: cujus possessiones Heinricus imperator hoc anno [f] confirmavit ad preces Willelmi Divionensis abbatis, qui ejus rei causa Heinricum adiisse traditur, atque obnixe petiisse

e *lib. 52. n. 34.*
f *Bibl. Sebus. p. 309.*

» imperiali auctoritate corroborari monasterium illud, ex propria hereditate fratrum
AN. CHR. 1014. » suorum, Gotfredi, Nitardi & Roberti in honorem sanctæ Mariæ, sanctique Beni-
» gni martyris constructum. quod quidem cæsar augustus sub sua defensione suscipit,
» confirmans omnes ejus possessiones, quas in comitatibus Eporediensi, Taurinensi,
» Vercellensi, aliisque habebat; atque adeo prædia illa, quæ Otto-Willelmus co-
» mes, filius Adalberti, nepos Berengarii regis, eidem loco intra fines Longobardiæ
» dederat; necnon terras illas, quas habere debebat monasterium ex hereditate Ro-
» berti, viri quondam nobilissimi, ipsius abbatis Willelmi genitoris; ad hæc posses-
» siones, quæ ex paterno & materno jure debebantur Otberto, filio Gerardi & Ot-
» berti comitis nepoti, quando ipse & pater ejus relicto sæculo, se suaque Deo ibi-
» dem facti monachi obtulerunt; denique cellas Astensem, Nevigensem, aliasque in
» Quaranta, Cavalliaca, & Paderno. Datum hoc anno M XIV. indictione XII. anno
» Heinrici imperatoris ab inita regia dignitate duodecimo.

CX. Bulla pro Bremetensi monasterio.

Consimile privilegium Bremetensi monasterio, inter Padum & Ticinum fluvios sito, obtinuit [a] a Benedicto papa Gottifredus abbas interventu Adalberti Eporediæ marchionis, qui Novalicienses monachos ob Sarracenorum infestationes eo transtulerat. Hoc diplomate pontifex confirmat omnes ejus loci possessiones ac cellas, in his Pollentium cellam, quæ ab ejusdem monasterii fratribus recens constructa fuerat, easque cortes, quas Oddo & Arduinus marchiones & alii eidem monasterio contulerant. *Scriptum per manus Leonis notarii regionarii & scriniarii S. R. E. in mense Februario, indictione* XII. *anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti summi pontificis & universalis octavi papæ in sacratissima sede beati Petri secundo, imperante domno Heinrico a Deo coronato magno imperatore anno primo.*

a *Ital. sac. to. 4. p. 1429.*

CXI. S. Justinæ abbates.

Percelebri sanctæ Justinæ apud Patavium monasterio tunc præerat Johannes abbas, successor Ingelberti, qui primus ab instauratione cœnobii, a Gaussino episcopo facta, per annos fere quadraginta hunc locum rexerat, uti Jacobus Cavacius [b] monachus in elegantissima ejusdem cœnobii historia scribit. Defuncto Gaussino episcopo suffectus Urso Germanus, cœnobium novis donis ac tabulis provexit, adductus religione Johannis abbatis, qui divino cultui ac monasticæ disciplinæ apprime studuit; ratumque esse jussit antistes, quidquid Gausslinus ejus decessor eidem loco contulerat, adjectis frumentariis molis quatuor in Rotrone, qui Bacchilioni apud Vicentiam miscetur. Urso ejus rei tabulas sub anathematis sententia edidit anno Heinrici regis decimo, accepti imperii primo. Johannes monachis præfuit ad annos fere quinquaginta, isque Leonem nonum pontificem maximum cœnobio excepit, & ab eodem donis quibusdam honestatus est.

b *Cavac. lib. 2. p. 48.*

CXII. Hugo Farfæ abbas iterum ordinatur.

Hoc anno, ut in tabulis Farfensibus legitur, Hugo abbas, qui ante annos quinque præfectura sponte cesserat, denuo Farfæ rector ordinatur. Abdicata præfectura, secesserat ad aliud [c] monasterium, in quo stetit usque ad hunc annum, quo Heinricus coronatus est imperator. Huic Romam accedenti obviam Papiæ occurrit, secutusque est eum Ravennam usque: ubi eum compellare cœpit imperator, ut abbatiam denuo reciperet. quod etiam Odilo abbas ei persuadere conatus est. at Hugo acquiescere noluit usque ad synodum Romanam. Cum in illa urbe demoraretur imperator, cunctis episcopis & abbatibus præcepit, ut indicem rerum, quas eorum ecclesiæ amiserant, quo pacto & a quibus occupatæ essent, ipsi exhiberent. quod Hugo pro Farfensibus præstitit, exponens imperatori, qua ratione castellum Buccinianum a monasterio in Crescentii comitis potestatem venisset. Ubi Romam venit imperator, de alienato castello apud eum Hugo reclamare cœpit. Post multas demum altercationes Crescentius & Johannes illud imperatori reddiderunt, quod imperator Farfensibus ilico restitui jussit, ut mox fusius exponemus.

c *supra n. 17.*

CXIII. Odilonis itinera Romam.

Ex his intelligitur, Odilonem Cluniaci abbatem Heinrico regi adhæsisse in illo Romano itinere, quod non semel confecit. Jam illuc profectus fuerat pontificatu Gregorii V. & pænultimo vitæ suæ anno Apostolorum limina denuo invisit, ut exitum suum illis commendaret. De hoc vero itinere, quod anno præsenti aggressus est, agit Jotsaldus in ejus vita, quod ipsismet auctoris verbis referre placet. *Ea tempestate, qua regnum Italiæ quidam nobilis Arduinus arripuerat, & ille magnus Heinricus, inter ceteros clarissimus, regni monarchiam, consentientibus Italiæ principibus, jam in eodem solo Italico positus affectabat; supra dictus pater transiens per Italiam, devenit ad quamdam aquam, quæ mœnia Papiæ præterfluens ab australi parte, mutuato*

ANN. CHR. 1014.

a se nomine dat vocari Ticinum. Hanc ergo festinanter transire cupiebat: sed navigium deerat, quo tantæ altitudinis flumen transvadari posset. Confidens itaque de Deo, cui tota mente adhærebat, vocat unum ex famulis, cui nomen Wolveno, & in nomine Domini jubet eum per alta fluminis haud dubie incedere. Mirum dictu! sed tamen omnia possibilia sunt credenti. Obedivit ilico famulus, & subsequitur post eum dominus; & ita cum omni comitatu, absque subsidio cymbæ, sine aliqua læsione, Christo ductore, ventum est ad ripam ulteriorem.... Hoc cernentes, qui ibi aderant, putaverunt consuetum aquæ transitum; & ascensis equis, id tentare conati sunt: sed priusquam prima vestigia sonipedum ripam tangerent, pene submergerentur, nisi confestim retro acti gradum pressissent. Viso tanto miraculo, unus ex circumstantibus accurrit ad genua sancti viri, orans, ut hospitio suæ domus uti dignaretur. cui vir beatus libenter assensum dedit. vergebatur enim jam dies ad occasum. Huc spectat quod in ejus vita legitur: nimirum cum vir Dei cum Heinrico rege, paullo post coronando imperatore, nativitatem Domini celebraret, contigisse, ut velamen mensæ ejus, artificiose contextum, fur quidam subriperet. quod subito languore correptus, reddere compulsus est. Consimile miraculum in eadem urbe factum est in furem, qui equum viro Dei clam subduxerat. Aliud refertur de libro sacramentorum ex equi lapsu in alpibus amisso, & post duos menses inter nives integro reperto, quem Gauzerannus sancti Eugendi abbas, cui traditus fuerat, post modum viro Dei reconsignavit. Mitto sanationes in illis itineribus complures ejus meritis factas. Benedictus pontifex singulari affectu prosequebatur Odilonem abbatem: qui, cum Romæ versaretur, *habebat hospitium in monasterio sacræ puerperæ Virginis, quod est situm in Aventino monte, qui præ ceteris illius urbis montibus ædes decoras habens, & suæ positionis culmen in altum tollens, æstivos fervores aurarum algore tolerabiles reddit, & habilem in se habitationem facit.* Huic loco præerat Armo abbas, beato viro peculiari connexus amore, cujus in mensa vinum meritis beati Odilonis divinitus auctum traditur. Denique, teste Jotsaldo, ex quo hæc compendio retulimus, *lætabatur etiam urbs Roma, mundi domina, tanti viri contubernio frequentata sæpius, sanctorum Apostolorum amore & desiderio.* Pias illas peregrinationes male interpretatus est Adalbero senior Laudunensis episcopus in carmine ad Rotbertum regem, ejusque comitatum, uti armis instructum exercitum, irridet. Sane ubicumque degebat, quocumque procedebat Odilo, *tanta sequebatur eum frequentia fratrum, ut jam non dacem aut principem, sed re vera putares esse archangelum monachorum.* quo nomine Fulbertus inter alios eum salutat. sed hoc erat argumentum reverentiæ, non deridiculi in sanctum virum, qui hanc frequentiam non affectabat.

CXIV. Placita de quodam castello Farfensium.

Redeo ad Hugonis abbatis contentionem de castello Bucciniani, de quo insigne placitum [a] exstat in archivo Farfensi, ex quo præcipua in præsens delibare juvat. Cum Romam advenisset Heinricus, & jam coronatus imperator in basilica beati Petri apostoli resideret ad jus suum cuique reddendum; ad eum accessit Hugo « abbas, & de invasione prædicti castelli, a Crescentio & Johanne germanis facta, « graviter conquestus est. Citati ad placitum invasores: at solus adfuit Johannes, qui « fratrem suum accersere supersedit; &, ut ambo in Urbe plurimum auctoritate pol- « lebant, eorum causa, forte etiam instinctu, commotio facta est Romanos inter ac « Germanos. quare imperator litem ad apices juris dirimere non potuit: sed, accepta « virga, coram pontifice Hugonem abbatem de prædicto castello reinvestivit, ejus- « que rei exsecutionem eidem pontifici demandavit. Idem imperator Farfensibus, « rogatu Hugonis abbatis, ablatas alias possessiones restitui curavit, in his ecclesias sancti Peregrini & sanctæ Mariæ cum suis adjunctis, in quibus comes Oderisius nuper monachos locaverat. quin etiam ex sua munificentia *districtum monasterii Sparzani* eis concessit. Hæc acta Romæ, antequam inde discederet imperator. Eo ultra montes reverso, Benedictus papa Crescentium monuit, ut illud castellum « Farfensibus tandem restitueret. at ille vocatus præ contumacia se sistere coram pon- « tifice recusavit. Hinc indignatus pontifex, cum multo comitatu ad locum se con- « tulit, ubi Crescentius tum residebat: eique ex indulgentia injunctum, ut intra vi- « ginti dies se ibidem coram pontifice sisteret. Statuto die Benedictus ad judicium ve- « nit *ante castellum, quod dicitur Triburcum, in monte, ubi videtur stare arbor pirus;* « & cum ex equo descendisset, posito *falcistorio*, ad judicandum resedit, adstantibus « plurimis judicibus, tam Romanis, quam Langobardis: quos inter adfuere abbates,

a *V. Append.*

AN. CHR. 1014.

„ Johannes monaſterii ſancti Pauli, Johannes alter ſancti Andreæ ad Clivum-Scauri; „ item Johannes monaſterii ſancti Dionyſii & ſancti Silveſtri; Adilelmus monaſterii „ ſancti Bonifacii, & Petrus abbas monaſterii ſanctæ Mariæ ad titulum Eudoxiæ, id „ eſt ſancti Petri ad Vincula. Mox Hugo abbas adfuit cum ſuo advocato ad cauſam „ dicendam ſecundum legem Langobardorum. Citati uſque tertium invaſores minime „ comparuere. quorum contumaciam non ferens pontifex, e ſententia judicum, lectis „ Farfenſium tabulis ac probatis, apprehenſa virga, denuo inveſtivit Hugonem abba- „ tem, impoſita multa librarum aurearum centum in ipſius judicii infractores. Hoc „ placitum, cui judices omnes cum pontifice ſubſcripſerunt, habitum eſt hoc anno, „ Benedicti pontificatus tertio, imperii Heinrici primo, indictione XII. die ſecunda „ menſis Auguſti.

CXV. Eveshamenſe cœnobium renovatur.

In Anglia Eoveshamenſe ſeu Eveshamenſe monaſterium, per annos ab origine trecentos, varias [a] pertulit fortunæ vices. Poſt mortem Egwini Wigornienſis epiſcopi ejus conditoris, decem & octo illi loco præfuere abbates: at mortuo Egwino ultimo ex his abbate, facta eſt diſperſio monachorum per Eſulfum epiſcopum & quoſdam laïcos, eiſque ſubſtituti canonici ſæculares uſque ad tempus regis Eadgari & Dunſtani archiepiſcopi, qui monachos illic reſtituerunt; ſed poſt mortem Eadgari, his iterum pulſis ſubintroducti canonici per Alferum principem Merciorum: tametſi quidam ſubinde abbates, at titulum ſine re, hoc eſt ſine reditu, retinuerunt. Dein locus variis paruit dominis, ex quibus Aldulfus epiſcopus Wigornienſis abbatiam a rege obtinuit. Tandem anno M XIV. rex Ethelredus ibidem monachos reſtituit, eiſque præfecit quemdam monachum Rameſienſem, Ailfwardum nomine, qui res monaſterii diſſipatas recollegit, & factus poſtea Londonienſis epiſcopus, hanc præfecturam nihilo minus retinuit.

a *Monaſtic. Angl. to. I. p. 150. & ſeq.*

CXVI. Carroſi reformatio & abbates.

Apud Pictones hoc fere tempore Willelmus comes & Aquitaniæ dux, regularem diſciplinam in Carrofenſi monaſterio reſtituendam curavit, ejecto Petro abbate potentiſſimo, qui ſimoniace, teſte Ademaro, hanc præfecturam obtinuerat, & ſubrogato in ejus locum Gumbaldo *regulari Dei ſervo, abbate ſancti Savini*, forte ſucceſſore Ariberti ejus loci abbatis, quem dux Willelmus iterum ac tertio hac de re interpellaverat, ut teſtantur ipſius Willelmi litteræ inter Fulbertinas [b] editæ, quæ huc referri merentur.

a *Fulb. ep. 117.*

Domno Ariberto ſancto & venerabili abbati, Guillelmus Dei gratia dux Aquitania, proſpera cuncta. Caritatem veſtram jam ſecundo interpellavi, ut mitteretis ad Karroficum monaſterium quoſdam ex monachis veſtris, qui eſſent ferventes in obſervanda Regula ſancti Benedicti: quorum ſancta converſatio fratribus ipſius loci bonum præberet exemplum, & eorum abbatem faſce regiminis levaret. Quoniam vero meæ petitioni nondum acquieviſtis, nunc quoque tertio ad oſtium veſtræ caritatis pulſo, inſtar illius evangelici petitoris, amicum obnixe rogantis, ut, ſi non propter amicitiam, ſaltem propter improbitatem meam, accommodetis mihi quotquot habeo neceſſarios. Obſecro igitur vos in nomine ſanctæ Trinitatis, quæ Deus unus eſt, ut decem fratres ex collegio veſtri angelici ordinis mihi tranſmittatis, memores tandem illius apoſtolici dicti: ALTER *alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Valete cum omnibus veſtris.*

Præfectus, ut jam dixi, novæ coloniæ Gumbaldus abbas non diu præfecturam tenuit, ſiquidem anno M XVII. jam ſubſtitutus erat Goffredus, qui Carrofenſem baſilicam *majori amplitudine*, ut Ademarus loquitur, eo anno reædificare cœpit, & ipſe anno inſequente exſtinctus, ſucceſſorem ſortitus Hugonem, ad annos circiter ſeptem. Hugonem excepit Fulcherius, cujus tempore nova baſilica dedicata fuit.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUINQUAGESIMUS-QUARTUS.

Ab anno Chriſti 1015. *ad annum* 1021.

ANN. CHR. 1015. I. Abdinchofenſe monaſterium conditur.

ANONYMUS auctor, qui librum ſcripſit de rebus geſtis beati Meinwerci Paderbornenſis, haud obſcure ſignificat, Heinricum imperatorem in reditu ex urbe Roma poſt ſuam coronationem, cum domno Meinwerco epiſcopo, pauciſque familiaribus ad Cluniacenſe monaſterium, *pro ſuæ religionis fervore & ſitu loci* maxime *nominatum*, divertiſſe, deducente forſan Odilone abbate, qui ipſum in illo itinere comitatus fuerat; viſuque ea comprobaſſe, quæ fama referente de ſacro illo cœnobio acceperat: tumque coronam auream pretioſiſſimam *ad miſſam, quæ de cathedra ſancti Petri appellatur, obtuliſſe*; & fraternitate monachorum humiliter petita & accepta, omnium fratrum precibus ſe commendaſſe. Ibidem, imperatore favente & opem in omnibus ſpondente, Meinwercus epiſcopus ab Odilone & congregatione tredecim fratres ad conſtruendum vitæ monaſticæ cœnobium impetraſſe dicitur, iiſque ſecum adductis, cum libra panis & potus, necnon regula, antiphonario & hymnario, in patriam ſtatim revertiſſe: ubi capellam in honorem ſancti Benedicti ad occidentalem Patherbrunnæ civitatis plagam anno M XV. ædificare cœpit, quam XVI. kal. Martias anni inſequentis dedicavit. Ægre id tulere monachorum æmuli, cauſati, monachos, pro notatione ſui nominis, a turba & civitate remotos eſſe debere; ceterum magis decere, ac congruere civitati, ut eo in loco ſanctimoniales, aut clerici inſtituerentur. Contra Meinwercus offendiculo infirmiorum eſſe poſſe muliebrem ſexum; longe ſatius eſſe, ut clericis proximi eſſent monachi, quam alii clerici. Ita enim fore, ut mutuo ſe ſe ad virtutem & pietatem animarent, & in divinis humaniſque auxilio ſimul & conſilio eſſent epiſcopo. His dictis Meinwercus factum ſuum omnibus approbavit. Sic vero domum infirmorum capellæ ſancti Benedicti eodem muro conjunxit, ut ſacerdos altari aſſiſtens per muri feneſtram infirmo communionem præbere poſſet. Porro ex his fratribus, quos Cluniaco adduxerat, Sigehardum ceteris abbatem præfecit, cui *quoſdam pueros miniſterialium & civium ſuorum regulari norma imbuendos* tradidit, ut exemplo ſuo bonæ opinionis & ſanctæ converſationis odorem longe lateque in po-

ANN. CHR. 1015.

pulos ſpargerent. quæ res optimi præſulis votis apprime reſpondit. Ejus ſtudio & ſollicitudine intra quindecim annorum ſpatium abſolutum fuit monaſterium, cujus clauſtrum quoties introiſſet, *relictis foris popularibus, aſſumtis gravibus & religioſis perſonis, quæ ſciebant & ſua tegere, & aliena non publicare, clauſtrum introibat. quod deinceps faciendum, tam canonum traditione, quam ſua inſtitutione mandavit.* Hactenus ex anonymo, qui non ſatis accurate aſſecutus videtur tempus, quo Heinricus cum Meinwerco Cluniacum adiit. Certe non potuit illic adeſſe anno præcedente *ad miſſam* ſeu feſtum cathedræ ſancti Petri, quippe qui eo anno Romæ coronatus imperator VI. kalend. Martii, inſequentem paſchæ ſollemnitatem Papiæ celebravit.

II. Corbeiæ-novæ reformatio.

Non minori ſtudio Meinwercus prolapſam in Corbeiæ-novæ monaſterio regularem diſciplinam inſtaurare curavit. Id quemadmodum factum ſit, paullo aliter anonymus in actis Meinwerci, aliter chronographus Saxonicus refert. Rem ſic narrat anonymus. Poſteaquam monaſterium illud a Ludovico Pio conſtructum, & a Baduradó Patherbrunnenſi epiſcopo dedicatum fuerat, temporum decurſu ut religionis, ita poſſeſſionum profectu ſuccrevit. Sed cum deliciæ, ex divitiis natæ, vigorem diſciplinæ reſolviſſent; Meinwercus epiſcopus, in cujus parochia ſitum erat, eo ſe contulit, ut ſecundum canonicam auctoritatem emendaret, quod contra regulam & bonos mores irrepſiſſe animadvertiſſet. Verum cum grandi ſua, ſuorumque injuria repulſus, Heinricum adiit, obtinuitque ab eo, ut, Wala abbate depoſito, alius, nomine Drutmarus, per quem religio clauſtralis illic reformaretur, ei ſuccederet. quæ res ita epiſcopum monachis exoſum reddidit, ut eccleſiæ cuſtos, Boſo nomine, ſacra ibidem celebrare volenti, libertatis & privilegii ſui obtentu, ornamenta neceſſaria ſubtraxerit, cauſatus ei non licere abſque ſuo permiſſu illic divina celebrare. De hac injuria queſtus tum ad fratres, tum ad populum antiſtes, Boſonem ad ſatisfactionem vocavit. quem tertio vocatum, ſed venire recuſantem, ad tribunal Chriſti poſt mortem citavit; ſicque loco diſceſſit. quem abbas, ſcilicet Drutmarus, cum fratribus Patherbrunnam proſecutus, plenam reconciliationem obtinuit, non tamen pro eo, qui contumeliam ei fecerat, cui ſæpe & multum rogatus veniam indulgere detrectavit. Hæc fere anonymus: nunc quo pacto id referat chronographus Saxonicus, videamus.

Reverſus ex Romano itinere Heinricus, Corbeiam venit ad viſitandos fratres, quorum vita & mores ipſi haud quaquam placebant, eoſque imperiali auctoritate corrigere tentavit. at plerique, quaſi patrum inſtituta defendentes, ejus voluntati præfracte reſtiterunt, eoque progreſſi ſunt, ut male rebelles, quoddam veluti pugnæ genus contra imperatorem paraverint. Quid deinceps actum ſit, inquit chronographus, magis eſt ſtupendum, quam ſtilo commendandum. Hæc ille ad annum præcedentem: hoc vero anno idem habet quod Ditmarus. nimirum cum ad Immedeshuſen in vigilia pentecoſtes veniſſet imperator, illic cum antiſtite Meinwerco hanc ſanctam ſollemnitatem feſtive peregit. Ibi Wala Corbeienſis abbas, qui prius ab officio ſuo ſuſpenſus fuerat, deponitur, & cœnobii privilegia & conſuetudines, quæ a Ludovico auguſto dante invaluerant, ab imperatore mutantur, & ex Laureshamenſi monaſterio Drutmarus ſine fratrum conſenſu abbas aſſignatur. Hic eadem hebdomada illuc acceſſit: quo præſente, Corbeienſes vitam ſuam, quæ cunctis pæne monachis exemplum præbuerat, ex hoc vileſcere gementes, omnes, novem exceptis, flentes diſceſſerunt. quod Liudolfus venerabilis abbas futurum olim prædixerat: ſed multis, iterum Dei gratia converſis, magis placuit ſe ſubdere inſtauratæ regulari diſciplinæ, quam miſerabiliter in ſæculo vagari. Sunt qui putant, tantos motus excitatos fuiſſe ob defenſa monaſterii privilegia, nec aliam ob cauſam depoſitum fuiſſe Walam ſeu Walonem, virum alioqui pium, quam quod Meinwerco, monaſterii libertatem opprimere volenti, obſtiterit, ob idque male apud imperatorem audierit. Huc ſpectat Chriſtiani Paullini pro Walone apologia. Non diſſimulat tamen annaliſta Corbeienſis, ſub Walone abbate rigorem diſciplinæ aliquantulo remiſſiorem fuiſſe: at ſubdit, Walonem injuſte a Meinwerco depoſitum fuiſſe, quod jura & privilegia ſua conſtanter defendiſſet; eumque apologiam pro ſe ſcripſiſſe, quam ſummo pontifici & prælatis Ordinis noſtri miſerit. Inter ea diſperſam fuiſſe totam congregationem in varia monaſteria, paucis remanentibus, & mutationem hanc deplorantibus: Drutmarum vero, e Laureshamenſi monaſterio accitum ab imperatore, virum alioqui pium & doctum, Corbeiæ prælatum, ſpiritualia & temporalia diligenter curaſſe.

ANN. CHR. 1015.

III. Werthinenſes abbates.

Idem chronographus tradit, hoc ipſo anno Redbaldum Wirdunenſem ſeu Werthinenſem abbatem, qui Werinberto hoc ſæculo ineunte ſucceſſerat, in vigilia paſchæ obiiſſe, ejuſque in locum electum fuiſſe Hetthenricum ejuſdem cœnobii præpoſitum, cui apud *Caſſulum* opidum imperator, cum conſilio Heriberti Colonienſis archipræſulis, *Wirdunenſe* monaſterium commendavit. Hinc corrigendus Bucelinus, qui Hetthenrici præfecturæ initium ad ſeptem annos differt. Hic abbas poſt biennium Werthinæ excepit Heinricum imperatorem, qui pentecoſten ibidem celebravit. De ſancto Bardone Hetthenrici ſucceſſore inferius agendum. In eodem chronico Saxonico legitur, Giſlam, filiam Lotharii Waldbickenſis, matrem Heinrici marchionis, XIV. kal. Septembris hoc anno obiiſſe, ac ſepultam fuiſſe in monaſterio, quod Suinvordæ ipſa exſtruxerat.

IV. Adelheidis abbatiſſæ Vilikenſis obit.

Sub idem tempus Adelheidis Vilikenſis abbatiſſa reviſit Colonienſe ſanctæ Mariæ cœnobium, cui etiam præerat. Cum illic verſaretur, die feſto ſancti Blaſii poſt cœnam correpta eſt periculoſo gutturis morbo, quem poſt completorium ſignis, ne ſilentium a regula rigide præſcriptum violaret, cuidam ſorori ſibi familiari, Idæ nomine, indicavit. Illa nullum eſſe periculum reputans, ad lectulum ſe recepit: at Adelheidis mortem ſibi imminere certa, petiit *monaſterium*, id eſt eccleſiam, ubi precibus horas matutinales prævenit. Prima luce miſſam ſibi celebrari mandavit, *in qua ſe dominici corporis & ſanguinis ſacramento munivit*, ſanctumque Herebertum (is Colonienſis archipræſul) de inſtante ſibi morte certiorem fieri curavit. quo nuntio magnopere conſternatus eſt vir Dei, qui ipſi indiſſolubili caritate ſemper adſtrictus fuerat. Vilikenſibus quoque ſororibus pia mater ſe quidem morbo, ſed modico (ne illas immoderato mærore affligeret) teneri per nuntium ſignificavit, eaſque ad ſe quantocius viſendam invitavit. quod cum illæ, imminentis mortis neſciæ, in craſtinum diſtuliſſent, eam mortuam invenerunt. Tantæ matris jactura ſupra modum afflictæ, unum ſibi ſolatium ſupereſſe ratæ, ſi ſaltem ejus corpus in ſuum monaſterium deferendum obtinere poſſent; archiepiſcopum multis precibus & lacrymis hac de re interpellarunt. qui demum exoratus ſacrum illud depoſitum eis conceſſit, quod intra clauſtra monaſterii, uti illa vivens mandaverat, ſepulturæ tradunt, non multo poſt in eccleſiam tranſlatum: ubi miracula non pauca facta perhibentur. In his nobilis quidam, *pro pœnitentia cujuſdam capitalis criminis ferreis nexibus apoſtolica auctoritate ligatus*, ad ſanctæ virginis tumulum nexibus divinitus ſolutus fuit, ut teſtatur Berta ejuſdem loci ſanctimonialis, Adelheidis æqualis, quæ librum de rebus ab ea geſtis haud inconcinne compoſuit. Diſtractæ hinc inde ſacræ ejus reliquiæ nuperis hæreſeos cladibus, quibus locus iſte omnino attritus fuit; inſtauratus, ut licuit, ab Amœna Margarita, quæ nobilibus canonicabus ejus loci poſt illas clades præfuit.

V. Gemblaco facta donatio.

Commiſſa hoc tempore pugna apud Florinas inter Lambertum Lovanienſem comitem, filium Ragineri Longi-colli, & Godefridum Lotharingiæ ducem: cæſoque in illa pugna Lamberto, ejus conjux Gerberga, ut defuncti animæ remedium ſalutare procuraret, perennes pro eo preces in monaſterio Gemblacenſi, cujus ipſe comes defenſor fuerat, perſolvi curavit. Ejus rei cauſa, annuente filio ſuo comite Henrico, feudum proprietatis ſuæ, Tortoſam dictum, Gemblacenſibus contulit. quod poſtea comes permutavit, datis aliquot manſionibus, quas Gemblaci jure beneficii a rege habebat. Abbas autem Olbertus, *ſciens* [a] *monachorum eſſe, ut labore manuum vivant ex patrum & apoſtolorum exemplo; continuato cum fratribus labore, ſecundum quod neceſſitas paupertatis exigebat, & voluntas obedientiæ ſuadebat*, in opportunis ipſius prædii locis factis æſtuariis, vivaria ad recipiendos piſces conſtruxit, quod fratrum uſibus maxime profuit.

[a] *Spicil. to. 6. p. 523.*

VI. S. Vitoni res confirmatæ.

Noviomagi ad Rhenum cum demoraretur Heinricus auguſtus, Heymonis Virdunenſis præſulis interventu res ſancti Vitoni monaſterii ſingillatim confirmavit; in his quidquid Godefridus & Herimannus comites eidem cœnobio contulerant, necnon comes Leitardus, qui *monachus* inibi *factus* dedit in pago Vabrenſi, in comitatu de Caſterei, prædium Ballodium dictum cum villa Helva. His omnibus quædam de ſuo adjecit imperator, nempe dimidiam partem telonei, monetæ, & totius debiti, quod ad jus ſuum attinebat apud Moſomum; & quidem per interventum

ANN. CHR. 1015.

Hermanni comitis, cujus beneficium antea fuerat. *Actum Noviomago* hoc ipso anno, sed sine diei designatione. Nulla hic mentio Richardi abbatis, qui forte emendando sancti Amandi monasterio occupatus erat, vir maximæ apud imperatorem auctoritatis. In eodem diplomate memoratur *Villare in comitatu Stadunensi super fluvium Asnam* *. qui locus conducere potest ad illustrandum pagum Stadonensem. Legimus aliud ejusdem imperatoris præceptum absque chronicis notis, in quo fidelis ejus Litardus, comes nobilissimus, superni inspiratione consilii divinitus afflatus, vitæ quoque melioris desiderio accensus, favente secundum votum ipsius imperiali consensu, sancti Vitoni *tonsoratus se contulisse dicitur monasterio ; & ne vacuus ad aram Domini veniret, præobtulisse de possessione sua eidem monasterio prædium Ballodium in pago Macensi*, scilicet mansum indominicatum cum ecclesia integra. quod imperator ratum habet. Ex quibus intelligitur, Leitardum comitem anno præcedente factum fuisse monachum. si quidem jam Heinricus imperator erat, cum ejus donationem comprobavit. Eodem fere tempore Arnulfus miles de Hattonis-castello factus est monachus apud sanctum Paulum, scilicet Virduni, ut Richardus abbas in quadam charta testatur.

* l'*Aisne*. Litardus comes factus illic monachus.

VII. Humbertus monachus Mediani-monasterii.

Tunc temporis Hardulfus abbas Mediano-monasterio præfectus erat, sub quo Humbertus, postmodum rebus gestis & cardinalitia dignitate insignis, litterarum studiis, *sub monachali habitu* hoc anno ibidem oblatus, imbuitur, ut Johannes de Bayone in historia illius monasterii testatur. Hardulfo abbati post annos quatuordecim successit Nortbertus abbas. Humbertum non Burgundionem, sed Lotharingum fuisse innuit Lanfrancus in commentario, quem contra Berengarium scripsit, eumque virum religiosum, fide christiana, sanctissimisque operibus & doctrina decoratum fuisse dicit : qui sic vixit, ut *de fide vel doctrina ejus nec saltem sinistræ suspicionis fama aliquando exorta sit.*

VIII. S. Præjecti monasterio donatio facta.

a *Hemeré prob. p. 34.*

Superstes erat saltem ad hoc usque tempus Albertus secundus comes Viromandensis, idemque sancti Quintini martyris basilicæ dictus abbas & rector, qui hoc anno donationem cujusdam prædioli, [a] apud Rodulfi-curtem ad Fraxinum, a quodam ejus servo, Firmato nomine, factam suburbano sancti Præjecti monasterio, confirmavit cum matre sua Ermengarde & fratre suo Ottone. *Actum prope vicum sancti Quintini, die kal. Febr. anno dominicæ incarnationis* M XV. *regnante rege Rotberto nono-decimo anno*, inito a morte patris. His litteris post prædictos Albertum, matremque ac fratrem ejus subscribunt Vivianus decanus, aliique canonici basilicæ sancti Quintini : cujus loci Dudo [b] canonicus hoc ipso anno a Richardo secundo Nortmannorum duce confirmationem obtinuit earum ecclesiarum, quas pater ipsius Richardus, *in Calcis* * *comitatu sitas*, olim sancto Quintino donaverat. quæ confirmatio sancita est sub pœna quadraginta auri librarum, quorum viginti *regi Francorum* persolvat infractor, ducique Nortmannorum æque viginti. *Actum est autem anno ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi* M XV. *indictione* XIII. *regnantis Rotberti* XXVII. *hoc præceptum Rodomagensi civitate, in nativitate genitricis Dei Mariæ.* Huic præcepto post Richardum apponuntur signa matris ejus Gonnor, uxoris ejus Judith, Richardi filii Richardi, Willelmi comitis, Rotberti archiepiscopi, Hugonis Ebroïcensis episcopi, & aliorum. Quæ idcirco retulimus, ut appareat, necdum hoc anno decanum fuisse basilicæ sancti Quintini Dudonem, qui libros tres de gestis Nortmannorum Adalberoni Laudunensi episcopo jam decanus nuncupavit, inchoatos biennio ante mortem Richardi primi, anno millesimo secundo mortui, cujus rogatu hos aggressus est, eosdem prosecutus post ejus mortem ad preces Richardi secundi ejus filii & Rodulfi comitis. Non mirum itaque, si hic Richardus tam facile Dudonis precibus assensit, prædictam confirmationem postulantis. Hæc paullo extra lineas.

Dudo decanus S. Quintini.

b *id. in corp. p. 107.*

* *de Caux.*

IX. Alberti comitis funesta mors.

c *Chron. Camerac. p. 63. c. 23.*

De Alberto comite superius memorato Baldericus [c] rem narrat memorabilem, a rebus nostris haud alienam. Hic totus nequitiæ deditus, maxime linguæ vitiis, justo Dei judicio tandem gravi & intolerabili morbo percussus, monente Waleranno monacho, qui sub Richardo abbate Humolariensis sanctæ Hunegundis monasterii tunc præpositus erat, postmodum ejusdem loci abbas, *falsam pœnitentiam induit, postea sub monachali habitu Deo serviturus. Tonso capite, assumto habitu, aliquantisper convaluit* ; moxque in pristina relapsus vitia, consilio matris, aliorumque fautorum, *qui hoc eum per insaniam fecisse dicebant*, militari *chlamyde iterum*

sumta, mutavit cucullam. Statim vero rursus extremo corripitur morbo, & lingua ejus, criminum præcipuum instrumentum, divino quodam igne succensa est. Cum hora ejus exitus instaret, *stulti canonici* (sic idem Baldericus loquitur) *corpus Domini detulerunt. quod cum gustasset, mox in hæc extrema verba spiritum exhalavit : Ferrum*, inquit, *quod mihi clerici detulerunt, me occidit.* Sub hæc advenit Waleranno monachus, & linguam ejus, *usque ad palatum crematam*, matri ac fratri, ceterisque adstantibus monstravit ; idque postea Gerardo Cameracensi episcopo narravit. Hic est Walerannus abbas Humolariensis monasterii, a Richardo Virdunensi abbate institutus, cujus rogatu [a] Otto Viromandensis comes, Alberti prædicti frater ac successor, conventionem [b] quamdam, cum hominibus villæ Lantiaci ab eo factam confirmavit ; necnon donationem olim factam a Lantberto sancti Quintini signifero & castellano, qui monachum ibidem se devoverat.

ANN. CHR. 1015.

Walerannus abbas Humolariensis.

a *V. lib. 49. n. 97.*

b *Hemeré prob. p. 35.*

In villis sancti Benigni præstationes quædam, quæ *salvamenta* dicebantur, certis dominis pendi solebant. Has omnes [c] sancto Benigno remisit Rotbertus rex, vetuitque, ne deinceps a quoquam exigerentur. quod donum, super altare sancti Remigii positum, laudaverunt Constantia regina ejus conjux, & filii Heinricus, tunc Burgundiæ dux, atque Rotbertus frater, qui illi successit. Post eos in authentico apponuntur signa *Lamberti episcopi*, scilicet Lingonensis, *Gotfredi episcopi*, nempe Cabilonensis, *Hugonis comitis & episcopi* Autisiodorensis, *ejusdem loci provisoris, Azelini Laudunensis præsulis*, qui & alio nomine Adalbero cognominabatur ; *Beraldi episcopi* Suessionensis, *Ottonis Matisconensis comitis, & Raynaldi Nivernensis comitis. Data* VIII. *kal. Februarii, anno ab incarnatione Domini* M XV. *indictione* XIII. *epacta* XVII. *regnante Rotberto* XXVIII. *anno. Actum Divione feliciter.* Ex his intelligitur eo tempore jam fato functum fuisse Brunonem Lingonum episcopum, cujus successor Lambertus præmisso diplomati subscriptus occurrit. Favet breve chronicon [d] apud Labbeum, ubi *Bruno Lingonensis præsul eximius, & pauperum Christi tutor & defensor piissimus*, hoc anno obiisse traditur. Emendandus proinde chronographus Benignianus, qui Brunonis obitum differt in annum sequentem. Ex his facile intelligitur, Rotbertum regem jam tum in gratiam recepisse Willelmum abbatem & monachos Divionenses, quibus infensus fuerat [e] ex eo, quod Willelmus Brunoni Lingonum episcopo, regis consiliis adversanti, faveret. Hinc rex Reomaensem abbatiam abstulit Willelmo : qui veritus, ne quid sui causa Benigniani monachi a rege paterentur, eos in diversa loca dispersit, paucis tantum ad loci cultum & custodiam relictis cum Odilone Cluniaci abbate, regi acceptissimo, quem ad hoc Willelmus accersierat, ne quid rex contra locum sanctum moliretur. At rex, ut erat benignissimus, ubi monachos sui causa dispersos cognovit, magnopere doluit, eosque quantocius revocari jussit.

X. S. Benigno remissæ præstationes.

c *Spicil. to. 1. p. 460.*

d *Labbe to. 1. Bibl. p. 294.*

Hoc anno Senonum urbs Rotberto regi tradita est ; tumque Rainardus monasterii sancti Petri abbas decessit, qui monasterium instauravit, variaque supellectile ecclesiam [f] exornavit, &, quod præstantius est, regulari tramite monachos instrui, & liberalibus disciplinis informari curavit. Laudatur a Trithemio in chronico Hirsaugiensi. Huic successit Ingo, qui jam abbas erat sancti Martini Masciacensis, & sancti Germani Parisiensis, regis quoque consanguineus. Ejus tempore HLudovicus comes [g] Alemannorum, orationis causa profectus ad sancti Michaëlis Periculum, reversusque Senonas usque, morbo tentatus, monasticum illic habitum induit, pieque migravit, collatis possessionibus, quas in villa Ariscurti habebat, & pallio uno, quod pallium HLudovici a posteris dictum est.

e *Spicil. to. 1. p. 455. & seq.*

XI. Ingo abbas S. Petri Vivi.

f *Odoran. to. 2. Ch. p. 639.*

g *Spicil. to. 2. p. 740.*

Ludovicus comes illic monachus.

Puellare monasterium pagi Cenomannensis, vocabulo Tusiacum, condiderat sæculo octavo innuente Berarius episcopus, quod bellorum subinde procellis labefactatum, penitusque demum eversum jacebat usque ad hoc tempus, quo Hugo de Monte-Dublelli *, favente Hugone comite, illud denuo excitavit pro monachis, quibus quemdam monachum, haud dubie sancti Petri de Cultura, nomine Hermentum, abbatem præfecit, & ab Avesgaudo episcopo ordinari curavit *per deprecationem domni abbatis Ingelbaudi totiusque congregationis ejus*, scilicet sancti Petri de Cultura. Libera fuisse videtur hæc abbatia sub tribus abbatibus, videlicet Hermento, Sevino & Goscelino : sed tandem Arnaldi episcopi pontificatu, redacta fuit in cellam conventualem, quæ sancti Vincentii ejusdem urbis monasterio subjecta est.

XII. Tusiacum monasterium instauratur.

* *Montdoubleau.*

ANN. CHR. 1015. XIII. Odonis comitis litteræ pro Majoris-monasterio.

Majus-monasterium tunc procurabat Ebrardus seu Ewrardus abbas, cujus loci terram, monasterio propinquam, quæ Portus seu Capella sancti Bartholomæi dicitur, cellasque circumpositas vexabat Odo comes: sed tandem, adhortante Hugone archiepiscopo, litteris suis se ab injuria deinceps temperaturum hoc anno spopondit. Idem abbas in curia ipsius Odonis comitis & Hugonis archiepiscopi decretum obtinuit contra quemdam vicarium, qui vice comitis judicium exercebat, Tedasium nomine, qui injustas consuetudines ab hominibus Majoris-monasterii exigebat, contra quam *a tempore Odonis senioris comitis, teste Gualtero Turonensis civitatis cive, a Corbone definitæ fuerant, & a patre ejusdem Tedasii* dimissæ; statutumque est, *ut omnes vicariæ, quas Tedasius reclamabat in terra sancti Martini, irritæ essent, nisi ex quatuor causis, scilicet rapto, incendio, banno & furto:* ita ut *si colibertus in colibertum, in terra sancti Martini consistens, aut ex aliis potestatibus sancti Martini, pro aliqua causa adveniens neglexerit, aut qualemcumque forisfacturam fecerit; nec Tedasius, nec ullus vicariam habeat, sed omnia in potestate abbatis & monachorum jam dicti loci consistant.* Alia ejus decreti minutiora prætereo. *Hæc vero definitio & terminatio vicariæ est a ripa Ligeris usque ad terminum terræ Vindocinensis.* Subscripta sunt nomina Odonis comitis, Hugonis archiepiscopi, Guanilonis archiclavis, Gaufredi vicecomitis, Gaufredi filii ejus, Harduini filii Corbonis, & aliorum, sed absque notis chronicis. Guanilo seu Wanilo thesaurarius sæcularis erat, an collegiatæ sancti Martini ecclesiæ sub Herveo tunc archiclavo: cujus Wanilonis uxor, nomine Agnes, quasdam vineas, apud *Vitrey* prope monasterium sitas, monachis cessit, reservato sibi usu-fructuario. Ad hæc eidem Ebrardo abbati, ejusque monachis Alanus dux Brittonum prædium suum Deservum liberaliter donat, assentientibus Eudone fratre ducis, atque eorum matre Advisa, cum Gualtero Namnetensi episcopo, in cujus parochia indubie hoc prædium situm erat.

XIV. S. Andreæ Viennensi quædam restituta. a *Spicil. to. 13. p. 276.*

Annum regni vicesimum agebat Rodulfus rex Burgundiæ Transjuranæ, cum, petente Irmingarde [a] regina conjuge sua, necnon fratre suo Burchardo Lugdunensi archiepiscopo, sancti Andreæ Viennensi monasterio, cui tum Hugo abbas præerat, restituit ecclesiam sancti Symphoriani in Septimo, cum dote, decimis, & offerendis, sicut ipsius pater rex bonæ memoriæ Chuonradus & genitrix Mathildis eam dederant. Addit Rodulfus quidquid Constantius in valle Ortensi per donum Aimuini seu Aimoini abbatis ædificaverat. *Data pridie idus Aprilis, anno incarnationis Domini* M XV. *regnante domino Ruodulfo rege anno vicesimo. Actum Aquis.* Ermengardis regi Rodulfi regis secunda uxor erat; nam prima Agildrudis [b] vocabatur.

b *ibid. p. 272.*

XV. Durandus episcopus Vencionensis monasterium S. Verani condit. c *lib. 53. n. 45.*

Post mortem episcopi Vencionensis, cujus nomen ignoratur, electus est in ejus locum Durandus, tum abbas sancti Eusebii monasterii Aptensis, de cujus origine in superioribus [c] egimus. Hic, quia rudes & totius boni ac religionis expertes illius terræ homines noverat, quemdam fratrem, prædicti cœnobii monachum, Pontium nomine, comitem sibi adscivit, qui ambo monasterium sancti Verani in territorio Cagnensi, ubi Carolus-Magnus ecclesiam beatæ Mariæ, quam *Deauratam* vocabant, exstruxisse ferebatur, loco ad mare opportuno, ad fluvium Lupi, prope castrum Cagnæ construxerunt, omnimoda libertate prius eidem loco a principibus illius regionis concessa. Pontius abbas primus diu rexit hoc monasterium, cujus ecclesia beatæ Mariæ, sancto Johanni-Baptistæ ac sancto Verano confessori nuncupata erat.

XVI. Arduinus rex fit monachus.

Hoc anno Arduinus marchio Eporediæ, qui se regem contra Heinricum imperatorem ferebat, regni titulo abdicato, factus est monachus: cujus rei causa non una assignatur. Sigonius scribit, Ardoinum, Heinrici absentia erectum, ingenti collecta militum manu, Vercellas occupasse, Novariam obsidione, Comum oppugnatione, atque ad extremum Mediolanum ipsum hostilibus incursionibus pressisse, ac demum, ut archiepiscopum sibi infestum propria afficeret contumelia, mortuo Astensi episcopo Ardericum, Manfredi Astensis marchionis fratrem, pro arbitrio suffeciisse, eumque Romam consecrandum misisse. qua injuria offensus archiepiscopus, exercitu Astæ admoto, novum episcopum & marchionem ad deditionem compulerit. quod ubi rescivit Ardoinus, extemplo præ nimio animi dolore regno se abdicaverit, atque ultro in monasterium Fructuariæ in agro Taurinatium

se abdiderit. Hæc Sigonius. at chronographus Saxonicus, nondum editus, rem sic narrat. *Interim Harduwigus, nomine tantum rex, perdita urbe Vercelli, quam, expulso Leone episcopo diu injuste tenuerat, infirmatur, radensque barbam & monachus factus,* III. *kal. Novembris obiit, sepultus in monasterio,* scilicet Fructuariensi. Attamen in necrologio sancti Benigni Divionensis XIX. kal. Januarii *Arduinus rex & monachus* obiisse traditur. ANN. CHR. 1015.

XVII. S. Nicolai monasterium Camerinense conditur.

Eodem anno Atto comes, filius Attonis comitis, & Berta comitissa ejus uxor, Arnerii itidem comitis filia, de salute animæ suæ solliciti, unanimi ac mutuo consilio monasterium sub titulo sancti Nicolai ad Ostia in comitatu Camerino, ubi a priscis temporibus ecclesia in honorem sancti Michaëlis ædificata erat, construxerunt, ac *liberaliter dotaverunt*, ea mente, ut *cum spiritualibus fratribus secundum conversationem beati Benedicti abbatis morēs* suos instituere valerent; ibique domnum Petrum, filium Erisolde, abbatem constituerunt, tali monasterio concessa libertate, ut sub nullius potestate esset, *nisi solius Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, cui omnia subjecta sunt.* Actum anno ab incarnatione Domini M XV. mense Februario, indictione XIII.

ANN. CHR. 1016. XVIII. Rotberti iter Romam. a *Chesn. to. 2. p. 639.*

POstero anno millesimo sexto-decimo Rotbertus rex Francorum Romam ad limina Apostolorum profectus videtur. De hoc itinere agens Odorannus [a] ait contigisse, ut, dum rex Urbem peteret, Constantia regina, una cum Hugone *filio parvulo*, in villa pagi Senonensis Tillo remaneret. quo comperto Berta regina, quæ dudum causa consanguinitatis a rege separata fuerat, regem subsecuta sit, spe adducta, fore ut faventibus quibusdam aulicis, regio thalamo pontificis decreto restitueretur. quæ res cum Constantiæ reginæ grandem metum incuteret, sanctus Savinianus in somnis ei apparuit, jussitque bono animo esse; brevi eam, Deo propitio, hoc metu liberandam. Reginæ vero quis esset Savinianus ignoranti, Theodericus quidam, qui in Senonico sancti Petri monasterio nutritus fuerat, post reditum regis futurus Aurelianorum episcopus, Constantiæ infit: Savinianum esse primum Senonum episcopum & martyrem, cujus corpus in monasterio sancti Petri honoraretur. Mox illa, simul cum filio, sancti Petri limina petiisse dicitur, multisque precibus & lacrymis se sancti Saviniani patrocinio commendasse. cujus votis brevi effectus respondit. nam rex tertia post hæc luce ex Romano reversus itinere, Constantiæ majori affectu adhæsit. cujus beneficii regina haud immemor, sancti corpus, quod antea plumbo dumtaxat inclusum fuerat, auro gemmisque exornari curavit, rege per Odorannum monachum, qui hæc scripsit, id exsequente, & suppetias ad id opus, id est aurum, argentum & gemmas, conferente. quibus peractis, Leothericus archiepiscopus sacrum corpus in novum loculum transmutavit. Paullo ante id tempus Leothericus, *adhuc vivente abbate Rainardo*, quem anno superiore decessisse diximus, sanctorum Saviniani & Potentiani corpora repererat, eaque *locellis plumbeis* recondiderat, Clario [b] monacho testante.

b *Spicil. to. 2. p. 738.*

XIX. Bulla pro Cluniaco. c *Conc. to. 9. p. 811.*

Quo tempore, quove consilio Romam adierit Rotbertus, non omnino exploratum. Vero propius est, hoc iter sola devotionis causa ab eo susceptum fuisse. nisi quis putet, id factum eo animo, ut Bertam, quam ægre dimiserat, per Benedictum papam resumere sibi liceret; & ex condicto Bertam hoc in itinere ipsum subsecutam fuisse. Tempus vero hujus itineris colligimus ex apostolicis [c] litteris, quas pontifex Gallicanis episcopis pro Cluniacensi monasterio scripsit contra ejus vexatores, quorum deprædationes *ex reclamatoria legatione* Odilonis abbatis intellexerat *in præsentia Deo devoti domni Roberti regis Francorum, principumque ejus & optimatum, qui cum eo venerant ad limina Apostolorum.* Jam vero tempus scriptæ hujus epistolæ, quæ *kalendis Septembris* data dicitur, conjicimus tum ex nominibus Gallicanorum episcoporum, quibus inscripta est; tum ex tempore receptæ a Rotberto Senonum urbis, tum ex tempore pontificatus Theoderici Aurelianensis episcopi, tum denique ex ætate Hugonis Rotberti & Constantiæ filii adhuc *parvuli*, necdum regis, quo nomine anno insequente insignitus fuit. Unus ex episcopis, quibus inscripta legitur epistola, est Lambertus Lingonum antistes, cujus decessor Bruno anno præcedente obierat, & quidem tertio kalendas Februarii, ut in necrologiis sancti Benigni & sancti Germani Parisiensis notatur. Deinde in potestate Rotberti regis tunc erat Senonum civitas, ad quam scilicet liber erat Con-

ANN. CHR. 1016.

stantiæ reginæ aditus: quæ urbs non ante annum seperiorem [a] in regis potestatem venit.

[a] *Spicil. to. 2. p. 738.*

XX. Theodericus fit episcopus Aurelianensis.

Theodericus ex castro-Theoderici in Briegio ad Matronam, parentibus genere claris & præpollentibus ortus, Sewinum Senonum archipræsulem, & Rainardum sancti Petri in eadem urbe abbatem consanguinitate attinuisse traditur. Ejus rei causa Rainardo ipsius *avunculo* in eodem cœnobio liberalibus studiis imbuendus committitur, indeque in curiam Rotberti regis accersitus, post ejus ex Urbe reditum in locum demortui Fulconis Aurelianorum episcopi regia auctoritate inductus est, obsistente Odolrico clerico, magnopere infesto, qui eumdem episcopatum ambiebat, & sinistram de Theoderico ubique spargebat opinionem. Hac præventus Fulbertus Carnutum præsul eximius, cum ad ejus ordinationem invitatus fuisset, varias [b] ei opposuit causas, quarum duæ præcipuæ: una, quod Aurelianensis ecclesia ob crimen homicidii tunc interdicto suppositа esset: altera, *proscriptio refragantium clericorum, & extorta timore electio*, immo *non electio: ubi sic a principe unus obtruditur, ut nec clero, nec populo, nec ipsis summis sacerdotibus ad alium deflectere concedatur.* Theoderici consecrationi Fulbertum non interfuisse colligitur ex ejus epistola XXVIII. in qua de Leutherico Senonum archiepiscopo queritur, quob absque suo concilio episcopos ordinaret. *Hoc pridem*, inquit, *in T. factum, in G. nuper iterasti.* quorum primus non alius quam Theodericus videtur. Verum, cognita postmodum Theoderici innocentia, ejus ordinationem probavit Fulbertus, & amicitiam deinceps coluit, ut sequentes ejus duæ epistolæ probant. De præmisso interdicto interpretanda videtur alia [c] ejusdem Fulberti epistola, in qua *Aureliana civitas incendio vastata, sacrilegiis profanata, & insuper excommunicatione damnata, nec reconciliata* fuisse dicitur. Theodericus tandem in sede sua confirmatus, veri pastoris omnes partes implere studuit: cujus argumentum virtutis duplex nobis relictum est: alterum, quod Odolrico clerico veniam de injuria petenti non modo indulsit, sed etiam secundum post se honorem tribuit, eique post se episcopatum conferendum prædixit: alterum, quod calicem *ex centum solidis auri optimi* ipsius jussu factum, *in quo consecraretur sanguis Domini nostri Jesu-Christi, monasterio* [d] seu cathedrali ecclesiæ donavit, cui Rotbertus rex addidit patenam *ad conficiendum in ea corpus Redemtoris mundi.*

[b] *Fulbert. ep. 61.*

[c] *id. epist. 93.*

[d] *Helgald. in vita Roberti.*

XXI. Angelramnus abbas Centulensis.

In Rotberti regis comitatu, dum Romam iret, inter alios fuit Angelramnus seu Ingelramnus Centulensis monachus, nuper e schola Fulberti eductus: cujus conversatio & eruditio ita regi placuit, ut post mortem Ingelardi abbatis, Centulam se contulerit Rotbertus, & Angelramnum a fratribus abbatem eligi curaverit. Verum longe alia mens Angelramno erat, qui ea dignitate se indignum reputans, furtim se proripit e monasterio, & in silvæ Olnodioli latibula se abdit. Mox regis jussu perquisitus, ac demum inventus, onus impositum invitus subire cogitur. *Rex itaque gaudens ecclesiæ basilicam intrat, omnique spectante nobilium & ignobilium caterva, per funes ad signa pendentes ipsi totius loci dominationem delegat;* jubetque, ut quantocius ejus benedictio acceleretur. Quo præcise anno id factum sit, non satis constat; nec ullum Angelramni abbatis monumentum nobis occurrit ante annum M XXII. In kalendario fratrum conscriptorum Centulensis monasterii nonis Junii Ingelardus abbas notatur.

XXII. Herbertus & Richardus abbates Corbeienses.

Maingaudo veteris Corbeiæ abbati, qui pridie idus Novembris obiisse traditur, jam successerat Herbertus abbas, qui apud regem questus est *de Efredo suo* » *milite & advocato*, quod, cum ad regiam expeditionem commonitus procedebat, » sumtus sui itineris ab hominibus monasterii extorqueret, & in reditu hospitium in » abbatia, & servitium ab hominibus villæ, in qua hospitatus fuisset. Quin etiam si » quælibet offensa inter homines advocatiæ suæ orta esset, justitiam ejus rei sibi vin- » dicaret. Quod si in castro suo Incra * (nam ejus loci dominus erat) aliquid refor- » mandum aut instaurandum foret, homines ejusdem cœnobii ad illud opus ire com- » pelleret. His gravaminibus ad regis audientiam delatis, decretum est *judicio* regis » & *principum*, ut, quia ille *suum beneficium ex abbatia ipsa propter advocationem,* » *id est propter servitium, habebat*, prædictas consuetudines habere non deberet, *ex-* » *cepto si abbas in expeditionem regis ire debeat, & eum secum ire jusserit*; nec aliam » legis justitiam in abbatia habeat, nisi *major abbatis*, vel ipse abbas eum invitave- » rit: & tunc *de ipsa lege* tertiam partem habeat; denique ad castrum ipsius advocati

* *Encra.*

cati reformandum nequaquam homines abbatiæ compellantur. *Acta est hæc constitutio in villa, vocabulo Pons-sanctæ-Maxentiæ, regnante glorioso rege Rotberto anno* XX. *indictione* XIV. Heriberti abbatis tempore contigit mulierem contractam ad tumulum sancti Adalhardi sanari tempore matutinorum, quibus tum intererat Centulensis *abbas Ingelramnus*, qui forte per id tempus, Corbeienses invisendi gratia, illic morabatur. Audito miraculo, ad eum accedens Corbeiæ abbas Heribertus, *innuit manu (silentium quippe sibi indixerat sanctus Benedictus)* an interruptis matutinis hymnum caneret *Te Deum laudamus.* Abnuit ille: *matutinos innuit finiri debere;* sicque demum *rem laudibus omnes celebrare. Factum est: mulier laudantibus interest, ipsaque sua salutis lingua scientibus & nescientibus facta est.* Ita Gerardus in libro primo de miraculis sancti Adalhardi. Hæc silentii religio accuratam Corbeiensium disciplinam probat, quam tamen Richardus Virdunensis abbas ibidem restituisse dicitur. Sic enim de eo scribit Hugo Flaviniacensis in chronico. *Hic* Robertus *tunc beato patri nostro* Richardo *abbatiam sancti Petri Corbeiacensis regendam contradidit, ut ejus institutione & vigore servaretur in ea regula patris Benedicti, & vigor reformaretur monastica religionis.* Certe Heriberti abbatis successor ponitur Richardus, qui & *indictum*, de quo infra, instituit, & sancti Adalhardi corporis elevationem a Johanne papa XIX. obtinuit. at videtur alius fuisse Richardus a Virdunensi, quippe, cui mortis diversus dies & annus assignantur, ut suo loco videbimus.

ANN. CHR. 1016.

Rotberto rege absente forte id contigit, quod in chronico Saxonico ad hunc annum legitur, scilicet *in regno Rotperti pacifici regis Francorum*, provincialibus mutuo confligentibus, interiisse *plusquam tria millia hominum.* Certe hoc ipso anno grave prœlium commissum fuit apud Pontem-Levium * in pago Blesensi inter Odonem Turonensem & Fulconem Andecavensem comites pridie nonas * Julii: quo in prœlio victoria penes Fulconem fuit, cui cognomen erat Martellus. De hac pugna in veteri chronico sancti Juliani Turonensis hæc leguntur. *Hoc tempore nostra abbatia multa & in multis passa est gravamina. Martellus enim comes eam munierat, & de illa civitatem oppugnabat. quam tandem a Tetbaldo comite recepit, quem Ponti-levis bello anno millesimo sexto-decimo cepit. Miræ probitatis Martellus hic exstitit, qui Blesis & Pictavis comites bello vicit, quique nomen suum colla contrivit hostium.*

XXIII. Pontis-levii prœlium.

* *Pontlevoy.*

* *al.* kalendas.

Interim Willelmus Pictavorum comes, ac *totius monarchiæ Aquitaniæ*, ut ipse loquitur, *tenens principatum, interpellatus a venerabili viro atque abbate Emmone*, qui Ebroliensi beati Leodegarii martyris, beatique Maxentii cœnobio in pago Arvernico præerat, quamdam terram, sitam in Santonico pago, villæ, quæ vocatur *Gelzans*, & alteri, nomine Vinolio, adjacentem, ejus loci monachis confert, nec non domum unam in castro, quod nuncupant Surgerias. *Data anno ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi* M XVI. *indictione* XIIII. *regnante Rotberto rege.* His litteris apponuntur post Willelmum, qui ejus nominis quintus est, signa Willelmi & Odonis filiorum ejus, Agnetis comitissæ, Gisleberti Pictavensis & Islonis Santonensis episcoporum, Josfredi vicecomitis, Katuloni vicecomitis, & aliorum. In chronico Malliacensi post Amblardum & Bernardum primos abbates Ebroilenses, laudatur Emmo, cujus successores Raymundus & Girbertus: qui Girbertus in libro de miraculis sancti Odilonis abbatis laudatur, cujus nepos Gauzfredus, strenuus miles, linguæ officium meritis sancti Odilonis adhuc viventis apud Silviniacum recepisse traditur.

XXIV. Ebroilensi monasterio Willelmus comes « quædam do- « nat. « «

Insignis fuit hoc anno conversio cujusdam Silvii, viri nobilis, qui multa damna Calmiliacensi sancti Theotfredi monasterio intulerat. Sic factum produnt veteres ejus loci membranæ. Silvius, filius Redempti, nepos vero Mainfredi, mortuo patre suo Redempto, qui fuerat advocatus & defensor monasterii sancti Theotfredi, post multas rapinas, cædes, & injurias, tam fratribus quam hominibus monasterii ab ipso illatas, tandem facinorum pœnitentia ductus, humiliter ad monasterium accessit, nudisque pedibus ac ceteris fere membris, ante sepulcrum sancti Theotfredi martyris cum lacrymis prostratus, veniam petiit de iniquis erratis. Præterita mox condonavere fratres, si modo de futuris caveret. Promisit ille emendationem, atque injustas consuetudines ab se impositas remisit, contentus deinceps stipendio, quod ipsius patri persolvi mos erat. *Factum est hoc in mense Martio, feria tertia, luna nona, anno ab incarnatione Domini* M XVI. *indictione decima-quarta, regnante*

XXV. Silvii conversio.

Rotberto rege. Hæ erant vexationes advocatorum, qui monasteriorum defensores esse debuerant.

ANN. CHR. 1016. XXVI. Artæ - cellæ seu Brignollæ origo.

Dum Massilienſi sancti Victoris monasterio præesset Wifredus abbas, jam laudatus non semel, Nevelongus quidam, vir nobilis, & uxor ipsius Teucelina, cum filiis Rainaldo, Willelmo & Leufredo, de salute animarum suarum solliciti, donationem faciunt *omnipotenti Deo & sancto Victori martyri, ejusque monasterio haud procul a civitate Massileæ posito, & abbatibus & monachis perpetuo inibi militantibus* » de curte sua, quam habent in comitatu Aquensi, intra terminos villæ, quæ vo- » catur Brinolla, id est ecclesiam sanctæ Perpetuæ nuncupatam, cum terris, vineis, » pratis, silvis, garricis, aliisque rebus ad eam pertinentibus. Facta donatio hoc anno, indictione XIV. *regnante Rodulfo rege Alamannorum seu Provinciæ.* Hoc instrumentum nominum suorum subscriptione confirmant donatores cum testibus. *Rostagnus, indigne,* ut ipse ait, *vocitatus monachus, scripsit præcipiente domno abbate Wifredo.* Non multo post illic instituti sunt monachi sub priore, & sanctimoniales sub prioriſſa, subjecti monasterio sancti Victoris sub titulo cellæ Brignollæ *.

* *la celle de Brignolle.*

Superius [a] agere cœpimus de Ramberto Montis-majoris abbate, cujus plurima laudabilia facta memorantur. In his novam majoris basilicæ fabricam exstruere hoc anno aggressus est, ut fidem facit inscriptio veteri codici bibliorum appositа his verbis: *Anno ab incarnatione* M XVI. *fuit inchoata basilica in honore sanctæ Mariæ matris Domini, seu omnium Sanctorum, indict.* XIV. *datarum* III. *kal. Junii, feria* IV. *regnante Rotberto rege. In tertio anno fundationis hujus basilicæ obiit Guillelmus inclitus comes Adalaidis, & honorifice sepultus est in fundamento hujus ecclesiæ.* quod non raro fiebat, ne defunctorum sepulcra violarentur. Quia vero magnæ molis & impensæ erat nova hæc fabrica, Rambertus pia arte elegans oratorium sanctæ Crucis in radice montis, versus orientem, infra monasterii sæpta exstruendum cogitavit, illudque cælesti indulgentiarum thesauro ditandum curavit: ut hoc illicio invitati fideles, suppetias condendæ basilicæ conferrent. Consilium laudavit Pontius Arelatensis antistes, dicatæque ab se sacræ ædiculæ id prærogativæ indulsit, ut quisquis fidelium in eam ingressus fuisset, *si sit talis, qui per indictam sibi pœnitentiam non introeat in ecclesiam, nec communionem sacri corporis Christi, aut osculum pacis accipiat; nec capillos sibi tondeat aut radat, nec linum vestiat, nec spiritales filios de sacro fonte suscipiat; nec feria secunda, aut quarta, aut sexta aliquid gustet præter panem & aquam: hic talis ad jam dictam ecclesiam si venerit, in die videlicet dedicationis ejus, aut semel in anno cum sua vigilia, & adjutorium dederit ad opera ecclesiæ sanctæ Mariæ, quæ modo,* inquit, *noviter construitur in prælibato monte; ex parte Domini nostri Jesu-Christi, qui pro nobis in crucis ligno affixus fuit, in cujus honore hæc etiam basilica constat dicata, & ex nostra, sit absolutus ab ipso die, quo suam vigiliam fecerit, de tertia parte majorum peccatorum, unde pœnitentiam habet acceptam, usque ad ipsum diem revertentis anni, vel datarum, in quo dedicatio celebrabitur prælibatæ ecclesiæ; & habeat licentiam intrandi in totas ecclesias per totum ipsum annum, & communicandi, & pacem accipiendi, & tondendi, & radendi, & lini vestiendi, & filiolos de sacro fonte suscipiendi, excepto quadragesimali tempore & jejuniis de quatuor temporibus. & si tres dies de septimana sunt ei vetati per pœnitentiam, unum reddimus ei, ut comedat & bibat quod Deus ei dederit, sicut alius christianus, qui non est in tali pœnitentia, & duos alios jejunet: & si duo, unum reddimus ei; & si unus, illum reddimus ei tali tenore, ut pascat tres pauperes ad unum manducare de ipso conducto, quo ipse manducaturus est. Denique illos, qui de minoribus peccatis sunt confessi, & habent acceptam pœnitentiam; si venerint ad dedicationem prædictæ ecclesiæ, aut semel in anno cum sua vigilia, & cum adjutorio ad opera ecclesiæ sanctæ Mariæ; absolvimus de una medietate acceptæ pœnitentiæ usque ad annum vel datarum, in quo dedicatio celebrabitur prædictæ ecclesiæ.* Hæc fusius ipsis Pontii archiepiscopi verbis referre visum est, ut intelligat lector, quales eo tempore pœnitentiæ imponerentur, & quo pacto relaxarentur. Consimiles gratias Raimbaldus archiepiscopus indulsit basilicæ sanctæ Mariæ de Correno, cum eam dedicavit. Multa alia idem Pontius addit, quæ recensere longius esset; & in fine Montis-majoris privilegia confirmat. Ejusdem pontificis pater, Franco nomine, eidem monasterio, ubi sepulturam suam elegit, census non paucos legat pro salute animæ suæ, necnon conjugis suæ Walæ, filiique Pontii, cui præcepit, ut de tertia parte bonorum suorum centum solidos

[a] *lib. 53. n. 15.*

sancto Petro conferat. Superstes fuit Rambertus abbas usque ad annum saltem M XXX. cujus successor Josmarus, qui anno M XXXII. in quadam charta notatur, ad breve tempus regimen tenuit, Benedictum sortitus successorem. Ramberti obitus notatur in necrologio IV. kal Aprilis, & in claustro jacere dicitur.

ANN. CHR. 1016.

XXVII. S. Jacobi monasterium Leodici inchoatur.

Apud Leodicum, urbem Belgicæ primæ, Baldricus episcopus monasterium exstructurus, primo ecclesiam sancti Jacobi apostoli in insula proxima VII. kalend. Maii hoc anno inchoasse, ejusque cryptam in honorem sancti Andreæ apostoli VIII. idus Septembris dedicasse memoratur: in qua ipse humatus est anno sequenti, imperfecto monasterio, cujus exstruendi consilium hac occasione concepisse traditur. Insignis quidam pictor Italus, Johannes nomine, ab Ottone tertio Aquisgranum accitus ad decorandam picturis sanctæ Mariæ basilicam, opere numeris omnibus absoluto, episcopatu ab eodem imperatore in Italia donatus est. Illuc profectus ut collati honoris beneficio potiretur, dux illius provinciæ non alio pacto, ut perhibent, assentiri voluit, nisi filiæ suæ conjugium iniret. Ille sacerdotalem cælibatum contaminare veritus, dignitati cedere maluit; sicque ad Ottonem in Germaniam reversus, Baldrico Leodicensi præsuli ab eo commendatus est. Forte Johanni episcopo animi scrupulos aperuit Baldricus: cui id dat consilii, ut ad diluenda ante-actæ vitæ errata monasterium conderet, quod incunctanter aggressus pius præsul, imperfectum opus morte intercedente reliquit, quod Wolbodo ejus successor absolvit.

XXVIII. Reginbaldus Laureshami & Fuldæ abbas obit.

Cum Poppo seu Boppo Laureshamensi monasterio annis tredecim præfuisset, hoc anno finem vivendi fecit, ibidemque sepultus est. Eidem subrogatur Reginbaldus, vir secundum cor Domini, ut ejus loci annales tradunt, in spiritualis militiæ studiis a puero educatus, antecessorum exempla adæquans, posterorum forma & speculum futurus. Hic effusæ in egenos caritatis, de ornanda quoque Domini domo sollicitus, templi faciem coronis decoravit; chorum altius exstructum arcubus superimpositis auxit, altare ad crucem auro, argentoque cinxit, insuper thesaurum ecclesiæ in multis amplificavit. Ad hæc monasterium Abrinsbergi in honorem sancti Michaëlis inchoatum perfecit, fratribusque ibidem Deo militaturis necessaria affatim suppeditavit. Ob hæc insignia merita Conradus, eo nomine secundus, illum ad Spirensem cathedram promovit. Boppone mortuo, vacavit etiam Fuldensis abbatia, quam Brantho seu Brantohus, ante annos tres ab Heinrico exauctoratus, recepisse videtur, idque colligitur ex Lamberti chronico, in quo *Brantho abbas Fuldensis* anno M XXIII. Halberstati episcopus factus fuisse dicitur, eidemque in Fuldensi regimine Richardus successisse.

Miminlevæ monasterium Hersfeldensi subjectum.

Miminlevæ monasterium, quod sui juris ad id tempus fuerat, tunc libertatem amisit, & in servitutem redactum est, ut in chronico Saxonico legimus. Deposito namque ejus abbate Rainoldo, & fratribus, ob solutiores forte mores, late dispersis, Hersfeldensi abbati Arnoldo subjectum fuit, agente, ut veri simile est, Heinrico imperatore, qui *regulares* ubique *monachos* laxiorum loco substituere summopere studebat. In hoc cœnobio aliquamdiu moratus est Heimeradus piissimus presbyter, de quo inferiùs.

XXIX. Angliæ reges & status perturbatus.

In Anglia rex Ethelredus IX. kalend. Maii hoc anno decessit, sepultusque est Londini in cathedrali sancti Pauli ecclesia. Post ejus mortem plerique Angliæ proceres, stirpem ejus abhorrentes, Canutum seu Cnutum Danorum principem sibi regem elegere: at cives Londinenses & pars nobilium Eadmundum Ethelredi filium prætulere. Hic post varios cum adversario conflictus, demum ad montem, qui *Assendun* dicitur, cum strenui militis & boni imperatoris partes egregie impleviſſet, proditus ab Edrico duce, victus est, plurimis suorum amissis: in quorum numero fuere Ednothus seu Ednodus Lincolniensis episcopus, Ramesienſis [a] monasterii quondam præpositus, & Wlsinus seu Wulsius abbas, scilicet Westmonasterienſis, qui ad precandum pro milite decertante illuc convenerant. Quin etiam Elienſis monasterii fratres, qui cum reliquiis sacris de more eodem accesserant, prostrati fuere, amissis sanctæ Wendredæ, quas attulerant, reliquiis, quæ a Cnuto in urbe Dorobernia repositæ dicuntur. Non multo post, interfecto Eadmundo rege, & Glastoniæ sepulto, monarchia totius Angliæ ad Cnutum devoluta est. Sic sancti Dunstani prophetia impleta.

[a] *Angl. sac. tom. 1. p. 607.*

Italiam ad hoc tempus illustravit Simeon, monasterii Padolironensis solitarius, XXX.

cujus eximios mores, quales superius [a] compendio retulimus, mors in conspectu Dei pretiosa subsecuta est hoc anno, VII. kalend. augusti, Romani imperii principatum obtinente Heinrico, Bonifacio glorioso duce ac principe. Insignia ad illius tumulum patrata miracula, quæ anonymus æqualis cum ejus vita litteris mandavit, præeunte Arsenii Jerosolymitani patriarchæ commendatione, Benedictum papam VIII. impulerunt, ut eum paullo post ejus obitum Sanctorum catalogo adscriberet, cujus hac de re litteræ *Bonifacio marchioni inclyto* inscriptæ sunt. Mantuanus episcopus a Leone IX. designatus fuit ad consecrandam novam Padolironensis monasterii ecclesiam, & elevandum corpus sancti Simeonis, cui celebritati Wibertum Mutinensem antistitem pontifex interesse mandavit.

ANN. CHR. 1016. Simeonis Padolironensis eremitæ obitus.
a *lib. 52. n. 109.*

XXXI. Ambrosiani abbates, eorúmque jurisdictio.

Juris dicundi potestatem in terris monasteriis subjectis penes abbates, eorumve vicarios residisse probant ea, quæ paullo superius [b] de Corbeiensi abbatia retulimus. Aliud nobis exemplum præter alia hoc anno suppeditat Puricellus [c] in historia basilicæ Ambrosianæ, ubi veterem scripturam refert, tempore domni Gotefredi venerabilis ejus loci abbatis, Johannis successoris, edjtam, qua statuitur, ut *habitantes in vico Anticiaco* *, qui de jure monasterii erat, nullam aliam potestatem, nullumque alium *seniorem* seu dominum in ipso vico agnoscant, præter abbatem, ejusque successores, & per eumdem, vel ejus missum aut scarionem (sic juris inferiores ministros vocabant) illius vici hominum causæ finiantur, finitæque habeantur, *tamquam ante comitem finitæ fuissent*. Johanni [d] abbati successerat Gotefredus abbas, ex archidiacono Mediolanensi discipulus ac monachus Willelmi abbatis Divione apud sanctum Benignum; indeque revocatus ad præfecturam Ambrosianam, in qua Wido post annos circiter decem eum excepit.

b *supra n. 22.*
c *Puricell. p. 341.*
* *Inzago.*
d *V. lib. 51. n. 66.*

ANN. CHR. 1017. XXXII. Hugo rex a Rotberto patre dictus.

POstero anno millesimo decimo-septimo Rotbertus rex Hugonem filium suum natu-majorem apud Compendium [e] consortem regni dixit ipso die pentecostes. Id factum instinctu potissimum Constantiæ reginæ, repugnantibus primatibus regni, qui a rege hac de re consulti responderunt, sineret puerum [f] adolescere ad viriles annos, nec tanti regni pondus infirmæ committeret ætati. at reginæ prævaluit auctoritas, jussitque rex, adscitis Compendium regni primoribus, coronam, uti decreverat, de more a pontificibus *puero* imponi. Erat autem *puer ferme decennis*, inquit Glaber, tametsi in carmine de ejus obitu, qui anno M XXVII. contigit, mortem oppetiisse dicitur, dum annis floreret juvenilibus, & *ter denis minus excreviſſet duobus*. Uter locus ex altero emendandus sit, non facile dixeris. Quamquam prosæ orationi major fides: tum quia ubique *puer* a Glabro dicitur eo tempore, quo rex coronatus est: tum quia Constantia ejus mater vix ante annum millesimum quartum Rotberto regi nupta fuit, ut suo loco diximus. Deinceps ambo reges in regiis litteris nomen suum inscribunt, ut patet ex iis, quibus Odiloni abbati ejusque fratribus confirmant *quamdam abbatiolam, in honore beatorum martyrum Cosmæ & Damiani dicatam, juxta mœnia Cabilonensis urbis sitam, quam comes Hugo & Lambertus episcopus, & pater suus Rotbertus jure testamentario tradiderant beato Petro & Clunienſi monasterio*; necnon curtem Belmontem, quam Wido comes eidem contulerat; atque alia, quæ beatæ memoriæ Manasses episcopus & Leotaldus comes donaverant. Hujus diplomatis initialis formula hæc est: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Rotbertus & Hugo filius ſuus gratia Dei Francorum reges, omnibus ſub noſtro imperio militantibus pacem & ſalutem.* Hoc diploma in chartario caret chronicis notis. Plerique hoc anno referunt synodum Aurelianensem contra quosdam hæreticos, quos Manichæos vocant: at eam ad annos quinque differendam esse constat.

c *Baluz. to. 2. Miscell. p. 307.*
f *Glaber. lib. 3. c. 9.*
Diploma pro Cluniaco.

XXXIII. Willelmi ducis donatio eidem facta.

Hugonis coronationi haud interfuit Willelmus Pictavorum comes & dux Aquitaniæ, qui tunc in Romano itinere versabatur, uti nos docet ejus instrumentum, quo mediam partem de censu piscium, qui circa insulam Rado * capiuntur, ipsique debebantur, Cluniacensi monasterio donat, consentientibus filiis suis, Willelmo & Odone. *Datum* VI. *nonas Maii in civitate Papiæ, Willelmo duce revertente de Roma, anno incarnationis* M XVII. *regnante Rotberto rege.* Hoc iter aggressus est Willelmus post donationem Ebroilensi monasterio ab ipso factam anno superiori. Idem anno sequenti dedit Cluniaco curtem Marcuantis, quam olim ipsius mater Gisleberto episcopo donaverat.

* *de Ré.*

Insigne in præsens nobis occurrit vetus instrumentum [a] de electione Borrelli episcopi Rotensis, quæ facta est cum consensu Willelmi comitis & populi comitatus Ripacurcensis, ac domni Ermengaudi præsulis Orgellensis seu Urgellensis, necnon religiosorum clericorum & abbatum, qui hoc modo commemorantur, id est Galindus abbas sanctæ Mariæ Varra, Sanila sancti Andreæ, Dacco sanctæ Mariæ Lavajes, Aster sancti Petri de Taberna, Manasses sanctorum Justi & Pastoris de Aurigema, Isarnus de sancto Stephano, Aster sancti Michaëlis, & Abbo sanctæ Mariæ de Aalone abbates. *Exaratus est hic titulus electionis præſulatus* XI. *kal. Decembris anno* XXI. *regnante Roberto rege*, id est *anno trabeationis Domini noſtri J. C. milleſimo* XVII. *æra* M LV. *indictione* XV. ut initio instrumenti legitur, quod subsequitur inthronizatio & consecratio ejusdem episcopi, facta eodem anno VIII. kal. Decembris. De his monasteriis Baluzius hæc notat, sancti Andreæ monasterium forte esse illud ejus nominis, quod situm erat in diœcesi Helenensi; sanctæ Mariæ Lavajes in pago Ripacurcensi ad Nucaram fluvium; sancti Petri de Taberna in diœcesi Urgellensi, sanctæ Mariæ & sancto Petro apostolo sacrum; sancti Stephani esse monasterium Balneolense in diœcesi Gerundensi; sancti Michaëlis Coxanense in diœcesi Helenensi; denique sanctæ Mariæ de Aalone situm fuisse in pago Palliarensi seu Ripacurcensi atque Gestabiensi. Annus Rotberti regis vicesimus primus, qui cum anno Christi M XVII. conjungitur, desumitur ab anno DCCCC XCVI. quo post mortem patris regnare cœpit. quo ex loco sententia nostra de anno mortis Hugonis regis denuo confirmatur. Dacco abbas [b] sanctæ Mariæ Lavajensis, mox laudatus, ante biennium duas monasterii sui ecclesias in honorem sanctæ Crucis & sancti Petri ab Aimerico episcopo Ripacurcensi dedicari curaverat. Cum vero postea Lavajenses monachi abjeciſſent instituta monastica, & ad vitam canonicam prolapsi essent; demum Honorii III. permissu anno M CC. XXIII. Cistercienſibus monasterii Bonifontis diœcesis Convenarum se dediderunt.

ANN. CHR. 1017. XXXIV. Abbates Rotensis episcopi electioni præsentes.
a *Capitul. to. 2. p. 630. & ſeqq.*
b *ibid. p. 425.*

Tunc temporis Balneolense sancti Stephani monasterium regebat Bonifilius abbas, quem coangelicum abbatem vocat Benedictus papa VIII. in inscriptione litterarum, quibus illius monasterii possessiones confirmavit initio hujus anni, id est mense Januario, indictione XV. Idem abbas fuisse videtur Campi-rotundi, cui consimile privilegium [d] indultum est. Sub idem tempus Oliba Rivipullensis abbas invisit limina apostolorum Petri & Pauli, & a Benedicto pontifice id genus privilegii [e] obtinuit, ut in suo monasterio caneretur *alleluia* & hymnus angelicus in festo purificationis beatæ Mariæ, etiamsi illud evenerit post septuagesimam.

XXXV. Benedicti papæ privilegia.
c *ibid. p. 998.*
d *ibid. p. 1002.*
e *ibid. p. 994.*

Non ante hunc annum conditum fuit a Willelmo Divionensi abbate [f] instrumentum, quo Fructuariensis monasterii libertatem asseruit, ejusque libertatis has omnino attulit causas. Willelmo fuere tres fratres, Gottofredus, Nithardus, & Robertus. Duo priores monasticum habitum in Divionensi monasterio sub Willelmo abbate fratre suo induerunt, relicto patrimonio fratri suo Roberto, qui solus ex fratribus laïcus remansit. Nithardus ante monasticam professionem & Robertus monasterium in loco Fructuaria, qui sui juris erat, construere cupientes, eum, ita ut possidebant, *quietum & ſolidum* Guntardo venerabili viro Taurinensi archidiacono tradiderunt, ut ex eo facere sibi liceret legale testamentum, *quod appellatur judicatus*, ea lege, ut sic prædictorum fratrum possessio transiret in Domini possessionem, *ut nullo modo primam & antiquam perderet libertatis dignitatem*, nec ulli subjaceret episcopo, sive monasterio, seu sæculari dominio. quod quidem imperialibus, regalibus, & episcopalibus præceptis atque privilegiis roboratum est. Atque ut ne Lingonensis antistes aliquod jus in illud monasterium ob Divionense, cui Willelmus præerat, sibi tribuere vellet, *insigniora ornamenta ab eodem monaſterio* accepit Bruno episcopus, *scilicet textum unum, auro, gemmis, & lapidibus mire ornatum, caſulam auro decoratam, & duas ſtolas deauratas cum earum manipulis, & unum cingulum, atque quatuor amictos deauratos.* Hæc fere summa illarum litterarum, quibus subscripsere Rotbertus & Hugo ejus filius Francorum reges; ex episcopis Leothericus Senonensis, Gosfinus Bituricensis, idemque abbas sancti Benedicti, Fulco Ambianensis, Fulbertus Carnutensis, Hugo Turonensis; Rotbertus Rotomagensis, Hugo Bajocacensis, Hugo item Constantiensis, Hugo item Ebroicensis, Norgaudus Abrincatensis, Rotgerius Lexoviensis, Siefredus Saxiensis seu Sagiensis; ex abbatibus Odilo Cluniacensis, Everardus sancti Martini seu Majoris-monasterii, Gosbertus

XXXVI. Fructuariæ libertas asserta.
f *Chronol. Pedemont. p. 259.*

ANN. CHR. 1017.

seu Gauzbertus abbas sancti Juliani Turonensis cum Arnulfo priore, Teodertus, forte Tetbertus, abbas, ut puto, Avrionensis; denique Herveus archiclavis sancti Martini Turonensis. Primus abbas Fructuariensis dicitur fuisse Johannes [a], Guidonis comitis sancti Martini filius, & Arduini regis nepos, laudatus a Glabro in libro de vita Willelmi abbatis Divionensis.

a *ibid. p. 262.*

XXXVII. A Lingonensi episcopo probata.

Huc spectat charta [a] Lamberti Lingonensis episcopi, qui Fructuariæ libertatem (quod Bruno ejus decessor morte præventus perficere non potuerat) litteris suis ratam habuit rogatu Willelmi abbatis, qui quidem *non immerito*, inquit, *tanto facilius id debet impetrare, quanto Dei cognoscitur zelo id omnino postulare.* & infra. *Et nos igitur æquitatis jura appendentes, & animarum lucris magis, quam cupiditatibus perversorum consulentes, sed & sancti prædecessoris nostri promissa complentes, a privilegiis quoque apostolicis, atque decretis episcopalibus, a præceptis denique imperialibus ac regalibus non discrepantes, Fructuariense cœnobium, cum omnibus quas possidere videtur rebus, tam mobilibus quam immobilibus, in nulla subjectione, in nullo jure cuiquam nostri episcopii pertinentiæ obnoxium proclamantes, quin immo sub proprio pastore, ut per omnia absoluta libertate a Romana sede sibi concessa potiatur, & a sublato hujusmodi subjectionis vinculo constet alienum; volumus & nos, & statuimus sub synodali decreto, ut nullus monachus, aut præscripti videlicet domni Willelmi successor, contra præfatum locum aliquid querelæ vel calumniæ inferat, vel quicquam proprietatis seu subjectionis requirat &c. Actum apud Divionem publice* III. *idus Januarii anno ab inc. Domini* M XVII. *indict.* XV. *regnante Rotberto Francorum rege.* Ex his omnibus perspicuum est, exemtionis Fructuariensis fundamentum (quod de aliis similibus censendum) repeti ex libertate loci, in quo monasterium conditum erat.

a *Bibloth. Sebus. p. 388.*

XXXVIII. Bulla pro Farfa.

Sæpe recurrit mentio de Farfensi monasterio, cui Benedictus papa hoc anno concessit seu confirmavit monasterium sancti Laurentii martyris, *situm in Macri, comitatu Campanino*, ea conditione, *ut servos Dei monachos*, qui in eodem monasterio sunt, » vel quos aggregare possent Farfenses abbates, *sub castitate & modestia, atque regulari & monachica disciplina, Dei cum timore*, ut pater familias, foveant, gubernent, atque regant. Litteræ apostolicæ inscriptæ sunt *dilecto in Christo filio Hugoni religioso presbytero & monacho atque spirituali abbati venerabilis monasterii sanctæ Dei-genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ, siti a latere montis, qui nuncupatur Acutianus, supra fluvium, qui dicitur Farfa.* & in fine: *Scriptum per manus Petri notarii regionarii & scriniarii S. R. E in mense Junii, indictione supra scripta* XV. *Data* IX. *kal. Januarii per manum Dei gratia Bosonis episcopi & bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis.* Ubi vides quanto intervallo temporis *scriptum* & *data* differant.

XXXIX. Keminadæ monasterium confirmatur.

Ad res Germanicas quod attinet, dum Goslariæ subsisteret Heinricus imperator, insigni diplomate [b] approbavit Keminadæ puellare monasterium, quod domna Frederuna venerabilis abbatissa, ejusque soror Imma comitissa, Gerone comite adjuvante, in villa pagi Tilithi, Keminada nomine, in comitatu Bernardi ducis ad Visurgim intra fines diœcesis Paderbrunnensis, nuper in honorem sanctæ Dei-genitricis Mariæ construxerant, atque impense dotaverant; statuitque pius cæsar, *ut prædicti monasterii abbatissæ talis libertatis lege ac proprietatis fruerentur, quales cæteræ sanctæmoniales in* ipsius *regno, sub regula sancti Benedicti juste viventes, utuntur*; denique ut *in obitu abbatissæ liberum habeant arbitrium aliam eligendi juxta regulam sancti Benedicti.* Actum Goslariæ hoc anno, VII. kal. Aprilis. Vetus illud ac nobile cœnobium lapsu temporis mutatum est in præposituram Corbeiæ-novæ, ac demum proditione ac perfidia præpositi monachi, qui ejurata fide catholica ad Lutheranismum defecit, transiit in potestatem ducum Brunswicensium.

b *Annal. Paderb. p. 422.*

XL. Chunegundis morbus & votum.

Interim Chunegundis imperatrix in Caffungensi monasterio virginum prope Cassellas, ubi vita monastica anno sequenti ab ea instituta est, gravi morbo decumbebat, ex quo Dei beneficio convaluit, voto facto de novo condendo cœnobio, quod imperator gratum habuit. Deinde is Aquis Werthinam ad sepulcrum sancti Liudgeri episcopi gratias Deo acturus perrexit, ubi pentecosten celebravit, abbate Hetthenrico ipsi ministrante, ut Ditmarus scribit. Patherbrunnam inde profectus, Chunigundem jam ex morbo recreatam illic adesse jussit, cujus interventu abbatiam Helmwardeshusen sedi Paderbornensi attribuit in gratiam Meinwerci episcopi, *juxta regulam sancti Benedicti episcopaliter disponendam atque possidendam.* Actum v. idus Julii. Pridie ejus diei quoddam prædium, in villa pagi Hessæ Saxonici, Nedere

Aliæ res Germanicæ.

dicta, situm, contulit dotando Abdinchofensi monasterio, quod idem Meinwercus episcopus in occidentali parte Patherbrunnensis civitatis exstruxerat. Id actum in loco dicto Liesgo, ubi comitia tum generalia habita sunt, ut legitur in annalibus Westfalicis, in quibus Meinwercus, una cum sorore sua Azela, bona sua hereditaria, quæ a morte matris suæ in Trajectensi pago ipsis provenerant, sanctimonialibus Eltensis monasterii contulisse memoratur.

ANN. CHR. 1017.

XLI. Ekkihardus Pragæ episcopus.

Eodem anno, ut in chronico Saxonico inedito scribitur, Thiedagus Pragensis episcopus, successor Christi martyris Adalberti, III. idus Junii ex hac vita migravit: *cui imperator Ekkihardum, novæ civitatis*, id est Babenbergæ, *abbatem, substituit, quem pridie nonas Novembris ab Erkenbaldo Moguntino archiepiscopo consecrari præcepit.* Addit idem auctor, Magdeburgi sancti Johannis in monte *monasterium*, id est ecclesiam, fortuito incendio conflagrasse; sed divinæ pietatis ope & confluentium devotione, omnes sanctorum reliquias cum maxima thesauri parte ereptas fuisse, *uno tantum ex fratribus ob eripiendum sacerdotalem apparatum amisso, & in medio ignis peccata sua confitente.* Subdit idem auctor, eodem anno in Bajoariorum & Marahensium confinio, quemdam peregrinum, nomine Colomannum, (is genere Scottus erat) ab incolis, quasi exploratorem, in arbore suspensum fuisse, & post hæc pro martyre habitum: cujus corpus imperator *in Mezelikim* honorifice sepeliri curavit: quo in loco processu temporis celebre nostri Ordinis monasterium conditum est, vulgo Mellicense dictum, cujus abbas tertius Erchinfredus libellum de sancto Colomanno scripsit, a Lambecio editum in bibliothecæ Vindobonensis tomo secundo.

Magdeburgi incendium.

Colomanni martyrium.

XLII. Res Trevirenses.

Jam annus erat, ex quo in sede Trevirensi Megingaudo archiepiscopo successerat Poppo, cum nostros in æde virginis Deiparæ ad Martyres restituit, pulsis canonicis, qui, Benedictinis per vim exclusis, locum occupaverant. Sub exitum ætatis, scilicet XV. kal. Septembris, Epternacense monasterium cum adjuncta basilica funesto periit incendio: quod damnum statim Uroldus abbas reparasse perhibetur. Uroldus alter, abbas Prumiensis, collegium canonicorum juxta monasterii sui sæpta (neque id insolens erat) cum basilica beatæ Mariæ sacra condidit, ut ex Browero discimus, qui Heinrici imperatoris hac de re tabulas laudat, datas Francofurti XVI. Novembris, indict. XV.

XLIII. Wolbodo cœnobium S. Jacobi perficit.

Ad hunc annum Ægidius & Reinerus revocant obitum Baldrici Leodicensis episcopi, cujus corpus in crypta basilicæ sancti Jacobi in insula humatum est. Successit in ejus locum Wolbodo, *qui apud Ultrajectum*, inquit Ægidius, *sub religiosis admodum patribus in ecclesiasticis clausuralis vitæ adoleverat disciplinis*; factusque episcopus nihil de pristino vitæ genere remisit. Baldrico mortuo, ejus propinqui bona, dotando sancti Jacobi monasterio ab eo relicta, sibi excidisse graviter ferentes, in suam potestatem vindicare moliuntur, atque hac de re imperatorem interpellant. Verum ille adeo eorum cupiditati non paruit, ut contra Wolbodoni curam commiserit perficiendi monasterii, quod ejus decessor inchoaverat. Id statim exsecutus est pius antistes, advocato Olberto Gemblacensi abbate, cui surgentis monasterii fabricam & præfecturam demandavit. Wolbodonem fuisse monachum nostri Ordinis, præter Ægidium, censuit ante annos fere trecentos Henricus sancti Jacobi abbas, qui, renovato ejus tumulo, ita de eo canit.

Stirpe decens, virtute nitens, Wolbodo notatur,
Præpositus pridem Trajecti, rector & idem;
Ob cælibem statum post hæc recipit monachatum.

Alii Baldrici obitum anno sequenti consignant, & forte rectius.

XLIV. S. Pegæ abbates.

Apud Anglos cum initio regis Cnuti pax summa ubique reflo reret, Godricus abbas Crulandensis universos monachos forenses, qui tempore belli eo refugerant, ad propria remisit. Reversus itaque ad monasterium sanctæ Pegæ cum suis Baldocus abbas, in ipso statim ingressu, cum omnia eversa & combusta inveniisset, præmærore humi corruit, perlatusque ad domunculam villæ convicinæ, quinto post die exspiravit. Suffectus in ejus locum Wlgatus, vir in temporalibus providus, & in spiritualibus valde exercitatus, qui contra Leofricum Burgi abbatem multam litem habuit, sed potentiori demum cedere coactus est.

ANN. CHR. 1018.

XLV. Crulandenses.

ANno sequenti millesimo decimo-octavo, Cnuti regis secundo, Godricus Crulandæ abbas, hujus vitæ mari magno multis laboribus & procellis enavigato,

ANN. CHR. 1018.

portum æternæ quietis ingressus est, cum monasterium annis XIV. gubernasset, defunctus XIV. kal. Februarii, & in capitulo contra Osketulum abbatem sepultus. Hunc excepit Brithmerus, ejusdem Osketuli cognatus, qui sub Godrico abbate procuratoris officium difficillimis temporibus strenue gesserat. Ejus anno quarto ad conversionem venit devotissimus ac generosus adolescens, Wlfius nomine, Leofrici comitis Leycestriæ cognatus, qui amore vitæ solitariæ diu reclusus sanctissime vixit.

XLVI. Maricolis monachi restituti.

Gerardus Cameracensis præsul, dum parochiæ suæ lustraret ecclesias, venit ad locum pagi Hainoensis, Maricolas dictum, ubi olim sanctus Humbertus monasterium in proprio fundo exstruxerat. Hunc locum Gerardus deformi horrentem specie invenit, semiruta ædificia, omnia denique dissipata, ut illac hostilem exercitum transisse putares. Tantæ desolationis causam non aliunde obortam deprehendit, quam ex insolentia clericorum, qui locum illum, monachis eliminatis, jam pridem occupaverant. quos cum ab errore pravæ consuetudinis revocari non posse intellexit, ordinem monachorum ibidem restituere constituit, consultius eos arbitratus regularis disciplinæ normam tenere, &, si quid oriretur contra disciplinam, facilius ad rectam normam revocari posse. Renovato itaque monasterio, restitutisque monachis, dissipatas etiam possessiones recollegit. Hanc conversionem non ferentes ejecti clerici, absente forte cum suis abbate, in locum, veluti quidam latrunculi, irrumpunt, scriniis effractis pretiosa quæque diripiunt, nec manus ab ipso beati Humberti corpore abstinent, quod ad remotiora saltus latibula asportant. Verum, ubi res episcopis innotuit, illud restituere coacti sunt. quod paullo post in Flandriam ad recuperanda amissa bona delatum est; tum in ecclesiam sancti Andreæ, in Castello sanctæ Mariæ Cameracesii, ut loquuntur, a Gerardo episcopo ædificatam, ubi congregationem monachorum instituit, quam pia [a] sollicitudine fovit, quamdiu vixit, a Lietberto ejus successore postmodum auctam. Gerardi mens erat sancti Humberti corpus illic, utpote loco tutiori, asservari: sed postea illud ad pristinam sedem reportari satius judicavit, constrictis sacramento illius regionis primoribus, ne quid detrimenti Maricolis a quoquam inferri sinerent.

S. Andreæ monasterium.

a *Balderic. lib. 3. c. 49.*

XLVII. Luxovii privilegium renovatum.

Sub idem tempus Benedictus pontifex, interventu Heinrici imperatoris, privilegium Luxovien sis monasterii, a Johanne papa IV. quondam concessum, totidem verbis renovavit, *datum Romæ idibus mensis Aprilis, indictione prima*, quæ huic anno convenit. Luxovio tunc præerat Milo abbas, cujus tempore exstinctus est Constantius ejus loci monachus doctus & magister, clarus rhetor, & matheseos peritus, de cujus obitu planctum rythmicum Gudinus quidam composuit, editum in tomo tertio [b] Analectorum. Rythmicus ille auctor ait, se numquam vidisse, nec quidem visurum tam pium philosophum, qui codices eximios eleganti manu descripsisse dicitur; lugere Chrysopolim seu Vesontionem, Straburgenses, Lugdunum, Cabilonem, Lingonas & Æduam; lugere etiam Rotbertum regem, qui gloria regum & corona sæculi, immo & Franciam totam; ipsumque Heinricum imperatorem, quod talem amiserint magistrum. sed maxime lugere Luxovienses cum Milone abbate.

Constantius monachus doctus.

b *Analect. to. 3. p. 537.*

Mæret plebs Luxovien sis lacrymis continuis:
Plangit Milo, pius abbas, planctibus piissimis,
Amplius non habiturus tantæ jubar lampadis.

Milo abbas idibus Julii decessit, incertum quo anno, cujus successor Gerardus novum privilegium a Leone IX. obtinuit.

XLVIII. Herimannus Tulli episcopus bene affectus in monachos.

Hic annus supremus fuisse videtur Bertholdi Tullensis episcopi, qui post annos regiminis viginti-duos obiit VIII. kal. Septembris, toti patriæ inconsolabilem luctum relinquens. Hunc subsecutus est Herimannus, nobili Agrippinensium genere procreatus, litterarumque studiis apprime eruditus apud sanctum Gereonem, in cujus cœnobio a puero educatus fuerat, ut acta Tullensium episcoporum tradunt, in quibus XIII. Kalendas Januarii pontificali unctione sacratus fuisse dicitur. Hic singulis suæ diœceseos abbatiis argenteas coronas, variaque ornamenta contulit. quod ipsius in monachos studium probat. Aliud ejus rei argumentum nobis suppeditant [c] epistolæ, quas scripsit ad asserendam donationem ecclesiæ Algisi-villæ, monachis cellæ Bertiniacæ-curtis, quæ sancti Benigni monasterio subjecta erat, a Bertholdo decessore suo factam, contra quam reclamabant archidiaconus & decanus Tullensis, necnon abbas sancti Urbani & Stephanus Novi-castelli dominus: duo quidem priores

c *Perard. p. 174. & seq.*

priores, quod presbyterum eo loci a monachis institutum nollent admittere: alii duo, quod decimas eisdem monachis persolvi vetarent. Prima ex his epistola scripta est Olderico archidiacono, in qua queritur antistes, quod ejus jussio discordet a sua voluntate. Antecessorem quippe suum Bertholdum episcopum monachis cellæ Bertiniacensis altare Algisi-villæ dedisse; se vero id addidisse, ut in eorum arbitrio esset presbyterum illic, sive parvo stipendio, sive gratuito, constituere. quam ob rem decano quantocius mandaret, ut in illa ecclesia nullum ulterius presbyterum, quem monachi constituissent, missam cantare prohiberet. Durius idem scribit Walterio decano, cui duas breves seu litteras ejusdem argumenti dirigit, unas quidem abbati sancti Urbani, alteras Stephano de Novo-castello perferendas. Prior ex his duabus epistolis inscripta est *domno abbati B.* cui scribit in hunc modum. *Justum & dignum judicamus, ut religiosis viris reverentiam exhibeamus, & non facile in injuriam eorum, quando delinquunt, prosiliamus. unde quod in vobis laudabile est adprobamus; quod vero emendandum, ut corrigatis ammonentes obsecramus. Quid ergo sibi vult illa vestra prohibitio, qua vestros homines prohibuistis, ne decimationem solverent in parochia, cui subjacent, secundum rationem christianitatis? maxime cum istud faciatis contra viros vestri ordinis & religionis. Prædecessor meus Bertoldus episcopus altare Algisi-villæ contulit Bertiniacensis cellæ fratribus, & nos effecti exsecutores ipsius benevolentiæ id ipsum confirmamus, & ipsam obedientiam & constitutionem presbyteri, quemcumque elegerint, superaddimus. idcirco ferre non possumus, ut contra jus a vobis molestentur, aut tortitudinem patiantur. Quod si amplius contigerit, illi tales fraudatores decimationum, & aliarum rerum, ab ecclesia eliminabuntur, & pariter cum domino suo anathemate plectentur.* Eadem comminatur Stephano Novi-castelli domino, qui atrium ecclesiæ invaserat, & monachorum substantiam tollere volebat. Male tamen de Herimanno sensit Willelmus abbas, quod Widricum sancti Apri monachum, postmodum abbatem, baculo percussisset.

ANN. CHR. 1018. Vicarii parochiarum.

Non levis est momenti ad stabiliendam chronologiam præceptum Rotberti regis, hoc anno datum, quo capellam sancti Johannis Evangelistæ, in Ædua civitate sitam, Flaviniacensibus monachis confert ad preces Amadei abbatis. Hujus diplomatis exemplum penes nos est, propria manu claræ memoriæ Jacobi Sirmundi descriptum in hæc verba.

XLIX. Rotberti regis præceptum pro Flaviniaco.

In nomine summæ Trinitatis & individuæ Unitatis, ego Rotbertus, gratia & benignitate redemptoris Jesu rex Francorum. Notum fieri volumus industriæ omnium sanctæ matris ecclesiæ, tam præsentis, quam futuræ ætatis fidelium, quod quidam Amadeus abbas Flaviniacensis cœnobii, in honore beati Petri apostolorum principis, almique Præjecti martyris ac præsulis fundati, ad nostram præsentiam accesserit, petens quamdam capellam nostri juris, infra mœnia Æduorum civitatis sitam, & in honore beati Johannis-Evangelistæ dicatam, supra dicto loco, scilicet Flaviniaco, dari, quæ fratribus prædicti loci ita erat necessaria, ut hospitandi causa eis esset expetenda. Cujus petitio nec visa est refragabilis, nec injusta. Si enim omnibus rationabilibus est favendum petitionibus, quanto magis illorum, quorum remuneratio in die justitiæ constat copiosior? Unde quoniam huic simile multotiens ab antecessoribus nostris frequentatum audivimus & factitatum, libenter petitionis illius præbuimus effectum: quatinus locus sæpe nominatus, Flaviniacus videlicet, & monachi ibi degentes, atque inibi divinæ majestati famulantes, prætaxatam capellam in honore sancti Johannis-Evangelistæ, ut diximus, consecratam, cum omnibus quæ ad ipsam pertinere videntur, perpetualiter, nullo inquietante, deinceps possiderent. Et ut firmiorem amodo tenendi haberent adstipulationem, hoc scriptum inde eis fieri jussimus, & sigilli nostri impressione insigniri præcepimus. Actum Æduæ anno dominicæ incarnationis M XVIII. indictione prima, regni vero glorioſissimi regis Rotberti XXX. III. kalend. Martias. Ego in nomine Christi Galterus cathedræ Augustidunensis urbis episcopus assensi, & propria manu firmavi. Signum Hugonis episcopi. Ego in nomine ligni Crucis Balduinus sanctæ sedis Taruanensis antistes adstipulavi. Ego Theodericus Aurelianensis civitatis episcopus manu propria corroboravi. Ego Rotbertus dux Burgundionum propria manu firmavi.

Hic Rotbertus filius erat Rotberti regis; Hugo episcopus Autisiodorensis. Hic locus confirmat tempus Theoderici episcopi Aurelianensis, cujus initium pontificatus ante biennium statuimus.

In brevi chronico Molismensi beatus Robertus, futurus ejus loci primus abbas,

ANN. CHR. 1018. S. Robertus Molismensis nascitur.

hoc anno natus perhibetur. Patria ei Campania fuit, parentes Theodericus & Ermengardis, secundum sæculi dignitatem clari, & opibus affluentes: quibus sic utebantur, ut summi Patrisfamilias potius dispensatores viderentur, quam terrenæ substantiæ domini & possessores. Prægnanti matri beatissima Virgo in somnis apparuisse dicitur, & aureo anulo filium ex ea nasciturum sibi obstrinxisse. Puer litteris imbuendus traditus, æquales suos discendi facilitate superavit. Vix annos quindecim attigerat, cum sæculi pericula revolvens animo, totum se Deo consecrare decrevit.

LI. Tedfridi abbatis Bonævallis depositio.

Gravis hoc tempore controversia excitata inter Gauzlinum Bituricensem archiepiscopum abbatemque Floriacensem, ac Fulbertum episcopum de Tedfrido abbate Bonæ-vallis in pago Carnutensi. Infamatus a suis Tedfridus, & gravium criminum insimulatus, apud Fulbertum diœcesanum episcopum de infamia [a] sua querimoniam
a *Fulbert. ep.* 38. » fecit, suorumque malitiam se ferre non posse dicens, sub ejus audientia præfecturam abdicavit, negans se ulterius Bonæ-vallis abbatem futurum; sicque, petita » migrandi facultate, ad Gauzlinum archiepiscopum se recepit. Hoc comperto, Bonævallenses monachi, alium e suis pastorem elegerunt, Salomonem nomine, vitæ » inculpatæ virum, electumque Odoni comiti obtulerunt abbatia donandum, ut mos » erat; dein Fulberto episcopo consecrandum. Id ubi rescivit Tedfridus, graviter » conquestus est de substituto sibi Salomone, quasi abbatia non cessisset. Ejus partes » suscepit Gauzlinus, scriptisque ad Fulbertum litteris ait se mirari, qua auctoritate » sine audientia subditus prælato præpositus esset. Quin etiam Arnulfo abbati sancti » Petri Carnutensis litteris datis significavit, se monachos Bonævallenses excommu» nicasse. Qua auctoritate id factum sit, sibi ostendi petit Fulbertus; negatque abs» que audientia Tedfrido substitutum alium fuisse, cum ille coram se prælationi re» nuntiaverit. Ceterum monachos Bonæ-vallis commonitos, ut denuo ad audientiam » venirent, respondisse, se *messivo tempore occupatos* lites ad præsens agitare non » posse: sed *in Aurelianensi concilio*, quod *idibus Octobris* futurum erat, proximum » audientiæ diem & locum se constituturos. Interim Carnutas venit Tedfridus, in» deque discedens, tristitiam [b] Fulberto reliquit & lacrymas, quod culpam nec pur» gare potuisset, nec tegere. unde Fulbertus Gauzlinum monet, si denuo Tedfridus » ad examinationem venire affectet, ratione compescendum esse, ne cum periculo » sui gradus & communi dedecore sacerdotum, conatus ejus inefficaces reddantur. » Non tulit hæc Tedfridi impatientia, sed Gauzlinum iterum impulit ad scribendum » Fulberto, ut novam ipsi audientiam daret. Gauzlino assensit Fulbertus, testatus, se
b *id. ep.* 44.
c *id. ep.* 40. » id [c] distulisse, probe scientem, quod causa ejus extremæ turpitudinis sit, & sentinæ » modo, quo amplius agitatur, eo dirius fœtet; nec tantum turpis, sed & periculo» sa: adeo ut si venerit ad judicium, aut ipse, aut accusator ejus *cum magna sit con» tumelia degradandus*. Diem nihilo minus & locum audientiæ, quamvis invitus & » coactus, uti rogatus fuerat, constituit Fulbertus, jam non ausus relinquere indis» cussum, quod Deum nolle præterire inultum putabat. Quid postea subsecutum sit, nobis incompertum.

LII. Angeriaci tumultus.

Per id tempus Angeriaci apud Santones contigit opidanos cum familiaribus Willelmi Aquitaniæ ducis [d] tumultuari, & præpositum ducis vulnerari ad mortem, ejusque ædes illic subrui. Tunc a primatibus malevolis, præsertim a Fulcone comite, qui tum in ducis obsequio erat tempore quadragesimæ, suggestum est, ut locum sancti Johannis, id est Angeriacum, destrueret, & monachis inde ejectis, canonicos substitueret. At, licet piissimus princeps pro hac injuria magnopere commotus esset, iram tamen suam & malevolorum consilia vicit, nec quidquam molestiæ intulit servis Dei, quorum præcipuus defensor, & in omnibus adjutor semper exstitit. Id eo tempore contigit, id est anno M XVIII. quo urbs Pictavorum, aliæque urbes, Belvacum, Carnotum, & Rotomagus, exustæ sunt: cum Aimericus abbas Angeriaco præesset.
d *Ademar. in chron.*

LIII. S. Amantii monasterium translatum.

Instaurato, ut superius [e] vidimus, sancti Amantii monasterio per Arnaldum Ecolismensem comitem, & Francone abbate eidem præposito, placuit Willelmo comiti ipsius Arnaldi filio, ex sententia nobilissimæ conjugis suæ Gerbergæ, & filiorum suorum Alduini & Gauzfredi, ut, sicut castrum Montiniacum ex castro Anzona & villa sancti Amantii construxerat, ita sancti Amantii cœnobium in eumdem locum transferret. Sed quia locus iste Ecolismensi ecclesiæ subjectum erat,
e *lib.* 50, *n.* 6.

satis egit apud Rohonem episcopum, ut locum, exstruendo aptum monasterio, sanctis Petro & Amantio liberaliter conferret; spatium vero novi castri sibi *in servitium* daret. Assensit episcopus cum consilio Arnaldi archidiaconi, omniumque clericorum sanctæ matris ecclesiæ sancti Petri, facta donatione ecclesiæ beatæ Mariæ de Montiniaco, terraque ei adjuncta, *ad cœnobium construendum & congregationem erigendam*, ubi monachi *cum Dei laudibus perseverent*. De parochianis autem Montiniaci ita constitutum, ut, qui antea parochiani erant sanctæ Mariæ, ad eamdem ecclesiam pertinerent: advenæ vero & monasterii familiares, necnon milites, qui ad præsidium castri venirent, diebus festis in monasterium convenirent, ibique Deo vota sua offerrent; eisdemque ægrotantibus sacerdos de monasterio pœnitentiam conferret, mortuis vero sepulturam, parvulis denique baptismum. Monasterio tunc præerat Algerius abbas, in cujus gratiam Roho episcopus villam Gumsalas, partim dono, partim pretio, cessit monasterio.

ANN. CHR. 1018. Parochi alia jura.

Vinzellæ cella.

Prædictus Willelmus Ecolismensis comes aliud quoque cœnobiolum ædificavit in loco Vinzellæ dicto, illudque sancto Amantio subjecit, collatis prædiis & ecclesiis *in stipendia fratrum, secundum regulam sancti Benedicti ibi degentium*. quod quidem donum facit pro remedio animæ suæ, atque patris sui Arnaldi, matrisque suæ Raingardis, omniumque a semine suo procedentium. Neque his contentus comes, villam Cassanolium, quam Willelmus dux ipsi ad donum sancti Amantii tradiderat, eidem abbatiæ donavit.

LIV. Ademarus monachus & scriptor.

Florebat tunc temporis in Ecolismensi sancti Eparchii monasterio Ademarus monachus ex prænobili Cabanensi familia, patre [a] Raimundo, Turpionis Lemovicensis quondam episcopi abnepote, fratre vero Adalberti decani & præpositi ex monasterio sancti Martialis: qui Raimundus uxorem habuit Aldeardem, sororem Abbonis & Raimundi strenuissimorum ducum, ex qua suscepit *Ademarum Egolismensem monachum, qui hæc scripsit*. Hic patruum [b] ac magistrum habuit Rotgerium monachum, fratrem Adalberti decani, virum clarissimum, qui obiit VI. kalend. Maii, anno sexto Hugonis abbatis sancti Martialis, in quo desinit libellus, quem idem Ademarus de illius monasterii abbatibus scripsit. Litteris itaque operam dedit Ademarus in illo monasterio, ubi *cum avunculo* seu patruo suo *inclyto* Rotgerio degebat, cum defectiones [c] solis & lunæ, pestis & famis prænuntias, conspexit, ut scribit ipse in chronico, quod desinit in obitu Siguini archiepiscopi Burdegalensis. Idem manu sua exaravit historiam Romanorum pontificum Damaso adscriptam, & in Leone IV. desinentem in membraneo codice Uticensi, præmissis acrostichis versibus ad Rohonem Ecolismensem episcopum, editis ad calcem tomi tertii Analectorum: ubi etiam fit mentio librorum Amalarii de divinis officiis, quos itidem Ademarus exscripsit cum insigni additamento, in quo divina officia monachorum cum canonicalibus comparantur. Hos vero libros *in hoc corpore*, id est in codice sancti Martialis, *transscribi curavit Ademarus, indignus*, ut se ipse dicit, *monachus, in honore Dei & sancti Benedicti*. Ejus chronicon multa scitu digna continet, at confuse ac perturbate relata.
a *Labbe to.* 2. *bibl. p.* 174.
b *ibid. p.* 273.
c *ibid. p.* 174.

LV. S. Eparchii abbates.

Ademari tempore sancti Eparchii monasterium rexere tres abbates, Rainaldus, Richardus & Amalfredus. Rainaldo abbate, sancti Eparchii sepulcrum insolitis miraculis illustrari [d] cœpit, ob idque Fulcherio Carrofensi abbati venit in mentem, ut lignum sanctæ Crucis, quod ex dono Caroli Magni in suo monasterio asservabatur, ad tumulum sancti Eparchii sollemni pompa deferret: ubi ipso sancti Eparchii festo die, scilicet primo die Julii, exceptum est. Rainaldo abbati successit Richardus, qui cum Willelmo Ecolismensi comite, Richardo Virdunensi abbate, aliisque iter [e] ad sepulcrum Domini aggressus est, at *in Selombria* * *civitate Græciæ citra Constantinopolim in eundo obiit, & ibi sepultus est vigilia epiphaniorum*. Electus est in ejus locum Amalfredus monachus, qui cum eo fuerat, ordinatus a Rohone episcopo, cui ordinationi ipse comes, & abbas sancti Martialis Odolricus, *stipatus dignitate monachorum*, vicinique abbates ac principes adfuerunt. quod post annos decem factum est.
d *ibid. p.* 172.
e *ibid. p.* 182, & *seqq.*
* Selivrée.

LVI. Saviniaco factæ donationes.

Dum Iterius abbas Saviniacensi agri Lugdunensis monasterio præesset, Girinus quidam Deo & sancto Martino contulit ecclesiam sancti Juliani, quæ dicitur *Sal*, cum decimis & adjunctis suis, sitam in pago Forensi, *juxta fluvium Adoisii*. Actum anno ab incarnatione Domini M XVIII. Idem Girinus subscripsit litteris, quibus

ANN. CHR. 1018.

Humbertus & uxor ejus Alpasia donant *sacrosanctæ Dei ecclesiæ sancti Johannis Randanensis, quæ subjacet ecclesiæ sancti Martini Saviniacensis, ubi domnus Iterius abbas degere videtur*, capellam sancti Petri, sitam in eodem Forensi pago, in monte, qui dicitur Verdunus. quæ capella modo cella est abbatiæ Casæ-Dei subjecta ab anno M CC XXXI. quo Guigo Forensis comes, pulsis ob solutiores mores canonicis, qui locum tum incolebant, monachis Casæ-Dei hanc ecclesiam concessit, sanctis Porcario & Petro sacram ab eo tempore, quo monachi Lirinenses illuc cum sancti Porcarii abbatis & martyris corpore ob Sarracenos se receperant.

Item S. Victori.

Tunc obierat Willelmus Provinciæ comes, cujus mater Adalax & Gerberga ejusdem principis uxor, cum consensu filiorum & optimatum suorum, sancto Victori Massilienssi pro anima ejusdem principis donant villam, quæ vocatur Septemfontes, sitam in comitatu Regensi, secus fluvium Durentiæ. *Facta donatio hæc anno incarnationis dominicæ* M XVIII. *indictione prima, regnante Rodulfo rege Alamannorum seu Provinciæ*, qui hoc ipso anno regnum suum Heinrico imperatori tradere voluit. Hujus donationis litteris subscribunt Adalax & Gerberga, Willelmus filius Willelmi comitis, Fulco & Gosfredus fratres ejus. Eadem Gerberga cum tribus filiis suis huic donationi addit anno sequenti duos mansos in villa comitatus Sisterici, vocabulo Manoasca. Eodem anno Willelmus vicecomes cum filiis suis Pontio episcopo, Willelmo, Aicardo, Fulcone & Josfredo, eidem abbatiæ donat pro anima uxoris suæ Accelenæ octavam partem villæ, quæ vocatur Cathedra, sita in pago Provinciæ, in comitatu Massilienssi, prope mare. Denique ipse Willelmus vicecomes & Fulco frater ejus cum filiis suis, tradunt sancto Victori molendinum, * Huveaume. * Jarret. *quod est situm juxta flumen Hibelniæ *, ubi Gerrenus * fluvius cadit in bedale de supradicto molendino ad gadium Huvelnæ, per quod itur ad Caravilhanum, terras sancti Victoris.* Multa alia sancto Victori contulit idem vicecomes.

LVII. Heinrici imperatoris duo diplomata pro Einsidla.

Duo hoc anno diplomata Heinricus imperator Meginardi-cellæ indulsit; unum Francofurti nonis Januarii, quo diplomate universas monasterii possessiones confirmavit: alterum Tiguri, ubi ad eum accessit Wirandus abbas, obtinuitque ab eo silvam illam inviam & incultam, in qua prædictum monasterium situm erat. *Data* IV. *nonas Septembris, indictione prima, anno dominicæ incarnationis* M XVIII. *anno vero domni Heinrici secundi regnantis* XVII. *imperii autem* V. *Actum in Turego*, cum scilicet Heinricus e Burgundia, cujus regnum Rodulfus rex ei detulerat, re infecta reverteretur. Paullo ante obierat Lampertus Constantiensis præsul, nimirum decimo-septimo kalend. Junias, cui imperator Rothardum capellanum suum subrogavit.

LVIII. Cervariæ cella.

Locus est in pago Taurinensi, Cervaria dictus, juxta fluvium, qui dicitur Stura, non longe a castello Montis-Falconis, ubi cella hoc tempore condita fuit ex rebus, quas Rotbaldus, filius quondam Alinei, aliique, qui lege Salica se vivere profitentur, contulere Calmiliacensi sancti Theotfredi monasterio, cui hanc cellam subjecere. Hæc vero donatio, *per cultellum, festucum nodatum, vuantonem & vuasonem terræ atque ramum arboris* in prædicto monasterio facta est eo pacto, ut monachi illius cellæ res ei collatas teneant sub obedientia sancti Theotfredi abbatis: & si umquam abbas, vel monachus, vel quævis alia potestas res illas prædicto monasterio subtraxerit, statim redeant in potestatem donatoris, ejusve propinquorum. Id factum imperii Heinrici anno IV. nonis Februarii, indictione I. quæ chronicæ notæ præsenti anno conveniunt.

LIX. Guidonis abbatis Pomposiani vitæ compendium.

Jam annus vicesimus erat, ex quo Pomposiense monasterium beatæ Mariæ in agro Ravennati administrare cœperat Guido abbas, vir sanctitate celebris, de quo in præsens dicendum est. Is in villa Casæmariensi decimo lapide ab urbe Ravenna, parentibus admodum religiosis, genere haud infimis, Alberto scilicet ac Marocia, progenitus, decursis liberalium artium studiis, jam adolescens, oblatas sibi a parentibus nuptias respuit. Mox, pretiosis, quibus indutus erat, vestibus in egenos expensis, pannosus Romam orationis causa perrexit: ubi clericatu suscepto, Jerosolymam profecturus erat, nisi ab hoc itinere cælitus revocatus fuisset, admonitus in somnis Ravennam ut rediret, ibique disciplinæ se committeret cujusdam Martini, pissimi eremitæ, qui in insula, quæ interfluente Pado Pomposiam spectat, in summa continentia & morum integritate tunc degebat. Ad hunc ut Guido pervenit, eique animi sui arcana patefecit, sciscitanti, an monachus fieri vellet, id se

i
te
ter
ædi
tur,
quæ
recent
loco inc
tamen Ca
certe con
næ eccleſia
primum a R
Salvatoris, qu
ad quadragint
cessaria eremiti
mittuntur, excip
Arelanus amnis, q
nitie, in Arnum * po

divinis officiis in oratorio vacarent. Ceterum carnium esus in cellis æternum prohibitus, uti & accessus mulierum, quæ propius uno lapide ad eremum accedere hactenus non sinuntur. Hanc autem vivendi rationem Rodulfus prior, sæculo duodecimo ineunte, tantisper mitigavit. Vinum quippe septies in majori quadragesima, & majoribus festis indulsit; hebdomadæ natalis Domini, resurrectionis, & pentecostes abstinentiam prædictam relaxavit; ac jejunium, quatuor temporum diebus exceptis. Extra jejunii regularis tempora, tertia & quinta feria cum dominica refectionem geminari permisit: quibus geminæ refectionis diebus fratres ad communem mensam cibum capere sancivit. Cum vero singuli eremitæ in privatis cellis reficerent, sedendo, nudis super pavimento pedibus, cibum caperent, codicem manu tenendo & legendo, ut, dum caro corporali cibo pascitur, animus spirituali pabulo recrearetur. Vidimus aliquando & nos sacram illam eremum, in qua sacræ hebdomadæ dies magna cum animi voluptate, quod nulli sæcularium concessum, transegimus, recreati exemplo & conversatione piissimorum illorum anachoretarum, qui maximam priscæ religionis simplicitatem etiam nunc retinent, quam quidem illis inspirat & conservat secretioris solitudinis antiquus amor, quem a majoribus suis acceptum religiose servant, utinam & nos eorum exemplo. Porro primam ejus loci donationem a Theodaldo Aretino episcopo, ut jam dixi, factam fuisse constat ex variis sacræ illius eremi monumentis, quæ nos in observationibus sancti Romualdi vitæ præviis retulimus. Theodaldus vero non ante annum M XXII. Aretinæ ecclesiæ præesse cœpit, ut probant in primis duo illius instrumenta, quorum primum datum est anno dominicæ incarnationis M XXVII. pontificatus ejus anno V. mense Augusto: alterum XIII. kal. Junii, M XXXIII. Theodaldi episcopi X. Itaque Romualdus ante annum M XXII. Camaldulensem eremum incolere quidem potuit: sed locum ante hunc annum ab Aretino episcopo non accepit. Quotquot enim hanc donationem confirmarunt episcopi, eam omnes a Theodaldo episcopo factam testantur: Argumenta hanc in rem alias retulimus. ANN. CHR. 1018.

LXII. S. Theodori monasterium Caïetæ.

Apud Caïetam Latii urbem exstabat [a] ante id tempus sancti Theodori monasterium, cujus originem & conditores primos ignoramus. Ad hunc autem annum revocanda videtur donatio, quam Johannes consul & dux civitatis Caïetanæ, mense Decembri, indictione prima, fecit *domno Stephano venerabili abbati cœnobii sancti Theodori Christi martyris, seu sancti Martini Christi confessoris*, quod situm est intra ipsam civitatem *supra portas nobas**, tam pro se, quam pro Theodomanda bonæ recordationis uxore sua, de lacu Capraticæ. Prædictus Stephanus abbas non multo post evectus est ad episcopatum ejusdem urbis: cujus pontificatu, id est anno sexto-decimo consulatus domni Johannis, ejusque filii cognominis anno tertio, mense Novembri, indictione VII. iidem consules & duces, *vocato Stephano supra scriptæ sanctæ Caïetanæ ecclesiæ pontifice*, sanxerunt, ut *qualiter temporibus domni Johannis thii* seu patrui sui, *prædictum monasterium fuit inclytum*; ita deinceps *non imminutum perseveraret*, ullumve detrimentum in suis ecclesiis pateretur, maxime in ecclesia sancti Angeli in Planciano, quam cum suis adjunctis Johannes *thius* suus eidem obtulerat monasterio, cum omnibus, quæ Anastasius abbas bonæ memoriæ comparaverat, necnon Leo venerabilis abbas, qui tunc sancti Theodori monasterio præerat. quæ omnia, aliaque eidem monasterio confirmant. Leoni abbati successisse videtur Albericus *almificus abbas*, cujus tempore Hemilia glorioſa ducissa, « anno quarto-decimo consulatus nepotis sui domni Johannis glorioſi consulis, quam- « dam beati Petri ecclesiam eidem loco donavit. Ejusdem loci abbas erat Johannes eo tempore, quo Maria ducissa & Adenulfus ejus filius consul & dux, consentiente domno Leone excellentissimo præsule, conferunt inclytam insulam, quæ dicitur Palmaria, quæ erat ex palatio reipublicæ, una cum ecclesia beatæ Mariæ ibidem constructa. Leo episcopus Caïetanam ecclesiam regebat pontificatu Nicolai II. Idem Johannes abbas perstitit usque ad annum M LXXXIX. cui Maraldus abbas successit. Hoc sancti Theodori monasterium destructum fuit ad construendam arcem, in qua hactenus sancti Theodori ecclesia visitur. Hæc ex monumentis a domno Erasmo a Caïeta Casinate transmissis.

[a] *lib.* 43. *n.* 27.

* *novas.*

...is inclusi
...ine modu-
...uforiis affi-
...rvabant, alii
...lex erat, ut
...ter dominicum
...mam addebant.
...x biduana sextæ
...vabant; quinta fe-
...hæc primis tempo-
...remitæ omnes, præter
..., qui noctu & interdiu

ANN. CHR. 1019. LXIII. Rotberti præceptum pro Latiniaco. a *Labbe recueil hiſt. p. 591.*

JAm annus decimus-nonus ſupra milleſimum inchoatus erat, cum Stephanus Campaniæ & Briegii comes, filius Herberti comitis, qui Latiniacum monaſterium inſtauraverat, paterna ductus æmulatione, eidem loco amplificando ſtudium ſuum contulit. Quam ob rem Rotberto regi apud Senonas tum moranti [a] ſuggeſſit, hanc abbatiam, *quæ olim amplis terrarum ſpatiis & largis poſſeſſionibus ditata claruerat, ſed paganorum poſtea perſecutione deſtructa & penitus deſtituta fuerat*, a patre ſuo comite Herberto reſtauratam fuiſſe, eique propriam terram maxima ex parte reſtitutam; petiitque, ut rex auctoritate ſua id roboraret. quod pius princeps gratanter indulſit, ac præcepto confirmavit, in quo Stephanum cariſſimum nepotem vocat. *Actum Senonis civitate, anno dominicæ inc.* M XVIII. * *regnante ſereniſſimo rege Rotberto* XXXII. *ſexto kal. Martii.* Regiis litteris apponuntur ſigna Rotberti regis, Heinrici & Roberti ejus filiorum, & Letrici archiepiſcopi. *Balduinus ſubcancellarius vice Arnulfi archiepiſcopi primique cancellarii recognovit atque firmavit.* Is erat annus XXXII. ab unctione Rotberti regis. Paullo poſt idem Stephanus novam monaſterii baſilicam per Senonenſem archiepiſcopum dedicari curavit, ut lego in chartaceo codice, in quo id hoc anno factum dicitur *die prima menſis Junii.* Latiniacenſi monaſterio tunc præerat Herbertus abbas, ſuperius laudatus: cujus depoſitio in necrologio S. Germani Pratenſis notatur XIV. kal. Decembris. Huic ſucceſſiſſe videtur Rotgarius, principatu Heinrici regis Latiniaci abbas.

* *Sec. novum calc.* M XIX.

LXIV. Cluniaco factæ donationes.

Eodem anno Hugo Autiſiodorenſis epiſcopus pro anima patris ſui Lamberti comitis Auguſtodunenſis & matris ſuæ Adelheidis donat Cluniaco mediam partem curtis Givriaci in comitatu Divionenſi, confirmatque alteram partem, quam eidem cœnobio contulerat ſoror ſua Maheldis, ejuſque conjux Gaufredus cum filiis ſuis, Gaufredo, Herveo, Odone, Tetbaldo & Lamberto. His litteris ſubſcribunt Hugo ipſe, Gauzlenus epiſcopus, ſcilicet Matiſconenſis, Otto comes, Hugo vicecomes, Acelinus abbas, & alii.

b *Bibl. Clun. p. 411.*

Hoc ipſo anno ineunte Rodulfus rex Burgundiæ, petente Irmingarde regina conjuge ſua, ex propria hereditate [b] eccleſiam ſancti Blaſii ſitam in pago Genevenſi, donat *monachis Cluniacenſibus, regulæ ſancti Benedicti modo & deinceps obedientibus. Actum in villa Tabernis, quam alio nomine ob fluvium ibidem defluentem, Urba appellant. Data* XIX. *kal. Februarii anno ab inc. Domini* M XIX. *regnante Rodulfo rege anno regni ſui* XXXI. Idem rex, ſupplicante Rainaldo comite, filio Ottonis comitis, cognomento Willelmi, viri illuſtriſſimi, monaſterium ſancti Salvatoris ſeu ſancti Nicolai in Veſontionenſi epiſcopatu juxta Poloniacum, in loco, qui Vallis dicitur, Cluniacenſibus donat, confirmatque quatuor caldarias ferreas in Salinis, villas Glenonem, Mediolanum, Mutuam, & piſcariam Givriacenſem, cum conſenſu conjugis ſuæ Irmingardis. Actum Logis anno XXXI. regni Rodulfi regis.

LXV. Trenorchii dedicatio. c *Tournus p. 529.*

Bernerio abbate Trenorchium adminiſtrante, reſtitutum ex incendio monaſterium, ſollemni [c] ritu hoc anno dedicatum eſt IV. kal. Septembris, adſtantibus Joffredo Cabilonenſi epiſcopo, & Gauſleno Matiſconenſi, qui ambo in titulo epiſtolæ Benedicti VIII. pro Cluniaco nominantur; necnon Hugone Cabilonenſi comite & epiſcopo Autiſiodorenſi, qui eodem die villam *Iſleis*, Araris ripæ dexteræ adjacentem, Trenorchienſibus contulit cum jure piſcationis in ipſo flumine: cujus ob doni gratiam monachi beneficium ſuæ eccleſiæ, ſuorumque locorum ei conceſſerunt. Idem Bernerius paullo ante, aliam ædem exſtruxerat ſub nomine ſancti Valeriani primi ejus loci patroni: ne, dum abbatia ſancti Filiberti nomine paſſim appellabatur, primus ejus loci apoſtolus oblivioni traderetur.

LXVI. S. Martialis abbates. d *Labbe to. 2. bibl. p. 273.*

Sub finem hujus anni mortuus eſt Josfredus abbas ſancti Martialis apud Lemovicas, cujus obitus notatur ab Ademaro nonis Decembris. Subrogatus eſt in ejus locum Hugo abbas, ad annos ſex, qui collationem in Francia coram Rotberto rege, & Gauzlino Bituricenſi archiepiſcopo, multiſque aliis epiſcopis & ſapientibus viris habuit de ſancti Martialis apoſtolatu, qui ei in illa collatione aſſertus traditur. Unde reverſus e Francia Hugo, ſanctum Martialem in litaniis poſt apoſtolos adſcribi curavit. Hæc eadem cauſa nihilo minus poſt annos duodecim retractata eſt in concilio Bituricenſi tempore Odolrici abbatis, qui Hugoni ſucceſſerat. Hugonis anno ſexto deceſſit VI. kal. Maii Rogerius frater Adalberti decani, vir clariſſimus, & Ademari Ecoliſmenſis monachi patruus & magiſter: poſt quem Hugo abbas VI. kal. Junii inſequentis mortuus eſt.

Bernardum

ANN. CHR. 1019. LXVII. Craſſæ abbates aliique. a *Marca Hiſp. p. 1016.*

Bernardum abbatem Urbionenſi beatæ Mariæ cœnobio, quod de Craſſa vocant, hoc anno præfuiſſe conſtat ex inſtrumento de geſtis [a] vitæ canonicæ introductæ in eccleſiam Gerundenſem, cui cum ſex epiſcopis interfuit *Bernardus ſanctæ Mariæ Craſſæ*, & cum eo Petrus Rodenſis, Landricus Giſſahenſis, Gaufredus cœnobii Galli-cantus, Amblardus cœnobii ſancti Cyrici, Vives cœnobii ſancti Pauli maritimi, & Pontius cœnobii ſancti Saturnini. Non ergo expungendus, ut quidam opinantur, Bernardus e numero Craſſenſium abbatum, ſed locandus poſt Stephanum abbatem, qui nominatur in charta reſtitutionis cujuſdam a Geraberto factæ anno M XV. Bernardo ſucceſſiſſe videtur Randulfus abbas, cujus mentio in tabulis Craſſenſibus poſt annos quinque occurrit, & poſt medium ſæculum Bernardus ſecundus & Randulfus, an idem qui ſupra; deinde Dalmatius, de quo inferius.

LXVIII. Cariloci parthenon fundatur.

Sub idem tempus Godrannus, cum filiis ſuis Heleziari & Berengario, puellare monaſterium in pago Suſtantionenſi & diœceſi Magalonenſi pro anima ſua, ſuorumque, maxime filiæ ſuæ Deo devotæ Judithæ, conſtruere cœpit apud Carilocum prope Marcianicum, ubi ſancti Geneſii martyris eccleſia jam exſtabat; idque facit ea lege, *ut cunctis diebus hujus ſæculi habitatio ſit ſanctimonialium atque Deo devotarum feminarum ſub regulari vita degentium*; quæ eligendæ abbatiſſæ facultatem habeant *ſecundum præcepta beati patris noſtri Benedicti, vel providentiæ abbatis cœnobii ſancti Petri Pſalmodienſis*, cui tunc Warnerius abbas præerat. *Hæc actio atque ſcriptio exarata atque tradita eſt anno incarnationis Domini* M XVIIII. *indict.* II. XV. *kal. Auguſti, diſponente largiſſima benignitate Dei, regnum ſapienter rege Rotberto regente.* Subſcribunt poſt Godrannum ejuſque filios Petrus epiſcopus Magalonenſis & Eyraldus Nemauſenſis, Bernardus comes Suſtantionenſis, Warnerius abbas Pſalmodienſis cum cuncta congregatione, aliique complures. Litteras Adelfredus monachus ſcripſit. Poſt annos ſex Juditha, Godranni filia, Cariloci prima abbatiſſa electa fuit in conventu procerum ac nobilium illius regionis.

LXIX. Willelmi comitis donatio Fructuariæ. * *Doire-la-Balte.* b *Bibl. Seluſ. p. 291.*

Otto, cognomento Willelmus, Burgundiæ comes, multa prædia in alpibus Penninis poſſidebat, maxime inter fluvios Padi & Duriæ-Bautiæ *, qui juxta urbem Eporediam decurrit. Hæc autem omnia [c] tradit, donatque pro redemtione animæ ſuæ, uxoris, liberorum, & propinquorum ſuorum *monaſterio, quod dicitur Fructuarium*, conſtructo *in honore ſanctæ Dei-genitricis Mariæ; ac ſanctorum martyrum Benigni atque Tiburtii, ad victualia monachorum ibi Deo militantium. Acta ſunt hæc Burgundiæ villa, quæ Portus dicitur, anno incarnationis dominicæ* M XIX. *indictione* II. *imperante Henrico auguſto.* quem idcirco hoc loco nominat Otto, quod illæ poſſeſſiones eſſent ſub ditione imperii. Villa Portus ſita eſt in diœceſi Veſontionenſi, cujus decimas Walterius archiepiſcopus Cluniaco donavit regnante Rodulfo.

LXX. Liſborni & Sceldice abbatiæ. c *Annal. Paderb. p. 432.* d *ibid. 433.*

Menſe Martio hujus anni, dum Goſlariæ verſaretur Heinricus imperator, Theodericus Mimigardefordenſis epiſcopus eccleſiæ ſuæ reſtitui curavit [c] abbatiam *Lisborn*, ſitam in pago Dreni, in comitatu Herimanni comitis, quæ olim ſanctimonialium collegium fuerat a Caroli Magni ævo, poſtmodum monachis noſtri Ordinis conceſſa. Actum hoc anno Goſlariæ XVII. kal. Aprilis. Quinto poſt die idem imperator ibidem abbatiam [d], *Sceldice* vocatam, eccleſiæ Patherbrunnenſi ad preces Meinwerci epiſcopi conceſſit. Celebre exinde evaſit hoc collegium virginum ad vicum Schilſe, haud procul Bifeldia, olim quinque templis, nunc uno parochiali inſtructum, infectumque Lutherana tabe. Ex urbe Goſlaria Merſeburgum proceſſit imperator, ubi Altahenſi monaſterio, pro ſibi dilecti Godehardi * abbatis obſequio, decem manſos, in marca & comitatu Adalberti marchionis ſitos, interventu conjugis ſuæ Chunigundæ confert VII. idus Aprilis. Idem Godehardus hoc etiam anno procurabat Tegernſenſe ſancti Quirini monaſterium, cui ad ipſius preces idem imperator duos regales manſos, in loco, qui dicitur Luipma, conceſſit v. idus Januarii, dum Chuafungæ moraretur. Idem Merſeburgi hoc itidem anno Farfenſium poſſeſſiones novo diplomate, v. idus Aprilis, petente Hugone abbate, comprobavit.

Heinrici varia diplomata e *Greſſer. p. 75.*

LXXI. Ditmarus epiſcopus obit.

In veteri chronico Saxonico Thietmarus epiſcopus obiiſſe hoc anno, eique Bruno ſucceſſiſſe dicitur. Hic eſt Ditmarus celebris ille hiſtoricus, ſed genere & virtute celebrior, utpote illuſtri Saxoniæ comitum domo oriundus, patre Sigefrido, matre Chunigunda. Puer Quindelinburgi apud Emmildam materteram educatus, poſtea Magdeburgi Riddago abbati ad ſanctum Johannem erudiendus traditur:

ANN. CHR. 1019.

ubi triennio conversatus, deinde in Mauriciana cathedrali ecclesia clericalem togam induit. Wigberto Merseburgensi primo episcopo successor datus anno M VIII. usque ad hunc annum vitam produxit, mortuus kalendis Decembris, annos natus dumtaxat XLIII. cum sedisset annos circiter undecim. Ad hoc fere tempus chronicon perduxit, cujus in Saxonica historia utilitatem nullus eruditorum ignorat. Editum est cum quibusdam erratis & lacunis, quæ facile emendari possunt ex chronico Saxonico necdum edito, quod penes nos est, potestque censeri ut continuatio historiæ Saxonicæ, immo & Germanicæ, usque ad annum M C XL.

Heimeradus item presbyter.

In hoc chronico *Heimeradus presbyter, vir sanctus, in Hasungen de hac vita feliciter ad Christum migravisse* hoc anno perhibetur. Idem tradit Trithemius, qui IV. kal. Julii eum obiisse scribit. Id fine dubio acceperat ex libro de ejus vita, quem Egbertus Hersfeldensis monachus composuit, nuncupavitque *domino ac patri suo Hartwigo* abbati Hersfeldensis monasterii, in quo Heimeradus seu Heimo (sic enim primum vocabatur) aliquamdiu habitavit. Hic gente Suevus, ex servili genere in libertatem assertus, relicta patria, in urbem Romam, inde in Palæstinam profectus est. Reversus in Germaniam, in cella Hersfeldensis monasterii Mimilebo seu Mimileve [a] condidit. Hoc comperto, Arnoldus Hersfeldensis abbas, sciscitatus patriam, gentem, causamque ejus adventus, eum Hersfeldiæ admisit, eique sanctæ conversationis habitum tradere voluit. at ille minime consensit, immo post aliquod tempus, in capitulum fratrum, nihil suspicantibus monachis, ingressus, prostratus in terram, discedendi veniam petiit. Interrogatus quid causæ haberet; id unum attulit, *quod animam ibi pro voto salvam facere non posset.* Iratus abbas, ratus eum ex innata peregrinandi impetigine velle abire; invitis fratribus eum flagellis cæsum e monasterio extrusit. Huic flagellationi adfuit Anzo religiosissimus cœnobita, qui ex ore ejus, dum cæderetur, nihil se audisse testatus est, præter psalmi quinquagesimi preces. Inde ad villam diœcesis Patherbrunnensis, *Dietmelle* vocatam, profectus, in veteri quadam ecclesia substitit, interrogatusque a Meinwerco episcopo quis esset; exhibitis libris incomtissimis, quibus in re sacra utebatur; jussu episcopi, ut quidam gyrovagus, denuo verberibus cæditur. Demum ad montem Hassiæ, Hassungen dictum, se recepit, ubi reliquos vitæ dies piissime exegit, mortuus hoc anno IV. kalend. Julii. Librum de ejus vita cum actis sancti Meinwerci episcopi typis vulgavit, notisque illustravit amicus quondam meus Adolfus Overhamus cœnobita Werthinensis.

[a] *V. supra n.* 28.

LXXII. Tuitiense monasterium dedicatur.

Ad hunc annum revocatur consecratio Tuitiensis infra Coloniam monasterii, cujus originem hoc pacto contigisse tradunt. Convenerat inter Ottonem tertium imperatorem & Heribertum Colonien sem archiepiscopum, ut quoddam monasterium monachorum in honorem Salvatoris & beatæ Mariæ construerent, & quidem ea conditione, ut, si alterutro decedente res infecta esset, is qui superstes foret, utriusque votum expleret. Interim mortuus est anno M II. cæsar Otto, sepultusque Aquisgrani ab Heriberto, qui sponsionis haud immemor, statim de condendo monasterio serio cogitare cœpit. Tuitium seu Duitium locus est ad Rhenum paullo infra Coloniam-Agrippinam. Placuit eo loci jacere fundamenta novi monasterii: at, cum pro loco non satis firma essent, quadam die, finitis, ut Rupertus in vita Heriberti scribit, matutinorum sollemniis, repente tota fabrica corruit. Conductis itaque peritioribus architectis, & fundamentis ad altitudinem navalis mali defossis, solidius ædificium exstructum est, & basilica in modum crucis exædificata: quæ demum hoc anno in honorem Deiparæ virginis Mariæ ab ipso Heriberto consecrata est. Exstant hac de re primariæ [b] ipsius Heriberti litteræ, in quibus initi cum » Ottone ejusmodi pacti meminit, aitque se collatis ibidem Sanctorum pignoribus, » cum celeberrima cleri, plebisque frequentia, novam basilicam in honorem Dei & » Salvatoris nostri Jesu-Christi, & piissimæ genitricis ejus dominæ nostræ perpetuæ » virginis Mariæ v. *nonas Maii* dedicasse, ipsoque die eidem ecclesiæ contulisse ad » principale ejus altare, *in usus fratrum in eodem monasterio Christo sub regulari norma* » *militantium*, prædia & possessiones, quæ sui juris erant, vel a glorioso imo augusto » principe Ottone ad hoc opus ipsi delegatæ fuerant. In his eidem monasterio con» tulit totum castrum Tuitiense cum suo ambitu, quod ita ditioni fratrum mancipa» tum esse voluit, *ut proprietas ejus solum abbatem respiciat*, (quod sane novum videri possit) adeoque ut claustra ejus & claves penes eum sint, nec citra ejus arbitrium

[b] *Gelen. p.* 381.

aperiatur aut recludatur: *ne incompetenti cursu ac recursu indifferenter semper popularis turbæ frequentia irruens, pauperum Christi confundat sancta secreta*, ut in præ- ANN. CHR. 1019.
dictis legitur litteris, quæ hoc anno datæ dicuntur, tametsi in editis nullæ sint chronicæ notæ. Primus ejus loci abbas fuit Volpertus seu Fulbertus, idemque abbas quartus Gladbacensis monasterii, ex quo nova hæc colonia deducta videtur. Hæc de origine Tuitiensis seu Duitiensis monasterii, cujus præcipuum ornamentum fuit Rupertus abbas decimus, de quo multa inferius materia dicendi occurret.

LXXIII. Clivi-Scauri monasterio fit restitutio.

Sub finem superioris libri facta mentio est de Johanne sancti Andreæ ad Clivum-Scauri abbate, cujus tempore Ingizo Romanus, vir nobilis, Franconis bonæ memoriæ trans Tiberim filius, sanctis Andreæ apostolo & Gregorio papæ & confessori quædam prædia restituit, in fundo Molæ-ruptæ posita, quæ *Silvester nefandissimus ac sceleratissimus ejusdem monasterii abbas* ipsi per emphyteosim tradiderat. Exstant apud Baronium ad hunc annum hujusce restitutionis tabulæ, datæ anno octavo pontificatus Benedicti octavi, Heinrici imperii sexto, indictione tertia, mensis Novembris die vigesima-tertia, in quarum fine Inizo sancte affirmat per Benedicti papæ & Heinrici imperatoris salutem, se contenta in illis tabulis inviolabiliter conservaturum atque adimpleturum. Subscribunt post eum Crescentius urbis Romæ præfectus, Johannes Dativus, & alii. Sergius scriniarius S. R. E. has tabulas scripsit.

LXXIV. Abbates S. Salvatoris apud Reate.

Sub idem tempus Hugo Farfensis abbas quamdam commutationem fecit cum Landuino abbate monasterii sancti Salvatoris apud Reate de Letenano seu Boiano, & de districto totius massæ Bucciniani, quæ a Romano pontifice acquisierat. Alia etiam commutatio inter utrumque monasterium facta de curte & ecclesia sancti Petri in Meiana, quæ juris erat Reatini monasterii, quam commutationem a fratribus suis magnopere laudatam fuisse scribit Hugo abbas in epistola ad Landoinum abbatem, ubi ait magnam semper inter utrumque locum necessitudinem intercessisse, ita ut promiscuus esset fratrum ex alio in alium transitus & commeatus. Hæc epistola digna visa est, quæ in Appendice integra referatur. Landuinus successerat Constantio abbati, ut colligimus ex veteri necrologio Sublacensi, in quo abbates congregationis sancti Salvatoris apud Reate hoc ordine recensentur: Constantius, Landoinus, Berengarius, Petrus, Berardus, & Ingozo.

ANN. CHR. 1020.

LXXV. Concilium Airiacense. * *Airy.*

ANno insequente millesimo vicesimo conventus episcoporum jussu Rotberti regis coactus est in villa pagi Augustodunensis Airiaca *, quæ juris erat monasterii sancti Germani Autisiodorensis. Huic interfuere in primis Gauzlenus Bituricensis, & Leothericus Senonensis archipræsules cum suis haud dubie comprovincialibus episcopis. Convocandi concilii causa fuit ad redintegrandam in Burgundia pacem, quæ a morte Heinrici ducis interturbata fuerat. Mos vero erat tunc temporis, ut ad ejusmodi conventus Sanctorum reliquiæ deferrentur. E cœnobio sancti Petri Senonensi delatus beatus martyr Saivinianus; e Dervensi quædam reliquiæ sancti Bercharii abbatis. Corpus sancti Germani Autisiodorensis episcopi eo deferri cum quidam postularent, restitit Hugo episcopus, dicens se non passurum, ut *ossa incomparabilis viri pro quacumque re aliquando commoveantur.* Delatis Airiacum sancti Bercharii reliquiis, Dervenses adversus Landricum comitem, qui quædam ipsorum prædia invaserat, in synodo querelas deposuerunt. Ea re indignatus comes, in reditu beati patris reliquias, ut sic heredem simul & hereditatem possideret, surripere tentavit; ratus id sibi impune cessurum per regem, quem ob innatam mititatem facile flectendum & vincendum esse existimabat. Ventum erat ad Armentionem fluvium, quem sacri loculi portitores, qui quatuor erant, ob angustiam pontis non facile pertransire poterant, ut ad castrum seu opidum sancti Florentini pervenirent, ubi tuti ab insequentium insultu esse possent. Hoc in articulo uni eorum visum est, ut pedibus amnem trajicerent. quod non sine miraculo factum traditur.

LXXVI. Dervenses abbates.

Post mortem Berengerii Dervensis abbatis, cujus superius facta mentio est, in regimine successit Nivo abbas, de quo nihil singulare nobis succurrit, nisi quod in veteri Usuardi martyrologio, quod olim fuit Dervensis monasterii, nunc Bibliothecæ regiæ, notatur VIII. idus Junii *ordinatio domni Nivonis abbatis*, & x. kalend. Augusti obitus ejusdem. Hunc excepit Dudo abbas, eo nomine primus, laudatus

ANN. CHR. 1020.

in multis domesticis instrumentis ab anno minimum M XXVII. Inter alia hic cuidam honorabili viro, Constantio nomine, & Hildegardi ejus conjugi molendinum super fluvium Albam, *cum terra trium dierum* sub annuo censu concessit. *Actum Dervo publice, regnante Rotberto rege in regno Francorum.* His litteris apponitur *signum Ingelberti comitis, fratrisque ejus Widonis, qui hanc cartam fieri consenserunt.* Hic est Ingelbertus comes, qui *Dervense monasterium sub sua tuitione satum* dicit in alio instrumento, quo villam Dudiniaci-curtis, *quam dicunt etiam sancti Christophori*, immunem facit ab omnibus redhibitionibus, quas ipsi per singulos annos persolvere cogebatur. *Actum Breone* * *castello, regnante Rotberto rege, jubente Christo, in regno Francorum*, apposito signo Ingelberti comitis, qui hanc chartam fieri jussit, & Adeleidis comitissæ. In eodem instrumento idem Ingelbertus notum esse ait, *quod quondam Ingelbertus*, ejus *prædecessor*, Dervense monasterium, *variis infortunatum eventibus, ob timorem & amorem Dei sublimissime relevavit:* cujus & ipse exemplo, *quoniam momento*, inquit, *nequimus, eumdem locum paulatim libertare atque sublimare, Deo annuente, molimur.* Ejus rei causa prædictam donationem facit. Hic Ingelbertus seu Engelbertus comes erat Breonensis, ut inferius [a] videbimus.

* *Brienne.*

a *ad an.* 1027.

LXXVII. S. Benigno datur monasterium Sarmasiæ.

Tunc temporis exstabat *ante portas castri Sarmasiæ*,* monasterium, beatæ Mariæ & sancto Benigno sacrum, quod Walo [b] *vocatus comes*, & frater ejus Walterius, necnon Warnerius-Sembernon atque Humbertus advocatus, fraterque ejus Girardus, monachis sancti Benigni Divionensibus contulerunt. quod Humbertus, ipsius [c] castri dominus, postea ratum habuit. His litteris apposita sunt signa *Walonis quondam comitis, & uxoris ejus, nomine Judith, & filiorum ejus Aymonis & Hugonis, Walterii fratris ejus, Warnerii & uxoris ejus Istiburgis*, & multorum aliorum. *Acta sunt hæc apud Sarmasiæ castrum publice anno ab incarnatione Domini* M XX. *regnante Rotberto Francorum rege anno* XXV. *indictione tertia.* Rotberti regis monarchiæ initium hic, ut alias, desumitur ab anno DCCCC XCVI. uti & in charta sequente apud Perardum, qua Willelmus abbas quamdam terram in villa pagi Alisiensis Vitriaco, in beneficium concedit cuidam nobilissimo clerico, nomine Girardo. Actum anno sequenti, Rotberti regis XXVI. quod instrumentum scripsit Girbertus levita, monachus Divionensis, is scilicet, qui ab officio [d] scriptor est appellatus.

* *Saumaise.*

b *Perard p.* 175.

c *Spicil. to.* 1. p. 450.

d *ibid. p.* 448.

LXXVIII. Theodericus episcopus Aurelianensis Fulberto reconciliatus.

Theodericum, Aurelianensem episcopum e nostris, cum Fulberto Carnutensi præsule, quod superius dicebam, in gratiam rediisse probat in primis Fulbertina epistola LXII. in qua Fulbertus ei gratias agit de negotiis ad se pertinentibus amice commonenti, ejusque commonitionem benigne accipit, professus, se libenter eidem, prout decuerit & tempus erit, obtemperaturum. Quod vero Theodericus ipsum cum clericis ejus ad quamdam *processionem* invitaverat; respondet id clericis suis conveniens non videri. quippe *damnatis incendio, & ad ecclesiæ instaurationem* » *inhiantibus*, aliisque pluribus miseriis occupatis, ejusmodi *processionem* non esse ad » præsens facilem; successu vero magis prospero se magno cum gaudio ac debita devotione illam facturos. Hoc incendium, cujus meminit in illa epistola Fulbertus, in actis Carnutensium episcoporum contigisse legitur *anno* M XX. *in nativitate beatæ Mariæ*, Fulberti episcopatus anno XIIII. quo incendio civitas & tota ecclesia beatæ Mariæ combusta fuisse dicitur, quam ecclesiam idem piissimus antistes suo labore ac sumtu reædificavit. Sequens Fulberti epistola LXIII. ad eumdem Theodericum, indicat gravem quamdam injuriam ipsi Theoderico fuisse illatam, pro qua is excommunicationem in reos a Fulberto vibrari cupiebat: at ille tantisper exspectandum censet, ac commonitoriis utendum, *donec illos aut panitentia corrigat, aut summi Judicis sententia multet.*

LXXIX. Richardi litteræ pro Fontanella.

Legi quoddam authenticum diploma Richardi secundi Nortmannorum ducis pro Fontanella, confirmantis donationes eidem loco factas, easque augentis ad preces » Gerardi abbatis. In his ipse donat ex rebus suis Liberiacum cum appendicibus, » decimam totius telonei, quod Rotomagi accipitur, & in suburbio ejusdem urbis » ecclesiam sancti Laurentii; in *Ivetot* centum acras terræ, & plura alia, quæ *ad ædificationem male viventium aliqua; ad obviandum suorum multitudini scelerum pauca* esse confitetur. In alio instrumento idem princeps ait, se quorumdam fide- » lium suorum militum, videlicet Osberni & Ansfredi, interpellatione; *quorum so-* » *rorem Papiam duxerat in uxorem*, donare Deo & sancto Wandregisilo, ejusque monachis, *Carcuit* cum villis ipsi adjacentibus, decimam totius telonei de Dieppa & de Archis, & quædam alia *ad reædificationem cœnobii Fontanellensis.* His litteris appo- « ANN. CHR. 1020.
sita sunt signa Richardi comitis filii Richardi senioris, Papiæ comitissæ, Rotberti ar- «
chipræsulis ejusdem principis fratris, Hugonis Bajocensis, itemque Hugonis *Con-* «
stantini episcoporum, Osberni, Ansfridi, & aliorum. Papia erat secunda uxor Ri- «
chardi, qui Juditham, Conani primi Brittonum ducis filiam, priorem uxorem habuerat. Qui Papiam Sueonis Danorum regis filiam faciunt, viderint quo pacto id concilient cum hoc instrumento, in quo soror dicitur Osberni & Ansfredi, quos nobiles Neustrasios fuisse constat. Hoc instrumentum caret chronicis notis. Papia comitissa subscribit aliis Richardi litteris pro Fontanella, anno M XXIV. datis, quo proinde tempore Judith jam obierat, mortua, non anno M XVII. ut quibusdam placet, sed anno M XXIV. ut Radulfus de Diceto testatur.

LXXX. Majoris-monasterii quædam cellæ,

Dum Ebrardus abbas Majori-monasterio præesset, Burchardus miles, *seniorque* « *castri, quod vocant ad-Insulam*, siti super fluvium Vigennæ, litteris suis testatur, « quod anno incarnationis dominicæ millesimo atque vicesimo ipsius præsentiam « adierit venerabilis abbas Ebrardus & Hacfredus sanctæ matris ecclesiæ Turonicæ « decanus, Arderadus quoque monachus frater suus, aliique utriusque ordinis homi- « nes, rogaturi, ut quemdam locellum Tavennis, in honorem sanctæ Mariæ semper « virginis consecratum, quem Theotbaldus, Amalricus & Acfredus avunculi sui ex « suis redditibus & prædiis locupletaverant, ipse quoque a consuetudinibus vicariæ, « aliisque redhibitionibus immunem redderet. quod facile annuit, tam pro sua salute, « quam liberorum suorum Hugonis, Hucberti atque Aimeriæ, conjugumque suarum « Hirmingardæ defunctæ & Aanor superstitis, eo pacto, ut qualibet hebdomada in « eodem loco una missa pro eis decantetur, & quinque psalmi post capitulum reci- « tentur, & in Majori-monasterio quotidie *panis libra & vini* uni pauperi donetur. « Eo loci cella est Majoris-monasterii, prope castrum Ad-insulam, in pago Turo- « nico posita: cui primum erigendæ Tetbaldus miles alodum suum ibidem sancto « Martino largitus fuerat anno primo Hugonis regis. Eodem Ebrardo abbate, Ala- « nus *comes & dux Britannorum*, eo nomine tertius, una cum fratre suo Eudone & « matre sua Hadvisa, sancto Martino impertitur monasterium quoddam, situm in « pago Redonensi, quod vocant Sanctum-Exsuperium, jam olim a Nortmannis des- « tructum, quod Guidenocus quidam, cujus rogatu hæc concessio facta est, in bene- « ficium tenebat. Alani hac de re litteris post donatores apposita sunt signa Judheri « comitis, Guinguenei archiepiscopi, Gualteri episcopi Redonensis, Gualteri item Namnetensis, necnon Guarini & Ederni episcoporum, aliorumque. *Data mense Januario civitate Redonensi, regnante Rotberto rege.* Idem Alanus confirmat quamdam donationem, factam a quodam clerico, qui Deo in Majori-monasterio servire in monastico habitu volebat. Subscripta sunt nomina Alani comitis & matris ejus, Eudonis fratris ejus, Warini seu Guarini episcopi Redonensis, Walterii Namnetensis, Heldeberti abbatis Montis-sancti-Michaëlis, Mainardi abbatis loci sancti Salvatoris, scilicet Rothonensis, Hinguethen abbatis sancti Jacobi *. Ebrardi abbatis tempore monachi Majoris-monasterii subscribunt cuidam chartæ de Chamartiaco, in quibus *Vitalis prior*, *Odo sacerdos & monachus scholæque primus* subscribunt, regnante Rodberto rege.

* *f.* Jacuti.

LXXXI. S. Nicolai cœnobium Andecavis conditur.

Apud Andecavos præter sancti Albini & sancti Sergii monasteria, atque cellam Aquariæ conventualem, insigne visitur sancti Nicolai cœnobium, situm ad prospectum urbis occidentalem, super ripam amnis Brionelli, in colle a dextris Meduanæ molliter assurgente, cujus loci primum oratorium ab Hucberto episcopo in honorem sancti Nicolai hoc anno consecratum est cum cœmeterio. Ejus auctor Fulco Andecavorum comes, cognomento Nerra sive Niger, qui, dum pietatis causa Jerosolymorum loca sacra peteret, sæva tempestate in mari jactatus, sancto Nicolao Myrensium olim pontifici votum condendi in ejus honorem monasterii, si salvus evaderet, nuncupasse traditur. Voti compos factus, ubi primum domum revertit, promissum exsolvere aggressus est, delecto extra urbem loco, qui secessui, adeoque monasticæ professioni esset opportunior. Exstructo monasterio, prædiisque congrue dotato, acciti e Majori-monasterio monachi, quibus Baldricus abbas primus præficitur: qui paullo post præfectura cessit vitæ solitariæ desiderio, secessitque ad cellam Majoris-monasterii, Tavennas dictam, ubi reliquum vitæ exegit. Sub-

ANN. CHR. 1010.

rogatus e Majori-monaſterio Reginaldus itidem ceſſit antequam benediceretur, factus poſtmodum primus Vindocinenſis abbas : ac demum in utriuſque locum Hildinus monachus & prior ſancti Albini ſuffectus eſt. Novam ejus loci baſilicam Urbanus II. dedicavit,

LXXXII. Credonenſis cella. * *Craon.* * *l'Oudon.*

Sub idem tempus condita eſt cella ſancti Clementis de Credoneo * ſeu Credonio, quod caſtrum eſt diœceſis Andecavenſis ad Uldonem * fluvium, Armoricis finitimum. Hujus cellæ primus auctor Suhardus, ipſius caſtri toparcha, qui eam ſancti Albini monachis ſubjecit, ea lege, ut monachorum coloniam iſtuc inducerent, ex quibus abbas, nec ipſis ſancti Albini monachis, nec ullis aliis ſubjectus, crearetur. Sed cum illi pactas cum Suhardo conditiones implere differrent, Guarinus Suhardi filius, abrupto fœdere, ſancti Clementis eccleſiam clericis commiſit. Verum is paullo poſt a Gaufrido Martello Andecavorum comite ſuperatus, & in illo prœlio, quod Andecavinos inter ac Brittones conſertum eſt, interfectus, unicam filiam, Bertam nomine, ditionum ſuarum heredem reliquit. Hanc vero Gaufredus, paternæ memor injuriæ, rebus omnibus ſpoliavit, ac Credonii caſtrum & *honorem* Rotberto Burgundioni, conjugis ſuæ nepoti, conceſſit, excepta ſancti Clementis eccleſia, quam Vindocinenſi monaſterio ab ſe condito ſubjecit, & in cellam erexit. Suhardus ſenior hujus cellæ conditor, Liſoii filius, tres filios habuit, Liſoium ſcilicet juniorem, Suhardum itidem juniorem, poſterorum expertes, & Guarinum, quem Gaufredus Credonio ſpoliavit, Bertæ parentem, quæ primo nupſit Rotberto de Vitreïo, dein Rotberto Burgundo, Sablolienſi domino : cujus filius Raginaldus, cognomento etiam Burgundus, Credonii dominus, & Domita ejus conjux cum filio ſuo Mauricio confirmant quæcumque in ditione ſua poſſidebantur a monachis ſancti Albini, ejuſque rei chartam ponunt in manu Otbranni abbatis, ac deinde ſuper altare ſancti Albini. Credonenſis cella, hactenus conventualis, multarum litium Vindocinenſes inter & ſancti Albini monachos materia poſtea fuit.

a *Menag. Sablé. p.* 126.

LXXXIII. S. Martialis abbates. b *Labbe to.* 1. *bibl. p.* 273.

Apud Lemovicas in monaſterio ſancti Martialis Hugo abbas anno regiminis ſui ſexto deceſſit [b] VI. kalendas Junii, triceſimo die quam obierat Rogerius monachus, frater Adalberti decani, vir clariſſimus, magiſter & patruus Ademari Cabanenſis Ecoliſmenſis monachi, ex quo hæc diſcimus. Hugoni ſuffectus Odolricus abbas quartus-decimus, qui caput iſtius eccleſiæ magna cum ſollemnitate dedicari curavit. Eo abbate habita eſt ſynodus Lemovicenſis, in qua de apoſtolatu ſancti Martialis actum eſt. Idem Odolricus *comes & abbas* vocatur [c] ab eodem Ademaro, virque [d] *vigilantiſſimæ honeſtatis*, cujus tempore Alduinus Ecoliſmenſis comes ſancto Martiali eccleſiam beatæ Mariæ in territorio Burdegalenſi cum inſula magna Dordoniæ, in qua ſita eſt, contuliſſe traditur.

c *ibid. p.* 183. d *p.* 184.

LXXXIV. Peciano monaſtero datur Baſſona. * *Baſſonë.*

Hoc etiam anno in Vaſconia Raymundus de Baſſona Deo & ſancto Michaëli Pecianenſis monaſterii, quod eſt ſitum in comitatu Aſtaracenſi, Cleto abbati, totique ejus congregationi donat alodum proprietatis ſuæ *cum eccleſia ſancti Friſii & omni eccleſiaſtico* apud Baſſonam *, ea lege, *ut inibi monaſterium conſtruatur ſecundum ordinem ſancti Benedicti* ; & nullus ex propinquis ſuis aliquid ab eo loco exigat, excepto comite Fidenciaci, quem ejus advocatum & defenſorem conſtituit. Ad hæc velle ſe ait, ut abbas & congregatio Pecianenſis *cruces in circuitu prædicti alodii ponant, ut ſalva firmitas & refugium omnium bonorum permaneat. Facta eſt hæc donatio & chartæ conſcriptio anno* XXX. *regnante rege Rotberto, menſe Novembris, anno incarnationis dominicæ* M XX. *regnante Sancio comite Waſconiæ.* Subſcribunt Emericus & Arnaldus comites, & Oddo archiepiſcopus, ſcilicet Auxitanus. Cleto Peciano abbati ſucceſſit anno ſequenti Raymundus, quo anno Willelmus-Lupus de Valleurſa eccleſiam ſancti Maxentii in comitatu Convenarum reſtituit Peciano monaſterio & ſupra dicto abbati Raymundo, cujus juris erat ex alode parentum ſuorum. Actum anno XXX. regnante Rotberto rege, menſe Novembrio, anno M XXI. indict. IV. *regnante epiſcopo Petro & comite Rotgerio.* Eidem Raymundo abbati, ejuſque congregationi Arnaldus-Willelmus vicecomes ſubdidit eccleſiam ſanctæ Mariæ de Dalmaraco deſertam ac deſtructam, quam idem abbas inſtauravit, ſex monachis inibi inſtitutis, eamque tranquille tenuit per annos LX. quibus elapſis, gravis controverſia de hac cella exorta eſt.

Peciano monaſterio ſubjectum fuiſſe dicitur Sorduenſe, quod tempore Arſicii abbatis Pecianenſis, qui ex Sorduenſi ſancti Johannis monaſterio aſſumtus fuerat, hac occaſione Peciano ad tempus ſubductum fuit. Sorduenſis quidam monachus ab Arſicio abbate Peciani ædituus conſtitutus eſt. Hic Sorduenſe aſceterium Peciano ſubjectum eſſe indignanter ferens, inſtrumentum ſubjectionis furatus, ad monaſterium ſancti Caprāſii de Pontonis, quæ Regulæ cella erat, aufugit ; ibique hoſpitatus, dum decubuiſſet, igne candelæ, quam accenſam reliquerat, ſimul cum lecto correptus interiit, ſimulque totum monaſterium incendio combuſtum eſt. Hinc Pecianenſium jugum excutere moliti ſunt Sorduenſes ; ſed tandem Raymundus Pecianenſis abbas hac de re conqueſtus in concilio Auxitano, judicio Auxienſis archiepiſcopi Raymundi *Cope*, atque domni Gregorii Aquenſis epiſcopi, aliorumque ejuſdem ſynodi epiſcoporum, Sorduenſe monaſterium recuperavit à Willelmo ſancti Johannis abbate, cui patrum conſilio eamdem præfecturam, ſalvo ſuo jure, commiſit. Huic inſtrumento, quod caret chronicis notis, ſubſcribit cum prædictis epiſcopis Raymundus abbas Cellæ-Menulfi.

ANN. CHR. 1020. Sordua vindicatur.

LXXXV. Iterius abbas Saviniaci ordinatur.

Eodem tempore, cum Durandus Saviniaci in agro Lugdunenſi abbas III. nonas Julii fato functus eſſet, fratres Saviniacenſes paſtore orbati, communi conſilio, & juſſu Burchardi Lugdunenſium archiepiſcopi, venerabilem Odilonem abbatem *Cluniacenſis archimonaſterii* adiere, paternam ejus clementiam obnixe rogantes, ut ipſis quemdam e ſuis, expertæ probitatis & prudentiæ monachum, in abbatem concederet. Horum precibus annuens vir ſanctus Icterium ſeu Iterium, ſeniorem monachum, nolentem ac repugnantem, eis dedit, quem Burchardus Lugdunenſis archipræſul amantiſſime complexus, abbatem ordinavit *cum conſilio & conſenſu canonicorum & abbatum*, ſcilicet *domni Bernardi modeſti patris Inſulæ-Barbaræ, atque domni Arnulfi patris Athanacenſium religioſi ac ſapientiſſimi*, uti legitur in litteris [a] Burchardi archiepiſcopi de hac electione. Hujus abbatis tempore quidam Adelgaldus clericus, una cum fratribus ſuis, quidquid habebat in eccleſia beatæ Mariæ Lovaniaci & beati Georii ſeu Georgii, id eſt decimas, dotalitium & capellas, laudante & conſentiente domno Frederico Gebennenſi epiſcopo, Saviniacenſi monaſterio tradit *pro nutrimento fratris ſui Leutonis*, quem Chono eorum parens Deo obtulerat in manu Iterii abbatis, eo pacto, *ut cum diviſionem inter filios ſuos ex rebus ſuis faceret, eidem filio ſuo ſuam partem redderet.* quod morte præventus explere non potuit, explendumque filiis ſuis reſervavit. Inſuper Rodulfus rex Burgundiæ Transjuranæ, eo nomine tertius, petente Irmingarde regina conjuge ſua, necnon Burchardo Lugdunenſi archiepiſcopo fratre ſuo, & Burchardo itidem Viennenſi archipræſule, eidem monaſterio donat [b] in pago Albanenſi villam Taluerias * cum eccleſia beatæ Mariæ & ſanctorum Petri ac Mauricii, *ad regimen & ſubjectionem Iterii abbatis & ſucceſſorum ejus, & utilitatem fratrum Taluerias monaſtice Deo famulantium*, ſub tuitione regia. Hoc eſt Taluerienſe monaſterium, diœceſis Gebennenſis prope Anneciacum, Saviniaco ſubductum ab Urbano VIII. nunc abbatia ſub Benedictina congregatione ſanctæ Juſtinæ. Ad hæc Gaufredus cum uxore ſua Petronilla eccleſiam [c] ſancti Pauli, ſitam *in territorio Santonenſi, ſubter* caſtrum, quod vocatur Botavilla, freti conſilio Willelmi comitis Engoliſmenſis, ejuſque uxoris domnæ Gerbergæ parentum ſuorum, Alduini fratris ſui, necnon Iſli epiſcopi Santonenſis, donant Saviniacenſi ſancti Martini cœnobio, id eſt domno abbati Iterio & monachis ſub eo degentibus, *quam diu ipſum monaſterium in regula patris Benedicti ſteterit. Data per manum Duranti monachi, menſe Junio, feria* III. *regnante Roberto rege in Francia, & Rodulfo in Gallia* ; & quidem ante annum M XXVIII. quo Willelmus comes deceſſit.

a *La Mure p.* 385.

Talueriæ Saviniaco datæ.

b *Bibl. Sebuſ. p.* 97. * *Taloires.*

c *Bibl. Sebuſ. p.* 125.

LXXXVI. S. Vitono facta donatio.

Virduni Hildradus, cognomento Heſcelinus, comes nobiliſſimus, timore Dei & admonitione Richardi abbatis impulſus, ſanctis Petro & Vitono confert id, quod poſſidebat apud *Bobrunel* : ut monachi Vitoniani perpetuam ſui habeant memoriam, & Herſendis uxoris ſuæ, filiique ſui Richardi, quem Deo *ad clericatus honorem* devote obtulerat. Actum anno incarnationis dominicæ ī. * XX. indictione III. concurrente V. epacta XX. His litteris Hildradus comes ſignum ſalutiferæ crucis appoſuit, & poſt eum Albricus ipſius nepos. Adhuc in vivis erat Fredericus ex-comite monachus, ut patet ex charta Heymonis Virdunenſis epiſcopi a Waſſeburgo relata, pro quadam commutatione : ubi ait ſe hanc chartam compoſuiſſe & confirmaſſe *ad deprecationem domni abbatis Richardi, domnique Frederici,*

* *id eſt* M.

Frederici monachi obitus.

ANN. CHR. 1020.

qui comes exſiſtens, inquit, *noſtræ civitatis, poſtpoſitis ſæcularibus pompis, in cœnobio ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctique Vitoni monachus factus eſt.* quæ charta hoc anno data eſt. Non diu poſt hunc annum ſuperſtes fuit Fredericus. quippe poſt ejus obitum abbas ſancti Vedaſti, ubi is mortuus eſt, creatus eſt Leduinus, ut ſatis innuit Hugo Flaviniacenſis in chronico, qui Leduinum abbatiæ ſancti Vedaſti anno M XXIV. prælatum fuiſſe teſtatur. Hinc non temere Frederici obitum anno M XXII. cum Vaſſeburgo repoſueris, & quidem VIII. idus Januarii, quo die in necrologio ſancti Vitoni laudatur *venerandæ memoriæ domnus Fredericus monachus hujus loci, & ex comite converſus, frater Godefridi & Gozelonis ducum, qui nobis Bornacum contulit.* Sepultus primum fuit in monaſterio ſancti Vedaſti, ubi præpoſiti officium geſſerat: ſed paullo poſt Richardus abbas eo profectus, effoſſo ejus corpore, viſcera corio inſuta ibi repoſuit, corpus vero matri fratrique conſepeliendum, ad monaſterium ſancti Vitoni reportavit. Frederici epitaphium ex codice Corbeienſi a nobis in ejus elogio relatum eſt cum epitaphio Hermanni itidem ex comite monachi, qui v. kal. Junii ad aſtra ſubvectus fuiſſe dicitur.

LXXXVII. Richardus Malboldum Elnonenſibus præficit.

Cum Richardus abbas Elnonenſes ad meliorem vitæ formam revocaſſet, nec unus tot monaſteriis per ſe regendis par eſſet; ſui vice Elnonenſi Malboldum ſeu Malbaldum præfecit abbatem, quem ex omnibus huic muneri obeundo magis idoneum eſſe intellexit. Principio Malboldus ſe gravem ac ſtrenuum præſtitit vindicandis monaſterii rebus, quæ ab exteris occupatæ fuerant. Ex his una erat, quam quidam præpotens & rapax invaſerat: qui ſæpe ab Elnonenſibus præpoſitis commonitus, ad reſtituendam ablatam poſſeſſionem non potuerat adduci. Ejus rei cauſa Malboldus abbas Baldewinum ſeu Balduinum Flandriæ comitem, cognomento Barbatum, ad reddendum jus interpellavit, ſed fruſtra: dum tandem Bergis eum convenit, invocato prius ſancti Winnoci patrocinio, qui comitis demum animum ad ferendam favorabilem ſententiam flexit. Paullo ante quam Elnonenſem præfecturam reſignaret Richardus, Humolarienſibus monachis quædam prædia apud Altamvillam in pago Laudunenſi ſub annuo cenſu conceſſit. Actum Helnone monaſterio die XX. Junii anno Domini M XVIII.

Popponem Stabulenſibus.

Eodem tempore, cum Bertrannus Stabulenſis abbas naturæ debitum ſolviſſet, Popponem monachum, jam a nobis laudatum non ſemel, Heinricus imperator in ejus locum ſufficere conſtituit. Petenti ægre aſſenſit Richardus abbas, varias obtendens occaſiones, in quibus eum ſibi neceſſarium eſſe aſſerebat. Sed tandem evicit imperatoris iterata petitio, cui Heriberti Colonienſis archiepiſcopi auctoritas acceſſit. Annuit itaque, licet invitus, Richardus, cui Stabulenſis præfecturæ pedum mox porrexit cæſar, deferendum ad Popponem, adjuncto ei ad id negotium Wolbodone Leodicenſium epiſcopo: qui ambo Popponem in Stabulenſi regimine inſtituunt. Vix ad eam dignitatem promotus erat, cum quibuſdam ejus loci, tum monachis, tum ſæcularibus, diſplicere bene agendo cœpit; eoque ventum eſt, ut laïci diſtrictis gladiis monaſterium ingreſſi, eis, qui cum Poppone illuc venerant, necem intentarint, immo & quibuſdam intulerint. Id ubi reſcivit pius abbas, qui tum Malmundarii verſabatur, duos, qui ſecum erant, ſtrenuos milites, Adalbertum & Boſonem, ad reprimendam ſeditioſorum rabiem eo miſit. quibus fugatis, nullus emenſo anno ex illa conjuratione ſuperſtes fuit. Eadem paullo poſt perſecutio Popponi contigit in ſancti Maximini Trevirenſi monaſterio.

LXXXVIII. Monaſterium Virduni muris includi non fert.

Nec perſecutionis expers fuit Richardus abbas mox laudatus, eam paſſus ab optimo ceteroquin epiſcopo Heymone Virdunenſi epiſcopo. Cauſam accipe. Eo tempore Heymoni venit in mentem, ut ſancti Vitoni monaſterium includeret intra muros civitatis, quos tunc ædificabat. Ejus propoſito reſtitit piiſſimus abbas, cœnobitis incongruum dicens muris urbis contineri: ne, dum nocturnis vigiliis, aliiſque divinis vacarent officiis, aut ſomnum caperent, ludicris opidanorum cantibus & ſtrepitu interturbarentur. Cum vero nec ſic a propoſito recederet epiſcopus; imperatoris auctoritatem Richardus interpoſuit, utpote ſibi amiciſſimi, qui miſſa legatione epiſcopum ab incœpto prohibuit. Irato eam ob rem epiſcopo, vir Dei ad tempus iræ locum dedit, & opportunam votis ſuis occaſionem nanctus, ad ſolitarium locum, qui dicitur *Rumbech*, Romarici-monti proximum, ſeceſſit, ibique per annos quinque vitæ contemplativæ ſe totum addixit. Mox ad eum confluxere diſcipuli, quibus

quibus formam vivendi, ſecundum morem a ſanctis patribus inſtitutum, præſcripſit. Eodem etiam infirmi ſanandi ſe conferunt, ex quibus leproſus, balnei ejus aqua lotus, omnino mundatus eſt, cæcus videndi facultate donatus, aliaque ab eo miracula patrata. Hæc cum ad aures Heymonis epiſcopi perveniſſent, virum ſanctum miſſa legatione revocavit.

ANN. CHR. 1020.

LXXXIX. Bergenſe monaſterium conditur.

Per id tempus Balduinus Frandriæ comes, mox laudatus, monaſterium apud Bergas ædificare cœpit in ſuperiori opidi plaga, ubi ſancti Winnoci corpus, quod in inferiori ejus loci oratorio quieſcebat, collocare meditabatur. Winnocus quippe Woromholti mortuus, ibidemque primum ſepultus fuerat. Nortmannis vero ea loca vaſtantibus, corpus ejus Sithiu deportatum, poſtea Balduinus comes, cognomento Calvus, Bergas, ubi vir ſanctus vivens aliquamdiu conſederat, transferri curavit, exſtructo in honorem ſancti Martini & ſancti Winnoci templo, quod ſæcularibus clericis conceſſit. Poſt annos fere centum Balduinus Barbatus, cincto muris opido, ex illo oratorio corpus ſacrum intulit in monaſterium, quod in ſuperiori opidi parte exſtruxerat: ubi monachos, e Sithienſi cœnobio adductos, conſtituit, ut inferius videbimus.

XC. Hermannus ſcholis traditus.

Annum ætatis ſeptimum agebat Hermannus, cum litteris erudiendus traditus eſt, & quidem XVII. kal. Octobris, uti de ſe ipſe ad hunc annum teſtatur. quo anno ſine dubio in Augienſi monaſterio Deo oblatus eſt a parentibus, qui puerum contractum, unde cognomen accepit, adeoque ſæculi rebus inutilem reputabant. Huic etiam tardum [a] ingenium fuiſſe perhibent, ob idque miſeriam ſuam vehementer deplanxiſſe, & novercantem ſibi fortunam accuſaſſe: at præceptoris monitu beatæ Dei-genitricis virginis Mariæ opem imploraſſe; & poſt biennium optionem ei a Deipara datam, vel ſanitatis, vel ſcientiæ conſequendæ; eum vero ſcientiam prætuliſſe: quo ex tempore ingenium facile & ad comparandas ſcientias promtiſſimum habuerit, omneſque demum animi ſagacitate & induſtria ſuperaverit, muſicæ in primis & computandi artis peritiſſimus, ut ejus opera [b] teſtantur, quorum indicem Trithemius exhibet.

a *Trithem. an.* 1005.

b *ibid.*

XCI. Cnuti regis benefacta in noſtros.

In Anglia Cnutus ſeu Canutus rex non minus pie, quam ſapienter regnum tunc adminiſtrabat, in res ſacras optime affectus, maxime in Ordinem ſancti Benedicti, *quem ultra omnes confeſſores ſpecialiter dilexerat*, ut Johannes [c] Bromton ſcribit. Hinc duo monaſteria fundaſſe traditur, unum in Norwegia, & aliud in Anglia, ſcilicet Conholmi in partibus Norfolchiæ, in ſolo paluſtri, ubi quidam eremita, Sunemanus nomine, oratorium in honorem ſancti Benedicti primitus erexerat: quod a Danis deſtructum Wolfricus quidam, Deo devotus, poſtmodum inſtauravit, ibique congregatis ſeptem ſociis ædificia neceſſaria exſtruxit. Hic a Mainardo Cnuti præpoſito apud regem infamatus, ita ſe purgavit, ut rex monaſterium ſancti Benedicti regia munificentia ibidem condiderit, magniſque inſignierit privilegiis, conceſſo monachorum regimine Wolfrico, cui Alfinus abbas ſucceſſit. Interim idem rex in Burenſe monaſterium, ubi ſanctus Eadmundus rex & martyr ſepultus miraculis coruſcabat, monachos introduxit, accitos ex prædicto ſancti Benedicti monaſterio, quibus Uvium abbatem præfecit. Id factum hoc anno ſupra milleſimum viceſimo Radulfus [d] de Diceto auctor eſt, additque, Alfwinum, orientalium Anglorum epiſcopum, primum eccleſiam ſancti Edmundi ædificare cœpiſſe. Hic eſt Alfwinus ſeu Alwinus epiſcopus ex monacho Elienſi, qui monachos in Buri monaſterium induxiſſe dicitur, ibique quoſdam [e] de Holmenſi, quoſdam de Elienſi collocaſſe, eiſque ſubſidia large contuliſſe, Turkillo comite auxilium impendente. Idem Alfwinus Helmamenſis epiſcopus, Elienſis eccleſiæ a puero monachus, vitæ ſanctitate & morum gravitate ornatus dicitur a Thoma Elienſi. Annis fere triginta ante ingreſſum monachorum ad ſanctum Eadmundum Ailwinus adhuc monachus [f] a diœceſano epiſcopo, propter degeneres clericorum mores, illic ad cuſtodiam corporis ſancti Eadmundi deputatus fuerat.

c *Script.* X. p. 913.

d *ibid.* p. 467.

e *Angl. ſac.* to. I. p. 608.

f *Monaſt. Anglic.* to. I. p. 293.

XCII. Elienſes abbates.

Tunc Elienſis abbas erat Leofwinus, Elſini ſuperiore anno defuncti ſucceſſor, a prædicto Alfwino epiſcopo ordinatus: qui a ſuis poſtea dejectus, ob idque Romam [g] profectus cum Egelnotho Dorobernenſi archiepiſcopo, qui hoc anno Livingo ſucceſſit, illic ſe purgavit, & in gradum reſtitutus eſt. Erat Egelnothus ante pontificatum eccleſiæ Chriſti, ſcilicet Cantuarienſis, decanus: quo tempore ejus eccleſiæ monachi, quaſi canonici cathedrales, monachorum quidem habitum retine-

g *ibid.* Egenolthus Angliæ primas.

bant, sed regulam non plene obſervabant, poſt illam ſcilicet cladem, qua cum ANN. CHR. 1020. Elfego archiepiſcopo totus fere conventus, quatuor dumtaxat exceptis monachis, Danorum gladiis occubuerat. Tunc præpoſitum ſuum decanum appellabant, *quem nos*, inquit Gervaſius, *poſt adventum Lanfranci priorem appellamus*. Egelnothus porro, ob inſitam bonitatem Bonus cognominatus, poſt electionem ſuam Romam adiit, & a Benedicto papa honorifice acceptus, pallio ſuſcepto cum honore primatus Cantuariam reverſus, eam eccleſiam in priſtinum dignitatis gradum reſtituit. Eodem cooperante monachi poſiti dicuntur in monaſterio ſancti Eadmundi a Cnuto rege, cui acceptiſſimus erat, tum quod vir bonus eſſet, tum quod eum ſacro chriſmate liniſſet. Hunc porro Livingo hoc ipſo anno ſucceſſiſſe tradit Radulfus de Diceto, qui eum nobilis viri Agelmari filium dicit. Leofwino Elienſi abbati poſt annos tres ſucceſſit Leofricus, qui anno regiminis ſui ſeptimo defunctus, Leoffinum abbatem, a monaſterii reſtitutione quintum, ſucceſſorem habuit.

XCIII. Fructuariæ dat quædam Gerardus comes.

Tunc temporis in Mettenſi provincia florebat *vir illuſtris & magnæ opinionis comes Gerardus*, qui, *ſuadente conjuge ſua Eva*, pro ſe & pro anima filii ſui Sigifridi, qui in quadam pugna ante triennium interfectus fuerat, eccleſiam ſancti Michaëlis cum ſuis adjunctis, quæ a domno Willelmo Divionenſi per commutationem in regno Italiæ acquiſiverat, Fructuarienſi monaſterio tradit, probante Diederico ſeu Theoderico Mettenſi epiſcopo. Actum Mettis publice III. nonas Februarii hoc anno, indictione III. Has litteras ſignis ſuis roborarunt Diedericus epiſcopus, Gerardus, Giſelbertus & Folmarius comites, aliique; integras retulit Guicheno, [a] in Bibliotheca Sebuſiana, qui itidem inſtrumentum [b] prædictæ permutationis, Gerardum inter & Willelmum abbatem factæ, refert, datum Mettis, anno & die prænotatis. Hic eſt Gerardus Alſatiæ comes eo nomine primus, Eberardi Alſatiæ comitis filius, cujus conjux Eva, filia Sigifridi comitis Luciliburgenſis, Chunegundis imperatricis ſoror, in utroque hoc inſtrumento laudatur. Prædicti Gerardi frater fuit Adalbertus, pater Gerardi ſecundi Alſatiæ comitis, a quo Lotharingiæ principes originem ducunt, auctor monaſterii Buoſonis-villæ, de quo inferius.

a *Bibl. Sebuſ.* p. 164.
b *ibid. p.* 393.

XCIV. Firmanus S. Savini abbas.

Firmi in Piceno * perſtabat non ita pridem monaſterium ſancti Savini, in ſuburbano Viſio monte, qui nunc ſancti Savini dicitur, poſitum, cui ab ineunte undecimo ſæculo præerat Firmanus ſeu Firmus abbas, quem alii Firminum vocant. Petrus Damiani in opuſculo ad Henricum Ravennenſem epiſcopum, *Firmanum Firmenſem* adjungit ſuæ ætatis beatis viris, Romualdo Camerinenſi, Amico Ramibonenſi, & Guidoni Pompoſiano, aliiſque *ſanctæ converſationis* viris, *ſuper quorum videlicet veneranda cadavera, ex ſacerdotalis concilii auctoritate, ſacra ſunt altaria erecta, ubi nimirum divina myſteria miraculis exigentibus offeruntur*. Petrus alter, Caſinenſis diaconus, teſtatur, *hiſtoriam ſancti confeſſoris Chriſti Firmani* a Theodorico Caſinenſis gymnaſii preſbytero ſcriptam fuiſſe, quæ necdum edita eſt. Apud Ughellum habetur [b] inſigne Uberti Firmanenſis epiſcopi inſtrumentum, anno M XVI. datum monaſterio ſancti martyris Savini, cui præeſſe dicitur *venerabilis abbas Firmus*, quem noſtrum Firmanum eſſe putant. Nec plura de ſancto Firmano, niſi quod ejus commemoratio fit V. idus Martii in quibuſdam martyrologiis. Hunc plerique, etiam e noſtris, confundunt cum ſancto Firmino Ambianenſi. Ceterum erga ſancti Savini monaſterium ſe munificos præſtitere ſubſequentes Firmanæ eccleſiæ nonnulli antiſtites, quos inter Libertus epiſcopus, pœnitentia ductus, quod hunc locum aliquot ſuorum anteceſſorum exemplo exactionibus oppreſſiſſet, omnimodam ei immunitatem anno M C XXVI. impertiit, cunctis exactionibus renuntians *per manus domni Raynerii ejuſdem monaſterii venerabilis abbatis*, exceptis ſolidis viginti, in nativitate Domini & in paſchate ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus perſolvendis. quod alii ejus ſucceſſores ratum habuerunt. Huic monaſterio ſubjecta erant alia duo, ſcilicet puellare ſancti Petri in fundo Monteriano; alterum ſancti Salvatoris in plano Sennæ ſub Montone. Tandem, ut ſunt res humanæ, hoc monaſterium, tot licet privilegiis munitum, capitulo Firmanæ eccleſiæ unitum fuit ab Innocentio VIII. locuſque patribus Capuccinis conceſſus, quibus in urbem tranſlatis, ceſſit patribus ſoc. Jeſu in ſuburbanum diverſorium.

* *la Marche d'Ancone.*
b *Ital. ſac. to.* 2.

XCV. S. Stephani de Cornu monaſterium.

Haud melior fortuna fuit monaſterii [c] ſancti Stephani de Cornu-veteri, quod ſub idem tempus Anſalda Griſalbæ comitiſſa, una cum filiis ſuis Lanfranco, Ar-

c *Ital. ſac. to.* 4. *p.* 902.

duino, & Maginfredo in Laudenſi diœceſi ad Padum conſtruxit. Guidoni ejus loci abbati Paſchalis II. litteras [a] apoſtolicæ protectionis indulſit anno M CVI. Non multo poſt tranſiit hoc monaſterium ad Ciſtercienſes, at commendatariorum incuria & rapacitate penitus demum exſtinctum eſt.

ANN. CHR. 1020.
a *ibid. p.* 906.

XCVI. Romualdus Sitriæ diſtrictius vivit.

Cum monaſterium apud Aquam-bellam inſtituiſſet beatus Romualdus, Dagnino ei præpoſito, Apenninum deſeruit, & in Sitriam ſe contulit, qui locus eſt in Umbria prope Saxo-ferratum opidum. Illic per annos ſeptem incluſus vir Dei, divinam quamdam vitæ rationem inſtituit, ita ut jam non Sitria, ſed altera denuo Nitria reflorere videretur. Omnes ſiquidem illic degentes nudis pedibus incedebant, omnes inculti & horridi, omniumque rerum extremitate contenti erant; nonnulli ita recluſi, ut penitus mundo mortui, & quaſi jam ſepulti viderentur. Vinum ibi nemo, nequidem infirmus, noverat. Ipſi quoque monachorum famuli, ipſi pecorum cuſtodes ſilentium tenebant, diſciplinas inter ſe ſe accipiebant, & de quibuſlibet otioſis verbis pœnitentias ſibi imponi flagitabant. Inter omnes Romualdus ea ætate, qua ipſi etiam perfecti viri remiſſius vivere, & aliquid ſibi de ſui propoſiti rigore laxare ſolent; quantumvis ſenio jam gravatus, vitæ ſeveritate longe ſuperabat omnes. Nam per unius quadrageſimæ ſpatium nihil aliud cibi potuſve percepit, niſi ſorbitiunculam ex modica farina & paucis herbis confectam, ex qua ad imitationem beati Hilarionis vixit. Huic cilicium continuum erat, intonſa coma & barba, quarum excrementa ipſe ſibi perraro forficibus attondebat. Si quando eſculentior ei cibus offerebatur, ſolo captato odore, eum rejiciebat. Sic tamen in omnibus modum ſervare ſtudebat, ut cum jam jam cadere videretur, adhibito mox temperamento, vacillans corpuſculum relevaret. Idem in fratres animus. unde cum Gaudentius quidam, magni fervoris monachus, ejus permiſſu, rejectis pulmentis, ſolo pane cum aqua contentus, pomis quoque ſive crudis oleribus victitaret; ad preces Tedaldi monachi, qui Gaudentii infirmitati compatiebatur, hanc ei facultatem abſtulit Romualdus. quod cum ille indigne tuliſſet, ob idque a Tedaldo ſejunctus, Ingelberto, qui a Romualdo diſceſſerat, ſe ſubdidiſſet; poſt mortem a viro Dei ſuffragiis orationum privatus eſt, nec prius piacularibus ſupplicis exemtus, quam fratrum precibus liberatus fuiſſet. Hic eſt Ingelbertus monachus, cui cum frater quidam ſe a Romano itinere, quod quadrageſimali tempore propinquorum cauſa meditabatur, revocatum a Romualdo diceret, qui id ſpiritu prophetiæ noverat; ſibi ipſi imprecatus: Si Romualdus, inquit, hoc per prophetiæ ſpiritum, & non magis per diabolum dixit, non me omnipotens Deus in hoc recluſorio perſeverare permittat. Dictum factum eſt. nam poſt paucos dies Ingelbertus, fracto recluſorio, abſque magiſtri permiſſu diſceſſit, nec amplius reverſus eſt. Alius fuit Ingelbertus Romualdi quoque diſcipulus, qui *archiepiſcopus in gentibus* factus eſt. Et alter quidem epiſcopatum Nucerinum adeptus eſt, at ſimoniæ vitio, cujus cauſa rejici meruit.

XCVII. Falſo accuſatus pœnitentiam ſubit.

Non una hæc tentatio apud Sitriam Romualdo accidit. Cum tantæ eſſet ſanctitatis vir Dei, tamen a malevolorum etiam ſuorum contumeliis haud immunis fuit. Erat inter ejus diſcipulos quidam, Romanus nomine, nobilis quidem genere, ſed moribus omnino degener. Hic in tantam impudentiam prolapſus eſt, ut viro ſancto nefandum crimen imputaverit, idque aliis ejus diſcipulis ita perſuaſit, ut Romualdo, tamquam perpetrati ſceleris reo, rem ſacram penitus interdixerint. Hanc ille pœnitentiam ſubiit, quantumvis innocens, ad ſex menſes, nec per id tempus ad ſacra celebranda acceſſit. Tandem vero indiſcretam hanc ſimplicitatem poſtponere divinitus juſſus, poſtera die, dum ſacra faceret, & *ad ſecundæ miſſæ ſecreta* perveniſſet, in ecſtaſim raptus, divina voce ſibi præceptum audivit, ut pſalmos Davidicos exponeret. quod incunctanter aggreſſus eſt, totumque pſalterium & quædam prophetarum cantica, licet grammaticæ regulis haud ſervatis, luculenter expoſuit. Aſſervatur in ſacrario eremi Camaldulenſis hic pſalmorum commentarius, propria Romualdi manu deſcriptus; quem olim nos, dum in illa ſacra eremo verſaremur, oculis inſpeximus. Perſtitit in Sitriæ eremo vir ſanctus ad ſeptem annos: ubi cum jam tanta fratrum multitudo eſſet, ut illic una omnes conſiſtere vix poſſent; monaſterio ibi exſtructo, præpoſitoque abbate, inviolatum ſervans ſilentium, Bifurcum ſeceſſit. Cum vero illic abbatem ad ſtrictiorem vivendi normam vellet redigere, multa itidem ab eo paſſus eſt.

ANN. CHR. 1020. XCVIII. Bernardi comitis & Guiſlæ comitiſſæ obitus.

Venio ad marcam Hiſpanicam, ubi Bernardus Biſuldunenſis comes, cum ad filii celebrandas nuptias in Provinciam pergeret, in trajectu Rhodani aquis ſubmerſus eſt. Ejus mortem ægre admodum tulere Rivipullenſes & Coxanenſes noſtri, idque teſtati ſunt epiſtola [a] encyclica, in qua ſe hac intempeſtiva morte orbatos eſſe dicunt filios patre, ſubditos principe, fratres germano, ſervos domino, alumnos magiſtro: qui decedens tanto eos mærore affecerit, ut dimidium animæ ſuæ rapuiſſe videretur. Sepultus fuit in monaſterio Rivipullenſi, cui, uti & Coxanenſi, tunc Oliba abbas & præſul præerat. Huic infortunio aliud addunt epiſtolæ ſcriptores, quod intra ſpatium trium admodum menſium ex utroque cœnobio novem obierint fratres: *ex quibus Willelmus nondum plena, Geraldus adhuc incipiente barbie, in primævo flore juvenilis roboris experti ſunt anguſtias mortis; Segoinus ſenex; Vitalis converſus, nihil ſciens præter Chriſtum Jeſum, & Patrem noſtrum, qui eſt in cælis; Daniel presbyter & converſus; Odo & Bernardus juvenes & converſi, uno die & pæne una hora defuncti; Udalgarius toto, ut in fine claruit, corde converſus, qui poſt octo dies, quibus in cella novitiorum perſtitit, hominem exuit; & Francus ex laico monachus.* ubi converſi nomine, ut jam ſæpius monuimus, intelligendi ſunt monachi, qui in adulta ætate ad vitam monaſticam converſi fuerant. Ex his refellitur Franciſcus Didacus, qui mortis genus Bernardi comitis in fabulis habet. In fine epiſtolæ precantur Rivipullenſes & Coxanenſes, ut *curſorem*, qui eam deferebat, *rolligerum* aliis dictum, reficiant laſſum, operiant nudum, eique præbeant itineris neceſſarium ſupplementum; *notatiſque diebus*, ſcilicet quibus ad ſingula monaſteria acceſſerat, indeque diſceſſerat, remittant illum ad viam pacis. Exſtat ejuſdem argumenti epiſtola [b] Olibæ epiſcopi Auſonenſis, eorumdemque monaſteriorum abbatis, ad Gauzelinum Bituricenſem archiepiſcopum & Floriacenſem abbatem, ejuſque reſponſio.

a *Marca Hiſp. p.* 1024.

b *ib. p.* 1025. & 1026.

Guiſlæ comitiſſæ & Bernardi comitis teſtamenta.

Eodem anno deceſſit Guiſla comitiſſa Ceritanienſis, Wifredi comitis uxor, quæ res ſuas mobiles [c] diviſit inter monaſteria iſtarum regionum, & inſuper quædam immobilia monaſterio Canigonenſi legavit: mulum vero ſuum relinquit *ad ſanctum Michaelem de Cluſeta*, niſi eum redimere vir ſuus, & pretium illuc tranſmittere velit. facto teſtamento anno XXII. Rotberti regis. Nec prætereundum hoc loco teſtamentum [d] Bernardi comitis Biſuldunenſis, de quo teſtificati ſunt præter epiſcopos Guifredus abbas Biſuldunenſis, Bonifilius Arulenſis & Taſſia ſancti Laurentii prope Tarraciam abbates. quo teſtamento multa quoque illarum partium monaſteriis legavit, in his vaſcula ſua aurea & argentea donat cœnobio Rivipullenſi, ubi ſepeliri voluit. Notiora ſunt alia monaſteria, exceptis duobus, quorum unum eſt cœnobium ſancti Laurentii ſupra caſtrum Beudam, alterum ſancti Martini [e] Lenis, quæ minus nota. In eodem teſtamento fit mentio parthenonis ſancti Pauli in valle Auſoli, ubi Bernardi teſtatoris filia, nomine Adaliz, manebat.

c *ibid. p.* 1029. *& ſeq.*

d *ibid. p.* 1027.

e *V. pag.* 886.

XCIX. Laubienſe monaſterium Richardo commiſſum.

In Gallia Belgica Ingobrandus Laubienſis abbas tertio-decimo præfecturæ ſuæ anno a Wolbodone Leodicenſi epiſcopo exauctoratur, & in ejus locum Richardus abbas Virdunenſis ſufficitur. Baldericus [f] epiſcopus exauctorandi Ingobrandi, quem Engebrandum vocat, hanc affert cauſam, quod ſub ſpecie regularis habitus ſæculariter vivens, nihil religionis interius haberet, & exterius bona eccleſiæ diſſiparet. Quapropter Gerardus Cameracenſis & Wlpodo ſeu Wolbodo Leodicenſis epiſcopi, hic quod in ſua parochia, ille quod in ſuo territorio ſeu dominio ſitum eſſet monaſterium, habito ſimul hac de re conſilio, non ſine gravi moleſtia ei præfecturam abrogarunt. Ille vero ſe nullo legali judicio depoſitum conqueſtus, tam diu adverſus iſtos epiſcopos clamores excitavit, dum in frequenti abbatum conventu canonice convictus, & depoſitionis ſententia confirmata eſt. Primis Richardi præfecturæ annis Theodericus nobilis puer, de cujus ortu ſuperius [g] egimus, mortuo patre, cum eſſet annorum amplius decem, a pia genitrice Deo in monaſterio Laubienſi oblatus, brevi eum in virtute ac litteris progreſſum fecit, ut eum Richardus, jam diaconum ordinatum, *cuſtodem & præceptorem puerorum, atque ſcholaris diſciplinæ magiſtrum inſtituerit.* Commiſſum itaque Richardo regimen monaſterii, qui tantæ auctoritatis erat, *ut totius* [h] *pæne Lotharingiæ monaſteria ejus inſtituta pro lege ſervaverint, & ſervanda poſteris per ſuccedentia tempora tradiderint.* Itaque *Baldricus* * *epiſcopus, cum beatum virum unice diligeret, cœnobium Laubienſe, divitiis opulentiſſimum, ei tradidit regendum, ut induſtria ejus religionis in eo reformaret propoſitum, quod*

f *Chron. Camerac. lib.* 3. *c.* 15.

g *lib.* 52. *n.* 100.

h *Spicil. to.* 6. *p.* 593. * *lege* Wolbodo.

videbatur a priſtino rigore immutatum, inquit Hugo Flaviniacenſis, qui Baldrico epiſcopo tribuit, quod Wolbodoni ejus ſucceſſori tribuendum erat.

ANN. CHR. 1020. C. S. Laurentii monaſterium Leodici inchoatum.

Idem in conſequentibus error, ubi Baldricus, immo Wolbodo, cum regularem diſciplinam in Laubienſi monaſterio refloreſcere videret, majora meditari cœpiſſe dicitur, & in ſuburbio Leodicenſi monaſterium in honorem ſancti Laurentii moliius eſſe, atque Richardo animi ſui conſilium patefeciſſe, obteſtatus, ut voti ſui cooperator eſſet. quod quidem Richardus ſtrenue & graviter exſecutus ſit, conductis artificibus, qui opus maturato perficerent. Anonymus in vita Richardi abbatis tradit, columnas clauſtri & tabulas ejuſdem materiei a ſancti Amandi abbatia, cui tunc præſidebat, per varios itineris anfractus, perque Scaldim fluvium uſque ad Moſam, eo curante, devectas fuiſſe. Addit Hugo, abſoluto opere, & dedicatione facta, fratres ex monaſterio ſancti Vitoni adductos fuiſſe, quibus præpoſiti nomine præfectus ſit domnus Stephanus, qui in mox dicto cœnobio cellerarii officio fungebatur. Verum ſerius monachi inſtituti ſunt in ſancti Laurentii eccleſia: quæ ab Eraclio epiſcopo dudum inchoata, a Notkero ſeu Notgero perfecta fuerat. Ibi cum Wolbodo monachos inſtituere cuperet, morte præventus, quæ anno M XXI. accidit, Popponi eccleſiæ Stabulenſis opinatiſſimo tunc abbati providentiam illius eccleſiæ commiſiſſe dicitur ab Anſelmo Leodicenſi canonico: ex quo etiam diſcimus, Reginardum epiſcopum, qui Durando Wolbodonis ſucceſſori ſubrogatus fuerat, monachos in ſancti Laurentii eccleſia collocaſſe: ubi primus abbas exſtitit Stephanus, mox laudatus ab Hugone Flaviniacenſi.

ANN. CHR. 1021. C I. Wolbodo epiſcopus obit.

Migravit e vita piiſſimus antiſtes Wolbodo anno inſequenti viceſimo-primo ſupra milleſimum, ſepultus in eccleſia ſancti Laurentii, ab ipſo vivente culta & dotata, cui trecentas auri marcas ad perficiendum opus inchoatum legavit, contulitque *ſeptem matrices eccleſias*, & in Flandria prædia non pauca, a progenitoribus accepta, quæ poſt ejus obitum quidam rapaces homines pervaſere, ut tradit Reinerus ſancti Laurentii ſæculo duodecimo monachus in libro de ejus vita ab ſe compoſito: ubi ait, pſalterium, propria ejuſdem Sancti antiſtitis manu deſcriptum, ſuo tempore in ſancti Laurentii eccleſia aſſervatum fuiſſe. Ejus obitus contigit XI. kal. Maïas: ad cujus tumulum multi ſanitatem recuperaſſe memorantur; in his Adelardus ſancti Trudonis abbas, eo nomine ſecundus, qui cum in phreneſim incidiſſet, ad ſepulcrum ſancti Wolbodonis in priſtinum mentis ſtatum reſtitutus eſt. Sed *quia corporum ſanitates*, ut recte monet Reinerus, *pariunt nonnumquam animarum infirmitates, dum miracula, quæ debeant excitare ad devotionem, ſibi materiam indiſciplinati vindicent ad diſſolutionem; præſertim cum monachico non expediant inſtituto, vel quieti frequentiæ ſæculares: non improbandum fuerit, quod primus loci hujus piæ recordationis abbas Stephanus hunc aliquando ſanctum per divinum nomen conteſtatus ſit, quo temperaret a miraculis, quibus tantæ fratribus fiebant per occaſionem infirmorum noctu & interdiu moleſtiæ*, atque adeo diſtractiones & vagi diſcurſus. Audiant hæc & perpendant monachi, qui ejuſmodi ſpectaculis oculos & animos paſcere amant ad manifeſtum monaſtici propoſiti, ſuarumque animarum diſpendium. Similia zeli exempla aliis in locis, maxime in ſancti Trudonis, ſancti Remigii & Clarævallenſi monaſteriis edita leguntur. Paullo ante obitum Wolbodo monaſterio ſancti Laurentii, quod Baldricus ejus deceſſor in Leodicenſi inſula inchoaverat, præfecit Olbertum Gemblacenſem abbatem, qui vix tandem acquievit, & viginti-octo annis locum rexit. Hic ædificato clauſtro cum regularibus officinis, monachos bene moratos hinc inde collegit, maxime ex diſciplina Richardi abbatis, cujus fama religionis ubique tunc prædicabatur; ſicque primus illic monachorum coloniam inſtituit; &, quoad vixit, locum illum ſtrenuiſſime gubernavit. Subrogatus in Wolbodonis locum Durandus,

Olbertus ſancti Laurentii abbas.

Pauperis in nido patrimonii natus & altus,

ut in ejus epitaphio legitur: *paullo plus tribus annis* epiſcopus, qui quod relicta ſancto Laurentio prædia diripuiſſet, facti pœnitens extra ejus eccleſiam ſepeliri voluit, cujus corpus pro reverentia dignitatis epiſcopalis ſub tectum admitti juſſit prædictus abbas Stephanus, primus ejus loci abbas, ejuſque epitaphium compoſuit, a Reinero

relatum. Falluntur qui Durando tribuunt epistolam de corpore & sanguine Domini ad Brunonem Andecavensem episcopum & ad Berengarium, quam epistolam Deoduino episcopo tribuendam esse constat, ut inferius videbimus. ANN. CHR. 1021.

CII. Heribertus quoque Coloniæ antistes. * *Nuys.*

Paucis ante Wolbodonem diebus, id est XVII. kalendas Aprilis, ad cælestem patriam evolavit Heribertus Colonienſis archipræsul, de Ordine nostro bene meritus, maxime ob conditum Tuitiense monasterium, in quo sepeliri voluit. Lustrando diœcesim gravi febris morbo pulsatus in opido Nussia * seu Novesio, Heliam abbatem sancti Martini-majoris apud Coloniam tertium, sancti vero Pantaleonis quintum, virum eximia sanctitate præditum, ad se visitandum accersivit, ab eoque sacro perunctus oleo, dein *corpore & sanguine dominico* refectus est. Inde secundo Rheno Coloniam revectus, *in domum sancti Petri*, id est metropolitanam ecclesiam, cum grabato ante crucifixum se inferri mandavit, ubi causam animæ suæ, gregemque sibi commissum, Deo & sancto Petro commendavit. Refertur post hæc in secretum cubiculum suum, nec memoratum abbatem, aliosque pios viros ab se recedere passus est, postulans, ut ipsum sacrarum scripturarum & sanctorum patrum lectione idemtidem & precibus consolarentur. Quidquid in scriniolis reliquum erat, in pios usus ante mortem expensum. Migravit ad Dominum, ut jam dixi, XVII. kal. Aprilis, ordinationis suæ anno XXIII. ab incarnatione Domini M XXI. ut diserte habet primus ejus vitæ scriptor [a] Lantbertus seu Lambertus monachus Tuitiensis, quod veteres nonnulli ad præcedentem annum pro veteri calculo referunt. Corpus ejus navicula per alveum Rheni translatum est in Tuitiense monasterium ab ipso constructum, humatumque ante altare: ubi quid vivens apud Deum meruerit, testatur caro mortua mirandis signis, quæ ibi statim ab ejus obitu facta sunt, ut præ aliis testis est Lantbertus monachus, qui libro de ejus gestis ab se scripto quosdam hymnos cum antiphonis & responsoriis adjecit. *Scripta sunt autem, imperante Heinrico tertio, Herimanno metropolis nostræ archiepiscopo, cœnobii ipsius, in quo requiescit, abbate Werimbaldo*, ut in prologo legitur, nomine metropolis Agrippinæ-Coloniæ edito, in cujus fine *obsecundantis* ipsi *fratris Lantberti* nomen & memoria celebratur. Hanc vitam, *prioris stili rubigine subobscuram*, expolivit Rupertus, tum monachus Tuitiensis, jussu Marcwardi abbatis, cui ipse anno M C XX. in præfectura successit. Heriberti in episcopatu successor fuit Pilegrimus, aliis Pilegrinus, quem Trithemius Heriberti nepotem, & abbatem monasterii sancti Burchardi Herbipolensis fuisse dicit.

[a] *Bolland. Martii to. 2. p. 475.*

CIII. Helias abbas Colonienſis.

Hic Scottigenis, qui in monasterio majori sancti Martini ex præscripto Warini archiepiscopi degebant, quasdam molestias facessisse traditur, Germanos Scottis permiscendo, quod hos ex quorumdam falso relatu suspectos haberet. Verum Helias ejus loci abbas, modo a nobis laudatus, magnæ tunc sanctitatis opinione & prophetiæ spiritu clarus, Deum conscientiæ suæ gnarum contestans: *Si Christus*, inquit, *in nobis peregrinis est, numquam vivus Coloniam veniat Pilegrimus.* quod ita Deus compleviſſe dicitur apud Marianum Scottum ad annum M XXXV. Vix septem ab eo tempore annos supervixit beatus Helias, in sacello sancti Benedicti sepultus, cujus mortalis dies pridie idus Aprilis consignatur.

CIV. Volbertus abbas obit.

Heriberto non diu supervixit Volbertus seu Fulbertus Tuitiensis abbas primus, cujus obitum fuse describit Rupertus sub finem libri, quem de vita sancti Heriberti composuit. Rem hoc fere modo narrat. Recenti tanti præsulis dolore tactus, simulque pietate excitatus Volpertus abbas, qui pro egregia vitæ conversatione & doctrina non solum Tuitiensis, sed etiam sancti Pantaleonis, sanctique Viti Gladbacensis monasteriorum curam gerebat, precibus maxime nocturnis pervigil insistebat. Dum vero quadam nocte ad sepulcrum sancti antistitis ferventius oraret, sanctum Heribertum videre sibi visus est, ac dicentem, tricesimo ab ejus obitu die ipsum Volbertum secum pransurum. Ubi illuxit, in conventum processit de more, fratresque ad accuratam regularis vitæ, maxime silentii observationem cohortatus est: at visum solis senioribus, qui magis spirituales esse videbantur, secretius patefecit, quod illi pro somnio habuerunt. Interim res postulavit, ut ad quamdam monasterii villam certorum negotiorum causa proficisceretur: quibus expletis, confestim Rheno in monasterium reverti properat. Jam hora sexta rogatus a comitibus ut pranderet, prius sextam divini officii horam de more cum duobus, qui ejus obsequio aderant, præmittere voluit. at ubi ventum est ad capitulum ejus diei, *Christus resurgens ex mortuis, &c.* respondentibus illis, *Deo gratias*, animam exhalavit. Missus terrestri itinere, qui rem fratribus nuntiaret, recenti vulneri ac dolori, quem ex beati patris Heriberti obitu conceperant, novum attulit. Id contigit tricesimo a sancti præsulis obitu die: sicque completum est oraculum vatis sui, ad cujus sepulcrum Volbertus humatus est. Duo primi ejus successores fuere Rodulfus ejus nominis primus, & Werimboldus, cujus tempore Lantbertus monachus librum de vita sancti Heriberti vulgavit. Sequentium abbatum seriem exhibet Bucelinus in Germaniæ sacræ tomo primo. Decimo loco recensetur Rupertus celebris abbas, de quo plura inferius. ANN. CHR. 1021.

CV. Heinrici imperatoris acta, & Erkembaldi Moguntini archiepiscopi obitus.

Heriberti mortem doluit pius imperator Heinricus, qui viventem dudum suspectum habuerat. Ejus obitum Merseburgi accepit, uti diserte habet chronicon Saxonicum nondum editum, in quo rerum ab Heinrico gestarum series ita exponitur. Sub finem anni præcedentis *Hamerstein* opidum ad Rhenum, ubi natale Domini celebravit, firma obsidione circumdedit, demumque expugnavit, redacto in potestatem Ottone comite, qui, quod ab Erkenbaldo Moguntiæ archipræsule propter illicitum connubium communione privatus esset, Moguntinum pagum multis cladibus infestabat. Post hanc victoriam imperator in Saxoniam profectus hoc anno, festum palmarum Walbikæ, Merseburgi vero pascha celebravit. *Interim pervenit ad aures ipsius, Heribertum venerabilem Colonienſem archiepiscopum humanis rebus excessisse.* Huic chronologiæ favet diploma ipsius Heinrici, a nobis lectum in Camaldulensi archivo, datum III. *kalend. Novembris, anno dominicæ incarnationis* M XX*. *anno autem domini Heinrici secundi regnantis* XIX. *imperii ejus* VII. *datum Hamerstein.* Merseburgo Parthenopolim adiit cæsar, ubi sacros dies pentecostes cum Gerone archiepiscopo peregit. Dehinc Aleſtide curte regia conventum habuit, & Halberstadi sanctorum Thebæorum sollemnia celebravit. Inde Quindelinburgum venit, *ubi dedicatio monasterii ipso jubente peracta est* ab Arnulfo episcopo, qui *altare summum in honore sanctæ & individuæ Trinitatis & sanctæ Mariæ, sancti Johannis-Baptistæ, sancti Petri, sancti Stephani protomartyris, Dionysii & sociorum ejus & sancti Servatii confessoris* consecravit. Octavo dedicationis die imperator Merseburgum reversus, ejus ecclesiæ dedicationi interfuit: postmodum Aleſtide *imperiale colloquium* habuit. Demum subdit chronographus: *Erkembaldus Moguntinus archiepiscopus obiit: cui Aribo regius capellanus successit, cujus super aliquot psalmos tractatus invenitur. Hic monasterium construxit super montem Hasungum in honore Petri & Pauli apostolorum & in memoriam beati Heimeradi.* Hoc monasterium in Hassia situm erat, testante Serario. Omittit ille chronographus dedicationem collegiatæ ecclesiæ sancti Stephani Bambergensis hoc anno factam a Benedicto papa, quem Heinricus imperator *ad confirmandum Babenbergensem pontificatum* hoc anno advocaverat. Eodem tempore consecratum fuit monasterium sancti Michaëlis, ad aquilonarem plagam ejusdem urbis sub regula sancti Benedicti, ab eodem imperatore & Chunigunde ejus uxore constructum, in quo præclara ejusdem sanctæ Chunegundis cimelia hactenus asservantur. Erkembaldi obitum anno præcedenti consignat Lambertus: at certum est eum ad hunc annum perveniſſe. Necdum decesserat X. kalend. Augusti hoc anno, ut patet ex diplomate [a] Heinrici imperatoris, quo quemdam comitatum Gandersheimensi monasterio confirmavit interventu conjugis suæ Chunigundæ imperatricis, necnon Piligrini Colonienſis archiepiscopi, ac pro amore consanguineæ suæ Sophiæ, ejusdem monasterii *matris atque domnæ, denique pro recordatione atque requie patris* sui *Heinrici Bavariæ ducis animæ, cujus ossa requiescunt in eodem monasterio.* Actum Noviomagi X. *kal. Augusti, anno ab incarnatione Domini* M XXI. *indictione* IV. *anno vero domini Heinrici imperatoris regnantis* XX. *imperantis* VIII. quod diploma Guntherus cancellarius recognovit *vice Erkembaldi archicapellani*, qui proinde necdum obierat.

[a] *Annal. Paderborn. pag. 444.*

CVI. Variæ mortes.

Tot mortuis adjungitur ab Hermanno *Irmendrudio Berdchaugienſis* (si bene lego) abbas venerabilis, qui X. *kal. Maii obiit, eique Abarhilt abbas successit. ex quo tempore locus ille magis magisque in deterius defluere cœpit.* Ignotus hic locus, & forte ab eo tempore desertus. Hoc tamen notare visum ex editione Canisiana, quod in Pistoriana deest. Tunc etiam ingens morbo strages in Mediano-monasterio facta est, quæ adeo locum vastavit, ut Hardulfus abbas vix cum uno fratre ex hac peste superstes fuerit. Tunc in Begonis-cella, quæ nunc sancti Blasii dicitur, ingentia

* *vix legitur.*

ANN. CHR. 1021.

miracula facta fuisse Johannes de Bayone tradit. Sic desertus omnino locus paullo post abbate privatur, uti & sancti Mansueti monasterium: dum Willelmus Divionensis abbas utrumque regendum suscepit.

CVII. Corbeiæ pestis, indictum, & incendium.

Ad idem tempus referenda est lugubris & miseranda illa pestis, quæ cum fame per totam Galliam septem annorum spatio grassata fuisse dicitur in libro de miraculis sancti Adalhardi abbatis, & usque ad fines Ambianensium & Corbeiensium desæviisse. ad quam sedandam ambo illi populi, humani auxilii inopes, ad vota precesque confugere, indicta in medio inter utrosque itinere processione, in qua Sanctorum utrimque reliquiæ ad placandam divini Numinis iram deferrentur, idque singulis annis continuaretur. quo tempore tot miracula per sanctos Corbeienses facta perhibentur, tantaque loco celebritas accessisse, ut Corbeia altera Roma vocaretur, eoque undequaque fideles confluerent. Grassanti pesti aliud Corbeiæ infortunium accidit, incendium scilicet, quo princeps basilica succensa fuit, in qua beati Adalhardi corpus adhuc tumulo clausum servabatur. Hinc fratres ad proximam sancti Johannis ecclesiam cum reliquiis Sanctorum se recipere compulsi, dum princeps basilica instauraretur. Hæc Corbeiæ Richardo abbate contigere.

CVIII. Arnulfo archiepiscopo Remensi suffectus Ebalus.

Eadem haud dubie contagione interiit Arnulfus Remorum archipræsul, sepultus in basilica beati Remigii, cui multa bona contulerat, appositо ad latus evangelii epitaphio, ubi nulli pietate secundus fuisse dicitur, spes inopum, & pastor monachorum. Ejus obitus notatur III. idus Martii. Marlotus ejus obitum ad biennium perperam differt: rectius hoc anno eum reponit Mozomense chronicon ab eo laudatum. Favet instrumentum quoddam canonicorum Remensium, qui litem componunt cum Odone Campaniæ comite de Valle-Rodigionis *, cum consensu Ebali archiepiscopi Arnulfi successoris, & de aliis villis, quas per violentiam ipsis auferebant *filii Odalrici comitis, qui factus fuerat monachus. Actum Sparnaco, dominicæ incarnationis anno* M XXV. *regni Rotberti* XXXI. *archiepiscopatus vero domini Ebali anno quinto.* Hic non sine turbis in Arnulfi locum suffectus est, agente Azelino seu Adalberone (nam binominis erat) Laudunensi antistite, homine vafro, & magnæ tamen in regno auctoritatis: qui multas etiam rixas excitavit in consecratione Bertholdi episcopi Suessionensis, Deodato recens mortuo hoc anno subrogati. Ebali electioni in primis favit Fulbertus Carnutum antistes, qui *diligendo* [a] *semper atque venerando semper*, ut ipse loquitur, *Remorum archiepiscopo Ebalo* commendat quemdam carum suum, Hubertum nomine, qui *causa discendæ honestatis* e patria sua egressus, & apud ipsum Fulbertum aliquamdiu demoratus, eamdem ob causam *monasterium beati Remigii* visitare constituerat: *ubi si in aliquo fuerit indigus*, inquit, *vestræ opis, sentiat quæsumus viscera pietatis.* Ab eo tempore, id est a morte Arnulfi, archiepiscopi Remenses regis archicancellarii dici desierunt. In necrologio Remigiano notatur III. nonas Martii *Arnulfus Remorum archiepiscopus & monachus.* Idem censetur in veteri catalogo Remigianorum monachorum sub Arbodo abbate. Forte factus est monachus illo temporis intervallo, quo exauctoratus mansit.

* *Val-roignon.*

[a] *Fulbert. ep. 54.*

CIX. Sithiense monasterium reformatur.

Eodem tempore e vivis excessit Hemfridus abbas Sithiensis, cujus sub præfectura grave detrimentum passa est disciplina regularis, quæ a tempore Hildebrandi abbatis tepescere jam cœperat. Huic sarciendæ adductus ex sancti Vedasti cœnobio Rodericus abbas, curante Balduino Flandriæ comite, & a Balduino Morinorum episcopo benedictus, ægre ferentibus monachis, qui a longa consuetudine avelli non poterant: ex quibus nonnulli de monasterio recesserunt. Verum qui pii patris monita contemnebant, ad viam veritatis Deo vindice redire coacti sunt. Ignis enim ab opido, cujus duo millia domorum conflagrarunt, ventorum, immo peccatorum flabro ad monasterium impulsus, primo claustrum, inde dormitorium, totumque demum monasterium consumsit. Tum vero ad reparandum materiale ædificium fratres unanimi consilio accinguntur: at cum de spiritali fabrica parum curarent, immissa divinitus pestilentia plerosque e medio sustulit. Hinc præsentis mali terror reliquos invasit, qui tandem resipiscentes, Roderici abbatis monitis se dociles præbuerunt, & mores emendare studuerunt.

CX. Bergis monachi instituti.

Idem abbas monachos, petente Balduino comite, induxit in novum Bergense monasterium, ab ipso comite constructum, & sancti Winnoci corpore nobilitatum, quod ex inferiori oratorio istuc translatum est. Huic monasterio Rodericus aliquamdiu

ANN. CHR. 1021.

quamdiu præfuit, suffecto paullo post Germano, qui vix quadriennio locum rexisse dicitur, eoque mortuo Rumoldum, Sithiensem itidem monachum, ibidem ordinari curavit. Germanus abbas anno M XXVI. subscripsit instrumento permutationis quorumdam altarium, factæ inter Balduinum Morinorum episcopum & Rodericum Sithiensem abbatem. ideoque constare non potest id quod habet Iperius, Rodericum abbatem, cujus præfecturæ initium in Sithiensi monasterio ad hunc annum M XXI. refert, Bergensi septem annis præfuisse, & postea Germanum substituisse. Indicem aliorum Bergensium abbatum in appendice ad acta sancti Winnoci alias retulimus.

CXI. Salmurenses abbates.

Geraldus Salmurensis abbas, cujus supra meminimus, pro more & pietate illorum temporum ad sepulcrum Domini, Evrardo Majoris-monasterii abbati commissa abbatiæ suæ cura, voti causa cum multis iter aggressus est. Sed antequam illuc perveniret, comprehensus a paganis, quod uni eorum vas quoddam argenteum dare noluisset, post multa supplicia tandem capite plexus est. Vix ex illo periculo evasit Ansbertus Salmurensis monachus & prior, domo Toarcensis, Pontelevis cœnobii postmodum abbas, & ipse sagitta vulneratus, qui Jerosolymis reversus rem ex ordine retulit. Biennio post, Odonis comitis præcepto electus est in Geraldi locum Fredericus abbas ex beati Martini disciplina, Andecavis consecratus kalendis Septembris a præsule Hucberto, præsente Evrardo abbate, qui Letardum priorem, aliosque officiales ex suo monasterio Salmurensibus imposuit. quod cum illi indigne ferrent, eorum nonnulli, *gravitatem ordinis non ferentes*, paucis post diebus aufugerunt. Tum Fredericus in præfectura stabilitus, Glonnam, vetus sancti Florentii monasterium, adiit: qui primum a Galone præpositо repulsus, sed tandem admissus, eum Salmuri aliquamdiu sub claustrali disciplina retinuit, dein Glonnam remisit: ubi ille XIII. kalend. Novembris defunctus est. Ejus tempore quidam clericus antiqua ejus loci privilegia furtim asportasse fertur, & Budico Namnetensi episcopo tradidisse: qui cum magnam suæ terræ partem ad sanctum Florentium pertinere comperisset, ea omnia igne cremavit. Ceterum Fredericus, etsi Turonis ex servili sancti Mauricii ortus conditione, liberali tamen animo præditus erat, multaque præclare in præfectura gessit, vir magnæ religionis & eximiæ modestiæ, superborum osor & domitor: qui sacra quotidie cum magna cordis contritione & lacrymis offerebat. Hic disciplinam regularem, quam in Salmurensi monasterio languentem & pæne jacentem invenerat, verbo & exemplo in meliorem demum statum commutavit.

CXII. Wifredo abbati S. Victoris succedit Isarnus.

In Massiliensi sancti Victoris monasterio domnus abbas Wifredus obiisse hoc anno traditur, qui disciplinam monasticam ibidem restituit, monasterii a barbaris destructi ruinas reparavit, possessiones a laïcis occupatas recuperavit, novasque acquisivit. Ejus obitus notatur idibus Decembris, postquam annis quinque prior, quindecim sequentibus abbas locum administrasset. Successorem habuit suum ipsius alumnum, Isarnum nomine, virum multæ virtutis ac religionis, quam in præpositi seu prioris officio variis argumentis testatam fecerat. Is natus in pago Tolosano apud Fredesium, cum in pueritia recte institutus fuisset, jam adolescens Gauscelinum, incerti loci abbatem, qui forte illac transibat, de divinis differentem tanta cum voluptate audivit, ut eum usque ad urbem Agatham * secutus sit: ubi ab Stephano illius urbis episcopo habitum sanctæ conversationis accepit. Inde Massiliam cum Gauscelino profectus, eo negotiis occupato, ad sancti Victoris monasterium, plurimis Sanctorum exuviis insigne, se recepit, ubi non ægre a Wifredo abbate, ceterisque fratribus admissus est, Gauscelino abbate eum nequiquam repetente. Cum autem Wifredus eum ad perfectiora in dies tendere animadverteret, non multo post renitenti prioris munus imposuit. Mortuo Wifredo, cum fratres de eligendo successore disceptarent; Archinricus Montis-majoris *quondam* abbas, ipsis auctor fuit, ut quem accersitus minimus puer abbatis officio dignum dixisset, eum abbatem omnes agnoscerent. Nec mora interrogatus puer, Isarnum eo munere dignum proclamavit: moxque universi uno consensu, tamquam cælesti accepto oraculo, Isarnum abbatem, etsi reluctantem, consalutarunt. Ex dignitate factus humilior atque modestior, sibi ipsi parcus, mira in egenos caritate flagrabat. Cibo parcissime, vino maxime diluto uti consueverat. Post modicum

* *Agde.*

somnum in cryptis martyrum nocturnas vigilias orando præveniebat. Inter alios
ANN. CHR. 1021. præconem & admiratorem habuit sanctissimum Odilonem abbatem Cluniacensem, qui octo in Isarno virtutes, quasi totidem beatitudines, scilicet castitatem, humilitatem, misericordiam, patientiam, jejunia, vigilias, orationes, & vanæ gloriæ contemtum suspiciebat: quas quidem singulas ita affecutus erat, ut in singulis videretur singularis. Cilicio asperrimo ad cutem semper, femoralibus numquam utebatur. Forte Cluniaci aliquando demorantem femoralia & staminium sanctus Odilo violenta caritate induit, quæ ille Massiliam reversus statim abjecit. Hunc Odilo secum recumbentem amica quadam contentione solebat vocare hypocritam, propterea quod humanæ, communisque vitæ speciem præferens, se ultra omnes fere mortales fame variisque ærumnis discruciaret.

Carvilliani villa S. Victori restituta.

Prætermittere nolim quoddam factum, quod tempore Wifredi abbatis accidit. Post monasterii destructionem, ab externis occupatæ sunt sacri illius loci possessiones, ita ut fratres, instaurato monasterio, ad inopiam redacti essent. Hinc illi veteres chartas & instrumenta, quæ *in sacrariis* suis restabant, revolvere [a] cœperunt, ut rerum subtractarum notitiam eruerent. In his una erat villa, Carvillianus dicta, quæ *antiquitus*, id est temporibus Lotharii imperatoris, a nobilissimo viro Sigofredo, ejusque conjuge Exlemba *, sancto Victori collata fuerat: cujus authenticum instrumentum donationis inventum est. Tunc Massiliæ jus dicebant Willelmus vicecomes & Fulco ejus frater, apud quos Victorini illius villæ restitutionem sibi fieri postularunt. Citati ad illorum judicum præsentiam allodiarii, primo tergiversari, inducias petere: sed demum hanc villam sibi, non sancto Victori competere certant. Delata ad locum arca sancti Victoris: at illi indurati negare pergunt. Sed tandem duo ex illis (nam quatuor invasores erant) ad arcam sancti Victoris accedentes, partem villæ occupatæ restituunt. Duo alii restitutioni obsistentes, acceptum puerulum e resticula in stagnum demittunt: at, ubi eum in aquam non receptum viderunt, spe sua frustrati, mox aliam partem allodii reddiderunt. Supererat tertia pars, quam episcopi esse asserebant: sed tandem episcopus, prima luce dominicæ resurrectionis, *post acceptam sportam suæ peregrinationis ob religionem piæ devotionis*, prodiit in medium congregationis fratrum, eisque reliquum allodii cessit. Prædictæ per aquam probationis hæc ratio erat, ut innocentes aqua reciperentur, nocentes autem non reciperentur, ut tradit Hincmarus [b] in opusculo XXXIX. de judicio aquæ frigidæ.

[a] *Cassian illust. p. 566.*

[*] *f.* Exleuba.

[b] *Hincmar. to. 2. p. 684.*

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUINQUAGESIMUS-QUINTUS.

Ab anno Christi 1022. *ad annum* 1026.

INSEQUENS annus supra millesimum vicesimus-secundus expeditione Heinrici imperatoris in Italiam, & Aurelianensium hæreticorum damnatione insignis fuit. Hanc præcessit obitus Theoderici episcopi Aurelianensis, & electio Odolrici ejus successoris, cujus initio pontificatus illa hæreticorum damnatio facta est. Theodericus, post quinque circiter episcopatus annos, sarcinæ pastoralis pertæsus, aut forte sibi conscius propriæ in regendo grege infirmitatis, dignitatem ultro abdicavit, & se ad Senonense sancti Petri monasterium, ubi educatus institutusque fuerat, denuo se recepit. Tum ejus animum subiit cogitatio Romæ adeundæ: quod iter aggressus, ubi ad castrum Tornodorense perveniisset, repente morbo correptus, ipsa nocte beato fine quievit VI. kal. Februarii, atque in basilica monasterii sancti Michaëlis sepultus est. Qui anno superiori ejus obitum retulere auctores, veterem calculum secuti sunt, ut constat ex eo, quod adhuc episcopus anno præcedente ecclesiæ Aurelianensi quasdam ecclesias concessit. Viventis meritum consecuta post mortem miracula comprobarunt, quorum nonnulla retulere anonymi duo, qui ejus gesta posteris commendarunt. Suffectus in ejus sedem Odolricus, qui ejus electioni olim adversatus fuerat. De Odolrici consecratione intelligenda videtur Fulberti epistola XXX. qui alias [a] eidem postea epistolas scripsit.

ANN. CHR. 1022. I. Theodericus Aurelianorum episcopus obit.

[a] *Fulbert. ep. 64. 65.*

Ipso statim ejus episcopatus initio detecta damnataque est Aurelianis quorumdam hæreticorum secta, qui Manichæorum errores & Gnosticorum infamias renovabant. Horum antesignani erant duo, Lisoius & Stephanus, ex quibus Stephanus Constantiæ reginæ a confessionibus fuisse dicitur. Hanc perditissimam sectam detexit Ardfastus seu Arefastus de genere comitum Nortmannorum. Hic domesticum habebat clericum quemdam, nomine Herbertum, qui Aurelianos profectus, nefandæ hæreseos a talibus magistris virus imbiberat, a Glabro adjunctus Lisoio pro Stephano, qui ejus magister cum Lisoïo fuerat. Reversus in patriam Heribertus, Arefasto domino suo pessimæ doctrinæ venenum propinare studuit. Rem dissimulavit Arefastus, eamque Richardo duci Nortmannorum aperuit, rogavitque, ut Rotberto regi pestem in regno ejus latentem propalaret. Id ubi comperit pius rex, eumdem clericum cum domino suo Arefasto in urbem Aurelianorum ac-

II. Concilium Aurelianis contra hæreticos.

Arefastus eorum detector, postea monachus.

ANN. CHR. 1022.

cedere jussit, eoque regni sui episcopos convenire mandavit. Nec mora iter aggreditur cum clerico Arefastus, venitque Carnutas, Fulbertum episcopum ea de re consulturus. Verum tunc a sua urbe aberat Fulbertus. nam Romam orationis causa petierat. quo spectant epistolæ duæ [a] ecclesiæ Carnutensis post Fulbertinas. Eo absente, consuluit Arefastus Ebrardum sapientem ejusdem ecclesiæ clericum & sacrisicrinium, qui eum monuit, ut hanc causam quotidianis precibus & sacra communione Deo commendaret. quod ille fideliter exsecutus est. Ubi Aurelianos advenit, rem arte primum aggrediendam ratus, instar rudis discipuli se ab illis hæreticis privatim edoceri velle simulavit. Tum satis instructus, illis in conspectum regis & episcoporum productis, vinctus eo processit, dicens se vinculis adstrictum immeritum teneri, quod Aurelianis ab his viris, sapientia & religione præclaris, eruditus esset. Dogmata ab eis accepta proferre jussus, cum ea sincere exposuisset, illi ea primum abnegare, tum agnoscere coacti sunt. Fecit quod in se erat Guarinus Belvacensis præsul, eos ut a perversa doctrina revocaret: at cum illi ferro duriores præter duos, unum clericum, & unam monacham, qui resipuere, emolliri non potuissent, pyra extra urbem accensa cremati sunt cum Lisoïo ceterorum magistro, omnes numero decem, falso persuasi, se a flammis illæsos fore. Quidam ex illa secta Aurelianensis ecclesiæ canonicus & cantor, nomine Theodatus, ante triennium mortuus fuerat, cujus corpus, jubente Odolrico episcopo, e cœmeterio ejectum, projectumque ad sterquilinium est. Itaque nefanda hæc secta, quæ vetus testamentum, veram in Christo carnem, veramque in eucharistia Christi corporis & sanguinis præsentiam, ac baptismum negabat, Aurelianis compressa est industria potissimum & arte Arefasti. Hic postea monachus factus est in Carnutensi sancti Petri monasterio, cui res hereditatis suæ, sitas in pago Constantiensi, contulit pro sua suorumque salute, necnon Richardi comitis sive ducis & Gunnoridis ejus matris, quorum consilio & favore id se fecisse dicit in charta hac de re ab ipso confecta, relataque in codice dicto Aganonis, in quo Ardfastus appellatur. Hic est Ardfastus monachus, qui eo tempore, quo Theodericus Carnutum antistes Lanfridum sancti Petri abbatem infectabatur, regulæ vigorem cum abbate semper fovit & propugnavit.

a *ibid. ep.* 110. & 111.

III. Miciaci possessiones confirmantur.

Tempus habiti Aurelianensis concilii, simulque nomina quorumdam saltem, qui ei interfuere, episcoporum discimus ex brevi chronico Autisiodorensi apud Labbeum edito, tum ex præcepto Rotberti regis pro Miciacensi monasterio, dato hoc anno, *quando hæretici damnati sunt Aurelianis*. Hoc præceptum obtinuere venerabilis Odolricus episcopus & Albertus abbas Miciacensis; eoque renovata sunt privilegia, quæ ab antecessoribus regibus, Chlodoveo scilicet Francorum rege & Carolo augusto, eidem monasterio concessa fuerant, *quorum sigilla præ nimia vetustate* fracta penitus & consumta fuerant; simulque confirmatæ sunt donationes, eidem loco a superioribus regibus factæ, quæ singillatim recensentur, In his mentio de cella Montis-Letardi in pago Dunensi, quam Theodericus rex *ex hereditate Lupi pessimi ducis* Miciacensibus olim contulerat. Integrum diploma habes in appendice. *Actum Aurelianis publice anno incarnationis Domini* M XXII. *regni Rotberti regis* XXVII. *indictione* V. *quando & hæretici damnati sunt Aurelianis.* Subscripta sunt regiis litteris post Rotbertum regem signa & nomina Hugonis regis, filii Rotberti regis, Heinrici & Rotberti itidem Rotberti filiorum, Leuterici archiepiscopi Senonensis, Goslini Bituricensis; Odolrici episcopi Aurelianensis, Guarini Belvacensis, Franconis Parisiensis; tum Ivonis de Bello-monte comitis, Ebonis & Guarini Parisiensis militum, atque Amalrici militis de Monte-forti. Balduinus cancellarius diploma recognovit. Ex his interpretandus Glaber [b] Rodulfus, ubi ait, prædictam hæresim in Aurelianensi urbe repertam fuisse *tertio de vicesimo infra millesimum anno*, quod Baronius, aliique ad annum M XVII. perperam retulerunt. Confer ea, quæ superius [c] hac de re diximus. Sane ut præmissi diplomatis argumentum non repetam, hæc secta detecta fuit, teste Ademaro, pontificatu Odolrici Aurelianensis episcopi, qui non ante hunc annum, ut superius probatum, Theoderico suffectus est. Forte huc spectat Fulberti Canutensis antistitis epistola XVI. ad Galeranum & Gualterium comites, in qua regem laudat, quod hæreticos damnaret: *quia hoc ministerium ejus est, per quod salvus esse debet.*

b *Glaber lib.* 3. *c.* 8.

c *lib.* 52. *n.* 7.

IV. Odorannus erroris falso accusatus.

Per idem tempus Odorannus, sancti Petri apud Senonas monachus, ab invidis

ANN. CHR. 1022.

erroris falso postulatus est, quod Deum, uti re vera est, corporalium membrorum expertem asserens, eum membris *detruncatum* & *mutilatum* dicere insimularetur. Hos refellit Odorannus scripta epistola, cujus hæc inscriptio: *Didascalo sanctæ Aurelianensis ecclesiæ & monasterii sancti Aviti archimandritæ Aycfredo, necnon & Hugoni sanctæ matris ecclesiæ Senonensis archidiacono, misericordia Dei indigens frater Odorannus, orationum fidelium munus.* In hac vero epistola quosdam invidos & æmulos in ipsum insurgere dicit, propterea quod in monasterio se continens, studiis litterarum & indagandæ veritati daret operam. sic enim prosequitur. *Si cum gyrovagis diversorum cellas circuiens, gulæ illecebris & propriis voluptatibus deservirem, aut, ceu bubulcus, durissimo vomere glebas vallium, gelu urente & æstu, verterem; fortassis nemo invideret, nemo detraheret. Quia vero in cœnobio residens, subtilium rerum quæ sunt, & quæ immutabilem sui sententiam sortiuntur, investigare diligenter veritatem cupio; maledicta & opprobria ab æmulis sustineo. Erecta quasi de quodam præcipitii mente profundo, eorum respondere detractioni compellor. quorum quia, ut in lamentatione mea scripsisse me recolo, magis elegi reprobis reticere, quam respondere; & nequaquam responsum darem, nisi arcuato ictu me confodere volentes, sibi ipsis miseri venenata lingua mortiferum antropomorphytarum virus inferrent. Itaque dum mihi, invidia stimulante a veritate desipientes, quod de Deo male sentiens, manibus detruncatum, vel quibuslibet membris debilitatum, quod absit, illum dixerim, objiciunt, in jam dictam hæresim, corporalibus lineamentis compactum esse asserentes, præcipites corruunt: quibus e diverso occurrit beatus Augustinus, ferendo catholicæ fidei antidotum.* DE *Deo, inquiens, nihil corporaliter effigiatum credendum est.* Cetera desunt in codice Aurelianensi, ex quo hæc retulimus. Exciderunt Odoranni scripta, de quibus ipse in hac epistola mentionem facit. Hic tamen in chronico suo scribit, se anno sequenti insidias a falsis fratribus passum fuisse, vixque mortem evasisse; & cum apud sanctum Dionysium aliquamdiu commoratus fuisset, cum maximo honore in proprias sedes restitutum.

V. Herveus S. Martini archiclavus obit.

Hoc item anno vir eximiæ pietatis Herveus, Turonicæ sancti Martini basilicæ archiclavus, ad cælestem patriam migravit; sepultusque est in eadem basilica ante altare sanctæ Crucis & sancti Petri, in medio ecclesiæ positum. quod Sulpicius subdiaconus, ejusque in archiclavi officio successor, sanctimonialibus beatæ Mariæ de Bello-monte, quas Herveus eo loci instituerat, tribuit ea conditione, *ut cappas & cetera ornamenta beati Martini, prout potuerint, reficiant*, ut legitur in diplomate Rotberti regis, quo ejusdem parthenonis possessiones rogatu prædicti Sulpicii confirmantur. Hic est Supplicius [a] clericus, & sancti Martini thesaurarius, qui Ambasiacum castrum contra Odonem comitem post annos quinque propugnavit.

a *Labbe to.* 1. *bibl. p.* 287.

VI. S. Mariæ de Solaco cella. * *Medoc.*

In agro Burdegalensi, surburbio urbis Medullorum * ad oram Oceani, jam tunc exstabat cella beatæ Mariæ de Solaco, quam Burdegalensi sanctæ Crucis cœnobio Willelmus comes attribuerat. Hoc vero anno, indictione V. Benedictus papa eamdem cellam, ejusque possessiones apostolica auctoritate munit, & a cujusvis, præterquam abbatis sanctæ Crucis, potestate & subjectione eximit. Hanc tamen cœnobio sancti Severi in capite Wasconiæ vindicare conatus est Arnaldus ejusdem loci abbas pontificatu Gregorii VII. obsistente Arnaldo-Trencardi abbate sanctæ Crucis, cui adjudicata est anno M LXXX. in concilio Burdegalensi. At sententiæ concilii haud cedens Suavius abbas sancti Severi, Gregorium VII. appellavit: sed causa cecidit; ac demum Urbanus II. novo diplomate hanc cellam cœnobio sanctæ Crucis confirmavit. Eadem nihilo minus controversia denuo subinde agitata est. Distinguenda hæc cella ab alia sanctæ Mariæ de Soliaco diœcesis Cadurcensis, de qua superius.

VII. S. Michaëlis de monte abbates.

Inchoata est hoc anno nova [b] basilica beati Michaëlis in monte Tumba a Richardo secundo comite Nortmannorum, & Hildeberto secundo abbate: qui abbas obiit eodem anno, successorem sortitus Almodum in annos decem. Extat in Appendice nostra diploma Richardi secundi, qui loco sancti Michaëlis, sito in monte, qui dicitur Tumba, fratribusque ibidem Deo famulantibus confert abbatiam sancti Paterni, sitam in pago Constantiensi; terram etiam Bernardi patris domni Hildeberti abbatis, quæ est in villa *Rotoloi*; necnon monasterium sancti Petri, situm in latere montis ipsius, ea lege, ut abbas vel monachi ibidem clericos constituant. His litteris subscribunt post Richardum filius ejus Richardus,

b *Labbe bibl. to.* 1. *p.* 348.

AN. CHR. 1022.

„ Maugisus sanctæ Abrincatensis ecclesiæ episcopus, Rotbertus Rotomagensis archiepiscopus, Hugo Bajocensis episcopus, Rotbertus Constantiensis, Hugo Ebroïcensis, Herbertus Lexoviensis; & post alios Osbernus frater comitissæ, Hunfredus „ frater ejus, & alii.

VIII. Nanterus abbas S. Michaëlis ad Mosam. a *lib. 52. n. 28.*

Post mortem Adalberti seu Alberti abbatis sancti Michaëlis ad Mosam, eo nomine primi, cujus superius[a] meminimus, monasterii regimen subiit Nanterus ejus loci monachus, qui sub Adalberto capellani primum officium, dein rerum exteriorum pròcurationem rite gesserat, legatione ad principes functus non semel jussu tum sui abbatis, tum Theoderici ducis monasterii advocati, qui eum *ad quoscumque regni principes, & maxime ad consobrinum suum regem Francorum* sæpe legatum direxerat. Ejusdem favore in demortui Adalberti abbatis locum subrogatus, in commisso sibi munere tam strenue se gessit, ut *inter celebres monasticæ religionis personas, quasi stella matutina, gloriosus emicuerit*, teste ejusdem loci chronographo, qui ejus tempore hæc scribebat. Tempus initi ab eo regiminis non definit iste auctor: sed ex monasterii tabulario constat, eum hoc anno jam loco præfuisse, ut mox videbimus. Ipso statim præfecturæ initio de resecandis vitiis, inserendisque virtutibus perquam sollicitus, cum ad id se parem non esse crederet, e proximo adjutorem sibi accersivit virum eximiæ religionis, Richardum scilicet abbatem Virdunensem: cui quosdam e suis informandos commendavit, & ex ejus disciplinis quosdam ad ceteros instruendos secum adduxit. Itaque observatio regularis ibidem ex integro reformata fideles movit, ut ex suis rebus monachos honorarent. In his una fuit nobilis quædam matrona, Gysa nomine, quæ, defuncto marito suo, multas a villæ

Censuales monasterii.

„ suæ incolis passa injurias, venit ad abbatiam sancti Michaëlis tempore Nanteri ab„ batis, ibique sancto Michaëli archangelo, ipso ejus die festo, se totamque proge„ niem suam, *in famulam censualiter ipsi altari deserviendam ad opera monasterii reddidit, & pro testimonio, denario uno perforato, ibi redimiculam posuit capitis, & ibidem reliquit.* Hæc vero census constitutio fuit, ut masculi, qui de ea exirent, ubi ad maturam venissent ætatem, ubicumque manerent, quatuor denarios in opus monasterii in festo sancti Michaëlis persolverent: feminæ, si in villa sancti Michaëlis habitarent, nullum censum persolverent: si extra villam, nummum unum redderent. *Hæc acta sunt anno* M XXII. *regnante Conrado, præsentibus domno Nantero abbate, Friderico duce, & monachis Rumerico, Teoderico, Seimone; nobilibus autem Liethardo de Barro, Teoderico de Bar* &c. ubi, si vitium non est in anno incarnationis, pro *Conrado* legendum *Heinrico*, qui ad biennium superstes fuit.

IX. Malboldus abbas Elnonensis.

Ipso anno Ernoldus quidam nobilis Belga cum sua conjuge Richelde tradit sancto Amando, ejusque loci fratribus villam Bovinas: cujus donationis litteris Hugo episcopus subscribit in hunc modum: *Ego Hugo, gratia Dei Noviomensium seu Tornacensium episcopus, tam jussu comitis Balduini, quam rogatu ipsius Ernoldi, hanc traditionem præsentia mea confirmavi, &, ut firma & stabilis permaneat ævo perenni, coram altari sancti Amandi, astante domno abbate Malbaldo & cuncta congregatione sancti Amandi, violatorem seu infirmatorem hujus traditionis excommunicavi, anathematizavi, atque perpetua damnatione multavi. Actum Elnone monasterio, anno dominicæ incarnationis* M II. (lege XXII.) *regnante rege Francorum Rotberto, imperante vero Romanorum imperatore Heinrico, annuente & consentiente marchione nostro Balduino, astante quoque cum aliis pluribus advocato nostro Rodulfo.* Deinde subscribunt post Ernoldum hujus traditionis auctorem Rogerius de Wauvrinio, Rogerius *de Speleim*, & multi alii. Malbaldus seu Malboldus abbas ante aliquot annos suffectus erat, ut jam [b] diximus, in locum Richardi abbatis, qui multis aliis regendis monasteriis occupatus, Elnonensis regimen in ipsum rejecerat.

b *V. lib. 54. n. 87.*

X. Gemblacensis ecclesia dedicatur.

Etsi componendo instituendoque sancti Jacobi apud Leodicum cœnobio occupatus erat Olbertus abbas, ut anno superiori vidimus, non tamen Gemblacensis monasterii curam deposuerat. Hinc ædificata cum ceteris officinis intra triennium nova basilica, ejus dedicationem hoc anno a Durando Leodicensium præsule VIII. kal. Augusti fieri curavit. Nec multo post, oratorium sancti Pauli, situm intra claustrum, VI. kal. Julii a Reginardo Durandi successore consecrari fecit, apud quem non infimum amicitiæ locum obtinebat. Ad hæc constructo duplici oratorio, uno inferiori in honorem sanctorum Johannis-Baptistæ & Johannis Evangelistæ, altero superiori sub patrocinio sancti Michaëlis archangeli & sancti Stephani

protomartyris, utrumque ab eodem Reginardo pridie idus Augusti dedicari fategit. Corpora etiam venerabilis Wiberti abbatis ejus loci conditoris, triumque antecessorum suorum, Erluini primi, Herivardi & Erluini secundi, in cryptam transportari curavit. ANN. CHR. 1022.

XI. Lis de Burcitho monasterio.

His fere diebus Aquisgrani provincialis synodus episcoporum, præsente Heinrico imperatore, celebrata est: in qua non mediocris altercatio inter Piligrinum Colonien sem archiepiscopum & Durandum Leodicensem præsulem recruduit pro monasterio [a] Burcitho *, quod uterque suæ parochiæ subjectum esse contendebat. Verum Durandi causa demum prævaluit, agente Gerardo Cameracensi episcopo, ac probante, quod Leodicenses episcopi quinque abbates illius monasterii sine ulla contradictione archiepiscopi consecraverant; immo & ipse, rogante imperatore, & Baldrico Leodicensi episcopo petente, in Aquensi beatæ Mariæ ecclesia prædicti monasterii clericos ordinaverat, ipsumque monasterium cum Poppone Trevirensi archipræsule, & Heymone Virdunensi episcopo consecraverat. Hæc ex Balderico in chronico Cameracensi, qui addit, quod, dum synodus celebraretur, tanta siccitas aëris & intemperies æstus excanduerit, ut multi mortalium præ nimio ardore deficere putarentur, multaque animalia subito exstincta sint: & tamen columnæ marmoreæ Aquensis ecclesiæ & pavimenta itidem marmorea tanto madore insudaverint, ut quorumvis lavandis manibus possent sufficere, quæ Sigebertus ad hunc annum refert.

a *Balderic. lib. 3. c. 35.* * *Borcet.*

XII. Burchardo abbati S. Galli succedit Theobaldus.

Ex illa haud dubie caloris & siccitatis intemperie orta est in exercitu Heinrici imperatoris illa pestilentia, quæ plurimos in expeditione Italica exstinxit: quos inter Rudhardus Constantiæ ad Rhenum episcopus, & Burchardus sancti Galli abbas interierunt: Notkerus quoque magister, & alii præstantes apud sanctum Gallum fratres decesserunt, uti Hermannus tradit: quibus alios addit Hepidannus, qui id quadriennio differt, errore calculi ex superioribus annis continuato. Burchardi cadaver ad castrum *Frankenminster* deportatum, ibidem in medio ecclesiæ collegiatæ humatum est. Ejus obitus XVI. kal. Augusti contigisse dicitur in ejus epitaphio inedito. Rudhardo Constantiæ Heymo episcopus, in annos ferme quatuor; Theobaldus abbas Burchardo in undecim annos subrogatus, qui vir pius ac mitis, fratrumque ac pauperum amator fuisse dicitur, & rei familiaris optimus administrator.

XIII. Notkerus tertius obit.

Hepidannus de mortibus hujus anni agens, *Notker*, inquit, *nostræ memoriæ hominum doctissimus & benignissimus, & duo Ruadperti, summæ innocentiæ viri, ... morbo late sæviente interierunt.* Hic est Notkerus, eo nomine tertius, qui Davidis psalmos teutonice explanavit, & Gregorii Magni moralia in eamdem linguam vertit, ut legimus in rudi carmine de quibusdam illius temporis viris illustribus sancti Galli, in quo obiisse dicitur,

——— *ubi Job calamo superavit.*

quibus verbis significari videtur, Jobi librum ab ipso etiam teutonice redditum fuisse. Diem ejus obitus contigisse in pervigilio sancti Petri discimus ex eodem carmine.

Pneumate mactorum hic tertius ordo æquivocorum,
Vespere natalis Petri petit astra priore.

Tertius Notkerus dicitur, quem nimirum præcessere Notkerus Balbulus & Notkerus Piperis-granum dictus, ex classe videlicet eruditorum, præter Notkerum abbatem, & alios, forte minoris famæ & eruditionis. In eodem carmine dicitur morti proximus fratres rogasse, ut pauperes coram se adducti reficerentur; & post mortem ne nudaretur, sed statim humaretur. Ejus teutonicam paraphrasim psalmorum dum typis pararet vir multæ eruditionis Jo. Schilterus, litteris ad me datis Argentorati XXVII. Junii an M DC XCVIII. in quodam hujus versionis loco hærere se dixit ex psalmo XXI. versu 19. ubi occasione hæreticorum, qui sine dilectione dicuntur esse, notantur *Richart & Poppo, quorum uterque dicit se sanctum Benedictum quidem esse, & ideo Regulam mutasse, & tunicam domini unam in duos rokkos.* Quinam fuerint hi Richardus & Poppo, inquirebat vir doctus. Ego vero respondi non alios esse quam Richardum abbatem Virdunensem & Popponem Stabulensem; qui ob reformata suis decretis monasteria, apud laxiores nonnullos sui tempo-

ris monachos, ut fit, male audiebant: cum ab aliis passim, & quidem merito, celebrarentur.

ANN. CHR. 1022.

XIV. Heinrici imperatoris facta in Italia.

Ex tempore obitus Burchardi abbatis, qui in comitatu Heinrici imperatoris in Italia decessit, intelligimus Heinricum mense Julio ibidem versatum fuisse. Hujus expeditionis causa fuit, ut Græcos & Sarracenos, Apuliam & Campaniam infestantes, retunderet. Discedentem usque *ad monasterium Santæ* [a] comitatus est Gerardus Cameracensis præsul, quem ille, muneribus honoratum, domum remisit. Dein natale Domini sub finem anni præcedentis in Italia celebrasse dicitur in chronico Saxonico. Auctor est Leo Marsicanus, Popponem Trevirensem archiepiscopum, cum undecim armatorum millibus per Marsorum regionem præmissum fuisse: Pilegrinum vero Coloniensem cum viginti millibus Romam directum ad comprehendendum Pandulfum principem Capuanum & Athenulfum Casinensem abbatem, qui Græcis favisse videbantur, & Dacti ducis necis, quam cæsar ultum venerat, causam exstitisse. Et quidem Athenulfum, dum Constantinopolim ad imperatorem Græcorum per Hydruntum mare, contra sancti Benedicti admonitionem ejusdem urbis episcopo factam, ablatis secum novem præceptis imperatorum aureo sigillo bullatis, confugere properat, cum omnibus suis naufragio periisse: Principem vero Capuanum a Pilegrino adductum fuisse ad Heinricum cæsarem, qui ei vitam ægre condonaverit. Heinricus porro cum exercitu, Campania occupata, Beneventum intravit, Trojam oppugnavit, cepit Neapolim; Capuam, Salernum, aliasque eorum locorum civitates in deditionem accepit, & Normannis quibusdam qui tunc eo confluxerant, quoddam territorium assignavit; ac demum Romam profectus, inde victor in Germaniam remeavit. Beneventi versabatur VI. idus Martii hoc anno, indictione quinta, cum Beneventani sanctæ Sophiæ [b] monasterii, cui tunc Gregorius abbas præerat, possessiones & immunitatem, petente Heinrico Parmensi episcopo, confirmavit. Novum quoque illis in partibus monasterium ab eo tunc ædificatum, ut in ipsius Heinrici vita legitur: at nec monasterii nomen, nec situs illic exprimitur. Nomen docet nos imperiale diploma, in Camaldulensi archivo asservatum, quo Heinricus monasterio a se acquisito & recenter ædificato, „ in loco, qui dicitur Noceuti, ac dedicato in honorem sancti Sepulcri Domini no„ stri Salvatoris, ubi multa infirmis beneficia præstari dicuntur, confert confirmat„ que cortes & castella, quæ sunt intra comitatum Castri-Felicitatis. Præterea con„ firmat eidem monasterio & Rotberto abbati monasterii conditori ecclesiam sancti „ Apollinaris, sitam apud Caretum. *Data anno dominicæ incarnationis* MXXII. *indic„ tione quinta, regni domni Heinrici* XXI. *imperii* VIIII. *Actum Benevento.* Porro hoc monasterium situm erat in episcopatu Castellano, uti discimus ex alio diplomate Heinrici V. imperatoris, transiitque, ut puto, ad ordinem Camaldulensem. unde in eremi Camaldulensis archivo hæc instrumenta continentur.

a *Chron. Camerac. lib. 3. c. 17.*

b *Ital. sac. to. 3. p. 115.*

XV. Theobaldi abbatis electio Casini ab eo probata.

Inde Casinum venit imperator una cum Benedicto Romano pontifice, cum fratres de eligendo abbate tractarent. Erant qui Johannem quondam abbatem, dehinc eremitam factum, in gradum restituere vellent: at, cum nimis decrepitæ esset ætatis, satius sapientioribus visum est, ut præponeretur domnus Theobaldus, genere & moribus insignis, qui tunc temporis [c] marchiæ Teatinæ præpositurum, unde ortus erat, administrabat. Probata a pontifice & imperatore electio; sicque *die altera nativitatis Petri & Pauli apostolorum* ab ipso pontifice novus abbas consecratur. Addit Leo Marsicanus, Heinricum imperatorem calculi morbo Casini graviter laborasse; at sanitatem ei concessam meritis sancti Benedicti, qui id factum ei in somnis asseruit ad probandam ipsius corporis in sacro monte præsentiam, de qua ille dubitabat, suspicatus, istud in Galliam translatum fuisse. Idem fere legitur in actis ipsius sancti Heinrici. Verum Heinricus facile tribuere potuit sancti corporis in monte Casino præsentiæ receptam ab se sanitatem, quæ solis beati Patris meritis tribuenda erat. In actis sancti Meinwerci, ubi de hoc miraculo agitur, nulla mentio est revelationis imperatori factæ de hac exsistentia sacri corporis in monte Casino, nec quivis alius auctor Leoni suffragatur, asserenti, testimonia translationis in Galliam factæ jussu imperatoris, ubicumque reperire potuit, combusta fuisse: cum e contrario in Germanicis, immo & in Italicis monasteriis non paucis, hujus translationis memoria kalendariis consignata hactenus reperiatur. Non majoris videntur fidei, quæ hac de re Adamus Casinensis custos

c *Chron. Casin. lib. 2. c. 42. & seqq.*

Heinrici sanatio, & dona ibidem.

Leoni

ANN. CHR. 1022.

Leoni abbati sancti Pauli retulisse fertur. Hæc somnia sunt, in quibus imaginatio passim pingit, fingitque id, quod quisque cupit. Tantæ gratiæ ut se gratum exhiberet imperator, multa sacro illi monasterio dona contulit, textum evangeliorum auro, gemmisque coopertum, intus vero uncialibus ex auro litteris figurisque decoratum; calicem aureum cum patena, gemmis itidem adornatum, & varia ecclesiæ ornamenta; ad hæc vestem unam de altari sancti Benedicti, quæ quondam fuerat Caroli regis, a Judæis redemtam, cum calice argenteo Saxonico majori & patena sua, quem *Theodoricus Saxonum rex* olim beato Benedicto dono miserat. Observandus hic locus de Theoderico Saxonum rege, qui non alius esse videtur a Theoderico Ostrogotthorum rege, qui, licet Arianus, sancti Benedicti sanctitatis fama commotus, hunc calicem ei miserit. Omitto præcepta duo, quibus prædictus Heinricus roccam, quæ Vantra dicitur, monasterio restituit, ejusque possessiones omnes confirmavit. Tanti principis etiam sanitati congratulans Benedictus papa, ejusque exemplo Pilegrinus archiepiscopus, alia insuper ornamenta sancto Benedicto contulerunt. Quin etiam reversus in Germaniam imperator, planetam præclaram cum stola, manipulo & cingulo atque alba, ad beatum Benedictum cum novis gratiarum actionibus transmisit, tantæque de cetero circa hunc sanctum locum devotionis exstitisse dicitur, ut, si diutius viveret, relicto imperii fastigio, Deo se sub sanctæ professionis habitu illic serviturum spoponderit.

XVI. Romualdo an concessum Montis-Amiati monasterium.

Huc referenda Baronio visa est ejusdem imperatoris ad Romualdum legatio, qua virum Dei ad colloquium suum invitabat, pollicitus, se, quidquid vellet ille, exsecuturum. Primo restitit abbas sanctus, silentii legem sibi a seipso impositam violare nolens. at demum fratrum flagitationibus cessit, quorum numerus in Syriæ solitudine supra modum excreverat. Eis quippe visum est, opportunam adesse occasionem postulandi ab imperatore cujuspiam monasterii, ubi redundantes monachos collocare possent. Ivit igitur, sed inviolato silentio, ad imperatorem: cui pius princeps venienti assurgens, in hanc vocem ex intimo cordis affectu erupisse dicitur: *O utinam*, inquiens, *anima mea esset in corpore tuo!* Silentium ad hæc tenuit vir Dei, nec verbum quidem tunc ex ore ejus extorqueri potuit. Postera die eidem ad palatium revertenti Teutones confertim hinc inde occurrunt; capita demisso animo inclinantes, villos pelliceæ ejus vestis pro reliquiis decerpentes. quæ res venerabilem virum tanto mærore pudoreque affecit, ut, nisi discipuli obstitissent, ad cellam protinus repedasset. Ingressus itaque ad imperatorem, non pauca ei suggessit de restituendo jure ecclesiarum, de coërcenda potentum violentia, de oppressione pauperum: ac postremo unum pro suis discipulis monasterium petiit. Mox ei concessum fuisse dicitur Montis-Amiati monasterium, quod Rachis olim rex in territorio Clusino condiderat; ejectusque inde abbas locum feciisse Romualdo, qui multa illic adversa passus sit. Et ita quidem Petrus Damiani scribit in libro de vita Romualdi: ast id non convenit cum illius monasterii monumentis, in quibus Winizo abbas non interrupta serie temporis prædictum locum rexisse traditur ab anno DCCCC XCVI. ad M XXXVI. uti acta probant ab Ughello [a] relata. Varias quidem lites habuit cum Arialdo Clusino antistite pro juribus monasterii sui, quæ strenue propugnavit: at semper favorabiles habuit pontifices & imperatores, à quibus nihil contra ejus mores dictum, factumve legitur.

a *Ital. sac. to. 3. p. 710. & seqq.*

XVII. Odilonis facta Casini.

Per id tempus, uti discimus ex Leone [b] Marsicano, venerabilis Odilo Cluniaci abbas Casinum adiit, & pro sua in sanctum Benedictum ejusque monasterium reverentia, sacrum montem pedibus ascendit. Tum cum eo quo par erat honore a Theobaldo abbate fratribusque acceptus, adductusque in capitulum, post mutua salutationum officia, ab eis obnixe petiit, ut omnium fratrum pedes sibi provoluto osculari liceret. Annuit abbas, non sine violentia quadam, tantæ devotioni & humilitati: at vicissim ab eo postulavit, ut ipso die festo sancti Benedicti missarum ibidem sollemnia celebraret. verum, ut ipso abbate præsente *missas publicas* celebraret, adduci non potuit. Cum vero, paratis ad procedendum sollemni ritu ad altare fratribus, pastoralem baculum idem abbas ei deferendum offerret; id detrectavit vir modestissimus, nefas esse dicens, ut quisquam extraneorum abbatum manu pastoralem præferret virgam, ubi sancti Benedicti vicarius, abbatum quippe omnium abbas, adesset. Cum e sacro monte jam discessurus esset, cum multis illum fratribus Theobaldus abbas prosecutus, eum exoravit, ut, si quid posset, aliquid de beati

b *Chron. Casin. lib. 2. c. 53.*

ANN. CHR. 1022. XVIII. Theobaldi abbatis gesta.

Mauri abbatis reliquiis e Gallia Casinum transmittere ne gravaretur. Annuit lætô animo vir Dei, & post annos septem ejusdem Sancti os integrum eo mittere curavit.

Antequam e sacro monte discedamus, qualis fuerit Theobaldus abbas, exponendum. Hic in marchia [a] Teatina nobili ortus prosapia, quarto-decimo ætatis suæ anno, relicta domo, omnique substantia, tempore Aligerni abbatis Casinum petiit, ibique benigne acceptus, habitum sanctæ religionis induit. Aligerno mortuo, cum præfecturam adeptus esset Manso abbas, inde egressus Jerosolymam adiit. Reversus Casinum, a Johanne abbate, qui Mansoni excæcato suffectus erat, præpositus primum Casini, dein monasterii sancti Liberatoris in comitatu Teatino institutus est: quod monasterium nova ecclesia, novisque ædificiis, variis quoque ornamentis decoravit. Ad hæc codices, numero sexaginta, describi curavit, & ex illis quatuor præ ceteris adornari. Denique, eodem agente, multæ S. Benedicto possessiones, quæ a laïcis occupatæ fuerant, jussu Heinrici imperatoris restitutæ, quas singillatim recenset Leo Marsicanus. additque, eodem tempore Pandulfum principem ad Casinense monasterium venisse, ac S. Benedicto præceptum fecisse de monasterio sancti Nazarii, sito in territorio civitatis Atinæ. Hæc fere acta sunt Theobaldo præposito: quod officium cum annos circiter XV. rite administrasset, abbas Casinensis, ut modo dicebamus, electus est. Hoc in munere quot & quanta præstiterit, particulatim commemorat [a] Leo Marsicanus. In his codices non paucos, quorum magna ad id tempus inopia apud Casinum erat, exarari curavit, quos item Leo recenset.

[a] Theobaldi abbatis gesta. *ibid. c. 51.*

[a] *ibid. c. 52. & seq.*

XIX. Guido fit abbas Casaurien-sis.

Hoc tempore Casaurienſe monasterium ex incuria quorumdam [b] abbatum & fratrum relaxatione ad tantam devenerat miseriam, ut fere abbatiæ nomen amisisset nobile quondam cœnobium, vixque ullus inveniri posset, qui ei præesse vellet. Id ubi rescivit Heinricus imperator, qui haud longe a Farfensi [c] monasterio tunc morabatur, accersito abbate Farfensi, quæsivit ab eo, num quis inter suos monachus esset monasticæ disciplinæ studiosus, litteratus & genere nobilis, qui orbatæ Casaurienſi ecclesiæ præesse ac prodesse posset. Oblatus ei Guido seu Wido monachus, quem ad id muneris non tantum domestici, sed etiam extranei maxime idoneum esse testabantur. Ille vero ad pedes abbatis provolutus, obtestari cum lacrymis, ut ne se ad id onus imparem obtrudere vellet, sineretque privatum & quietum domi remanere. Verum imperatori & abbati obsequendum fuit. Ivit itaque vel invitus ad commissum sibi monasterium, in quo nonnisi ruinas parietum, domos effractas, panis & vini summam penuriam invenit. Mox ille ad imperatorem redit cum chartis & instrumentis monasterii, ut possessiones dissipatas ablatasque ejus auctoritate recuperare posset: at eum mortuum invenit. Tum recurrit ad Chuonradum Heinrici successorem, qui diploma de libertate, rebusque monasterii ipsi concessit, misso cum eo Hugone comite, ut imperiali potestate ablata restitui curaret. quod exsequi maturavit comes. Mirum est quam strenue, quam religiose in demandata sibi præfectura Guido se gesserit, & virtutibus, & miraculis clarus. In his Piscariæ fluminis [d] cursum novum, qui litis & mox futuræ pugnæ materia erat, ad antiquum alveum precibus suis reduxisse traditur. Cum vero quidam illius regionis præpotentes monasterium infestare pergerent, novas a Chuonrado [e] imperatore litteras obtinuit, quibus, ut a malefactis desisterent, graviter præcipiebat. Verum nec sic a prædonibus quies, ut intelligimus ex epistola supplici, quam Casaurienses Heinrico tertio & Agneti augustæ hac de re direxerunt, conquerentes, quod insula quondam aurea ad tam miserabilem redacta esset statum, ut, effracto ab hostibus ponte, vix sibi liceret e monasterio egredi, & ad ipsum confugere absque naufragii periculo & insidiarum, quas eorum inimici circumquaque ipsis struebant. In hac epistola maxime culpatur Gisslebertus, a Transmundo comite olim intrusus in abbatiam, qui bona monasterii dilapidaverat. Fallitur chronographus, cum Heinrico imperatori, Ottonis tertii successori, hanc epistolam tribuit, quæ Heinrico tertio, Chuonradi successori, haud dubie tribuenda est, ut ipsa probat inscriptio, *domno Heinrico imperatori augusto, atque domnæ Agneti reginæ, una cum eorum sobole.* adeoque hæc epistola scripta est, postquam Heinricus tertius ex Agnete augusta filios suscepérat. sic enim epistolam concludunt. *Quapropter, ô cæsar invictissime, una cum domna nostra & vestris pollentibus filiis per Christum Dominum flebilis precatur turmula Aureæ-insulæ, ut opem feratis peritæ: ne, si neglexeritis, imperio animæque vestræ periclitemini.* Eodem tempore in Italia florebat sanctitate Guido abbas Pomposianus.

[b] *V. lib. 49. n. 108.*

[c] *Spicil. to. 5. p. 425. & seq.*

[d] *ibid p 436. & seq.*

[e] *ibid. p. 441.*

ANN. CHR. 1022. S. Floræ possessiones Heinricus confirmat.

Interim Roma digressus Heinricus secundus, processit per pagum Luccensem: ubi cum versaretur, Aretini sanctæ Floræ [a] cœnobii possessiones & privilegia confirmavit. *Data X. kalend. Augusti, anno incarnationis Domini* M XXII. *indictione* V. *Actum Privarii in comitatu Lucense.* Tunc ejus exercitum dira pestis invasit, multisque in dies pereuntibus, alpes ocius transgressus imperator, *Germanicas* [b] *pervenit ad oras, magnumque synodale colloquium, confluentibus undique diversarum regionum episcopis, in partibus occidentalibus habuisse dicitur.*

[a] Bullar. Casin. to. 2. p. 73.

[b] *Chron. Saxon. p. 226.*

XX. Salegunstadense concilium.

Haud scio an id intelligendum de concilio Salegunstadensi, quod Aribo Moguntinæ sedis archiepiscopus cum suis coëpiscopis hoc anno pridie idus Augusti habuit. tametsi in ejus actis imperator adfuisse non dicitur, qui forte necdum ex Italia reversus erat. In hoc concilio sanciti canones viginti, quorum præcipui sunt, ut quatuordecim diebus ante festum sancti Johannis-Baptistæ abstinentia servetur, « & ante nativitatem Domini similiter, necnon in vigiliis epiphaniæ, apostolorum, « assumtionis beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum. Ut presbyter, qui post galli « cantum biberit, sequenti die, nisi necessitas cogat, missam non celebret. Ut nemo « corporale ad exstinguendum incendium in ignem projiciat; nemo gladium, præter « regalem, in ecclesiam portet. Ut colloquia non modo in ecclesia, sed etiam in ejus « atrio omnino prohibeantur. Ut missæ peculiares laïcorum arbitrio de sancta Tri- « nitate, de sancto Michaële, aliæque similes, nisi suo tempore, non dicantur, sed « de ipso die occurrente. Ædificia laïcorum, ecclesiis adjuncta, auferantur, & nulla « in atrio ecclesiæ, nisi tantum presbyterorum, construantur. Nullus Romam eat sine « licentia sui episcopi, vel ejus vicarii; & ne capitalis criminis rei, propriis sacerdo- « tibus prætermissis, Romam ad apostolicum adeant indulgentiæ percipiendæ causa, « quæ illis non proderit, nisi prius pœnitentiam, a suis sacerdotibus sibi impositam, « adimpleverint. Insuper cautum sub anathemate, ut nullus presbyterorum cuiquam « pœnitenti *carrinam*, id est quadragesimam, dividat, nisi infirmitatis causa; & ut « ejusmodi pœnitens, dum eam peragit, de loco ad locum non migret. Hanc synodum contra actorum fidem anno sequenti consignat Trithemius, eique adfuisse dicit cum sex episcopis, decem Ordinis nostri abbates, scilicet Richardum Fuldensem, Arnolfum Aichfeldensem, Reginboldum Laurishamensem, Hericonem sancti Maximini Trevirensis, Eberwinum Theolegiensem, Heinricum sancti Burchardi Herbipolensis, Sisichonem Scutteranum, Gerbertum sancti Albani Moguntinensis, Adalbertum Clingensem, & Rudolfum Blidenstattensem. Paullo post hanc synodum Herico seu Hierocho sancti Maximini abbas, religionis causa Jerosolymam profectus, in itinere apud Myram Liciæ metropolim decessisse traditur, atque in æde sancti Nicolai humatus fuisse. quod ubi rescivit imperator, Popponem, abbatem jam Stabulensem, ei successorem dedit.

XXI. Hildensheimense monasterium dedicatur.

Jam ante annos septem Bernwardus Hildensheimensis præsul, de augendo in sua parochia divino cultu perquam sollicitus, monasterium in aquilonari civitatis suæ plaga, loco squalido & feris tantum opportuno ædificare cœperat, ejusque cryptam dedicaverat in honorem Salvatoris, beatæ Mariæ, sanctique Michaëlis archangeli, aliorumque Sanctorum amplius sexaginta, quorum reliquias ibidem recondiderat, assistentibus sibi duobus episcopis, Ekkehardo Sleswicensi, & Theoderico Mimigardefordensi. quæ dedicatio III. kal. Octobris anno M XV. facta est. Postmodum anno M XXII. eodem die recurrente, perfectis ceteris ædificiis, monasterium ipsum sollemni ritu dedicatum fuit ab eodem Bernwardo, necnon Unwano Hammaburgensi archipræsule, atque ab Ekkehardo Sleswicensi, & Bennone Aldenburgensi episcopis in honorem Salvatoris, beatissimæque ejus genitricis Mariæ, necnon sanctæ Crucis, sub peculiari patrocinio sancti Michaëlis archangeli; moxque ejusdem monasterii regimen commissum Goderamno abbati, assumto e Colonienſi sancti Pantaleonis cœnobio, ubi præpositi officium gesserat. Hoc vero monasterium opulentissime dotavit piissimus antistes, ejusque dotem, præsente apostolico legato cardinale cum undecim episcopis, pontificali auctoritate roboravit. Id porro ab se factum ait consilio *senioris* sui imperatoris Heinrici & magistri sui Erkenbaldi archiepiscopi, quem ipse archiepiscopum consecraverat, uti legitur in charta hac de re ab ipso confecta, in qua se *beatæ memoriæ tertii Ottonis olim discalum* simulque primiscrinium dicit.

Non diu post illam dedicationem superstes fuit Theodericus seu Thiedricus XXII.

ANN. CHR. 1022. Sigefridus episcopus Mimigardefordensis.

Mimigardefordensis antistes, cujus obitus hoc anno contigisse traditur. Successorem habuit Sigefridum abbatem monasterii sancti Johannis prope Magdeburgum, virum illustrem genere, patre nimirum Sigifredo, Walbekano comite orientalis Saxoniæ, ortum, ab Heinrico imperatore ad illam sedem translatum. In chronico Saxonico nondum vulgato Theodericus Mimigardewordensis dicitur obiisse x. Kalendas Februarias, quod huic anno consignavit chronographus, aliique recentiores, scilicet pro veteri calculo, quod novo ritu ad insequentem differendum: siquidem Theodericus hoc anno prædictæ dedicationi mense Septembri interfuit. In annalibus tamen Corbeiensibus Sigfredus sive Sigifridus, Ditmari Merseburgensis & Brunonis Verdensis episcoporum frater, ex monasterio Bergensi ad Albiam assumtus dicitur anno M XX. sed in anno designando erratum.

XXIII. S. Bernwardi episcopi obitus.

Hoc anno consignandus obitus sancti Bernwardi Hildensheimensis episcopi, tametsi in posterum annum differendus alias nobis visus sit, idque diserte asserat auctor anonymus, qui primus ejus miracula scribere aggressus est. Verum præferenda Wolferi scriptoris fere æqualis auctoritas in libro de vita sancti Godehardi episcopi, Bernwardi successoris, qui auctor ait, anno post incarnati Verbi mysterium M XXII. regni vero domini Heinrici vigesimo-primo, imperii autem nono, felicis memoriæ Bernwardum antistitem, ex hac vita ad perpetuam migrasse. Id vero conficitur etiam ex iis, quæ initio libri sui refert anonymus ille, qui de sancti Bernwardi miraculis scripsit. Ait quippe Piligrinum Colonienſem recens creatum episcopum, cum primam missam suam Coloniæ XII. kalend. Decembris, quo die vir sanctus obierat, celebraturus ad altare accederet, missam pro defunctis, uti viventi spoponderat, omnibus qui aderant stupentibus inchoasse, ejusque memoriam in canone egisse, cujus obitum cælitus cognoverat. Atqui Piligrinus, qui statim a sua electione Heinricum in Italiam secutus fuerat, inde cum eodem rediit sub finem hujus anni, ut superius probatum; nec veri simile est eum anno integro a missæ celebratione abstinuisse. Sed, quod rem conficit, Godehardus Bernwardi successor, ad assentiendum electioni de se factæ inductus est eodem anno *in vigiliis sancti Andreæ apostoli, quæ tunc in quinta feria ante adventum Domini evenerant.* quæ chronicæ notæ huic anno M XXII. conveniunt. Ad hæc idem jam episcopus concilio Moguntino interfuit anno sequenti circa festum Pentecostes, quod sane concilium in annum M XXIV. non videtur posse differri. Cum mortem imminentem præsentiret sanctus præsul, capellam, inter sacellum sanctæ Crucis & monasterium suum structam, in honorem beati Martini a venerabili Ekkehardo Sleswicensi episcopo dedicari curavit, ibique *pro augmento religionis ipso die priorem habitum mutans, monachicæ professionis jugum suscepit.* Postea extremo pulsatus morbo, cum exitus sui horam adesse sentiret, in eamdem capellam se deferri præcepit, justum esse asserens ibidem vitæ terminum sortiri, ubi *secularis abrenuntiationis habitu* insignitus fuerat. Annum episcopatus tricesimum egerat, cum naturæ concessit. Funus ejus curatum majori luctu quam pompa, ex ipsius scilicet mandato, qui præceperat, ut feretrum, quo ejus cadaver ad tumulum gestandum erat, *non pallio*, ut episcopis moris est, *sed cilicio operiretur.* Ipse sibi eadem modestia sepulcrum vivens paraverat cum hoc epitaphio.

Pars hominis Bernwardus eram: nunc claudor in isto
Sarcophago diro vilis & ecce cinis.
Prô dolor! officii culmen quia non bene gessi,
Sit pia pax animæ, vos & amen canite.

Librum de ejus vita scripsit Tangmarus illius ecclesiæ presbyter & æqualis, qui ad concilium Francofurtense cum Ekkehardo Sleswicensi episcopo ab ipsomet Bernwardo quondam missus fuerat, & jura ejus ecclesiæ Romæ adversus Willigisum Moguntinum archiepiscopum propugnaverat. Librum non omnino perfectum absolvit quidam anonymus: alterum de miraculis plures addiderunt. Paucis ejus elogium præstringit Wolferus presbyter in actis sancti Godehardi ejus successoris, nempe quod zelo fervidus, caritate insignis, vigiliis & precibus addictus, *monasterium* seu cathedralem ecclesiam libris, ornamentisque exornaverit; templum sancti Michaëlis ab se constructum, dotatumque ad monasticam religionem Deo conse-

craverit, multasque alias ecclesias condiderit, ornaverit, dotaverit. Sancti Michaëlis monasterio, dum liber de ejusdem Sancti miraculis scriberetur, præerat Conradus abbas, qui tibiæ ex equi lapsu collisæ sospitatem ad ejus sepulcrum recepit. Bernwardus paullo ante obitum, id est III. kal. Octobris, *oratorium* suburbani sancti Michaëlis monasterii consecravit in honorem Salvatoris ac beatæ Mariæ sanctæque Crucis, sub peculiari patrocinio sancti Michaëlis archangeli, cooperantibus Unwano Hammaburgensi archipræsule, Ekkehardo Sleswicensi episcopo, & Brunone quondam Aldenburgensi antistite, ut legitur in chronico [a] Hildensheimensi: ubi illius monasterii regimen Goderanno, cœnobii sancti Pantaleonis præposito, commissum fuisse dicitur, ut jam superius monuimus.

ANN. CHR. 1022.

a *Chesn. to.* 3. *p.* 520.

XXIV. Godehardus ejus successor.

Bernwardi morte comperta, Heinricus imperator, qui tum Gronæ in Saxonia versabatur, Godehardum Altahensem, qui in ejus comitatu erat, sancti antistitis successorem designavit. Hic uero constanter oblatam dignitatem recusare, suam ipsius indignitatem primo obtendere, dehinc hanc afferre excusationem, *se majora onera divitiarum ob hoc rejecisse, ut soli Deo liberius vacaret, & fragilis vitæ finem in solita, dilectaque sibi paupertate securius exspectaret.* Imperator nihilo minus per episcopos ejus animi pertinaciam emollire tentavit, quibus ipse eadem constantia restitit, satius esse demum allegans, ut Ratisponensi aut Patavienſi ecclesiæ, cum alterutra vacaret, reservaretur. Sic tracta res est per totam hebdomadam. Tandem *in vigiliis sancti Andreæ apostoli, quæ tunc* V. *feria ante adventum Domini evenerant,* viso cujusdam venerabilis matronæ, quæ, ut ipsi unctio episcopalis fieret, præcepisse visa est, divinę prędestinationi cessit, seque imperatoris voluntati obsecuturum esse dixit. Nec mora sancti Andreæ festo illucescente consecratus est ab Aribone Moguntino archiepiscopo, qui Gandersheimensis monasterii provisionem, a Moguntinis præsulibus jam dudum & sæpius, & pertinacius tentatam, extorquere voluit: quod imperator non probavit. quæ res novæ altercationis postea seminarium fuit. Godehardus itaque consecratus nonis Decembris in suam urbem venit, summa omnium gratulatione acceptus. Mox ubi ecclesiæ suæ (Wolferus *cœnobium* vocat) integram religionem esse comperit, Deo gratias egit, eamque deinceps augere pro virili studuit. Godehardo in Altahensi regimine suffectus Wolframus abbas, qui annis tantum quatuor præfecturam gessit. In Tegernsensi vero præfectura, quam ad id tempus retinuisse videtur Godehardus, ei successit Ellingerus, sæpius depositus, primum quidem anno M XXVI. suffecto in ejus locum Albino monacho Hersfeldensi, sed restitutus anno M XXX. ut lego in membraneo codice, quo anno Strenbergensem cellam a Bennone Patavienſi episcopo dedicari, & in baptismalem ecclesiam erigi curavit. Confer quæ de illius monasterii abbatibus superius [b] diximus.

Abbates ejus successores.

b *lib.* 52. *n.* 72. & 73.

XXV. Berno abbas vitam S. Udalrici scribit.

Præerat hoc tempore Augustensi sanctæ Afræ & sancti Udalrici monasterio Frideboldus abbas, qui vitam patroni sui Udalrici rudi & inculto sermone a Gerardo presbytero scriptam non probans, eam cultiori stilo expoliendam commisit Bernoni Augiensi abbati. Id pro suo genio ac tempore exsecutus est, librumque hac de re ab se editum *Reverendissimo patri Frideboldo, ac vero sanctæ matris Afræ alumno Bern Dei Matris*, ut se ipse dicit, *mancipium* nuncupavit, professus se non ausurum fuisse istud opus aggredi, *si venerandæ memoriæ* Gebehardus episcopus, qui idem tentaverat, perfeciſſet. Frideboldus fuit quartus abbas illius monasterii, ex quo tres ipsum præcedentes, tresque subsequentes ad altiora provecti dicuntur. Hic sancto Heinrico imperatori a confessionibus fuisse perhibetur, tantoque in honore & amore habitus, ut eum a se non prius abire fineret cæsar, quam aliquod clenodium ab ipso accepisset.

Frideboldus abbas S. Udalrici.

XXVI. Bernonis alia scripta.

Plura alia scripta edidit Berno abbas, in quibus eminet, Sigeberti [c] judicio, liber, quem is, *in arte musica præpollens, de regulis symphoniarum & tonorum scripsit.* Invenimus hunc librum in bibliotheca sancti Georgii monasterii, olim in Hercinia silva, modo in Willingæ opido positi, ubi insignis codex habetur, varia auctorum de musica opuscula continens, in quibus exstat *musica Bernonis*, nuncupata *domino, Deoque dilecto Piligrino*, haud dubie Colonienſi archiepiscopo: tum ejusdem Bernonis epistola in librum suum *de regulis symphoniarum & tonorum*, a Sigeberto laudatum, nuncupatumque Grinovero Colonienſi præsuli, præmissa epistola, quam hoc loco, quia liber necdum editus est, referre non pigebit.

c *Sigebert. de script. c.* 156.

ANN. CHR. 1022.

Domino, Deoque dilecto filio Grinovero, mundi hujus advenæ & peregrino, Bern, licet parvus meritis, servus tamen Domini-genitricis Virginis, municipatum in arce divinæ speculationis. Præclara christianæ fidei forma, in te splendens, egregie probat, animam tuam sedem esse sapientiæ: cum moralis disciplinæ honestas ita naturales animi tui motus componat, ut amore divinæ contemplationis rationabili progressu ad superna proveharis, ubi læto cordis jubilo delectet animam tuam proclamare sponso suo: Trahe me post te, curram in odore unguentorum tuorum; quasi inter habentes in manibus citharas, & cantantes canticum Moysi servi Domini, & canticum Agni. Quod ego perpendens, haud facile indagare valeo, quid causæ exstiterit, quod tu, quem non solum quatuor matheseos disciplinarum speculatio quadratum, verum etiam cælestis harmoniæ melos divinis laudibus jugiter reddit intentum, me, ut ita dicam, semivocalem, immo pæne in artibus mutum ac elinguem, de canora musicæ modulatione juberes aliquid proferre: præsertim cum in ecclesia plebis admodum exaltatus, & in cathedra seniorum laudatus, assidue læto cordis auditu percipias, qualiter sapiens & te præsule felix Colonia, cum beatis ecclesiæ suæ filiis, apostolorum principe linguarum omnium quodam modo plectrum modificante, in decachordo psalterio cum cantico in cythara psallat Domino Deo. Sed, ipsa natura instigante, non ambigo te tam ardenter id a me expetere voluisse, ut, quoniam tota nostræ animæ corporisque compago musica coaptatione conjungitur, animus quoque tuus sonora artis hujus dulcedine suavius delectetur. Nihil est enim, ut Tullius ait, appetentius similium, nec rapacius quam natura. Et jam quoniam eo caritatis affectu, quo me semper gratis fovisti, hoc obedientiæ opus injunxisti, ut cujusdam verbis utar, sat cito, si sat bene, pareo, & libellum, quem Tonorum consuete vocant, libens porrigo: magis eligens ultra vires præsumere, quam caritati, quæ omnia sperat, aliquid denegare; confidens de te, ô præsulum decus & gloria, quod placida discretionis moderatione & errata corrigas, &, si qua fuerint digne prolata, sine livore defendas. Verum etiam non absimile videtur, si prius quædam ponantur prolegomena, quibus minus ad intelligendum capaces, veluti pro foribus interim exercitati, ad ipsius demum scientiæ penetralia queant intromitti. Beatitudinem tuam divina clementia hic diu incolumem custodiat, & post ad cælestia regna perducat: ubi inter psallentium choros constitutus, decantare valeas latius: SICUT *audivimus, sic vidimus in civitate Domini Dei nostri in monte sancto ejus.*

Quis sit iste Grinoverus, cui Berno librum suum nuncupat, non liquet. Quod eum *mundi hujus advenam & peregrinum* dicit, conjicere licet, eum fuisse Scottum, & forte sancti Pantaleonis aut sancti Martini majoris Colonienſis præsulem seu abbatem. nam abbates nonnumquam præsules appellantur. Verum Elias eo tempore utriusque monasterii abbas erat. An binominis erat Elias? qui cantum Romanum ex urbe Roma Coloniam primus attuliſſe dicitur. An potius Grinoverus præsul erat collegiatæ basilicæ sanctorum Apostolorum, ubi *apostolorum principe linguarum omnium quodam modo plectrum modificante*, Deo psallebatur? aliis divinandum relinquo.

XXVII. Quæstio de jejunio quatuor temporum.

Alius Bernonis libellus est *de quibusdam rebus ad missæ officium pertinentibus*, constans capitulis septem, in quorum ultimo agit auctor de jejunio quatuor temporum, de quo tunc controversia erat, quibus temporibus celebrari deberet. *dum alii*, inquit [a] Sigebertus, *secundum considerationem temporum, ad jejunium quartæ & sextæ feriæ accipiunt dies Februarii, vel Maii, vel Septembris, & sabbato in kalendis proveniente terminant jejunium: alii vero sine consideratione temporum non jejunant, nisi quarta & sexta feria jejunii cum ipso sabbato in Martio, vel Junio, vel Octobri* * *proveniant. Et talem jejunandi ritum auctorizant multi, & maxime Teutones, his Bernonis scriptis.* Hanc vero controversiam anno superiori ita definivere concilii Salegunstadensis patres canone secundo, *ut, si kalendæ Martii in quarta feria sive antea evenerint, eadem hebdomada jejunium celebretur: si autem kalendæ Martii in quintam feriam, aut sextam, aut sabbatum distenduntur, in sequentem hebdomadam jejunium differatur.* Idem pro portione statutum fuit de jejunio quinti mensis. at de jejunio septimi mensis, *ut si kalendæ Septembris in quarta feria evenerint, aut antea; jejunium in tertia hebdomada celebretur: & si in quinta, aut sexta, aut sabbato contigerint; in quarta hebdomada jejunandum erit.* In Decembri vero, *ut proximo sabbato ante vigiliam natalis Domini celebretur jejunium.* Ex his intelligitur, Bernonis librum eodem tempore, & forte ante synodum Salegunstadensem,

a *ibid.*

* *l.* Septembri.

ANN. CHR. 1022.

compositum fuisse, in quo Amalarium testem adducit, adducturus synodi decretum, si tum conditum fuisset. Scriptus est autem liber iste post annum M XIV. ut patet ex capite II. ubi ait Berno, se tempore coronationis Heinrici imperatoris Romæ exstitisse. Scripsit quoque epistolam ad Heinricum tertium, de qua inferius. Habetur in bibliotheca Boheriana liber sacramentorum Saxonicus, cui præfixi sunt hi versus a Bernone, ut veri simile est, nostro.

Suscipe conscriptum pura quem mente libellum
Ultima servorum Bern fert persona tuorum,
Qui, licet indignus, tibi fidus semper alumnus,
Obsequio pronus, devoto corde benignus,
Dum viget atque valet, sano dum corpore vivit.

Hæc fortasse leviora videbuntur, sed brevia.

XXVIII. Elmerus abbas ex episcopo fit privatus. a *W. Thorn.* p. 1782.

In Anglia Elmerus, sancti Augustini monasterii prope Cantuariam abbas, assumtus est [a] ad pontificalem sedem Schireburnensem, quæ successu temporis ecclesiæ Saresberiensi unita est. Hic, postquam aliquot annos parochiam sibi commissam strenuissime rexisset, Dei nutu luminibus orbatus, episcopatum tam voluntarie dimisit, quam invitus assumserat; reversusque ad suum monasterium, in cella infirmorum usque ad finem vitæ subjectus permansit. Forte ministro ejus carnes ad edendum ipsi afferente, milvus quidam de catino eas unguibus subripuit, & in altum abstulit. quod ubi vir Dei rescivit, gratiis Deo actis, carnes se non comesturum dixit, nisi hoc Deum velle intelligeret tali indicio, ut milvus raptas carnes reportaret. Hoc votum ignorans minister, alias e coquina quæsitum dum pergeret, rapax avis sublatas carnes in vasculum intactas reportavit. quo comperto, vir piissimus, eas cum gratiarum actione comedit. Hic post mortem, haud dubie uti mandaverat, non cum episcopalibus ornamentis, sed tantum cum cuculla, velut privatus monachus, contra altare sancti Johannis humatur: super cujus tumulum lux cælica sæpius visa est. *Quem licet sanctum*, inquit Willelmus Thornus, *esse pie credamus, de ipso sine auctoritate sedis apostolicæ celebrare non audemus.* Elmero in abbatiali munere successit Elstanus ejusdem monasterii prior, vir prudentissimus: quem rex Cnutus ad Wintonienſem episcopatum promovere volebat: sed recusantem fratres elegerunt abbatem; Egelnothus vero archiepiscopus benedixit.

Gloecestriæ monachi restituti. b *Monastic. Anglic. to. I. p.* 109. c *ibid. p.* 110.

Hoc ipso anno Wolstanus [b] Wigornienſis præsul, postmodum archiepiscopus Eboracensis, clericos e Gloecestrensi sancti Petri monasterio expulisse dicitur, ibique monachos restituisse, favente Cnutone rege, quibus Edricum abbatem præfecit. Wolstanus jam archiepiscopus [c] erat, eique in episcopatu Wigorniæ successerat Lessius, cum Edricus abbas quoddam prædium in beneficium dedit *anno ab incarnatione Domini circiter* M XXII. cujus rei chirographo præsentes adfuere prædicti antistites, & Anna abbas monasterii sancti Oswaldi. Non bene rem gessit Edricus abbas, cui post regiminis annos XXXVII. Aldredus Wigorniæ episcopus Wolstanum monachum Wigornienſem suffecit.

XXIX. Legerense monasterium Sancio episcopo commissum. d *Monal. in Eulog. lib.* 2. c. 7.

Ad res Hispanicas quod attinet, hoc anno, seu æra millesima sexagesima, die XII. kal. Novembris, Sancius [d] major rex Navarræ, Castellæ & Aragoniæ, ut se Deo gratum exhiberet, quod de inimicis suis triumphasset, eosque circumquaque subjugasset; *ad corroborationem ordinis sancti Benedicti*, domino & magistro suo Sancio episcopo, nempe Pampilonensi, donavit Legerense sancti Salvatoris monasterium, in quo corpora sanctarum virginum & martyrum Nunilionis & Alodiæ ab annis centum-octoginta requiescebant. Hujus donationis ea fuit causa, ut ne hunc locum occuparent laïci « sæculariſque ordo, qui post Maurorum invasionem totius Hispaniæ ecclesias invaserant, quas Sancius rex ecclesiasticis viris restituere decreverat. Unde comperto, « *beati Benedicti doctrinam ubique rutilare*, qualis scilicet Cluniaci instituta erat; eam « Hispanicis in regionibus transplantare animo constituit, missisque ad Cluniacense « monasterium nuntiis, inde Paternum abbatem evocavit, & cum illo gregem mona- « chorum, quos *in arcisterio* sancti Johannis-Baptistæ de Pena constituit; eodemque « animo Legerense monasterium cum suis possessionibus Sancio commendavit, *ut in-* « *eo ordinem monachorum constituat*, id est restituat ad normam Cluniacensium; *ubi* « *corpora parentum regis requiescant.* Facta charta in præsentia multorum, *qui vene-* «

AN. CHR. 1022.

rant adorare Deum, & celebrare festivitatem sanctarum martyrum in prædicto monasterio, regnante clarissimo rege Sancio in Castella, in Pampilonia, in Alava, in Aragone, in Suprarbi, in Ripacorcia, in cuncta Gasconia. Subscribunt testes, Eximena regina mater regis, regina dona Munia Major, Garsia, Ranimirus, Gundisalvus corum filii, Bernardus Mattus Aragonensis episcopus, Sancius abbas Legerensis & episcopus Pampilonensis, Paternus abbas sancti Johannis, Eneco abbas Homiensis forte Oniensis (nam duplex illud monasterium erat) & alii. Miro in Legerense monasterium studio affectus erat Sancius major, quod in eo educatus fuisset sub cura Sancii monachi, post modum ad Pampilonensem cathedram promoti. qua urbe a barbaris fere exciſa, Sancius episcopus in eodem monasterio residebat, eoque, mandante rege, induxit ritus Cluniacenses, quos Paternus in Hispaniam invexerat. Idem rex anno sequenti in synodo Pampilonensi statui [a] curavit, ut Irunensis ecclesiæ futuri episcopi ex Legerensi monasterio assumerentur.

[a] *Yepes to. 4. scripr. 15.*

XXX. Paternus abbas S. Johannis de Pesia.

Quis fuerit Paternus ille monachus, nos docet diploma prædicti Sancii regis pro Onensi monasterio, in quod post annos undecim institutio Cluniacensis, agente eodem rege, introducta fuit per Paternum tunc sancti Johannis de Peña abbatem. In hoc enim diplomate ait rex, quod cum ordo monasticus, *omnium ecclesiasticorum ordinum perfectissimus*, tunc temporis illi patriæ ignotus esset, assiduis Deum precibus interpellaverit, ut illius regionis tenebras luce ac perfectione monastici ordinis illuminaret; tandemque a prudentibus & religiosis viris ipsi suggestum fuerit, quod *perfectionem hujus sanctæ professionis nemo perfectius ostendere poterat, quam congregatio monasterii Cluniacensis, quæ in eodem tempore clarius ceteris monasteriis sancti Benedicti perfecta florebat regulari religione, auxiliante Deo, & venerando abbate Odilone administrante. Igitur super hoc negotio*, inquit, *accepi ab omnibus nostris episcopis consilium & optimatibus, & unum ex nostris patriotis virum, quantum hominibus possibile esset ad cognoscendum, religiosum & timoratum, vocitatum Paternum, cum devoto comitatu religiosorum sociorum, misimus ad prædictum Cluniacense cœnobium, ut in ipso perfectionem monasticæ vitæ cognosceret ac discerct: quæ sufficienter imbutus, ad patriam nostram rediret, & stitienti patriæ nostræ potum monasticæ professionis propinaret. quod, donante gratia Dei, ut ordinavimus, factum est. Nam idem vir doctrina disciplinæ regularis cum suis sodalibus perfecte instructus, prospere ad nos reversus est. quem primo doctorem monasticæ vitæ in monasterio sancti Johannis de Peña constituimus, &, ut fratres sub ipso regulariter viverent, eum pastorem animarum præfecimus, & prædictum monasterium, ut firmiter in stabilitate regularis vitæ persisteret, regalibus donis atque firmissimis privilegiis munivimus, quatenus hoc irritum facere nulli liceret ex nostris successoribus.* Hactenus rex, vere omni laude major, qui idem institutum in monasterio Onensi recipi curavit, sane monastici ordinis in illis partibus restitutor, ubi pæne omnino defecerat tum ex Maurorum cladibus, tum ex cupiditate & rapacitate hominum sæcularium, qui res ecclesiasticas tunc pervaserant, ut idem rex in alio diplomate superius relato testatur. Ranimirus rex ejus filius concilii Pinnatensis, cui multi abbates & monachi cum episcopis, in his Paternus & Blasius abbates, interfuerunt, statutum approbavit, quo sancitum est, *ut episcopi Aragonenses ex monachis præfati cœnobii habeantur & eligantur.* quale Pampilonensis synodi decretum de Legerensi cœnobio mox retulimus. Prædictum Pinnatense concilium quod in vulgatis libris *æra* M LXII. celebratum legitur, Baronius, aliique ad annum Christi M LXII. referunt. At cardinalis Aguirrius rem insolitam esse censet, ut æra pro anno Christi apud Hispanos sumatur; mavultque hoc concilium referre ad annum M XXXIV. & pro *æra* M LXII. reponendum *æra* M LXXII. quo tempore Ranimirus Sancio patri successit. Hæc fere sunt, quæ de Paterno abbate piissimo novimus: quo adjutore Sancius usus est ad monasticum ordinem in suo regno denuo excitandum. Odilonis abbatis epistolam ad hunc Paternum inferius referemus.

XXXI. Rodensis ecclesiæ dedicatio.

Hoc ipso anno in Catalonia nova monasterii sancti Petri Rodensis basilica III. nonas Octobris dedicata fuit a Wifredo Narbonensi archipræsule nomine ac vice Petri Gerundensis episcopi diœcesani, assistentibus coëpiscopis Stephano Attensi seu Aptensi, Stephano item Agathensi, & Oliba Ausonensi. Lecta est in eorum conventu Benedicti VI. epistola de libertate ejusdem monasterii, & episcoporum subscriptionibus firmata. Dein Petrus abbas ad Benedictum VIII. aliam scripsit

scripsit [a] epistolam, in qua conqueritur, quod locus ille, qui sub tutela sanctæ Romanæ ecclesiæ erat, devastaretur & conculcaretur a vicinis potestatibus, eorumque subditis, qui excommunicationes sedis apostolicæ non curent. quod quidem crimen nefandum sit. *Irrevocabilis nempe est lapsus, cum justitia contemnitur, pietas respuitur, misericordia denegatur.* quo facto, nihil aliud supersit, quam Christo abrenuntient, & ad æterna supplicia cum diabolo detrudantur. Addunt nihil curæ interim esse episcopis, ut invasores, secundum sedis apostolicæ mandata, excommunicent, præter Olibam Ausonensem, & primæ sedis Wifredum Narbonensem, Stephanum Agathensem, & Stephanum Attensem, qui ejusmodi invasores diris suppossuerunt. quod Deus dedit Barcinonensis confirmavit. In fine Petrus postulat, ut Willelmum Bisulduncnsem comitem, qui inter illos pervasores veluti antesignanus erat, privet alodiis, quæ ex beneficio monachorum tenebat: at Ugoni comiti Emporitano parcat. quippe qui jam resipiscere cœpisset, & tantum egeret admonitione ut in melius proficiat. Quod si pontifex quam primum afflictis non succurrat, omnes e monasterio egressuros, nec amplius in eo habitaturos. Mandet itaque universis provinciæ episcopis sub gravi interminatione, ut hac de re concilium habeant, & in illos invasores excommunicationis sententiam pronuntient.

[a] AN. CHR. 1022. Petri abbatis epistola ad Papam. a *Marca Hisp. p.* 1034.

ANno insequente millesimo vicesimo-tertio Berengarius Barcinonensis comes, rogatus ab Oliba episcopo Ausonensi & Rivipullensi abbate, abbatiam sanctæ Cæciliæ, in Monte-serrato sitam, Rivipullensibus restituit, a quorum potestate & dominatione ablata fuerat per Richildem comitissam, Suniarii comitis uxorem. Id hoc modo contigisse [b] legitur. Cum Oliba episcopus & abbas Barcinonem tempore octavarum pentecostes venisset, Berengarium comitem obnixe rogavit, ut ipse & mater ipsius Ermesendis justitiam faceret prædicto cœnobio de ejus alode, id est abbatia sanctæ Cæciliæ & omnibus ei circumjacentibus ecclesiis, quæ sitæ sunt in Monte-serrato, quas abavus ipsius Wifredus comes de manibus Agarenorum abstulerat, & prædicto cœnobio contulerat. id quod Suniarius comes, ejusdem Wifredi filius, adeoque Berengarii proavus, confirmaverat. quæ quidem donatio tenuerat usque ad tempus Cæsarii, archiepiscopum Tarraconensem se ferentis, cui uxor jam dicti Suniarii Richildis comitissa prædictam abbatiam dedit. Hæc tamen restitutio dilata fuit usque ad proximam festivitatem sancti Petri, qua die prædictus Berengarius venit Rivipullum ad limina beatæ Mariæ pro placito, quod inter ipsum & comitem Wifredum, ejusque nepotem Willelmum habendum erat. Tunc enim visis hac de re instrumentis, quæ ipsi exhibuerunt monachi sanctæ Mariæ, id est Ellesindus prior, & Bonifilius, Fredoli, atque Lanfrancus, cœnobium seu abbatiam sanctæ Cæciliæ cum omnibus ejus appendicibus, scilicet Minorissa * & aliis, Rivipullensi monasterio restituit Berengarius comes cum matre sua Ermesende & Sancia uxore. *Facta carta donationis* (sic vocant) III. *nonas Junii, anno* XXVII. *regnante Rodberto rege.* Exstat in Marca [c] Hispanica, quo ex libro hæc retulimus, charta de dote ecclesiæ sanctæ Mariæ *in civitate* seu opido Minorissa.

[b] AN. CHR. 1023. XXXII. Montis serrati ecclesia Rivipullo restituta. b *ibid. p.* n. 1035.

* *Manrese.*

[c] *ibid p.* 1031.

Cum Pampilonensis sedes in Legerensi monasterio aliquamdiu constitisset, habitum est hoc anno [d] Pampilonæ concilium, ubi, agente Sancio rege, de instauranda Irunienſi seu Pampilonensi sede actum est, una ex illis, quæ pæne tum erant *sine nomine*, omnique *honore multatæ, & ingloria*, utpote a barbaris destructæ; eaque cura Sancio episcopo & abbati commissa, ut illam sedem restauraret, & canonicum ordinem ibidem restitueret. Et ne deinceps sancta illa ecclesia *pro indignis periclitetur rectoribus*, immo potius ecclesiasticus in illa parochia status renovetur, & vitæ regularis ordo in Legerensi monasterio conservetur & augescat, & inde per monasteria illius regni dilatetur & propagetur; regali auctoritate præceptum est sequentibus regibus novis, ut *sanctæ matris hujus prælibatæ ecclesiæ Irunienſis futuros episcopos, rectores & gubernatores, de præfato cœnobio cum electione comprovincialium episcoporum, cum favore omnium seniorum & militum, vigilantissima cura præcipiatur ordine regulari eligere egregios sponsos.* qui antequam ordinentur, voveant atque promittant Deo & sanctæ Mariæ virgini, cujus glorioso nomine nuncupata est eorum ecclesia, se fidem catholicam observaturos, & firmiter prædicaturos; secundum institutа canonum catechizaturos & baptizaturos; ordines & gradus ecclesiasticos

XXXIII. Irunenses episcopi ex Legerensi monasterio assumendi.

d *d' Aguirre to. 3. conc. Hisp. p.* 395.

AN. CHR. 1023.

„ sine pretio collaturos, ceteraque episcopalis dignitatis munia diligenter exsecuturos; ad hæc divina officia diurnis, nocturnisque horis celebraturos. Insuper promittant regi, a quo honorem acceperint, servaturos se fidem integram & inviolatam. Acta hæc in Pampilonensi concilio æra LXI. post millesimam, III. kal. Octobris. Baronius retulit ad annum M XXXII. hoc concilium, cui septem episcopi cum rege ac regina & quatuor eorum filiis, aliique subscripserunt.

XXXIV. Heinrici diplomata pro Abdinchofensi & Confungensi monasteriis.

Sub finem anni præcedentis Heinricus imperator ex Italia reversus, a Meinwerco Patherbrunnensi episcopo invitatur ad dedicationem novi monasterii, (Abdinchofensi nomen erat) quod in occidentali parte suburbii ejus urbis ab eodem antistite conditum fuerat. Eo mox se contulit imperator, ibique natale Domini celebravit. Ad aliquot nihilo minus annos dedicatio monasterii, cujus sanctuarium, nescio quo casu, tunc corruit, dilata est, nisi quod crypta monasterii in honorem sancti Stephani nonis Februarii tum consecrata fuit ab ipso præsule, qui quemdam altaris lapidem spectatæ magnitudinis, a beato Leone papa olim consecratum, ex ecclesia Thietmelle allatum, in ea collocavit. Interim imperiali auctoritate donationes eidem loco a Meinwerco factas confirmavit cæsar XIX. kalendas Februarias hujus anni, districte vetans, ne quis ejus loci abbatem aut monachos interturbaret, ullusve judex illic se ingereret, præter monasterii advocatum, quem abbas & fratres elegissent.

a *Annal. Paderb. p. 464.*

Iisdem anno & die Heinricus prædium Hardingusanum [a] Confungensi puellari monasterio, cui præerat venerabilis Otta abbatissa, contulit pro remedio animæ „ suæ, ac dilectissimæ conjugis Chunigundæ imperatricis augustæ, necnon pro animabus „ fidelium suorum Erphonis comitis atque Cononis, quorum corpora ibi requiescebant. Otta seu Uta sororis Chunigundæ augustæ filia erat, quæ cum disciplinam negligeret, & frequentius in conviviis, quam in choro deprehenderetur, Chunigundis ipsi alapam impressit, cujus plagæ vestigia, dum vixit, vultui ejus inhæsere. Modo in hoc parthenone, præter insignis ædificii rudera, nihil prope inviolatum hæreticorum manus reliquit.

XXXV. Concilium Moguntinum.

Inde cæsar Merseburgi pascha celebrasse dicitur, forte ex eo loco profectus ad generale concilium, Moguntiæ hoc anno in festo pentecostes jussu Aribonis archiepiscopi habitum, ad quod archiepiscopus imperatorem invitaverat. Ad illud cum pergeret Godehardus episcopus Hildensheimensis, Gronæ mulierem dæmone infesto liberavit. In hoc concilio multa emendata fuisse dicuntur, sed acta ejus exciderunt, præter id, quod in vita sancti Godehardi de incesto conjugio comitis Ottonis legitur. Sed hæc nihil in rem nostram. Non multo post Heinricus colloquium cum Rotberto Francorum rege habere voluit. Novum quippe in Italiam iter meditabatur, veritusque ne quid se absente Rotbertus in Germaniam moliretur, eum fœdere sibi conciliandum existimavit, & ad colloquium in villam Evodium *, sancti Gaugerici episcopi ortu insignem, in pago Luciliburgensi ad Carum amnem positam, invitavit, *de statu imperii, ac non tantum de mundanis, verum de spiritualibus* locuturus, ut Baldericus [b] scribit, ex quo Sigebertus ea ad hunc annum retulit. Cæsar, *quanto major, tanto humilior*, Rotberto regi ad colloquium venienti, in villa Mosomo die festo sancti Laurentii occurrendum censuit; & postero die, qui sancti Gaugerici festivus erat, ad se venientem Evodii *cum summa veneratione suscepit.* Illuc convenere utriusque nationis duces ac proceres, multique episcopi & abbates. Rebus compositis, alterum colloquium Papiæ indictum, ubi domnus apostolicus una cum cisalpinis & transalpinis episcopis conventurus sperabatur. ast morbus diuturnus imperatoris, ac tandem mors anno proximo subsecuta effectum impedivit. Antequam conventus Evodiensis solveretur, imperator multis, magnique pretii donis regem honoravit, ejusque exemplo Colonienſis præsul Pilegrinus, Gerardus episcopus Cameracensis, atque Godefridus Lotharingiæ inferioris dux, quem nonnulli ante hunc annum decessisse perperam existimant. Non defuit etiam Rotberto regi repensandæ munificentiæ voluntas: at, si Baldericus rem non dissimulavit, dentem tantummodo sancti Vincentii martyris accipere voluit imperator, ne prorsus immunis a munere videretur. Ceterum Rotbertus rex ad hoc colloquium invitatus est per Gerardum episcopum Cameracensem, & Richadum Virdunensem abbatem, quos ad eum legatos mense Maio direxerat imperator, ut paullo inferius videbimus. Bermatæ [c] versabatur IV. nonas Septembris, cum Fructuariensis monasterii immunitatem, liberamque electionem abbatis, rogante Wil-

* *Ivois.*

b *Chron. Camer. lib. 3. c. 37.*

Fructuariæ privilegium confirmat.

c *Bibl. Sebus. p. 388.*

helmo Divionensi abbate confirmavit. Tunc *primum* [a] *ejusdem cœnobii abbatem*, nomine Johannem, in sua præsentia consecrari fecit, & tam ipsum, quam eumdem locum suæ imperiali tutelæ commisit, ut eamdem illi conservaret libertatem, qua Cluniacense monasterium gaudebat, ut Conradus imperator in simili diplomate testatur.

ANN. CHR. 1023.

a *ibid. p. 382.* «

XXXVI. Ejusdem munificentia in ecclesias.

Evodio Virdunum profectus [b] imperator, nativitatem sanctæ Mariæ ibidem celebravit: & ante discessum monasteriis totius civitatis, primum quidem *capitanæ*, id est cathedrali ecclesiæ, deinde ceteris pretiosa munera erogavit. Inde ad Mettensem accessit urbem, ubi per singula monasteria multas opes distribuisse dicitur, nullumque bonum aut clericum, aut monachum, quasi imminentem mortem præsagiens, indonatum reliquisse. Tributiæ in villa [c] regia erat IV. nonas Decembris hoc ipso anno, cum inveteratas Wormatiensium & Laurishamensium simultates edicto suo repressit. Denique nativitatem Domini Babenbergæ celebravit. Evodiensi colloquio non diu superstes fuit Godefridus, dux Lotharingiæ inferioris, mox laudatus, Godefridi comitis Virdunensis & Einhamensis ex Mathilde filius, Gozelonis & Friderici ex comite monachi frater, qui *in divitiis & gloria* [d] *absque liberis consenuit*, ac decessit, sepultus in claustro sancti Vitoni, cui viginti mansos dedisse, *& sua supellectile* locum admodum auxisse memoratur. Suffectus in ejus ducatum Gozelo ejus frater, post mortem Friderici ducatum Mosellanæ seu superioris Lotharingiæ insuper adeptus est.

b *Chron. Camer. lib. 3. c. 38.*

c *Annal. Laureſh.*

Godefridi ducis mors & successor.

d *Labbe to. 1. bibl. p. 161. & 168.*

XXXVII. Episcoporum mortes.

Multi quoque episcopi hoc anno interiere, Ekkehardus Pragensis, Gero Magdeburgensis, Arnolfus Halberstadensis, Eilwardus Misnensis, Bernardus Mikilenburgensis, aliique e Germania antistites; in Gallia Arnulfus archiepiscopus Remensis, & Hugo Turonensis: cui successit Arnulfus ejus nepos, filius ex legitimo conjugio Alberti abbatis Miciacensis. Ekkehardus, quartus Pragensis episcopus, prius autem novæ civitatis seu Nienburgi abbas, VI. idus Augusti ex hac vita migravit, ut legitur in prædicto chronico: ubi additur, constituisse, ut quilibet in Boëmia, qui de suo allodio araturam haberet, pro decimatione duos modios palmarum quinque & duorum digitorum, unum tritici & alterum avenæ, persolveret. Arnolfus, Halberstadensis episcopus nonus, VII. idus Septembris decessisse memoratur, cui Brantho abbas Fuldensis successit, aliis Brandagus [e] appellatus. Richardus in ejus locum a Fuldensibus electus, teste Lamberto. Brantho episcopatus sui initio in urbe sua monasterium sancti Johannis construxisse dicitur in Breviario seu brevi chronico Fuldensi, & post annos tres diræ famis tempore abiisse in Græciam & Palæstinam; ac post reditum Boslebiæ in honorem sancti Bonifacii novum canonicorum collegium instituisse, ac demum peste interiisse anno M. XXXVI. vel insequente. Richardus, ejus in abbatiali dignitate successor, omni laude superior, monasterium Amorbachii, ecclesiam sancti Andreæ in novo monte construxit, &, quod laudabilius, monasterium per Scottos ad Regulæ amussim reformavit. Ad hæc facta clarorum virorum fideliter describi curavit, & novos codices in bibliothecam inferri. Haud scio an certum sit id, quod in eodem Breviario legitur, ejus tempore Benedictum papam & Heinricum imperatorem Fuldam adiisse, eique tum nova privilegia, tum bona contulisse. De aliis Germaniæ episcopis hoc anno mortuis dicere non est e re nostra.

Fuldenses abbates.

e *Chron. Saxon. Leibnitz.*

XXXVIII. Bardo Fuldæ decanus.

Antequam Richardus Fuldensi abbatiæ præfectus esset, ibidem virtute ac pietate, non solum doctrina florebat Bardo, quem fratres, *concedente abbate Richardo, unanimes decanum elegerunt.* quo in munere, ut anonymi ejus vitæ scriptoris verbis utar, *inter magnos maximus, & inter parvos minimus, majoribus formidabilem, minoribus se amabilem* exhibuit. *Minores ad eum, ut ad patrem accedebant, quem majores ut judicem attendebant: quia quod caritas jubebat, negligere nesciebat.* Ubi censura adhibenda erat, hominem se esse recordatus, indulgentiæ fomentum adhibere studebat. Quidquid in monasterio erat, omnibus commune esse volebat; nec officiales fratres aliis, immo illis ceteros præferebat. Forte cellerarius, cum doliolum aceto plenum haberet, petenti fratri ejus copiam negavit. quo comperto, Bardo, exemplum sancti Benedicti imitatus, totum effundi jussit. Inter ea Richardus abbas in occidentali monasterii parte novum exstruxit in honorem sancti Andreæ monasterium, cui Bardonem consilio fratrum præficiendum curavit: ubi a Conrado rege, qui forte Fuldam inviserat, agnitus, & magno in honore habi-

tus est. Unde non multo post ei Werthinensem præfecturam contulit imperator.

ANN. CHR. 1023. XXXIX. Gerardus episcopus, & Richardus abbas legati ad Rotbertum regem.

Jam hoc anno (quod Hugo Flaviniacensis ad sequentem refert) Atrebatensi sancti Vedasti monasterio præerat Letduinus seu Leduinus abbas, quem Richardus Virdunensis abbas, Vedastini cœnobii reformator & abbas, ut liberius [a] Deo serviret, & se non ambitione, sed promovendæ religionis causa, illius præfecturæ onus in se susceptisse testaretur, sui vice ibidem præposuerat. Hic ex laïco piæ religionis monachus a Balderico vocatur. quod superius exposuimus. Porro laudatur in charta quadam Warini [b] Belvacensis episcopi, hoc anno data, in qua Rotbertus rex Franciæ proceres suos in palatio Compendii conduxisse dicitur, *quod ad eum Romanorum imperator Heinricus Gerardum Cameraci episcopum, & Richardum Virdunensem abbatem legationis gratia miserat*, nempe ut Rotbertum invitaret ad Evodiense colloquium, de quo superius [c] egimus. Compendii cum aliis proceribus adfuit *comes Flandriæ Balduinus Honestæ-barbæ*, & cum eo *venerabilis vitæ Leduinus abbas cœnobii beati Vedasti*. Adfuit etiam Warinus Belvacensis sedis episcopus, qui *tanti viri*, id est Leduini abbatis, *notitiam & sacræ societatis præsidium* sibi paraturus, tertiam partem villæ Angicortis, quæ villa ad sanctum Vedastum pertinebat, ejus ecclesiæ attribuit, *ut ex reditu tertiæ illius partis vinum ad celebrandas missas eidem ecclesiæ administraretur*. Hujus donationis instrumento subscribunt Rotbertus rex, *cujus consilio & approbatione id actum est*; Heinricus filius ejus, Balduinus comes Flandriæ, cognomento Honestæ-barbæ, Richardus Nortmannorum comes, & Rotbertus frater ejus archiepiscopus, Rodulfus comes, Burchardus filius Burchardi de Monte-morentiaco, Fulco Ambianensis episcopus, Gerardus Cameracensis præsul & Richardus Virdunensium abbas, *qui ibidem causa legationis aderant*; Leduinus abbas sancti Vedasti, Hubertus abbas sancti Luciani, & alii plures. *Acta sunt hæc Compendio palatio, mense Maio, prima die mensis, indictione* VI. *regnante serenissimo rege Francorum Rotberto, anno imperii sui* XXIX. Exstat ad eumdem Leduinum Gerardi antistitis [d] epistola, qua ei gratias agit, quod compassus sit Atrebatensi matri ecclesiæ, quæ III. kal. Augusti igne e cælo delapso combusta fuerat. In fine, *Vos ergo*, inquit, *fratres carissimi, qui jam sæculo renuntiastis, stantes in portu Domini, subvenite nobis laborantibus in mari, orantes Deum orationibus & jejuniis, ne veniat super nos judicium iræ Dei*. Sequitur ejusdem Gerardi epistola ad G. abbatem de quodam Hezelino, qui se a conjuge sua, nepte ipsius Gerardi, temere sequestraverat. quod Leodicenses archidiaconi probasse videbantur. at quis sit iste abbas, incertum. Eodem Leduino auctore & Rotrico abbatibus Gerardus episcopus demum acquievit consilio quorumdam Belgii episcoporum, qui Burgundiæ episcoporum sententiam [e] secuti, commune decretum fecerant, ut tam se se, quam omnes homines sub sacramento constringerent, pacem videlicet ac justitiam servaturos. Treugam seu treviam Dei appellabant Franci: quam Gerardus hac ratione improbabat, quod regalis juris id esse existimaret. quippe regum esse, seditiones virtute compescere, bella sedare, pacis commercia dilatare: episcoporum vero reges, ut viriliter pro salute patriæ pugnent, monere; ut vincant, orare. Post modum tamen crebris suorum hortamentis superatus Gerardus, sed maxime rogatu Leduini & Rotrici abbatum, acquievit invitus. tametsi ejus sententiam consultiorem fuisse probavit eventus, & violata a plerisque juratæ pacis & concordiæ fides. Rotricus abbas, hic laudatus, non alius videtur a Roderico Sithiensi, qui ex Vedastino grege assumtus fuerat.

a *Chron. Camer. lib. 3. c. 16.*

b *Montmorency p. 12.*

c *num. 35.*

Letduinus abbas S. Vedasti.

d *Chron. Camer. lib. 3. c. 32.*

e *Chron. Camer. lib. 3. c. 27.*

XL. S. Theotfredo facta restitutio.

Dum Guillelmus abbas Calmiliacensi sancti Theotfredi monasterio præesset, eidem loco facta est restitutio cujusdam prædii, vocabulo Bruci, quod quidam vir potens, nomine Aldigernus, hac occasione invaserat. Is castrum Capdenacum exstruere volens juxta prædictum sancti Theotfredi prædium, a monacho, qui ejus loci *obedientiam tenebat*, seu illum procurabat, postulavit adjutorium ad illud castrum ædificandum. quo recusante, prædium vi abstulit. Post ipsum tertius succedens Icterius, locum illum sancto Theotfredo restituit in manus Guillelmi abbatis, qui ejus frater erat. *Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini* M XXIII. mense Julio, feria VI. regnante Rotberto rege. Anno insequenti Stephanus de Gloiracio restituit etiam quædam in manus domni Guillelmi abbatis in villis de Scolenco & Arcenuo, laudante Gaucerando Vivariensi episcopo, ejusque nepote Guigone de Monte-acuto. Hic est Guillelmus abbas, cui, cum esset junior monachus, parentes ejus, Umbertus & Aymeradis, dederunt ecclesiam sancti Victoris, consentiente Warmundo archiepiscopo Viennensi.

ANN. CHR. 1023. XLI. Jordanus Lemovicensis episcopus electus.

Post mortem Geraldi Lemovicensis episcopi, qui apud Carrosum sepultus est, nutu Dei eligitur Jordanus episcopus, contra voluntatem principum Lemovicensium, qui per simoniam pontificatum sibi vindicare conabantur. Favit Jordani electioni Willelmus dux Aquitanorum cum Willelmo comite Ecolismensi. Electus apud sanctum Junianum Jordanus, a duobus episcopis, Islone Santonensi & Isemberto Pictavensi, ad urbem deducitur, moxque procedit *ad basilicam regalem*, (sic Ademarus sancti Martialis ecclesiam vocat) ibique a monachis sollemni ritu recipitur. Dein ad tumulum sancti Martialis missæ interfuit, & juxta monasterium ipso die hospitatus est. Crastino tonsura insignitus, ad sedem sancti Martialis, quæ cathedralis sancti Stephani ecclesia est, ducitur, ibique per baculum pastoralem honore pontificatus investitur.

ANN. CHR. 1024. XLII. Archiepiscopo inconsulto ordinatur.

His sub finem Januarii anni millesimi vicesimi-quarti peractis, Willelmus dux Romam profecturus, adolescenti filio suo æquivoco mandavit, ut electum quam primum ordinari curaret. quod ille exsequi non distulit. nam media quadragesima Angeriaci consecratus est Jordanus, & a Willelmo juniori comite atque Arnaldo Petragoricensi antistite Lemovicas deductus, in sede S. Martialis collocatus. Id ubi resciyit Gauslinus archipræsul, totum Lemovicinum, ipsumque episcopum interdicto suppositit, excepto sancti Martialis monasterio. at Jordanus nudis pedibus cum clericis & monachis omnibus Biturigas profectus, archiepiscopum placavit.

XLIII. Benedicti papæ & Heinrici imp. obitus.

Hoc etiam anno vacarunt supremæ duæ orbis christiani sedes, pontificia & imperialis. quippe Benedictus VIII. mortuus est III. kalendas Maïas: cujus in locum Tusculanorum comitum factione Johannes, vulgo XX. dictus, ipsius Benedicti frater, ex episcopo Portuensi postridie ejus diei subrogatus est: ad quem gratulatoria de ejus electione exstat epistola Fulberti episcopi [a] Carnutensis. Heinricus vero liberorum expers, Gronæ ad Visurgis ripam pridie idus Julii ad immortalem vitam migravit, Conrado Franciæ orientalis duce, Giselæ ipsius neptis conjuge, quem vivens semper infestum habuerat, successore designato. Idem Heinricus cum se morti proximum cerneret, Chunigundem uxorem & propinquos ejus acciviisse dicitur, eosque intuens: Recipite, inquit, quam mihi tradidistis, virginem vestram. Sepultus fuit Babenbergæ in ecclesia cathedrali, quam ipse fundaverat, uti & suburbanum sancti Michaelis monasterium, hoc quidem titulo a nostris cum primis celebrandus, præterquam quod singulari studio noster fuit, utpote qui semper in nostri instituti monasteria munificentissimus exstitit, & Richardo Virdunensi abbati obedientiam professus fuisse memoratur. Rem sic narrat vitæ beati Richardi scriptor. Cum aliquando S. Vitoni monasterium ingressus esset Heinricus, statim hunc Psalmistæ versiculum protulit: *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Ad hanc vocem expavit Heymo Virdunensis episcopus, qui præsens aderat, monuitque Richardum abbatem, ut ne ad monasticam professionem, quod absque incredibili rei publicæ damno fieri non posset, Heinricum admitteret. Postridie nihilo minus ingressum in capitulum Heinricum, haud dubie ut monasticum habitum peteret, interrogavit Richardus, velletne fieri monachus, ipsique in omnibus obedire. cumque ille se ita velle professus esset; reposuit abbas: Volumus ergo & præcipimus, ut ad gubernandum tibi a Deo commissum imperium, redeas. quod ex obedientia præstitit imperator, deinceps in S. Benedictum, ejusque Ordinem amplius solito affectus. Simile quid in Gellonensi monasterio præstitit Berengarius de Mayrosio, ut suo loco videbimus.

a *Fulb. ep. 22.*

Heinrici votum de monastica professione.

XLIV. Chunegundis fit monacha.

Post ejus obitum piissima conjux Chunegundis ad Confungense monasterium, ab ipsa conditum, se recepit, præmissa ad illius parthenonis virgines epistola cum munusculis, ut eas ad preces pro defuncto imperatore persolvendas animaret. Tandem curis sæcularibus exonerata, ipso anniversario ejus obitus die, monasterii basilicam ab episcopo dedicari fecit. quo die intra missarum sollemnia, imperiali veste ornata, ad altare processit, ibique ligni dominici pretiosam crucem obtulit; tum lecto evangelio, posita regali purpura, *fusci* coloris tunicam, quam ipsa sibi elaboraverat, data sacerdotali benedictione, induit, capillisque resectis, velo & anulo insignita, Christo consecrata est, sicque sanctarum filiarum suarum contu-

bernio aggregata, quibus omnibus se deinceps inferiorem exhibuit. Manibus operari solita, maxime in contexendis ecclesiæ vestibus, qua in arte excellebat, de cetero semper orabat, aut psallebat, aut lectioni vacabat. Nihil severitate illius jucundius, nihil jucunditate severius. Breve vitæ spatium jugi mortis memoria transigebat. Idem semper habitus, modestus, immo & neglectus; incultum corpus, quod paullo post a vermibus consumendum noverat. Multa illi erga contubernales devotio, frequens ægrotantium visitatio, sollicita consolatio pauperum & egenorum. Tales ejus mores & actiones per annos quindecim, quibus marito superstes fuit in illo monasterio, posito haud procul Cassallis Hassiæ opido ad Fuldam amnem.

ANN. CHR. 1024.

XLV. Otta abbatissa ab ea correpta.

Magna ei cura de institutione Uttæ seu Ottæ, sororis suæ filiæ, quam prædicto parthenoni abbatissam præfecerat. Hanc sæpe monebat antiquorum patrum dictis obaudire, tritas religiosi itineris vias non deserere, sollicite cavere, ne vana sectando desineret esse templum Dei. Illa primum materteræ monitis obsecundans, recte se gessit: at ubi immatura libertate potita est, paullatim a cœpto rigore deficere; molliorem cultum, lautiorem cibum, quæ vitiorum alimenta sunt, quærere; ultima ad chorum, in epulis prima esse; juvenilibus fabulis vacare, denique laxiora in omnibus sectari. Pro hujusmodi levitatibus frequenter a matertera, cum privatim, tum publice admonita & increpita cum non emendaretur; quadam die, dum pia Chunegundis cum conventu crucem (nam dies dominica erat) sequeretur, abbatissam deesse animadvertit. quam illa inquirens, & epulantem cum coæqualibus inveniens, zelo pietatis armata, dure objurgatam dextera in maxillam percussit, notamque ei indelebilem impressit. quo facto eam a vitiis ad melioris vitæ statum retorsit. Sic sanctus olim Benedictus monachum vagum alapa inflicta ad orandi studium revocavit. His accedit sanctus Poppo, qui dæmonem a quodam monacho alapa fugasse memoratur.

XLVI. Conradi Salici electio.

Interim non levis de imperio, tum in Germania, tum in Italia, contentio fuit. Germani, pars Conradum seu Cunonem seniorem, Franciæ orientalis ducem, quem Heinricus moriens successorem designaverat; pars ejus patruelem Conradum natu minorem, Conradi Carentinorum ducis filium, præferebant. Itali, Germanorum pertæsi imperatorum, Gallum optabant; alii Hugonem Rotberti regis filium, alii Willelmum Aquitanorum ducem, aut ejus filium cognominem: qua de re epistolæ exstant [a] inter Fulbertinas. Sed tandem Conradi Senioris, qui Salici cognomentum accepit, causa prævaluit in comitiis Cambæ ad Rhenum, Moguntiam inter & Wormatiam habitis, quibus Aribo Moguntinus archiepiscopus, Conradi Senioris fautor, multique alii præsules & principes interfuere. adeo tum necdum certus ac definitus erat electorum numerus, cujus institutionem Ottoni tertio nonnulli tribuendam volunt. Conradus VI. idus Septembris, Moguntiæ ab Aribone inunctus, biduo post Werthinensis [b] monasterii jura & privilegia confirmavit rogatu Heithenrici abbatis. Tum pridie idus ejusdem mensis conventus Hirtzveldia in Westfalia ad Luppiam habitus, ubi composita [c] est lis, quam Meinwerco episcopo de quibusdam prædiis movit Hildegundis Gezekensis abbatissa, quæ causa cecidit.

a *Fulbert. ep.* 119. 124. & *seqq.*

b *Annal. Paderborn. pag.* 463

c *ibid. p.* 464.

Keminadæ monasterium instauratum.

Sed hæc omnia præcesserunt ejusdem Conradi litteræ pro Keminadensi parthenone, a Christiano Paullino [d] editæ, quibus in suam tutelam suscipit illud monasterium, quod Frideruna venerabilis abbatissa, ejusque soror Imma comitissa, » Gerone comite adjuvante construxerant in villa Keminada, in pago Tilichi, co- » mitatuque Burchardi ducis, in honorem sanctæ Dei-genitricis Mariæ virginis dedi- » catum; illudque hereditariis suis bonis dotaverant. Hoc autem mundiburdium in- » dulget rex Conradus ad petitionem Gislæ reginæ conjugis suæ, interventu Sige- » berti Mindonensis episcopi, in cujus parochia monasterium situm erat; statuitque, » ut illius monasterii abbatissæ eadem libertate fruantur, qua *ceteræ sanctimoniales in* » *regno suo, sub regula sancti Benedicti juste viventes*, tunc fruebantur; ac liberum habeant arbitrium abbatissam eligendi *juxta regulam sancti Benedicti*. Ex quo intelligitur, quod jam alibi non semel observavimus, illa puellarum monasteria, quæ in illis partibus tunc exstabant, & canonicas se ferebant, tunc temporis Benedictinæ regulæ addicta fuisse. Datum est hoc diploma Merseburgi anno ab incarnatione M XXIV. indictione VII. & quidem VI. idus Februarii. Attamen ante id tem-

d *Paullin. dissert.* 11.

pus jam exstabat Keminadæ monasterium, alias [a] a nobis jam laudatum, utpote quod Heinricus I. imperator jam in suum mundiburdium susceperat. adeoque præmissæ Conradi litteræ interpretandæ sunt de instauratione monasterii, quod postmodum Wiboldo Corbeiæ-novæ abbati tributum est, ut videbimus suo loco.

ANN. CHR. 1024. a *lib.* 47. *n.* 16.

Biennio quam Hierochoni Trevirensi sancti Maximini abbati Poppo subrogatus fuerat, gravis in eum invidia oritur, eorum scilicet, quos a regularibus institutis vita mollior abduxerat. Hi enim cum sibi sub eo illicita jam non licere cernerent, ejus vitæ insidias moliri cœperunt; &, quod palam non poterant vel audebant, nefandis præstigiis, sacrosancta missarum sollemnia violando, & preces exsecrandis incantationibus admiscendo, exsequi pergunt. quod forte dum non succedit, eo progrediuntur, ut veneno cibum & potum ejus inficiant. Verum tam diros conatus repressit virtus divina, quæ tantum lumen sic exstingui haud passa est. Non diu ad hoc scelus conjuratis cælestis defuit vindicta: quorum nec unus eo anno superfuit: quasi in viscera eorum per os beati viri venenum illud transiisset. Hinc qui superstites fuere, eum timere simul & venerari cœperunt, & ex aliorum interitu prodesse in dies; tantaque eo loci morum in bonum commutatio brevi facta est, ut multi eorum ad regimen ecclesiarum promoti sint.

XLVII. Poppo abbas a suis impetitur.

Eidem Popponi in primis multum debet Brunwillarium seu Brunwillare monasterium, unius horæ itinere distans a Colonia-Agrippina, conditum *ab Elone palatii comitatum administrante*, ut in ipsius Popponis vita legitur: cui *Evonem*, ex suis abbatem, *omnibus ejusdem loci habitaculis a fundamento exstructis*, præfecit. Gelenius [b] conditum hoc anno monasterium dicit in honorem sancti Nicolai ac sancti Medardi, ejusque conditorem vocat Ezzonem seu Erenfridum comitem palatinum cum Mathilde illius uxore, Ottonis secundi filia, qui ambo in eodem monasterio humati sunt. Ellonem primum abbatem vocat idem Gelenius, quo nomine conditor monasterii in beati Popponis actis insignitur, ubi Evo primus abbas nuncupatur. Parentum pietatem æmulata est filia Richeza, Poloniæ regina, quæ apud Ubios exsul, destructo veteri ædificio, novum ædificavit monasterium, cujus basilicam sanctus Anno Colonensis archiepiscopus, præsente Eigelberto Mindensi episcopo, III. kal. Novembris consecravit anno M LXI. Tegenone abbate secundo, cui sanctus Wolphelmus abbas tertius successit.

XLVIII. Brunwillare monasterium instituit.

b *Gelen. pag.* 381.

Apud Hasprum villam agri Cameracensis cella erat monasterii Gemeticensis, ex quo sancti Aicadri abbatis corpus una cum sancti Hugonis episcopi reliquiis ob Nortmannorum infestationes illuc translatum fuerat. Hujus cellæ monachi, cum a Gemeticensi [c] abbate ob locorum intervallum facile visitari non possent, in libertatem soluti, ad sæcularium mores declinaverant. Eorum vivendi licentiam non ferens Gerardus episcopus, sæpe Gemeticensem abbatem admonebat, ut eorum mores corrigeret: at ille, qui longius aberat, visitationem & correctionem in dies differebat. Forte contigit episcopum, dum parochiam suam perlustraret, ad istam villam divertere cum Leduino Vedastino abbate, cui obscœna monachorum consuetudine exposita, auctor fuit, ut Anglicuriam villam pagi Belvacensis, Vedastinis subjectam, Hasprensis cellæ permutatione facta, Gemeticensibus cederet. quod ubi Leduinus probavit, mox Gemeticensem abbatem (Theodericus tum erat) monuit episcopus, ut huic permutationi assentiretur: sin minus, se ejus monachos Haspro expulsurum. Consilium admisit abbas, sicque hæc permutatio, præsente Rotberto rege cum Balduino Flandrensium, Richardoque Nortmannorum comitibus facta est. Itaque Leduinus brevi locum emendare studuit, novisque ædificiis, (is vero ædificandi peritus erat) & claustro regulari decoravit. quo ex tempore hæc cella seu præpositura stetit penes Vedastinos.

XLIX. Hasprensis cellæ permutatio.

c *Chron. Camer. lib.* 2. *c.* 29.

L. Theodericus aliique Gemeticenses abbates.

Qui hic laudatur Theodericus Gemeticensis abbas, discipulus erat Willelmi Divionensis, patria & ipse Divionensis, & ab eo prior Fiscamni constitutus, ac postmodum Gemetici abbas postulatus post Rodbertum abbatem, qui a restituto monasterio quartus erat, ut in antiquiori abbatum indice legitur, in quo abbates ab eo tempore hoc ordine recensentur: Martinus, Anno, Rodericus, Rodbertus, Theodericus. Hos sequuntur Willelmus, Rodbertus alter, postmodum Cantuariensis archiepiscopus, tum Godefridus abbas, in quo prima veteris illius indicis manus desinit, cui Rotbertus tertius ac Guntardus succedunt. quod observare visum est ad vulgatos indices corrigendos.

ANN. CHR. 1024. Richardi donatio facta S. Petro Carnutensi.

Theodericus, de quo hic agimus, is videtur esse, cujus nomen inter testes apponitur diplomati Richardi secundi Nortmannorum comitis, Carnutensi sancti Petri monasterio conferentis *in villa Lereti, in comitatu Constantini dicto, Tetkvillam cum ecclesia & suis adjunctis, & in comitatu Lesuin* seu Lexovienſi *piscatoriam in fluvio Tolca* * *per sabbati vesperum & diem dominicum integrum; in Sequana vero cum dierum noctiumque continuatione a summo sabbati diluculo usque ad eumdem feriæ secundæ terminum, tractus octo sagenarum.* Huic instrumento absque chronicis notis apposita sunt signa ipsius Richardi comitis donatoris, Gonnoridis comitissæ, Richardi & Rodberti comitum ac Willelmi filiorum, Rodberti archiepiscopi, scilicet Rotomagensis, Herberti episcopi, nempe Lexovienſis, Theodorici abbatis, ut puto, Gemeticensis, & Hunfridi, ejus scilicet, cui cognomen de Vetulis, conditoris monasterii Pratellensis. Gonnor parens erat Richardi secundi, cujus prima conjux Judith, filia Conani primi Brittonum ducis, hoc tempore decessit. Ea mortua, Richardus alteram uxorem, nomine Papiam, duxit hoc anno, teste Radulfo [a] de Diceto, ex qua duos filios genuit, Malgerum Rotomagensem archiepiscopum, & Willelmum comitem de Archis. Hæc soror fuit Osberni & Ansfredi nobilium Neustrasiorum, ut superius [b] notavimus, idque confirmatur altero instrumento Richardi secundi pro sancto Michaële in Monte-Tumba, cui instrumento subscriptus est *Osbernus frater comitissæ.* Judith vero, prior Richardi conjux, conditrix est Bernacensis monasterii, quod cum imperfectum reliquisset, idem Richardus comes absolvit.

* *Tonque.*

a *Script. col.* 468.

b *lib.* 54. *n.* 79.

LII. Rotberti archiepiscopi privilegium pro eodem.

Hujus frater germanus exstitit Rotbertus Rotomagensis archipræsul, qui ecclesiam de Fontinido, Carnutensi S. Petri monasterio jam subjectam, *ab omni inquietudine tam episcopi, quam archidiaconi,* exemit eo modo, quo Gesiaci * cella, cui illa ecclesia subjecta est, immunis erat, tribus tantum exceptis, videlicet ipsius ecclesiæ reconciliatione, olei & chrismatis perceptione, & pœnitentium reconciliatione, quæ-tria episcopo, in cujus parochia hæc ecclesia sita est, reservantur. Ita sanxit ac decrevit Rodbertus Rotomagi archipræsul, ejusque coëpiscopi, *Herbertus Lisinæ civitatis, Rodbertus Constantiæ, Radbodus Saxiæ, & Hugo civitatis Ebroicæ,* qui cum Rodberto archiepiscopo huic instrumento subscripti inveniuntur, & cum eis Maingisus Abrincatensis, Heinricus abbas sancti Audoëni, multique alii, tum ecclesiastici, tum sæculares viri, in quibus Osmundus Tudeberti, & Rogerius filius Hunfridi præcipui sunt. Ut vero huic munifico archipræsuli pro hoc aliisque beneficiis se gratum exhiberet Arnulfus abbas sancti Petri cum fratribus sibi commissis, constituit, ut pro anima ejus in perpetuum uni pauperi quotidie pedes laventur, refectio præbeatur, & post ejus obitum sepultura eidem impendatur; & opportunis diebus *in conventu plenario* pro eodem archiepiscopo cantetur psalmus, *Exaudiat te Dominus*, &c. ac demum singulis hebdomadis missa pro eo *cum plenario conventu* celebretur. Huic constitutioni post Arnulfum abbatem subscribunt Berengarius decanus & decem monachi.

* *Jusy.*

LIII. Aliæ donationes eidem factæ.

Eodem Arnulfo abbate aliæ eidem monasterio donationes factæ, quarum una est Hildegardis vicecomitissæ Castriduni, quæ, annuente filio suo Hugone archiepiscopo Turonum, alodum suum de Bello-monte cum suis adjunctis confert sancto Petro, ea lege, ut post decessum suum sepeliatur in claustro monachorum, & hi super ipsius tumulum transeuntes, pro ea jugiter orent. Ex his intelligitur, Hildegardem vicecomitissam Castriduni conjugem fuisse Alberti, ex monacho Gemeticensi tunc abbatis Miciacensis, qui Hugonis Turonensis archiepiscopi pater erat. Aliam eidem loco donationem fecit Guarinus miles de castro Drocarum *, filius Alberici militis Ragenoldi vicedomini, qui alodum suum apud Pinum, villam pagi Drocassini, sancto Petro donavit. Denique Urso miles, filius Germundi de Aisiaco, restituit sancto Petro *medietatem de exclusatio molendinorum* ejusdem cœnobii apud Anetum *, ab ejus avo & anteccssoribus concessam, quam ipse absturat. In cujus rei fidem testes advocat *seniores de castello Ebriaco* *, quod Aneto proximum est.

* *Dreux.*

* *Anet.*

* *Ivry.*

LIV. Felix abbas Ruyensis.

Sexto-decimo anno [c] quam Felix monachus Floriaco in Armoricam ad reparanda illius provinciæ monasteria missus fuerat, gravis seditio rusticorum in dominos suos illic exoritur: quam cum nobiles, juncto secum Alano comite, victis, fugatis, ac cæsis rusticis, compressissent, in ipsum quoque Alanum arma retorserunt, sed irrito

c *lib.* 53. *n.* 10.

ANN. CHR. 1024.

irrito conatu: quoniam comes nec ignavus, nec artis militaris expers erat. Inter hos tumultus cum Felix quiete & tranquille vivere non posset, Floriacum reverti statuit. Verum eum brevi revocari curavit Hadegogis seu Hadvisa comitissa, scripta per Filim nuntium epistola ad Gauslinum abbatem & archiepiscopum, quem rogabat, ut abbatis benedictionem Felici conferret, & ad se ordinatum remitteret. paratos quippe esse Alanum & Eudonem suos ipsius filios ad ea præstanda, quæ promiserat Gaufredus eorum parens, cujus postulatione Felix ad illas primum partes profectus erat. Lecta epistola, Gauslinus Felicem vocat, interrogatque ad quid rediisset. Causam ille allegat, quod nec pacifice, nec cum quiete ibi Deo servire posset. Cui abbas: Putasne, inquit, in tua assequi patria, quod Christus « in sua non obtinuit? Si vis ad eum pervenire, debes, sicut & ille ambulavit, & « tu ambulare. Ergo molestias, ubicumque fueris, ferre te decet, nobisque obe- « diens esse, sicut in professione tua voviſti. Itaque benedictionem abbatis & curam « modo subeas oportet. Sed illo excusante, idque nullo modo facere se posse inquien- « te; abbas, qui & ipse episcopus, immo archiepiscopus erat, invitum ad altare adduxit, eumque abbatem IV. nonas Julii ordinavit, atque adeo anno insequente, si hæc ordinatio die dominica facta est. Accepta itaque tam Gauslini abbatis, quam totius Floriacensis congregationis benedictione, Felix jam abbas in Armoricam reversus est, commendatitias secum deferens litteras ad principes Britanniæ & episcopum Venetensem: quorum consilio regimen accepit Ruyensis sancti Gildæ monasterii, utpote antiquioris & commodioris præ alio, quod vulgo *Locmenech,* id est Locus-monachorum, appellabatur. Tunc temporis in Ruyensi monasterio quidam Dei servus solitariam vitam ducebat, Ehoarnus nomine, super quem irruentes nocte latrunculi, eum ex adhærente ecclesiæ cellula extraxerunt: ex quibus unus, re ac nomine Leopardus, arrepta securi, super limen ecclesiæ cerebrum ejus excussit: sed mox correptus a dæmone, se ipse cultro confecisset, nisi obstitissent socii, qui ligatum in ejus domum reduxerunt. Vivebat eo tempore monachus Ruyensis anonymus, qui hæc in vita sancti Gildæ refert, testaturque Leopardum ad finem usque vitæ numquam sui compotem fuisse.

LIV. Liziniaci cella fundatur.

Apud Pictones vir clarissimus Hugo de Liziniaco, cellam in honorem beatæ Deigenitricis Mariæ conditurus, allodium quoddam in prospectu castri Liziniaci a canonicis sancti Hilarii Pictavensis, a quibus locus iste pendebat, permutatione facta comparavit, una cum consensu Willelmi ducis Aquitanorum, necnon Isemberti Pictavorum præsulis, cunctorumque procerum ac primorum Pictavensium. Litteræ hac de re pridie nonas Martias hujus anni indictione VII. confectæ sunt, quibus subscribunt *Willelmus dux Aquitanorum, Willelmus filius ejus, Odo frater ipsius, Agnes comitissa, Willelmus comes Engolismorum, Hilduinus filius ejus, Isembertus episcopus Pictavorum, Iselo archiepiscopus Burdigalensis, Raho episcopus Engolismorum, Arnaudus præsul Petracoricensis, Jordanes episcopus Lemovicensis, abbates quoque Pictavorum cœnobiorum, cum omni cœtu canonicorum beati Hilarii.* Legimus diploma Rotberti regis, rogatu Willelmi Pictavorum comitis indultum, quo potestatem facit omnibus conferendi ex rebus suis prædictæ ecclesiæ sanctæ Mariæ sanctique Juniani, *ante portam Leziniaci sitæ, quam quidam clarissimus vir, Hugo nomine,* propriis sumtibus fundavisse dicitur. *Actum Turonis, anno incarnati Verbi* M XXV. Ad hæc Johannes papa *Ugoni spirituali filio* scribens, idem monasterium *ab omnium dominatione* eximit, *excepto Nobiliacensis ecclesiæ* seu abbatiæ, ita ut nec Pictavensi ecclesiæ, in cujus parochia est, nec episcopo, qui eidem pro tempore præ- « fuerit, quidquam reddere cogatur, nisi tantum duos psalmos, quos fratres ejusdem « ecclesiæ per singulas horas decantare debebunt pro conditoribus & benefactoribus « suis. quod privilegium pontifex, ab Isemberto Pictavensi episcopo rogatus, indul- « sit. Id factum tempore Imonis abbatis Nobiliacensis sancti Juniani monasterii, « cui hæc cella Liziniacensis subjecta est. Aliud oratorium in villa Brueria construxit Hugo de Liziniaco cum Aldearde conjuge, cum consensu Isemberti episcopi & Willelmi comitis Pictavensis, ut superius [a] vidimus. quod vix fieri potuit ante annum superiorem, qui Isemberti episcopi primus fuit, probante charta Willelmi comitis junioris pro Nobiliaco, data anno M XXVIII. qui Isemberti episcopi quintus dicitur. Ejus quoque tempore Willelmus vicecomes, filius Kadalonis vicecomitis, ratam habet donationem loci sancti Johannis Melgonensis, a patre suo

a *lib.* 53. *n.* 104.

ANN. CHR. 1024.

factam Odiloni abbati Cluniacensi, ea lege, ut cella monachorum illic institueretur.

LV. Nobiliaci res auctæ.

Ejusdem Imonis abbatis tempore quidam miles, nomine Gaufredus-Aries, volens esse monachus apud Nobiliacum, sancto Juniano donavit terram suam de Castellario apud Columbarium *. *Factum est hoc in aula vicecomitis Castelli-Airaldi* *, *videntibus his idoneis testibus, Stephano & Gaufredo ejusdem ecclesiæ jam monachis, filiis scilicet meis*, ait Gaufredus, *necnon Ugone Peloquino milite, filio meo, annuente; & Normanno-Ariete nepote meo & milite, aliisque quamplurimis.* Ipsomet Imone abbate quidam Rorgo & conjux ejus Aldeburgis alodem suum indominicatum apud Villares villam pagi Pictavensis & vicariæ de Ingranda, sancto Juniano conferunt, regnante Rotberto rege; testibus Anseiso abbate, forte sancti Cypriani, & Archambaldo abbate sancti Maxentii, qui postea creatus est archiepiscopus Burdegalensis.

* Colombier.
* Chastelrau.

LVI. S. Ausonii parthenon conditur.

Sub idem tempus Willelmus Ecolismensis comes, qui superioribus Hugonis literis subscripsit, puellare sancti Ausonii monasterium in suburbanis illius urbis a fundamentis ædificavit, quod longe ante illa tempora conditum, sed a barbaris destructum ferunt. Certe eo loci ante id tempus exstabat ecclesia, in qua sanctorum Ausonii & Aptonii episcoporum reliquiæ asservabantur. In archivo ejusdem parthenonis habetur instrumentum, quo idem Willelmus comes cum uxore sua Girberia, filiisque suis, Aldoino, Gaufredo & Willelmo, mansum suum dominicatum in villa, quæ dicitur *Alamans*, confert ad basilicam sanctorum Ausonii, » Attonii & Cæsarii, ubi eorum corpora requiescere dicuntur, sitam *sub ipsius urbis Aquilisma civitate super flumen Enguinæ* * seu Inguinæ. Actum *mense Septembri* XI. *kalend. Octobris, regnante Rotberto rege*; & quidem ante annum M XXVIII. quo Willelmus comes decessit, sepultus in basilica sancti Eparchii cum hoc epitaphio: *Hic jacet domnus amabilis Willelmus comes Engolismæ, qui ipso anno, quo rediit de Jerusalem, obiit in pace* VIII. *idus Aprilis, vigilia Osannæ*, id est dominicæ in palmis, *anno ab incarnatione* M XXVIII. Porro hoc monasterium a Calvinistis solo æquatum, e suburbio in urbem translatum est.

* l'Enguine.

LVII. Judicium in Durandum abbatem sanctæ Cæciliæ.

Habitum hoc anno placitum in castro comitatus Urgellitani, Pontibus appellato, præsidentibus Ermengaudo marchione-comite, filio Ermengaudi divæ memoriæ comitis, & Berengario comite, filio Raimundi patrui Ermengaudi, cum Ermesinda comitissa, eorumque optimatibus. In illo placito agitata est [a] controversia, orta inter Ermengaudum Urgellensem episcopum & Durandum abbatem sanctæ Cæciliæ *cœnobii Elinlitensis*, qui Durandus ecclesiam Curticitæ cum ipsa parochia, decimasque & primitias de Castellono contra jus Urgellensis ecclesiæ injuste tenere dicebatur. Productis utrimque instrumentis, causa cecidit Durandus, ac sententia dicta est pro ecclesia Urgellensi, anno incarnationis post millesimum XXIV. *serenissimi Francorum regis* Rotberti XXIX. Actum est superius non semel de hoc sanctæ Cæciliæ monasterio, quod *Elinlitense* hic dicitur a situ ejus *in valle Elins*, ut legitur in testamento Ermengaudi comitis Urgellensis, patris illius Ermengaudi, qui prædicto placito præsediisse dicitur.

[a] *Capitul. to. 2. p. 1545.*

LVIII. S. Victoris & S. Dionysii monasteria Mediolani.

Jam quintus annus erat, ex quo Aribertus seu Eribertus archiepiscopus Mediolanensis successerat Arnulfo, qui anno M XIX. decesserat, sepultus in basilica [b] Portiana, ubi monasterium sancti Victoris ad-corpus fundaverat. Insigne est istud monasterium, nunc Ordinis Olivetani, dictum ad-corpus, quod in eo corpus sancti Victoris martyris asservetur. Primis sui pontificatus annis Aribertus cœnobium sub titulo & patrocinio sancti Dionysii illius urbis episcopi condidit, in quo monachos instituti nostri, quales in Ambrosiana, sancti Victoris, ac sancti Simpliciani basilicis erant, collocavit. Hujus monasterii, aliarumque Mediolani abbatiarum & ecclesiarum mentionem facit in suo [c] ipsius priori testamento, dato Conradi *imperii anno septimo, mense Martii, indictione secunda*, quo testamento solidos triginta legat abbati & monachis *de monasterio sanctorum confessorum Dionysii & Aurelii, quod ego*, inquit, *noviter pro remedio animæ meæ ædificavi.* Jam ergo tunc agnitus erat Conradus imperator ab Ariberto, qui primo quidem eum statim a morte Heinrici imperatoris regem salutaverat, sed postea graves cum eo rixas habuerat, ita ut Agarenos in eum adduxisse videatur. Huc spectat epistola [d] Pauli & Gebehardi clericorum Ratisponensium pro Conrado ad Martinum, thesaurorum sancti Ambrosii

[b] *Ital. sac. to. 2. p. 139.*

[c] *ibid. p. 141.*

[d] *Mus. Ital. to. 1. p. 97.*

custodem, cui congratulantur, quod Ambrosii meritis cessisse ferantur Ismaëlitæ; hortanturque, ut deinceps Ambrosiano exemplo declinet Eugenium, & amplectatur Theodosium, id est Conradum seniorem. Hæc reconciliatio jam eo tempore facta erat, quo Aribertus primum illud testamentum condidit, scilicet anno M XXXIV. quam tamen Hepidannus monachus triennio serius factam dicit, sed errore auctoris an editoris, siquidem libri editi toto quadriennio a recto calculo aberrant, ut sæpe monuimus. Ante hos motus Paulus & Gebehardus mox laudati cum Martino Ambrosiano custode litterarum commercium habuerant, ab eoque [a] sacramentarium sancti Ambrosii, aliaque petierant; immo ante id tempus Mediolanum profecti erant, ubi honorifice accepti fuerant primum a sancti Dionysii, dein a sancti Victoris abbatibus; quibus a Martino gratias suo nomine referri jubent. *Præter ea*, inquiunt, *primum susceptorem nostrum abbatem de sancto Dionysio, deinde abbatem de sancto Victore, benefactores nostros, ex parte nostra salutare deposcimus.* Ex quo intelligitur, jam tum conditum fuisse ab Ariberto sancti Dionysii monasterium: sed quis fuerit primus illius abbas, ignoramus.

ANN. CHR. 1024.

[a] *ibid p. 95.*

Post mortem Heinrici imperatoris Pandulfus, olim princeps Capuanus, quem Heinricus ob defectionem in vincula conjecerat, e custodia [b] egressus, Capuam pergit: sed a Capuanis rejectus, in montana grassatur, & conductis undique latrunculis, nocte intempesta in sancti Vincentii monasterium irruptione facta, cuncta deprædatur. Mox Capuam properat Hilarius abbas, a Guaimario principe auxilium petit, obtinetque. Missus illuc Rainulfus comes, conductis Normannis & Capuanis: ad cujus adventum sacrilegi prædones statim in fugam se dedere præcipites. Hoc monasterium numquam majus damnum antea tulerat.

LIX. S. Vincentii monasterium Capuanum vastatur.

[b] *Chesn. to. 3. p. 699.*

UBi primum regni accepit insignia Conradus, mox ad componendos imperii motus se contulit. Itaque cum Mindæ natale Domini celebrasset, principio statim insequentis anni millesimi vicesimi-quinti primum Patherbrunnam profectus, III. nonas Januarii egregiam donationem Tuitiensi monasterio fecit, rogatu Giselæ reginæ & Pilegrini Coloniensis archiepiscopi, quem in comitatu habebat. Corbeiæ versabatur pridie idus Januarii, cum regali præcepto Heinrici decessoris sui decretum firmavit, ut scilicet Scutterana abbatia, cui tunc Regimboldus præerat, Babenbergensi episcopo subjecta remaneret. Ibidem Corbeiæ privilegia omnia confirmavit, & in regiam tutelam accepit Kaminadæ monasterium, superiori anno exstructum. Inde *Hildenesheim* post epiphaniam venisse dicitur: quo in loco Aribo Moguntiæ archiepiscopus veterem litem de subjectione Gandersheimensis cœnobii contra Godehardum episcopum denuo excitavit: at *ejus machinationem novus rex primatum consilio diremit.* Proximam dehinc urbem Goslariam petiit rex, novoque diplomate XI. kal. Februarii Drutmaro Corbeiæ abbati, qui & Truchtmarus dicitur, prisca [c] monasterii privilegia renovavit. Inde Merseburgum profectus, Keminadæ puellare cœnobium, petente Gisela conjuge, necnon Sigeberto Mindensi episcopo, in suam tutelem accepit, sanciens, *ut* [d] *prædicti monasterii abbatissæ talis libertatis, legis ac regulæ primatu fruerentur, quali cetera sanctimoniales, in suo regno sub regula sancti Benedicti juste viventes, utebantur*; & in obitu abbatissæ, sanctimoniales *habeant arbitrium aliam eligendi juxta regulam sancti Benedicti.* Saxonia & Turingia peragratis, Conradus in Franciam orientalem & Bajoariam, rigente adhuc hieme, quadragesimæ tempore discessit, ac pascha Ratisponæ celebravit. Dein, festo pentecostes Constantiæ peracto, per æstatem Sueviam & Carentinorum regiones perlustravit; & sub autumni exitum in Lotharii regnum revertit, natale Domini apud Leodicum celebraturus. Apud chronographum Saxonem *Marquardus quintus abbas sancti Johannis-Baptistæ* hoc anno obiisse dicitur, eique successisse *Bruno frater Sigifredi abbatis religiosi.* & anno sequenti, obiit Riddagus secundus abbas *sancti Johannis-Baptistæ*, scilicet Magdeburgensis, *qui depositus a Tagmone archiepiscopo, post Luniburgensi abbatiæ præfuit.*

ANN. CHR. 1025.

LX. Conradi prima diplomata.

[c] *Annal. Paderborn. p. 466.*

[d] *ibid. p. 467.*

Conradi regis nepos Lietardus tunc monachus degebat in Virdunensi sancti Vitoni monasterio, cui Ballodium villam contulisse traditur. quo tempore quædam religiosæ mulieres, nobilibus & ingenuis ortæ natalibus, semetipsas ultro sancto Petro cum rebus suis subdiderunt; quarum una vocabatur Bona, aliæ duæ Conrada, & Ruspendis ejus soror. Hæ villam suæ potestatis, *Hasi* dictam, sancti

LXI. S. Vitono donationes factæ.

ANN. CHR. 1025.

Petri ditioni hoc pacto manciparunt, ut ejusdem loci villici quotannis die festo sancti Remigii *de manu-mortua* XII. denarios, *sex de licentia maritalis copulæ* persolvant, & *placita generalia* in jam dicta villa ter per annum servent. quod litteris mandavit Richardus abbas hoc anno, Conradi regis primo, indictione VIII. idque Herimanni comitis, ejusdemque cœnobii advocati testimonio roborari curavit. Interim mortuus [a] est Heymo Virdunensis episcopus XI. kal. Maii, quod ad annum præcedentem refert Hugo Flaviniacensis; eique successit Raimbertus, conditor suburbani sancti Agerici monasterii, ut postea videbimus. Hic anno sequenti confirmavit episcopali auctoritate, postulante Ebalo Remensi archiepiscopo, donationes quarumdam rerum parochiæ Kemensis, apud Badonis-villam, Claricelum, Lavannam & Novam-villam sitas, quas Heinrici regis anno secundo domina, comitissa Dada, uxor Manassæ comitis, sancto Vitono fecerat per manus militum Woëmbaudi & Walteri, fratris Richardi abbatis. Raimberti hac de re litteris subscripti sunt testes Godefridus comes Virdunensis & advocatus, & nobilissimi viri, Johannes & Amalricus. Ad hæc Adelaidis comitissa, uxor nobilissimi quondam comitis Ludovici, *qui per fraudem occisus est in monte sancti Vitoni post excessum Haymonis episcopi Virdunensis*, contulit sancto Petro & sancto Vitono duos mansos sitos prope Mosam, per manum Gozelonis atque Godefridi ejus filii, & quidem pro amore Friderici, prædicti Gozelonis fratris, *qui inibi monachus exstiterat, hominemque jam exuerat*, quem prædictus comes Ludovicus multum diligebat, cujusque causa multi nobiles locum illum valde amabant.

a *Labbe bibl. to. 1. p. 401.*

LXII. Ingo abbas Senonensis obit.

Alius fuit Ludovicus comes & monachus sancti Vitoni, in actis beati Richardi laudatus, alius item Ludovicus comes Alemannorum, qui, referente Clario, orationis causa profectus ad sanctum Michaëlem in periculo maris, in reditu apud Senonas morbo correptus, in monasterio sancti Petri habitu monastico suscepto, mortuus sepultusque est tempore Ingonis abbatis, qui hoc [b] anno, novo an veteri calculo, & quidem IV. kal. Februarii decessisse traditur. Huic successit in monasterio sancti Petri domnus Ermenaldus, & in Pratensi sancti Germani (nam & hujus loci rector erat) venerabilis Willelmus abbas Divionensis. Ermenaldi tempore Rotbertus rex & Constantia regina, suppeditatis per manus Odoranni monachi expensis, sancto Saviniano loculum, auro, argento, gemmisque pretiosis ornatum, composuerunt: & Odo Burgundiæ comes, qui post biennium decessit, eodem abbate agente, sancto Petro villam Ausonis, quam nonnulli abstraxerant, restitui curavit. Post mortem Ingonis abbatis, qui regis consanguineus erat, Rotbertus rex & Constantia regina Willelmum abbatem, multorum cœnobiorum reformatione tunc celebrem, accersiverunt, eique Pratense sancti Germani monasterium pristino religionis nitori restituendum, commiserunt. quod ille verbo & exemplo haud segniter exsecutus est.

b *Spicil. to. 2. p. 741.*

LXIII. Synodus Atrebatensis.

Reginaldus Leodicensis præsul ab anno superiori [c] successerat Durando episcopo, cui Baronius, aliique non pauci non recte tribuunt epistolam ad Heinricum Francorum regem de corpore & sanguine Domini, quam Deoduino, Reginaldi intermedio Walthone successori, tribuendam esse constat. Reginaldo episcopo Gerardus Cameracensis episcopus nuncupavit acta synodi Atrebatensis, quam hoc anno Gerardus ipse celebravit adversus quosdam hereticos Aurelianensibus similes, qui, quodam Gundulfo Italo auctore, baptismi, eucharistiæ, pœnitentiæ & matrimonii sacramenta respuebant, nullosque sanctos, præter apostolos & martyres, colendos dicebant. Hujus synodi acta exstant Spicilegii tomo XIII. In hac porro synodo non sola auctoritate, sed solidis rationibus convicti hæretici demum respuerunt, Dei patientiam [d] admirati, *qui tamdiu eos ad ignominiam nominis christiani toleraverat*, ut ipsi loquuntur, confitendo divinæ eucharistiæ catholicam veritatem. quod utinam nostri sæculi hæretici imitarentur. In fine profitentur, in eucharistia *eamdem esse carnem, quæ ex Virgine nata, in cruce passa, de sepulcro levata, super cælos exaltata, sedet in paternæ majestatis gloria.* In capite II. de confessoribus agens Gerardus: *Quis post apostolos*, inquit, *Martino, quis Benedicto in miraculis potentior?* Relecta coram illis hæreticis acta synodi: sed quia hæc, *quæ latina oratione dicebantur, non satis intelligere poterant*, per interpretem vulgarem eis exposita sunt.

c *Labbe to. 1. bibl. p. 357.*

d *Spicil. to. 13. p. 21.*

LXIV. S. Medardi monasterio Fulco episcopus infestus.

Idem Gerardus interfuit consecrationi Beroldi Suessionum episcopi, successoris Fulconis seu Fulcosii, qui hoc anno decessisse traditur. Hic sancti Medardi monasterio infestus, ejus possessiones hoc maxime anno [a] invasit, Richardo abbate frustra obsistente, & militibus suis in beneficium distraxit: qua de re a sancto Gregorio increpitus non semel, cum nec sic resipisceret, violenta morte multatus fuisse fertur. Certe graves cum Richardo abbate rixas habuisse episcopum Suessionensem constat ex Fulberti epistola LXXII. ad Richardum abbatem, quem is acriter corripit, quod ecclesiam beati Medardi, quam ejus domestici cruenta cæde violaverant, ipse abbas reconciliare, & in ea celebrare ausus esset. Ex quo intelligitur, hanc episcopi rixam longius progressam fuisse, & dum ille res monasterii, ipsumque monasterium invadere molitur, monasterii domesticos seu famulos vim vi repulisse, remque demum (quod horrendum nefas) usque ad mutuam cædem processisse, & sanguinis effusione *atrium & ecclesiam beati Medardi* pollutam fuisse. Id si hoc anno contigit, ut anonymus apud Bollandum scribit, Beroldi post Fulconem episcopi consecratio non contigit vacante sede metropolitana, utpote quam Ebalus jam ab annis quinque occupabat, ut antea vidimus. Sunt qui hunc Richardum abbatem non alium esse a celebri illo Richardo Virdunensi abbate existimant. quod veri simile non videtur, tum quia huic sancti Medardi monasterium commissum fuisse non legitur, tum quia longe alii mores fuere Richardi Virdunensis, ut patet ex iis, quæ in monasterio sancti Vedasti eum feciſse diximus. Quamquam Fulbertus in prælaudata epistola scribit, se de Richardo sancti Medardi abbate ea audivisse, quæ de bonis & sapientibus viris dici solent: at postmodum siniſtrum de eo rumorem ad se perveniſse ex illo facto, quod mox retulimus. Hujus decessor fuit Boso, qui privilegium pro Doncheriaco ab Heinrico imperatore obtinuisse dicitur: successor vero Rainaldus, qui simoniace abbatiam occupavit.

a *Bolland. to. 2. Martii p. 750.*

LXV. Johanni papæ scriptæ litteræ de titulo Universalis.

De Richardo Virdunensi abbate tradit Hugo Flaviniacensis, eum fategisse, ut Constantinopolitani antistitis, qui Universalis titulum a Johanne pontifice nundinari conabatur, *præsumptio confutata conquiesceret, filium se Romanæ ecclesiæ, dum matris honori providebat, ostendens.* Willelmus Divionensis abbas Johanni papæ scripsit epistolam ejusdem argumenti, ab eodem Hugone relatam, in qua *Willelmus crucis Christi servus* pontifici *sedem judicii cum apostolis, & coronam regni* optat. In fine: *De cetero quoque optamus*, inquit, *uti universalem decet antistitem, vos acrius in correptione & disciplina sanctæ & apostolicæ ecclesiæ vigere, æterneque & feliciter in Christo valere.*

LXVI. Albertus Miciaci abbas eidem scribit.

Eidem Johanni papæ XIX. quem alii vicesimum dicunt, scripsit Albertus [b] abbas Miciacensis, obsecrans, ut subveniret florentissimo quondam loco, ubi olim *centum quadraginta monachi* Deo servierant, sed postmodum adeo vastato pervasione malorum, ut nullus illic monachus posset vivere. *Gratia autem Christi juvante*, inquit, *paullatim nunc, quasi quidam redivivus æger a longa ægritudine convalescens, ita idem locus a vilitate suæ dejectionis resurgere aggreditur per eleemosynam bonorum virorum ac mulierum*: ex quibus bona quædam mulier, Regina nomine, quæ istius epistolæ latrix fuisse videtur, prædicto loco multa contulerat: cujus donationem, simul & aliorum bonorum possessionem a pontifice confirmari postulat Albertus. Ejusdem charta [c] exstat, qua significat, se, antequam ordinem monasticum professus esset, quemdam alodum, situm in pago Belismensi, ex materna hereditate ipsi provenientem, qui Domna-Maria vocatur, sancto Petro in Gemetico monasterio contuliſse pro remedio animæ suæ, filiique sui Arnulfi Turonensis archiepiscopi. quam donationem confirmarunt Radbodus Sagiensis episcopus, Arnulfus Turonum archipræsul, Rotbertus rex, Willelmus Belismensis, Richardus comes Nortmannorum. Eodem abbate Hugo, castri sanctæ-Mauræ dominus, locum ædificandæ sancti Maximini cellæ concessit ob animæ remedium patris sui Goscelini Miciaci humati, qui *in fine* seu in extremis ibidem monachus factus fuerat. Hujusce donationis *signum* seu tesseram posuit Hugo in manus Alberti abbatis canitie tum venerandi, præsente ejus monacho æquivoco, cum altero, nomine Galtero, *in armario* Miciacensi reservandam.

b *Analect. to. 1. p. 439.*

c *ibid. p 441.*

S. Mauræ castrum & cella.

LXVII. Bernaïcense monasterium conditur.

In Neustria locus est, priscorum vocabulo dictus Bernaïcus, situs in diœcesi Lexovienſi ad Carentonam fluviolum, ubi Judith, prima uxor Richardi secundi Nortmannorum comitis seu ducis, monasterium in honorem beatissimæ Virginis Deiparæ inchoaverat, sed, morte interveniente, perficere non po-

ANN. CHR. 1025.

ANN. CHR. 1025.

tuerat. Piæ conjugis obsecundans consilio Richardus, illud Willelmo Fiscamnensi abbati perficiendum, & monasticis institutis informandum commisit, perfectumque impense dotavit, annuentibus filiis suis, Richardo atque Rotberto, qui hujus rei instrumento [a] cum patre subscribunt, & post eos Rotbertus archiepiscopus, aliique episcopi comprovinciales & proceres. *Data mense Augusto, considentibus nobis*, inquit ille, *in Fiscanni palatio, anno ab incarnatione Domini* M XXV. (sic legendum, non M XXVII.) *indictione* VIII. *regnante Rotberto anno* XXXVIII. Primus ejus loci abbas censetur fuisse Willelmus mox laudatus, & post eum Vitalis, cujus meminit Ordericus [b] Vitalis; scribitque eum anno M LXVI. interfuisse funeri amici sui Osberni abbatis Uticensis; immo & Willelmi Nothi regis Anglorum apud Cadomum sepulti. Unde corrigendus Robertus de Monte, cum ait, Vitalem primum fuisse Bernaïci abbatem, quem cum Willelmus rex Anglorum Westmonasterio præfecisset, Osbernum ejusdem Vitalis fratrem, Troarnensem monachum, secundo loco Bernaïcensi monasterio præfecerit: cui suffectus Nicolaus monachus Fiscamni, tum Richardus ejusdem cœnobii monachus. Judith comitissa, ejusdemque loci prima conditrix, ibidem humata fuisse creditur. Eidem instaurationem Villaris-monasterii tribuit Robertus de Monte: quod potius Rotberto duci ejus filio tribuendum esse postea videbimus.

a *Neustria pia, p. 398. & seq.*

b *Ordericus lib. 3.*

Pancharta. pro Gemetico.

Idem ac in superiori error occurrit in diplomate Richardi ipsius, Gemeticensis monasterii possessiones omnes confirmantis, ab avo suo Willelmo, patre suo Richardo, aliisque concessas: in quibus exprimit *Vimonasterium*, quod quidam Osmundus Gemeticensibus contulerat; & quamdam silvam, quam quidam Walterus donaverat, sitam *inter Vimonasterium & Cruptas, usque ad pontem, secus viam, qua itur ad Montem sancti Michaëlis*. Actum Fiscamni palatio mense Augusto, in publico procerum consessu, indictione VIII. Panchartæ, ut vocant, subscribunt Rotbertus archiepiscopus ducis frater, Maugerius episcopus, scilicet Abrincatensis, Hugo Bajocensis, Hugo item Ebroïcensis; Richardus tertius, & Rotbertus ejus frater.

LXVIII. S. Juliani abbas. intrusus Albertus.

Apud Cæsarodunum-Turonum in monasterio sancti Juliani Gauzbertus abbas, eo nomine secundus, e vita migravit: cujus in locum Arnulfus archiepiscopus Albertum patrem suum, qui jam Miciaci apud Aurelianos abbas erat, violenter intrusit, reluctanti us monachis, quibus durum videbatur, inquit vetus loci chronographus, ab aliis accipere abbates, qui aliis rectores dare consueverant. Quapropter intrusum non ferentes, e monasterio discedunt: in monte Badiolo castellum statuunt, quo panem e furno sublatum navigio cum aliis rebus deferunt. Interim Majoris-monasterii monachi *cum abbatia occupant proximas per archipræsulem obedientias*, quod non sine cæde apud Balnum accidit. Hæc malorum summa fuit, orta ex intruso, viro alioqui minime malo, sed qui contra jus abbatiam occupaverat. *In ejus tamen manu*, ait chronographus, *est dimissa a Vindocinensi Hugone calumnia* seu controversia, quam *in Vallis-Boana & Belli-montis altaria* intentaverat. Sed tandem archiepiscopum facti pœnituit. nam post triennium Frederico sancti Juliani monacho abbatiam commendavit: Albertus vero ad propria, id est ad Miciacense monasterium, reversus est.

LXIX. Salmurensis monasterii destructio.

Alius eodem tempore Fredericus abbas Salmurensi monasterio præerat, quo abbate, & quidem hoc ipso anno, idem monasterium, quod jam nobilioribus cœnobiis haud impar erat, penitus destructum fuit. quod quemadmodum acciderit, exponendum est. Erat inter Fulconem Andecavorum comitem & Odonem, cognomento Campanensem, vetus discordia, quam Salmurensis castri firmum præsidium, ad retundendam Andecavinorum audaciam ab Odonis comitis antecessoribus exstructum, in primis fovebat. Hanc augebat Gelduinus vir nobilissimus, sed natura ferox, cui illius castri custodia commissa erat. Is longo baronum & equitum agmine stipatus, finitimos hostes sæpius infestabat, longinquos sola fama terrebat. Quoties Fulco Andecavorum comes per illius fines iter habebat, hujus metu ocius transiens solitus erat dicere: Fugiamus Salmurienſe dæmonium, nam semper eum ob oculos videre mihi videor. Tandem vero id diutius pati non valens, copioso contracto exercitu, Salmurum obsidere constituit, quo facto, Gelduinus mitior, nuntio ad Fulconem misso petiit, *ut trevas faceret*, quo ille per jocum accepto, ut erat doli plenus, exercitum sisti jussit, & in vico Clementiaco ad reprimendam Salmurensium potentiam castrum exstruxit, quod Trevias * nuncupavit.

* *Treves.*

ANN. CHR. 1025.

Ad hæc in montis-Budelli * vertice, versus urbem Turonicam, aliud castrum firmissimum, ab eodem Fulcone exstructum. Hoc Odo comes admotis copiis oppugnare instituit: Fulco ex adverso vim vi repellere nititur, & ad pugnam accingitur. Huc Gelduinus cum suis Salmurensibus; Cainonenses quoque & Insulani cum Francis ab Odone evocati concurrunt. Tunc Fulco, viribus jam impar, animadverso Salmurum custode & milite vacuum esse, retro gressum reflectit, Ligerique ac Vigenna trajectis, insperato Salmurum advolat, moxque castrum facili negotio expugnat; &, ne ulterius Andecavinis offendiculo foret, igni admoto consumere pergit. In tam miserabili rerum articulo, dum opidani beati Docelini corpus hostibus ad portam orientalem opponunt, quod adversarii demum auferunt, & loco incerto abscondunt; Salmurenses monachi sancti Florentii corpus cum promiscua supellectile ex alia parte efferunt. Inter hæc, dum monasterio incendium immineret, Fulco exclamasse fertur: *Sancte Florenti, sine te concremari. meliorem enim Andecavis tibi habitationem exstruam*: at quo minus sancti Confessoris loculum Andecavos deportaret, divinitus impeditus est. Elapsi itaque ex ejus manibus monachi, ad locum, quem Cryptas vocant, a Salmuro unius milliaris spatio dissitum, se conferunt, & in ecclesia sancti Hilarii corpus patroni sui deponunt. Inde Fredericus abbas cum Letardo priore, septemque fratribus navigio se recipiunt ad Glonnense monasterium, dum idoneum novo condendo cœnobio locum invenirent. De hoc bello mentio fit in brevi chronico [a] Andecavensi, in quo Rotbertus rex & regina Constantia pacem feciſse dicuntur cum Odone comite, qui regis impedimentis solutus, Fulconem se facile expugnaturum speravit; hocque anno Budelli castellum, quod ante annos circiter decem contra civitatem Turonicam munierat Fulco, obsedit. Verum longe aliter, ac speraverat, res vertit. nam turris lignea, quam erexerat, repente corruens, multos e suis contrivit, & Fulco Salmurum cepit. sicque Odo *& damno, & pudore pariter affectus abscessit*. Hujus anni fortunam emendaturus Odo, Ambasiacum [b] castrum paullo post de improviso cum Heinrico filio Rotberti regis obsedit: at defendente opidum inclyto clerico Supplicio, castellano ejus & sancti Martini thesaurario, nihil profecit. Anno insequente sancti Florentii monasterium in loco, ubi nunc cernitur, ædificari cœptum.

* *Monibus del.*

a *Labbe to. 1. bibl. p. 286.*

b *ibid. p. 287.*

LXX. S. Martialis abbas & monachi mortui.

Apud Lemovicas in sancti Martialis monasterio Hugo abbas, Rotgerius cantor, & Aldebertus monachi hoc anno obiisse perhibentur. De his agens [c] Ademarus: Duo monachi, inquit, ex primoribus valde religione conspicui, sanctitate præclari, sapientia fulgidi, sacerdotio insignes, qui se invicem præ omnibus diligebant, & totum monasterium, velut duæ columnæ, sustentabant, &, velut duo candelabra, illustrabant, Rotgerius cantor, frater Adalberti gloriosæ memoriæ, decani, & Aldebertus armarius, die sancto paschæ per visum vocati a Christo, laudabiliter finem vivendi fecerunt. Tertius, nomine Fulcherius, monachus eximiæ castitatis, & post eum abbas Hugo, dilectione Dei ferventissimus, eos ad cæleste regnum subsecuti sunt. Hugoni succeſſit Odolricus abbas, quem Jordanus episcopus consecravit. sic fere Ademarus, qui tum florebat. Odolricus dum esset junior, testante Gaufredo [d] priore Vosiensi, levitati potius quam lectioni dans operam, hoc modo correctus evasit. Forte cum epistolam ad majorem missam legeret, contigit eum adeo turpiter falli, ut etiam conventus pudefieret. quare *archichorus* valde commotus, alapam ei publice in conspectu populi inflixit. Pudore correptus adolescens (erat enim præcipua tunc festivitas) citius aufugit, ac deinceps magistrorum scholas frequentavit. Ubi apprime eruditus fuit, ad proprium reversus est monasterium, ubi tam probe se gessit, ut mortuo Hugoni, fratrum communi suffragio subrogatus sit. Hic cœnobium per annos quindecim optime rexit, ecclesiam variis decoravit ornamentis, & monasterium Arnacense, ubi sanctus Pardulus quieſcit, per Jordanum episcopum in honorem sanctissimæ Trinitatis consecrari curavit, ac demum regalem basilicam monasterii sui in honorem Salvatoris per episcopos undecim anno M XXVIII. dedicari curavit.

« *Labbe bibl. to. 2. p. 181.*

d *ibid. p. 283.*

Tosturiacensis abbatia. * *Tourtoiras.*

Exstat apud Petrocorios vetus abbatia Tosturiacensis *, quam Guido seu Wido vicecomes & Emma ejus conjux instaurarunt, & Usercensi monasterio hoc anno subjecerunt, ea lege, ut deinceps *monasticus ordo*, qui *jam pridem* illic *institutus* fuerat, *& religionis observantia sub regula sancti Benedicti ibi teneatur & custodiatur*. Tunc primus ejus loci abbas a Richardo Usercensi abbate institutus est Stephanus, qui

ANN. CHR. 1025.

decanus erat Uſercenſis. Factum eſt hac de re privilegium *anno* M XXV. *regnante Rotberto rege*, cui ſubſcripſit Arnaldus epiſcopus Petragoricenſis. Gaufredus prior Voſienſis ſub finem ſui chronici inter mala deformatæ ſub finem ſæculi XII. religionis illud notat, quod hæc abbatia quatuor vivos haberet abbates. Hæc modo fere in ſolitudinem redacta eſt, a Calviniſtis fere ſolo æquata, noſtro tempore Fulienſibus data, ſed ab eis tandem deſerta ob penuriam redituum, quibus ſuſtentarentur. Illic ſepulti ſunt toparchæ Toſturiacenſes.

LXXI. Humbaudus Virzionenſis fit monachus.

Virzionenſe monaſterium tunc adminiſtrabat Martinus piæ memoriæ abbas, cujus tempore, id eſt præſenti anno, Humbaudus, cognomento Dives, Virzionenſis dominus, mundum cum ſuis illecebris relicturus, Arnulfum nepotem honorum ſuorum heredem inſtituit, & ipſe monachum induit ſub Martino abbate, *attribuens beato Petro & fratribus ibidem viventibus* apud Luriacum *liberos ſuos, collibertos, ſervos, ancillas, & commendatitios*, eorumque ſubſtantias & poſſeſſiones, & multa alia, quæ in ejus charta exprimuntur, adſtipulatione ſuorum baronum firmata in communi capitulo Virzionenſi, anno ab incarnatione Domini M XXV. » Martino *beatæ memoriæ* abbate præſidente, regnante Rotberto Francorum rege, » Biturigæ præſule Gauſlino, non Aymone, qui poſt annos quatuor Gauſlino ſucceſſit. Breve chronicon Virzionenſe exſtat [a] apud Labbeum.

a *Labbe to. 2. bibl. p. 737.*

LXXII. Voltæ monaſterium conſtruitur. * *l'Allier.*

Apud Arvernos conſecratum eſt hoc tempore monaſterium Voltæ, poſitum ac quodam modo incluſum ſinuoſo Hilaris ſeu Elaveris* fluvii reflexu, ex quo nomen accepit. Hoc monaſterium beati Odilonis nobiliſſimi fratres, Geraldus Anicienſis eccleſiæ præpoſitus, Bertrannus, Stephanus *honorabilis ſenior*, & vir *bonæ ſimplicitatis* Ebo conſtruere pari voto & conſilio, dum viverent, conſtituerant. At, cum » alii acerbiſſimis caſibus & infortuniis impediti, alii morte præventi id exſequi non » valuiſſent; poſt eorum mortem filii eorum Odilonem abbatem cum aliis nepotibus & » conſanguineis ejus convenerunt, inquiſituri, quid ſalubrius pro ſuorum progenitorum ſalute animarum præſtare poſſent. quibus vir ſanctus auctor fuit, ut pro voto » illorum monaſterium loco apto conſtruerent. Nullus vero aptior & commodior viſus eſt *quodam proprii juris monticulo, qui Volta vocatur, eo quod præterfluentibus aquis Hilaris fluminis, partibus ex tribus concluditur, &, ut ita dicam, ſinuatim involvitur.* Aſſenſere Odilonis nepotes, & manus ſtatim operi admovere. Ubi vero » aliquanta pars ædificii perfecta fuit, conſecratum eſt a Stephano Arvernorum præ» ſule oratorium XVIII. kalend. Octobris, die feſto exaltationis ſanctæ Crucis, & » beatorum martyrum Cornelii & Cypriani: cui dedicationi Odilo ipſe interfuit cum » nepotibus ſuis, videlicet Stephano Anicienſis eccleſiæ præpoſito, ejuſque fratre » Berardo, & domno Hildegario ejuſdem eccleſiæ canonico, Beraldo quoque fratris » ſui Ebonis filio, Willelmo etiam filio quondam fratris ſui Willelmi, & filiis ejus, » aliiſque, *cum conſilio ſororum ſuarum, dominæ videlicet Bliſmodis venerabilis abbatiſſæ, & Aldegardis ſecundum ſæculum nobiliſſimæ matronæ.* Hoc autem oratorium » dedicatum eſt in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, beatæ Mariæ, ſanctorum Ange» lorum, & ſanctorum Johannis-Baptiſtæ & Johannis-Evangeliſtæ, necnon beato» rum Petri & Pauli; eique dos ampliſſima a viris prædictis aſſignata, eo pacto, *ut Clunienſes abbates & monachi iſtum locum ſemper teneant, & in Dei ſervitio ſecundum regulam ſancti Benedicti, ſicut & cetera monaſteria ad ſe proprie pertimentia, ad cultum divinæ religionis ordinent atque diſponant.* Facta eſt hæc charta *anno ab incarnatione milleſimo viceſimo-quinto*, & quidem nomine Odilonis abbatis, qui cum nepotibus ſuis & ſororibus ſubſcripſit. Hactenus Volta nobilis cella eſt abbatiæ Cluniacenſis.

LXXIII. Amedei comitis donatio. b *Bibl. Clun. p. 412.*

Eodem anno Amedeus comes, filius Humberti comitis, & Adeleida uxor ejus Cluniacenſibus [b] conferunt eccleſiam ſancti Mauricii in villa Maltacena, permittente & confirmante domno Maleno epiſcopo Gratianopolitanæ eccleſiæ, cum Humberto comite, aliiſque canonicis ejuſdem civitatis, in cujus diœceſi hæc eccleſia ſita eſt. Rodulfus rex Burgundiæ hanc donationem confirmavit.

LXXIV. Benedicti papæ liberatio per S. Odilonem.

Eodem tempore Benedictus papa, nuper mortuus, Johanni Portuenſi epiſcopo apparuiſſe traditur, eique ſignificaſſe piaculares pœnas, quibus in purgatorio torquebatur; ac monuiſſe, ut Odilonis abbatis, quem vivens in primis coluerat, ſuffragiis ipſum commendaret. Viſum mox Johannes retulit ad Johannem papam, qui per *bullatam epiſtolam* Odiloni in Galliam id ſignificare properavit. Acceptam epiſtolam

epiſtolam nuntius, ubi Papiam attigit, pertæſus languoris itineris, domno Petro, cellæ beati Mayoli in ea urbe præpoſito, conſignavit, ad ſanctum abbatem perferendam. Ea accepta ac perlecta, vir Dei ſtatim fratres convocat, præcipitque, ut peculiares pro defuncto pontifice preces & eleemoſynæ fierent. quod etiam aliis in monaſteriis fieri mandavit. Tot piorum hominum preces, tot oblationes & eleemoſynæ brevi optatum effectum ſortitæ ſunt, ut cuidam ſeniori, Eldeberto nomine, nobili genere, ſed nobiliori virtute, revelatum eſt.

ANN. CHR. 1025.

LXXV. Anſæ concilium, ubi de Cluniaci immunitate.

Anſæ in agro Lugdunenſi ad Ararim ſynodus epiſcoporum hoc anno habita fuiſſe traditur in eccleſia ſancti Romani, ubi tres metropolitani cum pluribus epiſcopis convenerunt, ſcilicet Burchardus Lugdunenſis, alter Burchardus Viennenſis, & Amiro Tarantaſienſis; epiſcopi vero Helminus Æduenſis, Gauſlenus Matiſcenſis, Gaufridus Cabilonenſis, Hugo comes epiſcopus Autiſiodorenſis, Guigo Valentinenſis, Humbertus Gratianopolitanus, Ariboldus Ucetienſis, Anſelmus Auguſtenſis, & Urardus Maurianenſis. In hac ſynodo queſtus eſt Gauſlenus Matiſcenſis de Burchardo Viennenſi archiepiſcopo, quod ſine permiſſu aſſenſuque ſuo, « contra canonum inſtituta, monachos in ſuo epiſcopatu, id eſt apud Cluniacum, or- « dinaſſet. Ad hæc reſpondens archiepiſcopus, domnum Odilonem abbatem, qui præ- « ſens aderat, illarum ordinationum produxit auctorem ac defenſorem. Odilo id ſibi « conceſſum dixit ex privilegio Romanæ eccleſiæ, quod exhibuit. Huic privilegio « oppoſitæ ſunt ab epiſcopis Chalcedonenſis concilii, aliorumque ſanctiones, quibus « præcipitur, ut abbates & monachi proprio ſubſint epiſcopo, & ne epiſcopus in « alterius parochia ordinationes vel conſecrationes abſque permiſſu ipſius epiſcopi « facere audeat: cenſueruntque privilegium non eſſe ratum, quod canonicis ſenten- « tiis contrairet; ac proinde domnum Odilonem non poſſe adhiberi ab archiepiſ- « copo, ut legitimum auctorem canonicæ defenſionis. Judicio ſynodi archiepiſcopus « acquieviſſe dicitur, & loco ſatisfactionis Gauſleno epiſcopo promiſiſſe, ſe quolibet « anno, quam diu ambo viverent, tempore quadrageſimæ ſufficiens oleum ad con- « ficiendum chriſma perſoluturum. At non tenuit hæc ſynodi definitio, quæ juris « tantum communis eſt, eaque libertas a ſubſequentibus Romanis pontificibus, præſertim a Johanne XIX. Urbano ſecundo, & Calliſto item ſecundo in concilio Remenſi, ut ſuis locis videbimus, aſſerta eſt Cluniacenſi monaſterio, ut ejus monachi a quovis epiſcopo ordinari poſſint. Ad hanc ſynodum delatum eſt corpus ſancti Hugonis monachi cœnobii ſancti Martini Æduenſis, qui miracula ibidem patraſſe traditur. In his quidam, Andreas nomine, ſupplici prece petiiſſe dicitur, ut, ſi eo anno moriturus eſſet (nam peſtis adhuc ſæviebat) ab ejus loculo vivus non recederet. quod ſtatim impetravit: ibidemque ſepultus eſt ex ſententia prudentium virorum, maxime Odilonis abbatis. Non diu poſt hanc ſynodum ſuperſtes fuit Burchardus Viennenſis archipræſul, ſi non fallit nota temporis aſſignata in quodam inſtrumento archivi ſancti Andreæ Viennenſis, de quo nunc agendum.

LXXVI. Proprietas in monachis reſecta.

Viennæ Allobrogum in monaſterio ſancti Andreæ, quod Inferius vocant, ſub Iterio abbate ea inoleſcere cœperat prava conſuetudo, ut monachi, obedientiis ſeu cellis præpoſiti, ex variis rebus pecunias contraherent, & in proprios uſus converterent. Id vero coaleſcere non ferens Iterius abbas, Leudegarii archiepiſcopi, qui Burchardo ſucceſſerat, auctoritatem interpoſuit ad naſcentem abuſum reſecandum. Quapropter *anno dominicæ incarnationis* M XXV. Leudegarius [a] archipræſul, *miſeratus ſancti Andreæ cœnobium, cum abbate ipſius domno Iterio & congregatione, cæleſtis patriæ amore æternali exemplo viventium*, conſtituit, ut in illis obedientiis *nihil de placitis, nihil de manſis mutandis vel miniſtris, nihil de offerendis altaris & decimis dandis*, aliiſque ſimilibus rebus, obedientiarius in proprios uſus deinceps habere « præſumat: ſed in communem fratrum utilitatem, pro nutu abbatis, omnia omnino « deputentur. Qui ſecus faxit, diris ſupponit epiſcopus; & ſi in illa tranſgreſſione « prædicti cœnobii monachi perſtiterint, cuncta ipſorum privilegia *profanat*, id eſt « reſcindit, *ut inreligioſorum ſæcularium, Regulæ obedire nolentium*: obſervatoribus au- « tem & communem vitam deſiderantibus benedictionem & peccatorum abſolutio- « nem impertit. Actum hoc anno milleſimo viceſimo-quinto, quo anno Guillelmus [b] « dux Burgundiæ, *pro ſalute ſancti imperii Romani* quartam ſalis eidem monaſterio « donat, ut Deus dirigat greſſus ipſius in viam mandatorum ſuorum, & poſt hujus « vitæ decurſum *domno Imperatori & Vicario ſancti Petri* Romanæ ſedis requiem ſem- «

a *Spicil. to. 13. p. 278.*

b *ibid. p. 277.*

piternam concedat. quam donationem Leudegarius archiepiscopus auctoritate sua roboravit. Viennæ aliud erat sancti Andreæ puellare cœnobium, de quo infra.

ANN. CHR. 1025.

LXXVII. S. Abundi cella apud Santones.

Eodem tempore Saviniacensi agri Lugdunensis monasterio præerat Iterius itidem abbas, cum Folcardus quidam ipsiusque mater Gerberga, uxor Ainors, fraterque Oddo ecclesiam & cellam in honorem sancti Abundi martyris in Santonensi territorio, juxta castrum Merpini, *sub Regula monachorum* fundarunt consilio Isonis episcopi Santonensis & Gaufredi comitis, qui ipsam terram dedit, atque Petronillæ ejus uxoris; eamque constituerunt *sub potestate ecclesiæ sancti Martini Saviniacensis monasterii, & normæ monachorum ibidem degentium, quibus videtur non tam præesse, quam prodesse domnus Iterius abbas.* Hunc vero locum *spontaviisse* dicitur Girberga *de sepultura corporis sui* pro redemtione animæ suæ *ac senioris sui Azonis* atque liberorum suorum; ob idque nomine prædictæ genitricis suæ Folcardus contulit eidem ecclesiæ quædam prædia in villa, quæ vocatur *Iver*, sita in pago Engolismensi, in vicaria Nanziacensi. *Data manu Almanni monachi, regnante Rotberto rege in Francia.* Tunc etiam Anselmus quidam, sæculum relinquere, & Deo servire cupiens, laudante & consentiente matre sua Adalasia cum fratre suo Gunfredo, per manum Anselmi cognati sui & advocati, prædia sua in comitatibus Waldensi, Augustodunensi, Wilensi, & Waraisco, transfundit in jus & proprietatem monasterii Saviniacensis. quæ prædia jussu Rodulfi regis, præsente regina Ermengarde, ad partes sancti Martini accepit loco advocati quidam liber miles eorum, nomine Wilchemus. Hujus rei chartæ primo loco apponitur *signum Anselmi advocati, qui hanc chartam de terra levavit, & scribi, & firmari rogavit*, & aliorum. *Actum Lausannæ anno ab incarnatione* M XXV. *regnante domno rege Rodulfo anno* XXXIII. *Data die Jovis.* Condita est exinde Lustriaci cella in honorem sancti Martini, quam Heinricus quartus imperator Saviniaco postmodum asseruit

Anselmi monachi donatio.

LXXVIII. Judith abbatissa Cariloci eligitur.

Ante annos sex [a] actum est de origine puellaris cœnobii Cariloci pagi Sustantionensis in diœcesi Magalonensi, quod Psalmodiensi monasterio a conditoribus subjectum fuisse diximus. Horum filii Eliziaris & Berengarius in conventu procerum ejus regionis sororem suam Juditham, assentiente in primis Warnerio Psalmodiensi abbate, cujus providentiæ locus subjacebat, necnon Petro Magalonensi antistite atque Bernardo comite cum clero & populo, abbatissam eligendam curarunt *ad supradicti loci regendam Deo devotam familiam*, quæ tredecim tunc sanctimonialibus constabat. *Facta carta electionis ista vigesima die mensis Novembris*, XII. *kalend. Decembris, anno ab incarnatione Jesu-Christi* M XXV. *indictione* VIII. *era* M LXIII. *anno regnante Rotberto rege* XX. Subscribunt Judithæ ambo fratres, tum abbas *Warnerius cum sua turba monachorum, Petrus episcopus cum religiosa plebe clericorum*, Bernardus comes Sustantionensis, multique post eum optimates, *tum domnus abbas Geraldus sancti Ægidii cum sibi commisso monachorum cœtu, Salvatus abbas Aniani monasterii, Gaufredus abbas sancti Guillelmi monasterii.* Hoc instrumentum electionis Eldefredus monachus scripsit. Perstat etiam nunc nobile hoc monasterium, cui post Juditham abbatissam præfuere undecimo sæculo Alamburgis, Bova & Stephana.

a *lib. 54. n. 68.*

LXXIX. Leo episcopus Vercellensis Willelmo duci regnum defert.

Superstes fuit ad hunc annum Leo quondam Vercellensis episcopus, quem Arduinus, Heinrici imperatoris æmulus, sede [b] expulerat, Petro in ejus sedem suffecto. Hinc Leo post Heinrici obitum, una conspirantibus Langobardis, qui jugum Germanorum imperatorum a se excutere [c] volebant, Willelmo Aquitanorum duci regnum defert. Profectus ille in Italiam, invitatu maxime Leonis, cum Willelmo Ecolismensi comite, colloquio cum Italiæ ducibus sæpius habito, cum in eis fidem non invenisset, in Galliam reversus est. Reverso epistolam scripsit [d] *frater Leo* (sic se ipse vocat, eo quod monachus fuerat) reditum in Italiam suadet. at ille ludentem [e] ludit, exprobratque, quod Conradi partibus consensisset. se regnum Italiæ non multum curare; & quia Leo mulam ab eo *mirabilem*, & tapete pretiosum petierat; respondet, se necdum mulam, qualem ille petebat, invenisse, id est cornutam, vel quæ tres caudas habeat, vel quinque pedes, ut mirabilis dici possit: ceterum se tapete missurum fuisse, nisi esset oblitus, quantæ longitudinis & latitudinis illud optaret. Dein ad seria veniens: *Superius sermone nostro*, inquit, *lusimus tecum, domine Leo frater carissime, nunc seria verba dicemus. Longobardos non arguo*

b *supra lib. 54. n. 16.*

c *Ademar. in chron.*

d *Fulbert. ep. 125.*

e *epist. 126.*

deceptionis, quam in me exercere vellent. Quantum enim in ipsis fuit, partum erat mihi regnum Italiæ, si unum facere voluissem, quod nefas judicavi: scilicet ut ex voluntate eorum episcopos, qui essent Italiæ, deponerem, & alios rursum illorum arbitrio elevarem. Sed absit me rem hujusmodi facere, ut pastores ecclesiæ, quibus mei patres semper honorem exhibuerunt, quos ipse, quantum valui, semper exaltavi, sine crimine inhonorem. Digna sane christiano principe sententia! reliqua persequi non est nostri instituti. Haud dubie Leo ad episcopatum, ejecto Petro, redire cogitabat, sed id non videtur assecutus. De æterna ejus salute dubitare visus est Willelmus abbas Divionensis, qui eum semper infestum habuisse dicitur.

ANN. CHR. 1025.

LXXX. Comense monasterium.

Quod Langobardi episcopos sedibus exturbare, aliosque eorum loco substituere vellent, id forte in causa fuit, quod plerique illorum Teutonibus faverent. Ex his unus fuit Albericus Cumanus seu Comensis episcopus, qui cathedralem [a] ecclesiam extra urbem positam esse non probans, novam intra civitatem condere aggressus est, absolutamque Virgini Deiparæ hoc anno consecravit: veterem autem ecclesiam in abbatiam erexit, ac nostri instituti monachis cum congrua substantia assignavit. Non diu illic stetere Benedictini, quos proximo post sæculo Cistercienses excepere, a commendatariis demum expulsi, qui totius abbatiæ opes devorarunt.

a *Ital. sac. to. 5. p. 270.*

LXXXI. Cavensis monasterii primus abbas Alferius.

Exstat in agro Salernitano insigne monasterium, intra Penninas alpes, loco horrido, ab excavata rupe, in qua situm est, Cava dictum, quod sanctus Alferius abbas sub hæc tempora exstruxit. Ab eo loco profluxit origo & appellatio Cavæ urbis episcopalis, quæ duobus a monasterio milliaribus in amœna valle posita est, quam montes hinc inde ambiunt, arbustis & vinetis jucundissime vestiti. Inde ad monasterium arduus ascensus est per sinuosam viam, in cujus medio intervallo visitur sancti Petri oratorium, ubi duo Romani pontifices adeundo monasterium tantisper substitere. Progressis paullo post occurrit opidum, *Corpus-Cavæ* appellatum, quasi quoddam præsidium monasterii, ubi opidani, quos *homines de corpore* vocant, commorantur. Ab eo loco per deflexum iter descenditur in monasterium, medio in abrupto monte pendens, eo in loco, quem *Metelliani-cavam* seu *Arsitiam* veteres appellabant. Primus monasterii auctor Alferius, locum cedente Guaimario seu Waimario principe Salernitano, ejus nominis tertio: at quo præcise anno condi cœptum sit, non ita liquet. Annum DCCCC LXXX. assignat chronographus Cavensis anonymus apud Ughellum: at serius ejus originem statuendam esse probat authenticum diploma Waimarii principis, & æquivoci ejus filii de donatione cryptæ ac fundi sanctæ Trinitatis Cavensis Alferio facta, datum *de mense Martio, octaba ind.* XXXVII. *principatus Guaimarii patris, &* VII. *anno principatus Guaimarii filii ejus.* quæ notæ anno ab incarnatione M XXV. conveniunt. Nam Guaimarius tertius, asserente Peregrinio, sedit cum Johanne patre ab anno DCCCC. LXXXVIII. ad annum « DCCCC. XCIV. solus post patrem ad annum M XVIII. cum filio Guaimario ad an- « num M XXXI. quo decessit, atque adeo annus Guaimarii tertii cum patre sedentis « triceſimus-septimus, & filii ejus Guaimarii cum eo regnantis septimus, ad amussim præsenti anno M XXV. respondent. adeoque paullo ante hunc annum Cavensis monasterii primordia statuenda sunt. Prædicto Guaimarii authentico affixum est sigillum ex cera, referens ex una parte dimidiatam ejus figuram cum corona liliata in capite sub hoc lemmate, WAIMARIUS PRINCEPS: ex alia manum protensam, medio digito ad pollicem reflexo, cum eadem inscriptione. quod fere unicum puto authenticum, cujus affixum sigillum contrasigillo præditum sit. Ejus ectypum ex authentico hic in aversa pagina exhibere lubet.

ANN. CHR. 1025.

LXXXII. Liutii monachi res gestæ.

Cavam, ante conditum monasterium, secessu suo jam illustraverat Liutius [a] monachus Casinas, qui tempore Mansonis abbatis Jerosolymam profectus, & inde reversus, primo quidem in illo spelæo, ubi nunc monasterium situm est, aliquamdiu consedit, a Guaimario principe prædicto reverenter acceptus. De eo intelligendum videtur chronicon [b] sancti Vincentii ad Vulturnum ad annum M XI. quo tempore monasterium sanctæ Trinitatis apud Salernum a tribus eremitis inhabitari cœptum fuisse dicitur. Postmodum vero ad Casinatem montem, apud Albanetam, remotiorem sibi cellulam cum oratorio in honorem beatissimæ Dei-genitricis exstruxit, ibique ad obitum usque in divino cultu & obsequio beatæ Mariæ devote perseveravit, a Guaimario quarto, prædicti principis filio, *cui dudum & pater spiritualis, & familiaris super omnes exstiterat*, ornamentis ecclesiasticis & variis codicibus donatus. quo pariter adjuvante, ampliorem basilicam ædificavit, adjuncta struxit habitacula, ibique ad triginta circiter fratres congregavit. Inter eos vero tam humiliter se gessit, ut *præ ceteris omni vilitate & extremitate contentus*, farinam in pistrino ad panem conficiendum *famulorum more discuteret*, cum interim ex ore illius psalmorum modulatio numquam cessaret. In hac vitæ humilitate & summa abstinentiæ austeritate indefesse perduravit usque ad tempus Richerii abbatis, cujus tempore in Casinensi monasterio defunctus, sepultusque est. Albaneta hactenus religiosa habitatio est, quingentis fere passibus a Casinate distans, ubi sanctus Ignatius societatis Jesu institutor, ad spiritualia exercitia peragenda, cum Petro Ortizio aliquamdiu versatus est. Ex hac porro narratione palam est, Cavense monasterium longe post annum DCCCC LXXX. quo necdum Guaimarius tertius, sed pater ejus Johannes Salernitanum principatum obtinebat, conditum fuisse: cum Liutius Cavæ residens utrique Guaimario ante conditum cœnobium familiaris exstiterit. Nunc ad Alferium ejus primum conditorem veniamus.

[a] *Chron. Casin. lib. 2. c. 30.*

[b] *Chesn. to. 3. p. 699.*

LXXXIII. Alferii vitæ primordia.

Alferius seu Adelferius ex Salernitana civitate oriundus, ex spectabili Pappacarbonum stirpe, quæ a Langobardorum sanguine trahebat originem, natus fuisse dicitur. Litterarum studiis apprime eruditus adolescens, dein principi ejusdem civitatis, Guaimario scilicet tertio, quem chronographus & anonymus *Bumabrium* corrupte vocant, perquam familiaris & acceptus evasit. Hinc ab eodem principe ad regem Germaniæ missus, cum ad monasterium beati Michaëlis de Clusa, ad Cottias alpes positum, pervenisset; adeo gravi morbo tentatur, ut mortis imminentis periculo territus, sæculum abdicare, & quod restabat languentis vitæ, in omnipotentis Dei obsequium impendere statuerit. Unde mox *habitum sanctæ religionis* flagitavit a sancto Odilone, qui tunc illic aderat: a quo Cluniacum deductus, quod pie postulavit, obtinere promeruit. Post hæc illam animi strenuitatem, quam in rebus sæcularibus olim adhibuerat, totam ad divina studia convertit. Unde

ANN. CHR. 1025.

factum est, ut brevi tempore ad culmen perfectionis pertigerit. Inde ejus fama ad memoratum Salerni principem perlata, ab eodem in patriam revocatur, eique *ejusdem civitatis monasteria* fere omnia ab eodem committuntur. Unum erat sancti Benedicti titulo insigne, quod Angelarius Casinensis abbas, a Sarracenis vastatum, sub finem sæculi decimi restruxit. At vir sanctus, exteriorum negotiorum præ internæ quietis, cui assuetus erat, amore impatiens, civitate relicta, procul in excelsi montis latus, cui Fenestra vocabulum erat, nunc sancti Eliæ, secessit: sed, cum quidquid illic in die exstruebat, noctu corrueret, in adversum montem; qui angustissima valle, interjecto Selano fluviolo, ab eo loco sejunctus est, se contulit, & in Metelliani-cava se abdidit. *Ibi itaque*, ut ejus vitæ scriptoris verbis utar, *ingentis & terribilis spelunca secretis repositus, solus soli Deo vacans, solique placere desiderans, dum mundi gloriam fugit, ad laudis suæ præconium vicinarum urbium fere omnium linguas movit.* Ex hac sanctitatis ejus fama & opinione ad ejus disciplinam non pauci convolarunt, tametsi non plures, quam duodecim fratres admittere principio constituit, ne, si hunc numerum excederent, ex rebus monasterii sustentari nequaquam possent. quod tamen ipsi aliter postea visum est. Ex primis ejus discipulis duo celebriores fuere, scilicet Leo Luccensis, qui post eum Cavense monasterium rexit. Ibidem etiam aliquandiu vixit Desiderius, nobilis Beneventanus, factus postea Casini abbas, ac demum summus pontifex, Victor tertius appellatus. Tantæ sanctitati probandæ non defuere miracula, ex quibus unum ipse Victor commemorat, nempe quod vir Dei, cum Salernum adiret, ex prærupto præcipitio lapsus, illæsus evasit: alterum, quod Beneventanum quemdam, sub vicina rupe sopitum, & ingenti saxo ex rupe dissiliente oppressum, precibus suis excitavit, teste ipso Victore mox laudato, a quo vitæ scriptor id se accepisse asserit. Eumdem etiam futura prædixisse idem vitæ auctor tradit.

Cum fere ad hunc locum perducta esset hujusce voluminis editio, transmissa est ad me per domnum Erasmum a Caïeta priorem & archivistam sacri monasterii Casinensis collectio multorum instrumentorum Cavensis monasterii cum notis historicis & chronologicis domni Philippi de Pace monachi Cavensis, in quibus Cavenses nostri asserere pergunt, monasterii sui originem ad annum DCCCC LXXX. esse referendam. tametsi prædictum Guaimarii seu Waimarii principis diploma de donatione cryptæ ac fundi sanctæ Trinitatis ad annum M XXV. revocandum esse consentiant. Id argumento esse, quod Waimarius in illo diplomate monasterium jam conditum supponat. sic enim loquitur cum filio suo æquivoco. *Nos Guaimarius & Guaimarius, pater & filius, divina opitulante clementia Langobardorum gentis principes, tam per postulationem Gaifelgrimæ serenissimæ atque gloriosæ principissæ, dilectæ conjugis & matris nostræ, quam & pro redemptione animæ & patriæ nostræ salvatione, concedimus tibi domino Alferio venerabili abbati & spirituali patri oratori nostro totam & integram ecclesiam illam cum inclita crypta, in qua ipsam ecclesiam a novo fundamine construere fecisti cum tuo expendio in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis foris hanc nostram Salernitanam civitatem in pertinentia Mitilianense* &c. Equidem hæc verba jam conditum monasterium supponunt: sed parum veri simile est id factum ante quadraginta annos; tum quia primus ejus conditor & abbas Alferius *habitum sanctæ religionis* suscepit ab Odilone Cluniacensi abbate, qui post annum DCCCC XC. Mayolo successit. tum quia Liutius monachus Casinas hunc locum ante conditum monasterium inhabitavit tempore Mansonis abbatis Casinensis, qui anno DCCCC LXXXVI. Casino præesse cœpit. Non ergo ante initium sæculi undecimi constrúi cœptum videtur Cavense monasterium (quod pace amantissimorum patrum Cavensium dictum sit) nec multo ante datum diploma Waimariorum principum, de quibus modo egimus. Bonifacius IX. anno M CCC XCIV. Cavensem ecclesiam evexit in sedem episcopalem, quæ in urbem Cavam, duobus milliaribus a monasterio dissitam, anno M D XIII. translata est. Non injucundum fore puto lectori, si sacri illius monasterii conspectum in folio hic adjuncto exhibuero, & quidem in grati animi monumentum, tum ob hospitium olim nobis perhumaniter impensum in sacro illo asceterio, tum ob præclara instrumenta mihi nuper ex eo transmissa.

ANN. CHR. 1026. LXXXIV. Conradi iter in Italiam, & acta.

POstero anno, qui vicesimus-sextus post millesimum a Christo nato erat, Conradus rex, Heinrico filio suo octenni rege designato, primo vere, simul ut nutantes res Italicas opportune componeret, simul ut augustalia insignia de more acciperet; expedito cum exercitu in Italiam transiit, & paschate Vercellis celebrato, varia Italiæ loca perlustravit, nonnisi paschate insequente Romæ a Johanne pontifice coronatus. Placentiæ dum esset, bona & privilegia [a] monasterii Salvatoris Ticinensis confirmavit hoc anno, quod in editis perperam ante triennium factum dicitur. In his monasterium beatæ Mariæ de Pomposa eidem abbatiæ assertum. Hugo cancellarius vice domni Aribonis archiepiscopi & archicancellarii hoc diploma recognovit. Nondum enim, immo nonnisi serius, rex proprios habebat pro Italia cancellarios, contra quam de aliis imperatoribus observavimus. Ad hunc modum emendandum est Aribonis archicancellarii nomen in alio diplomate apud Guichenonem [b] relato, quo rex Conradus, *exorante domno Willelmo Divionensi abbate*, Fructuariense monasterium sub regiam tutelam suscepit exemplo Heinrici imperatoris, qui id jam fecerat, *ea maxime pro causa, ut eamdem illi in omnibus libertatem conservaret, quam Cluniacense monasterium obtinere dignoscitur*. In eodem diplomate Heinricus se successoresque suos ejusdem loci fratrum societatem habere cupiens, *primum ejusdem cœnobii abbatem, nomine Johannem, in sua præsentia consecrari* fecisse dicitur. Hic est Johannes, Guidonis comitis filius, Arduini regis nepos, a modica statura Johannelinus appellatus, postmodum Fiscamnensis abbas, de quo plura in consequentibus dicturi sumus. Huic Fiscamnum translato successit in regimine Fructuariensi Guillelmus [c] abbas, qui lites pro monasterii libertate cum Heinrico Eporediensi episcopo, præsentibus Wiberto & Arduino comitibus, post annos tres composuit. Ejus successor Andreas, favente prædicto Johanne, sub annum M XLI. electus, successorem habuit Albertum primum, Ottonis comitis Castri-montis filium; deinde Supponem, qui ex monasterio sancti Michaëlis in monte Tumba Fructuariam migravit. Ad hæc Conradus „ eodem anno concessit, vel potius confirmavit ecclesiæ & monasterio, quod Hugo „ marchio & consanguineus ipsius Conradi, & Hugonis conjux Juditta a fundamento construxerant in honorem sancti martyris Januarii in comitatu Aretino, in „ castello de Campo-leonis, cui tunc venerabilis abbas Petrus præerat, in usus fratrum, ibidem sub regula sancti Benedicti Deo famulantium, castellum ipsum Campileonis, & castellum, dictum Castellionem-Clusinum, cum ecclesia sanctæ Mariæ, „ aliisque terris, quas prædictus Hugo tam ex suo jure, quam ex conquisitu Bertæ „ & Willæ & Hugonis ducis possidebat. Mitto alia ejusdem Conradi præcepta, quæ eodem anno in Italia data sunt. Baldericus [d] auctor est, Conradum hoc in itinere quosdam Longobardorum episcopos, qui partibus Odonis favebant, inreverenter habuisse, & in vincula conjecisse. Ex quo intelligitur, non modo Willelmum Aquitaniæ ducem, sed etiam Odonem Campanensem comitem (eum enim hoc loco intelligendum puto) de regno Italiæ adeundo cogitasse.

a *Bullar. Casin. to.* 2. *p.* 75.

b *Bibl. Sebus. p.* 383.

Johannes abbas Fructuariæ, & successores.

c *Chronol. Pedem. p.* 263.

d *Chron. Camer. lib.* 3. *c.* 55.

LXXXV. Hugo rex obit.

Dum Italicis rebus occupatus erat Conradus, Rotbertus Francorum rex ad invadendam [e] Lotharingiam animum intendisse traditur, sed cito ab hoc conatu destitisse. forte revocatus insperato immaturoque obitu Hugonis filii sui, quem ante novem annos regem dixerat. Is primo ob expertam matris in se duritiam exacerbatus, utrique parenti molestias facessierat: sed postea melius habitus, eisdem obtemperantissimus præ servis ipsis exstiterat, humilis, humanissimus in omnes, erga pauperes munificus, monachorum & clericorum consolator, omnium denique apud patrem interventor. His aliisque verbis Hugonem prædicat Glaber, qui non satis sibi constat, cum eum ferme decennem a patre renuntiatum regem dicit, & in rythmo post annos decem nondum integros obiisse, cum *annis florebat juvenilibus*, & *ter denis minus excreverat duobus*. ubi legendum videtur, *bis denis*, ut suo loco [f] jam diximus. tametsi in veteri bibliothecæ Colbertinæ codice, qui hos Glabri libros continet, eadem, quæ in editis, lectio habetur. Hugonis obitus contigit septima-decima die mensis, quo *Virgo solem ceperat*, teste eodem auctore, qui & addit, eum Compendii sepultum fuisse in ecclesia beati martyris Cornelii, ubi primitus coronatus fuerat. Virginis signum plurimum respondet mensi Septembri, cujus die vicesima-septima Hugo iste obiisse dicitur.

e *Sigebert. chron.*

f *lib.* 54. *n.* 32.

Hugonem paullo ante præcesserat Richardus Nortmannorum comes. Hic Fiscamni [a] morbo extremo decumbens, Rotbertum archiepiscopum, fratrem suum, & cunctos Nortmannorum principes convocat, suique ducatus successorem Richardum filium designat; Rotberto vero ejus fratri assignat comitatum Oximensem. Denique omnibus, quæ ad Dei cultum pertinere videbantur, dispositis, hominem illic exuit x. kal. Septembris, anno sui principatus tricesimo, vir pietate insignis, ob præclara in ecclesiam merita *monachorum atque clericorum pater* merito appellatus. Sepultus est Fiscamni sub stillicidio, uti jusserat, ecclesiæ, quam ipse condiderat, postmodum in ecclesiam translatus. Richardus ejus filius ac successor vix integro biennio principatum tenuit: cui Rotbertus ejus frater successit. Richardo secundo tribuitur a Roberto de Monte restauratio ex parte monasterii sancti Taurini Ebroïcensis, quod Richardus ejus pater reficere cœperat. Huic monasterio primis illis temporibus præfuerunt Willelmus, Paulus, Philippus & Ranulfus, monachi Fiscamnensis cœnobii, cui subjectum fuerat a Rotberto ejus filio in compensationem Villaris-monasterii, a Richardo secundo Fiscamnensibus concessi, ubi Rotbertus ipse sanctimoniales nostri Ordinis post liminio restituit. Willelmus, Richardi secundi filius, natu minimus, Fiscamni monachus, in adolescentia anno superiori defunctus est.

ANN. CHR. 1026. LXXXVI. Richardus etiam comes.

a *Willelm. Gemet. lib.* 5. *c.* 17.

S. Taurini monasterium ab eo instauratum.

Mortuus est etiam hoc anno Herimannus Tulli-Leucorum præsul kal. Aprilis, sepultusque Coloniæ apud sanctum Gereonem, ubi a puero educatus fuerat. Huic successit Bruno, vir natalium splendore (Conradi quippe regis nepos erat,) & morum probitate illustris, de cujus vitæ primordiis superius [b] egimus. Electus est absens a clero & populo, qui litteris ad Conradum regem in Italiam, & ad Brunonem, qui in ejus comitatu erat, missis per Notbertum, ex-canonico sancti Stephani tunc *laudabilis vitæ* monachum; atque Liethardum *adhuc* quidem canonicum, Brunonem, ecclesiæ suæ alumnum, sibi episcopum dari vehementer expetierunt, virum apprime nobilem ac strenuum, qui Tullenses a frequentibus vicinorum insultibus protegere valeret. Restitit primum flagitantium votis Conradus, quippe qui eum ad ampliores honores destinabat, & in palatio secum retinere cupiebat. at Bruno ipse censu inopem ecclesiam locupletiori præferens, electioni assensit, & regem ipsum ad Tullensium vota inclinavit, effecitque, ut non ab Romano pontifice (quod exoptabat) sed a metropolitano suo consecraretur. Mox itaque ex Italia non sine insidiantium periculo Insubrium in patriam reversus, Tullum-Leucorum accessit, ubi tandem die dominicæ ascensionis summo omnium gaudio susceptus, a consobrino suo Theoderico Mettensi præsule in sede pontificali collocatur. Jam vero cum a Poppone Trevirensi metropolitano ordinandus esset, ab eoque exigeretur, ut nihil absque ejus consilio in episcopatu ageret, acquiescere noluit; ob idque dilata ipsius consecratio est in sequentem annum, quo reversus ex Italia Conradus utrumque Wormatiam accersiit, atque ordinandum ad id solum ad strinxit, ut in ecclesiasticis negotiis, majoris scilicet momenti, metropolitani consilio uteretur. Hoc pacto Bruno v. idus Septembris cum summa omnium gratulatione ordinatur.

LXXXVII. Bruno fit Tulli episcopus.

b *lib.* 52. *n.* 31. *& lib.* 53. *n.* 76.

Sub hoc tempus Nanterus, sancti Michaëlis ad Mosam abbas, Romam orationis causa, comitante quodam Coloniensi canonico, *cum benedictione regulari* [c] juxta morem profectus, ad montem Garganum itidem se contulit. Romam inde reversus, maxime in votis habuit, ut quoddam e sanctorum corporibus martyrum, quibus Romana civitas abundat, in suum monasterium reportaret. Sed quoniam audierat, multos supposititiis reliquiis fuisse delusos, nullum accipere voluit, nisi prius *sepulcrum intactum* & *scripturam* reconditi martyris indicem comperisset. Deductus ad sancti Valentini ecclesiam ejus monachus, (nam abbas tunc infirmabatur) quemdam illic commorantem adit, condignam pollicetur mercedem, si veri martyris corpus sibi concedat. Custos corpus sancti Callisti papæ se daturum promittit, seque ostensurum *& intactum usque nunc sepulcrum, & in superficie tabulæ mormoreæ epitaphium exaratum*. Conventione facta, ventum est ad cœmeterium, cujus custos abbas, *ubi semper ardent lampades*; &, speculatore in eminentiori loco, ne furtum proderetur, posito, monumentum indissolubili compactum cæmento, non sine grandi labore effoditur. Inde ossa martyris extracta monachus ad hospitium refert. Hæc Nanterus devote complectitur, paratis linteaminibus decenter involvit, &

LXXXVIII. Nanterus abbas Roma reliquias reportat.

c *Analect. to.* 2. *p.* 393.

ANN. CHR. 1026.

festinato in patriam affert, comitante Crescentio Romano monacho, qui pactam abbati suo pecuniam referret. Hæc quo pacto cum translatione corporis sancti Callisti in Cisoniense monasterium per Evrardum comitem, indeque ad Remensem ecclesiam facta conciliari possint, aliis explicandum permitto. Post quatuor annos idem Nanterus cellam Harævillæ ad Mosam exstruxit, & in ea prædictas sancti Callisti reliquias deposuit, ut litteris mandavit anonymus, qui præsens interfuit.

LXXXIX. Mosomenses abbates.

Hoc anno decessisse dicitur x. kal. Julii Boso abbas beatæ Mariæ Mosomensis, qui anno superiore capsam argenteam, in qua sancti Victoris corpus reconderetur, fabricari curaverat. Successit in annos quinque Johannes abbas: quo mortuo, Ebalus archiepiscopus Gandavo revocavit Rodulfum Mosomensem monachum, qui, permissu Johannis abbatis in Blandiniensi monasterio demorabatur sub disciplina Wichardi abbatis, sancti omnino viri, eumque abbatem Remis kalendis Octobris, die festo sancti Remigii ordinavit anno M XXXI. Hunc excepit post annos septemdecim Vernerus seu Bernerus, cujus tempore, id est anno M LXV. præsente Hugone cardinale, corpus sancti Arnulfi martyris in novam thecam IX. kal. Augusti translatum est. Ejus successores Guido, Heribertus & Reginaldus, qui sæculo undecimo cœnobium rexerunt, nulla re gesta, quæ Annalibus nostris inseri mereatur, insignes fuere.

XC. Colchæ Flaviniaco tributæ.

Colchæ * opidulum est parochiæ Æduensis, qua Cabilonum tenditur, montibus undique sæptum, & sancti Georgii cella nobilitatum, quod Walterus, Æduensis olim episcopus, Flaviniacensi abbatiæ tribuere voluerat, ast id Helmoino ejus successori exsequendum reliquit. Helmoini hac de re litteras habemus, in quibus ille testatur, Walterum episcopum, de instaurandis suæ parochiæ monasteriis sedulo cogitantem, animadvertisse *inter cetera quoddam cœnobiolum, Colckas nuncupatum, quod etiam magno olim honore simul & religione floruerat, ita penitus eversum, ut nullus inibi monachorum, nullus maneret canonicorum, præter unum, qui ibidem missam celebrare erat solitus, presbyterum.* Itaque animo statuisse illud reformare, idque exsequi volentem, assensu Hugonis Cabilonensis comitis, cujus id beneficium erat, idem monasteriolum interim abbati fratribusque cœnobii Flaviniacensis committere voluisse: at, eo morte intercepto, rem absque effectu remansisse. quod Helmoinus tandem se præstitisse dicit, accedente munificentia Hugonis comitis, favore canonicorum sancti Nazarii, rogatu Amadei Flaviniacensis abbatis, anno XXX. Rotberti regis, qui & ipse una cum filio suo Heinrico litteras Helmoini nomine ac signo suo roboravit. Eisdem subscribunt ex episcopis Hugo Autisiodorensis, Lambertus Lingonensis, Gaufredus Cabilonensis, Beraldus Suessionensis, Gauslinus Matisconensis, & Hugo Nivernensis, & post canonicos Æduenses Landricus comes, Otto itidem comes, nepos Hugonis episcopi, scilicet Autisiodorensis, Tetbaldus comes, ipsius etiam episcopi nepos, Gerardus Sinemurensis, & alii. Nunc cella hæc unita est Æduensi collegio soc. Jesu.

* *Couches.*

XCI. Longiledi monasterii origo.

Celebris erat per id tempus Guillelmus de Belismo, Ivonis primi comitis Belismensis filius, ab Aimoïno [a] laudatus, qui Longiledi monasterium in honorem beatæ Mariæ exstruxit. Est autem Longiledum, quod vulgus Lonleïum vocat, locus diœcesis quidem Cenomannensis, sed in inferiori Nortmannia positus, duabus leucis a castro Danefrontis, ad Egraniam fluviolum. Hoc monasterium *sub nomine abbatiæ* construxit [b] Guillelmus, *Belismensis provinciæ principatum gerens*, cum assensu uxoris suæ, filiorumque suorum Fulconis, Warini atque Willermi, *& in eodem abbatem posuit, & sub eo monachos*, ut propitiam sibi redderet divinam clementiam, & beatissimam Dei-genitricem, quam *enormes peccatores ad se confugientes* recipere solitam esse legerat. Primariis ejus litteris, quæ notis chronicis carent, subscribunt Avesgaudus Cenomannensis episcopus, & Sigifredus Sagiensis, Achardus Dives, miles de Donnifronte, Guillelmus princeps, Malthildis ejus uxor, & alii. Guillelmi de Belismo meminit Fulbertus in epistola [c] ad Rotbertum regem, cui significat, quod Guillelmus de Belismo, *ultus perfidiam filii* ejus, *conjecit eum in carcerem*, inde non egressurum sine consilio regis. Id contigit post mortem Heinrici imperatoris, cum scilicet legati Romanorum ventitarent ad Guillelmum Aquitanorum ducem, acturi cum eo de regno Italiæ ineundo, ut ex eadem epistola intelligitur. Et forte id contigerit hoc anno, aut insequenti, cum rex, Hugone filio mortuo, alterum e duobus filiis suis, Heinricum aut Rotbertum, regem constituere volebat.

a *Aimoin. lib. 3. de mirac. S. Bened. c. 8.*

b *Neustria pia p. 424.*

c *Fulb. ep. 94.*

quæ

ANN. CHR. 1026.

quæ res non parvos motus in regno excitavit, & forte alterutrum e duobus filiis, qui se præteritum dolebat aut credebat, ad rebellionem perpulit, cujus *perfidiam* ultus sit Guillelmus. Hæc dixerim ad illustrandam non modo historiam Franciam, sed etiam originem Longiledi monasterii, quæ non serius hoc tempore contigisse videtur. Unde subscriptio Guillelmi principis seu ducis Nortmannorum, & Mathildis ejus uxoris postmodum adjecta fuisse dicenda est. Audiendus Robertus de Monte, ubi agit de Lonleiensi monasterio. *Monasterium sanctæ Mariæ Lonlei primus Willelmus Talevatius, qui castrum Domnifrontis in monte, exciso nemore, erexit, ædificavit: qui locus, licet sit in episcopatu Cenomanensi, ad ducatum tamen Normanniæ pertinet. Primus abbas ibi fuit Willelmus monachus sancti Benedicti Floriaci: secundus Hugo monachus ipsius monasterii: tertius Garinus monachus Ebronis: quartus Ranulfus monachus Cadomi: quintus Lantfredus monachus ejusdem monasterii: sextus Johannes monachus sancti Launomari Blesis: quo deposito, successit septimus Berno monachus sancti Martini Majoris-monasterii.* Hæc ille. Hodie quoque perstat istud monasterium sub congregatione sancti Mauri. Idem Guillelmus in castro Belismi collegium canonicorum instituit, ibique reposuit corpus sancti Leonardi Vendoperensis abbatis: quæ ecclesia postmodum Majori-monasterio concessa est. Litteræ de primordiis illius ecclesiæ ab Ægidio Bry [a] relatæ sunt, sed vitiosæ. Albertus abbas Miciacensis, paterque Arnulfi Turonensis archipræsulis, sæpius a nobis laudatus, matrem habebat Godehildem, prædicti Guillelmi, ut Ægidius putat, sororem, ex qua Domnæ-Mariæ alodium habuit, quod sancto Petro Gemeticensi donavit: cujus donationis litteris *Willelmi Bellesmensis* signum cum aliis appositum est.

a *Hist. du Perche p. 45.*

XCII. S. Gildasii de Nemore primordia.

Sub idem tempus nobilis Armoricus Simon, filius Bernardi, a quo Roca-Bernardi, cujus loci dominus erat, cognomentum accepit, monasterium sancti Gildasii de Nemore in Namnetensis pagi loco, qui *Lampidric* tunc vocabatur, ædificavit, ubi Helgotum, *virum sanctum*, Rothonensem monachum, abbatem constituit. Tunc sancti Salvatoris monasterio Rothonensi præerat Catvallonus abbas, laudatus in litteris prædicti Simonis pro constructione monasterii, in quibus notæ chronicæ non sibi constant, cum monasterium hoc anno conditum dicitur, Heinrico Franciæ regnum regente.

Rotonenses abbates.

Ast aliunde certum est, Catvallonum abbatem Rothonensi monasterio hoc ipso tempore præfuisse. Hic successerat Mainardo eximiæ sanctitatis viro, qui Bellam-insulam, vulgo *Guedel*, a Gaufrido Britanniæ duce obtinuit. Ejus jussu Catvallonus, ipsius Gaufridi, ut ferunt, germanus frater, & ipse multa religione præditus, monachorum cœtum in Bellam-insulam induxit. Inde post Mainardi obitum ad regimen Rothonensis monasterii revocatus, illud ruinæ proximum instaurare aggressus est. Ejus rei testem habemus ipsius Catvalloni epistolam ex codice monasterii sancti Sergii apud Andecavos, scriptam ad Hildegardem Andecavorum ducem, Fulconis-Nerræ conjugem, eo tempore, quo bellum cum Alano Britanniæ duce gerebat. Hæc epistola sic habet.

Abbas Catwallonus Rotonensis cœnobii cum sibi commisso grege, Hald. Andegavorum reginæ, salutarium munus orationum. Gratias referimus, quod per nuntios, & litteras frequentes humilitatem nostram visitare non es dedignata, obsecrans in orationibus nostris tui meminisse. Unde si tibi Deum aliqua per nos fiducia confidis propitiari, scito quia, licet sumus peccatores, pro nobis ipsis non sufficientes, tui quotidie memoriam agimus ad Dominum. Jam dudum enim nobis non incognitum est, quam sinceriſſime Deo religionis exhibeas cultum, & Dei servis obsequium. quæ si fama silentio tegeret, ipsorum claritas operum non taceret. Hoc unum omnimodis monemus, ut in bono ardentius proficere studeas. Quoniam igitur monasterium nostrum, quod vetustate sui pene vitium est ruina, proximo Martio restaurare, si annuerit Divinitas, disponimus; transmittimus ad te hunc fratrem gratia mercandi vinum in concessis Dei munificentia vindemiis. De quo non ignavi sollicitudine formidamus, ne ob discordiam, quæ inter dominum tuum & principem Britanniæ agitatur; ab aliquo patiens impediatur. Tuo itaque cum committimus tutamini, postulantes, ut pro Salvatoris, cui famulamur, honore, in quocumque negotio egerit subsidio, ei non negligas adsistere. Sed & de telonneis in omni loco & portu, qui vestræ ditioni subjacet, oramus ut liberum abire sinas, sicut in te confidimus, Vale.

ANN. CHR. 1026.

Scripsit & aliam idem Catvallonus epistolam ad quamdam abbatissam, cujus nomen a littera L. incipiebat, quam puto esse Letgardem abbatissam beatæ Mariæ de Caritate apud Andecavos, de qua inferius agemus. Idem abbas probum quemdam virum, sed agrestem, Gurkium nomine, genere Nortmannum, in sancti Gudwali insula demorantem, convenisse traditur, eumque ad largiendam sancto Salvatori prædictam insulam est cohortatus. At ille, ut ferus erat, albis vestibus laneis indui solitus, petentem durius objurgavit, repulitque: sed tandem mansuefactus, se suaque omnia Salvatori tradidit.

XCIII. Lezato abbatia de Patricianis asserta.

In Wasconia placitum apud Fustiniacum habitum est hoc anno, Rotberti regis tricesimo, præsidente Rogerio comite, eique assidentibus Stephano Crassæ abbate, Oliva sancti Hilarii Carcassonensis, Grammatico Soricinii, & Richardo sancti Licerii abbatibus, aliisque judicibus, quorum judicio asseritur Aymerico Lezatensi abbati, ejusque successoribus abbatia de Patricianis, quam Odo Simorræ abbas sibi competere contendebat. Hoc placitum in Appendicem retulimus.

XCIV. S. Petri de Generesio monasterium conditur.

Monasterium sancti Petri de Genereſio *, in finibus Bigorritanæ & Bearnensis provinciæ ad montes Pyrenæos situm, diœcesis olim Lascurrensis, nunc Tarbeiensis, ad confluentes Geniesii amnis in Gavarum, a Sancio-Willelmi Wasconiæ duce sub hoc tempus conditum est. Illic antea colebatur sanctus Hilarius in vico de Lassunis *, ubi cum sanitatem cælitus recepisset Sancius, monasterium grati animi causa erigere constituit, illudque amplissimis possessionibus ditavit. Integras hac de re litteras retulit illustrissimus [a] Petrus de Marca, in quibus supra dictum locum beato Petro apostolorum principi obtulisse dicitur, & hoc donum super altare posuisse, *ad victum clausirensium monachorum*; & inter alia villam, Lassunis dictam, » quam a Centullo proconsule Bearnensi facta commutatione comparaverat; & Arsium abbatem sancti Severi Russitanensis ad novum illud monasterium *regulariter* » *ædificandum pro sanctitate adduxisse*. His litteris subscribunt totius Wasconiæ principes ac primates. Porro idem Sancius dedit beato Petro XXV. vasa argentea, & » XIV. vitrea sive crystallina, mensamque argento decoratam, duas cruces argenteas, variamque sacram supellectilem & sacerdotales vestes; insuper propria arma » militaria auro fabrefacta, cum scuto & lancea. Ad victum vero clausirensium monachorum contulit propriam curtim, quæ dicitur sancti Castini, cum suis adjunctis, *facto inde dono per zonam suam argenteam, ab altari in armario sancti Petri repositam*. In necrologio sancti Severi Sancius comes Wasconiæ obiisse dicitur [b] IV. *nonas Octobris anno* M XXXII. rectius quam in Generensi, in quo [c] ejus obitus quinto nonas Octobris longe ante, hunc annum ponitur. Sepultus est in ecclesia Lascurrensi, cui etiam multa bona contulerat. Post Arsium Russitanensem abbatem Generense monasterium rexit Odo de Benaco, genere illustris, qui annis amplius triginta eidem loco præfuit. Hunc excepit Odo secundus, cujus tempore Generensis basilica dedicata est, ut suo loco videbimus.

* *de Generez.*
* *Lassuns.*

a *Hist. de Bearn. p. 247.*

b *ibid.*

c *ibid. pag. 247.*

XCV. Arnulfi monachi Andaonensis scripta.

Apud Avenionem in Andaonensi sancti Andreæ monasterio scriptis haud incelebris fuit Arnulfus monachus, qui hoc anno brevem chronologiam ab orbe condito absolvit. Hic ab orbe condito ad Christum numerat annos quinquies mille » viginti-quinque; a nativitate vero Domini usque ad annum quadragesimum regni » glorioſissimi Caroli, filii piissimi imperatoris HLudowici supputantur anni DCCC LIIII. *a quibus annis usque ad præsentem*, inquit, *annum, in quo nostra devenit ætas, videlicet quo felix Adalax comitissa dormivit in pace*, C LXXII. *qui in summa collecti a nativitate Christi millesimum vigesimum-sextum præsentem annum efficiunt, in quo iste libellus conscriptus est a quodam fragili monacho, Arnulfo nomine. Residuum sextæ ætatis Deo soli cognitum est.* Hæc Adalax comitissa uxor erat Guillelmi Provinciæ ducis, mater Constantiæ reginæ, quæ Rotberto regi nupta erat. Idem Arnulfus alia scripta edidit, scilicet breve Martyrologium seu kalendarium Sanctorum per annum; item libellum de ponderibus & mensuris; alium *de recipiendis vel non recipiendis auctoribus secundum edictum de urbe Roma*. quod nihil est aliud quam decretum Gelasii; denique duos brevissimos libellos, unum de argumento solstitiali, alterum de die obitus ac passionis Domini nostri Jesu-Christi. Hic auctor de ponderibus agens: *Duodecim unciæ*, inquit, *libram, viginti solidos continentem, efficiunt*. quo ex loco illustratur locus synodi Aquisgranensis, anno DCCC. XVII. celebratæ, in qua libra panis a sancto Benedicto singulis assignata monachis in dies,

triginta solidis constare debere dicitur. Arnulfus ad hæc in articulo de liquidis, *Hemina juxta quosdam appendit libram unam, apud quosdam libram & dimidiam.* ANN. CHR. 1026.

XCVI. Saviniaco facta donatio.

Præsidente abbate Durando Saviniacensi monasterio, Gauzerannus quidam, vir nobilis, cum consilio uxoris suæ Adalaziæ, & filiorum suorum Gaufredi & Agnonis, Saviniacensibus contulit ecclesiam sancti Johannis-Baptistæ de Tarnanto, necnon ecclesiam sancti Victoris, sitam in eodem monte, cum suis adjunctis, quæ sunt in pago Lugdunensi. Subscribit cum donatore Gerardus comes & alii. *Actum cœnobio Saviniaco, mense Junio, feria secunda, indictione nona*, M XXVI. *anno ab incarnatione Domini. Data per manum Stephani-Tedini monachi. Hoc donum laudavit domnus Udalricus archiepiscopus Lugdunensis in capitulo Lugdunensis ecclesiæ cum conventu canonicorum suorum. Testes sunt Adalardus abbas, Hubertus præpositus, & ceteri. Scripta manu Stephani vicecancellarii, regnante Rodulfo rege.*

XCVII. Monachi Leodici apud S. Laurentium instituti.

In brevi chronico Leodiensi [a] Reginardus episcopus Durando superiore anno successisse dicitur; & anno insequenti *cœnobium sancti Laurentii in monte publico* instituisse. Mortuus est Durandus X. kal. Februarii, quod Ægidius [b] anno M XXIV. secundum veterem calculum consignat. Anselmus [c] auctor est, Reginardum basilicam sancti Laurentii, cujus monasterium Wolbodo Durandi decessor inchoaverat. renovasse, prædiis auxisse, & triginta monachos illic regulariter viventes constituisse: quæ basilica a Pilegrino Colonensi archiepiscopo consecrata, eidem Reginardo locum sepulturæ præbuit. Ast Ægidius [d] sex tantum monachos illic positos ait sub Stephano abbate, qui in Virdunensi sancti Witoni monasterio cellerarii officio fungebatur, teste Hugone Flaviniacensi. Sed de his plura anno sequenti.

a *Labbeto, t. bibl. p. 337.*
b *Gesta Leod. episc. to. 1. p. 260.*
c *ibid. p. 263.*
d *ibid. p. 268.*

XCVIII. Res Germanicæ.

Dum Conradus in Italia versaretur, Aribo Moguntinus archiepiscopus in natali sancti Matthæi [e] apostoli Selingunstadi concilium generale duodecim episcoporum convocasse traditur, in quo Godehardum Hildensheimensem episcopum super Gandersheimensis parthenonis jurisdictione denuo exagitavit: at hæc synodus in annum sequentem ab episcopis protracta, quo anno in alia synodo viginti-trium episcoporum, præsente Conrado imperatore, Hildensheimensis episcopi jus assertum est. Idem Godehardus novum monasterium, quod in orientali ecclesiæ suæ parte primo suæ ordinationis anno inchoaverat, XVII. kal. Septembris hoc anno in honorem passionis, resurrectionis, & ascensionis Christi consecravit.

e *Chron. Saxon.*

Hoc item anno Burchardus Campidonensis & Rhinaugiensis abbas obiit, testante Hermanno, eique Rhinaugiæ Pirthilo abbas substituitur: Ernustus vero dux Alamanniæ, interpellante matre, Conrado reconciliatus, Campidonensem *loco beneficii* abbatiam accepit, suisque militibus distribuit; nec multo post iterum rebellavit. In monasterio Einsidlensi mortem oppetiit itidem hoc anno Virandus [f] abbas III. idus Februarii, anno præfecturæ sexies-quino, ut in ejus epitaphio legitur, in quo sanguine celsus, ingenio clarus; sibi durus, at placidus discipulis, denique regibus percelebris fuisse perhibetur. Successor ejus Embricius, nobilis Bavarus, hujus epitaphii auctor, coloniam monachorum in Murense monasterium deduxit. Non multo post Virandum abbatem decessit Haimo Constantiensis episcopus, cui ex Eremitarum seu Einsidlensium collegio suffectus in annos octo Warmannus, ex comitibus Kiburgi & Dilingiæ, Maingoldi, qui tum Dilinganum comitatum regebat, germanus frater. His mortuis addendus Wolframus [g] Altahensis abbas, cujus in locum Ratmundus electus, consecratusque est.

f *Annal. Eremi p. 121.*

g *Chesn. to. 3. p. 521.*

XCIX. S. Bononius abbas obit.

Apud Vercellenses in Lucediensi monasterio ad cælum pariter migravit Bononius abbas III. kalend. Septembris: quo defuncto, sanctitatis ejus fama per totam provinciam circumquaque diffusa, quidam captivus ejus opem ardentissime imploravit: moxque ferreis vinculis, quibus in carcere adstrictus erat, liberatus, statim compedes ad ejus tumulum attulit, remque Lucediensi monacho anonymo, qui vitam sancti Bononii scripsit, per ordinem narravit. Idem auctor tradit, hominem quemdam, ob crimen fratricidii septem annis pœnitentem, qui *mucronem*, quo fratrem peremerat, *fixum in ferreo circulo, circum dextrum brachium strictius posito, cute & carne jam supereminente*, gestare coactus erat, multorum Sanctorum ecclesiis perlustratis, tandem ad tumulum sancti Bononii natali ejus die accessisse, ibique circulum repente fractum e brachio in terram dissiliisse. Hinc Bononius merito aram ab Arderico Vercellensi episcopo accepit.

ANN. CHR. 1026. C. Guido Aretinus, ejusque antiphonarii.

Prope Ravennam in Pomposiano monasterio tunc sub Guidone abbate florebat Guido alter, Aretinus a patria cognominatus, qui compendiosiorem discendi cantus methodum per sex vulgares notas [a] adinvenit: ita ut quod *vix decennio* addisci antea poterat, abhinc *annali spatio*, aut, ut multum, *biennio* perfecte in posterum disceretur. Hinc, quod illi magnam apud omnes gratiam conciliare debuerat, gravem conflavit invidiam, quæ eo usque progressa est, ut e monasterio suo discedere coactus sit. Postea tamen, cum a Johanne pontifice Romam vocatus, & honorifice acceptus fuisset, a Guidone Pomposiæ abbate, viro sancto, qui ipsius æmulis aures facilius præbuerat, apud Pomposiam retentus est. quæ omnia in epistola ad Michaëlem ejusdem loci monachum scripsit, a Baronio non sine mendis relata, quam hic integram ex codice Willingensis monasterii referre non pigebit.

[a] *V. lib. 49. n. 80.*

* Baron. Michaëli. ± Guido.

Beatissimo atque dulcissimo fratri M. G*. per anfractus multos dejectus & anctus. Aut dura sunt tempora, aut divinæ dispositionis obscura discrimina: dum & veritatem fallacia & caritatem sæpe conculcet invidia, quæ nostri Ordinis vix deserit sanctitatem, quo Philistinorum concio Israëliticam puniat pravitatem: ne, si mox fiat quicquid ut volumus, adeo in se confidens periturus decidat animus. Tunc enim est vere bonum id quod facimus, cum nostro Factori adscribimus omne quod possumus. Inde est quod me videes prolixis finibus exsulatum, ac te ipsum ne vel respirare quidem possis invidorum laqueis suffocatum. Qua in re simillimos nos cuidam dico artifici, qui cum Augusto cæsari incomparabile & cunctis inauditum sæclis thesaurum, flexibile videlicet vitrum, offerret, quia aliquid super omnes potuit, ideoque aliquid super omnes promereri se credidit, pessima sorte jussus est occidi, ne si, ut est mirabile vitrum, posset esse durabile, regium omne thesaurum, quod de diversis erat metallis, fieret extemplo vile; sicque ex illo tempore maledicta semper invidia, sicut quondam paradisum, & hoc quoque mortalibus abstulit commodum. Nam quia invidia artificis nullum voluit edocere, potuit regis invidia artificem cum arte perimere. Unde ergo inspirante Domino caritatem non solum tibi, sed & aliis quibuscumque potui summa cum devotione ac sollicitudine a Deo mihi indignissimo datam contuli gratiam, ut quia ego & omnes ante me summa cum difficultate ecclesiasticos cantus didicimus, ipsos posteri summa cum facilitate discentes, mihi & tibi ac reliquis adjutoribus meis æternam optent salutem, faciatque per misericordiam Dei peccatorum nostrorum remissionem vel modica tantorum ex caritate oratio. Nam si illi pro suis apud Dominum devotissime intercedunt magistris, qui hactenus ab eis vix decennio cantandi imperfectam scientiam consequi potuerunt; quid putas nobis pro nostris adjutoribus fiet, qui annali spatio, aut, si multum, biennio perfectum, cantorem efficimus? Aut si hominum consueta miseria beneficiis tantis ingrata exstiterit, numquid justus Dominus laborem nostrum non remunerabitur? An quia Dominus totum hoc facit, & nos sine illo nihil possumus, nihil habebimus? Absit. Nam & Apostolus cum gratia Domini sit id quod sit, cantat tamen, Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ. Securi ergo de spe retributionis, insistamus operi tantæ utilitatis; & quia per multas tempestates rediit diu optata serenitas, navigandum est feliciter. Si quid diffidit tua de libertate captivitas, rei ordinem pandam. Summæ sedis apostolus Johannes, qui modo Romanam gubernat ecclesiam, audiens famam nostræ scholæ, & quo modo per nostra antiphonaria inauditos pueri cognoscerent cantus; valde miratus, tribus nuntiis me ad se invitavit. Adii ergo Romam cum D*. GR. ML. reverendissimo abbate, & D* P. Aretinæ ecclesiæ canonicorum præposito, viro pro nostri temporis qualitate scientissimo. Multum itaque pontifex meo gratulatus est adventu, multa colloquens & diversa perquirens, nostrumque velut quoddam prodigium sæpe revolvens antiphonarium: præfixasque ruminans regulas, non prius destitit, aut de loco in quo sedebat abscessit, donec unum versiculum inauditum sibi voti compos ediscceret, ut quod vix credebat in aliis, tam subito in se recognosceret. Quid plura? infirmitate cogente Romæ morari non poteram, vel modicum, æstivo fervore in locis maritimis & nobis alpestribus minante excidium. Tandem condiximus, mox hieme redeunte, me illac debere reverti, quatinus hoc opus prælibato pontifici suoque clero debeam propalare. Post paucos dehinc dies patrem vestrum atque meum domnum Guidonem P P*. abbatem, virum Deo & hominibus merito virtutis & sapientiæ carissimum, ut patrem animæ videre cupiens visitavi: qui & ipse vir perspicacis ingenii nostrum antiphonarium, ut vidit, extemplo probavit & credidit: nostrisque æmulis se quondam consensisse pavituit, veniam postulavit, suadens mihi monacho*

* f. Domno Gregorio Mediolanensi abbate. * f. Domno Petro. * Pomposianum.

ANN. CHR. 1026.

esse præferenda monasteria, episcopatibus Pomposiam, quod modo est per divinam gratiam, & reverentissimi Guidonis industriam in Italia primum. Tanti itaque patris orationibus flexus & præceptis obediens, prius auxiliante Domino volo hoc opere tantum & tale monasterium illustrare, meque monachum monachis præstare: cum præsertim simoniaca hæresi modo prope cunctis damnatis episcopis timeam in aliquo communicari. Sed quia ad præsens venire non possum, interim tibi de inveniendo ignoto cantu optimum dirigo argumentum, nuper nobis a Domino datum & utilissimum comprobatum. De reliquo domnum Martinum priorem sacræ Congregationis, nostrum maximum adjutorem plurimum saluto, cujusque orationi me miserum peccatorem commendo. Fratrem quoque Petrum memorem memoris esse commoneo, qui nostro lacte nutritus, non sine labore maximo, agresti vescitur hordeo, & post aurea pocula vini confusum bibit acetum.

In editione Baronii [a] hæc epistola refertur ad pontificatum Benedicti VIII. a quo Guido Romam evocatus dicitur. At in codice Willingensi optimæ notæ, quo usi sumus, hæc epistola refertur ad Johannem ejus successorem: quam sententiam hic sequi visum est.

[a] *Baron. an. 1022.*

Præter antiphonarium, de quo in præmissa epistola fit mentio, alterum librum scripsit Guido, quem *Micrologum* appellavit, nuncupavitque Theodaldo Aretino episcopo, ad quem ejus epistola exstat apud [b] Baronium, cujus titulus ex codice Uticensi hoc modo restituendus: *Divini muneris, totiusque prudentiæ fulgore clarissimo, dulcissimo patri & reverendissimo domino Theodaldo, sacerdotum ac præsulum dignissimo, Guido, utinam servorum suorum minimus, quidquid servus & filius S.* In hac epistola Guido ait, se, dum vitæ solitariæ se totum dare cuperet, a Theodaldo « *ad sacri verbi studium* accersitum, sociatumque fuisse: non quod ejus excellentiæ « deessent multi & maxime spectabiles viri, qui & commissam sibi plebem una cum « eo congrue erudirent, & divinæ contemplationi assidue & ferventer inhærerent; « sed ut sua ipsius Guidonis imbecillitas ac tenuitas paternitatis ejus præsidio muni- « retur. Quare ipsi præcepisse, ut pro ecclesiæ ejus utilitate *exercitium musicæ artis*, « ab ipso Guidone elaboratum, in publicum proferret: ut, sicut ecclesiam beati Do- « nati martyris *mirabili schemate* perfecerat; ita eidem ministros ecclesiæ honestis « artibus imbutos, & præcipuo quodam privilegio *cunctis fere per orbem clericis spectabiles* redderet. Unde pro miraculo factum sit, ut ejus ecclesiæ vel ipsi pueri *in modulandi studio perfectos aliorum usquequaque locorum superent senes. Igitur nostri*, inquit, *quoque meriti per hæc plurimum cumulabitur celsitudo, cum post priores patres tantæ ac talis ecclesiæ per vos provenerit studiorum claritudo. Itaque quia vestro tam commodo præcepto nec volui contraire, nec valui; offero sollertissimæ paternitati tuæ musicæ artis regulas, quanto lucidius & brevius potui explicatas, philosophorum neque eadem via ad plenum, neque eorum insistendo vestigiis; id solum procurans, quod ecclesiæ opportunitati, nostrisque subveniat parvulis.* Hæc ipsis auctoris verbis referre visum est ad supplendos quosdam apud Baronium hiatus. Tum profert occasionem, quæ ipsum ad inveniendam hanc methodum impulit, nempe levandi laboris causa in pueris, quos in cantu ecclesiastico erudiebat: cui consilio ita divina ipsi adfuit gratia, ut quidam eorum *ante unius mensis spatium* versus & inauditos cantus primo intuitu indubitanter cantaverint. Hæc ille, aliaque ad Theodaldum episcopum, qui Aretinæ ecclesiæ ab anno M XXIII. præfuit. In fine codicis, quo usus est Baronius, hæc clausula habetur: *Explicit Micrologus Guidonis, suæ ætatis anno trigesimo-quarto, Johanne vigesimo Romanam gubernante ecclesiam.* Theodaldum episcopum & Guidonem ob Micrologum laudat Domnizo [c] in libro primo de vita Mathildis his versibus.

C I. Micrologus ejusdem.

[b] *ibid.*

[c] *Domnizo lib. 1. c. 5.*

Musica seu cantus istum laudare Tedaldum
Non cessant: semper renovantur eo faciente.
Micrologum librum sibi dictat Guido, peritus
Musicus & monachus, necnon eremita beandus.

Falli mihi videtur Trithemius, qui librum contra Berengarium a Guidone Aretino scriptum fuisse dicit, eumque Crucis sancti Leutfredi seu Audoëni monachum

falso dicit. Nec rectius sensisse videtur Universitatis Parisiensis historiæ sc
ANN. CHR. 1026. qui id tribuit Guidoni, monacho, ut ipse putat, de Cruce sancti Leutfre
a *Chesn. to.* 4. p. 276. quo Baldericus [a] abbas ita canit.

Guido mihi vivit, magnus, bonus atque fidelis,
Magni momenti, nominis haud modici.

Sane nullus alius ejus loci monachus in Berengarium scripsisse videtur, Guitmundus, quem cum Guidone Aretino Trithemius permiscuit.

CII. Gerardus episcopus Conadiensis.

Floruit eo tempore Gerardus monachus Venetus, qui monasticum habi sancti Georgii cœnobio apud Venetias a puero induisse traditur. Ubi in m cis exercitationibus adolevit, ei cupido incessit dominicum invisendi sepul viamque ingressus, cum in Pannoniam perveniisset, a Stephano rege piissim gne acceptus, retentusque est, ut rudem illam gentem christianis præcepti & exemplo erudiret. At turbarum pertæsus vir Dei, cum Mauro monach postmodum Quinqueclesiensis episcopus fuit, in solitudinem secessit, qua vocant, & in ea septem annos exegit. Verum non diutius hoc lumen sub latere passus est Stephanus, sed eum tandem ab eremo revocavit, pontifi infula, ut novitio illi populo verbum Dei prædicaret, decorari curavit. piissimi regis votis, & evangelici præconis studiis divina pietas; factumque non modo novi tirones in fide confirmarentur, sed etiam fidelium numerus n pere augeretur. Ecclesiæ in singulis urbibus exstructæ a Gerardo, qui prii ecclesiam in honorem sancti Georgii martyris, Conadii ad litus Morisii fl exstruxit, atque inde Morisenam sedem appellavit. In hac vero ecclesia, rex liberaliter dotavit, in honorem beatæ Mariæ virginis aram erexit, appe eam argenteo turibulo, in quo thymiama perpetuo adoleri instituit. Ibidem sabbatis officium celebrari voluit de beatissima virgine Deipara, quam *Do* suam gens illa ex ejus instituto deinceps appellavit, & singulari studio colere



ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUINQUAGESIMUS-SEXTUS.

Ab anno Christi 1027. *ad annum* 1031.

ANNUS proxime sequens millesimus vicesimus-septimus duplici coronatione insignis fuit, Conradi scilicet regis in imperatorem, & Heinrici filii Rotberti Francorum regis adhuc viventis in regem. Compositis Langobardorum rebus, & natali Domini Iporediæ celebrato, Conradus ad limina Apostolorum perrexit, & ipso die resurrectionis Domini, præsentibus duobus regibus, Cnuto Anglorum, & Rodulfo Burgundionum, imperialia insignia a Johanne pontifice accepit. Inde in Germaniam reversus, nativitatem sancti Johannis-Baptistæ *Imbripoli* seu Ratisponæ novus imperator celebravit: ubi ducatum Bajoariæ Heinrico, Heinrici recens mortui filio, commisit.

ANN. CHR. 1027. I. Conradi imperatoris coronatio.

Cnuti regis epistola.

Antequam Roma discederet Cnutus seu Canutus rex Angliæ epistolam scripsit ad omnes regni sui episcopos, quibus significat, se demum votum expleviisse de « lustrandis urbis Romæ locis sanctis; se in paschali sollemnitate tum a domino « papa, tum a Conrado imperatore, multisque principibus, qui eo undequaque con- « venerant, donis, pretiosis honoratum fuisse; obtinuisse insuper subditis suis liberam « facultatem adeundæ Urbis, quod etiam concesserit Rotbertus rex, *qui maxime* « *ipsarum clausurarum dominatur.* denique se conquestum fuisse apud papam, quod sui « archiepiscopi multarum pecuniarum exactione pro pallio gravarentur; decretum- « que fuisse, ut ne id deinceps fieret. Post hæc universis regni sui judicibus mandat, « ut justitiam unicuique accurate reddant. Postremo subdit, se in Danemarchiam, « cujus itidem rex erat, proficisci ad res illius regni componendas: quibus compo- « sitis, se in Angliam reversurum. Insignis est hæc epistola, edita apud Willelmum « Malmesburiensem & apud Ingulfum, sed male ad annum M XXXI. relata, quam Cnutus in Angliam per Livingum abbatem Taviskotensem perferri curavit.

II. Francofurtensis synodus.

Post hæc Conradus, ad synodum Francofurtensem, ab Aribone archiepiscopo indictam, se contulit, in qua Aribo Hildensheimensem episcopum de sæpius ventilata Gandersheimensis parthenonis causa denuo sollicitavit. Hujus synodi, ad quam episcopi viginti-tres convenerunt, paucis mentionem facit chronicon Hildenshei-

ANN. CHR. 1027.

mense, & Chronographus Saxo Leibnizianus: at fusius ejus confessionem describit anonymus chronographus alter ineditus in hunc modum. *In orientali parte ante altare archiepiscopus Aribo cum suis suffraganeis, Werinhero Argentinensi, Brunone Augustensi, Meinwerco Paterbrunnensi, Eberhardo Babenbergensi, Meinardo Wiceburgensi, Brantago Halberstadensi, Godehardo Hildinisheimensi, Hazecone Wormatiensi, Wiggero Fardensi consedit. In occidentali parte imperator consedit, & a dextris ejus Piligrimus Coloniensis archiepiscopus cum sibi subditis, Sigiberto Mindensi, Sigifrido Monasteriensi, Bernone Trajectensi: a sinistris ejus Hunfridus Parthenopolitanus archiepiscopus cum suis, Hildiwardo Cicensi, Brunone Mersburgensi, Liuzone Brandeburgensi, Thioderico Misnensi. In australi autem parte episcopi, Rainbertus Wirdunensis, Rodolfus Sueswicensis, Hildolfus Mantuanus, Reinoldus Aldenburgensis assederunt. In aquilonali etiam abbates, Richardus Fuldensis, Reinboldus Lorrisheimensis, Arnoldus Herveldensis, Gerbertus Mogontinus cum aliis etiam ejusdem ordinis sex adfuerunt. Ibi tandem præsul Godehardus summa Veritate, quæ Christus est, miserante pariter & adjuvante, episcopatus sui proprietatem super totum Gandirsheimense territorium testimonio septem episcoporum, qui prædictam pactionem in Gandirsheim & audierant, & viderant, canonice retinuit, scilicet Brunone Augustensi concionante, Werinhero Argentinensi decernente, ipso vero metropolitano, vere invito, verbi Dei banno affirmante. Hi enim erant episcopi, qui suum testimonium, sicut viderant & audierant, præbuerunt: Bruno Augustensis, Everhardus Bavenbergensis, Meinwercus Paderbrunnensis, Meinhardus Wirceburgensis, Sigibertus Mindensis, Hildiwardus Cicensis, Bruno Mersburgensis. In hac synodo domna Sophia abbatissa Gandersheimensis nonnas suas, cogente synodali decreto, ab archiepiscopo recepit. In eadem synodo Gebehardus, juvenis frater imperatoris, arma compulsus deposuit, & clericalem tonsuram invitus accepit.* Hactenus chronicon nostrum, cujus contextum hoc loco integrum retulimus, cum nusquam illius synodi acta, immo nec fere mentio habeatur, ne quidem in libro de vita sancti Godehardi episcopi, ubi tota hæc de Gandersheimensi parthenone controversia fuse exponitur.

III. Heymonis Virdunensis episcopi successor Raimbertus.

Qui prædictæ synodo interfuit *Rainbertus Wirdunensis* seu Virdunensis ante annos tres successerat Heymoni seu Haimoni episcopo, qui XI. kal. Maii obierat, humato in monasterio sancti Mauri, quod ab ipso conditum fuerat. Initio sæculi septimi-decimi, cum ejus sepulcrum reseratum fuisset, inventa sunt ejus ossa cum pontificalibus ornamentis & lamina plumbea, cui hæc verba inscripta erant: *Heymo hujus sedis episcopus, reparator & innovator loci hujus*, XI. *kal. Maii facto fine vivendi, hic tumulatus requievit.* Tam pii præsulis successor virtute haud impar prædictus Raimbertus, in suburbio Virdunensi monasterium in honorem sancti Agerici episcopi exstruxit, ut in consequentibus [a] dicturi sumus.

a *lib. 57. n. 87.*

IV. S. Mauri Virdunensis prima abbatissa.

De parthenonis sancti Mauri primordiis superius [b] actum. Illic vetus ab antiquo, ut dixi, ecclesia erat, sanctis Johanni-Baptistæ & Johanni-Evangelistæ sacra, in qua sancti episcopi & confessores, Maurus, Salvinus, & Arator humati fuere. Nunc unius sancti Mauri nomen ecclesiæ hæret. Sita erat primitus extra muros urbis *juxta rivulum Scantiæ*, ut in diplomate Leonis IX. legitur. Hanc divinorum officiorum expertem dolens Heymo episcopus, instaurandam aggressus est, eaque restituta, *congregationem sanctimonialium, sub dispositione patris Richardi regulariter viventium*, ibidem *instituit*, ejusque consilio matrem eis providit Adelbergam, Avam cognomento, fidelem Dei famulam, *cujus memoria est æterna*, inquit Hugo Flaviniacensis. Hæc patris sui formam imitari cupiens, velut apis prudentissima, ex aliis, etiam virorum, monasteriis laudabilibus ritus ac mores exprimere studuit. Quapropter Cluniacum profecta, tanto in honore ab Odilone habita est, ut, licet muliebri sexui monasterii aditus omnino interdictus esset; ei tamen pro sua religione & patris Richardi cum Odilone individua caritate, non modo claustra monasterii ingredi concessum sit, verum etiam capitulo associata, dominico die in processione cum fratribus interesse. quod sanctæ Liobæ abbatissæ itidem olim in Fuldensi monasterio a sancto Bonifacio permissum fuerat. Eidem, ut puto, Avæ (hoc enim cognomen Adelbergæ fuisse diximus) Leo IX. privilegium concessit.

b *lib. 50. n. 29.*

V. Richardi abbatis iter Jerosolymam.

Tunc temporis Richardus Virdunensis abbas Jerosolymam ad sacra loca visenda profectus erat. quod iter sub finem anni præcedentis, septingentis comitatus sociis, aggressus est. Tempus colligimus ex chronico [c] Ademari monachi, qui Richardi Nortmannorum comitis morti, quæ anno superiori accidit, continenter Richardi

c *Labbe to. 2. bibl. p. 182.*

chardi abbatis iter subjicit, eumque Willelmo Ecolismensi comiti, aliisque socium adjungit his verbis. *Eo tempore Willelmus Egolismensis comes per Bajoariam iter egit ad sepulcrum Domini. Comitati sunt eum Odo Bituricus, princeps Dolensis, Richardus abbas Virdunensis, Richardus abbas sancti Eparchii Egolismensis, & princeps ejus & consiliarius Girardus, Faneldus, & Amalfredus, postea abbas, & magna caterva nobilium. Stephanus rex Ungriæ cum omni honore eum suscepit, & muneribus ditavit. Cœpit iter agere mensis Octobris primo die, & pervenit in sanctam civitatem prima hebdomada mensis Martii; reversusque est tertia hebdomada mensis Junii ad propria.* Idem Willelmus comes paullo post reditum morbo correptus, VI. *idus* [a] *Aprilis anno* M XXVIII. mortuus est. quod tempus initi ab ipso, adeoque a Richardo abbate itineris omnino confirmat. Quæ causæ Richardum ad hoc iter impulerint, tradit Hugo Flaviniacensis, nimirum tædium [b] farcinæ pastoralis, divinæ contemplationis amor, & mors quorumdam peregrinorum ex Augustodunensi territorio, qui pie in sacris locis, uti optaverant petierantque a Domino, nullo fere dolore spiritum Deo reddiderant. Verum antequam hoc iter iniret, Cluniacum adivit, Odilonem abbatem Virdunum adduxit, eique monasterii sui disciplinam & inhabitantium mores approbavit. Post hæc, vix obtenta a principe & pontificibus, regnique primoribus venia, paratis necessariis sumtibus, quos Richardus comes Nortmannorum magna ex parte suppeditavit, cum prædictis viris aliisque quam plurimis, itineri se commisit. Hos inter exstitere Gervinus, ex canonico Remensi sancti Vitoni sub ipso Richardo monachus, ac postmodum abbas Centulensis, & laïci duo ex urbe Bajocacensium, Humbertus & Gaufredus, pater & filius: ex quibus Humbertus, ex diuturno languore decumbens, viso ad hanc peregrinationem animatus fuit, moxque conscenso equo convaluit. Gaufredo filius fuit Gozelinus, a quo Hugo Flaviniacensis accepit miraculum aquæ in illo itinere in Richardi sociorumque gratiam cælitus in vinum conversæ, & formam orandi, quam vir Dei sociis suis, qui idiotæ & simpliciores erant, præscripserat. In illo autem itinere Richardo mos erat, post divinas laudes, quotidie sacra facere. Ubi Antiochiam pervenit, illic aliquot diebus remorari coactus est. quo tempore amicitiam contraxit cum Symeone viro Dei, qui a fratribus monasterii montis Sion ad accipiendam a Richardo comite Nortmannorum consuetam eleemosynam idemtidem mitti solebat. Inde terram Sarracenorum ingressus Richardus, missarum nihilominus sollemnia ad muros illorum civitatis celebravit: ubi lapidum grandine ab eis impetitus, nihil mali sustinuit. quod Sarracenis ipsis multam admirationem commovit. Idem in reditu ipsi contigisse dicitur. Accedenti demum ad sanctam civitatem patriarcha, qui ejus famam sanctitatis inaudierat, obviam occurrit. Dominica die palmarum urbem ingressus est, ubi tota hebdomada noctu & interdiu in Dei laudibus perseveravit, nihil territus paganorum insultibus, qui in ecclesia gladiis accincti discurrebant. Die sancti sabbati, quo lampades* cælesti igne accendi solebant, gentiles armati ecclesiam, christianis intro conclusis, & consuetum miraculum præstolantibus, obseratam tenebant, omnes gladio peremturi, si ignis de more non adveniret: cum ecce, hora circiter nona, omnibus in preces effusis, in una lampade ignis nullo humano adminiculo, divinitus accenditur. quod magnum christianis gaudium, gentilibus vero stuporem excitavit. Ilico vir Dei sacris indutus vestibus, missam a *Kyrie eleison* inchoat, cum antea lectiones & cantica, & quidquid est illius diei ad missam præmissum fuisset. Noctem insequentem abbas sanctus duxit insomnem, Dominum resurgentem adoraturus. Sequentis lucis hora circiter tertia missæ sollemnia festive celebravit, communicatisque fidelibus domum reversus est, sepulcrum Domini sæpius revisere solitus. quo die multum cum patriarcha colloquium habuit.

ANN. CHR. 1027.

a *ibid. p. 255.*

b *id. to. 1. p. 175.*

* *V. lib. 37. n. 12.*

Inter ea contigit, Popponem Stabulensem abbatem, cum sui, tum aliorum monasteriorum negotiis occupatum, resignare commissi sibi sancti Laurentii apud Leodicum regimen in manus Leodicensis episcopi, non Durandi, ut fallit Hugo Flaviniacensis, sed Reginardi, qui Durando a duobus annis [c] successerat. Postquam igitur Stabulensis abbas *in manu Reginardi episcopi* (ita enim diserte habet [d] Ægidius) *hujus loci remiserat providentiam*; instituit apud eum Herimannus comes, vir prudentia & consilio, ut nobilitate clarissimus, frater Gozelonis Lotharien-sium & Mosellanorum ducis, ut viduatæ & desolatæ ecclesiæ misereretur, patrem-

VI. Stephano commissum S. Laurentii regimen.

c *V. supra lib. 55. n. 97.*
d *Gesta Leod. episc. to. 1. p. 268.*

ANN. CHR. 1027.

que illi ac rectorem provideret. In monasterio sancti Vitoni esse monachum probatissimæ vitæ, Stephanum nomine, in Leodicensi sancti Dionysii ecclesia quondam canonicum, sibi optime notum, qui religione & scientia non minus prodesse, quam præesse Dei domui posset. Episcopus id se quantocius facturum respondit, ubi primum Stephanus adesset. Mox eum comes, ut erga sanctum Laurentium peculiari studio affectus erat, statim deductum Virduno cum sex monachis obtulit episcopo, qui statim illum abbatem benedixit, & sancti Laurentii novo monasterio præfecit. Hæc Ægidius, quæ ex Reinero monacho in vita Wolbodonis episcopi accepit. at singularia quædam, certe non omittenda, addit Hugo Flaviniacensis. Nempe cum per integrum fere annum Richardus in sua peregrinatione remoraretur, rumorque percrebruisset eum obiisse; Stephanum Virduno evocatum, ut sancti Laurentii monasterio præesset, abbatis sui prætendisse obedientiam, cujus injussu quidquam agere, nedum aliis præesse, sibi non liceret. Reposuit episcopus, se ejus nutum hac de re ac voluntatem, antequam discederet, obtinuisse: nunc vero, cum fama vulgante ejus obitum resciverit, se decrevisse ejus voluntatem implere. His se persuaderi passus est Stephanus, ac minus caute, ut ex eventu patuit, subiit præfecturam loci & benedictionem abbatis. Non multo post vir Dei, qui mortuus falso credebatur, ex peregrinatione rediit, & audito quod factum erat, super Stephani doluit errore: qui pudefactus redeunti occurrere non sustinuit, & veniale erratum gravi pœnitentia expiavit.

VII. Bruno episcopus rem monasticam ut curat.

Jam annus fere elapsus erat, ex quo Bruno ad Tullensem ecclesiam regendam cooptatus, necdum tamen ordinatus fuerat, moras nectente Poppone archiepiscopo ob promissum insolitum, quod ab eo exigebat. Morarum impatiens Conradus imperator, utrumque Wormatiæ in frequenti episcoporum ac procerum cœtu adesse jubet, & formula sacramenti nonnihil laxata, ut scilicet Bruno in arduis tantum ecclesiæ rebus archiepiscopum consuleret, evicit, ut Bruno quantocius consecraretur. id demum hoc anno factum v. idus Septembris. Ordinatus vir Dei mox studium suum in primis convertit ad propagandam religionem monasticam, quæ in omnibus suæ parochiæ, præterquam sancti Apri, monasteriis valde intepuerat; maxime in sancti Mansueti & in Mediano-monasterio, ubi locorum prælati, *posthabito animarum sibi commissarum studio, in solo exteriorum dominatu se constitutos putabant.* Hos in ipso suæ electionis exordio loco movit, & venerabili Widrico, qui tum apud sanctum Aprum præpositus erat, utrumque monasterium commisit: cujus studio & industria ordo monasticus brevi in eisdem locis recaluit. Eumdem Bruno sancti Apri monasterio præfecit abbatem, petente Willelmo Divionensi abbate, sancti Apri reformatore, *cujus sancta fama cis mare per cunctos fines orbis* tunc *memorabilis* erat. Mox Widricus jam pæne labentis monasterii fabricam a fundamentis restruere cœpit, cui operi idem pontifex triginta librarum subsidium liberaliter impendit. Quin etiam in Portus-suavis * cœnobio, quod Herimannus ejus decessor inchoaverat, ædificia perfecit, ibique *devotam sanctimonialium constituit congregationem*, quibus nobilis generis vitæque laudabilis abbatissam præposuit, Berzennam nomine: cujus assidua sollicitudine divini fervor servitii ibidem maxime crevisse traditur. Nunc collegium est nobilium canonicarum.

* *Pouffay.*

VIII. Palatiolum monasterium abolitum.

Popponis archiepiscopi factum quoddam recitat Theodericus in ejus vita, quod eadem fide huc referre visum est. Is [a] narrat, archiepiscopum curis omnibus ad diœcesis suæ cum tuendam dignitatem, tum disciplinam retinendam conversis, mores sanctimonialium Palatioli cœnobii, quod jam inde a sæculo septimo conditum diximus, lascivia luxuque remollitos, hac occasione sanare aggressum fuisse. Forte archiepiscopus uni ex illis commissuram pallii, ut inde caligas episcopales contexeret, de more dederat. Illa, ut antistitis in se amorem raperet, vestem philtro imbutam reddit. Poppo ut caligas induit, tantam ilico philtri vim præter morem expertus est, ut in nefariæ mulieris amorem tota mente & cogitatione exardesceret. Demiratus lascivientis carnis insolitam tyrannidem, facto in aliis quoque simili periculo, turpissimi flagitii auctorem feminam esse non dubitavit. Ventum inde ad facti cognitionem, eoque probato, una omnium sententia fuit, expellendam ex illo cœtu nequissimam incantatricem; ceteras ad pullam vestem (nam candidas canonicarum more tum gestasse dicuntur) & ad strictiores monacharum leges redigendas esse. quod cum major pars, vitæ laxioris tenax, omnino respueret,

a *Annal. Trev. lib. II. n. 40.*

visum est archiepiscopo collegium illud pœnitus dissolvere, facta reliquis ad alia transeundi monasteria facultate: ex quibus nonnullæ in proximum Horreense monasterium, quod integra per id tempus disciplina vigebat, migraverint. His gestis, Poppo ad sanctum Domini sepulcrum profectus traditur: qua in peregrinatione triennium insumsit, eodem fere tempore, quo Richardus abbas. ANN. CHR. 1027.

IX. Murense monasterium conditur.

Cum multa sunt commoda, quæ rei publicæ ex Ordine nostro proveniunt, tum illud non insuper habendum, quod plurima servaverit monumenta, quibus tum sacra, tum profana historia illustrari possit. Argumento est in præsens Murense apud Helvetos monasterium, ex cujus archivo desumta est vera origo Habsburgicæ domus, quæ multis fabulis ante illorum monumentorum editionem scatebat. Ex illis enim constat, illius stirpis auctorem esse Radebotonem, cujus filius Wernerus seu Wernarius Argentoratensis antistes, Murensi monasterio, uti & Habesburgi castro, principium dedit. sic enim ille in primario hac de re instrumento loquitur. *Ego Wernherus, Strasburgensis episcopus, & castri, quod dicitur Habesburch, fundator, monasterium in patrimonio meo, in loco, qui Mure dicitur, in pago Argöia, in comitatu Rore, in honore sanctæ & individuæ Trinitatis & sanctæ Dei-genitricis Mariæ, omniumque sanctorum construxi, quod titulo beati Martini episcopi in perpetuum dicavi. cui prædia, quæ hereditario jure mihi contigerant, per manum germani fratris mei Lancelini, qui, utpote militiæ cingulo præditus, defensor patrimonii mei exstiterat, cum legitima possessione villarum, familiarum, agrorum, silvarum, pratorum, montium, omniumque appendicium contradidi.* tum statuit, ut fratres inibi, *sub monachica norma secundum regulam beati Benedicti viventes*, abbatem sibi libera electione, sive de sua, sive de alia congregatione, libere præstituant: ipse autem abbas, communicato fratrum consilio, advocatum de ejusdem Werneri posteritate, *quæ præfato castro Hasburch dominetur*, eligant, &, deficiente mascula prole, mulier ejusdem generis & castri advocatiam e manu abbatis accipiat: non ut beneficium, *sed ut quamdam monasterii commendationem & tuitionem.* Actum *anno ab incarnatione Domini millesimo vigesimo-septimo, indictione* X. *regnante Conrado imperatore augusto.* Wernero adjungitur Itta comitissa, Radebotonis conjux, quæ monasterii itidem *primaria conditrix* dicitur in necrologio ad diem XXIII. Julii: quæ in libro fundationis perperam Werneri episcopi soror dicitur. Benefactricem dicere malim quam conditricem: cum Wernerus ipse testetur, se monasterium condidisse in suo *patrimonio*, quod *hereditario jure* sibi provenerat. Accersitus ex Meginradi-cella seu Einsidla Embricius abbas, commendatum sibi locum *in suum magisterium* accepit, moxque illuc destinavit Reginboldum monachum, *in omnibus actibus suis laudabilem virum, qui nuper antea a Solodoro castro ad conversionem venerat*; eumque præpositum illic constituit, missis cum eo fratribus ac libris, aliisque rebus necessariis. Ejus loci parochialis ecclesia, quam tenebat Voko presbyter, eidem monasterio cum ejus dote tradita est a Warmanno Constantiensi episcopo, ita sane, ut sæcularem illi ecclesiæ presbyterum monachi præficerent. Errat Murensis chronographus, cum Wernerum episcopum hoc anno decessisse scribit, quem ad annum M XXIX. vitam produxisse constat ex chronico Hildensheimensi: ubi Willehelmus, reginæ capellanus, ei successisse traditur. Werneri episcopi obitus in necrologio notatur v. kal. Novembris, mortuus in Constantinopolitana urbe, si Murensi chronographo credimus, quo jussu Conradi imperatoris abierat.

X. Heinrici regis coronatio.

His præmitti debuerat coronatio Heinrici, filii Rotberti regis, Conradi imperatoris inaugurationem brevi subsecuta, quippe quæ post mortem Hugonis natu-majoris in civitate Remorum [a] jussu patris hoc anno facta est, nequiquam obsistente Constantia regina, quæ Rotbertum natu-minorem præferri volebat. Rotberti patris voluntati favebat Fulbertus Carnutum antistes, Constantiæ vero cum multis aliis Odolricus episcopus Aurelianensis, cujus ad Fulbertum epistola exstat inter [b] Fulbertinas, cum monentis *incurrisse gravissimum reginæ odium, faventem potius marito suo de constituendo rege majore filio, quem dicunt simulatorem esse, segnem, mollem in negligendo jure patris futurum: fratri suo minori attribuentes his contraria.* Fulbertum ob hoc rodi a plurimis episcopis: satius fore, *patre vivente, nullum regem sibi creari*; aut præferendum, qui melior fuerit. Hinc consecuta mala, quæ tum Fulbertus ipse in suis epistolis, [c] tum Glaber commemorant. Heinricum ipso die pentecostes, qui hoc anno in quartum-decimum Maii incidebat, coronatum

a *Glab. lib. 3. c. 9.*

b *Fulb. ep. 106.*

c *id. ep. 105. &c.*

ANN. CHR. 1027.

fuisse discimus ex præcepto Rotberti regis, qui Dervensibus, postulante Dudone abbate, quasdam ecclesias, quas Stephanus de Junci-villa invaserat, restitui jubet, cum consilio episcoporum, abbatum ac procerum, *qui ad benedictionem prolis meæ*, inquit, *Heinrici futuram in die sancto pentecosten convenerant.* Eodem anno Hugo miles quamdam partem *foreste suæ* donat Dervensi monasterio, *cui venerabilis pastor & abba Dudo* præerat. *Data* XV. *kal. Decembris*, regnantibus Rotberto, & filio ejus Heinrico. *Actum Dervo monasterio publice anno ab inc. Domini* M XXVII. *indict.* X. Idem miles post annos octo dicitur obiisse v. non. Octob. & in Dervensi monasterio jacere. Bellius litteras refert Agnetis Pictavorum comitissæ, Angeriacensi monasterio conferentis decimam quamdam in *Poio-Cerverio juxta Carentiniacum monasterium*, datas *mense Februario* anni insequentis, *anno* XL. *regnante Rotberto rege, & primo anno regni Heinrici filii sui.* Durabat ad hoc tempus Mediolanensium conjuratio in Conradum imperatorem, ut patet ex Fulconis Andecavorum comitis litteris ad Rotbertum regem, quas apud Fulbertum [a] legere licet.

a *ibid. ep.* 15.

XI. Dervensibus restitutio & donationes factæ.

Quinam episcopi Heinrici coronationis interfuerint, discimus ex prælaudato Rotberti regis præcepto pro monasterio Dervensi, quod hoc loco integrum in rei monumentum afferre operæ pretium fuerit.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, divina ordinante providentia Rotbertus rex. Si justis & rationabilibus servorum Dei petitionibus aurem clementiæ impendimus, procul dubio exinde æternam a Domino mercedem nos recepturos speramus. Quapropter universis sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, tam præsentibus quam futuris, notum fieri volumus, quoniam Dudo venerabilis abba & ceteri fratres ex monasterio, quod vocatur Putiolos, quod est in Dervo constructum in honore beatorum apostolorum Petri & Pauli ac sancti Bercharii, qui ipsum monasterium a novo opere construxerat, ubi nunc ipse gloriosus Martyr & sancta Theodosia corpore requiescunt, ante præsentiam nostram venerunt, & causas suæ necessitatis humiliter intimaverunt, reclamationem facientes de quibusdam rebus prædicto monasterio ablatis; scilicet de septem ecclesiis, de Ragiscote, de Vallis, de Faia, de Tramiliaco, de Saura-terra, de sancto Christophoro, de Laderciaca corte: quas quidam miles Stephanus de Junci-villa * *de Joinville.* *nuper sua fortitudine invaserat, videlicet prædicti tempore abbatis. Hujus clementissime faventes petitioni, ostendimus eam fidelium nostrorum clarissimæ congregationi, scilicet archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, monachorum, clericorum, comitum, ceterorumque multorum, qui* AD BENEDICTIONEM MEÆ PROLIS HEINRICI, FUTURAM IN DIE SANCTO PENTECOSTEN, *convenerant. Igitur episcoporum sancta conventio, & procerum meorum amabilis multitudo hujus religiosi viri petitionem judicantes suscipere, tam pro remedio animæ nostræ, quam pro statu sanctæ Dei ecclesiæ, cui videbatur præesse, quoniam prædictus miles aberat, qui Dei ecclesiæ res invaserat, & præsentialiter aliam non poteramus facere justitiam, eum decrevere percuti gladio anathematis. quorum decreto libenter assensum præbentes, hoc solum prædicto abbati suggessimus, ut illa die ab hac re desineret, dicentes,* NON ESSE VOLUNTATIS NOSTRÆ, QUEMQUAM ILLA DIE MALEDICI, QUA FILIUM MEUM STATUERAMUS BENEDICI. *In crastinum vero dilatam proclamationem jam dicto abbate ante præsentiam nostram repetente, atque hoc idem pluribus in locis se fecisse, sed non profuisse sibi adserente, jussimus catervæ episcoporum, cum laude, qui in præsentia aderant, principum, ut æternæ maledictioni memoratum militem, nisi resipisceret, supponerent. quod & factum est.*

Auctoritate Dei Patris omnipotentis, & sanctæ Dei-genitricis Mariæ, & sancti Petri, & omnium Apostolorum, & omnium electorum Dei excommunicamus, & omni genere maledictionis expugnamus prædictum militem Stephanum, qui res sanctorum apostolorum Petri & Pauli, sanctique Bercharii martyris usurpando pervasit, nisi quod pervasit reddiderit, & per congruam satisfactionem pœnituerit. Istius anathematis vinculum nos pariter cum reliquis roborantes, jussimus ut usque ad satisfactionem haberet vigorem, & litteris quæ acta sunt denotarentur, & pontifices cum principibus, quorum judicio hæc gesta sunt, subscriberentur. Sig. Rotberti gloriosissimi Francorum Regis. Sig. Ebali archiepiscopi. Sig. Beroldi episcopi. Sig. Ascelini episcopi. Sig. Rogeri episcopi. Sig. Fulconis episcopi. Sig. Harduini episcopi. Sig. Warini episcopi. Sig. Lantberti episcopi. Sig. Goffridi episcopi. Sig. Fromundi episcopi. Sig. Odilonis abbatis. Sig. Airardi abbatis. Sig. Richardi abbatis. Sig. Odonis comitis. Sig. Guillelmi comitis.

Qui post Ebalum Remorum archiepiscopum subscribunt episcopi, sunt Beroldus Suessionensis, Ascelinus seu Adelbero Laudunensis, Rogerus Catalaunensis, Fulco Ambianensis, Harduinus Noviomensis, Warinus Bellovacensis, Lantbertus Lingonensis, Goffridus Cabilonensis, Fromundus Trecensis; tum abbates Odilo Cluniacensis, Airardus sancti Remigii apud Remos, Richardus sancti Medardi apud Suessionas; Odo comes Campaniæ, & Guillelmus comes, ut puto, Burgundiæ, cognomine Otto, qui non multo post vivere desiit, ut mox dicturi sumus. Ceterum Stephanus de Junci-villa, de quo in præmisso diplomate agitur, regis & episcoporum decreto acquievit, rediitque in gratiam cum Dudone abbate & Dervensibus, agente in primis Engelberto seu Ingelberto comite Breonensi, superius [a] memorato, qui suam ipsius filiam ei matrimonio copulavit, eique a Dudone abbate obtinuit *advocatiam* [b] territorii Blesensis, quæ prius ipsi Engelberto commissa erat. Ad hæc eodem anno Hugo quidam, vir nobilis, *sanctorum* in Dervo *habitationem considerans, & monachorum ibi degentium conversationem Deo dignam*, partem quamdam ex *foreste* sua eis confert, centum videlicet perticas in longitudine, totidemque in latitudine, cujus *dimensionem perticæ ipsius ad mensuram pedum viginti & septem protendi* jubet. *Data sub die* XV. *kal. Decembris, regnantibus piissimis Francorum regibus Rotberto & filio ejus Henrico. Actum Dervo monasterio publice, anno ab incarnatione Domini* M XXVII. *indictione* X. Decessit post annos octo v. nonas Octobris idem Hugo, sepultusque est in monasterio Dervensi.

ANN. CHR. 1027.

a *lib.* 54. *n.* 76.

b *V. append.*

XII. Otto-Willelmus obit.

Eodem anno [c] mortuus est Otto-Willelmus Burgundiæ comes mox laudatus, sepultusque in monasterio sancti Benigni, ubi filius ejus Wido comes ante aliquot annos humatus fuerat. Ottonis comitis ob insignia ejus beneficia in sanctum Benignum æterna memoria erit apud ejus loci monachos, qui ejus nomen necrologio adscripserunt XI. kal. Octobris. De ejus obitu, aliisque de rebus ad Vizeliacense maxime cœnobium pertinentibus, Willelmus abbas Odiloni abbati Cluniacensi epistolam scripsit, quam ex veteri membrana hoc loco referre non pigebit.

c *Spicil. to.* I. *p.* 460.

Melle favoque dulciori domno patri O. frater W. cum ceteris fratribus, summæ felicitatis munus. Omnes quæ circa vos sunt, flagranti desiderio certi esse cupientes, litterulas vobis misimus, horum, quæ apud nos geruntur, indices. Interius quidem, divina gratia, vestrisque meritis suffragantibus, bene valemus: exterius vero quibusdam infortuniis graviter fatigamur. Audistis jam, ut credimus, rebus humanis excessisse comitem Willelmum, & apud Divionem sepultum. De obitu comitis Richardi missum non habuimus, nec aliquid didicimus, nisi quantum a dicentibus audivimus. Præter ea innotescimus paternitati vestræ, quod monasterium Viziliacense, agente Landrico comite, monachis ejusdem loci cum abbate turpiter ejectis, domnus Oddo suscepit sine consultu episcopi Augustodunensis. Hac de causa in tanta ira contra vos & nos, locumque nostrum concitatus est, ut non solum mala, quæ per se suosque poterit, minatur nobis irrogare, monasterium videlicet Magabrense auferendo, & omnia altaria, quæ in suo episcopatu habemus, excommunicando; sed & omnes, quotquot potest, episcopos, clericos, laicos, cujuscumque Ordinis aut dignitatis, in nostras inimicitias commovendo. Excommunicavit etiam nostræ congregationis fratres, ut nullus jam dicto loco inhabitet, ecclesiamque ingrediatur, vel aliquod divinum obsequium in ea celebrare præsumat. Ipsi vero fidentes apostolicis privilegiis, quibus libertas ejusdem loci ab antecessoribus provisa est, pro nihilo ejus sententiam computaverunt, & nihil de interdictis dimittere curaverunt: sed litteras hac de causa ab eo directas despectui habentes, in terram pedibus conculcandas projecerunt. unde non solum ipse majori ira accensus est, sed & apud omnes, longe lateque hæc audientes, grandis calumnia contra nos exorta est. Universi enim qui hæc audiunt, non solum inimici, sed & qui ante videbantur amici, illius injustitiam contra nos auctorizant, nosque inauditæ præsumtionis, & etiam apud sæculares horrendæ cupiditatis inculpant, dicentes, non licere qualemcumque abbatem a proprio honore qualibet ex causa amovere sine canonica examinatione & judicio episcopi, ad cujus diœcesim noscitur pertinere. Hæc & ejusmodi quamplura, non modo ab æmulis, verum & a consentaneis audientes, & ab episcopo vinculo anathematis quo fratres ligaverat, ut absolveret, nullo modo antequam relicto loco cum suis omnibus ad vos reverterentur, impetrare valentes, aliud consilium salubrius invenire nequivimus, præter quod ex vestra parte eis mandavimus, ut ad vos revertantur quantocyus: ne aliquis periculo excommunicationis subjaceat subita morte præventus. Hæc vero an

ANN. CHR. 1027.

comes Landricus permittat, vel ipsi velint facere, nobis manet incertum. Quæ cuncta vobis intimare curavimus, cupientes vestram voluntatem & jussionem de his omnibus littera vestra cognoscere quantocyus. Valete.

Quid ex illis turbis consecutum sit, non prodit chronicon Vizeliacense, quod tomo tertio Spicilegii Acheriani editum est. Ex hac vero epistola intelligitur, jam vulgatum fuisse rumorem de morte Richardi tertii Nortmannorum comitis, qui paullo amplius solido anno patri supervixit, ut mox videbimus. Ottonis epitaphium retulit Chiffletius, in cujus fine hæc leguntur. *Anno Domini* M XXVII. XI. *kalendas Octobris sepultus est.* Ejus filius Wido comes filium habuit Ottonem comitem Matisconsem, qui pro anima patris sui Widonis, necnon pro anima avi sui Ottonis, cognomento Willelmi, & uxoris suæ ac filii sui Gaufredi, villam Anisc-

Cluniaco facta restitutio.

cum, prope Ararim fluvium sitam, quæ olim *ex hereditate sancti Vincentii*, id est cathedralis ecclesiæ Matisconensis, ad jus comitatus ab antiquo devenerat, Cluniaco restituit, *sicuti jam ante comes Leotaldus, atavus*, inquit, *meus, per testamentum præcepti Ludovici regis dederat apostolo Petro & Clunienſibus monachis.* Eisdem ipse Wido villam contiguam, Asnerias dictam, cum suis appendicibus donat; *regnante Rotberto rege cum filio suo Hugone*, atque adeo ante mortem Ottonis-Willelmi, qui Hugoni regi paullulum supervixit.

XIII. Placitum pro S. Germano Pratensi.

Willelmus abbas, cujus epistolam mox retulimus, non ita Divionensi, Fiscamnensive monasterio affixus erat, quin aliis quoque monasteriis sibi commissis invigilaret, quorum e numero Pratense sancti Germani apud Parisios monasterium erat. Quam ob rem cum pravæ consuetudines [a] in villis huic monasterio subjectis, scilicet Antoniaco *, ejusque appendicibus, a vicario, cui nomen Pipinellus-Garini, exigerentur; hac de re conquestus est Willelmus apud Rotbertum regem : qui id moleste ferens, prædictum Pipinellum ad discussionem istius causæ provocavit. Comparuit ille ad dictum diem, at resistere non valuit rationibus monachorum, *qui legali conflictu duelli erant resistere parati.* verum cum ad satisfactionem paratus esset, morte præventus id exsequi non potuit : ad quod rex & Constantia regina Hersendam ejus conjugem compulerunt. Placito subscribunt Guarinus episcopus, scilicet Belvacensis, Odolricus Aurelianensis; Burchardus miles, nempe de Monte-Maurenciaco, aliique complures.

a *Montmorency p.* 17.
* *Antony.*

XIV. S. Wlframni inventio.

Dum Gerardus abbas Fontanellæ [b] præesset, (hoc autem anno præesse cœpit) visum est ei, ceterisque fratribus, ut basilica sancti Petri, quæ humilior erat, paullo altius erigeretur, & statutis columnis, fornicibusque per eas dispositis, cryptæ fierent, seu ædiculæ subalares. At cum operæ humum effoderent, tria sepulcra ordinate dispositа invenerunt; & in duobus quidem, quæ sancti Wandregisili & sancti Ansberti titulos præferebant, nihil præter pulverem resolutorum corporum repertum est : in tertio vero, quod ad sancti Wandregisili dextram positum erat, integerrimum sancti Wlframni corpus inventum cum sacerdotali veste non omnino consumta, ex qua sescuncia auri collecta, quæ postmodum conficiendæ altaris argenteæ tabulæ impensa fuit. Hoc loco expostulat Fontanellensis illius inventionis scriptor contra Blandinienses monachos, qui corpus sancti Wlframni una cum reliquiis sanctorum Wandregisili & Ansberti in suum monasterium delatas jactitabant. quod refellit auctor ille, tum ex historia translationis sanctorum Wandregisili & Ansberti, quos Blandinienſibus concedit auctor; tum ex libello de virtutibus sanctæ Bertæ abbatissæ Blangiacensis. Sic inventum corpus sancti Wlframni in ligneo primum loculo repositum; dein ab illustri quadam femina, Imma nomine, quæ *mutato habitu* Fontanellam secesserat, argentea theca inclusum fuit. Constituta die, qua id fieret, Gerardus abbas corpus sacrum ad ædiculam sanctæ Deigenitricis Mariæ quæ Callo-villæ dicitur, vespera præcedente deferri curavit: tum prima luce cum duobus fratribus illuc profectus, sacra ossa, *vino lota*, primo sindone nova, tum pretiosissimo ex purpura pallio, quod Rotbertus archiepiscopus dono ad hoc miserat, involuta, in præparato scriniolo reposuit : in altero vero corpora sanctorum confessorum Eremberti Tolosani pontificis & Condedi eremitæ; in tertio denique beatorum martyrum Maximi & Venerandi, quibus ita dispositis, Gradulfus tunc decanus, is qui post Gerardum abbas fuit, ceterique fratres cum crucibus ac cereis ad prædictam ædiculam processerunt, subsequente Imma matrona cum infinita promiscui vulgi multitudine; indeque sacrum loculum levantes,

b *V. lib.* 53. *n.* 9.

ad basilicam sancti Wandregisili sollemni pompa detulerunt. *Facta est hæc translatio*, inquit auctor, *anno dominicæ incarnationis millesimo vigesimo-septimo*, VII. *kal. Junii, Henrico rege Francorum regnum, præter matris suæ voluntatem, invasum tenente; principatum vero Nortmanniæ tertio Richardo legali modestia disponente.*

ANN. CHR. 1027.

Non diu superstes fuit Richardus, qui *neque* integrum *annum in principatu, immatura præventus morte, peregit*, ait anonymus ille Fontanellensis. Ejus obitus in necrologiis sancti Germani Pratensis & sancti Benigni notatur VIII. idus Augusti. Huic tres ex patre fratres superstites erant : Rotbertus scilicet, qui ei successit, ex Judita priore conjuge Richardi secundi; duo alii, Willelmus nimirum, qui castrum Arcas in pago Talogiensi exstruxit, & Malgerius Rotomagensis archiepiscopus, nati ex Papia Richardi posteriori uxore : *cujus fratres, Ansfredus & Osbernus*, Fontanellæ *monachum professi sunt*, ex eodem auctore. De his plura superius diximus. Rotbertus comes auctor est Cerasiensis monasterii, de quo inferius.

XV. Richardi ducis obitus & fratres.

Majoris-monasterii cœnobitæ jam dudum villam pagi Blesensis, quæ Chilziacus vocatur, possederant, at sæcularium hominum violentia amissam dolebant. Quapropter Ebrardus abbas apud Odonem comitem satis egit, ut hæc villa monasterio restitueretur. Annuit comes, favente Alano Britannorum comite, & Eudone fratre ejus, qui ab ipso Odone hanc ecclesiam in beneficium tenebat. Nam si justum esse credimus, inquit, ut potentes hujus sæculi Dei famulis, unde « sustententur, ex propriis tribuant; nimis a justitiæ linea discrepare censemus, si « non ea, quæ a domo Dei iniquitas injuste abstulit, restitui curemus. Atque ut hæc « restitutio majori auctoritate fulciretur, ab Heinrico rege, qui præsens aderat, aliisque proceribus eam firmari curavit. quod an vivente adhuc Rotberto rege factum sit, non constat. Subscripta sunt signa Heinrici regis, Adam Melidunensis, Manassæ comitis, Jungonei Britannorum archiepiscopi, Guarini episcopi Redonensis, & aliorum, quos videsis in appendice, ubi hoc instrumentum integrum referemus. Iidem fere subscribunt donationi quorumdam prædiorum in vico Marciliaco, quæ Rivallonus Redonensis provinciæ miles cum Junnargande conjuge sua Majorimonasterio contulit. Subscribunt Alanus comes, & Eudo ejus frater, Jungoneus archiepiscopus, Warinus Redonensis episcopus, Walterius Namnetensis, & alii. Ibidem cella erecta est, uti & in Veteri-vico pagi Carnutensis, ubi fundum erigendæ cellæ contulit *quidam honoratus ac nobilis Virzionensis castri possessor in pago Biturigensi.* qua de re gravis controversia fuit cum canonicis ecclesiæ Carnutensis, duelli & ferri calidi probatione dirimenda. Hæc tempore Ebrardi abbatis, an Alberti ejus successoris contigerint, nobis haud satis compertum est. Non multo post Odo comes quemdam famulum Geraldi de Reimorentino manumittit, ad sacros ordines promovendum. *Actum Vindocino castro, anno* XLII. *regnante rege Rotberto.* Appositа sunt his litteris signa Arnulfi archiepiscopi, & Evrardi abbatis.

XVI. Majori-monasterio facta restitutio & donatio.

Cormaricense monasterium tunc regebat Richardus abbas, sub quo Fulco Andium comes advocatus Cormariceni monasterii factus est, ea lege, ut abbatiam in alienam dominationem minime transfunderet, sicut majorum suorum temporibus factum fuerat, qui, cum a Fulconis ejus proavi tempore ejusdem loci advocatiam habuissent, abbatiam in suum dominium redegerant. Veritus itaque Fulco, ne idem in posterum accideret, *instigatus obnixe a venerabili jam dicti loci domno Richardo abbate, sibique subjectis monachis*; ne id fieret, regia auctoritate interdici curavit. Idem Richardus abbas cuidam colonæ sancti Pauli, Adelaïdi nomine, farinarium quoddam cum terra concedit subtus Troïlum villam juxta ripam Agneris*, *mense Septembri anno* XXX. *regnante Rotberto rege.* quod tantum notamus ad designandum tempus Richardi abbatis. Hujus successor Rotbertus, ejus nominis primus, cognomento Infernus, monasterium dirutum restauravit. Hoc ejus cognomen discimus ex quadam notitia cujusdam Marrici de Nuecastro *, qui in monasterium illud optime affectus, societatem a Richardo abbate & a monachis obtinuit, simulque facultatem, ut die festo sancti Pauli *in refectorio manducare* sibi liceret : pro quo honore unum sturionem quotannis illis daret. Eo mortuo, ibidemque sepulto, Marranus filius ejus eumdem erga Cormaricenses amorem, *abbate tunc Roberto, qui Infernus dictus est, servavit*, eisdemque quamdam terram, Cormarico vicinam, scilicet Montemcaninum, daturum se promisit. quid inde consecutum sit, docet ipsa notitia, quam in appendice exhibemus. Neque enim ejusmodi minutiis hoc loco immorari juvat.

XVII. Cormarici abbates.

* *Pinâre.*

* *Nonâtre.*

ANN. CHR. 1027.

Mitto etiam donationem ecclesiæ sancti Symphoriani de Asiaco, quæ donatio, eodem Rotberto abbate, Cormarico facta est, uti & sancti Petri de Rivarena.

XVIII. Angeriaci quædam notanda.

Superius ex Besslio [a] laudavimus litteras Agnetis comitissæ, quibus Angeriacensi monasterio confert decimam quamdam *in Poio-Cerverio juxta Carentiniacum monasterium*, datas hoc anno, Rotberti regis XL. Heinrici novi regis primo. Eædem notæ chronicæ adhibentur in charta commutationis factæ inter Aimericum sancti Johannis Angeriacensis abbatem, & *inter monachos sanctæ Mariæ, necnon sancti Andreæ atque almi Christi Benedicti Quinciacensis*, Isemberto Pictavorum episcopo hanc abbatiam tunc regente, cui abbatiæ Angeriacenses quasdam vineas, his vero Quinciacenses quasdam areas intra urbem Pictavorum conferunt. *Actum Pictavis mense Augusto, regnante Rotberto rege anno* XL. *& Heinrico filio ejus anno primo, incarnationis vero* M XXVII. De Carantiniaco seu Carentiniaco [b] monasterio superius actum est. Legimus litteras Johannis papæ, inscriptas archiepiscopis & episcopis Galliarum, necnon Willelmo religioso duci Aquitanorum, Gosfrido comiti Engolismæ civitatis, Heliæ comiti Petragoricæ urbis, simulque filiis Hugonis de castro Leziniaco, item Willelmo de Partaniaco, itemque Willelmo de Talomonte, aliisque, quos rogat, ut a *præsenti die kalendarum Maiarum* Angeriacense monasterium cum Aimerico abbate & monachis tueantur ac defendant, pro eo quod *regulam sanctissimi patris Benedicti inibi inviolabiliter custodiri* audierit.

a *num.* 10.

b *lib.* 53. *n.* 41.

XIX. Cluniaci immunitas confirmata.

Cum immunitas Cluniacensis monasterii a Gausleno Matisconensi episcopo in Ansana [c] synodo vexata fuisset; eamdem Johannes papa novo diplomate [d] asseruit, secutus exemplum superiorum pontificum Romanæ ecclesiæ, cui a Willelmo duce monasterium illud *speciali dono delegatum* fuerat: ita *ut ad nullum alium respiciat locus ille, sive habitatores ejus, nisi ad Deum & sanctum Petrum & apostolicæ sedis pontificem summum.* Superiorum pontificum sequens exemplum Johannes papa, *cum ceteris coëpiscopis* suis *in conventu Romæ congregato in præsentia domini Conradi regis augusti, nuper a Deo & nobis*, inquit, *in imperium Romani orbis electi & coronati*, statuta confirmat, quæ illi de libertate prædicti loci sanxerant, *& habitatores ipsius* » *per centum & eo amplius annos sine alicujus contradictione tenuerant.* Ad hæc pontifex comperto, quod quidam episcoporum sine ulla rationabili causa excommunicarent *religiosos, sobriam & Deo placitam vitam ducere cupientes*, id de monachis » Cluniacensibus fieri omnino prohibet; decernitque, ut si qua episcoporum adversus illos querela exorta fuerit, & aliter finiri non potuerit, apostolicæ sedis examini reservetur. *Data* v. *kal. Aprilis per manum Petri episcopi Prænestinæ ecclesiæ & bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno pontificatus domni Johannis sanctissimi nonidecimi papæ tertio, indictione decima.*

c *lib.* 55. *n.* 75.

d *Bullar. Clun. p.* 9.

XX. Bremetensem abbatiam invadit Odilo.

Hæc acta sine dubio curante Odilone abbate, cujus nepos cognominis, multum ab eo degener, mortuo Gottofredo abbate Novalicien sis monasterii, cui Bremetense tributum fuerat, hujus loci abbatiam Romæ a Conrado [e] imperatore obtinuisse dicitur, quam postea Alberico Cumano seu Comensi episcopo tradidit. Cum vero episcopum nollent admittere monachi, ille Taurinum profectus, multo pretio egit apud Maginfredum marchionem, ejusque fratrem Aldericum episcopum, ut abbatia illa ipsi cederet. Odiloni vero in compensationem quædam cella concessa. Hic est Maginfredus marchio, qui Willelmum Aquitaniæ ducem ad capessendum [f] pro se vel suo filio regnum Italiæ invitabat, de quo idem Willelmus & de fratre ejus Alderico seu Aldrico ita scribit in epistola [g] ad Leonem episcopum Vercellensem: *Non laudavit mihi hanc conditionem*, nempe ut episcopos Italiæ deponeret, *prudens marchio Maginfredus, nec frater ejus Alricus bonus episcopus, quorum sanissimo plerumque uti consilio numquam penituit, quos sapientia omnes Italos præstantioris ingenii, fidei & bonitatis esse censeo.* Alricus Astensis episcopus erat, laudatus itidem [g] a Glabro, uti & Mainfredus seu Maginfredus ejus frater.

e *Ital. sac. to.* 4. *p.* 1440.

f *Fulb. epist.* 124. *& seqq.*

g *ibid. ep.* 126.

g *Glab. lib.* 4. *c.* 2.

XXI. Seguſiense monasterium conditur.

Idem Glaber [h] agit de monasterio per id tempus condito ab eodem Mainfredo apud Segusium * seu Secusiam, quæ colonia est Taurinatium in alpibus Cottiis, quod hac occasione factum tradit ejus rei testis oculatus. Erat tunc temporis homo quidam plebeius, nundinator reliquiarum, qui se modo Stephanum, modo Petrum, modo Johannem dicebat. Is, postquam multos in Galliis delusisset, ubi suas fraudes detectas animadvertit, perfuga se recepit ad alpium partes, usurpato Stephani nomine, qui antea se vel Petrum, vel Johannem

h *ibid.*

* *Suze.*

Johannem dicebat. Illic solitas merces nundinari pergens, e loco abjectissimo effodit ignoti ossa hominis, quem Justum martyrem esse aiebat, sibique angelico oraculo revelatum. Tum ille excubias ad ejus loculum agit, eoque confluxit cum munusculis promiscuum vulgus, factaque illic miracula jactitavit. Hoc comperto, Mainfredus, *marchionum ditissimus*, loculum crediti martyris ad se deferri jubet; moxque construi monasterium in Seutiæ castro, in honorem Dei omnipotentis & beatæ Mariæ, ubi prædictum martyrem cum plurimis aliis sanctorum reliquiis deponere decrevit. Absolutis ædificiis, convocati ad dedicationem episcopi, cui etiam Willelmus Divionensis cum Glabro, qui hæc refert, nonnullique alii abbates interfuere. Adfuit etiam cum aliis mango ille, marchioni jam acceptissimus: qui a Willelmo abbate & Glabro interrogatus, manifestum se veteratorem prodidit. Depositа nihilo minus in nova ecclesia *ossa, illius profani astu inventa*, qui ea esse asserebat Justi martyris, qui in urbe Belvaco passus est XVI. kal. Novembris, quo die facta dedicatio est. *Et licet plures sanæ mentis detestabile figmentum*, inquit Glaber, abominandum clamarent; vulgus tamen rusticanæ plebis, *à mangone corruptum, injusti nomen pro Justo venerans, olim in suo permansit errore.* Eadem Hugo Flaviniacensis compendio retulit.

ANN. CHR. 1027.

XXII. Monasterii doratio & libertas.

Exstat in chronologia [a] Pedemontana conditi monasterii primarium instrumentum, in quo legitur, Alricum Astensis ecclesiæ episcopum, & germanum ejus Odelricum marchionem, qui alio nomine dictus Maginfredus, filios bonæ memoriæ Maginfredi marchionis, una cum Berta comitissa, filia quondam Autberti itidem marchionis, junioris Maginfredi uxore, monasterium construere decrevisse, ubi congregatio monachorum die noctuque ad Deum preces fundant, tam pro se, quam pro suis progenitoribus, & propinquis, quorum plerosque enumerant. Ad hanc vero constructionem se terræ quoddam spatium intra civitatem Secusiensem assignasse, ubi basilica condatur in honorem Domini nostri Jesu-Christi & sanctæ Trinitatis, sanctæque Mariæ virginis ac sancti Michaëlis archangeli, necnon sanctorum Petri & Pauli apostolorum, atque sanctorum Johannis-Baptistæ & Johannis Evangelistæ & sancti Mauri confessoris atque sancti Justi martyris: ubi in perpetuum permaneat congregatio monachorum, qui secundum regulam sancti Benedicti divina celebrent officia: quibus quemdam monachum, Deo devotum, dignumque ejusdem regulæ ab infantia cultorem, Dominicum nomine, abbatem præficiunt. In » dotem vero monasterii assignare tertiam partem ejusdem civitatis Secusiæ, pluraque alia, in his monasterium sui juris, positum super fluvium Padi, quod vocatur Pulcherada, *in honorem ejusdem sancti Mauri constructum*, cum ipsa corte Pulcherada & adjunctis. *Quoniam vero*, inquiunt, *nec inventum est, nec ullo modo inveniri potest, ut hujus nostræ prædictæ civitatis Secusiæ potestas & decimæ, vel etiam consecratio, alicujus episcopi diœcesi pertinere videantur, per datam licentiam summi pontificis, qui vicem apostolatus obtinet juxta suum privilegium, per quod nobis & ad nostrum jus & proprietatem, sicut cognovit ante fuisse, concessit ac largitus est, ut ejus parochiæ sive diœcesis consecratio in nostra semper & perpetua potestate sit, ut cui volumus, & a quo deposcimus episcopo ejusdem loci consecrationem & sanctum chrisma atque benedictionem sine omni dubietate poscant: ideo judicamus, & firmiter ordinamus, quod nullo modo maneat ipsum monasterium alicujus episcopi, vel alterius monasterii, nec ullarum personarum, aut per donum imperatoris vel regis, neque ullius personæ, sed semper sit in Dei omnipotentis potestate, quem de eo facimus heredem.* Iidem porro conditores abbatis ejusdem loci nominationem sibi, suisque posteris reservant, cujus ordinationem a quocumque episcopo fieri volunt. In fine Alricus episcopus, qui ante secundum legem Romanam se vixisse dicit, tunc autem « Salicum esse, ut totius facti firma sit auctoritas, *pergamenam de terra elevavit*, & « Herenzoni notario & judici sacri palatii ad scribendum tradidit, duoque *testamenta* seu exemplaria, uno tenore scripta, fieri jussit, anno imperii Conradi tertio, nono die mensis Julii, indictione XII. quæ notæ anno M XXIX. conveniunt. Actum in civitate Taurinensi. Indicem ejus loci abbatum habes in chronologia Pedemontana, ubi Guido Ferrerius Burgellensis cardinalis præpositum & canonicos regulares in illam abbatiam induxisse dicitur, monachis in abbatiam sancti Michaëlis, anno M D LXXXI. translatis, quod de Clusino monasterio interpretor: quo ex loco primus Seguſiani monasterii abbas Dominicus assumtus videtur.

a *Chronol. Pedem. p.* 238.

ANN. CHR. 1027.

Idem porro Mainfredus cum Berta conjuge non multo poſt Taurinenſem ſancti Solutoris abbatiam dotavit : iidemque conditores fuere parthenonis ſanctæ Mariæ de Caramania, ut poſtea videbimus.

Pulcheradæ monaſterium.

Pulcherada opidum, ſitum ad Padi ripam inter Gaxenum & Taurinum, inſignitum fuit monaſterio ſancti Mauri, diſcipuli, ut fert traditio, ſancti Benedicti, a quo poſtmodum ſancti Mauri nomen opido inditum eſt. Hoc monaſterium antiquiſſimum eſſe conſtat, Seguſienſi monaſterio, quod itidem ſanctum Maurum patronum agnoſcit, a Mainfredo marchione tributum, quod tamen proprios abbates habuit, tandemque ad ſæculares clericos devolutum, ut in chronologia Pedemontana [a] legitur ; ubi fuſius de hac abbatia dictum eſt.

a *Chronol. Pedem. c.* 17.

XXIII. Saviliani monaſterii origo.

Eodem fere tempore conditum eſt ſancti Petri monaſterium apud Savilianum, quod opidum eſt diœceſis Taurinenſis ad ripam fluminis Macræ, ſitum inter Salutias & Foſſanum. Monaſterii auctores Abellonus & Amaltruda conjuges, qui ſua omnia in dotem monaſterii impenderunt. Ejus rei inſtrumentum relatum eſt ab Ughello [b] & a Franciſco-Auguſtino [c] ab Eccleſia, ſed variant in illis editis chronicæ notæ. Apud Ughellum id factum dicitur *anno ſecundo* Conradi imperatoris, *indictione ſecunda* ; apud Franciſcum-Auguſtinum, *indictione* XI. *anno Domini* M XXVIII. *die Jovis duodecima menſis Februarii*. ſed neutrobique notæ illæ ſibi cohærent. Apud Ughellum corrigenda indictio, & pro ſecunda legendum XI. ut apud Auguſtinum, ubi corrigenda dies Februarii, quæ duodecima erat dies lunæ anno M XXVIII. Prima colonia monachorum eo inducta videtur ex Cluſino monaſterio, cui ſubjectum fuit Savilianenſe tempore duorum primorum abbatum, Adami ſcilicet atque Alberici : quorum ſucceſſor Nicolaus-Pontius, proceſſu ſcilicet ſæculi tertiidecimi, conſentiente Reinerio abbate Bremetenſi, Savilianenſem abbatiam ab imperio ſancti Michaëlis de Cluſa exemiſſe dicitur. Hactenus exſiſtit illud monaſterium ſub Benedictina congregatione ſanctæ Juſtinæ.

b *Ital. ſac. to. 4. p.* 1141.
c *Chronol. Pedem. p.* 232.

XXIV. Perufini bona confirmantur.

Dum Romæ adhuc verſaretur Conradus imperator, interventu Johannis [d] Romani pontificis, monaſterium ſancti Petri, quod ſitum eſt prope civitatem Perufinam in Calvario monte, ſub imperialem tutelam recepit, ejuſque bona omnia confirmavit, quæcumque ſcilicet a principatu Ottonis ſecundi ei collata fuerant, vel *acquiſita per ſanctum ac venerabilem virum Petrum abbatem, ejuſdem cœnobii fundatorem*, ejuſque ſucceſſores uſque ad tempus abbatis Azonis, qui tunc eidem monaſterio præerat. *Data anno dominicæ incarnationis* M XXVII. *regni vero domni Chuonradi ſecundi regni ejus tertio, imperii autem ejus primo, indictione* X. *Actum Romæ.*

d *Bullar. Caſin. to.* 2. *p.* 77.

XXV. S. Romualdus obit.

Jam inſtabat tempus, quo Romualdus, ſenio confectus, laborum ſuorum mercedem a Deo recepturus erat, cum ad monaſterium, quod in valle de Caſtro exſtruxerat, rediit, ubi ante annos viginti prædixerat ſe nullo teſte moriturum. Illic, quaſi nihil feciſſet hactenus, quod morti ſuæ conduceret, cellam ſibi cum oratorio, in qua recluſus ſilentium ſervaret uſque ad mortem, ædificari præcepit. Facto recluſorio, cum jam in illud ingredi vellet, corpus ejus magis magiſque nimia phlegmatis abundantia, quam a medio fere anno paſſus erat, atteri cœpit ; nec tamen ideo vel lecto decumbere, vel ſoliti rigorem jejunii relaxare acquievit. Tandem viribus paullatim deficientibus, cum ingruente moleſtia gravius ſe haberet, ſub ſolis occaſum duobus, qui ſibi adſtabant, fratribus præcepit ut exirent, & finitis matutinis, diluculo ad ſe redirent. Illi vero de ejus exitu ſolliciti, ad cellulæ januam ſubſtitere : poſt paullum, cum neque motum corporis, neque ſonum vocis ejus audirent, rati, quod re vera ita erat, eum exſpiraſſe, in cellulam irruunt, beataque anima in cælum rapta, ſupinum jacere ſacrum cadaver inveniunt : non dubii eum, qui ſic obiit ut prædixerat, illuc tranſiiſſe quo ſperaverat. Ejus obitus contigit XIII. kalendas Julias : ſed annus non ita exploratus. tametſi anno M XXVII. a Baronio, aliiſque recentioribus recte conſignatus videtur. Vitam ejus litteris mandavit Petrus Damiani, eique annos ætatis centum-viginti tribuit. at calculos non recte ſubduxiſſe videtur : tum quia Romualdus anno ætatis viceſimo admiſſus fuit in Claſſenſe monaſterium, Honeſto archiepiſcopo Ravennate, qui Petro dignitate ſponte cedenti ſucceſſit *primo Ottone habenas imperii tenente*, ut ipſe Petrus-Damiani [e] teſtatur ; & quidem anno DCCCC LXXI. ſecundum Rubei calculum : tum quia Romualdi pater adhuc in vivis erat anno DCCCC LXXXII. ut ſuo loco ſuperius oſtendimus.

e *Petr. Dam. epiſt.* 19. *c.* 2.

ANN. CHR. 1027.

Neque putes ultra hunc annum M XXVII. ejus obitum longius eſſe differendum. Id enim revincit inſtrumentum Theodaldi Aretini præſulis, quo Campum-Malduli Petro priori confirmat ipſo anno, & quidem poſt mortem ſancti Romualdi, quem *piæ recordationis patrem domnum Romaldum* vocat. In hoc inſtrumento, cujus authenticum apud Fontem-bonum vidimus, *domno Petro venerabili eremitæ*, qui prioris illic gerebat officium, confirmat eccleſiam, in mediis alpibus ſitam, (ipſa eſt Camaldulenſis eremi eccleſia) quam ipſe *rogatu domni Romaldi* in honorem ſancti Salvatoris conſecraverat. quem locum ipſe *domnus Romaldus, pius eremitarum pater*, aptiſſimum ad cellulas fratrum eremitarum judicaverat : ubi quinque cellulas, a ſe ſe ſejunctas, exſtruxerat pro totidem fratribus, qui, ſæcularibus abdicatis, ibidem ſoli divinæ contemplationi inſiſterent : quibus etiam domnum Petrum venerabilem eremitam (quem Dagninum cognominant) præceptorem dedit. Hunc vero locum eidem Petro confirmat Theodaldus ſecundum terminos ab ipſo deſignatos ad uſum & ſtipendia fratrum eremitarum, pro tempore ibidem Deo famulantium, quibus etiam largitur mediam partem eccleſiæ ſancti Miniatis in villa, quæ dicitur Alina, cum decimatione ejuſdem villæ, ſicut Petrus abbas de Campo-Leonis *in commutationem* habuerat ab Aretino epiſcopo, qui eam receperat. His, aliiſque eidem ſacro loco collatis, ſtatuit præcipitque cum ſuo clero Theodaldus epiſcopus, *ut ipſi fratres eremitæ, qui ibidem pro tempore ſervierint, nullo umquam tempore ſe ſe ſuoſque ad aliam, præter eremiticam & ſolitariam atque contemplativam, vitam transferant : nec umquam liceat eis ipſum ſanctum locum ad cœnobitarum monaſterium retorquere.* Hoc inſtrumentum a Florentino [a] monacho vulgatum eſt in hiſtoria Camaldulenſi, ſed abſque chronicis notis, quæ in authentico ſic habent. *Datum anno dominicæ incarnationis* M XXVII. *anno vero pontificatus domni Theodaldi epiſcopi* V. *menſe Auguſto, indictione* X. *Actum in clauſtris canonicorum.* quorum plerique his litteris ſubſcribunt. Itaque id factum eſt tertio menſe poſt obitum ſancti Romualdi, qui XIII. kal. Julii, ut diximus, deceſſerat. Hactenus eremitæ in ſacra illa eremo perſeverant, ut Theodaldus epiſcopus conſtituerat, retinentque avitam diſciplinam & religionem. quæ prærogativa eſt vitæ ſolitariæ & ab omni hominum ſocietate remotæ, quam eremitæ præ conventualibus religioſe colunt. Sacræ illius eremi & Fontis-boni iconem ſuperius [b] exhibuimus.

a *Florentin. lib.* 1. *c.* 40.

b *lib.* 54. *n.* 60.

XXVII. Romualdi diſcipuli.

Ex multis Romualdi diſcipulis, qui tum in cœnobitica, tum in eremitica vita ſub eo floruerunt, præcipui fuere quatuor, Johannes ſcilicet ac Benedictus, evangelicæ prædicationis cauſa in Sclavoniam miſſi, ubi martyrio affecti fuere : atque Ingelbertus & Gregorius, archiepiſcopi *in gentibus* facti, ut Petrus Damiani ſcribit, forte apud eoſdem Sclavos. His accenſendus in primis Petrus, cognomento Dagninus, primus Camaldulenſis eremi prior, quem beatum Florentinus vocat : cui ſucceſſere Albizus, Ruſticus, & beatus Rodulfus, qui primam in ſcriptis vivendi formam Camaldulenſibus eremitis præſcripſit, fato functus anno M C VI. Tres ſunt in Italia Camaldulenſium eremitarum congregationes, quarum unaquæque ſuum Majorem habet, nempe Camaldulenſis ipſa, quæ ſex eremitoria ſub ſe habet, Veneta, & Montis-coronæ. Eremitæ olim ab eodem, quo cœnobitæ, præpoſito generali regebantur : at, ſeditione inter utroſque ſub finem ſæculi quintidecimi exorta, cœnobitæ ſuum deinceps præpoſitum generalem ſeorſim habuere. Pauca deinceps referemus de hiſtoria Camaldulenſi, quæ apud Florentinum, alioſque conſuli poteſt. Neque in privatas Congregationum Benedictinarum hiſtorias excurrere ſinit operis magnitudo, earum maxime, quæ peculiares habent hiſtorias. alias opus creſceret in immenſum, ſi integras ordinis Ciſtercienſis, aliorumque ſimilium hiſtorias in noſtros Annales conferremus. Quapropter, conſtituta ſemel cujuſque congregationis ſive ordinis, qui ſub regula ſancti Benedicti militat, origine, hanc ſpartham cujuſque congregationis alumnis exornandam relinquemus, excepta congregatione Cluniacenſi, quæ unum ſemper cum noſtris, id eſt cum nigris, ut vocant, monachis, corpus effecit. Aliarum tamen congregationum, maxime Ciſtercienſis, illuſtriora ſubinde eventa referemus. Hæc ſemel monuiſſe ſufficiat.

XXVIII. Monaſterium de Campo-Leonis.

In prædicto inſtrumento Theodaldi Aretini epiſcopi facta mentio eſt Petri abbatis de Campo-Leonis, qui decimationem villæ Alinæ ab Aretina eccleſia *in commutatione* tenuiſſe dicitur, uti & decimationes villæ Largniani, quas Theodaldus epiſcopus receptas Camaldulenſibus eremitis contulit. Situm erat hoc monaſterium,

ANN. CHR. 1027.

cujus auctor ignoratur, in diœcesi Aretina, dicatumque sub titulo sancti Januarii, cujus abbas Vincentius [a] anno M LVIII. ecclesiam sancti Blasii monasterio suo adversus Petrum Clusinum episcopum vindicavit. Anno vero M LXV. Albizus, ejusdem loci abbas, ad sacram Camaldulensem [b] eremum se contulit, ut discipulorum sancti Romualdi sanctimoniæ & eremitici instituti rationem edisceret; captusque plurimum loci veneratione & hospitalitatis studio, sacræ obtulit eremo decimas villæ Largniani ad se pertinentes. Hæc abbatia medio sæculo XV. unita fuit mensæ episcopali Aretinæ.

a *Ital. sac. to. 3 p. 723.*
b *Hist. Camald. lib. 1. c. 50.*

XXIX. Hugonis abbatis Farfensis varia fortuna.

Mirum est quam varia fortuna fuerit Hugonis Farfensis abbatis, qui anno duodemillesimo primum vitio ordinatus, post annos undecim sponte præfecturam abdicavit, & Guidoni nepoti suo locum fecit. tum post annos quinque iterum ordinatus, post annos tredecim denuo abbatiam Guidoni secundo cessit, nono post anno tertium ordinatus, anno scilicet M XXXVI. ad tres annos superstes. Electus itaque hoc anno M XXVII. Guido abbas, eo nomine secundus, vir humili loco natus, cum se huic oneri imparem reputaret, fratres obnixe rogavit, ut sibi pastorem magis idoneum eligerent. Ægre assensere Farfenses; a quibus demum electus Bonifacius, religiosus Dei servus, cum rebus divinis contemplandis assuetus esset, pastorali regimine implicari refugiebat. Verum, fratribus in electione perseverantibus, adeo præfecturam aspernari visus est, ut pastoralem virgam inversam gestaret. quod fratres indigne ferentes, venerabilem Supponem, nobilem genere, ac doctum elegerunt. Electus vero ad imperatorem, obtinendæ confirmationis gratia, ipse proficisci noluit, sed legatum pro se ad eum direxit. qua de re indignatus imperator, Almerico Cæli-aurei monacho, quem ejus loci abbas, tunc in aula demorans, petenti imperatori suggesserat, abbatiam commisit. Ita factum refert chronographus, nulla facta mentione restituti tertium Hugonis, tametsi in abbatum [c] indice sic abbatum series ordinetur: *Anno* M XXVII. *Guido abbas, Anno* M XXXVI. *Hugo abbas reordinatur* V. *idus Junii. Anno* M XXXVIII. *Guido abbas* II. *obiit. Anno* M XXXIX. *Hugo abbas obiit. Suppo abbas. Anno* M XL. *Almericus abbas.* de quo inferius suo loco.

c *Mus. Ital. to. 1. p. 65.*

XXX. Alfonsus rex obit.

In Hispania Alfonsus V. rex Legionensis, cum adversus Sarracenos apud Viseum in Lusitania dimicaret, sagitta percussus, accepto corporis & sanguinis Domini viatico, interiit, magno sui relicto desiderio, tum ob insignem ejus in ecclesias pietatem, tum ob infractum in Sarracenos animum. Sepultus fuit Legione in ecclesia sancti Johannis-Baptistæ, apposito rudi epitaphio, apud Baronium relato, in quo dicitur obiisse *æra* M LXV. *nonis Maii.* Veremundus ejus filius ei successit in annos decem, patris exemplo *cœnobiorum pius pater & consolator*, ut Lucas Tudensis tradit.

XXXI. S. Mildredæ corpus datum monachis S. Augustini.

Apud Anglos Cnutus rex monasterio sancti Augustini, quem patronum suum vocat, vastato a Danis Thanetensi parthenone, corpus beatæ Mildredæ virginis cum tota ejus terra, id est Thanetensi insula, donavit. Dilata est nihilo minus sacri corporis translatio ad tres annos, quod Elstanus abbas ex insula Thaneto ad monasterium suum XV. kal. Junii transtulit. Hoc etiam tempore Egelnotus, Cantuariæ primas, brachium sancti Augustini ecclesiæ doctoris, centum talentis argenti, aurique talento Papiæ comparatum, Conventrienſi monasterio dedit.

XXXII. Richardus abbas Jerosolymis reversus.

Post annum pæne integrum, ex quo Jerosolymorum iter aggressus erat Richardus Virdunensis abbas, peractis illic, ut superius [d] diximus, paschalibus festis, ægre tandem avulsus est a locis sacris; ditatusque pretiosissimis reliquiis, quas a patriarcha acceperat, quasque e collo pendentes gestabat, e sancta civitate discedit, idemtidem cervice reflexa eam respectans, gemensque quod illam numquam revisurus esset, in qua reliquum vitæ conficere peroptasset. Hærebat ejus animo infixa Christi passionis memoria, cujus causa multas in reditu injurias a Sarracenis, multaque incommoda passus est. Ubi Antiochiam venit, denuo recreatus est conpectu Symeonis monachi, qui se itineris socium ei adjunxit, Virdunum cum eo accedere, ibique ei convivere cupiens. Verum, cum ad civitatem Bellegradam, quæ est in confinio Bulgarorum & Hungarorum, venisset; a principe civitatis transire prohibitus, divulsus ab eo est, diversoque itinere Symeon Rotomagum, Richardus Virdunum pervenit. Huic tota civitas effuso agmine obviam processit, sed maxime monachorum cœtus, qui cum crucibus & cereis, festivo ac sollemni apparatu, redeunti occurrit.

d *num. 5.*

ANN. CHR. 1027. XXXIII. Stephani promotionem improbat.

Ubi tantisper resedit, monasterii statum per se explorare, resecare vitia, mores corrigere, & virtutem promovere sategit. Comperto quod de Stephani promotione [a] ad Leodicensem sancti Laurentii præfecturam factum erat, super ejus errore doluit. Ille ut patris reditum accepit, venienti occurrere non ausus, ad festum sancti Vitoni accessit, solus absque comitibus claustrum ingressus, præfecturam abdicavit, & cum ceteris, ut privatus, communibus exercitiis vacavit. Tum adductus in præsentiam patris, quo pacto promotioni suæ consensisset sincere explicat; seque nihilo minus erasse, se peccasse confitetur. His intererant ejus comites: e quibus archidiaconus, missus ab episcopo, veniam errati, quidquid illud esset, deprecatur, ratamque Stephani electionem haberi postulat. Richardus vero: Petitioni, inquit, domni episcopi acquiescere perquam honorificum; at fratrem, qui publice peccavit, publice culpam expiare oportet. His dictis, eum ultimum inter fratres locum tenere jussit, dum ipse quid agendum esset, communi consilio in capitulo tractaret. Acta hæc in sancti Vitoni, cujus solemnitas V. idus Novembris celebrari solet, pervigilio: quo die ille Stephanus, nuper abbas, in præsentia episcoporum, abbatum & clericorum, nedum promiscui vulgi, qui frequentes ad festum confluxerant, ultimus omnium, nulla vultus mutatione, resedit. quæ modestia omnes impulit, ut Richardum pro ejus restitutione simul exorarent. Crastino coram omnibus culpam confessus, veniam obtinuit, restitutusque in superiorem statum, ad missam abbatis honores obtinuit. Verum, cum Leodicensis archidiaconus ad episcopum, non cum abbate Stephano, reversus, rem gestam alio, quam par erat, colore episcopo retulisset; ille indignatus, Laubiensem abbatiam Richardo abstulit, aliumque abbatem substituit in locum Stephani, qui deinceps omnibus exemplar religionis & disciplinæ factus est, comparatus Popponi Stabulensi abbati, qui ambo *eodem religionis fervore* ecclesiam illustrasse perhibentur in chronico Laubiensi. Resumsit nihilo minus paullo post Stephanus abdicatam præfecturam, eoque abbate nova sancti Laurentii basilica [b] condita est a Reginardo episcopo, qui Romæ a Johanne pontifice absolutionem patratæ simoniæ, & restitutionem in suam dignitatem, quam sponte abdicaverat, ea obtinuerat conditione, ut peccatum suum eleemosynis & pio quodam opere redimeret. Absoluta novæ ecclesiæ fabrica, ad ejus dedicationem sedis apostolicæ auctoritatem adhiberi voluit. Missus itaque a Johanne pontifice Johannes Portuensis episcopus, novam ecclesiam cum Pelegrino Colonienſi archiepiscopo sollemni pompa anno M XXXIV. dedicavit.

a *num. 6.*

S. Laurentii nova basilica.

b *Gesta episc. Leod to. 1. p. 172. & seqq.*

XXXIV. Willelmus Ecolismensis comes Jerosolymis redit.

Si Richardus cum Willelmo Ecolismensi comite, quem in Jerosolymitano itinere socium habuit, in Galliam reversus est, mense Junio ejus reditus contigit. nam Willelmus *tertia hebdomada mensis Junii*, teste Ademaro, reversus est ad propria. In reditu divertit per Lemovicam urbem, ubi a monachis sancti Martialis festivo ritu exceptus est. Ecolismam accedenti omnes non solum Ecolismensium, sed etiam Petragoricensium principes occurrerunt; *clerus vero monasticus* sancti Eparchii in vestibus albis, diversisque ornamentis, cum magna clericorum & populi multitudine, uno extra civitatem milliario obviam processit. Vacabat tunc sancti Eparchii præfectura, post mortem scilicet Richardi abbatis, qui in illo Jerosolymitano itinere apud Selombriam Græciæ urbem citra Constantinopolim obierat, ibidem sepultus in vigilia epiphaniorum. Subrogatus in ejus locum Amalfredus monachus, ejusdem itineris comes, ordinatusque a Rohone episcopo, præsente Willelmo comite & Odolrico abbate sancti Martialis. Non multo post Willelmus comes morbo correptus est, mortuusque vigilia dominicæ palmarum VIII. idus Aprilis, eodem quo Jerosolymis reversus est anno, sed Christi anno insequente M XXVIII. ut in ejus epitaphio legitur, apud Ademarum relato, sepultus cum tota sua progenie apud sanctum Eparchium, cui multa pretiosissima donaria obtulit. Eidem in comitatu successit Alduinus comes ejus filius, in quo desinit chronicon Ademari Cabanensis, monachi sancti Eparchii. Idem libellum scripsit de abbatibus monasterii sancti Martialis Lemovicensis, desinentem in obitu Hugonis abbatis, Odolrici mox laudati decessoris, & Rogerii magistri ac patrui sui, fratris Adalberti decani sancti Martialis. Ex quo intelligitur, Ademarum non diu prædictis Willelmo comiti & Hugoni abbati supervixisse.

Amalfredus S. Eparchii abbas.

Ademari monachi obitus.

E numero septingentorum Richardi abbatis sociorum in itinere Jerosolymitano, XXXV.

ANN. CHR. 1027. Symeonis Sinaïtæ monachi vitæ compendium.

unus fuit Evervinus Trevirensis abbas, qui librum de vita sancti Symeonis Sinaïtæ monachi scripsit. Natus est in Sicilia Symeon apud Syracusas, Antonio græci generis & matre Calabra. Constantinopolim septennis a patre perductus, primas in ea urbe litteras didicit. Inde in loca sacra profectus adolescens, illic vitam pie traducere constituit. Erat tunc illis in partibus vir quidam eximiæ sanctitatis, Hilarius nomine, qui peregrinis eo adventantibus ductoris præbebat officium. Huic se adjunxit Symeon, eoque munere per septem annos functus est. Post hæc tædio multitudinis ac perfectioris vitæ studio, ad loca secretiora migravit: ubi cujusdam eremitæ, qui ad Jordanem piissime vivebat, disciplinæ se commisit. Verum ab eo clam relictus, monasterium Bethleemiticum, Virgini Deiparæ sacrum, adiit, atque ibi se pro monacho recipi obnixe petiit, impetravitque. Exacto illic biennio, rursus acris eum exstimulat cogitatio repetendæ solitudinis. Nec mora ad monasterium montis Sinaï se confert, indeque post aliquanti temporis moram, ad oram Rubrimaris secedit, solo pane, qui ipsi e vicino Sinai monasterio suppeditabatur, & aqua per biennium contentus. At præternavigantium, præsertim eorum, qui oleum sacrum e sanctæ Catharinæ corpore accepturi eo confluebant, strepitu offensus, ad assignatum sibi in monte Sinai horridum ac desertum locum se contulit, ubi multas dæmonum vexationes passus est. Magna erat tunc non modo monachorum, sed etiam peregrinorum in illo monasterio frequentia, nec loco suppetebat rerum necessariarum in sterili illa eremo copia, nisi aliunde subsidia acciperent. Hujus inopiæ gnarus Richardus Nortmannorum piissimus comes, eo nomine secundus, qui lustrandis sacris locis eo profectus erat, annuam pensionem eidem loco assignaverat; cujus colligendæ causa subinde monachi è sacro illo monte in Galliam mittebantur. Sed cum ii, quibus id officii injunctum erat, in Neustria diem obiissent, munus illud archimandrita Symeoni, perspectæ sibi virtutis, & multarum linguarum perito monacho, demandavit. Subiit ille ægre impositum sibi officium, & cum altero monacho, Cosma nomine, se in viam dedit. Jamque Antiochiam pervenerat, ibique opportunam navim opperiebatur, cum in illam urbem accessit Richardus abbas, qui cum amicitiam brevi contraxit, eidemque in patriam revertenti se comitem adjunxit. Verum apud Bellegradam, ut mox diximus, ab urbis præfecto transitu prohibitus, sicque ab amico avulsus, reflexo per Italiam itinere serius in Galliam pervenit, exceptus primum a Willelmo comite, haud dubie Pictavorum, cui in illo itinere notus fuerat, & apud eum aliquamdiu commoratus: ubi Cosmas monachus ejus comes fato functus est. Huic incommodo aliud gravius accessit, mors scilicet Richardi comitis, a quo assignatum censum accepturus erat. Itaque sperato frustratus subsidio, ad amicum suum Richardum Virdunensem abbatem se contulit, indeque ad Evervinum Trevirensem abbatem: ubi Popponi archiepiscopo familiaris factus, & cum eo iter Jerosolymitanum aggressus, ac demum cum eo reversus Trevirim, ibidem inclusus in quadam turri vitam felici morte absolvit.

XXXVI. S. Catharinæ monasterium Rotomagi conditur.

Paullo aliter Hugo Flaviniacensis ea, quæ Symeoni apud Rotomagum contigere, commemorat, prout *ex armario Rotomagensi* se accepisse dicit, *licet libellus vitæ ejus hoc sileat*. Scribit quippe iste auctor, Symeonem Rotomagum appulsum accessisse ad Richardum Nortmanniæ principem, filium scilicet Richardi secundi recens mortui, eumque cum sociis ab illo commendatum fuisse cuidam nobilissimo viro, Gozelino seu Goscelino nomine, qui eos gratanter excepit, & refocillavit. Richardum vero comitem necessitati servorum Dei in monte Sina commanentium compassum, multas ei opes contulisse, quas Symeon per fratres, qui secum advenerant, ad monasterium suum misit, uno secum retento famulo, nomine Stephano, cum quo per biennium apud Gozelinum Rotomagi mansit. Dum illic demoraretur, Gozelino pia incidit cogitatio, ut monasterium sanctæ Trinitatis in monte proximo ædificaret: in quo Symeon deposuit reliquias sanctæ Catharinæ virginis & martyris, quas ex monte Sina attulerat, ubi sacrum beatæ virginis corpus in turricula quadam asservatur, ex quo oleum salutiferum jugiter manat. Ad radices vero ejusdem montis exstat ejusdem virginis oratorium, in quo multa degit monachorum turba: quibus mos est die dominico montem conscendere, &, missis ibi celebratis, duos vel tres fratres illic dimittere ob excubias sacri corporis, quibus alii vicissim fratres per singulas hebdomadas succedunt, sacrumque oleum, quod

ex sacro corpore effluere non cessat, vitreo vase suppositio, infirmorum usibus reservandum, excipiunt, quo non solum christiani, sed etiam infideles ad curandos morbos uti solent. Cum itaque Symeon vice sua in illo monte excubias ageret, non modo ampullam ex sacro illo liquore accepit, sed etiam tria articulorum officula e loculo virginis lapsa: quæ diligenter collecta, & in concha vitrea recondita, secum in Galliam attulit. Biennio Rotomagi exacto, Virdunum profectus est ad Richardum abbatem, apud quem *diebus quam plurimis* commoratus, atque injuriis, quasi novus tiro, sæpe probatus, patientissime omnia pertulit, *& speculum totius sanctitatis omnibus se præbuit*, ait Hugo Flaviniacensis. Postremo in urbem Trevirorum accessit ad Evervinum, quem sancti Martini in illa urbe abbatem fuisse veri similius est, quam Theologiensem, uti Trithemio videtur. ANN. CHR. 1027.

HIs subjungit Hugo eversionem templi sepulcri Domini, anno M XXVIII. jussu principis Babyloniæ factam instinctu Judæorum, & gravissimam famem ad tres annos ubique subsecutam ex nimia pluvia, quæ agris eam sterilitatem attulit, ut in plerisque locis modius annonæ sexaginta solidis veniret, & humanæ carnes ederentur. In his angustiis distracta, ut par erat, ecclesiarum ornamenta, dispertitique thesauri. *Aurum enim*, ut recte ait Ambrosius, *ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget*. Ad hæc Gallicani præsules id consilii inierunt, ut, quia deficientibus jam omnino alimentis, opitulari omnibus non poterant; ne, terrâ incultâ, res in pejus recideret, vegetiores saltem homines ad excolendam terram sustentarent, ne omnes tandem præ fame & inopia interirent. Nec defuit his angustiis caritas Richardi abbatis, qui nec thesauris ecclesiæ suæ pepercit, nec ornamentis, quæ Remensi ecclesiæ vendidit, eorumque pretium in egenos distribuit. Quin etiam abbatiam sancti Amantii, sitam in pago Ruthenensi, quæ juris ecclesiæ suæ erat, Ruthenensi comiti impignoravit pro non modica pecuniæ summa, quam in egentium necessitates expendit. Insuper quoscumque potuit reges, principes atque pontifices litteris commonuit, ut tantis miseriis subvenirent. ANN. CHR. 1028. XXXVII. Richardi & Willelmi abbatum caritas tempore famis.

Non impar fuit eodem tempore caritas Willelmi Divionensis abbatis, cui cognomentum *Supra-regulam*, ob Regulæ accuratam observationem, ab Hugone tribui solet, uti Richardo *Gratiæ-Dei*. Cum enim Willelmus a Fructuariensi monasterio, quod ipsius fratres in paterno fundo construxerant, ad Divionense revertisset, susceptusque in capitulo, quo in statu res fratrum se haberent, & an ipsis necessaria non deessent, inquisisset; ut omnes apothecas affatim refertas, nullamque in monasterio rerum necessariarum penuriam esse intellexit; de eleemosyna egenis facta simul interrogavit. Ubi vero consuetis tantum eleemosynis, non vero extremæ indigentium necessitati pro facultate satisfactum esse cognovit; justo zelo succensus, e sede cum indignantis animi significatione surrexit, & sæpius repetitis verbis, UBI EST CARITAS? cellarium, aliasque apothecas ingressus, frumentum, hordeum, vinum, & obvia quæque cibaria extrahi præcepit, vocatisque egenis distribui, idemtidem illud repetens, UBI EST CARITAS? & monachis exprobrans, quod incrassati & impinguati miseris non ita, ut par erat, subveniissent. His actis, ad Italiam, id est ad Fructuariense monasterium, denuo remeavit, illic obitum suum præstolari volens: at, cum biennio illic resedisset, tandem redire compulsus, ut monasteria sibi commissa lustraret, & in eis abbates ordinaret; primo ad Divionense monasterium se contulit, demum ad Fiscamnense, ubi supremum vitæ diem absolvit.

Vix annum unum ac dimidium ducatu Nortmannorum potitus erat Richardus tertius, cum hausto, ut plurimi crediderunt, veneno exstinctus est, relicto unico filio, Nicolao nomine, qui in cœnobio sancti Audoëni educatus, litterisque eruditus, ibidem vitam monasticam professus est, testante Willelmo [a] Gemeticensi, ubi postmodum abbatis officium gessit per annos fere quinquaginta. Fallitur [b] Ordericus, qui Nicolaum Fiscamni monachum, ibidemque per annos quinquaginta-sex abbatem exstitisse scribit. Richardum excepit in ducatu Rotbertus ejus frater, conditor abbatiæ Cerasiensis, ac septem annis cum dimidio Neustriam, non sine adversariorum discidiis rexit. Discordiarum præcipuus artifex exstitit quidam Britto, nomine Ermenoldus, qui apud eumdem principem totius fere provinciæ optimates, quasi in ejus perniciem conspirassent, suspectos reddidit. Crescente simultate, Ri- XXXVIII. Richardo III. duci Nortmannorum succedit Rotbertus.

a *Willelm. lib. 6. c. 2.*
b *Ordevic. p. 710.*

ANN. CHR. 1028. Richardus abbas Neuſtraſios reconciliat.

chardus abbas ; cujus conſiliis plurimum dux Rotbertus tribuebat, Rotomagum adiit cum domno Ermenfrido, optimates cum principe reconciliaturus. Ubi res ſucceſſiſſe viſa eſt, Ermenoldum diſcordiarum auctorem, ne rixas ſerere pergeret, Virdunum ſecum abduxit, & in ſpecie pœnitentem monaſticis veſtibus induit. Ille ſe ad tempus converſum ſimulavit : at brevi ejus nequitia deprehenſa, nec potuit latere inter ſanctos feralis illa rabies pacis inimica. Egreditur verſipellis de domo non ſua, reverſuſque in Neuſtriam, pacem turbare pergit, & conflictas optimatibus conjurationes imponere : ſed tandem a quodam foreſtario convictus, ſuperatus, & occiſus, finem vitæ fecit & criminum.

XXXIX. Poppo abbas ex morbo convaleſcit.

Interim Poppo, eximius Richardi diſcipulus, Stabulenſis abbas, necnon ſancti Maximini, aliorumque monaſteriorum rector, in gravem incidit morbum : cujus periculo conſternatus Erneſtus monachus, ejus familiaris, annorum viginti inducias a Deo ipſi impetravit. Ea vero fuit ejuſdem Popponis apud Conradum exiſtimatio, ut vacantem Argentinenſem eccleſiam ei committere voluerit. quod ille pio commento declinavit, ut anno inſequenti videbimus.

Hugo abbas Laubienſis. a *ſupra num.* 33.

Non ægre Laubienſis abbatiæ præfecturam Richardus abbas reſignavit in manus Reginardi Leodicenſis epiſcopi, qui ob Stephanum abbatem, ut ſuperius [a] diximus, in eum offenſus, hanc præfecturam eidem Richardo abrogavit. Monachorum deinde ſuffragiis eligitur Hugo, vir eo honore digniſſimus, non minus ſcientia quam religione inſignis, & die ſancto pentecoſtes benedictionis munus conſequitur. Hic eſt Hugo, quem Herigerus olim abbas ſtudiorum ſocium habuit, & ad quem libellum [b] de quibuſdam quæſtionibus ſcripſiſſe traditur. Ejus tempore Laubienſis eccleſia, tametſi necdum ex integro perfecta, idibus Februarii tertium dedicata fuit ; tuncque ſanctorum Urſmari & Ermini abbatum capita in principe altari recondita fuere. Richardum Laubiis recedentem clam ſubſequi voluit Theodericus monachus, jam laudatus [c] non ſemel : at ex equo in itinere lapſus, a Poppone Stabulenſi remiſſus domum eſt : ubi ordinatus anno ætatis triceſimo ſacerdos, auſteriorem deinceps vitam inſtituit.

b *Spicil. to. 6. p. 592.*

c *lib. 52. n. 99. & lib. 54. n. 99.*

XL. Widricus abbas Tullenſis.

Johannes de Bayone auctor eſt, Willelmum Divionenſem abbatem, cum ſibi commiſſa ſancti Apri & ſancti Manſueti & Medianum monaſteria per ſe jam procurare non poſſet, aſſentiente Brunone Tullenſi epiſcopo, Widricum ſancti Apri monachum illis locis hoc anno præfeciſſe ; qui ita magiſtri ſui veſtigiis inſtitit, ut alter Willelmus videretur. In necrologio Senonienſi ad nonas Septembris *Widericus abbas hujus loci, deinde abbas ſancti Apri* fuiſſe dicitur. Hic multos *in ſancta converſatione* erudiit, ex quibus nonnulli ad alia regenda monaſteria aſſumti ſunt. De hoc Widrico memoriæ proditum eſt, quod Hermannus epiſcopus, Brunonis deceſſor, eum necdum abbatem baculo percuſſerit. quod cum Willelmo relatum fuiſſet, ad Hermanni nomen alludens : Secundum ſuum nomen, inquit, id fecit epiſcopus. nam *lingua barbara* ſeu Teutonica *Herman*, latine *homo errans* dicitur. tum ſubintulit : Si Chriſti, inquit, paſtor fuiſſet, illius oviculas minime lacerare ret. at ſinite illum : verus Paſtor id novit, & quæ ſua ſunt colliget. Non multo poſt idem Hermannus Coloniam profectus, ibidem mortuus, ſepultuſque eſt, alias non male meritus de Willelmo abbate, ut ſuperius [d] vidimus. Hic eſt Widricus abbas, qui librum de vita ſancti Gerardi epiſcopi ſcripſit. De Brunone Hermanni ſucceſſore addit idem Johannes eum hoc ipſo anno ad Rotbertum Francorum regem a Conrado imperatore miſſum fuiſſe ad componendas quaſdam diſcordias ; eumque hac legatione tam bene perfunctum fuiſſe, ut nulla deinceps inter eos controverſia fuerit. Hoc factum itidem refertur a Wiberto in libro primo de vita ejuſdem Brunonis, ſed confuſo temporum ordine, ſcilicet poſt mortem Odonis Trecenſis comitis, qui Rotberto regi ſex annis ſupervixit.

d *lib. 54. n. 48.*

Monaſterium *Dieu-Louvart.*

In pago Scarponenſi exſtat etiam nunc monaſterium ſancti Laurentii prope opidum, cui vocabulum *Deus-Louvart*, quod Heymo epiſcopus Virdunenſis eccleſiæ, ad quam hoc caſtrum ſeu opidum pertinet, a fundamentis exſtruxit *in loco Gellanimontis*. Sed, quia hoc monaſterium poſitum erat *ſuper proprietatem poteſtatis ſancti Germani de Monte-Falconis* ; Heymo epiſcopus alium locum in permutationem conceſſit primicerio Dudoni, qui collegiatæ Montis-falconis eccleſiæ abbas erat ; ſtatuitque, ut *clerici* prædicti monaſterii epiſcopo Virdunenſi *ut domino* ſubjecti eſſent, epiſcopo vero Tullenſi ut proprio paſtori ; Dudoni autem primicerio *nonam decimarum*

decimarum perſolverent. quod Raimbertus epiſcopus, Heymonis ſucceſſor, ratum habuit, eoque rogante Conradus imperator, interventu Giſlæ imperatricis auguſtæ, & Heinrici unici filii ſui regis, præcepto roboravit, dato Aquiſgrani VI. nonas Maii hoc anno, imperii ſui ſecundo. Hujus porro monaſterii poſſeſſiones primatiali Nanceii eccleſiæ attributæ ſunt ; locus vero Benedictinis Anglis conceſſus. ANN. CHR. 1028.

Tunc temporis eo prolapſi erant Marcianenſium in Belgio ſanctimonialium mores, ut vel emendandæ, vel ejiciendæ eſſent. Ejici eas Balduino comiti placuit, & in earum locum monachos ſubſtitui. Id factum Balduini juſſu per Lietwinum ſeu Leduinum Vedaſtinum abbatem, qui novam coloniam eo induxit, cui per annos novem præfuiſſe traditur. Suffectus dein Albericus ejus diſcipulus, poſt quem Popponi Stabulenſi abbati ejus loci regimen ad breve tempus commiſſum eſt. is vero Balduinum ſub ſe rectorem inſtituit, poſtmodum Atrebatenſem abbatem. Marcianis ſubjectum erat etiam tunc Hamaticenſe proximum cœnobium, quod non multo poſt ad tantam paupertatem ſub Fulchardo abbate redactum eſt, ut uni colono, non ſecus ac ruſticanum prædium, committeretur. Locum utcumque reſtituit Amandus abbas Fulchardi ſucceſſor, qui corpus ſanctæ Euſebiæ virginis, Hamaticenſis quondam abbatiſſæ, in novam ex auro & argento thecam anno M C XXXVI. includi curavit. Hactenus Hamaticum * cella eſt Marcianenſis monaſterii, in quo ſanctæ Euſebiæ virginis reliquiæ aſſervantur.

XLI. Marcianis monachi inſtituti.

Hamaticum eis ſubjectum.

* *Hamay.*

Vix anni quinquaginta elapſi erant, ex quo monaſterium ſancti Quintini-de-Monte prope Perronam a comite [a] Alberto inſtauratum fuerat, cum eo uſque excidit, ut vix cellæ nomen, nedum abbatiæ retineret, & loci poſſeſſiones ab invaſoribus occupatæ eſſent. Non tulit tantam ſacri loci dejectionem Rotbertus Perronæ præfectus religionis eximiæ, qui eum in beneficium tenebat : ſed, acceptis a Rotberto rege litteris, iniquos facultatum poſſeſſores ad reſtitutionem adegit, ac poſtmodum ſuis ſumtibus monaſterium hoc tempore reſarcivit, præfecto Balduino abbate, qui ex nobili comitum Flandriæ & Namuci proſopia ortus erat. Is videtur fuiſſe diſcipulus Richardi Virdunenſis abbatis, qui inter alia monaſterium ſancti Quintini-de-Monte rexiſſe traditur. Balduino ſucceſſere Walerannus primus, tum ſecundus, ejus loci *ſapientiſſimus ordinator*, ut in necrologio legitur, *& a fundamentis ædificator*, qui Romam voti cauſa profectus, ibidem obiit. Hunc excepit Godefridus, morum integritate & genere clarus, de quo inferius.

XLII. S. Quintini de monte monaſterium inſtauratur.

a *lib. 48. n. 48.*

Columbas * abſque flexu de more appellabant veteres locum in Dorcaſſini comitatus finibus, Novigento-regis, Audura * fluvio interfluente, proximum, ubi antiqua beatæ Mariæ eccleſia erat, quam clerici ineunte ſæculo decimo incolebant. at ſub finem ejus ſæculi, ſeu neceſſitate, ſeu inopia deficientibus clericis, cum locus iſte abſque cultore jaceret, Rogerius Belvacenſis præſul, Carnutenſis ac Bleſenſis comitis filius, ad quem hæc abbatia (ſic etiam tum vocabatur) hereditario jure provenerat, eum denuo erigere, ac monachorum inibi collegium inſtituere decrevit. ſed morte præventus id omnino exſequi non potuit. Eo mortuo, Odolricus Aurelianorum præſul, ejus nepos & heres, pium avunculi ſeu patrui conſilium adimplevit, & monachos ibidem collocavit ſub Berengerio abbate, quibus non ſolum ea, quæ Rogerius jam dictæ eccleſiæ contulerat, confirmavit, ſed etiam non pauca inſuper addidit, quæ ſingillatim recenſentur in diplomate Rotberti regis, dato hoc anno, cui multi præſules ac proceres ſubſcripſerunt. Præcipui ſunt Odolricus ipſe Aurelianenſis, Iſambardus frater ipſius & heres illius beneficii, Fulbertus Carnutenſis, Franco Pariſienſis, Warinus Belvacenſis, epiſcopi ; Fulco Andegavenſis comes, Galerannus comes Mellenti, Radulfus Taxo, & alii. Hoc eſt Columbenſe monaſterium, cujus abbati ſanctus Bernardus librum de præcepto & diſpenſatione direxit, monachis ſancti Petri Carnutenſis conſignandum.

Columbenſis item abbatia.

* *Coulombs.*

* *l'Eure.*

Catalaunenſem eccleſiam ab anno M XI. regere cœpit Rotgerius epiſcopus, qui ſuburbanam abbatiam ſeu eccleſiam ſancti Petri, *a primitiva ejuſdem urbis eccleſia fundatam, & a beato Memmio viro apoſtolico tunc temporis ſacratam*, ſed rebus ſuis eo tempore *exſpoliatam*, in monaſterium convertit, ut legitur in diplomate [b] Rotberti regis, qui epiſcopi conſilium approbavit anno M XXVIII. Ad id operis uſus eſt Rotgerius *induſtria & labore Richardi* abbatis Virdunenſis, qui *fratres cum libris & ornamentis* ex ſuo monaſterio iſtuc deduxit, &, quoad vixit, per ſe ſancti Petri monaſterium rexit, cujus dedicatio anno M XXXIV. facta legitur in brevi chro-

XLIII. S. Petri monaſterium Catalauni.

b *Tepes to. 5. ſcript. 29.*

ANN. CHR. 1028.

nico [a] Labbeano. Prærogativa hæc est hujus loci, quod ex numero viginti & unius monasteriorum, quæ Richardo commissa fuere, tria tantum toto vitæ suæ tempore administravit, nempe Belliloci, sancti Petri Catalaunensis, & sancti Urbani: ex quibus primum est diœcesis Virdunensis; duo posteriora Catalaunensis. His quartum addit Hugo, nempe cœnobium sancti Hucberti in Arduenna. quibus omnibus abbates proprios, cum morti proximus esset, præfecit.

a *Labbe to. 1. bibl. p. 296.*

XLIV. S. Saviniani reliquiæ translatæ.

Quanta fuerit Rotberti regis & Constantiæ reginæ in sanctum Savinianum pietas & devotio, superius [b] vidimus, ubi ejus rei occasio expositа. Hanc vero pietatem probavit utriusque munificentia maxime hoc anno, quo ejusdem sancti reliquias theca pretiosissima includi curarunt. Factum libello singulari refert Odorannus monachus, cujus opera hoc in negotio usi sunt. Cum id ob varia impedimenta aliquamdiu dilatum fuisset; rex per Francolinum, unum e suis ministris, accersiit Odorannum monachum sibi familiarem ad *Druense* * seu Drocense castrum, ubi tum rex morabatur. Ille, percepta, ut moris est, benedictione abbatis, post vespertinam synaxim ocius viam carpit, iter prosperum ex insoliti sideris, per noctem sibi visi, indicio auguratus, *Squalidam* itaque *Belsam* * prætergressus, pervenit ad palatium regis. Rege ac regina ab eo salutatis, accepit auri *tredecim solidos, ad publicam monetam Aurelianensem appensos* in opus, quod sancto Saviniano ambo voverant. Reversus domum Odorannus cum Francolino ostiario & Raimberto cellerario regis, prolatos de cassilide solidos abbati & fratribus cum salutatione regis ac reginæ offert: qui solidi per manum Francolini denuo appensi, trutina vergente, inventi sunt septem denariis auctiores. Postea rex per manum Odoranni superaddidit auri uncias octo, & argenti meri solidos undecim: quibus additæ de thesauro ecclesiæ quinque unciæ auri, & tres libræ argenti meri. Ex his omnibus confecta theca sancto Saviniano. Cum rex Senonis esset, & Parisios quam primum reverti vellet, Leothericum archiepiscopum rogavit, ut sacri corporis in novum loculum e plumbeo translationem maturaret. Ille feria sexta venit ad monasterium, corpusque sancti Eodaldi cum corpore sancti Saviniani, necnon ossa pueri parvuli cum eo humati, in eadem capsa reposuit. Sequente dominica, rex cum episcopis & abbatibus, ceterisque proceribus adfuit ad transferendum sacrum corpus in locum dispositum: quod rex cum filio suo Rotberto suis humeris elatum, propriis manibus in prædicto loco reposuit. Illic cæcus quidam visum meritis sanctorum Saviniani & Potentiani recipisse traditur præsente rege: qui dolens, quod eos ab invicem separasset, triginta & tres solidos meri argenti contulit ad præparandum scrinium sancto Potentiano, quod morte præventus absolutum videre non potuit. Hæc translatio facta est tempore Ermenaldi abbatis, & quidem VIII. kal. Septembris, teste Clario monacho. qui dies anno M XXX. in dominicum incidebat.

b *lib. 54. n. 18.*

* *Dreux.*

* *la Beauce.*

XLV. Gemeticо facta restitutio.

Sub idem tempus Gemeticensi monasterio restitutum est forum Vivi-monasterii, quod Rodgerius comes de Monte-Gomerico destruxerat, & ad Montem-Gomerici transtulerat, ductus exemplo Rotberti ducis, qui initio sui principatus ecclesiis infestum se exhibuerat. At factorum pœnitens Rotbertus, dictum forum e posteriori loco everti jussit, & in priori loco restitui. quo facto, Rodgerius supplex monachos Gemeticenses adiit, multisque precibus vix obtinuit, ut, citra damnum eorum fori, sibi aliud in suo vico exstruere liceret, ea lege, ut usque ad tres annos in unoquoque anno illorum, quem tunc habebant censum augeret una libra denariorum. His litteris appositа sunt signa *Rodgerii hujus conventionis sponsoris, Hugonis filii ejus, & Saswali.*

XLVI. S. Mariæ & S. Viviani abbatia.

In quodam instrumento [c] archivi Burgulienſis fit mentio *de abbatia sanctæ Mariæ & sancti Viviani*, sita in potestate Cadelonis vicecomitis, cujus abbatiæ unum molendinum in Cluino vir quidam, nomine Samuel, Aldeberto vicino suo concessit *sub censu duorum modiorum in mensura prebendarii sancti Petri ad festivitatem omnium Sanctorum*, ea conditione, ut, *moriente sanctæ Mariæ abbate*, alteri supervenienti prædictus Adalbertus persolvat solidos duos, *& semper servitutem teneat.* Actum anno ab incarnatione M XXVIII. kalendis Martii. Subscripta sunt nomina Guillelmi comitis Aquitanorum ducis, Cadelonis vicecomitis de Oniaco, Guillelmi filii ejus, Samuelis, qui hanc chartam fieri jussit, & Aimerici ejus filii.

c *Besly Comtes p. 365.*

XLVII. Caritatis parthenon apud Andecavos.

In urbe Andecavorum trans Meduanam * fluvium jam sæculo sexto exstabat beatæ Mariæ basilica, ad quam sancti [d] episcopi Melanius Redonensis, Albinus

* *la Mayenne.*

d *Bolland. to. 1. Jan. p. 330.*

ANN. CHR. 1028.

Andecavensis, Victor Cenomannensis, Launus Constantiensis, & Marsus Namnetensis, in capite jejunii convenisse traduntur: ubi Melanius missam celebravit, & eulogias præsentibus distribuit. Ex his Marsus, *jejunium dici caritati* præferens, eulogiarum particulam sibi datam edere neglexit, eamque in sinu suo positam, repente in serpentem conversam obstupuit: cujus facti pœnitens a Melanio veniam petiit, eaque particula in pristinam formam reversa se communicavit. Exstat etiam nunc hæc basilica, beatæ Mariæ de Caritate, vulgo de Roncereïo dicta: in qua visitur antiquissima crypta subterranea, in qua prædicti episcopi convenisse referuntur. Hanc basilicam comes Fulco-Nerra, ejusque conjux Hildegardis instaurarunt, eique puellarum monasterium adjunxerunt, atque hoc anno, pridie idus Julii ab Hucberto episcopo consecrari curarunt. Exstat [a] ejus rei primarium instrumentum, in quo Fulco una cum uxore sua Hildegarde & filio Gaufrido novum templum conditurus, veterem beatæ Mariæ basilicam, quæ antiquitus illic « erat, destruxisse dicitur, reservato tantum altari in cryptis subterraneis, in quo « beatus Melanius Redonensis præsul in quadragesimæ capite, sacrato Christi cor- « pore, missa expleta, electo Dei Albino, Victori, Launo & Marso episcopis, eulo- « giam caritatis contradidit: unde locus iste Caritatis nomen obtinuit. Ut vero sanctimonialibus ejus loci sacri adessent ministri, quatuor illic sacerdotes, suggerente episcopo, a Fulcone instituti fuere, quibus dotem & partem oblationum assignavit, prout in prædictis litteris fusius exponitur. Ad hæc comes Fulco, ejusque conjux Hildegardis cum filio suo Goffrido seu Gaufrido, eidem monasterio conferunt piscationes de toto ponte lapideo, quem construxerant, excepta una arca a canonicis sancti Martini fabricata: constituentes, ut ex molendinis ibidem exstructis « unum esset eleemosynæ pauperum in perpetuum addictum: alterum in usum ca- « nonicorum, qui sanctimonialibus beatæ Mariæ deservituri erant. Legimus in ejusdem « parthenonis archivo instrumentum de electione primæ ejus loci abbatissæ, nomine Leoburgæ, quæ electio *pari voto, parique concordia* facta dicitur assensu Fulconis comitis, ejusque conjugis Hildegardis, necnon & eorum filii Gaufridi, assentien- « tibus quoque nobilibus clericis, laïcis, ac utriusque sexus nobilibus personis. qui- « bus præsentibus, humillima illa beatæ Virginis congregatio, non ferens diutius « rectricis carere custodia, in abbatissam elegit prædictam Leoburgam, humilitate, « sobrietate, castitate, aliisque virtutibus ad hoc officium idoneis præditam; eam- « que secundum regulam sancti Benedicti sibi *patronam* constitui, & abbatissam con- « secrari petiit, eo pacto, ut *ipsam regulam pro posse teneret, & nos*, inquiunt, *materna ammonitione ad sequendum invitet.* Huic instrumento subscripta sunt nomina Fulconis & Gaufridi ejus filii, tum sanctimonialium numero viginti & octo. Plura de hac abbatissa inferius. Hactenus floret istud monasterium, quod *Roncereium* vocant. In hoc loco monachi exstitisse videntur sæculo nono, idque colligitur ex quodam fragmento rotuli sexti, in quo legitur vicecomitis Ottonis possessio fuisse illa ecclesia, *& istud monasterium, in quo monachi habitantes erant sub imperio ejus.* quod non de alio loco quam isto interpretandum videtur. Vivebat Otto ille tempore Isemberti comitis, forte Ingelgerii: a quo in ejus curiam evocatus, cum rediret, Sarracenos *honorem suum* invasisse & combussisse didicit. quo audito, adjuncto sibi Alo de Alis montibus, ipsos Sarracenos plerosque occidisse dicitur, ceteros Isembertus comes, qui in eorum auxilium venerat.

a *Gall. chr. to. 4. p. 792.*

XLVIII. Nobiliaco malæ consuetudines remissæ.

Eo tempore cum Nobiliacense sancti Juniani apud Pictones monasterium ad summam penuriam ob multas exactiones redactum esset; commiseratione ductus Willelmus princeps, filius Willelmi Pictavorum comitis & Aquitanorum ducis, eo nomine quinti, ab illius regionis principibus obtinuit, ut malas consuetudines Nobiliaco impositas relaxarent. *Igitur ego Willelmus*, inquit, *qui mei patris utor vocabulo, per ejus donum accepta potestate in sancti Juniani abbatia, cum viderem paupertatem & miseriam monachorum bene Deo servientium, multis angustiis circumdatam, pro salute animæ meæ & mei patris, eorum volui paupertatem relevare, & loci venerationem exaltare. Unde accedens & deprecans meum patrem, & fratrem meum Odonem cum ceteris patriæ principibus, ut omnes malas consuetudines mihi liceret exstirpare, & penitus, velut herbas mortiferas, evellere. Deinde a supra dictis personis, prout volui, Deo volente impetravi. Quapropter amodo relinquo Domino Jesu-Christo & sanctæ Mariæ & sancto Juniano totam abbatiam in potestate sancti Hilarii, ut nul-*

lus homo jus ſuum in ea audeat exercere, niſi abbas & monachi. Et poſt imprecationes: *Hoc privilegium meis*, inquit, *manibus firmavi, meoque patri cum fratre & ceteris patriæ principibus ad firmandum tradidi pridie kal. Octobris* M XXVIII. *annis ab incarnatione Domini noſtri Jeſu-Chriſti, regnante rege Rotberto in Francia*, v. *anno reſidente Iſemberto epiſcopo in cathedra ſancti Petri poſt diſceſſum ſui prædeceſſoris Giſleberti.* Id factum tempore Imonis abbatis, de quo ſuperius [a] facta mentio eſt. ANN. CHR. 1028.

a *lib. 55. n. 54. & 55.*

XLIX. Ademari epiſtola de apoſtolatu S. Martialis.

Habitum eſt hoc anno apud Lemovicas concilium, teſte Ademaro Cabanenſi in apologetica epiſtola de apoſtolatu ſancti Martialis, quem contra Benedictum Cluſenſis monaſterii priorem aſperiore ſtilo propugnavit. Inſcripta eſt hæc epiſtola Jordano Lemovicenſi epiſcopo, Odolrico *doctiſſimo abbati monaſteriorum beati Martialis*, Rainaldo levitæ & Alberico, ceteriſque majoris beati Stephani eccleſiæ canonicis; Aimerico, Petro ac Geraldo decano atque Adelardo, aliiſque ſancti Martialis monachis; Engelrico, fratrique ejus Teotardo beatæ Mariæ Anicienſis canonicis; Wernoni grammatico beati Petri apoſtoli *Belliloacenſis* eccleſiæ monacho; Geraldo ſancti Auguſtini Lemovicenſis monaſterii abbati, Rotgerio ſanctæ Valeriæ Cambonenſis cœnobii præpoſito; item Geraldo doctiſſimo Sollemniacenſi abbati, Arnaldo Rothenenſi & Theoderico Mettenſi epiſcopis, necnon Cunegundi auguſtæ, Cononi ſeu Conrado Cæſari auguſto, Willelmo Aquitanorum duci, denique Johanni Romano papæ. Ex his tres poſtremos aliis ſe intermiſcere ait, ut, ſi forte hæc epiſtola ad eos pervenit, ſuæ ſententiæ arrideant. Ceteros prædicto Lemovicenſi concilio interfuiſſe puto, de quo hæc ſubdit Ademarus. *A vobis quidem non ſine grandi exaltatione, finito concilio Lemovicenſi, quarto die menſis Auguſti abſceſſi, revertens ad Egoliſmam civitatem, ubi ab ipſa tenerrima puericia hactenus, ætate quadragenarius, vitam in monaſterio beati Eparchii tranſigo.* Porro annum quo hæc ſcribebat, in conſequentibus diſerte exprimit his verbis. *Nam adhuc uſque* in *præſentem annum quo loquimur, qui eſt milleſimus* XXVIII. *ab incarnatione Domini noſtri Jeſu-Chriſti per indictionem* XI. *ab aſſumptione autem beati apoſtoli Martialis nongenteſimus quinquageſimus-quartus, non ſunt niſi* C LX. *anni, ex quo monaſticus ordo in hoc loco*, nempe ſancti Martialis, *tranſmutatus eſt de canonico.* Forte per id tempus Benedictus, Cluſenſis apud Taurinates monaſterii prior, Lemovicas advenerat, ubi contra Ademarum, alioſque monachos de apoſtolatu ſancti Martialis diſceptaverat. Inde ad Buxerienſe pagi Pictavenſis monaſterium profectus, ibique toto menſe Septembri remoratus, frequentes de eodem argumento collationes habuerat, maxime *in conventiculo monachorum Egoliſmenſium & Brantoſmenſium*, qui illuc ad feſtum nativitatis beatæ Mariæ convenerant, multoſque in ſuam ſententiam pertraxerat, gloriatus, Ademarum apud Lemovicas a ſe devictum & ſuperatum fuiſſe. Id ubi reſcivit per ſuos Ademarus, acrem illam & aculeatam adverſus Benedictum ſcripſit epiſtolam, in qua ea, quæ in diſceptatione Lemovicenſi dicta, actaque fuerant, commemorat, multaque glorianter a Benedicto prolata, nempe ſe nepotem eſſe abbatis Cluſenſis,
» novem annis grammaticæ in Longobardia & Francia ſtuduiſſe, & duo millia ſoli-
» dorum magiſtris ſuis dediſſe; ſe duas magnas domos habere libris omnis generis
» refertas; & poſtquam e ſchola exierit, fore ut nemo ſub cælo ipſo ſapientior fu-
» turus ſit. ad hæc ſe priorem eſſe monaſterii de Cluſa, ibidemque poſt mortem
» avunculi ſui futurum abbatem; & multa id genus, quæ ab Ademaro ſaltem exaggerata non dubito. Certe Ademarus ipſe modeſtiæ fines hac in epiſtola exceſſit, in qua Benedictum omni conviciorum genere afficit, Hebionitam & hæreticum eum appellans, ob hanc ſcilicet cauſam, quod ſancti Martialis apoſtolatum refelleret. Hunc autem ita mordicus aſſerebat Ademarus, ut, etiamſi aliter papa ſtatueret, ſe ei non obediturum dicat, ne Deo, qui Martialem apoſtolum creaſſet, non obedire videretur. Porro hanc quæſtionem definiri non poſſe, niſi in generali concilio omnium epiſcoporum Galliæ & Italiæ una cum papa Romano. Cum eodem Benedicto Lemovicas veniſſe dicitur Bernardus quidam, Ravennæ monachus, medicinæ artis peritus, qui idem cum Benedicto ſentiebat. In eadem quoque ſententia erat Salgionius, ex canonico factus monachus Angeriacenſis, qui tamen aiebat, ſe, cum Jeroſolymam pergeret, vidiſſe quemdam Johannem monachum, *fortiſſimum grammaticum ex civitate Remis, qui in navi quotidie Martialem pronunciabat in ordine apoſtolorum.* Hæc ſatis ex illa epiſtola, in appendicem

integra referenda. cujus ipſum, ut quidem puto, autographum clariſſimus Baluzius mecum liberaliter communicavit. Hanc ſcripſit Ademarus in eccleſia ſancti Eparchii: poſtquam duas miſſas celebraſſet, unam ſponte de cruce, alteram ex obedientia juſſu Amalfredi abbatis ſuper corpus ſancti Eparchii. Ceterum Benedictus ille Cluſenſis erat prior ſub Benedicto ſeniori abbate, qui concilio Lemovicenſi anno M XXXI. interfuit, & in eo favorabilem de ſancti Martialis apoſtolatu ſententiam tulit. Ejus proinde nepos erat Benedictus prior, alius ſine dubio a Benedicto juniori abbate, qui hanc præfecturam non ante annum M LXVI. iniit, obiitque anno M XCI. paſtoralis curæ viceſimo-quinto. Non itaque abbas fuit Benedictus ille prior, cum duo tantum ejus nominis abbates Cluſini ad illum uſque annum exſtiterint. ANN. CHR. 1028.

Celebris fuit hoc anno dedicatio *baſilicæ regalis* Salvatoris ſeu ſancti Martialis apud Lemovicas, quæ ab undecim epiſcopis XV. kal. Decembris, agente Odolrico abbate facta eſt. quo tempore levatum eſt corpus ſancti Martialis ab ejus monachis, *ad cujus præſentiam*, ait Gaufredus [a] prior Voſienſis, multa corpora ſanctorum ex Aquitania delata ſunt, præſentibus ducibus Aquitaniæ & Waſconiæ cum aliis principibus & magna Aquitanorum frequentia. Epiſcoporum, qui huic dedicationi interfuere, nomina hæc ſunt, Gothofredus ſeu Gotfredus archiepiſcopus Burdegalenſis, Jordanus epiſcopus Lemovicenſis, Iſembertus Pictavenſis, Roho Engoliſmenſis, Arnaldus Petragoricenſis, Petrus Gerundenſis, Deusdedit Caturcenſis, Amelius Albienſis, Arnaldus Rutenenſis, Fulco Carcaſſonenſis, & Iſlus ſeu Iſlo Santonenſis. Ad hanc dedicationem invitatus fuerat a Willelmo Aquitaniæ duce Fulbertus Carnutenſis antiſtes, ſed eccleſiæ ſuæ negotiis detentus adeſſe non potuit. Huc enim ſpectare mihi videtur ejus epiſtola [b] *glorioſo duci Aquitanorum*, quæ ſic habet. *Gauderem*, inquit, *dilectiſſime princeps, ad dedicationem veſtram devotus occurrere, niſi me eccleſiæ noſtræ nullo modo negligenda neceſſitas detineret*, nempe inſtauratio cryptarum ipſius eccleſiæ. Ex hac vero epiſtola intelligitur, Rotbertum regem & Gauzlinum Bituricenſem archiepiſcopum nonnihil commotos fuiſſe in Willelmum ducem. quod forte in cauſa fuit, cur archiepiſcopus illi dedicationi non interfuit. In monaſterio ſancti Martialis, ut id obiter dicam, hic mos antiquitus invaluerat, quod etiam in cathedrali ſancti Stephani eccleſia uſu veniſſe traduntque, ut qualibet quarta feria quatuor temporum cineres benedicerentur, & ſingulorum capitibus imponerentur.

I. S. Martialis baſilicæ dedicatio.

a *Labbe to. 2. p. 283.*

b *Fulb. ep. 1. c. 102.*

Eodem anno cœnobium Uſercenſe, ut tradit Gaufridus [c] Voſienſis, nonis Maii incendio conſumtum eſt tempore Richardi abbatis, qui illud poſt biennium inſtaurare cœpit. Huic ſucceſſit Petrus de Donzenaco, a ſancta-Marthanis omiſſus; & poſt eum Conſtantinus in annos quatuordecim. Hunc Geraldus excepit, de quo alias.

Uſercæ monaſterii combuſtum.

c *ibid.*

Apud Taurinates in conterminis Aſtenſis comitatus & Pedemontis ſuperioris, exſtat opidum Caramania dictum, in quo Manfredus ſeu Maginfredus Seguſiæ marchio, cognomento Odelricus, & Berta ejus conjux, monaſterii Seguſienſis auctores, puellare cœnobium ſub patrocinio beatæ Mariæ hoc anno conſtruxerunt, multiſque prædiis & poſſeſſionibus dotarunt, ut fuſe in litteris [d] hac de re confectis legitur. Erat jam eo in loco ex eorum proprietate baſilica una cum quatuor altaribus, cui monaſterium adjunxerunt, *in quo monachæ, quæ ibi ordinatæ fuerint, ſecundum regulam ſancti Benedicti divina ſubminiſtrantes officia, vitam feliciter ducant beatam.* Prima ejus loci abbatiſſa fuit Richilda, quæ *ab infantia in ejuſdem doctrinæ vitam* educata fuerat. Inter ea, quæ in monaſterii dotem aſſignantur, cenſetur media pars *de monaſterio beatæ Mariæ, ſanctique Martini*, conſtructo *in inſula, quæ vocata eſt Gallinaria.* In iiſdem litteris monaſterium eximitur a jure diœceſani epiſcopi, ſcilicet Taurinenſis; ſtatuiturque, ut, ſi filia ex conjugio conditorum relicta ſit, quæ veſte & velamine religionis ibidem induta fuerit, vel indui cupierit; ſiquidem ad regimen idonea fuerit, poſt mortem abbatiſſæ illic abbatiſſa inſtituatur; electa porro abbatiſſa, baculum ex altari accipere debebat, fierique *ſacrata*, antequam ordinaretur. *Actum in præfato loco Caramaniæ ante oſtium ejuſdem monaſterii*, anno Conradi imperatoris ſecundo, v. kal. Junii, indictione XI. Subſcribunt poſt conditores Alricus epiſcopus Aſtenſis, Maginfredi frater, aliique. Perſtitere in illo parthenone ſanctimoniales uſque ad medium ſæculum quintum-

LI. Caramaniæ cœnobium conditur.

d *Chronol. Pedem. p. 220. & Ital. ſac. to. 4. p. 1443.*

ANN. CHR. 1028.

decimum : quo tempore cum illæ, posthabito pudore, laïcarum more viverent, Amedeus, qui se Pontificem sub Felicis V. nomine ferebat, illis ejectis, monachos eo induxit : quibus demum Hieronymiani successerunt.

Ambrosiani abbates. a *Puricell. p.* 358. b *ibid. p.* 362.

Ambrosianæ basilicæ hoc anno præerat Wido abbas, Gotefredi senioris successor, ut patet ex litteris a Puricello relatis : cui paullo post Gotefredus junior suffectus. Hujus tempore Aribertus Mediolanensis archipræsul jussit, ut ad ejus præsentiam [b] in unum conveniret *sacer ordo monachorum suo regimini subditorum*, de moribus emendandis cum ipso acturus. quippe sicut Deus hunc ordinem in suo *servitio cæteris* habet, ita in *salutari censura* priorem esse voluit. Abbatibus itaque & monachis coram archiepiscopo simul congregatis præcepit Aribertus, ut quid molestiæ & gravaminis paterentur, singuli exponerent. Ex his domnus Gotefredus junior, abbas monasterii sancti Ambrosii, *ut inter reliquos primus*, sic etiam primus sententiam dixit : at nulla mentio facta de moribus, sed tantum de invasione quarumdam possessionum, quas archiepiscopus restitui jussit. Ejusdem pontificatu civis quidam Aurelianensis, Ansegisus nomine, e Gallia [c] profectus est ad pagum Mediolanensem, ubi ecclesiam in honorem sepulcri Salvatoris prope villam Trinade *, in loco Crucicula dicto, haud procul ab opido Besutio, ædificavit, & ab Ariberto archiepiscopo consecrari curavit. Mox multa illic signa facta dicuntur; adeoque oblationes a fidelibus eo confluentibus collatæ, quas Ansegisus partim in usus egenorum, partim in ornatum ecclesiæ suæ impendebat. Hæc ecclesia processu temporis accrevit in monasterium, quod Ambrosiano subjectum fuit.

c *id. p.* 365.

* *Ternato.*

LII. Fesulis S. Bartholomæi monasterium.

Fesulana cathedralis ecclesia ad id tempus longius extra urbem in devexo montis latere posita erat, adeoque ob difficultatem itineris raro ab ipsis etiam clericis frequentabatur. Id molestе ferens Jacobus episcopus, ex genere Bajoariorum, cathedralem ecclesiam, cum corpore beati Romuli martyris in urbem transtulit. Et quoniam prædictus locus non paucorum sanctorum honore, multorumque episcoporum tumulis insignitus erat; eum in solitudinem & oblivionem redigi non passus, illam ecclesiam in monasterium sub titulo sancti Bartholomæi erexit, eique multas possessiones assignavit in stipendium monachorum, quibus Leonem monachum atque presbyterum præfecit, quem *per pastoralem baculum* investivit. Inter alia vero eidem monasterio concessit cœnobium sancti Salvatoris, situm in loco Alina in comitatu Pistoriensi, quod idem Jacobus olim ab Heinrico imperatore obtinuerat. Horum omnium instrumentum [d] factum est *apud monasterium & ecclesiam sancti Bartholomæi judiciaria Florentina*; & quidem *anno ab incarnatione Domini vigesimo-octavo post mille*, Conradi imperatoris primo, IV. kal. Martias, indictione XI. Huic instrumento subscripsit longe post obitum Jacobi episcopi Transmundus, ejus post Atenulfum successor, qui hæc omnia confirmavit. Eodem anno idem antistes oratorium sancti Gaudentii, situm in alpibus Fesulanis ad flumen Decomanum *, in monasterium itidem convertit, ibidemque Johannem monachum [e] atque presbyterum constituit abbatem, quem *per pastoralem baculum* itidem investivit. De successoribus vero statuit, ut *per ostium* absque vitio simoniæ intrent, & *regulam sancti Benedicti in omnibus studeant observare*. Hoc monasterium unitum fuit Servitis beatæ Mariæ Annuntiatæ a Sixto IV. monasterium vero sancti Bartholomæi Eugenius IV. canonicis regularibus congregationis Lateranensis concessit.

d *Ital. sac. to.* 3. *p.* 288.

* *Dicaniano.*

e *ibid. p.* 292.

LIII. S. Miniatis res auctæ. f *Ital. sac. to.* 3. *p.* 68.

Annus quintus-decimus erat, ex quo Hildebrandus Florentinus antistes sancti Miniatis monasterium instauraverat, cum Lambertus ejus successor non modo sui decessoris munificentiam probavit, sed etiam novis donationibus auxit, hac maxime adductus ratione, quod *hic locus tanto esset salvandis animabus habilior, quanto & a sæculari tumultu remotior, & sanctorum ibi quiescentium religione sacratior*. Actum hoc anno post millesimum vicesimo-octavo, Conradi imperatoris secundo, ubi *Leopardus ejusdem sancti Miniatis abbas* memoratur. Hic non alius videtur a Leone ejusdem monasterii abbate, qui biennio ante ipsius Lamberti litteris [g] subscripserat, quibus hic præsul abbatiolam sancti Andreæ sancto Miniati subjectam Petro primicerio contulerat. His litteris subscribunt, ut mox dicebam, Leo *abbas de monasterio sancti Miniatis*, & post eum *Theuzo presbyter & monachus*, *Ottriso presbyter & monachus*, *& Johannes presbyter & monachus*. Forte is sit Johannes Gualbertus, qui hoc ipso tempore ad sancti Miniatis monasterium se recepit. Certe vix post hoc tempus, in quo nunc sumus, ejus conversio differri potest,

g *ibid. p.* 66.

Johannis Gualberti vitæ primordia.

ANN. CHR. 1028.

quippe qui post annos decem abbas electus, in Vallis-umbrosæ solitudinem secessit, ubi prima sui ordinis jecit fundamenta. Erat is nobilis Florentinus, patre Gualberto, a quo cognomentum accepit. Jam armis tractandis idoneus erat, cum quidam ejus propinquum interfecit. Non multo post homicida incurrit in Johannis manus, qui cum armigeris suis Florentiam tendebat. Ille certam sibi mortem impendere haud dubius, equo delapsus, facinoris veniam, expansis in modum crucis manibus, supplex deprecari instituit. Commiseratione motus Johannes, ob Christi crucifixi memoriam obsecranti pepercit. Mox in proximum sancti Miniatis templum orationis causa ingresso, Christi domini cruci suffixi effigies caput ipsi flectere visa est. quæ crux hactenus pro miraculo servatur. Ea re tactus adolescens, sæculum deserere constituit, moxque sancti Miniatis abbatem, ut ipsum in suum cœtum admitteret, multis precibus flagitavit. Id ubi rescivit pater, monasterium adit, repetitque filium; nisi sibi quantocius reddatur, grandia minatur. quibus ut moveri abbatem vidit Johannes, sibi ipse comam præcidit, ac vestem monasticam induit. quo viso, pater destitit a cœptis. Itaque in proposito confirmatus Johannes, brevi, qualis futurus esset, haud dubium specimen dedit. Sic enim mores ad regulæ amussim composuit, ut monasterii præfectura dignus sit judicatus. Verum ille altiora meditatus, majoris solitudinis studio Vallumbrosam secessit, ut inferius dicturi sumus.

LIV. Alfonsus V. sepultus in monasterio S. Johannis.

In Hispania Alfonsus V. rex Legionensis ad Viseum Lusitaniæ urbem, quam Mauris eripere tentabat, dum inermis infirmiora urbis loca incautius lustraret, ex sagittæ ictu letale vulnus accepit; rebusque in præsentia pontificum, qui eum in illa obsidione secuti fuerant, ordinatis, facta confessione, & sumto viatici sacramento, ut scribit Rodericus [a] Toletanus, interiit, quod alii ad hunc annum, ut Mariana, alii ad superiorem referunt, Rodericus ad æram M XLIV. Soluta obsidione, corpus ejus a suis Legionem defertur, & in paterno mausoleo sepelitur, nimirum in monasterio sancti Johannis-Baptistæ, quod ipse instauraverat, cum illam urbem, quæ a Mauris ad casas redacta erat, restrueret. Duo ante id tempus nostri Ordinis apud Legionem monasteria fuisse tradunt, unum sub sancti Johannis-Baptistæ titulo, incerto auctore; alterum sub sancti Pelagii martyris, a Mauris apud Cordubam cæsi, cujus corpus Sancius-Crassus a rege Mauro obtinuit, transtulitque in monasterium, quod ipse apud Legionem cum Tarasia conjuge construxerat. Utroque monasterio a Mauris destructo, Alfonsus V. unum ex duobus, si tamen duo fuisse constet, virginum cœnobium confecit, quod, ut rerum status tunc ferebat, ex l to & latere compactum est. Tum in illud Veremundi patris, aliorumque Legionensium regum ossa, variis in locis ob Maurorum metum dissipata, intulit : ubi Constantia virgo, regis soror, diu vitam egit. Ex eo tempore conditorium fuit regum [b] Legionensium in illo monasterio, quod modo sancti Pelagii, sed passim sancti Johannis-Baptistæ nomine insignitur; idemque forte de antiquiori illo monasterio censendum est. Postmodum hoc monasterium ex polito lapide constructum a Ferdinando rege & Sancia regina, qui corpus sancti Isidori episcopi ex urbe Hispali transtulerunt in hunc locum, posthac sancti Isidori titulo nuncupatum, qui sub finem sæculi duodecimi transiit ad canonicos regulares. Alfonso V. successit in regno filius ejus Veremundus, qui ecclesias & monasteria reparasse traditur.

a *R. deric. lib.* 5. *c.* 19.

b *Yepes an.* 963.

ANN. CHR. 1029. LV. Fulberto Carnutensi episcopo succedit Theodericus.

JAm veniendum est ad annum M XXIX. quo anno magnum illud Gallicanæ ecclesiæ lumen, Fulbertus Carnutum præsul, exstinctum est, mortuus IV. idus Aprilis, sexta die post pascha, quod veteres nonnulli suo more ad annum superiorem retulerunt, sicque in errorem induxerunt Baronium, aliosque recentiores. Annus ejus obitus ex epitaphio colligitur, in quo annos viginti-unum Carnutensem ecclesiam rexisse traditur, ab anno scilicet M. VII. Sepultus est in monasterio sancti Petri, quod vivens plurimum dilexerat, necdum e tumulo levatus, nec ullo publico cultu, quem tamen meruisse videtur præ multis aliis, honoratus. Cum in extremis versaretur, viso inter alios adstantes Berengario, eum expelli jussisse fertur, contestatus se immanem videre draconem prope eum consistentem, qui multos ad se sequendum alliceret. De ejus discipulis alias quædam observavimus : ejus vero scripta præ omnium manibus habentur. Post ejus mortem de successore deligendo turbæ exortæ. Electus primum Carnutensis ecclesiæ decanus, cujus nomen a lit-

ANN. CHR. 1029.

tera O. incipiebat : at ille, cum vidiſſet alium a rege expetitum, ſponte ceſſit, & monachus factus eſt. Hæc conſtant ex litteris canonicorum Carnutenſium, editis poſt Fulbertinas, quarum prima [a] eſt ad Leothericum Senonenſem metropolitanum, de quo conqueruntur, quod, cum electo ſuo decano primum faviſſet, poſtea, mutata ſententia, Theodericum præferendum cenſeret, ut regi ac reginæ, quæ ei favebat, gratificaretur. Iidem ſanctis præſulibus, Guarino Belvacenſi, Odelrico Aurelianenſi & Arnulfo Turonenſi ſcribunt, conquerentes de archiepiſcopo & rege, » qui ipſis invitis epiſcopum dare vellent quemdam idiotam, indoctum, & ejuſmodi » officio indignum. tum ſubdunt : *Volumus autem ſcire vos, decanum, quem elegeramus, factum eſſe monachum. nihilo minus tamen nos eum optare nobis fieri epiſcopum, cum reprobatus fuerit ille lupus, quem probare poteſtis indignum.* Tertia denique eorumdem hac de re epiſtola eſt ad Odilonem abbatem Cluniacenſem. De eo enim interpretanda videtur hæc epiſtolæ inſcriptio : *Quem ſuper omnes abbates diligunt,* » *ſanctiſſimo patri O. canonici ſanctæ Mariæ.* qui eum obteſtantur, ne faveat *contra* » *jus Theoderico ſimulato epiſcopo*, neque ſuadeat Odoni comiti facere cum eo con- » cordiam contra canonum auctoritatem. Hoc enim decere Odilonem, quem Deus » *clariſſimum ſpeculum* in mundo poſuit. Tenuit nihilo minus Theoderici promotio, qui non multo poſt, qualis eſſet, factis probavit.

a *Fulb. epiſt. 31. & ſeqq.*

LVI. Arnulfus abbas S. Petri cum ſuis pulſus.

Forte inter monachos ſancti Petri non pauci decano electo ſuffragabantur : alii nonnulli Theoderico, ex quorum numero forſan erat Walterius monaſterii decanus. Certe electione decani facta, canonici electionem [b] ſuam domino regi ſignificarunt *per ſuos monachos* (nam & monachos epiſcoporum electionibus intereſſe mos erat) ſcilicet *Hernaldum priorem, & Reſtaldum præpoſitum ſancti Dionyſii. quibus objicientibus de Theoderico ordinando regiam voluntatem*, injunxere canonici, *ut dicerent reginam id temere fieri jubere.* Non dubium quin hanc legationem indigne tulerint non-modo rex & regina, ſed etiam Theodericus ipſe : apud quem jam epiſcopum factum ſatis egit cum ſuis fautoribus Walterius monaſterii decanus, vir alias *in ſtudiis eccleſiaſticis honorabilis, ut a monaſterio pellerentur religioſi & optimi monachi, Ebrardus ſcilicet abbas Britogili caſtri, qui tunc aderat ibi, ac certis ex cauſis abbatiam ſuam reliquerat ; Gundfredus, Durandus, Ardfaſtus, atque Ernaldus*, qui ſine dubio alius non eſt ab Hernaldo illo priore, qui ad regem miſſus fuerat. Porro Arfaſtus is eſt, qui hæreticorum Aurelianenſium fraudes detexit, ut ſuperius [c] diximus. In libro Haganonis, in quo hæc referuntur, id ex eo factum dicitur, quod hi *Regulæ vigorem cum abbate maxime fovere volebant.* At ſive hæc, ſive alia cauſa, epiſcopus cum magna clericorum & laïcorum caterva ad monaſterium venit, ſedenſque ante altare beati Petri, aurea eccleſiæ atque argentea vaſa, aliaque ornamenta, *in ceris*, hoc eſt in cereis tabulis, conſcribi juſſit. tum prædictos monachos e monaſterio abire præcepit, nequiquam conteſtante Arnulfo abbate, ſe, ni epiſcopus a propoſito recederet, cum eis diſceſſurum. Egreſſus itaque cum ſuis abbas, cum equitatu non parvo, in Geſiacam cellam ſe recepit : ubi commoratus per tres menſes, per Odonem comitem poſtmodum revocatus, atque in monaſterium honorifice receptus, fere per triennium in abbatiæ regimine ſuperſtes fuit.

b *ibid.*

c *lib. 55. n. 2.*

LVII. Britogili monaſterium in Bellovacis.

Britogilum ſeu Britolium caſtrum, cujus abbas Ebrardus fuiſſe hic dicitur, poſitum eſt in finibus Bellovacorum in via publica, quæ fert Ambianos, nobilitatum monaſterio beatæ Mariæ, quod ante Danorum ſeu Nortmannorum tempeſtatem exſtitiſſe, ſed ab illis everſum fuiſſe tradunt. Ejus inſtaurator hoc tempore fuit Gilduinus caſtri comes, qui, cum ab Aveſgaudo Cenomannorum antiſtite corpus ſancti Conſtantiani monachi & confeſſoris accepiſſet, hoc monaſterium reſtituit, atque in eo ſacrum illud corpus depoſuit. Primus a reſtitutione ejus loci abbas fuit Ebrardus ſeu Evrardus mox laudatus, forte aſſumtus e Carnutenſi ſancti Petri cœnobio, ubi tum verſabatur, cum Arnulfus a Theoderico epiſcopo expulſus eſt. Cur abbatiam ſuam tum deſeruerit, nobis incompertum. Britolienſe ſeu Britogilenſe monaſterium Richardo Virdunenſi abbati commiſſum fuiſſe diſcimus ex ejus vita : an autem Ebrardus ejus diſcipulus fuerit, an vero poſt commiſſum Richardo monaſterium ſponte diſceſſerit, non liquet. Non ſolum Britulienſe monaſterium Richardo abbati commiſit Gilduinus, ſed ſe ipſe una cum duobus filiis ſuis, Waleranno & Hugone, ejus diſciplinæ ſubjecit, monachus cum illis factus in monaſterio ſancti Vitoni. Ebrardus Britulienſis comes non diſpari religionis ſtudio arduum religioſæ vitæ

ANN. CHR. 1029.

vitæ genus itidem ſectatus eſt, ut ex Guiberto alias dicturi ſumus. Abbatiam tamen recepit Ebrardus abbas, cui regreſſo Arnulfus mortuus apparuiſſe dicitur. Hugo Lingonum creatus epiſcopus, nonniſi in extremis monaſticum habitum induit. Monaſterii poſſeſſiones confirmavit Leo IX. rogatu Gilduini nobilis ac religioſi comitis, qui, *conſilio Drogonis ejuſdem regionis epiſcopi*, monachos & abbatem, nomine Evrardum, illic conſtituiſſe dicitur, & ad dotem monaſterii aſſignaſſe parœcialem ſancti Cyrici eccleſiam cum altari, necnon teloneum & bannum, aliaque in pontificio diplomate memorata, quod III. nonas Octobris, per manus Petri diaconi datum eſt anno Leonis papæ primo, indictione tertia. In necrologio ſancti Petri Carnutenſis Ebrardus abbas Britulienſis v. nonas Maii obiiſſe dicitur, idemque ad annum M LIII. vitam produxiſſe fertur. Succeſſor ejus Hucbertus. Bratuſpantii, de quo Cæſar in commentariis, rudera viſuntur prope Britogilum,

LVIII. S. Dionyſii cella Nogiomi.

Reſtaldus præpoſitus ſancti Dionyſii, unus ex duobus, quibus electionis decretum regi perferendum commiſſum diximus, videtur præpoſitus fuiſſe cellæ ſancti Dionyſii, quam Gaufredus comes in pago Perticenſi, *haud longe a caſtello Nogiomo dicto*, exſtruxiſſe traditur in litteris Rotroci comitis ejus filii, a quo Nogiomum-Rotroci * nuncupatum. Is eamdem cellam Carnutenſi ſancti Petri monaſterio addixit rogatu Landrici abbatis, Arnulfi ſucceſſoris. Hanc pacifice poſſederunt Carnutenſes monachi Rotroco vivente : at poſt ejus mortem Beatrix ipſius conjux, ſumta occaſione ex depoſitione Hucberti abbatis, cui Rotrocus hanc cellam donaverat, morienſque quidquid in ſcriniis ſuis erat, auri & argenti legaverat, teſtamentum exſequi detrectavit, & infenſa procuratori, qui legata repetebat, monachos ſancti Petri inde expulit, eorumque loco ſubrogavit Cluniacenſes, qui hactenus prædictam cellam retinent. Ita legitur in codice, qui Haganonis dicitur : at in tabulario Cluniacenſi, Gaufridus caſtri Mauritaniæ comes una cum uxore ſua Beatrice hanc cellam Cluniacenſibus ſe conceſſiſſe dicit pontificatu Gregorii VII. ut ſuo loco videbimus.

* *Nogent le Rotrou.*

LIX. Rotberti præceptum & S. Aniani dedicatio.

Celebris hoc anno fuit conſecratio baſilicæ ſancti Aniani apud Aurelianos, cui Rotbertus rex cum Conſtantia regina, multiſque epiſcopis, abbatibus & proceribus interfuit. Antequam eo ſe conferret, dum Calæ reſideret, ad eum acceſſit Odo Foſſatenſis [a] abbas cum ſuis monachis, obtinuitque ab eo, ut donationem cujuſdam Aleranni confirmaret. *Actum Calæ cœnobio* III. *idus Maii, indictione* XI. *anno incarnationis Verbi* M XXIX. Eodem abbate facta eſt anno ſequenti ab Imberto Pariſienſi epiſcopo dedicatio baſilicæ Foſſatenſis ſub titulo ſanctæ Mariæ & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli. E Calenſi monaſterio rex Aurelianos profectus eſt ad futuram dedicationem novæ ſancti Aniani baſilicæ, quam ipſe regia plane munificentia conſtruxerat. In ea novemdecim altaria erant, & duo quidem ad tumulum ſancti Aniani, *ad caput unum, ad pedes aliud in honore ſancti Benedicti*, teſte Helgaldo. Huic dedicationi interfuerunt Gauzlinus Bituricenſis archiepiſcopus idemque abbas Floriacenſis, Leothericus Senonenſis, & Arnulfus Turonenſis archipræſules; epiſcopi autem Odelricus Aurelianenſis, Theodericus Carnotenſis, Bernerius Meldenſis, Warinus Bellovacenſis, & Rudolfus Silvanectenſis. Adfuit etiam venerabilis Odilo abbas Cluniacenſis. Tunc ſancti Aniani corpus in præparatum mauſoleum tranſlatum, itidemque corpus ſancti Euſpicii Miciacenſis abbatis ibidem ſepulti, cujus pars reliquiarum Alberto abbati Miciacenſi conceſſa eſt. In libello [b] de hac ſancti Euſpicii tranſlatione prædicta baſilicæ ſancti Aniani conſecratio facta dicitur XVI. *kal. Julii*, & quidem anno Chriſti M XXIX. Rotberti regis *anno trigeſimo-tertio*, a morte ſcilicet Hugonis ejus patris, rectius quam apud Helgaldum *trigeſimo-ſexto*. Dum Aurelianis rex verſaretur, prædium quoddam, *regali* [c] *ſedi Vermeriæ contiguum*, quod Conſtantia regina *de auro e patris ſui dono aſportato coëmerat*, ipſe cum regina *ſanctæ Mariæ Compendienſis eccleſiæ, & ſanctis martyribus Cornelio & Cypriano ibidem requieſcentibus*, contulit pro ſua ipſorum ſalute, *& filii ſui Hugonis, jam regni ſolio, antequam decederet, ſublimati, & inibi ſepulti.*

a *Hiſt. Pariſ. to. 1. p. 657.*

b *Sæc. 6. to. 1. p. 314.*

c *Diplom. p. 582.*

LX. Gauzlinus archiepiſcopus obit.

Non diu poſt illam dedicationem ſuperſtes fuit Gauzlinus archiepiſcopus Bituricenſis & Floriacenſis abbas, qui in brevi chronico Floriacenſi [d] anno M XXIX. obiiſſe dicitur. In necrologio notatur IV. nonas Septembris *Gauzlenus archiepiſ-*

d *Baluz. to. 2. miſcel. p. 307.*

ANN. CHR. 1029.

copus & abbas. In quodam ejusdem monasterii codice, qui sancti Gregorii sacramentarium continet, habetur ejusdem Gauzlini epitaphium in hunc modum.

Dulce decus regni jacet hic sub marmore tristi:
Grandis honor patriæ jacet hic sub pulvere terræ.
Hic, Gausline, tibi requies, finisque laborum,
Dum veniat Dominus dare digna piis, mala pravis.
Petre sacer, Benedicte pater, sacra virgo Maria,
Fœnore multiplici servum dotate fidelem.

& post quosdam versus nullius momenti:

Octavas Martis superabat apollo fenestras,
Cum fera mors famulis rapuit hæc gaudia mastis.
Pro quo funde preces quisquis hæc scripta recurris.

Ubi primum hos versus legimus, visum est eos interpretari de mense Martio, cujus die octava Gauzlinus obierit. at consulto necrologio, in quo die secunda Septembris ejus obitus notatur, per *octavas Martis fenestras*, quas apollo seu sol superasse dicitur, interpretamur horam octavam Martis seu feriæ tertiæ, quæ hoc anno cum secunda die Septembris coincidebat. Ex præmissis porro versibus colligi potest, ni fallor, Gauzlinum sepultum fuisse in Floriacensi monasterio, cujus patroni erant beata Maria, sanctus Petrus, & sanctus Benedictus, in eodem epitaphio laudati. Gauzlino in sede Bituricensi suffectus Aymo, in abbatia Floriacensi Azenarius, qui & abbas erat monasterii sancti Martini Masciacensis, qui primum *inter grammaticos detritus, & postea in palatio*; tum Jerosolymam profectus, dehinc factus monachus, *jubente rege Rotberto in solo Bituricensi, monasterii* Masciacensis *prælationem susceperat*, ut ipse de se in concilio Lemovicensi testatus est.

LXI. S. Juliani Turonensis abbates.

Post triennium, quam in Turonense sancti Juliani monasterium intrusus fuerat Albertus Miciacensis abbas, inde recedere compulsus est. *Hoc autem Alberto post triennium ejecto*, ut in fragmento veteris chronici legitur, *abbatia commendatur Frederico abbati & Richerio priori*, qui paullo post Blesis apud sanctum Launomarum abbas factus est. *Postea Frederico abbati, qui duobus annis, Evrardoque, qui uno præfuerunt, excluſis*, abbatia Richerio jam Blesensi abbati defertur: quam optime ac religiosissime administravit, restituta illic disciplina, quæ tempore Alberti abbatis intrusi omnino laxata fuerat. *Ibi* quippe, testante chronographo, *nullus ordo, nulla religio; ubi murmur & odium contra patrem filiorum. Nihil ibi Deo gratum, ubi deest silentium. nam ibi tantum frangitur, ubi Deus contemnitur. Ergo absque silentio nulla valet religio.* At Richerii abbatis virtute & prudentia illic brevi refloruit pristina religio. Hic ex Britannia oriundus, primum Turonis *sanctæ Mariæ Pauperculæ presbyter* exstitisse dicitur. tum beati Martini canonicus esse voluit, sed decano prohibente esse non potuit. Dehinc in Majori-monasterio factus monachus, postea sancti Juliani prior; demum Blesensis primum, mox sancti Juliani quoque abbas exstitit. Sed Blesensem abbatiam, Odone comite perturbante, deseruit, & ad instaurandum sancti Juliani monasterium se totum contulit. Verum postmodum ad Blesensem, licet coactus, reversus est, abbatiam, *quam destructam a comite, & a comitis abbate reperit.* Id factum videtur post mortem Odonis comitis, quæ anno M XXXVII. accidit. Sic utramque abbatiam Richerius deinceps retinuit, ac strenue rexit, & monasterium sancti Juliani novum a fundamentis inchoavit anno M XL. qui regiminis ejus octavus erat.

Richerius abbas optimus.

LXII. Kemperlegiense monasterium conditur.

Hoc anno in Armorica cœnobium sanctæ Crucis Kemperlegii ab Alano Cornugalliæ comite ædificatur, atque inibi Gurloësius abbas ab Orscando pontifice benedicitur, ut in brevi ejus loci chronico [a] legitur. Orscandus episcopus erat Corisopitensis, qua in diœceesi hoc monasterium situm est. Gurloësius ejus primus abbas, vir sanctus, eductus fuit ex Rothonensi sancti Salvatoris monasterio, assentiente Cartwallono ejus loci abbate. In novi monasterii dotem concessa est ab Alano comite insula, Guedel vulgo appellata, latine Bella-insula, quæ gravissimæ litis cum Rothonensi abbatia seminarium fuit. Hanc donationem fecit Alanus co-

a *Balux. miscell. to.* 1. *p.* 520.

ANN. CHR. 1029.

mes pro incolumitate domini sui Alani ducis, conjugisque suæ Judith, ac monasterium tutelæ sedis apostolicæ commisit sub annuo censu duorum denariorum aureorum. Orscandus vero episcopus, Alani comitis frater, eidem loco hoc privilegium indulsit, ut in omnibus terris vel ecclesiis suis monachi jus episcopale in perpetuum possideant. Hæc acta die festo exaltationis sanctæ Crucis, quo die Gurloësius abbas ab Orscando benedictus est. Mitto fabulosa multa, quæ Gurhedenus monachus de prima illius monasterii origine, deque Gurloësio primo abbate scripsit.

LXIII. Willelmus comes Ecolismensis pie obiit.

Memoratu dignus est obitus Willelmi Ecolismensis comitis, qui post suum ex sacris locis reditum adversa semper valetudine usus, ubi finem suum instare sensit, *ab episcopis* [a] *& abbatibus pœnitentiam suscepit*; rebusque suis dispositis, *reconciliatus*, & absolutus est. Dein toto quadragesimæ tempore missas & pia exercitia frequentavit. Demum hebdomada passionis oleo sancto unctus, moxque sacro viatico munitus, ligno crucis adorato, & ori admoto, *spiritum in manu episcopi Rohonis & sacerdotum Deo reddidit.* Corpus ejus per biduum servatum a clericis *in basilica cathedrali sancti Petri apostoli*, postea *dominica sancta Hosanna*, id est palmarum, cum ramis & floribus delatum fuit ad basilicam sancti Eparchii, ubi ante altare sancti Dionysii a Rohone Ecolismensi & Arnaldo Petragoricensi episcopis sepultum est: ad cujus caput filius ejus Audoinus laminæ plumbeæ hoc epitaphium inscribi curavit: *Hic jacet domnus amabilis Guillermus comes Egolismensis, qui ipso anno, quo venit de Jerusalem, obiit in pace* VI. * *idus Aprilis vigilia Osannæ* M XXVIII. *ab incarnatione Domini.* Annus M XXVIII. hoc loco numeratur secundum veterem calculum, nobis insequens secundum novum. Tota ejus progenies ibidem jacet. Hic multa & pretiosa munera sancto Eparchio, tam in prædiis, quam in auro & argento contulisse traditur. Ejus exemplo Isembertus Pictavensis & Jordanus Lemovicensis præsules, necnon comes Fulco, aliique optimates Jerosolymam profecti sunt. Auduino ejus filio post annos quinque successit in comitatu Gaufridus seu Josfridus ejus frater, cujus conjux Petronilla monasterium sancti Petri de Botavilla fundasse dicitur, ibique humata fuisse. qua de re infra.

a Labbe bibl. to. 2. p. 183. & 255.

* al. VIII.

LXIV. Salvense monasterium Gelloni subjectum.

Hoc ipso anno M XXIX. nobilis quædam matrona, Garsindis nomine, duoque ejus filii Bermundus & Almerardus, cœnobium seu cellam sancti Petri *in confinio* [b] *Nemausensi, in loco, qui vocatur Salvens* *, construxerunt, & ex propriis impense dotaverunt. Hanc vero cellam *altari sancti Salvatoris & ligno sanctæ Crucis* ibi refulgenti, & beato Guillelmo illic quiescenti concesserunt: ut Gaufredus abbas & congregatio ipsius novum illud monasterium ordinarent, atque ex eo decem solidos annui census in signum subjectionis acciperent. Id statutum in præsentia Willelmi comitis Tolosani, Froterii Nemausensis episcopi, Artonis vicecomitis, & aliorum. In fine additur, ut, si quis in illa cella monachus fieri voluerit, petitionem *ibi non faciat, neque benedictionem accipiat*, id est professionem, *sed ante sacrum altare sancti Salvatoris Gellonensis arcisterii*: quod etiam de filiis nobilium vel pauperum offerendis statuitur. Idem Gaufredus abbas cum Pontio Anianensi abbate pactum fecit de ponte super Erauris * fluvium construendo, ad cujus fabricam Pontius materiam contulit, Gaufredus opus perfecit, ea lege, ut in illo ponte nulla ecclesia aut arx fabricaretur. Perstat etiam nunc pons ille media via inter Anianam & Gellonem.

b *Catel. Comtes p.* 103.

* *Sauve.*

* *l'Erau.*

LXV. Psalmodio ecclesia data cum indulgentia.

Exstabat in eodem Nemausensi pago nobile quondam cœnobium monachorum Psalmodiense, dein canonicorum sæcularium collegium, cui loco Pontius episcopus Glandatensis cum fratre suo Eldeberto donavit ecclesiam sanctæ Mariæ in comitatu Sistaricensi. *Factum est hoc donum anno incarnationis dominicæ* M XXVIIII. *indictione* XII. *regnante Rodulfo rege Alamandorum sive Provinciæ.* Hanc autem ecclesiam consecraverunt idem Pontius & Fraudo * episcopus in honorem sanctæ Mariæ, *& fecerunt absolutiones de omnibus peccatis minimis & majoribus*, relaxando scilicet pœnitentibus, qui ad illam ecclesiam convenirent, *de tribus diebus unum*: ita ut si quis intra quadraginta pœnitentiæ dies mortuus esset, censeretur absolutus *de omni peccato*, quod presbytero confessus esset. Eodem anno Faraldus seu Feraldus Vapincensis episcopus, in editis *Geraldus* mendose dictus, ecclesiam sancti Andreæ, prope ipsam civitatem sitam, quam Adalaldus quidam dotaverat, Cluniacensi monasterio subjecit admonitu domni Arbitrii canonici sanctæ Mariæ, & domni Pontii præpositi sancti Andreæ Rosanensis. In chartario ejusdem cellæ Vapincensis

* *f.* Fronto episc. Sistaricensis.

ANN. CHR. 1029.

Willelmus marchio anno insequente, ejusque conjux Lucia comitissa donasse dicuntur cœnobio Cluniacensi unum mansum prope mœnia civitatis subtus ecclesiam „ sancti Erigii, assignandum Cluniaco vel cuivis cellæ, prout domno abbati libuisset.

LXVI. Trionensis cella Cluniaco data.

Eodem fere tempore Kadalonus vicecomes cum uxore sua Amelia, & filio suo Willelmo, villam unam pagi Pictavensis, quæ vocatur Trionensis, sitam in vicaria castri Metulensis, sancto Petro Cluniacensi *in potestate & magisterio domni Odelini* seu Odilonis abbatis concessit, ut illic monachorum cellam instituerent. quod Willelmus ejus filius post mortem patris sui ratum habuit. His litteris subscribunt post Willelmum vicecomitem Willelmus filius ejus & *Odo frater ejus*, scilicet Willelmi junioris, Agnes comitissa, Isembertus episcopus Pictavensis, Arnaldus Petragoricensis, Roho Ecolismensis, & alii. Kadalonus ille seu Cadelo vicecomes de Oniaco dicitur apud Besium, ubi quædam ejus in Burgulienses beneficia referuntur.

LXVII. Botavillæ cella Saviniaco subjecta.

Gaufredus, filius alter Willelmi Ecolismensis comitis, de quo paullo superius [a] actum est, una cum uxore sua Petronilla, ecclesiam [b] sancti Pauli, sitam in pago Santonensi, in vicaria Christiolensi, apud Botavillam construxit, eamque sub dominatione sancti Martini Saviniacensis monasterii & domni Iterii abbatis constituit, curavitque sollemniter dedicari. Huic consecrationi interfuerunt Gotafredus archiepiscopus Burdegalensis, Islo Santonensis præsul, Arnaldus Petragoricensis, & Roho Engolismensis: qui antequam consecrationem peragerent, prædictæ ecclesiæ dotem assignari sategerunt. Actum hoc anno M XXIX. scriptumque manu Almanni monachi, præcipiente domno Iterio abbate.

a *num.* 63.
b *Bibl. Sebus. p.* 132.

LXVIII. Ardagnus abbas Trenorchiensis.

In Trenorchiensi monasterio Ardagnus abbas hoc anno, si non præcedente, Bernerio successit, a posteris sanctus habitus, tametsi nulla de eo singularia facta memorentur. De eo Falco monachus: *Hic vir*, inquit, *quanta strenuitate sui memoriam posteris reliquerit, magis visibus prodit effectus, quam narratio prodit auditui.* Idem eum *bis-denis & octo annis* Trenorchio præfuisse dicit. quibus exactis, pie decessit III. idus Februarii, quo die ejus festum præcipue colitur. Sepultus fuit in claustri parte ecclesiæ adhærente, quæ claustrum sancti Ardagni seu Ardani * vocatur. Illic jacuit per annos octoginta-quinque, id est usque ad annum M C XXXIX. quo sacrum ejus corpus e tumulo elevatum est pridie nonas Octobris. Hæc me monuit venerabilis dominus *Juenin*, canonicus Trenorchiensis, aitque in ecclesia Trenorchiensi insigne asservari flabellum, quod olim usui erat in sacrificio ad sacerdotem æstate refrigerandum & abigendas muscas; idque probant varii versus ei inscripti, quorum duos tantum refero.

* *S. Ardan.*

Sunt duo quæ modicum confert æstate flabellum:
Infestas abigit muscas, & mitigat æstum.

In manubrio, quod duos amplius pedes longum est, auctoris nomen hoc versu exprimitur.

Joel me sanctæ fecit in honore Mariæ.

Fuisse tamen usui in ecclesia Trenorchiensi seu sancti Filiberti docent hi duo versus.

Virgo parens Christi voto celebraris eodem;
Hic coleris pater tu, Philiberte sacer.

Alios versus pretereo, ne hic excursus sit longior.

LXIX. Poppo abbas Argentinæ episcopatum recusat.

Lambertus Scafnaburgensis & chronographus Hildensheimensis scribunt, Wernherum Argentinæ episcopum obiisse hoc anno, eique Wilhelmum reginæ capellanum successisse. Hic est Wernherus conditor cœnobii [c] Murensis apud Helvetos, cujus obitum plerique anno M XXVII. perperam consignant. Murensis chronographus scribit, eum decessisse Constantinopoli, quo ab imperatore missus fuerat. Post ejus obitum Conradus augustus vacantem episcopatum detulit Popponi Stabulensi abbati, qui oblatam dignitatem magis callido quam imitando commento declinavit, obtendens sibi, utpote clerici filio, per canones episcopum esse non licere. Excusationem non sine rubore admisit imperator, sed confictam eam esse

c *supra num.* 9.

ANN. CHR. 1029.

postea rescivit ab Ermengarde, nobilissimi principis Godefridi filia, quæ ipsum ingenui ac nobilis laïci filium esse asseruit. Hoc comperto, Popponem urgere instituit imperator: at ille se ad id officii, quæ excusatio probabilior erat, minus idoneum esse demum respondit. Tanta beati viri modestia nihilo minus effecit, ut Conradus ipsi abbatias regni sui pastoribus destitutas committeret. Ex his primum fuit Lintburgense [a], inter Spiram & Wormatiam situm, quod tamen Popponis vitæ scriptor in Vosago locat: ubi vir sanctus, rogante imperatore, locum alias horridum in monasterium convertit sub patrocinio sancti Johannis Evangelistæ, eique Johannem nepotem suum, uti & Trevirensi sancti Maximini monasterio, præfecit. In multis aliis locis abbates itidem ab eo instituti, Hersfeldiæ Ruodo seu Rudolfus, postmodum episcopus Patherbrunnensis; apud sanctum Gallum Norbertus, Wirtzenburgi Wolmarus, Epternaci Humbertus, vita & moribus insignis, Heribrandus in cella sancti Ghisleni, Everhelmus in Alto-monte, apud Brunwillarium Evo, Busendorfi Cono, Trajecti ad Rhenum apud sanctum Paulum Herigerus, Willarii Theodericus, Mettis apud sanctum Vincentium Heribertus, Walciodori Lambertus, denique Treviris apud sanctum Eucharium Bertulfus. Non diu sancti Maximini regimen tenuit Johannes ejus nepos, cujus obitum, qui in necrologio sancti Arnulfi v. idus Julii notatur, Poppo abbas præscivit, eique Bernardum suffecit. quo paullo post mortuo, hanc præfecturam denuo resumere coactus est. Post Johannem Lintburgi abbatem Gumbertus monachus, cum inconsulto viro Dei locum temere occupasset, non multo post, visceribus effusis, interiit: nec Haganoni, qui idem tentavit, cessit impune. Quin etiam Godestenus reclusus, qui ob vitæ solitariæ studium pro sancto habebatur, consimili succedendi cupiditate raptus, quasi pro sanctitatis suæ merito id sibi deberetur, e montis vertice prolapsus, citum exitum habuit. Talis finis ejusmodi arrogantibus debebatur.

Monasteria ei commissa.
a *V. infra n.* 105.

LXX. Diedericus librum scribit de illatione S. Benedicti.

Sub idem tempus Diedericus seu Thiedericus Hersfeldensis monachus, cum diu in Gallicanis monasteriis, præsertim in Floriacensi, conversatus fuisset, ad suos reversus libellum de illatione corporis sancti patris Benedicti scripsit ad venerabilem Richardum Amerbacensis cœnobii abbatem, cujus hortatu id aggressus erat. Quid auctoritatis mereatur libellus ille, suo loco expendimus, ubi de hac illatione [b] a nobis actum est. Situm est Amerbachium in diœcesi Wirziburgensi inter Neccarum & Mœnum fluvios, cujus originem nonnulli sancto Pirminio tribuunt, restitutionem Richardo Fuldensi abbati Browerus. at forte id tribuendum potius Richardo Amerbacensi, qui alius a Richardo abbate Fuldensi videtur fuisse. In præfatione ad prædictum libellum observatu dignum est quod ait Diedericus de diebus dominici adventus, *in quibus orientales monachi*, inquit, *velut in quadragesima, austerius solent vivere, & sub maxima institutionis monasticæ disciplina vigilantius natale Domini exspectare.* ubi orientalium monachorum nomine intelliguntur Græci, qui austerius vivere solebant. tametsi in his etiam partibus magna tunc erat etiam laïcorum in adventu districtio.

b *lib* 38. *n.* 9.

LXXI. Gandersheïmii lis finita.

Dum Merseburgi in festo pentecostes versaretur Conradus imperator, Aribo Moguntinus & Godehardus Hildensheimensis antistites, qui illic aderant, concordiam tandem inierunt super diutina disceptatione, quæ de subjectione Gandersheimensis parthenonis jam dudum inter utriusque sedis præsules vertebatur. nam Aribo Godehardum coram episcopis convenit, seque errasse confessus, perpetuum hac de re silentium se servaturum pollicitus est. quod usque ad finem vitæ sincere præstitit, sibique priora errata propter Deum remitti postulavit.

LXXII. Fructuariæ libertas asserta.

Conradi imperatoris cancellarius erat Henricus episcopus Eporediensis, qui Fructuariensis monasterii immunitatem [c], quæ decretis pontificum, præceptis imperialibus & privilegiis apostolicæ sedis jam sancita erat, auctoritate sua hoc anno comprobavit, ut illud cœnobium, quod in finibus suæ diœceseos situm erat, ab omni potestate & dominatione tum laïcæ, tum sacratæ personæ absolutum esset: *quoniam veraciter*, inquit, *cognovimus, præfatum monasterium, velut quamdam magnam lucernam, longe lateque lucere ad plurimorum ædificationem, nostraque ecclesiæ decori esse nimirum & honori, atque animabus filiorum nostrorum valde in multis prodesse; desiderantes quoque nos, & successores nostros, orationum, quæ ibi offeruntur Deo, participes fieri.* Tunc forte illic residebat Willelmus Divionensis abbas, ut ex superioribus [d] intelligitur, abbas ejus loci dictus in chronologia [e] Pedemon-

c *Ital. sac. to.* 4. *p.* 1496
d *num.* 37.
e *Chron. Pedem. p.* 262.

tana, tametsi Johannes ad hoc tempus Fructuariæ præfuit. Johanni succeſſit Suppo abbas, de quo infra. Idem Henricus epiſcopus ſancti Stephani abbatiam Eporediæ condidiſſe traditur.

ANN. CHR. 1029.

LXXIII. S. Mauri brachium Caſinatibus datum.

Poſt annos ſeptem, quam Odilo Cluniacenſis abbas e monte Caſino reverſus erat, memor ſponſionis Theobaldo abbati & Caſinatibus factæ de tranſmittendis ad eos e Gallia ſancti Mauri abbatis reliquiis; os [a] integrum ejus brachii, capſella argentea decenter incluſum, per ſex ſui monaſterii fratres illuc mittere curavit. Præmoniti hac de re Caſinates, abſente abbate, ſollemni pompa uſque ad portam veterem procedunt obviam ſacro loculo, quem maxima cum pietate ſupplices ac venerabundi, non ſecus ac ſi revertentem e Gallia ipſum beatum Maurum, excipiunt, oſculantur, & ad eccleſiam deferunt.

a *Chron. Caſin. lib. 2. c. 53.*

LXXIV. Caſinatum vexatio.

Tunc in Marchia exſul agebat Theobaldus abbas, in monaſterio ſcilicet ſancti Liberatoris, ubi ob Pandulfi principis Capuani perſecutionem ſe receperat. Hic eſt Pandulfus, qui ob tyrannidem ab Heinrico imperatore in vincula conjectus, eo mortuo in libertatem aſſertus Capuam receperat, eoque [b] Theobaldum abbatem ſimulata benevolentia accerſitum, quaſi pro utriuſque ſecuritate in Capuano monaſterio ſub cujuſdam Baſilii præpoſiti ſibi addicti cuſtodia, ut re vera captivum retinebat. quod cum quatuor annis abbas ſuſtinuiſſet, Capua, veluti ſpatiandi gratia, pedetentim ſe proripuit, ac militibus a Sergio duce Neapolitano clam ſubmiſſis ſe adjunxit; & Neapolim primum, indeque poſt dies aliquot in Marchiam profectus, demum in monaſterio ſancti Liberatoris, ubi olim præpoſitus fuerat, ad quinque circiter annos uſque ad obitum permanſit. Inter ea Pandulfus Caſinatis monaſterii univerſa fere caſtella, villaſque ſibi vindicavit, ſacra vaſa & ornamenta abſtulit, & Todinum quemdam e monaſterii famulis, factionis ſuæ hominem, ſancti Germani opido, ipſique monaſterio præfecit. Ille vero tam dure & inhumane monachos tractavit, ut in ipſa ſanctæ Dei-genitricis aſſumtione ad miniſterium altaris vinum eis defuerit. Ad hæc viliſſimos quoſque laïcos in refectorium fratrum, quod nullus laïcorum ad id tempus ingredi auſus fuerat, ad annonam menſis imponendam induxerat. quod domnus Leo, major eccleſiæ cuſtos, indigne ferens, zelo religioſo ſuccenſus, aliquando tandem illos quidem foras magno cum dedecore expulit; & ad fratres ſuos converſus: Quouſque tandem, ait, cum tanto noſtri ordinis opprobrio, ſub tam iniqua ſervorum noſtrorum dominatione hic gemimus? Sequimini me, & ad imperatorem una omnes ultra montes pergamus, ei calamitatis noſtræ lamentabilem hiſtoriam expoſituri. His verbis animati omnes, jam eum ſequi cœperant, cum abeuntes Todinus ſupplex exoravit ut reverterentur, æquiorem deinceps eis ſe futurum proteſtatus. Illi, ut benigno erant animo, reverſi ſunt: ſed tamen parum levaminis experti fuere. Tantæ vexationis auctor Pandulfus poſt mortem, ut fuſe Leo Marſicanus [c] ſcribit, meritas luit pœnas, uti & miniſter quidam ab eo ſubmiſſus ad auferenda Caſinatis eccleſiæ ornamenta: quæ cum ille ex altari, in quo ea Adam eccleſiæ cuſtos poſuerat, arripere vellet, mox caduco morbo correptus in faciem corruit, & diſtorto ore atque oculo uſque ad obitum reſtitit.

b *ibid. c. 58. & ſeqq.*

c *ibid. c. 61.*

ANN. CHR. 1030. LXXV. Ceraſii cœnobium conditur.

* *Ceriſy.*

Postero anno, ſcilicet poſt milleſimum triceſimo, duo noſtri Ordinis monaſteria in Neuſtria excitata: nempe Ceraſium * virorum, & ſancti Amandi feminarum. Ceraſium locus eſt in pago Bajocenſi prope ſancti Laudi opidum, ubi primitus abbatiam a ſancto Vigore conditam ferunt. Certe Rotbertus dux Nortmannorum, Richardi ſecundi filius, tertii frater ac ſucceſſor, Ceraſiacenſem abbatiam hoc anno *inſtaurare* cœpiſſe ab Orderico traditur: quam poſtea Willelmus ejus filius perfecit. Hanc multis prædiis ex rebus ſuis fiſcalibus dotavit Rotbertus, eamque ab omni conſuetudine eccleſiaſtica immunem reddidit *conſilio* [d] *& conſenſu Rotberti Rotomagenſis archiepiſcopi atque Hugonis Bajocenſis epiſcopi*, aliorumque epiſcoporum & baronum, in quorum præſentia hæc acta ſunt, prout fuſius in Rotberti ducis litteris exponitur, in quibus poſtea ejuſdem abbatiæ dotem auxiſſe dicitur. *Acta fuerunt hæc in Rodomo civitate anno ab incarnatione Domini* M XXXII. *primatus ejus anno* V. *ſub Francorum rege Heinrico, regni ejus poſt patris obitum anno primo, indictione* XV. *pridie idus Novembris.* Primus inſtaurati cœnobii abbas cenſetur Durandus ex monacho ſancti Audoëni Rotomagenſis: aliorum ſeries non

d *Neuſtria pia p. 431.*

ſatis accurata in Neuſtria [a] pia exhibetur. Poſt Durandum Almodus abbas fuiſſe dicitur, qui prius abbatiam [b] ſancti Michaëlis-de-Monte obtinuerat.

ANN. CHR. 1030.

a *ibid. p. 433.*

b *Labbe t. 1. bibl. p. 348. & 351.*

Eodem tempore Goſcelinus Rotomagenſis vicecomes cum Emmelina uxore ſua nobile puellarum monaſterium ſancti Amandi in ipſa urbe Rotomago conſtruxit; quo in loco ſancti Amandi eccleſiam, ſed extra muros, antiquitus exſtitiſſe non levia perſuadent argumenta. In litteris dotationis ejuſdem parthenonis, quas noſter Pommerayus refert, res proprietatis ſuæ *eccleſiæ ſanctæ Mariæ & ſancti Amandi epiſcopi, infra muros urbis Rotomagenſis ſitæ, ejuſdemque monialibus ibidem Deo famulantibus* conferunt. Emmenia ſeu Emma ejus loci abbatiſſa prima, Radulfi Bajocenſis comitis & Erembergæ filia erat, ſoror vero Hugonis Bajocenſis epiſcopi modo laudati, & Johannis epiſcopi Abrincatenſis ac demum Rotomagenſis archiepiſcopi. Agendum in ſequenti ſæculo de Marſilia abbatiſſa, cujus tempore inſigne miraculum in illa eccleſia factum eſt meritis ſancti Amandi Trajectenſis, ad Moſam, ut putant, epiſcopi, non Trajecti ad Rhenum, ut plerique *Trajecti* æquivocatione decepti exiſtimant. De hoc miraculo Marſilia abbatiſſa epiſtolam ſcripſit ad Bovonem Elnonenſem ſancti Amandi abbatem, qua in epiſtola fit mentio de hujus parthenonis altari, *in quo ſanctus Amandus orare conſueverat.* Quod attinet ad Goſcelinum illius parthenonis conditorem, ille ipſe eſt, a quo monaſterium ſanctæ Trinitatis ſeu ſanctæ Catharinæ in monte Rotomagenſi civitati proximo ædificatum fuiſſe ſuperius diximus.

LXXVI. Item S. Amandi Rotomagi.

LXXVII. S. Catharinæ monaſterium dedicatur.

Goſcelinus iſte vicecomes erat Rotomagenſis & Archenſis, patruus Godefridi, patris Willelmi de Archis, qui Mathildem, uxorem Willelmi de Tancarvilla camerarii, procreavit. Erat Goſcelinus Rotberto duci familiariſſimus & addictiſſimus, quippe qui ei initio principatus Rotomagum civitatem, in qua multa auctoritate pollebat, tradidiſſe perhibetur, ob id ejuſdem urbis vicecomes ab eo inſtitutus. Hic, admonitu Symeonis monachi Sinaïtæ, monaſterium in vicino monte una cum Emmelina conjuge ſua conſtruxit, quod hoc anno, inchoati monaſterii ſexto, in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis a Rotberto archiepiſcopo, præſente cum ſuis optimatibus Rotberto duce, ſollemniter dedicari curavit XVII. kal. Septembris. Illic depoſitæ ſanctæ Catharinæ reliquiæ, quas Symeon e monte Sina attulerat, unde ſanctæ Catharinæ vocabulum loco poſtea inditum eſt. Primus ejus monaſterii abbas fuit venerabilis Iſembertus, natione Teutonicus, monachus ſancti Audoëni, *ſapientia* [c] *& religione pollens*, quem Heinricus abbas facile Goſcelino petenti conceſſit. Huic Iſemberto dux Rotbertus fratris ſui Richardi filium litteris imbuendum tradidit, jam ſancti Audoëni monachum, ubi poſtmodum abbas factus eſt. Fuere & alii ejuſdem Iſemberti diſcipuli, de quibus in conſequentibus agemus. In his Goſcelinus vicecomes, filium ſuum ejus curæ ac magiſterio commiſit, nomine Hugonem, qui poſtea ibidem monaſticen profeſſus, in ſancto propoſito vitam finivit. Quin etiam Goſcelinus ipſe, ſpreto ſæculo, veſtem militarem monaſtica ſub eodem Iſemberto mutavit, ejuſque exemplo Emmelina conjux in ſancti Amandi parthenone ſanctimonialis habitu indui optavit. Prædictæ dedicationi Gradulfus Fontanellæ abbas interfuiſſe traditur, auctorque fuiſſe Goſcelino, ut in honorem ſanctæ Trinitatis conſecraretur eccleſia, quam ille in honorem ſancti Antonini martyris dedicari cupiebat. At necdum abbas erat tunc Gradulfus, ſed tantum decanus, quem Gerardus abbas, cui anno ſequente ſucceſſit, ad curandam montis ſanctæ Trinitatis fabricam eo direxerat. Gerardi porro nepos erat Durandus, ſanctæ Catharinæ a pueritia monachus ſub Iſemberti diſciplina, qui eum in litteris ſacris & profanis erudivit. Hic eſt Durandus ſcriptor ille celebris, Troarnenſis poſtmodum abbas, qui inſignem librum de corpore & ſanguine Domini compoſuit.

c *Orderic. lib. 3. p. 460.*

LXXVIII. S. Andreæ monaſterium in Caſtello-Cameraceſii.

Tertio poſt illam dedicationem menſe Gerardus Cameracenſis præſul cathedralem ſanctæ Mariæ eccleſiam (Baldericus [d] *monaſterium* vocat) ſollemniter quoque conſecravit, præſente Richardo Virdunenſi abbate, qui cum eo ſancti Gaugerici corpus, aliaſque ſanctorum reliquias loco decenti collocavit. Huic dedicationi Baldericus ſubjungit monaſterium ſancti Andreæ, quod idem Gerardus in Caſtello ſanctæ Mariæ, (nunc Caſtellum-Cameraceſii appellant) a fundamento exſtruxit, collata portione fiſci Perronenſis, aliiſque rebus *congregationi monachorum, quam pia ſollicitudine fovit, quamdiu vixit.* Hujus monaſterii dedicationem

d *Chron. Cam. lib. 3. c. 49.*

ANN. CHR. 1030.

saltem quinquennio ante factam opinantur recentiores, forte quod Baldericus mortem Heinrici imperatoris non multo post successisse innuit. Verum id æque dicendum esset de sanctæ Mariæ dedicatione, quam tamen Baldericus anno M XXX. diserte consignat. Conradus augustus anno M XXXIII. confirmat hanc sancti Andreæ *abbatiam*, quam Gerardus antistes construxit, *sitam in suburbio, quod Perona dicitur, ante castrum, quod sanctæ Mariæ nuncupatum, jam pridem prædecessor ejus Erluinus, favente tertio imperatore exstruxerat.* Miræus diploma integrum [a] refert, in quo recensentur possessiones eidem abbatiæ tributæ a Gerardo episcopo, qui sancti Sarii confessoris & sanctæ Maxellendis virginis sacra corpora ibidem deposuisse dicitur. Unde idem Gerardus in litteris ab se confectis ait [b] se construxisse *unum cœnobium apud novum castrum sanctæ Mariæ in honore sancti Andreæ, necnon Philippi & Jacobi & sanctæ martyris ac virginis Dei Maxellendis.* Actum Cameraci anno M XLVI. præsulatus ejus anno XXXVI. Supereſt etiam nunc hoc sancti Andreæ monasterium in Castello-Cameracesii, quod quinque ab urbe Cameraco milliaribus distat.

a *Mir. cod. donat. p. 154.*

b *ibid. p. 159.*

LXXIX. Gemeticenses abbates.

Jam decesserat hoc anno Theodericus Gemeticensis abbas, uti nos docet instrumentum [c] Drogonis comitis Ambianensis, qui graves census, ex Genestæ-villa a tempore avi sui Walteri exigi solitos, Gemeticensibus remisit, acceptis sexaginta duabus libris Rotomagensis monetæ, cum sex equis permagni pretii, quæ omnia *vir bonæ memoriæ Theodericus, tunc temporis abbas supra dicti cœnobii*, ipsi dederat. Actum apud Melantum *anno ab incarnatione Domini* M XXX. *indictione* XIII. *regnante rege Francorum Rotberto, anno regni sui* XLII. *& filii ejus Heinrici concorditer cum eo regnantis anno jam quarto.* Hæc est Genestæ-villa, quam Balthildis regina olim contulerat *Gemeticensis abbatiæ capitali monasterio.* Hanc vero cum sæculares homines vexationibus infestarent, Rodbertus abbas advocatiæ commiserat Walteri comitis, Drogonis avi, qui exactionibus eamdem subinde oppresserat, quas Theodericus abbas a Drogone comite, ut mox dicebam, redemit. Litteræ hac de re non statim conscriptæ, sed tantum (quod tunc non raro fiebat) post mortem Theoderici abbatis, cui Willelmus seu Guillelmus successit, eique post annos septem Rotbertus abbas, ex episcopo Londonensi postmodum archiepiscopus Cantuariensis. Exstat in bibliotheca Gemeticensi ritualis liber, tempore Theoderici abbatis scriptus, in quo formula offerendi pueri exhibetur, tum admittendi *conversi* seu adulti, cui post editam professionem, & indutum habitum monasticum, pacis osculo omnibus dato, præscribitur, ut *permaneat cum summo silentio in albis usque ad tertium diem*, id est, si bene capio, absque cuculla, cum tunica & toga, quæ antiquitus albi coloris erant.

c *Neustria pia p. 319.*

Quo tempore Guillelmus Theoderico subrogatus sit, colligimus ex diplomate Rotberti regis, quem ipse Guillelmus abbas, ejusque monachi adierunt, rogaturi, ut quamdam terram, Montiteræ adjacentem, sibi restitui juberet, *quam ex sanctæ Baltildis tempore Gemmeticenses tenuerant monachi, sed, ignorante Rotberto loci abbate cunctisque fratribus, cuidam militi, nomine Hermanno, Waningus monachus ad manum firmam illam tradiderat: Albertus* vero, *Cretellensis castri dominus, post eamdem manu firmam transactam violenter invaserat.* Rex ilico pervasorem apud Silvanectensem urbem coram suis fidelibus ad placitum sisti jussit, compertoque ejus præjudicio, prædictam terram Gemeticensibus restitui præcepit. Huic præcepto, post Rotberti regis monogramma, apposita sunt signa *regis Heinrici filii ejus, Odonis comitis, Richardi comitis Nortmannorum, Leterici archiepiscopi*, scilicet Senonensis, *Fulconis episcopi* Ambianensis, *Rogerii episcopi* Catalaunensis, *Azelini episcopi* Laudunensis, ac *Varnerii vicedomini.* Hinc patet, istud placitum habitum fuisse post coronationem Heinrici regis anno M XXVII. factam, & ante mortem Richardi tertii comitis seu ducis Nortmannorum, quæ accidit anno sequenti, cum ambo illi placito subscripserint.

LXXX. Adalberonis episcopi Laudunensis obitus & successor.

Supersteſ fuit ad annum M XXX. Azelinus seu Adalbero Laudunensis episcopus, unus ex eis, quorum nomina præmisso placito subscripta sunt, *Vetulus* non immerito dictus, quippe qui ante Hugonis regis principatum jam episcopus erat. Ante obitum suum de successore sibi sufficiendo Widone, nepote Beroldi episcopi Suessionensis, cogitavit. quod Gerardus Cameracensis episcopus valde improbavit, litteris [c] ad ipsum Adalberonem & ad Ebalum archiepiscopum scriptis, quibus *exsecrandam*

c *Chron. Camer. lib. 3. c. 29.*

ANN. CHR. 1030.

exsecrandam illam *novitatem* fugillat, *videlicet, ut una ecclesia duos habeat episcopos.* Fregit Adalberonis consilium Gerardi zelus, effecitque, ut non Wido, sed Gebuinus ei succederet. Sepultus est cum aliis suæ sedis præsulibus Adalbero in basilica monasterii sancti Vincentii, cui multa contulit, ut docet ejus epitaphium, quod alii retulerunt. Vincentinum monasterium tunc regebat Herveus abbas; cui Heinricus rex rotaticum & vectigal in suburbio de Semiliaco, ad radices montis Laudunensis posito, concessit: Gebuinus vero episcopus altare sancti Victoris ecclesiæ juxta portam, quam vocant Mortuorum. Herveo abbati successit Reginerius, frater Geraldi abbatis subsequentis, de quo alias. Adalberone adhuc superstite in Balduini Taruennensis locum subrogatus erat Drogo ex monacho Sithiensi, uti discimus ex epistola [a] Noviomensis ac Tornacensis ecclesiæ de electione Hugonis Cameracensis archidiaconi post mortem Harduini episcopi Noviomensis, quæ epistola Ebalo archiepiscopo, Adalberoni Laudunensi, Drogoni Taruannensi, aliisque comprovincialibus episcopis inscripta est.

S. Vincentii abbates.

a *Marlot to. 2. p. 68.*

LXXXI. Albertus abbas Gemetici res vindicat.

Jam sæpius actum est de Alberto Miciacensi abbate, antea monacho Gemeticensis monasterii, cui res quasdam adhuc laïcus donaverat *in pago Pingesiaco* seu Pinciacensi apud sanctum Martinum, ut superius vidimus. Atque ut hic locus a quavis infestatione tutior esset, Waleranni comitis Mellenti castri, cui vicinus erat, tutelæ commisit, dato mulo non modici pretii. Fidem datam servavit Walerannus, donec Rotbertus dux quasdam ejus terras in Nortmannicis partibus invasit. qua re inflammatus comes, ut illatam compensaret injuriam, prædictum locum suo dominio subjecit. Mox *Albertus abbas, necnon pater Gemmeticensis cœnobii Willelmus* comitem adierunt, datisque decem libris nummorum ab eo impetrarunt, ut nec ipse, nec successores ejus, pace an bello Francos inter Nortmannosque vigente, ullum umquam damnum eidem loco inferrent. Hanc conventionem signis suis firmarunt Walerannus ipse, Adelais uxor ejus, ac filius Hugo. *Acta est hæc descriptio Heinrici regis temporibus.* Eodem tempore Arnulfus Turonum archiepiscopus, Alberti abbatis filius, Odolricum episcopum Aurelianensem rogavit, ut « mediam partem ecclesiæ beati Pauli apostoli, sitæ in burgo Dunensi juxta civita- « tem Aurelianorum, quam ab Odolrico ipso in beneficium acceperat, largiri sibi « liceret Miciacensi monasterio pro remedio animæ, tum suæ, tum patris sui dom- « ni Alberti ejusdem cœnobii abbatis. quod Odolricus ratum habuit. *Datum* III. *kal. Novembris, regnante Rotberto rege anno* XL. His litteris apposita sunt signa, primum Odolrici episcopi, tum Arnulfi archiepiscopi, deinde canonicorum ecclesiæ Aurelianensis, in quibus est *Albericus frater Theodorici episcopi*, ejus scilicet, cui Odolricus successerat. Supersteſ fuit Albertus ad annum saltem M XXXVI. ut suo loco videbimus.

LXXXII. S. Georgii pirthenii apud Redonas primordia.

Sub idem tempus percelebre sancti Georgii monasterium apud Redonas conditum est: cujus auctorem, non Gaufridum Britanniæ ducem, sed Alanum ejus filium cum Hadvisa matre & fratre Eudone fuisse constat ex domesticis ejus loci monumentis. Prima ejusdem cœnobii abbatissa exstitit Adela seu Addela, ipsius Alani germana soror, quam ipse Deo consecravit. qua de re in primario illius monasterii instrumento sic loquitur. *Ego Alanus, Britannicæ gentis dux atque princeps, sollicitus quibus modis per temporalia bona ad æterna conscendam, primo sororem meam, thesaurum scilicet mihi sub sole pretiosissimum, Deo obtuli, ac secundum spirituale desiderii ejus propositum perpetuæ virginitati dedicavi. Deinde vero cum eam in divino amore atque in sanctæ religionis operibus succrescere, necnon in monasticæ eruditionis disciplina ad perfectum augmentari vidissem; contuli ei locum, regulari conversationi aptissimum, a Redonensis urbis muro quasi uno stadio sejunctum, in quo cum sibi adhærentibus sanctimonialibus quietum Deo possit exhibere famulatum. Sed quia locum contulisse illis non prodesset, nisi unde inibi sustententur habeant; condono eis, atque in eodem monasterio sibi successuris, ac sub regula sancti Benedicti Christo & pretiosissimo martyri ejus Georgio famulaturis, de facultatibus meis portionem aliquam, quæ ipsis in præsenti sufficere videtur ad alimenta. In primis possessiunculam loco illi contiguam, quæ licet parva videatur spatio, utilis tamen invenitur in usu. Sunt enim in ea vineæ fructibus fœcundæ, agri fertiles; sunt & prata bene irriguæ. Est etiam fluvius non parvam piscium copiam ministraturus*, scilicet Vicenoniæ *. *Confero eis præter ea vicum quemdam non exiguum, nomine Tinteniacum *, in Britanniæ partibus*

* la Vilaine.

* Tintenac.

ANN. CHR. 1030.

situm, cum ipsa ecclesia & omnibus, quæ ad eum pertinere noscuntur. Relaxo quoque jam dictis sanctimonialibus cunctas exactiones publicas, &c. His litteris post Alanum subscripserunt Junkeneus archiepiscopus Dolensis, Guarinus episcopus Redonensis, Judicaëlus Venetensis, & Adam sancti Brioci, episcopi, necnon Eudo Alani germanus, Alanus Cornugalliæ comes, aliique. Hæ litteræ, uti & sequentes, notis chronicis destitutæ sunt: at vix ultra hoc tempus differri possunt. quandoquidem Hadvisa, Alani & Eudonis parens, quæ cum filio suo multa eidem cœnobio contulit, annum M XXXIV. non excessit, cui Alanus annis tantum quinque supervixit. Idem, annuente fratre suo Eudone, sancto Georgio & Adelæ abbatissæ ejusque sociabus, monasterium sancti Petri *de Marcheil* concessit, situm in suburbio Redonis ante portam civitatis magnam.

Hadvisa vero, Alani mater, eidem cœnobio tradidit vicum, qui vocatur Cavana, cum suis adjunctis, sibi dono concessum a Gaufrido comite viro suo, cui vicus ille obvenerat ex hereditate Eudonis vicecomitis, qui, cum liberos non haberet, eumdem Gaufridum in filium adoptaverat. Illic Roiantelina vicecomitissa *congregationem feminarum sub sanctimoniali jugo Deo militaturam in Cavana plebe aggregare statuit.* Sed, cum eas ibidem regulariter nequaquam subsistere posse prævidisset, adiit Adelam abbatissam & sorores cœnobii sancti Georgii, *quod eodem tempore sub Alano Britannorum duce construebatur*; petiitque, ut prædictas sanctimoniales, numero novem, in suum collegium reciperent. quod Adela, ejusque sorores ægre annuerunt. Eadem Adela Galterium quemdam sui monasterii præpositum instituit ad placita tenenda; ob idque præfecturam *Plubihan*, quam pater ejus tenuerat, ipsi concedit, eo pacto, ut in fide sancti Georgii sit plebis ejus defensor, & malefactorum vindex; eumdemque *filium in beneficio sancti Georgii, omni conventu annuente, adoptavit.* Adelæ abbatissæ successit Hodierna, de qua inferius.

Glonnæ arx a Fulcone erecta.

Hoc ipso anno Willelmus dux Aquitanorum & comes Pictavensis, eo nomine quintus, Magnus ob pietatem merito dictus, monachus factus est in cœnobio Malliacensi, obiitque pridie kal. Februarii. Statim post ejus mortem Agnes ejus conjux secundas nuptias cum Gaufrido, Fulconis Andecavorum filio, cognomine Martello, contraxit. Mox Fulco cum Gaufrido, ejusque conjuge accessisse dicitur ad montem Glonnam, sancti Florentii quondam monasterio celebrem, ibique in occidentali montis parte castellum erigere constituisse. quod ne fieret, monachi ejus loci multis precibus impetrarunt. at nihilo minus veterem arcem, quæ olim monasterii præsidium erat, restruxit, & monachis primum custodiendam dimisit: sed postea suis tradidit clientibus, qui monachos injuriis & damnis lacessere non cessabant: dum tandem Sigonis abbatis rogatu a Gaufrido juniore, Gaufridi Martelli filio, hæc turris destructa est. Tunc temporis Salmurensi monasterio, a quo Glonna tum pendebat, Fridericus abbas præerat, qui hoc anno sancti Florentii corpus ab ecclesia sancti Hilarii de Crypta in novum monasterium nondum perfectum transtulit. In quibusdam tamen chronicis [a] Martellus nonnisi post biennium Agnetem conjugem duxisse dicitur.

a *Labbe to* I. *bibl. p.* 350.

LXXXIII. Nucariensis monasterii origo.

Fulconi comiti nonnihil debet monasterium, quod hoc tempore quidam religiosus homo, Hucbertus nomine, exstruxit apud Nucarias * pagi Turonici opidum, ad Vigennam fluvium positum, sive, ut veteres chartæ habent, *juxta groninum seu rostrum duarum aquarum, ubi ipsa Vigenna Crosam fluvium recipit.* Illic antiquitus ecclesia erat sanctæ Trinitati & beatæ Mariæ sacra, quam prædictus Hucbertus, monachos sub regula sancti Benedicti illic congregare volens, a quodam Malranno impetravit cum assensu Fulconis comitis & filii ejus Gaufridi, *de quorum beneficio erat.* Hanc abbatiam impense dotavit Hucbertus cum Thoma clerico filio suo, in usus cum monachorum, tum pauperum, *qui quotidie secundum Domini mandatum ritu monastico ad lavandos pedes recipiuntur.* Hæc omnia auctoritate regia confirmavit Rotbertus, qui monasterii & cœmeterii asylum sub gravi multa sancivit. *Actum Aurelianis, anno Verbi incarnati* M XXX. *regnante rege Rotberto* XXXIV. quod Balduinus cancellarius relegit & subscripsit. Primus monasterii abbas Evrardus non alius videtur ab Evrardo Majoris-monasterii percelebri tunc abbate. Ab eo Kadilo miles, filius Hugonis Nortmanni, cum matre sua Ersende, pro suis in monachos meritis societatem loci obtinuit. Evrardo successit Andreas, quem subsecuti sunt Gaufridus, Rainerius, Stephanus, & Gaudinus, ut suis locis videbimus. unde corrigendum chronicon Malliacense, in quo monasterii sanctæ Mariæ Nucariensis, cujus origo serius ibi ponitur, abbates hoc ordine recensentur: *primus Evrardus*, tum *Gaufredus, Stephanus & Gauterius*, expunctis Rainerio & Andrea, qui secundus in chartis ejus loci occurrit.

ANN. CHR. 1030.

Ea erat etiam tunc fidelium pietas & religio, ut quadragesimæ tempore in monasteria & sacra loca orationis causa secederent. Unde Willelmus Massiliæ comes & frater ejus Fulco, *tempore quadragesimæ, quando homines, qui christiano censentur nomine, sola religio nominis hujus non modo suadere solet pravis ab actibus, quin immo ab ipsis rerum terrenarum temperare curis*; alter *juxta sedem Massiliæ*, alter in monasterium sancti Victoris se recepere. qua occasione usi monachi, Fulconem de repetendis rebus sibi ablatis interpellarunt. In his villa erat quædam, vocabulo Carvilliacus, quæ antiquitus, id est tempore HLotharii imperatoris, a nobilissimo viro Sigofredo & Exleuba ejus conjuge sancto Victori concessa fuerat. Postea destructo monasterio subtracta fuerat, & ab quibusdam injuste occupata. Hoc intellecto, prædicti principes iniquos illos possessores, qui se allodiarios dicebant, in jus vocaverunt. Illi diem ex die trahentes, petierunt sibi dari spatium, *in quo possent facere exagium*, id probationis genus erat. *quo peracto, Dei judicium contra se videntes, recesserunt dolentes.* Tum adhibita ab eis mulier, quæ pro illis juraret: sed manus ejus justo Dei judicio exusta. Ubi id parum successit, villam adire se velle dixerunt. Illuc *sancti Victoris arca* delata a monachis. At invasores fidem fefellerunt. Monachis ad revertendum *induratis* auctor fuit episcopus post tres dies ut redirent, causam se finiturum pollicitus. Citati in judicium invasores, quidam cesserunt, alii obstinate restitutionem denegarunt. Tunc visum monachis, ut arcam sancti Victoris ad pratum suburbanum deferrent. Eo convenit infinita promiscui vulgi multitudo, martyrem veneratura. Ad hæc Willelmus vicecomes satis egit, ut fieret restitutio; immo & Stephana uxor ejus, necnon Odila conjux Fulconis ejus fratris, qui adesse non potuerat, eam urgebant. Cum ergo homines illi sic *a potestatibus* urgerentur, simul martyris præsentiam reveriti, ad arcam sancti Victoris accedentes allodem reddiderunt, præter duos, qui magis *agrestes* & contumaces erant. Hi extremum facturi periculum, *tulerunt sibi de plateis unum parvulum; quem resticula vincientes, projecerunt in stagnulum*, probaturi an mergeretur. quod suæ causæ præjudicium esset. *at ubi eum viderunt in aquam* [a] *non receptum*, mox etiam manus dederunt. Hæc paullo fusius persecuti sumus ad illustrandos illorum temporum mores. Adhuc restabat magna pars ipsius allodis, quam vulgus sancti Victoris *non episcopalem* esse dicebat: sed tandem episcopus sancti Victoris esse dixit. Porro cum dubii essent illius possessionis limites, *per judicium aquæ & ignis* designati sunt *manifestissimis signis.* A parte orientali, ab ipsa ripa fluvioli, videbantur *antiquitus fundati mausolei saxa ingentia, adhuc in quadrum jacentia, quæ composuit gentilis amentia linea recta per loca arentia usque in ipsius montis cacumina eminentia.* Sed hæc satis superque satis ex illa notitia, quam Guesnaius [a] retulit. Tunc temporis Provinciam [b] regebat Willelmus comes, qui cum uxore sua Lucia quoddam prædium in villa pagi Sistarici, Ausomnis dicta, sancto Victori donavit anno ab incarnatione Domini M XXX. quo anno Aribertus quidam cum uxore sua Lentilde, filiisque suis, *ex jussione Frontonis præsulis*, construxit ecclesiam in honorem sancti Promassi & sancti Mauricii, necnon sancti Romani in comitatu Sistarico, *in castro Furno-calcario*, quod Forcalquerium vulgus vocat. quæ ecclesia sancto Victori itidem tributa est.

LXXXIV. S. Victori restitutio facta & donatio.

a *V. lib.* 54. n. 112.

b *Cassian. illustrat. p.* 565. *& seq.*

Apud Burbonem seu Borbonem pagi Augustodunensis calidis aquis celebrem, sanctorum Nazarii & Celsi cellam erexit cum filio suo cognomine Anselluς ejus loci dominus, a quo Burbo-Anselli * cognomentum accepit, hancque cellam Cluniacensi monasterio subjecit. De hoc Borbone interpretandus Hildebertus in libro de vita sancti Hugonis abbatis, ubi quidam frater, *cum Borboni per sex menses quartana sustinuisset incendia*, a sancto patre, qui illuc ex tempore accesserat, sacris jussus interesse mysteriis, epoto post missam vino, in quo lota fuerant sanctorum pignora, sanitatem recepisse dicitur. Prædicti Anselli heredes fuere Ansedeus & Humbertus ejus frater, *Borbonensis castri in Æduensi pago miles ac dominus*, qui multa Cluniacensi monasterio contulere. Humberti conjux, nobilis femina, assensu

LXXXV. Burbonis-Anselli cella. * *Bourbon-l'Ansy.*

Achardi filii sui, quædam etiam donavit, ut ipsa apud Marciniacum, cum voluerit, monacha fiat.

ANN. CHR. 1030. LXXXVI. S. Apri monasterium instauratur. a *Diplom. p. 582.*

Sub idem tempus Tullense sancti Apri monasterium, *vetustate lapsabundum, semel & bis olim igne crematum*, instaurari cœpit, curante in primis Brunone episcopo, cujus insigne hac de re monumentum [a] habetur. Hunc locum, *omni religione destitutum*, ad pristinam disciplinam Bertholdus episcopus, Brunonis decessor, revocaverat *per domnum abbatem Willelmum*, scilicet Divionensem, *quem vix evictum precibus idem præsul Bertoldus adduxerat a Burgundiæ partibus*, eidemque loco regulariter præfecerat. *Sed quia vita monastica*, inquit Bruno, *dum nescitur, videtur quasi contraria; cum, vice mutata, viderent & audirent de ordine monachorum inusitata, & interdiceretur quibusdam curiosis fratrum familiaritas, quæ passim cunctis communis & facilis exstiterat; his & aliis occasionibus cœpit oriri querimonia contra locum, & cum diffamatione vituperationis scandalum, ut quidam sapiens ait: Omnis subitatio rerum non fit sine quodam fluctu animorum. Unde factum est, ut a vicinis murmurantibus & detrahentibus, blasphemantibus & accusantibus, locus adversitatem diu sustineret, quam a quibusdam excitabat non tam malitia, quam minus pecc,, cans ignorantia.* At non multo post cœperunt, qui olim aversati fuerant, locum ,, venerari; & boni ejus odoris famam degustare. *Unde contigit, ut plures eorum quæ,, rentes societatem adipiscerentur, plerique etiam monachi efficerentur:* sicque, crescen,, te fidelium devotione, cœpit sæpe dictus locus donantium largitate sublevari, & ,, ex eorum subsidiis a fundamentis instaurari monasterium: qua in re tanta exstitit ,, fidelium pietas, ut cives & suburbani saxa ingentia & lapides ad id operis sponte ,, conveherent, veteresque parietinas propriis manibus emundarent, ac cervicibus asportarent. Præcipuorum nomina, qui suppetias ad novam fabricam contulerunt, in his Brunonis litteris recensentur, scilicet Chuonradus imperator, qui libras argenti XV. & auri uncias quinque dedit; Gisla imperatrix, quæ libras tres & duas uncias auri; Mettensis episcopus, scilicet Theodericus, Lectfridus comes, Alberada comitissa, ductrix Mathildis, aliique permulti; ex abbatibus domnus Richardus, scilicet Virdunensis, Norbertus Mediani-monasterii, Sigifredus Gorziensis, Poppo Stabulensis, Erlinus & Heribertus sancti Vincentii itidem abbates. His subjunguntur *eleemosynæ conversorum*, eorum nempe, qui ad monasticam professionem conversi erant, ex quibus Herbertus primicerius, Herbertus item archidiaconus, comes Oddo, & alii, omnes numero decem. Nulla huic notitiæ apposita chronica nota: at præter-propter hunc annum data haud dubie est,

LXXXVII. Hildensheimenses abbates. b *Chesn. to. 3. p. 521.*

Hildensheimensi sancti Michaëlis monasterio vix octo annis præfuerat Goderannus primus abbas, cum finem vivendi fecit, mortuus hoc anno [b] pridie kal. Julii. Adelbertus Herocampiæ montis sancti Johannis præpositus, sanctæ conversationis monachus, ei successit, VIII. kal. Januarii consecratus a Godehardo episcopo. Post biennium fit mentio de Arnolfo abbate Herocampiæ, id est Hersfeldiæ, qui v. kal. Januarii obiisse dicitur, & Gellingæ, ubi tunc manebat, sepultus fuisse: sed inde post tres dies, effosso tumulo, ex præcepto Rudolfi sui successoris Hersfeldiæ in ecclesia sancti Michaëlis humatus.

LXXXVIII. Geisenfeldæ & Werdeæ parthenones. c *Hund. to. 2. p. 352.* d *Analect. to. 4. p. 51.*

Exstat etiam nunc in diœcesi Ratisponensi haud incelebre virginum Benedictinarum cœnobium, Geisenfelda vulgo appellatum, cujus primordia [c] ad hunc annum referuntur. Ejus conditor fuit Eberhardus comes, primaque abbatissa Gerbirga seu Gerbirgis, ejus ex sorore neptis, quæ *Græci regis stertoris*, forte *stratoris*, filia esse dicitur in ipsius epitaphio, quod ex veteri lapide, quoad legere licuit, expiscati [d] sumus, dum anno M D C LXXXIII. illic hospitaremur, non minus ejus loci sanctimonialium religione, quam caritate recreati, Hundius litteras refert donationum, quas tum Eberhardus comes cœnobii auctor, tum Willibirch ejus soror, Gerbirgæ abbatissæ parens, aliique fecerunt.

Eodem fere tempore conditum aliud puellare cœnobium intra muros imperialis opidi Donawerdæ, id est Danubianæ pæninsulæ, cujus auctores fuere Mangoldus Kiburgensis & Werdensis comes, atque Tutta ejus conjux. Erectum est sub titulo sanctæ Crucis, ob egregiam Crucem a prædicto comite ex urbe Constantinopoli reportatam, cum Conradi Salici legatione ibidem fungeretur ad nuptias filiæ Romani imperatoris cum filio Conradi augusti conciliandas. Ecclesia

dedicata fuit a Leone IX. qui Gunderadam abbatissam, ejusdem Mangoldi filiam, consecravit.

ANN. CHR. 1030. LXXXIX. Bremetensis abbatia invaditur. a *Supra num. 20.* b *Ital. sac. to. 5. p. 275. & seq.*

Apud Insubres Albericus Comensis præsul nihil non molitur, ut Bremetensem abbatiam, quam ab Odilone monacho [a] arte adeptus erat, sibi subjiceret. Mox itaque abbatiam [b] invadit: ubi monachos resistentes videt, ad vim recurrit. Taurinum pergit, Maginfredi marchionis opem rogat: reversus armato milite abbatem comprehendit, monachos alios fugat, alios capit. at, dum Comum redit, subito in itinere morbo interiit. Litigerius Teutonicus in ejus sedem suffectus, monachis faventior, rejecto Odilone, abbatiam domno Eldrado contulit. qui etiam sancti Carpophori ecclesiam in monasterium convertit, monachisque Benedictinis tribuit, quos commendatarii, Sixto IV. pontifice, exegerunt. Eadem fortuna fuit sancti Juliani abbatiæ, quam Benno ejus successor instituerat.

Comensia monasteria.

Patriæ suæ non immemor cardinalis Baronius retulit hoc anno Sorani monasterii originem, quod Petrus Rainerii, dominus Soræ urbis, quæ in Campania sita est, & Doda ejus uxor, filia Oderisii comitis, in loco Inter-formas dicto hoc ipso anno construxerunt. Illic institutus abbas primus Dominicus sacerdos & monachus, innumerabilium patrator [c] miraculorum, multorumque illis in partibus cœnobiorum fundator, cujus vitæ compendium hoc loco referendum est ex libello Alberici cardinalis, antea monachi Casinensis. Dominicus Fulignæ * Etruriæ opido oriundus, Johanne & Apa, illustribus genere ac religione parentibus, natus est. Ab iis puer traditur in suburbano monasterio sancti Silvestri sub-Asceri dicto, quod modo in xenodochium conversum est, litterarum studiis imbuendus. Tum adolescens e patria egressus in Sabinensem regionem, in monasterio beatæ Mariæ, sito in loco, qui a quodam gentilium fano Petra-dæmonis dicitur, a Domnoso abbate, miræ sanctitatis viro, habitum monasticum accepit. Hinc a cœnobiali vita, permissu abbatis, ad eremiticam se contulit: sed diu in tenebris tanta lux latere non potuit. Adductus ejus fama Hucbertus marchio, locum in Scandilia construendo Salvatoris monasterio obtulit, cui abbatem, scientia & virtute præditum, nomine Constantium, præfecit, dum ille, assumto secum venerabili monacho, nomine Johanne, ad montem Pizi secessit. Verum nec Dominico illic quieto esse licuit, nam statim a terræ illius comitibus, Beraldo, Theodino atque Randisio, agnitus, monasterium, quod sancti-Petri-de-Lacu dictum est, in Valvensi territorio ædificare compellitur. Ad hæc a Borello majore rogatus, in Sangro quoque cœnobium exstruxit, quod ab enormi arbore avellana proxima sancti Petri de Avellana nomen accepit. Post hæc in Campaniam Romanam profectus, in loco, qui Trisaltus vocatur, cujus accolas a nefariis actibus, maxime ab illicitis conjugiis retraxit, monasterium sancto Bartholomæo posuit, atque insuper aliud in latere montis, qui Cacumen appellatur, sancti Angeli nomine insignitum instituit. Postremo e cœnobio sancti-Petri-de-Lacu ad Trisaltum visitandorum fratrum gratia proficiscenti occurrit Petrus Rainerii, Soræ dominus, eique conscientiæ suæ crimina, multa & gravia, aperuit: cui id pœnitentiæ inter alia vir Dei injunxit, ut monasterium suis sumtibus in proprio fundo exstrueret, dotaretque liberaliter. quod ille incunctanter exsecutus est; inventoque prope Soram loco apto, monasterium sub Dei-genitricis Mariæ patrocinio erexit, in quo sanctimoniales, inconsulto Dominico, collocavit. quod cum vir sanctus non probasset, monachi mox substituti ea lege, ut Dominicus eorum curam susciperet. Litteras conditi monasterii, hoc anno datas, retulit Baronius, qui addit, aliud anno superiore monasterium, ad majorem civium commoditatem, ad radices montis, cui ipsa civitas adjacet, ab eodem viro Dei erectum fuisse. His omnibus adjungendum cœnobium sancti Benedicti de Campitellis, in Umbria hoc anno ædificatum, cui Albertus abbas præfectus, ut Ludovicus-Jacobilli testatur.

X C. Dominicus Soranus varia monasteria condit. c *Chron. Casin. lib. 2.* * *Foligny.*

Apud Amalfim Picentinorum civitatem Leoni archiepiscopo e nostris, cujus mentio alias [d] a nobis facta est, vita functo, subrogatur hoc anno Laurentius [e], itidem Benedictinus, nobili æque genere natus, græce & latine doctus, &, quod longe præstantius est, morum probitate insignis, qui a Johanne XX. in Lateranensi patriarchio consecratus est. Hic cum ecclesiam suam sancte administraret, infestum habuit Guaimarium Salernitanum principem & Amalfitanorum ducem: cujus iram declinaturus, Romam ad Gregorium VI. se recepit, ibique usque ad

Laurentius archiepisc. Amalfitanus. d *lib. 49. n. 107.* e *Ital. sac. to. 7. p. 253. & seqq.*

mortem perſeveravit. quo tempore Hildebrandum, poſtea Gregorium VII. dictum, divinis humaniſque litteris erudiiſſe dicitur. De felici ejus obitu inferius.

ANN. CHR. 1031. XCI. Willelmus abbas obit.

CUm biennium in Fructuarienſi monaſterio expleviſſet Willelmus abbas, inſedit ejus animo reviſere omnia Galliæ monaſteria, quæ ipſius providentiæ commiſſa erant, ac ſingulis ſingulos abbates, ubi deerant, præficere. Cuncta itaque perluſtravit uſque ad Gorzienſe, quod olim, uti & ejuſdem regionis pleraque omnia, ad meliorem frugem reduxerat. Demum Fiſcamnum reverſus, acribus doloribus cruciari cœpit. Jam vero imminente nativitate Domini, convocatis fratribus, quidquid agendum erat, diſpoſuit, moxque ſacrum viaticum ſibi dari petiit. Denique expletis ſollemnibus octo diebus, erectis in cælum oculis, animam ſuam eo tranſmiſit, quo cuncta ejus deſideria ferri conſueverant. Id accidit anno a nativitate Domini M XXXI. indictione XIV. anno ejus ætatis LXX. ab ejus adventu ex Italia in Gallias XLI *. ipſo die dominicæ circumciſionis, feria ſexta ſub auroram. Sepultum eſt ibidem ſacrum illius corpus honorifice *in gremio ejuſdem ſanctæ Trinitatis eccleſiæ*, id eſt *in conſpectu euntium ac redeuntium fratrum : ut quotidie ſiquidem præ oculis imitabilem haberent patrem, quem ad æternam juſtitiæ mercedem habuere inſtitutorem*, ut teſtatur Glaber-Rodulfus monachus ejus æqualis in libro, quem de ejus vita compoſuit, qui *pleraque* a ſe *viſa, plurima tamen a veraciſſimis relatoribus comperta* ſe narraturum in præfatione pollicetur. In chronico tamen ſancti Benigni, ubi acta ejus fuſe referuntur, corpus ejus, a medicis conditum aromatibus, ſepultum fuiſſe dicitur *ante altare ſancti Taurini*, cujus capella ad ſiniſtrum ſanctuarii ambitum poſita eſt, ubi reſerato nuper tumulo nihil fere ejus reliquiarum inventum. Alii [a] in capella ſanctæ Mariæ Magdalenæ ſepultum dicunt, ſed recentiores. Ceterum mirum videri poſſit, tantum virum in ſanctorum album relatum non fuiſſe, qui certe id honoris eximiis factis & virtutibus promeritus videtur. Zelum ejus pro regulari diſciplina probat in primis cognomentum *Supra-regulam*, quod Hugo Flaviniacenſis ei tribui ſolitum fuiſſe tradit. Tanta porro fuit ejus apud omnes exiſtimatio, *ut cunctas Latii ac Galliarum provincias*, teſte Glabro, *ipſius amor ac veneratio penetraret. nam reges ut patrem, pontifices ut magiſtrum, abbates & monachi ut archangelum, omnes in commune ut Dei amicum, ſuæque præceptorem ſalutis habebant.* Penetravit ejus fama & veneratio uſque ad Veneticorum gentem, cujus patriarcha, Urſus nomine, *ipſius ſancti patris monachus* factus fuiſſet, niſi ille flagitanti perſuaſiſſet, ut in ſuo permaneret propoſito, veritus grave diſpendium, quod illi genti ex ejus abſentia proveniret.

* *al.* XLII.

a *Labbe bibl. to.* I. *p.* 328.

XCII. Johannes Fiſcamni poſt eum abbas.

De ejus diſcipulis otioſum fuerit repetere, quæ in ſuperioribus jam retulimus: nunc quinam ejus ſucceſſores in ſuis monaſteriis fuerint, exponendum. Ut a Fiſcamnenſi incipiamus, petente Rotberto duce, ut abbatem ſibi ſubſtitueret, Johannem, tum priorem, illic abbatem conſtituit, alium a Johanne abbate Fructuarienſi. Johannes quippe Fiſcamnenſis in partibus Ravennæ ortus, litteris eruditus, ac medicinali arte, quam ex ejuſdem beati patris mandato didicit, ejus in primis ſtudioſus imitator, ab exilitate corporis Johannelinus dictus eſt: ſed tanta in eo humilitatis, prudentiæ, ceterarumque virtutum gratia refulſit, ut mirum videretur, in tam parvo corpore tanta Dei dona exuberare. Ex priore factus eſt anno M XXVIII. Fiſcamni abbas ad annos unum & quinquaginta. In quodam codice cellæ ſancti Gabrielis legitur, Rodbertum ducem Nortmannorum, ut Fiſcamnenſis monaſterii libertatem tueretur, noluiſſe, ut Johannes ab archiepiſcopo Rotomagenſi ordinaretur abbas, ſed accerſiviſſe Hugonem Abrincenſem epiſcopum, a quo Johannem Fiſcamni abbatem benedici ac ſacrari fecerit, Rodberto archiepiſcopo præſulatum adminiſtrante. Eodem abbate ordines non ſemel ab aliis epiſcopis collati ſunt, archiepiſcopo nequaquam reclamante. Id factum tempore Malgerii Rodberti ſucceſſoris, cum Hugo Lexovienſis epiſcopus, a Johanne abbate invitatus, Fiſcamni diaconatum contulit Odoni, qui poſtea factus eſt Bajocenſis epiſcopus, aliiſque tum monachis, tum clericis alios [b] ordines contulit. At Johannes Fructuarienſis abbas, Arduini Italiæ regis nepos erat, longe ante Willelmi mortem abbas ordinatus, tametſi Willelmus providentiam ſemper gereret ejus loci, qui ex paterna hereditate Deo conſecratus erat. Johannes porro Fiſcamnenſis poſt mortem Willelmi Supponem monachum, patria Romanum, in Monte-ſancti-Michaëlis conſtituit abbatem, qui poſtmodum ob quaſdam ſimultates Fructuariam ſe recepit, ubi abbatis aliquamdiu officio functus eſt. In ſancti Benigni Divionenſi monaſterio inſtitutus a Willelmo Alinardus ex-priore, in Pratenſi ſancti Germani monaſterio Adraldus, Sigefridus in Gorzienſi, in Mettenſi ſancti Arnulfi Oddo, in Tullenſi ſancti Apri & ſancti Manſueti Widricus, atque in Mediano, cui Norbertus paullo poſt ſuffectus, de quibus in conſequentibus agendum.

Ordines illic collati.

b *V. Append.*

ANN. CHR. 1031.

XCIII. Alinardi abbatis prima facta.

Incipio ab Alinardo Divionenſi abbate, cujus elogium litteris mandavit Johannes monachus ſancti Benigni chronographus, qui ab eo ſe inſtitutum fuiſſe dicit. Alinardus, ſeu, ut ille ſcribit, Halinardus, nobili Burgundionum ortus genere, litteris apprime eruditus eſt, curante in primis Walterio Æduenſi epiſcopo, cujus e ſacro fonte filius erat. Poſtea Brunoni Lingonum epiſcopo traditus adoleſcens a patre, quippe qui Lingonum civis erat, mater vero Æduorum, in canonicorum collegium a Brunone cooptatur. Erant tum in illa urbe viri philoſophicis, uti & clerici ſacris ſtudiis inſtructi, ex quorum conſuetudine multum profecit Alinardus, cui tamen præcipua de moribus cura erat: adeo ut jam tum monachi ſpecimen exhiberet, ſollicitus integrum ſe ac ſincerum ſervare ab illis vitiis, quibus homines ejus ætatis contaminari ſolent, bonorum contubernium ſectari, malorum vitare. Cum is eſſet, Lambertus epiſcopus, Brunonis ſucceſſor, eum ad eccleſiaſticas dignitates promovere voluit: at longe alia pio juveni acceſſit cogitatio, nempe ut ſpretis ſæculi honoribus monaſticen amplecteretur. quod ſtatim in monaſterio ſancti Benigni exſecutus eſt, ubi ſanctæ converſationis habitum induit. Id perquam moleſte accipientes parentes, conſentiente epiſcopo illuc ſe conferunt, novum tironem e monaſterio vi abſtrahunt, nudatumque habitu monaſtico per plateas urbis deducunt, ut pudorem illi ſui propoſiti ingererent. at contra quam illi cuperent accidit, crevitque in juvenili pectore religionis amor. Hinc paullo poſt fugam iniit, apud exteros exſecuturus, quod in patria ſibi non licebat. Verum ex fuga retractus, ad epiſcopum adducitur, qui eum promiſſis & blanditiis a propoſito revocare conatur. ſed ubi eum in ſua ſententia conſtantem vidit, vix tandem ei permiſit agere quod vellet. Itaque ad ſanctum Benignum reverſus, & quod tantopere cupierat aſſecutus, ita deinceps alieno vixit imperio, ut, cum omnibus virtutibus daret operam, ſingulari tamen obedientiæ virtute præcelleret. Cum in illo has dotes adverteret Willelmus, in cunctis eum monaſterii adhibuit officiis, ac demum ſub ſe præpoſitum inſtituit. quod munus quatuor ante Wilellmi obitum annis exercuit, fratres admonêre ſolitus, ut tales ſe Deo interius exhiberent, quales pro religionis habitu ab hominibus reputabantur. Demum poſt pii patris obitum inſtitutus abbas, cunctis benignus, nemini gravis, prodeſſe omnibus ſtudebat. adeo lectioni deditus, ut in itinere libellum equitando ſæpe in manibus haberet. Ita vero philoſophos & profanos legebat, ut, rejectis, quod ſcriptura monet, ſuperfluis, utilia tantum retineret. Ex hac lectionis aſſiduitate, non modo in canonicis & monaſticis inſtitutis, ſed etiam in legum ac philoſophorum ſtudiis excelluit, adeo ut ex tempore de quovis argumento facile ſermonem inſtitueret. Hinc regibus Francorum Rotberto & Heinrico acceptiſſimus, ſed & Conrado ac filio ejus Heinrico, dignus Lugdunenſi epiſcopatu viſus eſt, quem ſemel quidem, alio, qui ſibi dignior videbatur, propoſito, effugit: ſed tandem eo mortuo ſuſcipere coactus eſt, ut ſuo loco videbimus.

XCIV. Adraldus abbas S. Germani Pratenſis.

a *Hiſt. eccl. Pariſ. to.* I. *p.* 654.

In monaſterio ſancti Germani a Pratis Willelmo abbati Adraldus jam ſucceſſerat anno ſuperiori, quo anno Rotbertus rex, interpellante Adraldo ſeu Adraudo abbate cum monachis ſuis, injuſtas [a] conſuetudines, quas Drogo comes advocationis ſpecie in villis abbatiæ ſancti Vincentii & ſancti Germani extorquebat, omnino abrogavit, præterquam in quatuor villis, ſcilicet Neelfita, Firmerii-curte, Lovaniolis & Domerii-monte, quas rex ei beneficii jure conceſſit. *Actum publice Piſciacenſi palatio, anno incarnati Verbi* M XXX. *regnante rege Rotberto* XXVIII. *Balduinus cancellarius ſcripſit & ſubſcripſit.* Idem rex anno ſequenti, id eſt hoc anno, ejuſdem Adraldi abbatis rogatu, Pratenſi monaſterio attribuit viariam Antoniacam, quam Warinus miles occupaverat. Ad hæc idem abbas cum fratribus ſuis, ad ſupplementum [b] victus monachorum, ab Imberto Pariſienſi epiſcopo impetravit altare ſancti Georgii martyris in Villa-nova, præter ſynodum & circadam, annuentibus archidiaconis. Verum hæc ſerius, nimirum anno XV. Heinrici regis, qui hanc donationem poſtea confirmavit.

b *ibid. p.* 655.

ANN. CHR. 1031. XCV. Rotbertus rex obit.

Hunc annum tricesimum-primum supra millesimum Rotberti regis supremum fuisse ita in confesso est modo apud eruditos, ut contrariæ Baronii & Petavii aliorumque sententiæ, qui ejus obitum in annum sequentem aut in alterum rejiciunt, argumenta in præsens opponere superfluum videatur. Huc afferri solet charta Ottonis Burgundiæ comitis, omnes consuetudines terræ sancti Petri Cluniacensibus remittentis *anno* M XXXI. *indictione* XIV. *in mense Augusto*, III. *idus ejusdem mensis, die* XXV. *post transitum domni Rotberti glorioſi regis, anno* XL. *regni ipsius, qui est sextus filii ejus piissimi domni Heinrici, in quo unctus est in regem super gentem Francorum & Burgundionum.* Et quidem hi characteres rem diserte probant, etsi non omnino sinceri. Mortuus est quippe piissimus princeps Mileduni XIII. kalendas Augusti, atque adeo ab ejus obitu ad diem tertium idus Augusti dies tantum viginti-duo intercedunt: & regni ejus annus quadragesimus-quartus tunc currebat, filii vero ejus Heinrici annus tantum quintus. Observatione digna est optimi regis pietas, qui ante obitum multa sanctorum loca perlustravit, scilicet apud Bituricas, Silviniacum, Brivate, sanctum Ægidium, Castra, Tolosam, sanctum Antoninum, Conchas, Aureliacum, iterum Bituricas, ac demum Aurelianos. Sepultus est ad Hugonem patrem suum in templo Dionysiano. Ejus gesta litteris mandavit Helgaldus seu Helgaudus Floriacensis monachus, valde ipsi familiaris, cujus rei argumentum est, quod, cum Helgaldus ædiculam in fundo Floriacensis monasterii, jussu Gauzlini abbatis, in honorem sancti Dionysii ejusque sociorum ex ligno primum exstrueret, (quam postea combustam ex lapide refecit) ea nondum dedicata eo accessit rex bonus a castro pagi Aurelianensis Vitriaco, ibique *pallium quatuor librarum* super altare posuit. Ad hæc pro negotiis monasterii sui a Gauzlino ad regem missus cum aliis duobus fratribus Helgaldus, cum adeundo Pisciacum in ejus comitatu in trajectu Sequanæ periclitarentur, mirum est quam pro eorum salute sollicitus fuerit rex, quantumque humanitatis eis postea toto triduo exhibuerit. Helgaldus obiit IV. kal. Septembris. Non diu Rotberto supervixit Constantia regina, quæ anno sequenti, itidemque Mileduni decessit, & in æde Dionysiana prope matitum humata est.

Helgaldus vitæ ejus scrip.or.

XCVI. S. Adalhardi corporis elevatio.

Corbeiæ veteris ecclesia, ut superius vidimus, incendio deformata, beati Adalhardi abbatis corpus ruinis & cineribus consepultum jacebat: fratres vero in proxima basilica sancti Johannis Evangelistæ divina officia celebrare [a] coacti erant. Viso admonitus hujus basilicæ ædituus, Hunoldus nomine, Richardum abbatem *felicis memoriæ* adiit, eique persuasit, ut sacrum Adalhardi corpus e tumulo efferret. Assensit pius abbas, missisque ad Johannem pontificem legatis, ut id quantocius fieret, facile impetravit. Ea facultate obtenta, cum Fulco Ambianorum episcopus, cui abbas rei exsequendæ honorem deferre statuerat, ab urbe abesset, Drogo Teruannensis episcopus invitatus rem exsecutus est VI. idus Octobris, qua die sancti Adalhardi elevatio quotannis etiam nunc celebratur. Notas chronologicas male permiscet Gerardus ejus elevationis scriptor, aut certe librarius, cum ait, eam factam fuisse *anno* M XL. *Romanis Conrado, Francis imperante Rotberto.* Si enim his principibus regnantibus facta est, non serius anno M XXX. fieri potuit, nec fere citius, cum vix ante id tempus Drogo Teruannensem ecclesiam regere cœperit, si qua fides vulgatis indicibus apud Malbrancum, aliosque. at in charta ejusdem Drogonis, qua quædam altaria Sithiensibus concessa manumittit, annus ejus episcopatus quadragesimus-sextus componitur cum anno Christi M LXX. apud Iperium. quod argumento est ejus initium ab anno M XXIV. vel saltem insequenti repetendum. Confer ea quæ inferius [b] de eo dicturi sumus ad annum M LXXVII. ad quem pervenit. Porro veri simile est, hanc elevationem factam fuisse die dominica, quæ hoc anno M XXXI. in tertium idus Octobris incidebat. Corpus in ecclesia sancti Johannis depositum, dum basilica major instauraretur. Tunc moris erat ex condicto Ambianensium & Corbeiensium, ut reliquiæ sanctorum quique suorum ad medium viæ inter utramque spatium octavis rogationum unoquoque anno deferrent. Ea res ex religione primum incœpta, sensim in lusus & luxum degeneravit. Cum id moleste ferret Richardus abbas, ab illa processione censuit abstinendum. Fratribus contra visa est non intermittenda, ne id superbiæ tribuerent Ambianenses. Cessit abbas, sed ea lege, ut sancti Adalhardi tantum corpus eo deferretur. Indignati Ambianenses vix quidquam honori sancto, utpote novo, detulerunt. At, cum

a *lib.* 54. *n.* 107.

b *V. lib.* 65. *n.* 8.

cum rusticus quidam ad sacrum ejus loculum auditus & vocis facultatem amissam recuperasset, omnium devotio statim in sanctum Adalhardum conversa est.

ANN. CHR. 1031. XCVII. Gerardo Fontanellæ abbati succedit Gradulfus.

Vix quartum annum in Fontanellæ regimine exegerat Gerardus abbas, cum a quodam nefario, non monacho, sed dæmoniaco, cui gravis disciplinæ regularis exactoris censura erat, securi in dormientis caput vibrata, cæsus est III. kal. Decembris hujus anni, (quem diem itidem notat necrologium sancti Germani Pratensis) martyr ob injustam necem pro more illorum temporum habitus, *quia pro veritate*, inquit anonymus Fontanellensis, id est pro regularis disciplinæ studio, quo excellebat, *occubuit.* Alias ejus virtutes, castitatem, jejuniorum, orationum, & lacrymarum sedulitatem, caritatem in egenos laudat idem anonymus, uti & corporis spectabilem formam, & oris eloquentiam. In ejus locum Gradulfus decanus, quem ille Rotomagum ad dirigendam monasterii sanctæ Trinitatis fabricam direxerat, subrogatur jussu Rotberti Nortmannorum principis, cui acceptissimus erat. Hic ordinationis suæ anno secundo principem Fontanellæ basilicam, quam Gerardus ædificaverat, in honorem sancti Petri ceterorumque apostolorum, necnon sancti Wandregisili a Rotberto archiepiscopo & Herberto Lexoviensi præsule dedicari curavit. quo *die vir optimus & in omni liberalium disciplinarum experientia probatissimus Isembertus* abbatis benedictionem inter missarum sollemnia consecutus est. Hic est Isembertus prædicti sanctæ Trinitatis monasterii primus abbas, jam superius [a] a nobis laudatus, *cujus postmodum urbs Rotomagensis scientia ac bonitate frui meruit*, ait anonymus Fontanellensis, *sed pauciori tempore, quam expedierat sibi.* Quid Gradulfus ad Pratellensis monasterii institutionem contulerit, postea videbimus.

Isembertus abbas ordinatus.

a *num.* 77.

XCVIII. Concilium Lemovicense.

Quæstio de apostolatu sancti Martialis non semel antea [b] ventilata, denuo in duobus hujus anni conciliis agitata fuit, nempe in Bituricensi die festo omnium sanctorum, & post dies quindecim in Lemovicensi, præsidente utrique Aimone metropolita. Lemovicensi cum eo interfuere Jordanus Lemovicensis, Stephanus Aniciensis, Renco Arvernensis, Ragamundus Mimatensis, Æmilius Albiensis, Deus-dedit Cadurcensis, Isembertus Pictavensis, Arnaldus Petragoricensis, & Roho Ecolismensis episcopi; abbates vero Odolricus sancti Martialis, quo in primis auctore hæc disceptatio fiebat, Azenerius Masciacensis idemque Floriacensis, Geraldus Sollemniacensis, Tutelensis haud nominatus, & Benedictus Clusensis, Major seu Senior dictus ad discrimen Benedicti junioris, de quo plura [c] inferius. Quam diu supervixerit Benedictus senior, quemve successorem habuerit, incertum. Plura de eo in superioribus [d]. In eodem concilio actum est de Regembaldo patre monasterii Millebecensis, qui *ante plures annos* pro sancti Martialis apostolatu sententiam dixerat.

b *V. supra n.* 49.

c *lib.* 62. *n.* 119.

d *lib.* 47. *n.* 4. & *lib.* 56. *n.* 49.

Notanda de monachis & abbatibus.

Postquam hoc de argumento in parte priore concilii actum est, in posteriori edita sunt statuta de moribus, in his, ut illi, qui voluntarii & secundum regulam sancti Benedicti habitum monasticum accepissent, & postea *voluntarii* abjecissent, communione fidelium priventur usque ad emendationem congruam: &, si abbates vel monachi eos recipere nollent, cum clericis in monasteriis seu collegiis canonicorum, vel in aliis ecclesiis cum habitu monastico remaneant, abstinentiam servaturi. Ad hæc, ut monachi de monasteriis suis, *ubi prius titulati sunt*, nisi causa rationabilis necessitatis, vel ædificationis animæ, vel majoris observantiæ, ad aliud monasterium non transeant. In fine hujus concilii Jordanus episcopus, referens decretum patrum de mutando duodecies per annum corpore Domini, de cœnobiis monachorum hæc perquam honorifica subdit. *Monasteria vero monachorum regularia, quia diligentius & nitidius omnia ad cultum altaris procurant, in abbatum suorum arbitrio de his, sicut & de aliis regulis, permittimus. Illi enim nostris legibus constringi non debent, qui ultra nos per artam & angustam portam vitæ ingredi appetunt, qui voluntatem propriam frangunt, qui jugum ab adolescentia portant, qui episcoporum jussis in omnibus summopere obediunt. Tales, inquam, legibus non oportet subjici conciliorum, nisi forte reprehensioni vel contemtui patuerint.* & paullo infra de abbatibus hæc addit Jordanus. *Nam & abbates regulares non ideo ad synodum venire cogo hujus sedis, ut arguantur: sed ut mihi de rebus ecclesiasticis moderandis consultum præbeant: quatenus ipsi spiritales viri, dum mihi, per diversas multorum curas dispersо, opem ferunt ad sublevandum onus, in retributione coronæ mecum participentur.* ac

ANN. CHR. 1031.

demum ita concludit. *De cultu enim ecclesiastico & reverentia corporis Domini, probavi ipse oculis meis, regulares per Lemovicinum monachos altaria & codices, vestimenta, calices, linteamina, & cuncta, quæ ad altare pertinent, mundissima cotidie & cum reverentia servare.* Utinam hoc studium in cultu & munditie rerum sacrarum nostri æmulari pergant, ut similia ab episcopis elogia mereantur, ad Dei gloriam & fidelium ædificationem.

XCIX. Bellilocensis monasterii infelix status.

Post hæc querelæ apud patres depositæ sunt, quod in Bellilocensi sancti Petri monasterio Lemovicensis ecclesia vim pateretur, scilicet quod hic locus, in ordine regulari quondam illustris, tunc a sæcularibus ita conculcatus esset, *ut super monachos ipsius monasterii dominaretur abbas sæcularis, & absque monachi habitu.* Ad hæc exclamare omnes, qui in concilio aderant: *Hoc magna destructio est, & pro tali destructione locorum Dei ira super populos a facie Dei egreditur.* De his requisiti monachi ipsius monasterii: *Ordinetur nobis,* inquiunt, *abbas idoneus secundum regulam, & in pace erimus.* Hujus porro mali occasionem eam esse dicunt, quod longe post fundatum a Rodulfo Bituricensi archipræsule monasterium, comes Tolosanus illud potestati suæ addixisset, dedissetque in beneficium comiti Petragoricensi; hic vero vicecomiti Combornensi, qui laïcalem demum personam eidem loco imposuerat eo prætextu, quod ante eum Bernardus monachus Sollemniacensis, & postea episcopus Cadurcensis, nihilo minus Belliloci abbas fuisset. Citatus mox a patribus abbas ille clericus, non monachus, ut reus, genibus ante patres positis, consentire se dixit, ut rem emendarent. Mox illi sanxere, ut quam primum abbas regularis illic ordinaretur. Clericus ille sæcularis erat Hugo de Comborno, prædicti Bernardi ex fratre nepos, qui in Frodinum monachum transtulit abbatis saltem magna ex parte auctoritatem, quæ eo mortuo, vel sponte cedente tota demum Frodino cessit. Hunc Geraldus secundus, haud scio an proxime, excepit, rebus gestis clarus, qui monasterii jura & possessiones a Paschali II. confirmari curavit.

C. Monachis translatio ut licita.

Dehinc quæsitum est, liceretne ejus loci, & universim cujusvis monasterii laxioris monachis ad aliud magis regulare transmigrare? responsum est licere, etiamsi boni sint. nam *etsi lilium inter spinas lucet, tamen gravatur a spinis; & gloriosius crescit inter amœna, quam inter spineta.* Immo *ipse regularis abbas, si contigerit ut super sæculares ordinetur monachos, nec eos ab illicitis potuerit deflectere, nec habuerit bonos qui eum adjuvent, ut patienter toleret malos; satius est eos derelinquere, & secum solum habitare, quam eorum incorrigibili mordacitate cordis tranquillitatem amittere.* quod sancti Benedicti exemplo probatur. *Regulares autem monachos*, inquiunt, *dicimus, qui inlicita nolentes, non suo, sed alieno imperio vivunt; quibus omnia in medium conferuntur communia, nec aliquid habent, quod abbas non dederit, aut permiserit.* Deinde hanc sententiam, notatu dignam, pronuntiant patres: IN CAPITIBUS ERGO JUSTIS MONASTERIA ORIUNTUR ET VIGENT, IN VITIOSIS RUUNT ET LANGUENT. tum subdunt: *Episcopus itaque, ad cujus diœcesim pertinent monasteria, & abbates atque christiani vicini, nisi prohibuerint indignos in pastoralem curam ingredi, malum in illos respicit: sicut bona merces a Deo illos exspectat, si familiæ Dei dignos constituant dispensatores.* quæ verba [a] sunt sancti Benedicti.

a *S. Benedict. reg. c. 64.*

C I. Lemovicensia monasteria regularia.

His ita expositis, Jordanus episcopus laudat pleraque suæ diœcesis monasteria, quod boni odoris exempla latius diffundant; & quod abbates, cum suis subditis regulariter agentes, lucrandis animabus potius invigilent, quam de caducis rebus & transitoriis curent. In primis laudat familiam beati Martialis in urbe, Cambonense monasterium, Solemniacum, atque Usercam cœnobia nobilissima; monasteria quoque in eadem urbe sancti Martini & sancti Augustini, necnon congregationem virginum in basilica beatæ Dei-genitricis Mariæ, aliasque per Lemovicinum congregationes. Accusatus est tamen in concilio abbas Usercensis, quod excommunicatum vicecomitem Albuciensem interfectum in suo monasterio sepeliisset. at ille factum negavit, & longe se abhorrere dixit, ut quid simile committat. *Ordo enim noster*, inquit, *quanto sublimior est, tanto subjectior & promtior ad obediendum episcopis ut sit necesse est. In episcopis enim ipsum Deum honoramus, vel contemnimus.*

CII. Baptismus in monasteriis.

Denique querelæ factæ sunt à clericis de sancti Martialis monasterio, propterea quod *sursum*, id est in superiori sancti Johannis Baptistæ oratorio, baptismus in pascha & pentecoste celebraretur; id quippe in matris ecclesiæ injuriam verti. At responsum est, id privilegii huic loco antiquitus fuisse concessum ob sanctum Martialem. Porro privilegium ei ab antiquis statutum auferre nefas esse. Simili ratione id licere in aliis monasteriis & ecclesiis, ubi ab antiquis diebus id exerceri solitum sit: ita tamen ut major numerus baptizandorum sit in matre ecclesia, & omnes ad episcopum confirmandi adducantur.

ANN. CHR. 1031.

Homicida non ordinandus.

Quæsitum est insuper de homicida, facto postea monacho, an possit ordinari? responsum est non licere; allataque est responsio Romani pontificis ad Odilonem Cluniacensem abbatem de eo, qui Stephanum episcopum occiderat; & postea Cluniaci monachum induerat. quem adeo non ordinandum esse decernit pontifex, ut ei etiam communionem, præterquam in exitu vitæ, interdixerit. Hæc observanda visa sunt in illo concilio Lemovicensi.

CIII. Odilo archiepiscopatum Lugdunensem recusat.

Dum Odilonis abbatis mentio incidit, hoc loco agendum est de ejus electione in archiepiscopum Lugdunensem, quæ post Burchardi archipræsulis obitum facta est: at quo anno, valde perplexa res est, & inter recentiores controversa: mihi vero hoc fere anno facta videtur. nam Burchardus anno M XXIX. diplomati Rodulfi regis pro instauratione Agaunensis monasterii subscripsisse traditur; nec ultra hunc annum ejus obitus differri potest: siquidem Odilonis abbatis post eum electionem probavit Johannes papa, qui anno M XXXII. decessit. Burchardo itaque mortuo, dissensio maxima [a] de ejus dignitate exorta est, quam complures ambiebant. Primus omnium ejusdem Burchardi nepos & æquivocus, Augustensis antistes, relicta sede propria, Lugdunensem procaciter occupavit. Contra Gerardus comes filium suum *puerulum* intrudere moliebatur. quæ cum ad Romanum pontificem perlata fuissent, a quibusdam piis viris ei suggestum est, ut Odilonem abbatem ad eam dignitatem subeundam, uti clerus & populus optabant, auctoritate sua compelleret. Assensus est pontifex, missoque ad hunc venerabilem patrem pallio simul & anulo, eidem imperavit, ut electioni suæ manus daret. at vir Dei, quæ ipsius modestia & humilitas erat, acquiescere noluit, palliumque & anulum futuro archiepiscopo reservavit. Hoc comperto, Johannes papa Odilonem graviter objurgavit, scripta [b] ad eum epistola, in qua ait, multa videri bona, quæ re vera bona non sint. Monacho nihil obedientia sanctius, Christiano nihil optabilius; eam sacrificio voce Dominica præferri, & a sancto Benedicto præ ceteris commendari. Factam ab eo injuriam ecclesiæ Lugdunensi, eum sponsum expetenti; spretam auctoritatem tantorum præsulum, monentium & rogantium, eam ut dignitatem subire ne subterfugeret. ceterum se impune non passurum, quod ille sanctæ Romanæ ecclesiæ & sibi inobediens exstiterit, nisi quantocius obedientia diluat, quod ex inobedientia commisit. porro hoc sacrum regimen, sicut a nullo est temere usurpandum, ita, petente ecclesia, a nullo ejus simili esse recusandum; eumque tot hominum perditionis reum fore, quorum saluti exemplo & doctrina prodesse potuisset. De reliquo, se voluntatem suam commisisse per Gaufridum episcopum, scilicet Matisconensem, tam ipsi Odiloni, quam ejus confratribus & omni ecclesiæ referandam. Ex his refellitur Hugo Flaviniacensis, qui id a Gregorio VI. factum dicit. Nihilo minus in humilitatis suæ proposito constans fuit Odilo, nec pontificis monitis minisve hac in re cessit, tametsi aliis in rebus sedi apostolicæ obsequentissimum se exhiberet. Itaque Burchardus, superioris nepos, Lugdunensem cathedram invasit, eamque tenuit ad annum M XXXIV. quo anno, cum imperator Conradus Burgundiam Jurensem in potestatem redegisset, *Lugdunensem archiepiscopum Burchardum*, inquit Hermannus, *genere nobilem & strenuum, sed per omnia sceleslum & sacrilegum, cum multis aliis principibus in deditionem accepit, subjugatoque Burgundiæ regno rediit* in Germaniam. Hæc Lugdunensis ecclesiæ desolatio tenuit usque dum Heinricus rex, Conradi Salici filius, recepto [c] regno Austrasiorum, cum Vesontionem veniisset, suggerentibus cum populo episcopis, Odolrico, Lingonensis ecclesiæ archidiaconum, viduatæ ecclesiæ pontificem constituit.

a *Glaber lib. 5. c. 5.*

b *Spicil. t. 2. p. 387.*

c *Glaber ibid.*

Ejus donatio pro anima fratris sui.

Odiloni frater erat Beraldus, qui post mortem in sancti Petri monasterio Anicensi, quod a Widone episcopo e nostris conditum alias diximus, sepulturæ mandatus est. Ob hanc causam venerabilis Odilo, ejusque fratres, Bertrandus, Stephanus & Ebo, quamdam ecclesiam, quæ dicitur Ad-capellam, pro anima fratris sui Beraldi præpositi Deo & sancto Petro apostolo, beatoque Theotfredo hoc anno contulerunt, & eidem suburbano sancti Petri monasterio, quod a sancti Theotfredi abbate pendebat.

ANN. CHR. 1031. C IV. S. Willibrordi translatio.

Jacuerat ad id usque tempus in monasterio Esternacensi seu Epternacensi apud Treviros corpus sancti Willibrordi episcopi; ast oratorii caduci, in quo jacebat, fabrica instaurata, Humberto abbati, totique congregationi visum est, ut ejus ossa in decentiorem locum transferrentur. Id factum hoc anno, XIV. kal. Novembris, a Poppone archiepiscopo, præsente Heinrico duce Bajoariæ, ejusdem loci defensore. Delecti sunt ad effodiendum sacrum loculum cœnobitæ religiosiores, quorum uni, nomine Thietmaro, qui ex nocturna illusione nesciens pollutus erat, brachia obriguisse dicuntur. Egesta humo, duabusque cryptis effractis, in tertia sacer loculus repertus, serico contectus pallio, quod ab annis ferme trecentis integerrimum erat. Accessit deinde Humbertus abbas, detectoque paullisper operculo, sanctissimum patronum suum intueri meruit, *illæsa cucullæ & cilicio*, & pæne toto corpore integro jacentem, ex quo miri odoris fragrantia manabat. Idem magna cum religione manum intromisit, unamque e costis extraxit. Ex cœnobitis unus aderat, Frithelo nomine, nobili ortus prosapia, qui, depositio cingulo militari, oblatis ante se duobus egregiæ indolis filiis, illic divinis se obsequiis mancipaverat. Hic toto corpore debilitatus, intestinis ad ima dependentibus, cum preces ad sacrum loculum effudisset, in eum surgens impegit, moxque ex collisione salutifera pristinam sanitatem adeptus est. quæ omnia in litteras retulit Theofridus abbas, qui initio sæculi sequentis decessit. Idem agit de altero Frithelone monasterii advocato, qui, cum sancti Willibrordi fortunas per se suosque fœde divexasset, ausus denique est bello lacessere Adelbertum comitem Namucensem, a quo victus fususque, ac demum a gregario milite confossus. Ceterum prædictus abbas Humbertus, sancti Popponis abbatis discipulus, collapsam illic disciplinam restituit.

C V. Lintburgi monasterium conditur.

Ad hunc annum Bucelinus revocat originem Limpurgensis seu Lintburgensis monasterii. In Hermanni editione Pistoriana id refertur ad annum M XXXIV. quo anno Conradus itidem *ex castro suo Limburgo, inter Nemetas* seu Spiram *& Wangiones sito, monasterium fecisse* dicitur, *quod in honorem sanctæ Crucis & divi Johannis Evangelistæ dedicari jussit.* Id forte certius. quamquam *divi* vocabulum interpolationem sapit. Et quidem positum est hoc monasterium in diœcesi Spirensi, medio Spiram inter ac Wormatiam intervallo. Everhelmus *in Vosago situm* dicit in libro de vita sancti Popponis abbatis, cui Conradus locum, hereditaria forte sibi proventem, concessit adstruendum in honorem sancti Johannis Evangelistæ cœnobium, ubi antea, non jam arx, sed *ferarum cubile* fuisse dicitur. Absolutis ædificiis, Poppo Johannem nepotem suum, tam illi loco, quam Trevirensi sancti Maximini monasterio præfecit. Johanne mortuo, Gumbertus & Hagano, unus post alterum, Lintburgi præfecturam, inconsulto Poppone, præsumserunt: at subito ambo interierunt. Horum exemplo factus nihilo cautior Godestenus celebris anachoreta, qui meliorem sibi sortem ex vulgato sanctitatis nomine promittebat, ex montis vertice lapsus experimento docuit suo, quam periculosa & noxia sit præfecturæ ambitio.

S. Luciæ reliquiæ eo translatæ.

Ad illud monasterium translatæ sunt sanctæ Luciæ virginis & martyris reliquiæ, Heinrico imperatori, Conradi Salici filio, dono datæ a Theoderico Mettensi episcopo, qui eas ex sancti Vincentii monasterio accepit, uti nos docent Lintburgensium monachorum hac de re litteræ, quas hoc loco referre non pigebit.

Cœnobitis beati Vincentii & sanctæ Luciæ, vineæ scilicet Dei electæ, Lintburgensis cœnobii grex pusillus, dignos Deo facere fructus. Pignus reliquiarum sanctæ martyris Luciæ noverit vestra fraternitas nos omni pretiosa margarita amabilius possidere: sed quo modo, & a quibus personis ad nos translatum sit, certa vobis ratio pro nostra experientia patebit. Divæ memoriæ domnus Kunradus imperator, cum conjuge sua Gisla, devotissimus nostri loci exstitit fundator atque constructor. quo adhuc vivente, crypta & quædam monasterii altaria sunt dedicata. Eo autem ex hac luce migrante, cum filius ejus Heinricus eumdem locum non minus studiose reparaverit; plerisque sanctorum reliquiis longe lateque congregatis, etiam sanctæ Luciæ brachium a Theoderico secundo Mettensis ecclesiæ pontifice petivit, & impetravit. quo ad nos, ipso præsule deferente, translato, ferunt ad comprobationem, si Lucia Siciliensis esset, cum id a Domino precibus quæreretur, signorum indiciis declaratum. Sed & hactenus per ejus opitulationes multarum fiunt infirmitatum curationes. Hujus addita veneratione, nostrum templum in honore sanctæ Crucis & sanctæ Mariæ semper virginis, & sancti Johannis Evangelistæ est dedicatum. De cujus gestis non sunt nobis alii sermones, excepta illius sub

ANN. CHR. 1031.

Paschasio proconsule passione. quam, ut spopondistis, metrice compositam nobis transmittere dignemini, ut illius præclari participemur opusculi, cujus una vobiscum pretiosi compossessores sumus corpusculi. Valete in Domino, fratres dilectissimi, sanctæ Luciæ & omnium sanctorum precibus adjuti.

Hactenus epistola Lintburgensium, ex codice sancti Vincentii a nobis eruta, quæ multum confert ad illustrandam illius monasterii originem. Scripta est post initium sæculi duodecimi, quo tempore Sigebertus Gemblacensis monachus, qui litteras apud sanctum Vincentium docuit, rythmum de sancta Lucia composuit, cujus copiam hac epistola postulant Lintburgenses. Huc spectat Sigeberti versus rythmici, qui sequuntur.

Pro tam beatæ pignore virginis
Se gloriantur participes fore
In laudibus Christo canendis
Ecclesiæ parochi Spirensis.
Te dico Lintburch nomine nobilis,
Fundata summi servitio Patris,
Manu Cuunradi imperantis,
Ipsius & Gislæ jugalis.
Cum multa comant ecclesiæ decus,
Quæ larga regum contulerat manus:
Nil tam pium, nil tam decorum
Inter opima tenes bonorum,
Quam sancta sanctæ pignora virginis,
Quam laude nobiscum celebri colis:
Vos brachio Lucia solo,
Corpore nos sacrat ipsa toto.
Vobis hoc Henrich junior attulit,
Nobis Deodrich junior abstulit:
Augustus Henrich glorioſus,
Deodrichque stola decorus.

& in fine auctor:

Lucia martyr fortis & inclyta,
Lucia virgo nobilis & pia,
Me me miſellum Sigebertum
Extrahe ab ignibus inferorum.

Idem Sigebertus hanc translationem anno M XLII. factam dicit in sermone, quem de sancta Lucia composuit, ubi de origine Lintburgensis cœnobii hæc habet. *Quamvis exterioribus imperii negotiis sollicite invigilabat* Conradus, *tamen quæ Regis regum erant, non in secundis habebat. Unde inter cetera, in parochia Spirensis ecclesiæ, in loco, qui dicitur Lindiburch, in honore sanctæ Dei-genitricis Mariæ cœnobium fundavit munificentia regali, Gisla bonæ memoriæ conjuge sua cooperante sibi. Sed mors æquo pede pulsans regum turres & tabernas pauperum, impedivit ejus desiderium, ne ad finem perduceret opus incœptum. Bono patri bonus succedens filius, Heinricus scilicet, hujus nominis imperator tertius, opus fundati a parentibus cœnobii, quasi ex jure hereditario, ad se traxit, regaliter ædificavit, nobiliter consummavit: &, cui nulla terrenæ substantiæ deerat affluentia, intendit animum ad contrahenda undecumque sanctorum pignora: ut eorum prompta sibi in necessitatibus adessent suffragia, quorum præsentialiter frequentabatur die noctuque memoria. Nec tamen credidit votis suis satisfactum esse, nisi etiam pignora sanctæ virginis Luciæ mereretur habere, cujus in ecclesia celebre nomen habebatur, cujusque per Gallias suffragium fideli devotione ab omnibus expetebatur. Mettensi ecclesiæ, quæ specialiter corpore sanctæ virginis lætabatur, Deodericus junior quadragesimus-octavus episcopus præerat, qui & propter nobilitatem generis in sæculo multæ potentiæ, & propter sapientiæ dignitatem magnæ in ecclesia erat reverentiæ. Ab hoc Heinricus imperator brachium sanctæ Luciæ sibi dari expetiit; &, quamvis difficulter, tamen impetravit. Idem ipse ergo præsul brachium sanctum ad votum imperatoris, ad cœnobium Lindiburgense detulit, quo nihil gratius esse imperatori potuit. Translatum est autem anno regni ejus tertio, dominicæ autem incarna-*

ANN. CHR. 1031.

tionis anno milleſimo quadrageſimo-ſecundo, Hactenus Sigebertus. Parcat lectorhuic digreſſioni, ſi tamen hæc digreſſio eſt, certe haud inutilis ad illuſtrandum tum Lintburgenſe monaſterium, tum rythmici carminis & ſermonis auctorem Sigebertum. Inſignem fuiſſe illius monaſterii eccleſiam teſtatur Trithemius, qui ſtantem vidit: at demum anno M D IV. funditus deſtructum monaſterium, bello imperii contra Philippum Bavariæ ducem, Rhenique palatinum comitem ſæviente: qua occaſione capta, latrunculi quidam conductitii comitis Emichonis Lynigenſis de Duroburgio caſtello vicino, monaſterium cum eccleſia igne ſuppoſito incenderunt, ac penitus everterunt.

CVI. Bardo fit Hersfeldenſis abbas.

Venio ad Herveldenſe ſeu Hersfeldenſe monaſterium, in quo quædam turbæ hoc anno exortæ. Tunc enim, ut in chronico [a] Hildensheimenſi legitur, *Arnolfus pater monaſterii Herveldenſis, præcipuus in divinis & humanis rebus*, a quibuſdam ejuſdem loci fratribus criminis accuſatus, *miſerabiliter proprio honore eſt privatus*. In cujus locum ſubrogatur Bardo *procurator*, id eſt abbas, *cœnobii Wirdunenſis* ſeu Werthinenſis ad Ruram, & quidem *ſuggeſtione Giſlæ imperatricis*, cujus *conſanguineus* fuiſſe dicitur ab anonymo ejus vitæ ſcriptore. Werthinæ poſt eum præfectus Geroldus monachus Fuldenſis. Non conſentit cum prædicto chronico ille anonymus, apud quem Bardoni a rege *tradita* dicitur *Herveldia*, *paſtoris ſui morte viduata*. At præferenda videtur chronici auctoritas, cui Lambertus Hersfeldenſis monachus ſuffragatur. Hic eſt *Arnolfus abbas Herocampiæ*, qui v. kal. Januarii obiiſſe in eodem chronico traditur anno M XXXII. & Gellingæ, ubi tunc manebat, ſepultus, ſed inde poſt tres dies effoſſus, atque ex præcepto Rodulfi ſui ſucceſſoris Herveldiam tranſlatus, ibique humatus in eccleſia ſancti Michaëlis. Brevius Lambertus: *Arnoldus*, inquit, *amiſſa abbatia Herveldenſi, obiit in Gellingin.*

a *Cheſn. to* 3. *p.* 522.

CVII. Moguntinus poſtmodum præſul.

Vix Herveldiæ præfecturam Bardo inierat, cum ad ſedem Moguntinam promotus eſt, poſt mortem ſcilicet Aribonis, qui ex urbe Roma revertens, *Cumis* ſeu Comi apud Inſubres VIII. idus Aprilis ex hac vita migraverat. Bardoni in abbatiæ dignitate ſucceſſit Rodulfus, præpoſitus cœnobii Stabulenſis, diſcipulus Popponis ejus loci abbatis, quem Hildensheimenſis chronographus Bopponem vocat. Cum eligentium vota de Aribonis ſucceſſore non convenirent, *fuit aliquis ibi qui diceret, ex privilegii cenſura Fuldenſem exigi paſtorem, eo quod tertium antiſtitem ſedis Moguntinæ mittere Fuldenſe deberet ovile.* quo audito, Conradus imperator, qui præſens aderat, differri concilium jubet, quoad privilegia illa conſulerentur. Accerſitus itaque Richardus Fuldenſis abbas, ut monaſterii ſui privilegia exhiberet, Bardonem electum iri cæleſti viſo prægnovit. Interim imperator & Giſla imperatrix, inter ſe ſe habito de futura electione colloquio, nullum Bardone potiorem eſſe cenſuerunt. Cum electionis cauſa feſto die ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli conveniſſent omnes, petito ſilentio infit imperator, virum ſe noſſe eximiæ ſanctitatis ac doctrinæ, ad id officii omnino idoneum. Huic ſe ſuffragari omnes dixere. Tum imperator, nutu accito Bardone: *Novimus*, inquit, *Fuldenſe privilegium, nec infringimus ſtatutum prædeceſſorum noſtrorum. ſed quia non deſunt qui noverint, qua cauſa non promoveamus abbatem*, ſcilicet Richardum; *te*, ait ad Bardonem converſus, *ejuſdem ovilis antiſtare ſtatuimus ſecundum piorum voluntatem.* Mox ille conſecratus archiepiſcopus ætatis ſuæ anno fere quinquageſimo. Inſigne erat ejuſmodi Fuldenſe privilegium, ut tertius quiſque Moguntiæ archipræſul ex illo grege aſſumeretur. quod a tempore ſancti Bonifacii re vera obtinuiſſe archiepiſcoporum ſucceſſio ſatis ſuperque probat. Inſequente natalis Domini ſollemnitate Bardo ad curiam profectus, pro ſuæ ſedis dignitate prima die miſſas celebravit, cujus tempore, ſcilicet poſt evangelium, ſermonem, uti hora ad veſperam inclinata exigebat, brevem fecit atque impolitum. Tum muſſitare & indignari nonnulli, hominem rudem ac ruſticanum tam præcelſæ ſedis factum eſſe epiſcopum, *re autem vera invidentes eum eſſe monachum.* Hujus quoque rei ſuppuduit imperatorem. Altera die cum Theodericus Mettenſis præſul, inter celebrandum miſſarum ſollemnia, multa cum facundia orationem habuiſſet, acclamare omnes: Hic eſt, inquiunt, epiſcopus. Has ſannas tacite coquebat Bardo, qui tertia die inter ſacra tanta eloquentia peroravit, ut, converſis ſtudiis, quæ hominum inconſtantia eſt, alter Chryſoſtomus habitus, dictuſque ſit deinceps, atque omnium voce dignus, qui ſummus fieret epiſcopus. Id in primis imperatorem recreavit, qui

ANN. CHR. 1031.

ubi ad menſam reſedit: Hodie, inquit, natalis Domini mihi eſt agendus, quo nobis obtrectantium os conticuit. Epiſcopus inter hæc nec pridie triſtior, nec ea die lætior, ſed ſibi conſtans & æqualis, omnium in ſe laudem & admirationem concitavit. Hunc poſteriorem ſermonem integrum retulit ejus vitæ ſcriptor. Reverſus ad ſuam eccleſiam piiſſimus antiſtes, ſic vitam monachi, quoad poſſet, retinere decrevit, media nocte ad canendas Deo laudes ſurgere ſolitus, & a carnibus abſtinere. adeo ut infirmato Leo papa IX. injunxerit, ut recuperandæ ſanitatis gratia carnibus veſceretur. *Ita idem ipſe Bardo, & dominus ditione, & frater voluntaria conditione.* De cetero, *vultu hilaris, verbis amabilis, moribus ſuavis. Pauper coram illo nullius indiguit, dives apud illum nihil perdidit.* In primis commendatur ejus patientia erga vexatores & irriſores, quod ejus vitæ ſcriptor exemplis probat. Humilitatem denique illius viſo conteſtatam retulit Liudmandus monachus, vir moribus gravis & maturæ ætatis: cui in ſomnis præclarum ſedile in eminenti loco oſtenſum eſt, dictumque ab uno e duobus juvenibus, qui illud cuſtodiebant, Archipræſulis Bardonis hanc ſedem eſſe, quam in tanta dignitate pro ſua humilitate promeruit.

CVIII. Reginbaldo facto epiſcopo Laureshami abbates.

Hoc etiam anno, ſi bene calculos ſubduco, ad Spirenſem cathedram promotus eſt Reginbalbus Laureshami abbas a Conrado imperatore. In abbatiam aulicorum ſtudiis intruditur Humbertus loci præpoſitus, qui eorum ſuffragia jam dudum pecunia ſibi conciliaverat. Sic Ezechiæ ſucceſſiſſe viſus eſt Manaſſes alter, qui nobilem eccleſiam expilavit & profligavit, res monaſterii partim in ſuos prodigendo uſus, partim cognatis ſuis, aliiſque aſſeclis in beneficium tribuendo. Quin etiam eccleſiæ ornamenta conſumſit; in his purpuram pretioſiſſimam, auro contextam, igni eliquari fecit, ut aurum ex ea emungeret. quod dum fieret, vitalium totiuſque corporis dolore æſtuque diſcruciatus, miſere demum interiit. Huic ex Fuldenſi monaſterio Bruningus ſubrogatur, indigno ſucceſſor digniſſimus, qui quamvis crebris viſcerum doloribus torqueretur, officium tamen ſuum ſollicite procuravit. Bruningo poſt annos ſeptem Hugo ſucceſſit, in quo divina pietas, quidquid vel natura, vel gratia homini confert, cumulaſſe dicitur, ob eminentes juſtitiæ & eloquentiæ dotes ab omnibus magno in pretio habitus. Id in cauſa fuit, ut ſæpe a monaſterio abeſſe cogeretur, ſed licet abſens eſſet, ejus tamen animus & indefeſſa ſollicitudo circa religionis vigorem & fratrum providentiam verſabatur, quos ut pater filios fovebat.

CIX. Abdinchofenſis eccleſiæ dedicatio.

Poſt quatuor circiter menſes a ſua conſecratione Bardo archiepiſcopus invitatus eſt ad dedicationem eccleſiæ Abdinchofenſis monaſterii, quæ a Meinwerco Patherbrunnenſi epiſcopo ejus conditore IV. nonas Novembris facta eſt: at invitatus adeſſe non potuit. Convenere Patherbrunnam ad illam celebritatem Hunfridus Magdeburgenſis archiepiſcopus, Godehardus Hildensheimenſis, Sigebertus Mindenſis & Sigefridus Monaſterienſis epiſcopi; dedicataque baſilica cum monaſterio in honorem beatiſſimæ virginis Mariæ, & ſanctorum Petri & Pauli apoſtolorum, omniumque ſanctorum, quorum tunc octava agebatur. Ipſa die conſecrationis Meinwercus ampliſſimam monaſterii dotem ſuo diplomate [a] confirmavit, & poſt eum Conradus imperator anno ſequenti. Depoſitæ in nova illa baſilica ſancti Felicis martyris reliquiæ, a Wolfango Aquileienſi patriarcha dono datæ, quarum veritatem triplici ignis probatione Meinwercus pro more illorum temporum exploravit. Non dubitem, quin illi dedicationi interfuerit Drutmarus Corbeiæ abbas, utpote loco vicinior. Hic portario præcepit interdiu noctuque ad portam adeſſe, inter ſacra tamen portam habere clauſam. quod cum fratri Chuonrado moleſtum videretur, acerbius loquenti pro pœnitentia injunctum eſt, ut in cella ſolitaria recluſus, pane & aqua per menſem reficeretur.

a *Annal. Paderb.*

CX. S. Solutoris monaſterium conditur.

Taurini præter monaſteria ſancti Juſti & Caramaniæ, Maginfredus marchio Seguſienſis cum Berta uxore ſuburbanam ædem ſancti Solutoris martyris, qui Maximiano imperatore apud Auguſtam-Taurinorum necem paſſus eſt, in monaſterium convertit, aut potius, a Gebizone epiſcopo [b] jam erectum, ampliſſimis privilegiis hoc anno cohoneſtavit, & in ſuam tutelam accepit. Non multo poſt eamdem abbatiam, militum impietate combuſtam, inſtauravit Landulfus antiſtes: verum cum iterum, ſuccreſcente bellorum tempeſtate, diruta penitus, & ſolo æquata fuiſſet; eamdem Jacobus epiſcopus anno M CC XIII. in priorem ſtatum redintegravit, ea tamen lege, ut Cluſinis abbatibus ſubjiceretur. quod tamen non multo tempore

b *Chronol. Pedem. p.* 240.

ANN. CHR. 1031.

obſervatum. Denique anno M D XXXVI. Taurinorum civitate a Gallis expugnata, monaſterium cum toto ſuburbio funditus everſum eſt, ſolo abbatiali titulo remanente. Primus ejus loci abbas Romanus vocatur.

CXI. Dominicus Soranus obit.

Jam Dominicus Soranus abbas, de quo anno ſuperiori egimus, octoginta ferme annos ætatis exegerat, cum quorumdam negotiorum cauſa Tuſculanum petens, ulcere, quod papulam vulgus appellat, in maxilla correptus eſt. quo viſo, Johannes venerabilis monachus, ejus itineris comes, ſuadet ut reditum acceleret. Flagitanti acquievit Dominicus, moxque ad Soranum monaſterium revertit. Ubi advenit, convocatis fratribus de obſervatione propoſiti & caritatis brevem ſermonem fecit, & ſibi omnia, quæ erga morientes fratres fieri ſolent, exhiberi præcepit. His peractis, *dominici corporis & ſanguinis myſteria* percepit, & poſt hæc ejulantes fratres e cella tantiſper egredi, & foris remanere juſſit. Egreſſis omnibus, auditæ ſimul cum eo colloquentium voces. quibus ceſſantibus, ingreſſi fratres eum jam exſpiraſſe invenerunt. Id contigit XI. kal. Februarias hujus anni. Humatum eſt ejus corpus in Sorano monaſterio, quod ab ejus nomine poſtmodum ſancti Dominici dictum eſt. Dominici geſta litteris mandavit Albericus ex monacho Caſinenſi cardinalis ab Alexandro II. creatus, eamque Dodoni monacho nuncupavit, cujus hortatu id aggreſſus erat. Atque ut nihil abſque idoneis teſtimoniis ſcriberet, Dominici locum ſepulturæ adiit, *reverendumque abbatem Benedictum, Dominico tam ſanguine, quam ſanctitate propinquum, reverendoſque loci ſenes, ſub diſciplina olim educatos Dominici*, convenit, eiſque referentibus, maxime Hildeprando monacho, æque pio ac docto, Dominici geſtorum veritatem accepit. Idem Dominicus à Leone Marſicano [a] *mirabilium patrator innumerûm* dicitur, *& cœnobiorum fundator multorum*, quorum pleraque ſuperius commemoravimus. Ejuſdem vitam italice ſcripſit nuper Felix Tamburellus. A Johanne Dominici diſcipulo originem cepit Caſæmarii monaſterium, tribus a Verulo milliaribus, & ſeptem a Sora diſſitum, ad Ciſtercienſes tranſlatum ab Eugenio III. cui Soranum beati Dominici monaſterium ab Honorio III. unitum fuit. Non confundendus Dominicus Soranus cum Dominico Loricato, a Petro Damiani laudato. quod notare haud neceſſarium foret, niſi magni viri [b] in hunc errorem impegiſſent.

a *Chron. Caſin. lib. 2. c. 61.*

b *Sigon. an. 1031 &c.*

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUINQUAGESIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno Chriſti 1032. *ad annum* 1038.

ANN. CHR. 1032. I. Rodulfi Burgundiæ regis obitus.

OTBERTO rege mortuo, inter Heinricum ejus filium & Conradum imperatorem quædam diſcordiarum fomenta exoriri cœpta: quibus exſtinguendis intervenit Poppo Stabulenſis abbas, qui naſcentes de finibus regnorum ſimultates feliciter compoſuit. Longe aliter ſe habuit res poſt mortem Rodulfi poſtremi Burgundiæ regis, quæ hoc anno accidit. Is morti proximus, cum liberorum expers eſſet, regium diadema, aliaque regni inſignia Conrado imperatori deferri juſſit. Ea re offenſus Odo Campaniæ comes, qui ejuſdem Rodulfi ſororius filius erat, Conrado Polonicis bellis occupato, regnum Burgundiæ ſibi debitum invaſit. at Conradus anno ſequenti vice verſa Campaniam vaſtavit, effecitque, ut Odo ſupplex ad eum veniret, & jure Burgundici regni cederet. Ermengardis regina, prædicti Rodulfi altera uxor, Viennenſi ſancti Andreæ monaſterio, quod Inferius vocant, & abbati Iterio eccleſiam [a] quamdam in epiſcopatu Gratianopolitano contulit *pro redemtione animæ ſenioris ſui Rodulfi regis*. Obiit Rodulfus VIII. idus Septembris, ut in veteri chartario [b] Viennenſi legitur; Ermengardis vero ejus conjux VI. kalendas Septembris: qui ambo puellare ſancti Andreæ Superius monaſterium, ad Apoſtolos dictum, inſtauraſſe perhibentur. Ex eo tempore Burgundia, quæ poſt annos centum & octoginta ſuos reges habuerat, in provinciam redacta eſt.

a *Spicil. to 13. p. 276. & ſeq.*

b *Antiq. Vienn. p. 67.*

Aptenſis S. Euſebii abbatia S. Ægidio datur.

Quod de anno mortis Rodulfi regis mox diximus, auctoritatem habet ex quodam inſtrumento Aptenſis ſancti Euſebii [c] monaſterii, mihi a D. de Remerevilla communicato, quo Eldebertus quidam, uxorque ejus Ermengarda, cum filiis ſuis Eldeberto & Garaco, conferunt Deo, & ſanctæ Mariæ ac ſancto Petro, necnon ſancto Ægidio confeſſori, id eſt ejus monaſterio, ſito in comitatu Nemauſenſi, in valle Flaviana, ejuſque abbati domno Galterio, & monachis Deo ibidem ſervientibus, *aliquid de alode ſuo in comitatu Aptenſi* ad caſtrum Sanionem, *hoc eſt abbatiam ſancti Euſebii cum ſuis cellis* & adjunctis. *Facta carta vel donatione in die ſabbato*, IX. *kal. Aprilis, Domino regnante, & regem exſpectante.* quod argumento eſt, regnum tunc vacaſſe. Poſt annos circiter ſexdecim Bertrannus & Raimbaldus fratres, filii Laugerii & Amantiæ, quæ Amantia prædictorum Eldeberti & Ermengardæ filia erat, hanc donationem confirmant *in præſentia domni Odilonis abbatis*

c *V. lib. 52. n. 61. & lib. 53. n. 45.*

ANN. CHR. 1032.

sancti Ægidii, *cum consilio episcopi Elefantis*, qui Aptensem ecclesiam tunc regebat, *& Contardi abbatis* sancti Eusebii, *& monachorum ejus*. Eodem tempore Raimundus & Gaufredus, tresque alii eorum fratres, filii Aicardi, partem, quam *jure propinquitatis* in eodem sancti Eusebii cœnobio habebant, itidem sancto Ægidio, ejusque abbati Odiloni donant consilio ejusdem Elefantis episcopi. Odilo abbas Galterio abbati successerat, distinguendus a sancto Odilone abbate Cluniacensis monasterii, cui necdum sancti Ægidii cœnobium subjectum erat.

II. Vindocinensium comitum origo.

Vindocinum * antiquum castrum est ad Ledum * amnem in diœcesi olim Carnutensi, modo Blesensi, non magis comitatu nobilitatum, quam monasterio sanctæ Trinitatis, quod Gaufridus Andecavorum comes, una cum Agnete uxore sua, hoc anno ædificare cœpit. Vindocinum a patre suo Fulcone Bono acceperat Burchardus, cognomento Vetulus, Parisiorum & Corboïli comes. de quo superius [a] sæpius agimus. Huic ex conjuge Elizabeth, quæ primum Haimoni Corboïlensi comiti nupta fuerat, nati sunt filii tres, Burchardus junior dictus, Rainaldus Parisiorum episcopus, & Gervasius Cenomannorum; atque una filia, nomine Grecia, Fulconi Nerræ matrimonio copulata. Burchardus junior post patris mortem Vindocini comitatum tenuit: sed, eo absque liberis defuncto, post Rainaldum episcopum, alterum Burchardi Vetuli filium, remansit honor penes Fulconem Nerram Andecavorum comitem, qui Greciam ejus sororem duxerat in matrimonium. His nata est filia, & quidem *unica*, ut in veteri notitia & apud Ordericum legitur, Adela nomine, quam Rainaldus episcopus ejus avunculus, Bodoni comiti Nivernensi [b] desponsavit. Ex hoc conjugio quatuor filii orti sunt, quorum primogenitum, nomine Burchardum, Fulco ejus avus educandum accepit, interim comitatum & ex materno jure debitum servans, dum nepos adolesceret. Jam adultus honorem accepit, sed non diu servavit, mortuus absque liberis. Hinc Adela mater Fulconi secundo-natu filio, cognomine Richino, dimidium comitatus (nam Martellus jam dimidium habebat) tradidit: at, cum ille durius cum matre ageret; hæc fratri suo Gaufrido Martello Andecavorum comiti totum comitatum dato pretio cessit. quo accepto, Gaufridus Heinrico regi fidem clientelarem præstitit, tumque de condendo illic monasterio cogitare cœpit. Ita honore privatus Richinus, confugit ad Heinricum Francorum regem, quo agente, comitatum a Gaufrido avunculo suo recepit, eo pacto, ut Vindocinensis monasterii fundationem, dotationemque ratam haberet.

* *Vendome.*
* *le Loir.*
a *V. lib. 53. n. 69. &c.*
b *V. Analect. to. 3. p. 535.*

III. Vindocinen- monasterii tia.

Sic itaque Vindocinensem comitatum integrum obtinuit Martellus vix ante annum millesimum tricesimum-secundum, siquidem clientelæ fidem exhibuit Heinrico regi, qui Rotberto patri anno præcedente successit; nec multo ante Agnetem comitissam, Willelmo Bono Pictavorum comiti & duci Aquitanorum antea nuptam, incesto conjugio sibi copulavit. Ad hunc calculum probandum, qui stabiliendæ Vindocinensis monasterii origini necessarius est, sufficiet afferre fragmentum ex notitia de Villa-episcopi, quam Rainaldus Parisiensis episcopus in silva Wastinjensi exstruxit. sic autem habet notitia in chartario Vindocinensi. *Mortuo Burchardo*, primogenito scilicet Adelæ Rainaldi neptis, *tenuit mater ipsius honorem*, id est comitatum Vindocinensem; *sociavitque sibi Fulconem filium suum ad honorem deserviendum. Sed isdem Fulco cum erga matrem suam insidiose agens, honore illam conaretur privare; ipsa tamen sibi præcavens, ad fratrem suum, Goffredum scilicet Andecavorum comitem, accessit, eique honorem Vindocini totum ex integro vendidit. Goffredus vero, honore comparato, regem Franciæ Heinricum adiit, eique homo deveniens, prædictum honorem de manu ipsius dono suscepit.* Et post pauca. *Hoc igitur temporis intervallo, cum eumdem honorem, sicut diximus, teneret dominicum, placuit ei in ipso Vindocino abbatiam fundare, donavitque illi de terris Vindocinensis honoris, quantum sibi competens visum fuit. Nepos autem ipsius, Fulco dictus, cum exheredatus fuisset, in regis clientelam abiens se se misit, mansitque ibi tam diu, donec ipse rex Goffredum comitem pro eo interpellaret: cujus precibus aliquantum acquiescens Goffredus, reddidit illi dimidium honoris, auctorizatis ab eo prius gratanter illis omnibus, quæ abbatiæ suæ de eodem honore ante donaverat. Procedente quoque tempore tantum Goffredo comiti exhibuit servitii, quod ei honorem totum ex integro reddiderit: Fulco vero universa, quæ de Vindocinensi honore donata fuerant abbatiæ, cum auctoramento etiam juramento firmavit.* Hæc referre necessarium visum est ad explicanda Vindocinensis abbatiæ initia, quæ nec

ANN. CHR. 1032.

citius, nec serius hoc anno inchoata sunt. Non quidem citius ob fidem clientelæ Heinrico regi præstitam, qua præstita monasterium inchoavit Gaufredus: nec certe serius, ut colligitur ex notitia Fulconis comitis de origine monasterii sancti Nicolai Andecavensis, inferius referenda, in qua Raginaldus abbas regimen Vindocinensis monasterii *noviter constructi* jam suscepisse dicitur anno M XXXIII. quo anno hæc notitia edita est. Apud Besslium [a] lego instrumentum venditionis cujusdam Archenbaldi, qui, permittente Leudonio domino suo, quosdam alodios vendidit comiti Gaufrido, ejusque conjugi Agneti *ad construendum ædificandumque locum, in honore sanctæ Trinitatis fundatum, qui situs fore* * *noscitur in suburbio Vindocini trans flumen Ledi* *.

a *Besly Comtes, p. 404.*
* *esse.*
* *le Loir.*

IV. Monasterii condendi occasio.

Quæ fuerit condendi monasterii occasio, docet nos liber de gestis [b] consulum Andegavensium in hunc modum. Quodam dominico die, aurora illucescente, contigit consulem seu comitem Gaufridum cum uxore sua respicere versus aquilonem e domo sua, quæ erat in supercilio montis, ubi nunc ecclesia sancti Georgii cum castello cernitur. Erant tum extra burgum seu opidum, quod in latere montis ad aquilonem situm est, pascua amplissima, & in medio fons uberrimus ad usum opidanorum. Illis autem ambobus astra intuentibus, visa est stella longissima in illum fontem descendisse, & post eam aliæ duæ. His attoniti conjuges, vestibus cultioribus se induunt, moxque descendunt ad fontem, cui proxima erat sancti Martini ecclesia, de qua modo facta mentio est, ubi missam in honorem sanctæ Trinitatis celebrari fecerunt. Tum illi visum episcopis, abbatibus, aliisque religiosis viris exponunt. Omnium vero una fuit sententia, monasterium in illis pascuis ad honorem sanctissimæ Trinitatis ædificari debere, ejusque ecclesiæ altare super ipsum fontem erigi, atque inibi servos Dei collocari, qui interdiu noctuque divino numini deservirent. quod illi incunctanter exsecuti sint, accitis e Majori-monasterio viginti-quinque monachis, quibus abbatem præfecere. Hæc qua fide retulit istius libri scriptor, huc referre visum est. Hic porro non alius est quam Johannes Majoris-monasterii monachus, qui librum de sui monasterii abbatibus composuit. & qui librum de gestis comitum Andegavensium Henrico regi Anglorum & duci Nortmannorum nuncupavit. Forte hoc monasterium condidere ambo conjuges, ut incesti conjugii noxam amolirentur.

b *Spicil. to. 10. p. 482.*

V. Rainaldus primus abbas.

Primus, ut modo aïebam, ejus loci abbas fuit Raginaldus seu Rainaldus, ex-monacho Majoris monasterii destinatus abbas sancti Nicolai apud Andecavos; sed a Gaufrido præpositus novo monasterio Vindocinensi, uti explicat Fulco-Nerra in commentario de origine monasterii sancti Nicolai ab ipso exstructi. *Postquam vero*, inquit, *Baldricus abbas monasterium* sancti Nicolai *dereliquit, eremumque furtim petiit, ac postremo ad Majus-monasterium repatriavit, apud Tabennesium* * *monasterium vitam finiit. Post hunc domnus Albertus abbas Raginaldum monachum loco ejus restituit, qui ante benedictionem ad filium meum Gaufridum fugit, atque regimen monasterii Vindocinensis, noviter constructi, absque licentia sui abbatis suscepit. Postquam me vidi esse illusum a duobus abbatibus, iratus valde jussi, ut monachi alii* * *ad monasterium suum cito remearent. Deinde rogavi domnum Walterium abbatem sancti Albini, ut domnum Hilduinum priorem illius ecclesiæ concederet. qui ordinatus anno* M XXXIII. *ab incarnatione Domini, die nativitatis beatæ Mariæ, qui est annus tertius Heinrici regis, monasterium regulariter rexit.* Hæc ex historia monasterii sancti Nicolai Andegavensis. Ex quibus intelligitur, Vindocinense monasterium superiore anno conditum fuisse, & Albertum abbatem Majori-monasterio jam tum præpositum, post mortem scilicet Evrardi abbatis. Quamquam nonnihil difficultatis est in eo, quod de Walterio sancti Albini abbate dicitur, qui non ante annum M XXXVI. videtur electus fuisse, ut inferius videbimus. Rainaldi Vindocinensis abbatis consanguineus erat quidam miles Burchardus, cognomento Bucca-bona, qui quinque jugera prati in Varenna, ad orientem monasterii donavit, ut ibidem sepeliretur.

* *de Tavannes.*
* f. *illi.*

VI. Odo abbas S. Germani Autisiodorensis.

Post Thealdum sancti Germani Autisiodorensis abbatem, qui hoc anno decessit [c] III. nonas Martias, unanimi fratrum consensu electus Odo probatissimæ vitæ monachus, a pueritia ibidem institutus: cui electioni assensit rex Heinricus, ejusque frater Rotbertus dux Burgundiæ cum Constantia regina, & Rainaldus comes Landrici filius, confirmantibus Hugone Autisiodorensi episcopo, Leotherico Senonensi

c *Labbe to. 1. bibl. p. 573.*

ANN. CHR. 1032.

archiepiſcopo, aliiſque epiſcopis. Ordinatus Odo abbas creditam ſibi præfecturam rite adminiſtravit, augendis præcipue aſſerendiſque monaſterii poſſeſſionibus. Ejus tempore Rotbertus, Landrici comitis filius alter, donavit ſancto Germano eccleſiam ſanctæ Cæciliæ in opido Caſtilionenſi cum platea quadam, ubi Odo oratoria in honorem ſanctæ Mariæ ac ſancti Johannis-Baptiſtæ cum officinis monachorum uſui aptis ædificavit, Aufredo monacho operam conferente. Rainaldus vero, prædicti Rotberti frater, monaſterium Salvatoris in Puiſaïa, quod poſt mortem patris ſancto Germano abſtulerat, eidem Odoni reſtituit. quod monaſterium Ermenoldus comes [a] pontificatu Maurini epiſcopi ſancto Germano contulerat, eſtque etiam nunc cella monaſterii.

[a] *ibid. p. 431.*

VII. Leotherius archiepiſcopus & Conſtantia regina mortui.

Non diu poſt Thealdum abbatem ſuperſtes fuit Leothericus archiepiſcopus, quippe qui eodem anno, teſtante Clario, vita exceſſit, & quidem VI. kal. Julii, ut in necrologio Autiſiodorenſi notatur. Poſt ejus mortem gravis de ſucceſſore contentio exorta inter Heinricum regem & Odonem Campaniæ comitem, qui Senonicam urbem Rotberto rege mortuo invaſerat. Sed tamdem rex ſuperior Gelduinum in illam ſedem induxit contra cleri & populi voluntatem, qui Mainardum, ejuſdem eccleſiæ theſaurarium, præferebant. Interim multa mala & incommoda urbi & eccleſiæ ex illa contentione illata. Dum enim rex Senonas oppugnaret, Fulco Andecavorum comes, illius expeditionis comes, ſuburbanum ſancti Petri monaſterium valde afflixit, & longe majora damna intuliſſet, niſi rex *tactus amore ſui patris Roberti, qui valde ipſum locum dilexerat*, ejus milites inde vi ejeciſſet. Non multo poſt ſancti Remigii abbatia etiam direpta & incenſa eſt. Obiit quoque eodem anno Conſtantia regina in caſtro Meledunenſi, & quidem eodem menſe, ſi Glabro [b] credimus, quo rex Rotbertus anno præcedente deceſſerat, id eſt menſe Julio. tamerſi in necrologio Dionyſiano Conſtantiæ reginæ obitus notatur prid. nonas Octobris. an quia ipſo die corpus ejus ex opido Meleduno ad baſilicam ſancti Dionyſii allatum eſt, aliis expendendum relinquo.

[b] *Glab. lib. 3. c. 9.*

Arnulfus item abbas Carnutenſis.

Reſtitutus [c] in gradum Arnulfus abbas Carnutenſis, exacto poſthac fere triennio, devixit ſenex & plenus dierum VIII. idus Martii, ſepultus in baſilica beati Petri ante altare ſancti Laurentii. Tertia poſt obitum die Ebrardo Britogilenſi abbati, ad abbatiam ſuam regreſſo, apparuiſſe dicitur, ac receptæ quietis gloriam ſignificaſſe, prænuntiata morte vel pœna eorum, qui ipſum vexaverant. Epitaphium in ejus elogio a nobis relatum hic repetere otioſum fuerit, in quo a puero Chriſti alumnus, dein ædituus & cantor egregius fuiſſe perhibetur, ac demum abbas *bis-denis ariſtis* ſive annis. Suffectus in ejus locum Landricus abbas, locum diutius rexit. Primis ejus annis *Odo palatinus comes*, majorum ſuorum exempla ſecutus, ſancto Petro bannum Bermerii-villæ, & alias conſuetudines ad ſe pertinentes, ramuſculo ſuper altare poſito, tradidit. Eodem Odone comite, & Landrico abbate, terra quædam, Roberto Corneo ejuſque uxori a Magenardo abbate olim in beneficium data, cum eorum poſteri eamdem terram ſibi vindicare vellent, Odone comite *campum* ſeu duellum ad cauſam dirimendam fieri judicante, & *guadiis* ſive pignoribus ad hoc utrimque datis, poſtmodum inita concordia, in curia Theoderici epiſcopi ad uſus fratrum revocata eſt.

[c] *lib. 56. n. 56.*

VIII. Blangiacum cœnobium reſtituum.

Hoc tempore Blangiacum monaſterium apud Morinos, quod olim ſanctimonialium auctore ſancta Berta abbatiſſa fuerat, ſed tunc a paucis clericis inhabitatum, agente Herſende matrona piiſſima inſtauratum eſt, & Benedictini monachi illic inſtituti, reſtitutaque prædia, quæ ab invaſoribus occupata erant. Paullo ante corpus ſanctæ Bertæ, quod ſanctimoniales tempeſtate Normannorum in Hereſtenſe Germaniæ monaſterium detulerant, Blangiacum reportatum a duobus clericis, Albuino & Ebroïno; populiſque circumquaque confluentibus a Drogone Teruannenſi præſule oſtenſum ad confirmandam rei veritatem: quo tempore cæca lumen recepiſſe traditur. Hujuſce inſtaurationis principem auctorem fuiſſe Rogerium comitem caſtri S. Pauli, in cujus ditione locus ille ſitus eſt, diſcimus ex ejus litteris, quibus Fiſcamnenſibus noſtris Blangiacenſe monaſterium committit, ſubjicitque in hæc verba. *Ego Rogerius comes de caſtro, quod dicitur ſancti Pauli, cum conjuge mea, quæ vocatur Hadvis, & filiis, Manaſſe videlicet & Rotberto, notum fieri volo tam præſentibus, quam futuris, donum quoddam, quod pro redemptione animæ meæ & prædeceſſorum meorum, conjugis quoque & filiorum meorum, concedo ſanctæ & individuæ Trini-*

Fiſcamno ſubjicitur.

ANN. CHR. 1032.

tati, trino & uni Deo, vivo & vero, apud monaſterium, quod dicitur Fiſcannus, abbatiam videlicet ſanctæ Bertæ, in loco, qui dicitur Blangiacus. Conſiderans igitur præſentis vitæ varietatem & hujus volubilis ævi mortalitatem, decrevi de poſſeſſione, quam mihi Deus omnipotens contulit, ipſum facere conſortem & heredem. Nulli ſiquidem melius elegi partem de toto tribuere, quam illi, qui totum, quod habeo, mihi tradidit gratuita ſua bonitate. nam, ſicut ipſe in evangelio clamat, quia Dominus laudavit villicum iniquitatis, quod prudenter ſibi proſpexiſſet in futurum, & illud: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Provocatus his & aliis dominicis admonitionibus, facio, ut prædixi, amicos Fiſcannenſes monachos de hereditate mea, ut, cum defecero, recipiant me in æterna tabernacula. Hujus rei teſtes ſunt Richardus canonicus, Warinus Pretellus, Grimerus Groſſus, Arnulfus Glaſellus, Acardus miles, Vitalis mareſcalcus. Ex parte ſanctæ Trinitatis, Adelelmus Calvus monachus, Rainaldus monachus, Oſmundus monachus, Milo clericus &c. His litteris acceptis, Johannes Fiſcamnenſis abbas abbatem è ſuis Blangiaco præfecit ſub hac forma.

Ego frater Joannes, Fiſcannenſis cœnobii pater indignus, fratribus hujus loci, qui dicitur Blanziacus, precibus venerabilis comitis Rogerii acquieſcens, abbatem eligo, & eis cariſſimum filium noſtrum dominum videlicet.... patrem conſtituo, ea videlicet ratione, ut prædictus comes eumdem locum, quem diu deſtructum, atque deſolatum, pro ſua ſuorumque ſalute iterum cœpit inſtaurare, non negligat, ſed, quantum Deo annuente valuerit, ad laudem Dei nobiliter & componat; &, quamdiu locus iſte duraverit, & Fiſcannenſe cœnobium a regulari tramite non exorbitaverit, hic, quem modo eligimus, nullum habeat ſucceſſorem, niſi quem ex ſeipſis Fiſcannenſes fratres elegerint juxta canonicam & apoſtolicam traditionem. Si autem, quod abſit, quod etiam in pleriſque locis, prò dolor, accidiſſe videmus & dolemus, prædictus Fiſcannenſis cœnobii locus ab inſtitutis ſanctiſſimorum patrum & vita ſpiritali aliquando ad ſæcularia devolvatur; concedimus fratribus hujus loci liberam eligendi ſibi patris libertatem. tantum ut ſecundum Deum fiat, nec aliquatenus offendat in canonicam auctoritatem.

Quam diu Blangiacum monaſterium Fiſcamnenſi ſubjectum remanſerit, incertum. nam hodie libertate ſua gaudet. De eodem Rogerio intelligendum videtur id, quod legitur in tertia parte miraculorum ſanctæ Bertæ, ubi quidam cæcus ad ejus eccleſiam acceſſiſſe dicitur ad Gaufridum monachum, *cum Rogerio comite & ejus conjuge Berta ſedentem ſuper eccleſiæ, quæ tunc fabricabatur, fundamentum*; & petiiſſe, ut *velamine capitis ſanctæ Bertæ* oculos ſuos tangeret. quo facto, videndi facultatem receperit. Quamquam illud obſtare videtur, quod Rogerius in præmiſſis litteris ſuis Hadvidem conjugem ſuam vocat. at forte Berta prima ejus uxor fuerit, cum eccleſiæ fundamentum fabricaretur: qua mortua, Hadvidem Rogerius duxerit.

IX. Navenſium prædones repreſſi.

Navenſe monaſterium apud Biturigas jam ab anno Rotberti regis XXVII. ut diximus [a], regebat Vivianus abbas, cujus precibus permotus Aymo Biturigenſis archiepiſcopus, Gauzlini ſucceſſor, ſub anathematis vinculo injunxit Regimundo & filiis ejus, qui res monaſterii diripiebant, ut quantocius ea, quæ apud Callivetum uſurpaverant, ſancto Sulpicio reſtituerent. quibus minis territi raptores, prædam dimiſerunt. Id factum anno ab incarnatione Domini M XXXII. regni Heinrici regis VI. ex quo ſcilicet coronatus fuerat, Aymonis archiepiſcopi ſecundo. qui Aymo his litteris ſubſcribit, & poſt eum Vivianus abbas, & Gaufridus vicecomes. Viviano abbati ſucceſſit Humbertus ante annum M XL.

[a] *lib. 50. n. 41.*

X. Rivipullenſis eccleſiæ dedicatio.

Celebris fuit hoc anno dedicatio [b] Rivipullenſis in Catalonia monaſterii novæ eccleſiæ, quam Oliba Auſonenſis epiſcopus, ejuſdemque loci abbas magnifice exſtruxerat. Hæc dedicatio facta eſt ab ipſo Oliba epiſcopo diœceſano, aliiſque vicinis epiſcopis, nempe Berengario Helenenſi, Wadaldo Barcinonenſi, Wifredo Carcaſſonenſi, & Amelio Albienſi; eidemque interfuit Wifredus comes Ceritaniæ, Olibæ frater, cum filio ſuo Willelmo. Id factum *anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu-Chriſti* M XXXII. *æra milleſima* LXX. *indictione* XV. XVIII. *kalendarum Februariarum, anno primo, quo poſt deceſſum venerabilis memoriæ Roddeberti regis Francorum, ſuſcepit regni gubernacula filius ejus Henricus.* qui locus inſignis eſt ad confirmandum annum mortis Rotberti regis. Id vero actum dicitur *inſtinctu & ordinatione domni Olibani pontificis Auſonenſis, ad cujus dioceſim prædictus pertinet*

[b] *Marca Hiſp. p. 1050.*

ANN. CHR. 1032.

locus, qui exemplo *atavi sui beatæ memoriæ comitis & marchionis Wifridi, qui prædictum cœnobium a fundamentis exstruxerat; exemplo quoque avi sui reverendæ memoriæ comitis Mironis, qui eamdem ecclesiam admodum parvulam destruens, majori sumptu & opere ædificaverat; servans etiam instituta patris sui domni Olibani comitis fratrumque illius, qui hanc secundo majoris operis culmine sustulerunt; ut omnes pietate sic universos etiam ædificii transgressus est magnitudine. Omne enim superpositum ejusdem ecclesiæ solo tenus coæquavit, & a fundamentis exstruens, multo labore & miro opere, divina se juvante gratia, ipse complevit.* In hac dedicatione confirmata sunt ab episcopis illius monasterii privilegia, scilicet ut nullus judex præter abbatem placita in possessionibus monasterii habeat: ut juxta privilegium Benedicti papæ liceat ejus loci monachis *Alleluia* & hymnum angelicum in purificatione beatæ Mariæ, etiamsi post septuagesimam accidat, canere. In actis ejusdem dedicationis multi episcopi, qui postea vixere, subscripti reperiuntur pro more illorum temporum.

XI. Instrumenta amissa sacramento firmata.

Cum instrumenta sancti Cucuphatis cœnobii Octavianensis, siti in pago Vallensi, diœcesis Barcinonensis, paganorum infestatione vel combusta, vel amissa fuissent; curarunt ejusdem loci monachi, ut seniores quidam laïci de chartis amissis sacramenta [a] facerent. Quapropter Godmarus quidam & Aguillara, *gravati infirmitate* ac *senectute depressi*, sexdecim hominibus mandatum dederunt, ut vice sua, „ in quacumque audientia, interposito sacramento testimonium ferrent *ad confir-* „ *mandam veritatem præcepti*, quod dominus Ludovicus rex olim de rebus monaste- „ rii fecerat, postmodum renovati a domino glorioſissimo Leuthario rege. Iidem for- „ mulam sacramenti exhibent, in qua jurant per sanctam Trinitatem, & per altare „ consecratum sancti Pauli apostoli, quod situm est in ecclesia sancti Petri non longe „ a monasterio Octavianensi, se vidisse ac legi audivisse utrumque præceptum, in „ quo monasterii possessiones continebantur. *Latæ sunt hæ conditiones* IV. *kal. Julii anno primo Henrici regis, & dominicæ incarnationis trigesimo-secundo post millesimum.*

a *ibid. p.* 1052.

XII. Cagna castrum S. Verani monasterio datum.

Nec dum mortuus erat Rodulfus rex Burgundiæ, cum Leotgerius & Odila nobiles conjuges, cum filiis suis & Petro episcopo, castrum comitatus Vencienſis, quod Cagna dicitur, ex marchione Guillelmo & Adalaide comitissa sibi proveniens, contulere monasterio sanctæ Mariæ & sancti Johannis-Baptistæ, sanctique Verani confessoris, sito juxta mare, prope fluvium Lupi in eodem comitatu Vencienſi, *ante castrum Cagna*, ubi venerabilis Pontius abbas præerat. *Facta est donatio ista in mense Februario, anno ab inc. Domini* M XXXII. *indictione* XV. *regnante Rodulfo rege Alamannorum sive Provinciæ.* Subscribit inter alios Andreas incerti loci episcopus, certe non Vencienſis ecclesiæ, cui Durandus tum præsidebat, monasterii auctor. *Scripta per manum Pontii monachi atque abbatis.* De hujus monasterii origine superius [b] actum est, quod Pontius abbas adhuc regebat anno M LVI. atque ad idem tempus Durandus episcopus pervenit.

b *lib.* 54. *n.* 15.

XIII. Umbertus abbas Insulæ Barbaræ.

Sub idem tempus Rodolfo, Insulæ barbaræ prope Lugdunum abbati, successit Umbertus *egregius pater*, vir *per omnia affabilis & discretus*, qui multa bonitatis exempla dedisse traditur, *& per sex lustra* pastoris curam peregisse. Ejus tempore aut ejus decessoris contigit in monasterio Barbarensi id, quod Glaber-Rodulfus [c] scribit de pyxide, in qua corpus Domini servabatur, quam *dum quidam, ut mos est, attrectare vellet*, forte polluto corde, *e manibus illius se se eripiens, longe in aëre stetit.* Adhuc in vivis erat idem abbas anno M LVII. ut suo loco videbimus.

c *Glab. lib.* 5. *c.* 1.

Halinardus abbas S. Benigni papæ scribit.

Sub idem tempus Halinardus abbas Divionensis scripsit ad Johannem papam, ut ejus patrocinio defenderetur contra vicinos suos canonicos, *monasticum honorem* inhiantes surripere, qui cœmeterium sancti Benigni ad se transferri in castellum volebant. Idem abbas ejusdem argumenti epistolam scripsit *domno illi sacri palatii vestatario, primo senatori, necnon unico Romanorum duci.* quas epistolas in Appendice habes.

XIV. Bernoni abbati episcopalia ornamenta concessa.

Præerat etiam tunc Augiensi monasterio Berno abbas, jam laudatus a nobis non semel. Is, missis Romam cœnobii sui privilegiis, a papa Johanne aliud accepit, nempe ut cum sandaliis & episcopalibus indumentis missas celebrare ipsi liceret. qua de re adeo commotus est Warmannus Constantiensis præsul, ut Berno apud imperatorem, *quasi sui pervasor officii & honoris*, ab eo accusatus, *eo usque ab utrisque coartatus* sit, donec ille *privilegium episcopo traderet, publice in synodo sua, in*

cœna Domini incendendum, uti ex Hermanno ejus loci monacho discimus. *Ipso anno* addit ille, *Bocaugiense cœnobium pridie idus Januarii incendio flagrat.* quo tempore Hiltegart eidem monasterio præerat ab anno M XXVII. ut idem auctor tradit. Ejusdem Hermanni avia erat Berta, religiosa femina, quæ hoc anno M XXXII. viduitatis suæ anno XXIII. pridie kal. Januarii decessit. Hoc monasterium diœcesis Constantiensis nunc est nobilium canonicarum.

ANN. CHR. 1032. Bocaugiense monasterium.

XV. Lambertus Florentiæ episcopus fit monachus.

Florentiæ in Italia Lambertus piissimus antistes, rerum humanarum pertæsus, pastorali [a] cura hoc anno abdicata, vitam monasticam amplexus est, quo in vitæ genere incomparabile probitatis exemplum præsentibus posterisque usque ad obitum præbuit. Hoc exemplo Petrus Damiani in sua ad Nicolaum papam epistola abdicationem & ipse suam comprobavit. Non ergo veri simile est, Lambertum episcopum eum fuisse, qui ob simoniæ vitium Johanni Gualberto secedendi e monasterio sancti Miniatis occasionem præbuerit. Neque id tribui potest Athoni episcopo Lamberti successori, qui *præsul æterna memoria dignus* fuisse dicitur: idque probant egregia ejus facta, quæ Ughellus [b] refert, scilicet benefacta ejus tum in ecclesiam Florentinam, tum in Miniatense monasterium, cujus religionem & caritatem in litteris suis prædicat, ubi ait se pro temporis opportunitate quædam ei *prona voluntate* [c] contulisse. *Quis enim*, inquit, *tam venerabili sanctissimorum loco manum misericordiæ non adhibeat? ubi præclara tam eximiorum martyrum merita rutilant: ubi infirmi quotidie per suffragia martyrum plurima consequuntur, Domino largiente, sanitatum beneficia: ubi peregrinorum & hospitum turba, quasi in propriis domibus, receptionis & refocillationis adipiscuntur necessaria fomenta: ubi infirmi aluntur: ubi pauperes beneficio alimoniæ satiantur.* Tum de monachis signantius addit. *Fiunt ibi nempe laudes assiduæ, & obsecrationes juges, & orationes continuæ pro salute viventium, seu etiam morientium fidelium, quæ in conspectu divinæ clementiæ tanto acceptabilius assumuntur, quanto & voluntate, & opere fratres ibi famulantes a sæcularibus curis constat fore* * *remotiores.* quæ omnia probant, longe aliam fuisse Johanni Gualberto recedendi ab illo monasterio occasionem, scilicet majoris perfectionis ac solitudinis studium, ut superius [d] diximus. Exstat ad Obertum ejus loci abbatem Benedicti IX. [e] epistola, qua omnes ejus possessiones, ab Hildebrando, Lamberto, & Athone episcopis concessas, confirmat. Lamberto successit Gerardus, natione Burgundio, qui ob præclaras animi dotes ad Florentinum episcopatum promotus est, creatus demum pontifex sub nomine Nicolai II. quo episcopo, celeberrimum monasterium, sancti Salvii nomine insignitum, duobus ab urbe Florentia millibus, a Johanne Gualberto, Vallumbrosani ordinis institutore, conditum est. Nullus in his locus est simoniaco illi episcopo, qui Johanni secedendi occasionem præbuerit, qualis ab Attone in ejus vita confingitur. Certe Petro episcopo id tribuit Atto, sed Petrus ille, simoniacus quidem, longe post secessum Johannis sedere cœpit, ut suo loco videbimus.

a *Ital. sac. to.* 3. *p.* 70.

b *ibid. p.* 71. & *seqq.* Miniatensis monasterii religio.

c *ibid. p.* 78. & *seq.*

* 1. *esse.*

d *lib.* 56. *n.* 53.

e *Ital. sac. to.* 3. *p.* 82. & *seq.*

XVI. Firmanum monasterium Casino datum.

Inter multa bona quæ Casinensi monasterio sub Theobaldo abbate concessa sunt, censetur puellare monasterium [f] sanctæ Mariæ, quod Raimburga abbatissa de civitate Firmana Casinatibus obtulit cum aliis ecclesiis ipsi subjectis. Hoc monasterium situm fuisse dicitur in loco Levarino, sed non amplius exstat. Hæc oblatio a Raimburga abbatissa facta *est per consensum sororum suarum, ancillarum Dei*, ut in ejus charta legitur, data hoc anno, Conradi imperii sexto, mense Octobri.

f *Chron. Casin. lib.* 2. *c.* 57.

ANN. CHR. 1033.

XVII. Varia in Gallia concilia.

POstero anno M XXXIII. Glaber Rodulfus [g] auctor est, varia in Galliis, maxime in Aquitaniæ partibus, concilia habita fuisse ab episcopis & abbatibus, cum scilicet post triennalem famem lætior apparuit rerum facies ex frugum abundantia, quæ per quinquennium duravit; additque ad illos conventus multas sanctorum reliquias delatas fuisse. Tum vero per Arelatensem & Lugdunensem provincias, adeoque per universam Burgundiam, editum fuisse ab episcopis decretum (Treugam-Dei appellabant) de reformanda pace, quod universi promtis animis, non secus ac emissam e cælo vocem, acceperint, quippe quos terrebat præteriti temporis clades, & futuræ metus. Hoc decreto cautum est, ut arma quivis ne „ ferret; direpta ne repeteret; neu suum ipsius, vel cujuslibet propinqui sangui- „ nem ulciscereturr, sed percussoribus indulgere cogeretur. Ad hæc, ut omnes jeju- „ nium in pane & aqua qualibet feria sexta servarent, & sabbato a carnibus (necdum „

g *Glab. lib.* 4. *c.* 5.

AN. CHR. 1033.

» enim in ſabbatis abſtinentia hæc vigebat) & a liquamine abſtinerent; ſoloque hoc
» jejunio contenti, omnium peccatorum remiſſionem ſe conſecuturos perſuaſum ha-
» berent, nulla alia pœnitentia adjicienda. quæ omnia ſe ſervaturos quique ſacra-
» mento firmarent; ſecus, chriſtiana communione privarentur. Hæc poſt Glabrum
» Sigebertus refert, additque multos rerum novarum cupidos libentius id amplexos
fuiſſe: at Gerardum Cameracenſem epiſcopum, *qui ſolus ex Lotharienſibus appende-
bat ad parochiam Francorum*, id eſt ad Remenſem metropolim, huic decreto
magnopere obſtitiſſe, illudque refelliſſe, quod valde improbat Baronius. quamquam,
ſi Gerardi, piiſſimi alias & doctiſſimi epiſcopi, momenta rationum accurate ex-
pendantur, non improbanda, immo probanda videri poſſint. Neque enim im-
probat jejunium feriæ ſextæ aut ſeptimæ abſtinentiam, ut Baronio viſum eſt, ſed
non probat hoc jejunio contentos eſſe fideles, nec ſacramento ad id aliaque præ-
[a] *Chron. Cam. lib. 3. c. 27.* ſtanda cogendos ob perjurii periculum. De his conſulendus Baldericus, qui com-
pendio refert Gerardi epiſtolam ad Beraldum Sueſſionenſem & Warinum Belva-
cenſem epiſcopos, qui hanc Burgundiæ epiſcoporum ſententiam ſequi volebant,
& Gerardum ad eam ſectandam hortabantur. Addit Baldericus, Gerardum, Le-
duini potiſſimum & Rotrici precatu adductum, illi decreto demum acquieviſſe;
at eventum probaſſe quod cavebat, vixque pauciſſimos crimen perjurii evaſiſſe.
Leduinus abbas erat ſancti Vedaſti, Rodricus vero ſeu Rodericus ſancti Bertini.
Porro prædictum decretum Neuſtraſii admittere detrectarunt ob diſcidium Hein-
rici regis cum Odone comite, qui multas ubique ſtrages edebant.

XVIII. Burgundicum bellum.

Cum Rodulfus rex Burgundiæ regnum Conrado imperatori, qui Giſlam ejus
neptem duxerat in conjugium, detuliſſet; Odo Campaniæ comes, Rodulfi ſororius,
id eſt filius Bertæ ejus ſororis, regnum illud ad ſe pertinere arbitratus, Burgun-
diam occupare pergit. Ob id Conradus, Polonico bello compoſito, ſub finem anni
præcedentis copias comparavit, hocque anno Campaniam ingreſſus, ejus finibus
ferro flammaque vaſtatis, Odonem coëgit pacem petere, & ſe a Burgundiæ regno
temperaturum jurare. Hoc bellum ejuſque cauſam accurate deſcribit Hugo Fla-
viniacenſis abbas: ſed id non pertinet ad noſtrum inſtitutum. In hoc bello Con-
radus uſus eſt Gozelone duce Moſellano, Friderici ſecundi ſucceſſore, qui jam infe-
rioris Lotharingiæ dux erat, filius Godefridi comitis Virdunenſis. quæ res novi in
ipſum ducem belli, ac demum Odoni exitii occaſio fuit, ut poſtea videbimus.
Conradi caſtra, hoc anno poſita prope opidum ſancti Michaëlis ad Moſam, hacte-
nus viſuntur, ubi poſſeſſiones monaſterii ſancti Apri Tullenſis confirmantur, in
his donationes in Tantonis-villa ex alodo Rainardi comitis in prædicto monaſterio
converſi; tum alodi, quod Hugo converſus in Exſarta cum parte villæ Orcadis *
* *Ourche.* contulerat; item alodi in Ponto juxta caſtrum Fangis ſuper fluvium Hornæ, quod
Godefridus miles pro ſepultura ſua dederat; denique cellæ Baini-villæ, quam qui-
dam Arnuſtus miles ſancto Apro donaverat. *Datum* XIII. *kal. Septembris, anno ab
inc.* M XXXIII. *anno Chuonradi regnantis* VIIII. *imperantis* VII. *Actum ad monaſte-
rium ſancti Michaëlis ſupra Moſam.*

XIX. Buoſonis-villæ monaſterium conditur.

Florebat tunc temporis Adalbertus Alſatiæ comes, filius Eberhardi Alſatiæ co-
mitis, pater vero Gerardi itidem Alſatiæ comitis, a quo illuſtriſſima Lotharingiæ
domus originem ducit. Adalbertus Jeroſolymam orationis cauſa, ut tunc mos fere-
bat, profecturus, rei domeſticæ curam conjugi Judithæ reliquit. Hæc, ut erat
eximiæ pietatis, ſtatim condendo monaſterio animum adjecit, communicato haud
dubie conſilio cum marito, antequam diſcederet. Hic ubi Jeroſolymam advenit, a
patriarcha obtinuit reliquias ſanctæ Crucis, in cujus honorem novum monaſte-
rium dedicandum erat. Poſitum eſt in Alſatiæ & Lotharingiæ confinio, in parte
* *le Nied.* Teutonica diœceſis Mettenſis ad Nitam * fluvium, qui in Saravum paullo infe-
rius devolvitur, & Nitenſi ſeu Niddenſi pago nomen dedit. Abſolutis ædificiis,
comes domum reverſus, Theodericum ſecundum Mettenſem epiſcopum ad dedi-
[b] *Gall. chr. to. 4. p. 191.* candam baſilicam invitavit. Id factum magna cum pompa *anno* [b] *ab incarnatione
dominica* M XXXIII. *indictione* I. *pridie kalendas Februarii*: quo die a prædicto Theo-
derico conſecratum eſt oratorium in honorem S. Crucis, ac S. Mariæ perpetuæ vir-
ginis, ſanctique Petri, & aliorum ſanctorum, quorum reliquiæ illic repoſitæ ſunt.
Hoc vero monaſterium comes ampliſſimis latifundiis dotavit, ipſoque dedicationis
die *de foro Tullenſi centum ſolidos &* XVIII. *denarios tradidit pro dote dedicatæ eccleſiæ;*

&

ANN. CHR. 1033.

& ad veſtitum fratrum unoquoque anno eamdem pecuniæ ſummam *de Tullenſi
mercato* aſſignavit. Primus eidem loco præfectus eſt abbas, nomine Cuono, quem
Sancta-marthani mendoſe Evononem vocant. Poſt annum dedicatæ eccleſiæ Adal-
bertus comes deceſſiſſe traditur, & in Buoſonis monaſterio ſepultus fuiſſe, iti-
demque Juditha ejus conjux. Succeſſit in ejus honores Gerardus comes & mar-
chio, qui una cum uxore ſua Giſila eidem loco ſe valde munificum exhibuit, &
Leonem papam IX. Cuononis abbatis conſilio invitavit ad inviſendum monaſterium,
cui pontifex multa dona & privilegia contulit. Poſt mortem vero ambo conjuges ibi-
dem humati ſunt, ſuccedentibus ſibi filiis, Odelrico videlicet comite & Gerardo duce,
qui caput eſt Lotharienſium ducum. *Iis mortuis dominium Buoſonis-villæ ſuſcepit Theo-
dericus puer parvulus, Gerardi ducis filius*, qui in curia Adalberonis Mettenſis epiſ-
copi educatus, ejus rogatu Buoſonis-villæ cœnobium pro caſtro Comartiaco com-
mutavit, retenta ſibi poſteriſque ſuis ejus loci advocatia. Hactenus perſiſtit hoc
monaſterium ſub Benedictina ſancti Vitoni congregatione.

S. Benigno facta donatio.

Gerardus mox laudatus, filius Adalberti, Divionenſi ſancti Benigni monaſterio,
hortatu Halinardi [a] abbatis, quoddam juris ſui prædium, quod ipſius anteceſſo-
res ſancto Benigno pridem devoverant, eidem offert pro peccatorum ſuorum ab-
ſolutione, proque patris ſui Adalberti, & *avunculi* ſeu patrui ſui Gerardi anima-
rum ſalute, id eſt villam Wlferci-curtis, quæ ſita eſt in comitatu Solecenſi, ſupra
flumen, quod dicitur Moſuna. *Actum monaſterio Romarici publice die ſabbati pri-
die kal. Julii, anno* M XXXIII. His litteris poſt Gerardum adſcripta ſunt ſigna Arnulfi
fratris ejus, Theoderici comitis & aliorum.

[a] *Mirai Notit. p. 151.*

XX. Robertus ſit monachus Cellæ, tum prior.

Cum annos quindecim ætatis attigiſſet Robertus, de cujus natali ſuperius [b] egi-
mus, juventutis ſuæ florem Domino conſecrare ſtatuit in Trecenſi monaſterio
ſancti Petri de Cella, quæ antiquitus Cella-Bobini ab inſtauratore ſuo epiſcopo
dicta fuit, ubi *habitum regularem* induit. Mox, ne ſanctitatis habitum fruſtra ge-
ſtare videretur, jejuniis & precibus ſanctam converſationem inſtituit. adeo ut in
ipſis adoleſcentiæ primordiis prior ejus loci electus ſit, nec multo poſt in Torno-
dorenſi ſancti Michaëlis monaſterio, quod in monte caſtro imminente ad Armen-
tionem fluvium ſitum eſt, abbas cooptatus. At, cum ejus loci monachos a recto
tramite deflexiſſe, nec facile ad eum revocari poſſe animadverteret; ad Cellenſe
monaſterium remeavit, ne ex eorum contubernio corrumperetur. Vix ad Cellam
reverſus erat, cum, mortuo ſancti Aigulfi priore, quæ cella eſt ſancti Petri Trecenſis
apud Pruvinum, in ejus locum ſufficitur: ſed non multo poſt ſummi pontificis juſſu
ad regendos quoſdam eremitas poſtulatur.

[b] *lib. 54. n. 50.*

XXI. Helviſa recluſa Columbenſibus benefica.

Moris erat tunc temporis, ut religioſæ feminæ prope monaſteria noſtra recluderentur, ut in illo recluſorio vitam a ſæculi corruptelis longe remotam ducerent.
Ex earum numero fuit nobiliſſima matrona beata Helviſa, recluſa in Colum-
benſi diœceſis Carnutenſis monaſterio, de quo ſuperius [c] actum eſt. Hæc, olim
conjugata Hugoni cuidam, cui Caput-urſæ cognomen erat, eccleſias & terras,
quas a marito in dotem acceperat, ſanctæ Mariæ Columbenſi in uſus fratrum
contulit. quam donationem, Beringerii Columbenſium tunc abbatis rogatu, Guale-
rannus Mellenti comes, aſſentientibus filio ſuo Hugone & uxore Adelaide, con-
firmavit, ea lege, ut abbas Columbenſis quotannis Mellentum ad feſtivitatem
ſancti Nigaſii adiret, & ipſe ceteris, qui forte illic adeſſent, abbatibus antiſtaret,
miſſamque celebraret. Actum Mellenti caſtro hoc anno incarnati Verbi M XXXIII.
Eadem Helviſa terram Altarium dictam eidem monaſterio donavit, quam cum
Richardus nepos Herluini invaſiſſet, demum compunctus reſtituit interventu
Guillelmi Nortmannorum ducis & uxoris ejus Mathildis, eorumque filii Rotberti.
In ejus rei notitia, quæ anno M LXVI. facta eſt, Helviſa *morum & doctrinæ merito*,
atque *clariſſimo genere præfulgens*, ſæculari gloria poſthabita, *in cella ſolitaria*,
& quidem, ut in alia notitia legitur, *breviſſima, juxta beatæ Mariæ baſilicam cultui
divino ſe ſe religaſſe* dicitur. Ceterum prædictus Richardus, qui in alia charta Hel-
viſam *amitam* ſuam vocat, non modo prædictam terram reſtituit, ſed etiam quæ-
dam de ſuo addidit, *præcipue ob amorem fratris ſui Roberti, qui ejuſdem eccleſiæ abbas
exſtitit*, nempe poſt Gaufridum Beringerii ſucceſſorem. Helviſa porro in illo monaſte-
rio ut beata colitur. Huic filius fuit Guaſtho ex marito Alexandro, cui cognomen
erat Azzolino, qui cum floruiſſet in ſæculo, ad ſepulcrum Domini profectus eſt.

[c] *lib. 56. n. 42.*

ANN. CHR. 1033.

quo amisso, Helvisa, *angustum petiit antrum*, ibique se ad mortem usque *retrusit*. Eorum filius Guastho, qui hæc refert, seque *luculento genere ortum* dicit, paternis insistens vestigiis, votum edidit adeundi quoque sepulcri dominici. quod cum exsequi tandem meditaretur, satius ei visum est, si se suaque omnia Deo & sanctæ Dei-genitrici consecraret in Columbensi monasterio, ubi jam frater ejus Gaufridus monachus erat. Hæc fuse Guastho in charta donationis, qua Mundrivillam, aliaque, quæ ex paterno & materno jure ipsi provenerant, Columbensibus tradit. Ex his intelligitur, Helvisam bis conjugatam fuisse, primo quidem Hugoni, cui cognomen Caput-ursæ, superius laudato, dein Alexandro-Azzolino, de quo mox actum est.

XXII. S. Michaëlis de Monte abbates.

Post Hildebertum abbatem monasterii sancti Michaëlis de Monte, Suppo Fructuariensis abbas, patria Romanus, hanc præfecturam adipisci tentavit; &, dum huic negotio vacaret, abbatiam sancti Michaëlis duo abbates rexisse [a] dicuntur, videlicet Almodus abbas Cerasii, & Theodericus abbas Gemeticensis: sed tandem Suppo anno M XXXIII. ordinatus est, multaque bona monasterio contulit: at propter odium monachorum illinc recessit post quindecim annos, & ad solum proprium, id est ad Fructuariense monasterium, reversus est. Robertus de Monte [b] scribit, Supponem e Fructuariensi monasterio ad Montem sancti Michaëlis attulisse reliquias sancti Laurentii, scilicet os brachii, quod eschium vocant, & alia quatuor minora ossa, quas reliquias Robertus abbas in brachio argenteo reposuit. Almodus Montis abbas fuit post Hildebertum secundum, ab anno M XXIII. septennio ante conditum Cerasiense monasterium, cujus primus abbas Durandus Almodum successorem habuisse dicitur. Almodus sancti Michaëlis monasterio adhuc præerat anno superiori M XXXII. quo anno Alannus (sic in authentico) *comes & dux Britannicæ gentis*, rogatu prædicti Almodi, eidem cœnobio restituit ecclesias duas, sitas in territorio *Pavalet*, quas ipsius pater Gausfredus comes ac mater Hadewis eidem loco contulerant; necnon terram prope litus maris sitam, quæ dicitur Chaneavena, & portum dictum *Porpican*. Alani seu Alanni litteris subscribunt Alannus comes, Heudo seu Eudo comes ejus frater interposito signo crucis, Hadewis comitissa eorum mater, appositis insuper signis Gingonei archiepiscopi, scilicet Dolensis, Warini episcopi Redonensis, Trischan abbatis, Budici comitis, scilicet Namnetensis, Gosselini vicecomitis, Riwallonis, Trischan filii ejus, & aliorum. *Acta vel firmata est hujus cartæ conscriptio anno ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi millesimo* XXXII. *indictione* XV. *concurrente* VI. *epacta* VI. *regnante Heinrico, Rotberti regis filio, anno primo.* Ita in authentico, ex quo calculus de anno mortis Rotberti regis & initii regni filii ejus Heinrici perspicue roboratur. Alias parentum suorum donationes, sancto Michaëli itidem factas, biennio ante idem Alanus ratas habuit. Guillelmus vero filius Riwallonis, ejus, qui præmissis Alani comitis litteris subscripsisse invenitur, una cum consensu matris suæ Heremburgis, fratrumque suorum Johannis atque Gelduini, reddit sancto Michaëli ejusque monachis terram, quæ dicitur *Landeguihum*, quam dono Supponis abbatis pater ipsius possederat. Actum in castro Dolensi *in domo ejusdem Riwallonis, undecima die post obitum ejus*; subscriptumque a Riwallono priore, necnon Guillelmo & Benedicto monachis. His litteris absque chronicis notis appositum est inter alios signum Juhæli archiepiscopi, qui Gingoneo superius laudato haud dubie successerat.

a *Labbe to. 1. Bibl. p. 351. v. 348.*

b *Append. ad Sigeb. p. 785.*

XXIII. Hildinus abbas S. Nicolai Andecavensis.

Postquam Baldricus abbas Andecavense sancti Nicolai monasterium deseruit, ut superius vidimus, ejusque successor Reginaldus præfecturam Vindocinensem prætulit; comes Fulco se ab his duobus illusum videns, parum abfuit, quin monachos ex sancti Nicolai cœnobio extruderet. At, cum ira tantisper resedisset, Walterium sancti Albini abbatem rogavit, ut domnum Hildinum ejus loci priorem sibi concederet. Annuit Walterius abbas, moxque Hildinus hoc anno, die nativitatis beatæ Mariæ, abbas sancti Nicolai ordinatus est. Hæc Fulco ipse narrat in suo commentario, relato in epitome ejusdem monasterii, quibus Fulco hæc subdit: *Res autem ecclesiæ præscriptas a domino Beringario atque domno Reginaldo scribere jussi, & priusquam ad Jerusalem ultima vice perrexissem, manu mea roboravi.* Post hæc sequitur charta ipsius donationis absque chronicis notis. Beringarius vero & Reginaldus hi esse videntur, qui hanc pœnitentiam Fulconi imposuerunt, ex quibus Reginaldus videtur esse Rainaldus episcopus Andecavensis ejus nominis primus: Beringerius vero legatus papæ, a quibus Fulconi in piaculum facinorum pœnitentia condendi monasterii imposita sit.

ANN. CHR. 1033.

Regebat tunc temporis Vesontionensem ecclesiam Hugo archiepiscopus Walterii successor, qui donationem Odiloni abbati Cluniacensi ab eo factam confirmavit, ecclesiæ scilicet, quam Otto, cognomento Willelmus, in loco, qui dicitur Vallis, exstruxerat, & Walterius ipse in honorem sanctæ Mariæ consecraverat. Hanc autem ecclesiam donat Hugo cum omnibus decimis, oblationibus, sepulturis, & capellis villæ, quæ dicitur Mediolanum. Id factum hoc ipso anno M XXXIII.

XXIV. Ecclesiæ monasteriis datæ.

Eodem anno, iisdemque conditionibus Ermengaudus [a] Urgellensis comes cum uxore sua Belischita, quæ & Constantia vocabatur, monasterio sancti Saturnini in pago Urgellensi *prope alveum Valeriæ* confert quædam prædia in villa, quæ vocatur Laguna, cum ecclesia sanctæ Susannæ, id est cum decimis, primitiis, oblationibus, & cum suo cœmeterio, *suis defunctionibus* & censibus. Facta charta donationis v. kal. Januarii, anno III. regnante Heinrico Francorum rege.

a *Marca Hisp. p. 1056.*

XXV. S. Dodæ monasterium.

Eodem tempore Guillelmus Astariacensis comes, præventus, ut ipse dicit, & inflammatus desiderio sua, suorumque parentum expiandi peccata, decrevit construere monasterium in quodam prædio suo, *Auriovallo antiquitus nominato*, in ecclesia, ubi virgo Christi Doda requiescit, piumque consilium suum exsecutus est *cum consensu ac jussione genitoris sui Arnaldi comitis*, & genitricis suæ Tarasiæ, necnon germanorum suorum, Bernardi & Raymundi & aliorum fratrum, favente Ottone Simorræ abbate, una cum consilio Dacconis: ut sit in perpetuum monasterium monachorum in commune viventium sub providentia abbatum Simorritanorum. Id factum regnante Heinrico Francorum rege, *in diebus Benedicti papæ, & Garsiano Auscienſi archipræsule.* qui Benedictus IX. in locum demortui Johannis XIX. sub finem hujus anni intrusus est factione Alberici comitis Tusculanensis, superiorum duorum nepos, vix duodennis. Hujus cœnobii monachi jugum Simorritanorum postea excutere conati sunt, sed Auscienſis archiepiscopi judicio eisdem denuo subjecti fuere Gregorii VII. pontificatu.

XXVI. Monachi in Orienſe monasterium introducti.

Præclara est in primis Sancii Majoris Hispaniarum regis constitutio de introducendis institutis nostri monachis in Orienſe in Castella monasterium loco monialium, quæ mores sexui & ordini suo convenientes abjecerant. Hæc constitutio [b] inscribitur omnibus episcopis, ducibus, comitibus & optimatibus regni, necnon domno papæ & totius orbis archiepiscopis & ecclesiasticis viris. tum rex præfatur, se ad regni fastigium evectum ad exorandam Dei clementiam toto animo se convertisse, ut pondus oneris sibi impositi, quod vires suas omnino excedere sentiebat, sustinere valeret: jamque eveniſſe quod petebat, & debellatis Dei præeunte misericordia Agarenis, atque hæreticorum refectis versutiis, regnum suum amplificatum & recte compositum esse. Unum tamen ei adhuc defuisse, scilicet ordinem monasticum, *omnium ecclesiasticorum ordinum perfectissimum*, qui tunc temporis suæ patriæ ignotus erat, destructis scilicet, aut in solitudinem redactis illarum regionum antiquis monasteriis. Quapropter assiduis precibus Deum exorasse, ut suæ regionis tenebras perfectione monastici ordinis illuminaret; tandemque, suggerentibus viris religiosis, intellecto perfectionem hujus sanctæ professionis in monasterio Cluniacensi florescere; se cum episcoporum consilio Paternum virum religiosum ac Dei timentem cum devoto comitatu religiosorum sociorum eo misisse, ut illic perfectionem vitæ monasticæ addisceret, atque inde in patriam reportaret. quod ille optime exsecutus sit; ac demum in patriam cum suis reversum, in monasterio sancti Johannis de Pegna abbatem constitutum fuisse. qua de re superius [c] a nobis actum est. Hoc ergo monasterio regulariter ordinato, omnes episcopi & principes totius regni unanimi consilio Sancium deprecati sunt, ut, quemadmodum cœnobium sancti Johannis de Peña monasticæ religioni dedicaverat, *sic etiam honestaret eadem regulari beati Benedicti professione Orienſe* [d] *monasterium, quondam a religioso Sancio comite in honore sancti Salvatoris constructum, & ampliſſimis donationibus prædiorum ac preciosissimis supellectilibus sanctæ Dei ecclesiæ congruentibus ditatum*, in quo moniales tunc inhoneste viventes degebant. Cui consilio Sancius ex animo acquiescens, viros nobiles a latere suo ad monasterium sancti Johannis

b *Yepes to. 5. script. 31.*

c *lib. 55. n. 29. & 30.*

d *lib. 53. n. 62.*

ANN. CHR. 1033.

» de Peña miſit, atque inde Paternum abbatem cum aliquot religioſis fratribus ac-
» cerſivit. Paterno vero regiæ voluntati obſecundante, expulſiſque mulieribus in
» Onienſi monaſterio ſolutius viventibus, rex cum conſilio epiſcoporum inibi con-
» ſtituit congregationem *religioſorum monachorum*, quibus Garſiam abbatem, ſe-
» cundum regulam ſancti Benedicti, communi fratrum acclamatione, præpoſuit, li-
» beramque deinceps eis indulſit eligendi abbatis facultatem, quem nonniſi pro ca-
» pitalibus culpis in vero & catholico concilio deponi vetat. *Facta carta privilegii æra* M LXXI. *die ſabbato* v. *kal. Julii*, legendum videtur *pridie kal. Julii*. Huic inſtrumento ſubſcribunt tres epiſcopi, ſcilicet Julianus Burgenſis, Pontius Palentinus, & Johannes Alavenſis, una cum Sancio rege, & filiis ſuis Ranimiro & Garſea, necnon domna Majore regina, & aliis. In illo monaſterio ſepultus eſt Sancius rex, multique alii principes & optimates. Huic abbatiæ, quæ ſpirituali juriſdictione ampliſſima gaudet, multa ſubjecta fuere monaſteria, quorum indicem apud Yepeſium [a] videre licet; nec umquam Cluniacenſi monaſterio ſubjacuit. Viget hactenus ſub Benedictina congregatione Valliſolitana, quæ illic anno M CCCC LIV. introducta eſt. Floruit ab eo tempore in illo monaſterio inter plures alios Johannes de Caſtaniza, verus auctor libelli aurei, qui *Pugna ſpiritualis* inſcribitur, mortuus ibidem anno M D LXXXVIII. die XVIII. Octobris, ibidemque humatus, cujus epitaphium Yepeſius refert.

[a] *Yepes Cent. 6. ad an. 1011. c. 3.*

Obonenſe monaſterium duplex.

Eidem quoque congregationi unitum eſt Obonenſe apud Aſturias monaſterium, quod ſæculo octavo pro monachis Ordinis noſtri conditum, ſæculo undecimo duplex erat, virorum ſcilicet ac puellarum, ut probant litteræ commutationis hoc anno factæ inter Ferdinandum Adefonſum abbatem & Caradonam abbatiſſam monaſterii ſancti Salvatoris Bergunnenſis, ex una parte, & domnum Silonem abbatem & domnam Onegam abbatiſſam ſanctæ Mariæ Obonenſis ex altera. quod ſimiles aliæ litteræ in conſequentibus annis itidem confirmant.

XXVII. S. Romualdi elevatio.

Poſt quinquennium a ſancti Romualdi obitu, data eſt ejus diſcipulis ab apoſtolica ſede facultas, *ut ſupra venerabile corpus ejus altare conſtruerent*. Mox prior Vallis de Caſtro, ubi vir ſanctus humatus erat, Atho nomine, in ſilvam pergit, facturus ex ligno capſam, quæ ſancti confeſſoris oſſa & pulverem caperet. Effoſſo tumulo, ſacrum corpus propemodum totum integrum, illibatumque repertum eſt, breviorque capſa, quam ut illud in ea recondi poſſet. Factus ilico loculus aptus ad menſuram ſacri corporis, quod in eo repoſitum, ſuper altare collocatum eſt. Quam beata ſimplicitas! Ejuſmodi capſa mihi pro auro, immo præ auro eſt. Romualdi ſanctitatem propugnavit Petrus Damiani contra Teuzonem monachum, qui eam in dubium revocare videbatur, preſſus ejus auctoritate, ut ne ad ſuum monaſterium, a quo temere diſceſſerat, redire cogeretur. Sancti Romualdi corpus a tribus monachis furto ſublatum, & ad Æſium * opidum tranſlatum fuit, ſed poſtmodum juſſu pontificis Fabrianenſibus reſtitutum, ut teſtatur Petrus Delphinus generalis, cujus tempore hoc furtum, & hæc reſtitutio facta eſt.

* *Leſ.*

XXVIII. Camaldulenſibus Aretinorum decimæ conceſſæ.

Hoc item anno Theodaldus, Aretinæ eccleſiæ piiſſimus antiſtes, Camaldulenſibus eremitis, ob amorem S. Romualdi, decimas omnium rerum, quæ ab Aretinis civibus vendebantur, dari procuravit. Ejus hac de re litteræ ex archivo Camaldulenſi adſcribo. *Theodaldus divina gratia Aretinæ ſedis epiſcopus, ac beati Donati, licet impar, vicarius, confratribus ac civibus noſtris perpetuam ſalutem in Domino. Notiſſimum eſt veſtræ cariſſimæ fraternitati, quoniam quanto devotius ac plenius de noſtra ſubſtantia Deo noſtro debita ſua hilari voluntate perſolvimus, tanto amplius & felicius noſtras divitias ampliamus... Notum vobis facio, quam ſit grande peccatum de lucris veſtri negotii, quod vix, aut numquam ſine gravi periculo fraudis ac crimine exercetis perjurii, non Deo decimas dare, quas pauperrimi ruricolæ de juſtis manuum ſuarum laboribus nulla præſumunt occaſione contendere. Sed ut & ipſe quoque decimæ remiſſionem vobis peccatorum eleemoſynarum loco pleniſſima virtute conquirant, in eas perſonas illas decimas expendendas ſtatuimus, quæ pro noſtra ac veſtra, omniumque noſtrorum fidelium ſalute devotiſſimas atque aſſiduas ad Deum preces effundant. Itaque ſpiritali caritate & intentione cariſſimis fratribus noſtris eremitis, qui ſunt & futuri ſunt in eremo noſtra, quæ dicitur Campus-Malduli, ad eccleſiam ſancti Salvatoris, quos nobis ſanctiſſimæ memoriæ pater Romualdus procurandos gubernandoſque commendavit, ex integro & in omnibus donamus, tradimus, atque concedimus, & per-*

ANN. CHR. 1033.

petuo illibatas habere ſtatuimus atque decernimus decimas omnes earum rerum, quæ vendendo & emendo in lucrum conquiruntur, omnium Aretinorum civium, urbanorum & ſuburbanorum, & omnino omnium noſtri epiſcopii negotiatorum & mercatorum, provocante atque exhortante nos ad hoc ipſum amantiſſimo cœtu noſtrorum canonicorum, omniumque noſtrorum fidelium, pro quorum omnium & noſtra ac veſtra ſalute hoc miſericordiæ opus effecimus... Id ſcriptum & propria manus ſubſcriptione firmavimus, & a noſtris fratribus ſimiliter nixum, noſtri ſigilli evidenti impreſſione ſollemniter inſigniri juſſimus. Data XIII. *kal. Maii, anno ab incarnatione Domini* M XXXIII. *anno vero pontificatus domni Theodaldi epiſcopi x. per manus Gerardi cancellarii, indictione prima. Actum in clauſtro canonicorum* Huic authentico affixum eſt ſigillum Theodaldi epiſcopi, eidemque ſubſcripſere canonici Aretini propria quiſque manu. In margine inferiori *Guido fratrum minimus, domni Petri ejuſdem eremi prioris & venerabilis anachoritæ juſſione* id dictaſſe, petiiſſe, & impetraſſe dicitur.

XXIX. Werthinæ & Helmwardeshuſæ privilegia.

Iterum nobis repetenda Germania eſt, ubi Conradus, dum Noviomagi moraretur, omnia Werthinenſis ad Ruram monaſterii privilegia confirmavit IV. kal. Maii, novaque acceſſione cumulavit, petente Geroldo abbate, cujus mentio ſuperius jam facta eſt. Idem imperator ad preces Giſelæ auguſtæ & Heinrici regis eorum filii, necnon Meinwerci Patherbrunnenſis epiſcopi, Winoni ſanctæ Helmwardeshuſenſis eccleſiæ venerabili abbati jus conceſſit inſtituendi mercati, monetæ conficiendæ & telonei exigendi. Actum Northuſæ XII. kal. Julii. Utrumque diploma refert hoc anno annaliſta Parderbornenſis. Wino abbas ex Palæſtina, quo eum miſerat Meinwercus, nuper reverſus erat, ſecumque templi Joroſolymitani deſcriptionem cum reliquiis retulerat. Uſus eſt hoc exemplari pius antiſtes ad conſtruendam in ſuburbio ſuæ civitatis baſilicam in honorem ſanctæ Dei-genitricis Mariæ, ubi canonicorum collegium, hodie quoque cum magnifica illa baſilica ſuperſtes, inſtituit. Longe deterior fuit ſors Helmwardeshuſani cœnobii, olim perinſignis & imperialis, cujus nunc vix rudera reſtant, poſſeſſionibus ab Haſſiæ hæreticis occupatis.

XXX. Perſoræ abbates.

In Anglia obiit Leoffius magnæ religionis Wicciorum epiſcopus, cui ſucceſſit Perſorenſis abbas Brithegus, ut ex annalibus Mailroſenſibus diſcimus. Primus Perſoræ abbas Fulbertus anno DCCCC LXXXIV. inſtitutus, quem ſanctus Oſwaldus Wigornienſis præſul ſuis precibus reſuſcitaſſe dicitur in annalibus [a] Wigornienſis eccleſiæ, in cujus diœceſi hoc monaſterium ſitum erat. Ibidem Brithegus epiſcopus annos ſex ſediſſe traditur. Ejus nudum nomen, uti & duorum ſequentium habet Willelmus in epiſcopis Wigornienſibus, nulla mentione facta abbatialis ejus dignitatis, cujus notitiam Mailroſenſi annaliſtæ debemus. In notis ad annales Wigornienſes natus dicitur in pago Bercherienſi, Wlſtani deceſſoris ex ſorore nepos. Jam epiſcopus a Canuto rege miſſus eſt in Germaniam, ejus filiam Gunnildam eo ducturus, Heinrico imperatori uxorem collocandam. Deceſſit anno M XXXVIII. die XX. Decembris. Succeſſor ejus Livingus monachus itidem fuit, dein Taviſtokenſis abbas, quo Canutum regem uſum fuiſſe diximus [b] ad perferendam Roma epiſtolam ad Anglicanos epiſcopos & proceres. Hic ſedit annos, non quindecim, ſed tantum ſex, ſucceſſorem ſortitus Aldredum, itidem monachum Wigornienſem, dein abbatem Taviſtokenſem, de quo nos ſuo loco. De Taviſtokenſi monaſterio hæc tradit Willelmus Malmeſburienſis. *Eſt in Domnonia cœnobium monachorum juxta* Tau *fluvium, quod* Taviſtok *vocatur, quod per Ordgarum comitem Domnonienſem, patrem Elfridæ, quæ fuit uxor regis Edgari, ſurgendi exordium; per Livingum epiſcopum creſcendi accepit auſpicium. Locus amœnus opportunitate temporum, captura copioſa piſcium, eccleſiæ congruente fabrica, fluvialibus rivis per officinas monachorum decurrentibus: qui ſuo impetu effuſi, quidquid invenerint ſuperfluum, portant in exitum. Rumonus ſanctus ibi prædicatur & jacet epiſcopus, pulcritudine decoratus ſcrinii: ubi nulla ſcriptorum fides, aſſiſtit opinio... Cernitur in eodem monaſterio ſepulcrum Ordgari, ſpectaculoque ducitur enormitas mauſolei filii ejus. Edulfus hic vocatus eſt, giganteæ molis & immanis roboris.* Plura de illo ſcribit Willelmus, de Cridienſibus epiſcopis agens, ubi Livingum ait, defuncto avunculo ſuo, qui erat Cornubienſis epiſcopus, duos illos arbitratu ſuo, ut erat multæ apud Cnutonem regem familiaritatis, univiſſe epiſcopatus.

[a] *Angl. ſac. to. 1. p. 473.*

[b] *lib. 56. n. 1.*

Taviſtokenſe monaſterium.

XXXI. Alwinus epiſcopus Wintoniæ.

Poſt deceſſum Alſini ſeu Elſii Wintonienſis epiſcopi, Alwinus ejuſdem loci

ANN. CHR. 1033. monachus ſedem adeptus eſt, cognatus [a] Emmæ reginæ, cujus cuſtodiæ Richardus primus Nortmannorum dux ejus pater ipſam deputavit, cum eam Ethelredo regi copulandam in Angliam miſit. Illic ſtrenue pro rege dux militavit: ſed tandem, relicta ſæculari militia, totum ſe ad divinam convertit, monachus factus in eccleſia Wintonienſi, ubi demum, favente regina, epiſcopus fuit inſtitutus. Cum ipſe itidem Emmæ reginæ in omnibus faveret, traductus eſt apud Edwardum regem Emmæ filium, & malæ conſuetudinis infamatus a Rotberto Gemeticenſi monacho, magnæ tum apud regem auctoritatis, poſtmodum Cantuarienſi primate: at regina innocentiam ſuam ferri candentis examine probavit, & novem ignitos vomeres, ſuper pavimentum eccleſiæ poſitos, depoſito peplo, rejecta chlamyde, ſuccincta a duobus epiſcopis, nudis pedibus, epiſcopis eam deducentibus, illæſa perambulavit. Rex incautam ſuſpicionem, virgarum flagellis, a matre & ab epiſcopis ſibi inflictis, expiavit. Wintonienſem eccleſiam Alwinus quindecim annis rexit. Robertus ejus accuſationis auctor, qui tunc Edſii Cantuarienſis archiepiſcopi vicarius erat, probata Emmæ innocentia in Galliam trajecit, & in ſuum ſe recepit monaſterium: ex quo, cum reginæ & epiſcopo reconciliatus fuiſſet, ab Edwardo rege in Angliam revocatus fuit, factus primum Londonienſis epiſcopus, poſtmodum Edſii ſucceſſor in ſede Cantuarienſi. Hæc inferius amplius exponenda, cum de Rotberto abbate Gemeticenſi agemus.

[a] *Angl. ſac. to. 1. p. 233.*

ANN. CHR. 1034. XXXII. Herluini vita primordia.

ANnus inſequens milleſimus triceſimus-quartus nulla re inſignior fuit, quam primordiis inclyti Beccenſis monaſterii, quo nullum toto hoc ſæculo, ſaltem in Neuſtria, illuſtrius, cum ob religionem, tum ob cultum litterarum. Huic originem dedit beatus Herluinus, nobilis Neuſtraſius; ſplendorem contulere in primis duo eccleſiæ lumina, Lanfrancus & Anſelmus, qui non minus ſanctitate, quam ſtudiorum fama hunc locum illuſtrarunt. Herluinus, primæ inter Neuſtraſios nobilitatis, patre Anſgoto, qui a Danis ortus erat, matre Heloide, Flandriæ ducum conſanguinea, natus eſt in pago Brionenſi, ubi Beccenſe monaſterium ſitum eſt. Unde in Giſleberti Brionenſis comitis, qui Richardi primi Nortmannorum ducis ex filio Godefrido conſule ſeu comite nepos erat, domo educatus, & præ ceteris ei acceptus, potius armis tractandis aſſuefactus eſt, quam diſcendis litteris, quarum penitus uſque ad converſionem expers fuit. Hinc domi ac militiæ inter commilitones ſuos præſtantiſſimus, non ſolum apud Giſlebertum comitem, ſed etiam apud Rotbertum ducem in pretio erat. Jam virilem ætatem fere excedebat, cum Deus paullatim ejus animo ſæculi contemtum inſtillavit. Et primo quidem a Giſleberto comite, cui ante acceptiſſimus erat, injuriam paſſus, & ſui obſequii ſtipendiis fraudatus, ab eo receſſit: ſed tamen, cum eum in procinctu conflictus cum potentiſſimis Neuſtraſiis ineundi poſitum reſciviſſet, ut erat vir animi & fidei ſingularis, ejus auxilio cum viginti armatis accurrit, quæ res adeo comitem demulſit, ut ei gratiam & ablatas facultates abunde reſtituerit. Verum his retineri non potuit Herluini animus, cui jam mundus faſtidio eſſe cœperat. Ab illo igitur tempore, cum annos ætatis triginta-ſeptem exceſſiſſet, ab amore ſæculi ad divina ſtudia totum ſe convertit, in eccleſia frequentior, in qua non raro pernoctabat, ſæpe in totum diem jejunus; in precibus magis aſſiduus, ſæpe in lacrymas effuſus; denique ab omni re ludicra abhorrens, hoc ſolo retentus in ſæculo, quod prædiorum ſuorum diſponendorum facultatem a comite Brionenſi obtinere volebat: interim vili inter aulicos habitu indutus, barba & crine intonſus cum illis idemtidem reſidens. Ordericus [b] tradit, Giſlebertum Brionæ * comitem in pagum Vimmacenſem cum tribus armatorum millibus adverſus Ingelvinum Pontivi comitem expeditionem feciſſe, commiſſoque prœlio, victum ac fuſum fuiſſe, multis ex ſuis cæſis aut captis, ceteris fuga elapſis. quo in conflictu Herluinus miles, qui aderat, periculum metuens, voto ſe ſe obſtrinxerit, *quod, ſi de imminenti periculo ſoſpes evaderet, nulli ulterius, niſi ſoli Deo, militaret.* quod re ipſa exſecutus eſt.

[b] *Orderic. lib. 3. init.*
* *Brionne.*

Inter ea Giſleberto comiti viſum eſt eum ad Rotbertum ducem mittere ad procurandum quoddam negotium, quod in conterranei ſui perniciem vergebat. Legationem abnuit vir pacis ſtudioſus. qua re adeo efferatus eſt comitis animus, ut omnia ipſi ſuiſque auferri juſſerit. Ille vero non tam ſui, quam egenorum, quibus

ea impendebat, damno permotus, comitem adit; &, Quæ mea ſunt, inquit, univerſa diſtrahantur, dum pauperibus, qui veſtram nullo crimine meruerunt offenſam, ſua reſtituantur. Tactus tam molli & humili ſermone comes, ſeorſim Herluinum percontatur, ecquæ tantæ mutationis cauſa? cui ille paucis non ſine lacrymis: Sæculum, inſit, amando, & tibi obſequendo, iis, quæ corporis ſunt, omnino intentus, animæ curam penitus neglexi. nunc vero, ſi quid umquam de te bene merui, rogo, ut quod vitæ ſupereſt, mihi tranſigere in monaſterio liceat, ſalvo amore tui; & dones mecum Deo, quæ ſunt mei juris. Ad hæc lacrymas continere non potuit comes, nec ſuſtinere ulterius loquentem valens, in conclave ſe abripuit. Tandem vero gratiſſimo clienti expetitam concedit tam ſui, quam ſuorum omnium facultatem, eumque deinceps non ut clientem, ſed ut dominum colere cœpit. Hic eſt Giſlebertus, cognomento Criſpinus, cujus poſteri erga Beccenſe monaſterium optime ſemper affecti fuerunt, & ex his non pauci ibidem monaſticæ vitæ nomen dederunt.

ANN. CHR. 1034.

XXXIII. Burnevillæ monaſterii origo.

Hac facultate accepta, vir Dei ad exſtruendam confeſtim domum Dei ſe accingit. Huic erat prædium, vocabulo Burnævilla *, in monte ſitum, duplici milliari a loco, ubi modo Beccenſe monaſterium cernitur. Illic prima novi aſceterii fundamenta jacere conſtituit Herluinus. Mox admotæ manus operi, cui ille præſidebat, ipſe terram fodiens, lapides, ſabulum; calcemque humeris comportans, ipſemet componens parietes; quibus horis alii aberant, ipſe congerens, quæ ad opus exigebantur; ſicque otium ab omni parte diei excludens; interim contentus cibo parciſſimo, nec admodum exquiſito, quem ſemel tantum in die, præter dominicos & feſtos dies, expleto diei opere percipiebat. His exercitiis occupatus, quia interdiu nequibat, ediſcendo pſalterio noctem pæne totam impendebat. Tum vero prima litterarum elementa addiſcere cœpit, cum annorum eſſet pæne quadraginta, Deique opitulante gratia eo uſque proceſſit, ut etiam ipſis litteratis in exponendis & intelligendis ſacris ſcripturis admirationi eſſet. Promotis Burnævillæ ædificiis, proxima illi cura fuit de religioſo propoſito ibidem inſtituendo. quæ nova viro Dei tentatio fuit. nam profectus ad cœnobium quoddam, explorandi cauſa mores ac diſciplinam monachorum, prope nihil religioſæ gravitatis illic ineſſe deprehendit, immo a janitore, quaſi fur, pugno inflicto e loco extruſus eſt. quam ille injuriam, nullo verbo reddito, patientiſſime tulit. Inde ad aliud majoris nominis cœnobium proximo natali dominico acceſſit: at vix amplius ædificationis ex eo retulit. nam cum ſollemni pompa fratres proceſſionem agerent, vidit monachos *indecenti benevolentia* paſſim arridere laïcis, ſibi blandiri de paratioribus ornamentis, eaque oſtentare; ad ingreſſum in eccleſiam vel in chorum contentioſo tumultu anticipare aditum; ad hæc inſiſtentem ſibi nimium fratrem quidam monachus monachum pugno repercuſſum avertit. adeo etiam tunc *omnes omnium per Normanniam*, ut ait Gilbertus Criſpinus, *mores barbari erant.* Verum hæc offendicula ex animo viri removit unius monachi pietas ac religio. nam ſequenti nocte, expleto matutinorum officio, aliis diu ante lucem egreſſis, cum in quodam oratorii angulo precibus vacaturus clam remanſiſſet Herluinus, monachus ille, eo non viſo, prope ſubſtitit orandi cauſa: qui nunc toto corpore proſtratus, nunc in genua erectus, cum multis lacrymis in precationes effuſus, uſque ad claram lucem perſtitit. quo exemplo omnino redintegratus eſt Herluini animus, & in monaſtico propoſito confirmatus.

* *Bonneville*

XXXIV. Herluinus abbas ei præfectus.

Itaque, vicinorum monaſteriorum moribus exploratis, ad ſua rediit, moxque paternas domos in ſervorum Dei habitacula convertit. Perfecta eccleſia ab Herberto Lexovienſi epiſcopo vice Rotomagenſis archiepiſcopi, in cujus diœceſi ſitus eſt locus, in honorem ſanctæ Mariæ dedicatur, reſectiſque capillis atque habitu ſæculari depoſito, Herluinus ab eodem ſacræ habitu religionis induitur, cui duo ex ſuis ad portandum ejuſdem ordinis jugum adjuncti. Non multo poſt ab eodem præſule ſacerdos conſecratus, pluribus illic jam aggregatis abbas præficitur, cum per annos tres *improperium vitæ ſpiritualis* patientiſſime tuliſſet. Incredibile eſt quanta fuerit abbatis & monachorum illic ſub eo degentium religio. Videres abbatem, peracto in eccleſia officio, collo ſementem, manu raſtrum vel ſarculum geſtantem, ad agriculturam præire; monachos omnes ſubſequi, & rurali operi ad diei terminum inſiſtere; alios ſentibus & ſpinis agrum repurgare, alios ſimum ſcapulis com-

ANN. CHR. 1034.

portantes ſpargere, hos ſarrire, illos ſerere; nullum denique panem in otio comedere; omnes porro ad unamquamque horam divini officii cauſa in eccleſiam convenire. Ceterum victus illis quotidianus panis ſiligineus, & herbæ cum ſale & aqua; potus nonniſi aqua lutulenta, qualis in illo monte haberi poterat, ubi fons nullus, præterquam ad duo milliaria, erat. Exemplum magiſtri omnem obmurmurandi rationem excludebat. Abbas quippe non aliis cibis utebatur, prior ad opus & poſtremus, in labore aſſiduus. Pii filii exemplum ſecuta pia ejus mater Heloys, ſimili ſe inibi propter Deum ſervitio nobilis matrona addixit, &, collatis Deo prædiis ſuis, ancillæ fungebatur officio, ſervorum Dei pannis abluendis & extremo cuivis operi mancipata. Forte dum illa quadam die annonam ad opus ſervorum Dei torreret, ſubito igne domus undique correpta eſt. Mox quidam abbati feſtinus nuntiavit, domum combuſtam, ejuſque matrem eodem incendio involu-
» tam. At ille, lacrymis perfuſus, erectis ad Deum manibus: Gratias tibi Deus, in-
» quit, quod in miniſterio ſervorum tuorum matrem meam ignis abſumſit. Hæc tamen ex illo incendio ſalva & incolumis evaſit. Ejus obitus in Beccenſi necrologio notatur VIII. idus Auguſti; Anſgoti vero ejus mariti XVI. kal. Martii.

Monaſterii dotatio.

Prima loci dotatio admodum exigua fuit, ex ſolo Herluini conſtans patrimonio, non admodum amplo, cui mater ejus & fratres, Odo & Rogerius, ex ſuo nonnihil addiderunt. Qualis vero fuerit hæc dotatio, ex ipſius Herluini litteris patet, quæ ſic habent.

Notum ſit omnibus chriſtianæ religionis cultoribus, quod ego abbas Herluinus, filius Anſgoti; aſtantibus & laudantibus fratribus meis, Odone & Rogerio, jubente Gilleberto comite, & Alberto & Ranulfo, conſenticnte Roberto comite & Roberto archiepiſcopo, donavi ſanctæ Mariæ tertiam partem terræ de Burnevilla, & hoc quod pertinet ad illam; & Tavilleïo & Surceïo, & hoc quod pertinet ad eas, & terram de Sernaïo, & hoc quod pertinet ad eam, quæ Anſgotus pater meus in vita ſua habuit: dotem quoque matris meæ, jubente patre meo ex integro mihi datam. Coram teſtibus Fulberto ſacerdote, Vitale, Rainaldo, & aliis multis.

Qui huic donationi conſenſiſſe dicuntur Albertus & Ranulfus, filii eſſe videntur Gilleberti ſeu Giſleberti comitis Brionenſis. Nullæ his litteris apponuntur chronicæ notæ, uti nec in pleriſque aliis illorum temporum in Nortmannia editis: ſed tamen datæ videntur hoc ipſo anno, Herluino jam abbate, certe ante annum inſequentem, quo ineunte Rotbertus comes ſeu dux Nortmannorum, qui his conſenſiſſe dicitur, Jeroſolymitanum iter aggreſſus eſt, in quo deceſſit. Rogerius & Odo Herluini fratres, hic laudati, notantur in Beccenſi necrologio; Rogerius quidem idibus Januarii; Odo vero XIV. kal. Aprilis. Porro tam tenuis erat novi monaſterii cenſus, ut Herluinus illic ob id conſtitutus ſit abbas, *quia propter pauperlatem loci illius quivis alius regimen ipſum nolebat ſuſcipere*, ut in Beccenſi chronico legitur. Non diu ſtetit in loco illo inaquoſo monachorum cœtus, qui poſt aliquantum temporis in proximam vallem tranſlatus eſt, in locum ſcilicet, qui Beccus dictus nomen celeberrimo Beccenſi monaſterio indidit.

XXXV. Pratellenſe monaſterium duplex.

Vix amplius decem millibus paſſuum a Beccenſi monaſterio diſtat locus, quem veteres Pratellos *, alii Pratellum vocant, in anguſto montium intervallo haud procul a Ponte-Audomari poſitus, ubi antiquitus monaſterium ſtetiſſe conſtat, cui Anſegiſus Fontanellenſis abbas, imperante Ludovico Pio, quindecim ſolidos legaviſſe traditur. Hoc monaſterium Danica tempeſtate, ut alia illis in partibus fere omnia, ſolo æquatum, inſtaurare, immo a fundamentis erigere aggreſſus eſt hoc tempore nobiliſſimus miles, Hunfredus nomine, cognomento de Vetulis, Turoldi filius; idemque alterum ſanctimonialium ibidem inchoavit. Utrumque filius ejus Rogerius de Bello-monte abſolvit, ac prædiis auxit. Turoldus ille Nortmanniæ ducibus affinitate conjunctiſſimus erat, quippe qui ſororem Gunnoridis, Richardi ſecundi matris, uxorem duxerat, ex qua Hunfridum ſuſcepit; factus & ipſe pædagogus Willelmi ducis, a perfidis [a] patriæ proditoribus demum interfectus. Hinc Hunfridus, *genere ſpectabilis, opibus dives, & ampliſſimo pollens honore*, ſuas opes ad promovendum Dei cultum impendere ſtatuit, ſuffragante conjuge Albereda, & cœnobium virorum *in proprio fundo*, Pratellis dicto, in honorem ſancti Petri conſtruere cœpit, alterum puellarum in honorem ſanctæ Mariæ. quod utrumque liberaliter dotavit. Quam ob rem accerſito Gradulfo Fontanellæ abbate, cui valde familiaris

* *Pratum.*

a *Guillelm. Gemmet. lib. 7. c. 2.*

familiaris erat, ejus conſilio novi monaſterii ædificia diſpoſuit, brevique multum promovit, eidemque locum regendum commiſit. Mox adducti e Fontanella monachi, quibus ſui vice Gradulfus præfecit Anſfridum abbatem, ſub quo Hunfridus ipſe non multo poſt, abruptis ſæculi impedimentis, *ſanctæ religionis habitum* induit, ibidemque vitam laudabili fine concluſit. Ita rem narrat anonymus [a] Fontanellenſis ejus temporis in libro de miraculis ſancti Wlframni, præferendus utique Gilberto [b] Candelario, qui Eimardum Pratellenſis novi monaſterii primum abbatem dicit. Forte hic dicendus primus ejus loci œconomus, quem ad portam monaſterii ſepultum tradunt.

ANN. CHR. 1034.

a *Acta SS. to. 3. p. 372.*

b *Neuſtria pia p. 508.*

Tempus conditi cœnobii diſcimus ex charta ipſius Hunfridi, qui, *annuente piiſſimo Rotberto Nortmanniæ marchione & filio ejus Willelmo*, conſentientibus etiam filiis ſuis & conjuge, apud quamdam manſionem ſuam, nomine Pratellum, abbatiam, *antique deſtructam*, in honorem ſancti Petri apoſtolorum principis reſtruxit ac dotavit, conceſſis Pratellenſi manſione, Torivilla, Martini-monte, Sellis, Campiniaco, & decima villæ, quæ Boſcus-Oſberni vocatur, aliiſque. Id factum proinde ante annum M XXXV. quo Rotbertus princeps in Jeroſolymitano itinere deceſſit. Hic iter illud aggreſſurus, *dedit ſancto Petro ad Pratellum ex ſuo dominio unam villam, quæ vulgo Turſtini-villa vocatur: pro qua ſtructor ejuſdem eccleſiæ Hunfridus duodecim libras auri & duo pallia, & duos maximi pretii caballos dedit. Hæc Fiſcanni delata ſunt, & ibi recepta. Sed quia Willelmus adhuc puerulus, ejuſdem Rotberti comitis filius, poſt illum erat regnaturus; eum pater Pratellum miſit, ut ſuo juſſu etiam puer propria manu donationem Turſtini-villæ ſuper altare poneret. Huic rei interfuerunt vetulus Nigellus-Turaldus, qui unum de ſupra ſcriptis caballis a comite Rotberto dono ſuſcepit; Radulfus camberarius filius Geraldi, Goſcelinus-Rufus de Formovilla, Hunfridus conſtructor ejuſdem loci, cum filiis ſuis, Rogerio & Roberto-Willelmo, qui etiam a patre ob cauſam memoriæ colaphum ſuſcepit. Suſcepit etiam aliud colaphum Richardus de Lillabona, qui ocream vini comitis Roberti ferebat: qui, cum requireret, cur ſibi Hunfridus permaximum colaphum dediſſet, reſpondit: quia tu junior me es, & forte multo vives tempore, eriſque teſtis hujus rationis, cum res poposcerit. Suſcepit etiam tertium colaphum Hugo filius Waleranni comitis.* Obſervanda hæc traditionis per colaphum teſſera, qualem alibi nuſquam legere memini.

Paullo poſt conditum illud virorum Pratellenſe monaſterium, alterum etiam virginum in eadem valle conſtruxit Hunfridus, flagitante Alberada conjuge ſua, illudque in honorem ſanctæ Dei-genitricis Mariæ & ſancti Leodegarii martyris dedicari curavit, multis prædiis [c] eidem collatis. In his donavit quidquid in villa Bodelfa poſſidebat, Malgerio archiepiſcopo, a quo id in beneficium tenebat, aſſentiente & confirmante, ea conditione, *ut abbatiſſa ejuſdem monaſterii ſemel in anno, in ſollemnitate ejuſdem dominatricis noſtræ & dominæ Mariæ, in epiſcopio ſuo deſerviat.* Ne quis vero de his litem moveret, Hugo Grammaticus archidiaconus Rotomagenſis in dedicatione ipſius Pratellenſis eccleſiæ, ex præcepto Hunfridi, ſub gravi pœna interdixit. quod Hugo Lexovienſis epiſcopus ſanxit. Paternam donationem ratam habuit, auxitque Rogerius de Bello-monte, aliique ejus exemplo conterranei multa eidem cœnobio contulerunt. Prima ejus loci abbatiſſa fuit Emma, quam Anfrida & Cæcilia ſubſecutæ ſunt.

c *ibid. p. 521.*

XXXVI. Odilo litem componit cum Balmenſi abbatiſſa.

Sub idem tempus quædam controverſia exorta eſt inter Odilonem Cluniacenſem abbatem, & Elizabeth abbatiſſam Balmenſis parthenonis de quodam prædiolo, juxta villam Givriacum ſito. Concordiæ cauſa convenere partes in ipſum locum, ubi præſentes adfuerunt venerabiles abbates domnus Allenardus, ſeu Halinardus Divionenſis, domnus Guidricus ſeu Widricus ſancti Apri Tullenſis, & domnus Otgerius incerti loci abbas, qui litem compoſuere: cujus rei notitiam Odilo *presbyter & monachus* (ſic vir ſanctus ſe ipſe vocat) & *domnus* Rotbertus ejuſdem loci præpoſitus conſcripſere.

XXXVII. S. Apro factæ donationes.

Tunc ſancti Manſueti Tullenſi monaſterio præerat Hunaldus abbas, qui hoc anno litteras edidit de donatione Odelrici de Novo-villari. Hic frequentibus morbis idemtidem vexatus, *domum ſancti Manſueti frequentare* conſueverat, eique crebro ſubvenit ejuſdem ſancti miſeratio. Hinc tanta in eumdem locum accrevit ejus benevolentia, ut ſe & conjugem ſuam ibidem ſepeliri decreverit, *non deſperans animæ ſuæ remedium illius conſequi obtentu, cujus promeruit, dum vixit, ſuſtentari*

ANN. CHR. 1034.

& defendi interventu. Ob id ſancto Manſueto duos manſos & quædam alia prædia contulit. *Facta eſt hæc donatio per legalem veſtituram altera die poſt obitum ejus, videlicet* XVII. *kal. Septembris, per manum advocati noſtri Heinrici, aſtante ejus,* id eſt Odelrici, *conjuge cum filio ſuo Odelrico. His frater ejus Arnulfus interfuit.* quod Bruno epiſcopus auctoritate ſua firmavit, & ſigillo munivit. *Acta ſunt hec apud monaſterium ſancti Manſueti, indictione ſecunda, anno autem incarnationis dominicæ milleſimo* XXXIV. *anno vero glorioſiſſimi Chonradi regnantis* X. *imperatoris* VIII. *domno ſiquidem Brunone epiſcopo paſtoralitatem ſanctæ Tullenſis eccleſiæ ſobrie, feliciterque regente* VIII. *introitus ſui anno, ordinationis vero* VII. Idem Bruno ratam habuit donationem, quam quidam vir nobilis, Rainardus nomine, ſancto Manſueto fecit, cum ibidem *ſanctæ converſationis* induit *habitum.* Hic benigne ſuſceptus ab Hunaldo abbate & fratribus, donavit quartam partem ſuam in eccleſia Riniaci & apud Sartum: cujus frater Otto, qui paullo poſt a ſæculo migravit, ibidemque cum fratre ſepeliri voluit, ſuam itidem in iiſdem locis partem conceſſit: ac demum alias duas partes duo ſuperſtites fratres, Stephanus & Gobertus, contulerunt. quæ omnia *precario jure* Otgerdis Stephani uxor ſibi dari popoſcit.

XXXVIII. Dudonis abbatis Dervenſis obitus & ſucceſſores.

Superſtes fuit ad hoc tempus Dudo Dervenſis abbas, eo nomine primus, cujus non pauca inſtrumenta in chartario ejus loci habentur, ex quibus nonnulla ſuperius compendio retulimus. Inſuper duo adhuc reſtant abſque chronicis notis, in quorum uno quædam nobilis matrona, Adelcidis nomine, ex Burgundiæ partibus, tempore Brunonis Lingonenſis epiſcopi, cui propinquitate carnis conjuncta erat, eidem monaſterio, pro remedio ſuæ ſuorumque animæ, quamdam ſuæ proprietatis villam contuliſſe dicitur, ab incolis *Venvers* vocitatam, in qua poſtea humata fuit. Cum vero hæc villa poſt mortem Brunonis epiſcopi, qui eam ab omni pervaſione immunem ſervaverat, diripientium præda exſtitiſſet; ejus defenſionem Dervenſes Rainoldo militi nobiliſſimo & boni teſtimonii viro commiſere ſub annua penſione duodecim librarum denariorum, quas ex ſuo *ærario* ei ſe perſoluturos promiſerunt. His litteris appoſita ſunt ſigna domni Dudonis abbatis, Rainoldi militis, & Odonis ejus filii, Deodati decani Dervenſis, & multorum aliorum. Altero inſtrumento idem Dudo admittit ſatisfactionem Dudonis vicecomitis, qui multa damna Dervenſibus apud Velceniam intulerat; atque ut eum benevolum reddat, *tertium placitum de hominibus ſancti Petri, ad eamdem poteſtatem Velceniæ pertinentibus,* ei concedit. Subſcribunt poſt Dudonem Rainoldus præpoſitus, qui his conditionibus interfuit, Rodulfus decanus, aliique Dervenſes monachi; item Heribertus monachus & decanus Altivillaris monaſterii, & Otgerus monachus ejuſdem loci. Hoc autem anno idem Dudo cuidam laïco, Seïardo nomine, ſub annuo cenſu duodecim denariorum tradit quamdam terram in villa Boſonis-curtis, quæ nuper ſancto Petro a Ratoldo milite collata fuerat. Legi litteras Dervenſis cœtus & matris Certiolæ, quibus mortem Dudonis abbatis ſignificant *patribus Villælupenſis* monaſterii, *Salvatoris nomine ſignatis,* qui nuper Stephanum abbatem ſuum amiſerant, pro quo ſe pſalmos & oblationes perſolviſſe dicunt; adduntque ſe IV. *idus Septembris melle & favo dulciorem* itidem amiſiſſe *permaxima pietate* præditum *patrem,* ſcilicet *abbatem Dudonem:* quem XII. kal. Septembris præceſſerat unus de ſenioribus ſuis, nomine Benzo, pro quibus orationes a Villælupenſibus poſtulant. Si bene hunc locum legimus, *mr ciola.* hæc *mater Certiola* erat abbatiſſa puellaris monaſterii, a ſancto Berchario haud procul a Dervenſi virorum cœnobio conſtructi, quod Camuzatus ſeptingentis abhinc annis funditus everſum ac dirutum fuiſſe teſtatur. Ex prædictis litteris conficitur, Humberto Villælupenſi abbati Widonis ſucceſſori poſtponendum eſſe Stephanum abbatem, quem vulgati indices Widoni anteponunt. Dudonem abbatem Dervenſem, ejus nominis primum, excepit Milo abbas, qui anno M XLIX. locum fecit Brunoni abbati, cujus mentio ſæpe inferius recurret.

Villælupæ abbates.

XXXIX. Corbiniacus Flaviniaco reſtituitur.

Corbiniacus, nunc opidum agri Morvinenſis * in Burgundia cum monaſterio, olim cella erat, Flaviniacenſi abbatiæ ab ipſo exordio ſubjecta. Ejus autem præpoſiti ſenſim Flaviniacenſium jugum excuſſerant, & ſe abbates ferentes, locum ſuum in abbatiam erexerant. Mortuo itaque ejus loci abbate, Amadeus Flaviniaci venerabilis abbas Helmuinum Æduenſem epiſcopum adiit, rogavitque, ut Corbiniacum in priſtinum ſubjectionis ſtatum redigeret. Mox regum præcepta & privilegia Romanorum hac de re pontificum ſibi exhiberi præcepit Helmuinus: in quibus tantam deprehendit de hac ſubjectione conſonantiam, ut id quod petebatur, differri minime poſſe cenſuerit. Id autem exigebat non modo regia & apoſtolica auctoritas, ſed etiam neceſſitas regularis obſervationis, quæ ita illic defecerat, ut *ordinis rigore laxati monachi Corbiniacenſes, communia bona in proprios uſus transfudiſſent, & generalis ſtipendii ſumma, in particulas diviſa, gravem loco & infamem pauperiem induxiſſent.* Quam ob rem Corbiniacum Flaviniacenſi monaſterio reſtituit, ita ut Flaviniacenſis abbas hunc locum, ſicut ceteras res ſui monaſterii ordinet atque diſponat. *Actum Auguſtiduno civitate.* Subſcribunt cum Helmuino epiſcopo canonici Æduenſis eccleſiæ, tum abbates Odilo *Clunienſis,* Oddo Autiſiodorenſis, Oſaldus abbas ſancti Martini Auguſtodunenſis. Bernardus ſcripſit vice Rainaldi cancellarii, *anno Verbi incarnati* ī XXXIIII. *Aeynrici vero regis anno* V. Nunc Corbiniacenſe monaſterium denuo Flaviniacenſi ſubtractum, & in abbatiam erectum eſt.

* *le Morvan.*

ANN. CHR. 1034.

XL. S. Juliano donatio ab Odone comite facta.

Eodem anno Odo, Trecenſium & Bleſenſium comes, *in diem tertium paſchæ, quo die ſtatio epiſcopalis apud ſanctum Julianum agitur, cum Arnulfo archiepiſcopo ad monaſterium ſancti Juliani* Turonenſe *cum multis optimatibus venit, ibique a monachis & abbate Richerio honorifice ſuſceptus, in capitulum ſancti Juliani eſt conductus; acceptaque ſocietate loci, ipſe uxorque ejus Ermengardis, ac filii ejus, ob recompenſationem memoriamque datæ ſibi ſocietatis, per deprecationem Wanilonis theſaurarii, qui de ipſo tenebat, conceſſit ſancto Juliano & monachis ejus boſcum Rareti perpetualiter ad habendum, ad omnes focos omnium officinarum monaſterii enutriendos, & ad monaſterium cooperiendum, & ad omnes officinas ipſius eccleſiæ* ſeu monaſterii *conſtruendas... Hæc omnia conceſſit ſancto Juliano & monachis ſuis pro ſalute animæ ſuæ, uxoriſque ac filiorum ſuorum, Tedbaldi ac Stephani. Petiit etiam, ut quo die moreretur, nomen ejus inter nomina fratrum ſcriberetur, & memoria ejus ageretur. quod monachi fideliter devoteque conceſſerunt. Acta ſunt hæc Turonis in capitulo ſancti Juliani, regnante Heinrico rege anno* III. qui annus quintus in ſuperiori Helmuini diplomate legitur, ubi legendus videtur quartus.

Commerciacum ab eodem expugnatum.

Non prætermittendum hoc loco id, quod legitur in epiſtola ſancti Vitoni monachorum ad Colonienſes ſancti Pantaleonis monachos, quibus rationem reddunt, quo pacto ſancti Pantaleonis martyris brachium ad ipſorum poſſeſſionem venerit. Rem fere ſic memorant. Tempore Conradi auguſti, qui Heinrico Pio ſucceſſit, Odo comes, bello inclytus in regno Franciæ occidentalis, jure hereditario poſſidebat caſtrum *Commarceium,* ſupra Moſam ſitum, in quo templum erat in honorem ſancti Pantaleonis martyris, multis ſanctorum reliquiis inſigne. Hoc caſtrum in beneficium acceperat quidam comes indigena ab Odonis comitis patre: quo defuncto, illud in jus proprium convertere voluit, & fidem clientelarem juſto heredi præſtare renuit. Hac injuria offenſus Odo, caſtrum obſidet, urget, expugnat, & ferro ignique vaſtat. Eo tunc advenit Richardus abbas ſancti Vitoni cum Gervino monacho, tunc illius monaſterii apocriſiario, qui poſtea ſancti Richarii abbas creatus eſt. Huic in illa Commerciaci clade occurrit quidam gregarius miles, qui ſanctorum reliquias, corio inſutas, ſub chlamyde aſportabat. Has a milite pretio comparavit Gervinus, diſſutoque corio, brachium ſancti Pantaleonis cum minori oſſe brachii protomartyris Stephani, aliiſque aliorum ſanctorum reliquiis in eo deprehendit. quo commercio exhilarati Richardus abbas & Gervinus, has reliquias in ſua eccleſia depoſuere. Ex eo tempore cultus ſancti Pantaleonis martyris non modo in ſancti Vitoni eccleſia vigere cœpit, ſed etiam in monaſterio ſancti Mauri epiſcopi, ubi ſanctimoniales nuper inſtitutæ fuerant, ab eodem Richardo abbate *adductæ:* quæ cantum de prædicto martyre, *quem in ſuis partibus didicerant, ejuſdem cœnobii ſorores docere ſtuduerunt.* Ex quibus conjicere licet, primas ſanctimoniales ſancti Mauri ex urbe Colonia, in qua ſancti Pantaleonis memoria in honore erat, adductas fuiſſe. Integra epiſtola, ex qua hæc compendio retulimus, exſtat in ſæculi VI. parte I. poſt priorem vitam ſancti Richardi abbatis.

XLI. Albertus abbas Majoris-monaſterii.

Hoc fere tempore Evrardo ſeu Ebrardo abbati Majoris-monaſterii ſucceſſit Albertus, quo abbate monaſterium, jam quidem illuſtre, ſed non ad eam, quæ poſtea ipſi contigit, amplitudinem provectum, magnopere extulit caput, & ad maximam dignitatem aſſurrexit. Jam abbas erat Albertus, cum Odo Bleſenſis comes

ANN. CHR. 1034.

ejus rogatu eccleſiam ſancti Medardi, Vindocino caſtro proximam, Martinianis monachis, quos impenſe diligebat, & apud quos ſepultus eſt poſt annos tres, conceſſit, aſſentientibus Salomone de Lavarzino, Walterio filio Hamelini de Langeïo, & Burchardo, cognomento de *Careſmot*, qui de Odone comite prædictum locum in beneficium tenebant. Infinitæ propemodum Alberti abbatis tempore factæ ſunt Majori-monaſterio donationes, multæque cellæ ſeu præpoſituræ erectæ, quas omnes hic commemorare prolixius foret. Una eſt ſancti Martini de Beliſmo, quam quidam miles, ſcilicet Hugo de Roceto, filius Johannis, ſancto Martino donavit, *cum terra omni, quæ ad altare pertinet*, aliiſque rebus in ipſius charta expreſſis. *Favit autem his omnibus*, inquit, *dominus meus, Ivo nomine, Sagienſis epiſcopus*, cui Beliſmum caſtrum ex Willelmo comite ipſius patre provenerat; *Odo quoque regis Francorum Heinrici germanus, & Gaufridus comes Andegavenſis, de quorum erant omnia fevo.* His etiam nonnulla de ſuo addidit Ivo epiſcopus, qui his litteris ſignum crucis appoſuit. *Teſtes de auctoramento comitis Gaufredi* fuere *comes Eudo, Odo frater regis Heinrici, Hungerius drudus ejus*, ſeu fidelis, & alii: *de auctoramento Odonis comes Gaufredus, Bernardus de ſancto Aniano, Hungerius drudus Odonis.* Quo tempore hæc donatio facta ſit, colligitur ex ſubſcriptione Gaufridi Andecavorum comitis, qui Fulconi patri anno ſequenti ſucceſſit, tum Odonis Heinrici regis fratris, qui Rotberto patri non diu fuit ſuperſtes.

Cella S. Martini de Beliſmo.

XLII. Odo regis frater Pontem Turonenſem ſtruit.

Hic *Odo comes* Pontem ſupra Ligerim apud Cæſarodunum-Turonum, *ex auctoritate domini* ſui *Heinrici regis*, ædificari curavit, *ubi inundantis aquæ tempore multos noverat rapidi amnis impetu periiſſe: ubi liberam quilibet habeat tranſeundi facultatem abſque ullius telonei exactione.* Exſtat ejus rei inſtrumentum in archivo Majoris-monaſterii, appoſitis ſignis *Odonis fratris regis*, *Widonis archiepiſcopi* Remenſis, qui Ebalo hoc anno ſucceſſit; *Heſcelini epiſcopi*, inferius denuo laudati [a], *Beraldi epiſcopi* Sueſſionenſis, *Tedbaldi & Stephani* comitum, filiorum Odonis Bleſenſis comitis, qui anno MXXXVII. cæſus eſt; item Valeranni, Burchardi, Manaſſæ & Hilduini comitum. In quodam indice Hugonis regis poſterorum, qui in Philippo primo deſinit, Hugo & Odo, Rotberti regis filii, mortui inventi fuiſſe dicuntur. quod argumento eſt, eos repentina morte interiiſſe. De Odone id confirmat Rodulfus Tortarius, monachus Floriacenſis, initio libri de miraculis ſancti Benedicti, ubi Odo, Heinrici regis frater, *nullius dignitatis faſtigio ſublimatus*, cum non haberet propria, aliena ſubripuiſſe dicitur, rapiniſque ac prædationibus vacaſſe. Forte ex Soliacenſibus * agris præda onuſtus revertens, in quoddam prædium ſancti Benedicti, id eſt Floriacenſis monaſterii, divertit; ibique nocte hoſpitatus, deficientibus luminaribus, paſchalem cereum ab eccleſia ſibi miniſtrari juſſit. Nocte vero gravi morbo correptus, vix inde receſſerat, cum morbo invaleſcente interiit, ut Rodulfus tradit.

[a] *num. 56.*

* *de Sully.*

XLIII. S. Gauſburgis cella S. Petro Carnutenſi data.

Idem qui ſupra Ivo, antequam eſſet Sagienſis epiſcopus, *caſſibus*, ut ipſe ait, *mundanæ converſationis irretitus, locellum ſanctæ Gausburgis, in territorio Beliſmenſi ſitum, cum omnibus ad ipſum locum pertinentibus, ſancto Petro Carnutenſi* donavit, ut *ibidem militaturus Deo monaſticus ordo habeatur.* quod domino ſuo Heinrico regi, de cujus beneficio erat, confirmandum obtulit. Hunc locum antea Willelmus Beliſmenſis comes, ipſius Ivonis pater, cuidam monacho Bonævallenſi, Beringerio nomine, dederat: ſed ille *abbas conſecratus*, ſcilicet Bonævallis, *bellorum frequentiam atque loci paupertatem quotidie creſcentem ferre non valens, ſponte ad ſuum cœnobium eſt reverſus*, ubi poſtea reliquum vitæ ſuæ tranſegit. *Poſt mortem vero Willelmi comitis & Rodberti filii ejus, quem ſecuri* [b] *inimici ejus in carcere poſitum interfecerunt; Ivo frater Willelmi in honorem ſuccedens, abbatem Landricum*, de quo ſuperius egimus, *rogans expetiit, ut locum præfatum perpetuo habendum ſuſciperet, & monachos ſuos illuc dirigeret, ibidem militaturos. cujus petitioni abbas obſequens, miſit quoſdam de ſuis, qui locum fere per triennium tenuerunt.* Poſt hæc Deodati cujuſdam nefarii monachi, qui in Britanniam fugit, flagitiis factum eſt, ut monachi ab illo loco diſcederent, ejus infamiam & fœtorem ferre non valentes. Hæc ex libro Haganonis. In necrologio ejuſdem monaſterii notatur XII. kal. Januarii Berengerius abbas, haud dubie Bonævallenſis mox laudatus.

[b] *Voillelm. Gemmet. lib. 6. c. 7.*

XLIV. S. Hilario Carcaſſonenſi facta donatio.

Raimundus Carcaſſonenſis comes hoc tempore bellum gerebat cum Arnaldo-Giberto *propter mortem filii ſui*, id eſt Arnaldi, quem forte Raimundus interfecerat. Pugnatum eſt ad caſtrum Reddam: victoria penes Raimundum ſtetit, qui

ANN. CHR. 1034.

ſanctum Hilarium Carcaſſonenſem epiſcopum, cujus corpus in monaſterio ſancti Saturnini ſeu ſancti Hilarii requieſcebat, ante pugnam invocaverat. Hujus victoriæ ut ſe gratum præſtaret Raimundus, villam Vallevetiam & alia quædam Olibano abbati & monachis ejuſdem cœnobii donat, aſſentiente conjuge ſua Beliarde. Actum XV. kal. Septembris, anno IV. regnante Henrico rege. Exſtat ejus donationis inſtrumentum in Sæculo [a] V. Actorum noſtrorum.

[a] *Sæc. 5. Bened. p. 553.*

Crudatenſi monaſterio, haud ſcio an proxime poſt Adamum [b], tunc præerat Ragnoardus ſeu Rainoardus abbas, cujus tempore cellam ſancti Petri de Morenco ſeu Moirenco Humbertus Gratianopolitanus epiſcopus favente Radulfo rege & Hermengarde ejus conjuge, ædificari curavit, commodum & opportunum eſſe ratus, ut canonicis ſub activa vita florentibus monachos vitam contemplativam diſcentes in ſuo epiſcopatu adjungeret, ut ipſe loquitur in ſuis hac de re litteris, quas in Appendice referemus. Eodem abbate hæc cella non mediocre augmentum accepit. Poſita eſt in epiſcopatu Gratianopolitano ad Iſeram fluvium in opido Morinco, cui cellæ & monachis inibi Deo famulantibus Umbertus quidam & uxor ejus Etma eccleſiam ſancti Martini cum ſuis adjunctis, ſitam in epiſcopatu Gratianopolitano, in pago Salmoriacenſi apud Vopredium, hoc anno contulerunt. Girbaldus monachus ſcripſit hujuſce donationis inſtrumentum, quæ donatio eccleſiæ *ſanctæ Mariæ Crudatenſis & ſancti Petri Moiricenſis, ubi domnus Regnoardus præerat*, facta dicitur. Mitto alias donationes eidem loco eodem tempore factas.

Crudatenſis cella apud Morencum.

[b] *lib. 47. n. 48.*

XLV. Caſimirus princeps monachus Cluniaci.

Ad hunc annum revocat Baronius Caſimiri principis receſſum in monaſterium Cluniacenſe. Is Miceſlai II. Polonorum regis, ut Polonicæ hiſtoriæ ſcriptores tradunt, filius, mortuo patre, quod regni proceres Riſchæ viduæ matris imperium ferre non poſſent, adhuc juvenis regno pulſus, Cluniacum ſe recepiſſe dicitur, ibique abjectis ſæculi pompis, monaſticen profeſſus, ac diaconus ordinatus fuiſſe. At cum regni calamitates eo deveniſſent, ut nulla reſtituendæ publicæ tranquillitatis ſpes affulgeret, niſi Caſimirus paterno ſolio imponeretur; rex ab omnibus etiam abſens proclamatur. Miſſi Cluniacum legati, eum regem ſalutant, & ab Odilone repetunt. Negat abbas id ſibi licere citra Romani pontificis auctoritatem. Romam itaque legati contendunt, expoſitiſque pontifici (is Benedictus IX. erat) regni calamitatibus, variiſque conditionibus acceptis, quas Polonici ſcriptores memorant, poſtulata demum impetrant. Sic Caſimirus, diſſoluto caſtitatis voto, monachus ſimul & diaconus in Poloniam revertitur, rex ab omnibus agnoſcitur, uxorem ducit, liberos procreat. Priſtinæ tamen conditionis memor, pietatis officiis, ut ſtatus ferebat, animum applicuiſſe dicitur, & varia ſuis Cluniacenſibus monaſteria exſtruxiſſe. Ne vero tanti beneficii aliquando immemores eſſent Poloni, cautum fuiſſe tradunt, ut præter nummum annui cenſus, quem ſedi apoſtolicæ pendere deberent, etiam cæſariem in modum coronæ deferrent, aliaque præſtarent, quæ Polonici hiſtorici fuſius narrant. Caſimirus regnum iniiſſe fertur anno MXLI. quod anno MLVIII. filio ſuo Boleſlao II. morte reſignaverit. Apud chronographum Saxonicum a Leibnitio editum mentio quidem fit de Caſimiro, ſed hic Odalrici Boëmiorum ducis filius dici videtur. nam ad hunc annum, Odalricus Boëmiorum dux obtentu reginæ, id eſt Giſilæ imperatricis, & procerum, de exſilio rediiſſe perhibetur, & ducatus ſui mediam partem, fratre ſuo Germiro alteram retinente, recepiſſe. Tum, (chronici verba ſunt) *Miſeco dux Polonorum immatura morte interiit, & chriſtianitas, ibi a ſuis proavis bene inchoata, ſed a ſe melius roborata, flebiliter, prô dolor! diſperiit. Prædictus quoque Odalricus dux poſt reverſionem, fratre cæcato*, ſcilicet Germiro, *filio fugato, iterum ſacramenta*, Conrado imperatori data, *infringens, infidelitati more conſueto inſtitit, & tandem cibo & potu ſuffocatus interiit. Hujus filius Kaſimer, cum matre ſua a Polanis de provincia expulſus, diu exſulavit.* Nec plura in hoc chronico de Caſimiro, qui forte exſilii ſui tempore Cluniacum receſſit. Nihil etiam de eo legitur hoc anno in chronico noſtro Saxonico, ex quo unum folium, res hujus anni continens, avulſum eſt. Aſt ad annum MXXXIX. quo in Poloniam rediit, non Odalrici, ſed Miſeconis Polonorum ducis filius dicitur, ut ſuo loco videbimus. adeoque chronici Leibnitiani hæc verba, *Hujus filius Kaſimer*, non ad Odalricum qui proxime præceſſit, ſed ad Miſeconem paullo ante nominatum referri debent. De eo intelligendus Hermannus a Piſtorio editus ad annum ML. quo anno Heinricus imperator *contra Gaz-*

ANN. CHR. 1034.

merum ducem Polonorum, rebellionem molientem, expeditionem paraſſe dicitur, eique pacem petenti indulſiſſe.

a *Bibl. Clun.* p. 1646.

In chronico Cluniacenſi parum accurato eadem ferme referuntur, ſed nomina & tempora confunduntur. Id enim revocatur ad tempora Hugonis II. abbatis, & dux iſte, non Caſimirus, ſed Boleſlaus appellatur, qui *a patre Braſimio Pariſius* ſtudiorum cauſa miſſus ſit, ac deinde Cluniaci monachus ac diaconus factus dicitur. Tum inde patre mortuo revocatus in Poloniam ut regnaret, a ſede apoſtolica id obtinuiſſe ea conditione, ut milites, & clientes illius ducatus perpetuo gererent tonſuram ad modum Cluniacenſium, & in ſignum diaconi ſtolam diaconalem deferrent. quod per aliquantum temporis ſervaverint. Verum quia id ab eorum moribus alienum videbatur, demum impetraviſſe, ut habitu priſtino uterentur, ſed ea lege, ut dux ipſe, qui tunc rex erat, monaſterium in honorem Domini noſtri Jeſu-Chriſti & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli conſtrueret, dictum *Tyneaz* in quo ſexaginta monachi fuiſſe dicuntur; præter aliud ab eodem exſtructum, vocatum Magilicenſe, ſub titulo apoſtolorum Petri & Pauli. Prædictam nominum & temporum confuſionem in illo chronico quidam emendare tentavit ex Mathiæ Mechonienſis chronicorum Poloniæ libro ſecundo, ubi hunc Caſimirum nominat, quem a religione anno circiter M XLI. abſolutum fuiſſe dicit *diſpenſatione Benedicti VIII.* novo errore, ſiquidem eo tempore ſedebat Benedictus nonus, non octavus. Hæc fuſius fortaſſe perſequi videar, ſed ut in re obſcura.

XLVI. Norpertus abbas S. Galli.

b *Gold. pag.* 318.

Apud ſanctum Gallum in locum Thiepaldi abbatis hoc anno mortui ſubrogatus Norpertus de Stafile, diſcipulus ſancti Popponis abbatis Stabulenſis. Hic, fratrum ac religionis amans, præbendam [b] eorum auxiſſe dicitur, & ſanctæ Wiboradæ cultum auctoritate ſedis apoſtolicæ promoviſſe. Jura vero ſui monaſterii tam ardenter propugnavit, ut cum Rumoldo Conſtantienſi epiſcopo prœlia conſeruerit jam ſenex, improbando ſane exemplo; nec, niſi agente Rudolfo duce, pax inter eos redintegrari potuerit. Fuit ſingularis ejus amor & cultus in ſanctum Remaclum epiſcopum & conditorem monaſterii Stabulenſis, ex quo reliquias ejus impetravit, ejuſque feſtum diem apud ſanctum Gallum ſollemnem eſſe juſſit.

XLVII. Mediolani monaſteria.

c *Puricell.* p. 367.

Obſervatu dignum eſt teſtamentum [c] Ariberti Mediolanenſis archiepiſcopi, hoc anno conditum, ex quo illius urbis monaſteriorum notitiam diſcimus. Hic ex ſui juris prædiis & poſſeſſionibus annuas penſiones ſuæ civitatis eccleſiis ac monaſteriis bis quotannis perſolvi mandavit, primo quidem die Veneris de ſecunda hebdomada quadrageſimæ; ſecundo, tertio die Veneris de tertia hebdomada: quibus diebus ad preſbyterium Mediolanenſis eccleſiæ convenire debebant, ſuam quique penſionem percepturi, abbates ſcilicet cum monachis, ex ſuo quique cœnobio; duæ vero monachæ ex unoquoque monaſterio puellarum: quibus ſingulis locis ſolidorum certa ſumma perſolvebatur. Monaſteria virorum ſex numerantur, nempe ſancti Ambroſii, ſancti Victoris ad corpus, ſancti Vincentii, ſancti Simpliciani, ſancti Celſi, ſanctorum Dionyſii & Aurelii, quod poſtremum Aribertus noviſſime ab ſe conſtructum fuiſſe dicit. Monaſteria puellarum ſunt ſeptem, ſcilicet ſanctæ Dei-genitricis Mariæ Majoris, Salvatoris, quod dicitur Widelindæ; monaſterium Auronæ, monaſterium Dathei, monaſterium Lentaſii, monaſterium Novum, & monaſterium de Ghiſone. Ex illis ſex virorum monaſteriis ſuperſunt ſancti Ambroſii monaſterium, nunc duplex, canonicorum ſæcularium & Ciſtercienſium monachorum; ſancti Victoris ad-corpus, quod Olivetanorum; ſancti Simpliciani, quod Caſinenſium eſt, extra muros. Abbatia ſancti Dionyſii erecta eſt in præpoſituram a Clemente VIII. abbatia ſancti Celſi tranſiit ad canonicos regulares. Ex monaſteriis puellarum duo tantum priſcum retinent nomen, nimirum monaſterium Majus, & monaſterium Lentaſii, ſic dictum a Lentaſio ſeu Lantaſio archidiacono Mediolanenſi ejus conditore. Monaſterium Widelindæ hodie ſanctæ Radegundis vocatur. Exſtinctum monaſterium Auronæ ſeu Horonæ, ſic dictum ab Horona ſorore Theodori archiepiſcopi, quæ illud anno DCC XL. ædificaſſe traditur. Monaſterium Novum exſtat etiam nunc in porta Vercellina, illudque ſub ſancti Vincentii nomine inhabitant Benedictinæ ſanctimoniales. denique monaſterium de Ghiſone modo ſanctæ Margaritæ appellatur, ſitum intra fines portæ novæ. Alterum teſtamentum edidit Aribertus [d] anno M XLV. maxime in gratiam monaſterii Ambroſiani, cui teſtamento ob morbum ſubſcribere non potuit, mortuus eodem

d *id. p.* 415.

anno poſt graves cum Conrado imperatore altercationes; humatuſque in ſancti Dionyſii monaſterio ab ſe condito, ubi ejus ſepulcrum anno M CCCC III. fulminis ictu everſum eſt. ANN. CHR. 1034.

S. Anſelmi nativitas & prima facta.

Quo tempore Herluinus de condendo in Neuſtria monaſterio cogitabat, eodem quoque tempore editus eſt in lucem Anſelmus, quem divina providentia inſignem ei alumnum ac Beccenſis monaſterii præcipuum ornamentum futurum prædeſtinaverat. Natus eſt Auguſtæ-Prætoriæ * in Gallia Ciſalpina ad alpium radices, in Burgundiæ & Lombardiæ confinio, Gundulfo & Ermemburga parentibus nobilitate claris. Gundulfus ſæculari vitæ deditus ac rerum ſuarum prodigus: Ermemburga melioribus dedita ſtudiis, bonæ matrisfamilias officio fungebatur, ſicque in chriſtianæ pietatis officiis deceſſit: Gundulfus vero ſub finem vitæ monachus factus, ac paullo poſt defunctus eſt. Anſelmus, bonæ indolis puer, maternis monitis libenter animum intendebat: quibus factum eſt, ut poſt delibatas litteras, in quibus brevi multum profecit, cum necdum ætatis annum quintum-decimum attigiſſet, de monaſtica vita cogitare cœperit, qua nihil in hominum converſatione melius ac præſtantius eſſe reputabat. Eo animo proximi monaſterii, an Fructuarienſis, adiit abbatem, qui eum ob patris metum admittere noluit. At ille in ſuo propoſito conſtans, Deum precatus eſt, ut in morbum incideret, quo vel ſic in monaſterio ſuſciperetur. Mox pro voto graviter ægrotavit: tumque miſit ad abbatem, ut ſaltem infirmus monaſtico habitu indueretur. Negavit ob eamdem cauſam abbas quod ille petebat, ad alium locum divinitus reſervatus. Interim ubi convaluit adoleſcens, cum juvenilis ætas & ſæculi proſperitas ei arriderent, tepeſcente propoſito, ſæculi vias ingredi cœpit, & poſtpoſitis litterarum ſtudiis, juvenilibus ludis operam dare, ſuperſtite pia ejus matre, quæ eum tantiſper ab his nugis revocabat. aſt, ea mortua, gliſcenti ætati habenas omnino laxavit. Verum miſericors Deus, qui eum ad magna diſponebat, inteſtinum ei bellum indixit, patris animo in eum inflammato: quem cum mitigare nullo modo poſſet, e patria diſcedere conſtituit, tribuſque annis partim in Burgundia, partim in Francia exactis, in urbem Neuſtriæ Abrincas venit: ubi cum aliquamdiu demoratus eſſet, ad Beccenſe monaſterium ſe recepit. Inde ad avunculos ſuos [a] ſcripſit, Lambertum & Folceraldum, quos reverendos dominos & nutritores ſuos vocat: de quorum incolumitate certior fieri cupit. Anſelmum etiam nepotem habuit, cujus non ſemel miminit in epiſtolis ſuis. Porro tempus nati ſancti Anſelmi ex eo colligitur, quod mortuus eſt anno M C IX. ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo-ſexto: atque adeo hoc anno, vel certe præcedente natus dicendus eſt. In necrologio Belli-montis-Rogerii, quæ cella eſt Beccenſis monaſterii, notatur III. kal. Octobris *Gundulfus pater Anſelmi archiepiſcopi.*

* *Aouſt.*

a *Anſelm. lib.* 1. *ep.* 18.

b *id. lib.* 4. *ep.* 31. & 52.

ANN. CHR. 1035. XLVIII. Monaſterium Villare inſtauratur.

IN eunte anno M XXXV. Rotbertus dux Nortmannorum, principum ſui temporis exemplo Jeroſolymitanum iter aggreſſurus, Willelmum ſeu Guillelmum filium ſuum, vixdum ſeptennem, ex concubina ortum, Giſleberti Criſpini Brionenſis comitis tutelæ commiſit, & utrumque Heinrici regis patrocinio commendavit. Id factum in procerum conventu Fiſcamni habito, ubi in fidem pueri omnes jurarunt. Ibidem etiam actum de inſtaurando puellari Monaſterio-villari *, in Caletis quondam, ſuggerente Filiberto abbate, a Warattone præfecto palatii haud procul ab opido Harefloto, prope oſtia Sequanæ conſtructo, quod commune ceterorum fere Neuſtriæ monaſteriorum excidium tempore Danicæ perſecutionis tulerat. Hunc locum Richardus ſecundus, ipſius Rotberti parens, Fiſcamnenſibus monachis contulerat, ut ex eo facerent quidquid vellent, tamquam ex proprio alodo. at Rotbertus locum iſtum in priorem ſtatum reſtituere volens, Johannem abbatem rogavit, ut ipſi eum concederet, dato in commutationem monaſterio ſancti Taurini *apud Ebroas*, ut eodem jure illud in alodum tenerent Fiſcamnenſes, *& ſit cella prædicti monaſterii ſanctæ Trinitatis in ſempiternum*, ut Rotbertus ipſe loquitur in litteris hac de re conditis, in quibus ait, ſe id ægre ab Johanne abbate obtinuiſſe. Recepto itaque Villari in ſuam poteſtatem, Rotbertus monaſterium puellarum ibidem mox inſtaurare cœpit, idque in prædicto Fiſcamnenſi conventu a ſuis proceribus confirmari curavit. Legimus in archivo Monaſterii-Villaris litteras Rotberti ducis, in quibus ait, ſe doluiſſe tam ſancti loci dejectionem, quem ſancto Filiberto a Warattone duce eo pacto conceſſum fuiſſe acceperat, ut illic in honore

* *Montivilier.*

AN. CHR. 1035.

„ sanctæ Mariæ monasterium construeret, & virgines, sub regulari disciplina
„ Domino militaturas, multis terrarum possessionibus beneficiatas ordinaret.
„ Proinde se decrevisse hunc locum in priorem statum redintegrare, consentien-
„ tibus fidelibus suis, *& maxime quadam amita mea*, inquit, *nomine Beatrice, id agente & studente, quæ postea, habitu mutato, Domino illic militare elegit.* Tum varias eidem monasterio possessiones assignat princeps, vetatque ne in eodem loco alterius sexus ordo habeatur; &, si *status sanctæ Regulæ depravatus* illic *aliquando defecerit, eodem sexu, eodemque ordine reparetur.* quod sub æternæ damnationis anathemate ratum esse jubet auctoritate *Rotberti archiepiscopi, Hugonis quoque Ebroicæ episcopi, alteriusque Hugonis episcopi Abrincarum civitatis, Johannis etiam Fiscamnensium abbatis, necnon Gradulfi abbatis Fontinellensis cœnobii, hujus operis maxime procuratoris, cui eadem amita mea*, ait ille, *sanctæ professionis firmitatem professa est; comitis Balduini & Engelramni, Osberni-Nigelli vicecomitis, Gotselini, & Richardi, ac ceterorum nobilium. Facta est hæc privilegii auctoritas Fiscamni in conventu celebri, idus Januarii, octavo anno regni nostri, quo & Jerusalem petiturus, ibi licentiam eundi a Deo & sanctis ejus petii; anno ab incarnatione Domini millesimo trigesimo-quinto, regnante Heinrico rege Francorum anno* IIII. *indictione* IIII. lege III. His litteris apponuntur cum Rotberto signa *Villaris ecclesiæ*, Willelmi comitis, Hugonis Lixoviensis episcopi, Johannis abbatis, Gisleberti-Crispini, & Willelmi-Crispini. Subsequuntur in pancharta variæ donationes Willelmi Normannorum comitis, sororis Adelogiæ, quæ sanctimonialis ibidem facta, terram de Bello-monte Villari dedit; Hatvidis itidem sanctimonialis mediam partem terræ *Dot* concessit. Prima ejus loci abbatissa fuit prædicta Beatrix, Rotberti ducis amita: secunda Elizabeth, cui consuetudinem terræ de Calvelvilla Willelmus comes impertiit. Hoc monasterium exemtione gaudet & jurisdictione in quasdam ecclesias, habetque officialem, cui archiepiscopus vices suas committit. De hac jurisdictione gravis controversia tempore Innocentii III. exorta est.

XLIX. Rotbertus dux Normannorum obit.

Post conventum Fiscamnensem dux Rotbertus destinatum ad loca sancta iter arripuit: at in reditu apud Nicæam Bithyniæ urbem VI. nonas Julii mortuus, ibidemque honorifice sepultus est, nimirum *intra sanctam illius civitatis basilicam, quod nulli alii mortalium concessum est*, ut scribit auctor anonymus in libro de miraculis sancti Wlframni episcopi: qui auctor ait se didicisse, Rotbertum venefício apud Nicæam occubuisse quorumdam malignorum invidia, qui ejus æquitatem ferre non poterant. Willelmus ejus filius naturalis in attributo sibi a patre ducatu multos initio adversarios passus est, qui Heinrici Francorum regis, cujus patrocinio Rotbertus discessurus ipsum commendaverat, ope subacti fuere. Matris ejus nomen ignoratur, quam cujusdam Herberti Belliparii Belgiæ ex Doda matre filiam fuisse testatur Albericus, quos ex opido Hoïo Falesiam in Caletis accessisse tradit. Mox ut adolevit Willelmus, a rege Francorum Heinrico militiæ insignia accepit: mater vero ejus, ante patris obitum cuidam Hervelino militi de Vado-comitis nupta, peperit Odonem episcopum Bajocensem, qui fuit Cantiæ comes; & Rotbertum comitem Moretonii, patrem cujusdam Guillelmi. Ita Albericus.

L. Cnutus item Angliæ rex.

Eodem anno mortem oppetiit Cnutus rex Angliæ, Daniæ & Norvegiæ pridie idus Novembris, & Wintoniæ in Veteri-monasterio sepultura donatus. Haroldo ejus ex concubina, ut credebatur, Elgiva filio primum cessit Anglia, quæ postea inter ipsum & Hardecnutum, Emmæ reginæ superstitis filium, divisa est. Cnuti pietatem & in loca sacra munificentiam [a] laudat Emmæ encomiastes, aitque, Cnutum, mox ut ingressus monasteria erat, defixis in terram luminibus cum lacrymis incessisse, oblationibus regiis sacra cumulasse altaria, pavimento cum multis lacrymis infixisse oscula, & pectus sæpius percussisse. *Hæc & alia his mirificentiora*, inquit encomiastes, *a domino (Cnutone) gesta vidi ego vester vernula, sancte Audomare, sancte Bertine, cum fierent vestris in cœnobiis: pro quibus bonis tantum regem impetrate vivere in cælestibus habitaculis; ut vestri famuli, canonici & monachi, sint orantes orationibus cotidianis.* Ex quibus verbis forte quis conjiciat, hunc encomiastem Audomaropoli natum fuisse. Facile crediderim hunc esse Livingum Tavistokensem abbatem, superius [b] laudatum, qui Cnuto regi valde familiaris, & Romani itineris socius exstitit. Iste auctor Haroldum tradit falso creditum Cnutonis regis ex concubina filium, sed potius furtim subreptum parturienti ancillæ, impositumque

[a] *Hist. Nort. p.* 173.

[b] *Supr. n.* 30.

ANN. CHR. 1035.

impositumque cameræ concubinæ languentis. Sed hæc alii viderint. Interim duo alii Emmæ filii, Eduardus & Alfridus, in Normannia educabantur: ex quibus Alfridus natu-minor, dum paternum sibi regnum vindicare parat, ab Heraldi quodam satellite in Elienſi insula cæsus fuit, & in illius insulæ monasterio sepultus, ac pro martyre habitus: alter Eduardus post necem Haroldi regnum sibi jure debitum obtinuit.

LI. Conchense monasterium struitur.

Dum Rotbertus dux adhuc in vivis esset, conditum fuisse videtur apud Conchas opidum pagi Ebroicensis monasterium sancti Petri, Castellionis dictum, postea Conchense appellatum. De auctore non consentiunt veteres. Willelmus [a] Gemeticensis Radulfo de Toënio, Ordericus [b] Rogerio de Toënio ejus originem tribuit: nec litem dirimit Arturus [c] in Neustria-pia. Verum constat ex monasterii documentis præferendam Orderici sententiam, adeoque Rogerium de Toënio seniorem Castellionensis monasterii auctorem censendum esse. Argumentum suppeditat pancharta ejusdem loci, in qua primo loco occurrit diploma Henrici Anglorum regis ac ducis Nortmannorum, quo Castellionensibus concedit liberam electionem abbatis secundum regulam sancti Benedicti, integramque immunitatem in omnibus terris, quas tum in Anglia possidebant; & in Nortmannia apud portum, qui vocatur Deppa; atque insuper confirmat *omnia dona & beneficia, quæ eis dederunt in regno & ducatu suo Rogerius senior de Toënio, & filius ejus Radulfus senex, & Radulfus juvenis, filius prædicti Radulfi, & Rogerius filius Radulfi juvenis, & alii barones.* Rogerius conjugem duxerat Godehildem comitissam Ebroicæ civitatis, quæ post mortem mariti sui Rogerii *de Totteneio*, donavit *sancto Petro de Castellione* decimam villæ, quæ dicitur *Cravençon*, & alia nonnulla. Porro iste Rogerius, utique junior, *filius Radulfi Totenienſis*, pro salute animæ suæ, & « patris ac matris, & conjugis suæ Godehildis, & universæ prolis suæ; & pro anima « senioris sui Roberti comitis, ac filii ejus Guillelmi, confert in usus servorum Dei, « servientium in monasterio dicato in honore sancti Petri apostoli, in loco, qui « *Castellum* appellatur, de rebus suis, hoc est villam ipsam, quæ dicitur *Castellion*, « cum molendino & fontana, & omni territorio ad eamdem villam pertinente; « necnon ecclesiam de Toteneio *, cum offerendis & decimis de annona, & vino, « & piscibus. qui locus est prope Galionis castrum haud procul a Sequana, ex quo « Toëniorum seu Toteniorum stirps originem duxit. Hæc omnia confirmant *Hugo Ebroïcensis episcopus, item Hugo Bajocensis episcopus, Robertus de sancto Laudo episcopus*, id est Constantiensis, qui sedem suam in opido sancti Laudi fixerat; *Johannes abbas sanctissimæ Trinitatis* Fiscamnensis, *Isembertus abbas* sanctæ Catharinæ Rotomagensis, *Gradulfus abbas* Fontanellensis; item Robertus, Frotmundus, & Albericus aliorum locorum abbates. Robertus Gemeticensis, eo nomine secundus; Frotmundus sancti Taurini Ebroïcensis abbas videtur fuisse, Albericus vero Crucis sancti Audoëni, atque adeo Odiloni anteponendus. Hæc satis ad probandum auctorem monasterii Castellionensis, sic dictum a Castellione loco suburbano opidi Conchensis, ubi fons copiosus oritur, cujus mentionem facit Rogerius in præmisso instrumento. Primus Castellionis abbas fuit Gilbertus, Fiscamnensis monachus, *vir magnæ honestatis*, Orderico teste, *& sapientiæ*, qui monachorum coloniam in Troarnense monasterium induxit; idemque anno M L. subscripsit instrumento pro instauratione monasterii Uticensis, cui priorem, ut vocant, Rainerium monachum suum suppeditavit. tametsi eum postmodum apud Willelmum ducem, quasi ei detraxisset, accusavit. Huic kalendis Decembris mortuo successit Guillelmus monachus itidem Fiscamnensis. Alios videsis in Neustria pia.

[a] *Willelm. lib.* 7. *c.* 22.
[b] *Order. lib.* 3. *p.* 460.
[c] *Neustria pia p.* 567.

LII. Villaris omnia jura Fiscamno concessa.

Jam anni fere triginta [d] erant, ex quo Rotbertus rex locum pagi Silvanectensis, Villare dictum, Fiscamnensi monasterio contulerat, cum Rainaldus, Heinrici regis camerarius, jussu ejus *quamdam convenientiam* seu compositionem fecit *in primis cum Deo omnipotente, qui me*, inquit, *& omnes habet judicare; deinde cum abbate Johanne & monachis, qui Fiscanni sanctæ Trinitati serviunt, scilicet de potestate, quæ Villare dicitur*: ut ab ea die & deinceps, nihil juris ipse vel heredes sui habeant, non prælaturam, non exactionem ullam vini aut frumenti, aut cujuscumque « rei: sed sit ipsa terra cum suis adjunctis ita libera & immunis, sicut fuit in manu « glorioſi regis Rotberti, cujus ipsa fiscus & alodus exstitit; quique eam pro sua ani- « ma, & heredum suorum salute Deo omnipotenti & Fiscanni monachis regio mu- «

[d] *lib.* 52. *n.* 81.

* *Tony.*

AN. CHR. 1035.

„ nere in perpetuum donavit; & ſicut privilegium ab ipſo rege editum, & a filio ejus
„ Heinrico Francorum rege magno & proceribus ejus confirmatum fuit. Pro qua
„ conventione prædictus Rainaldus accepit a Johanne abbate & monachis ejus XIV.
„ uncias optimi auri, & X. libras denariorum Silvanectenſis monetæ. Hanc conven-
„ tionem ratam habent Hugo Rainaldi filius cum uxore ſua, ipſiuſque Rainaldi uxor
« Ermentrudis, cum ſuis fidelibus.

LII. S. Symphoriani monaſterium Belvaci conditur.

Lauduni erat hoc anno rex Heinricus, cum ad eum acceſſit Drogo Belvacenſis epiſcopus, quem *virum divinæ religioni admodum mancipatum* dicit, obnixe ro-
» gans, ut ſibi de rebus eccleſiæ ſuæ, vel de aliis, quas jure forenſi acquirere poſſet,
» liceret abbatiam quamdam in honorem ſancti Symphoriani martyris in ſuburbio
» prædictæ urbis conſtruere, & monaſtico ordini deputare. Flagitanti annuit rex,
» cavitque, *ne quis ſuccedentium epiſcoporum, aut alius quiſpiam, a loco memorato, ubi jam idem epiſcopus monaſticæ converſationis fundamenta jecit, abbatemque ſacravit, monachos aliquando exterminare, neque ullo modo ſibi audeat uſurpare.* Ad dotem vero monaſterii Drogo aſſignat in monte, ubi hoc monaſterium ſitum eſt, terram unius aratri, ſilvamque modicam circa ipſum montem, aliaque in regio diplomate memorata. *Actum Lauduni, anno incarnati Verbi* M XXXV. *& regni Heinrici regis* IV. Balduinus cancellarius relegendo ſubſcripſit. Primus ejus loci abbas notatur Vitalis, forte eductus e vicino ſancti Luciani monaſterio. Aliorum abbatum nomina cum prædicto diplomate Louvetus [b] refert. Nuper hoc monaſterium, non obſtante regis & epiſcopi cautione, ſeminario Belvacenſi unitum eſt. Idem Drogo monaſteria Flaviacenſe virorum, & ſancti Pauli virginum inſtauravit, ut poſtea videbimus.

a *Gall. chr. to. 4. p. 853.*

b *Louvet. antiq. de Beauv. p. 417.*

LIV. Letbrado abbati S. Eligii ſuccedit Remigius.

Hic annus ſupremus fuit Letbradi abbatis monaſterii ſanctorum Lupi & Eligii, quod tunc ſitum erat in ſuburbio Noviomenſi; iſque annus quintus erat Hugonis ejuſdem urbis epiſcopi, qui ſequens præceptum canonum, noluit ex alio monaſterio accerſere abbatem, ſed *electione monachorum, cleri ac populi*, ut in veteri membrana legitur, domnum Remigium, ejuſdem loci monachum, prædicto abbati ſuffecit, quem Letbradus priorem inſtituerat. Abbatiam Remigius procuravit ad annum circiter M LXIX. cui ſucceſſit Angelbertus. Remigii tempore Balduinus epiſcopus, Hugonis ſucceſſor, Rodulfi & Leudulfi epiſcoporum donationes monaſterio factas confirmavit, deditque inſuper tria altaria. quod ne eccleſiaſticis regulis videretur contrarium, affert ſententiam ex Toletano [c] concilio nono, in quo permittitur epiſcopo, ut tertiam partem eccleſiaſticarum rerum tam ſibi, quam cui voluerit eccleſiæ conferat. In eadem membrana Achardus decanus ſanctæ Noviomenſis eccleſiæ, divina inſpiratione compunctus, relicto ſæculo, monachus factus dicitur apud ſanctum Eligium, itidemque Guatſelinus canonicus, qui ambo nonnulla ex rebus ſuis monaſterio contulerunt.

c *Conc Tolet. 9. c. 6.*

LV. S. Petri Remenſis abbatiſſæ.

Inſigne ſancti Petri apud Remos cœnobium puellarum regebat hoc anno Odilia abbatiſſa, in cujus gratiam Wido archiepiſcopus altare ſancti Stephani, id eſt parochialis ſancti Stephani eccleſiæ monaſterio vicinæ, ſancto Petro confert *imperſonaliter*, id eſt abſque ulla exactione in mutatione perſonarum ſeu ſacerdotum: ea
» tamen lege, ut, quamdiu viveret, ejus memores eſſent in ſuis precibus ſanctimo-
« niales, & poſt ejus obitum anniverſarium ipſius facerent, convocatis duodecim
» preſbyteris, qui totidem miſſas ipſo die pro eo celebrent, & triginta pauperes re-
» ficiantur. *Actum Remis regnante rege Heinrico anno* VIII. *epiſcopatus domni Widonis anno* II. ubi anni Heinrici regis numerantur ab anno M XXVII. quo, vivente adhuc patre, rex coronatus eſt. Idem Wido agnoſcit *præpoſituram Rotundi monaſterii*, quam ſanctimonialium jus ignorans, cuidam clerico contulerat, non eſſe in manu epiſcopali, *ita ut eam det neque vendat cuiquam mortalium juxta morem ceterarum abbatiarum*, ſed eam pertinere *ad donum abbatiſſæ & laudem congregationis.* Unde cum hanc præpoſituram Wido Hadevino clerico in beneficium conceſſiſſet, *contradicente*, inquit, *hoc mihi abbatiſſa Oidela & ſororibus de eodem loco, a fidelibus meis cur hoc feciſſem commonitus, pœnituit me feciſſe, & ne id ultra ab ullo ſucceſſorum meorum fieri præſumeretur, omnino prohibui.* Quænam ſit hæc *Rotundi monaſterii* præfectura, non omnino liquet. Forte hoc eſt monaſterium ſancti Petri Inferius [d] dictum, quod Guntbertus intra muros urbis exſtruxerat, jam tunc pæne deſertum & in præpoſituram redactum, quod Wido archiepiſcopus in beneficium conceſſerit. Odiliæ ſeu Odiliæ abbatiſſæ obitus notatur IV. kal. Septembris. Huic

d *V. lib. 12. n. 10.*

ſucceſſit Sibylla, quæ poſt annos tres præfecturæ *exemta* ſeu exauctorata dicitur. Hanc excepit Fredeſendis; de qua inferius ſuo loco.

ANN. CHR. 1035.

S. Theoderici abbates.

Tunc temporis regebat ſancti Theoderici prope Remos cœnobium Albertus abbas, Dominici ſucceſſor, qui Dominicus iſtius loci eccleſiam a fundamentis inſtauravit, mortuus XI. kal. Junii, ſepultuſque ſub altari ſanctæ Crucis. Tempore Alberti ejus ſucceſſoris Heinricus rex Novum-caſtrum *, ad Axonam ſitum, obſidione cinxit, & expugnavit. In illa expeditione Albertus multum ſubſidii regiis copiis impendit: cujus rei cauſa rex monaſterium ab advocatione, aliiſque exactionibus liberavit. Regii diplomatis hæc verba ſunt. *Licet omnibus eccleſiis hoc in commune debeamus, ut eis adminiculari & ſubvenire judicemus; illorum tamen neceſſitati propenſius debemus debito & ratione condeſcendere, quos in ſervitio noſtro inſudaſſe, & in fidelitate noſtra contigit vehementius laboraſſe. Notum ſiquidem eſt omnibus pæne regni Gallorum incolis, quantum laborem impenderimus in captione caſtri, quod Novum vocatur. ad quam ſtrenue & viriliter peragendam magnum ſolamen nobis præbuit locus ſancti Bartholomæi,* (patronus primus eſt monaſterii) *Alberto ejus loci tunc temporis abbate diligenter & conſtanter adeo inſiſtente, ut etiam a meis ſæpe monitus eſſem, ut ei bonam vicem redderem, & dignam remunerationem pro merito referrem. qua perſuaſionis inductione meorum provocatus, deliberavi querere, quid prædicto loco & abbati poſſem exhibere pro ſui beneficii & laboris remuneratione. Sed cum comperiſſem ab abbate & habitatoribus loci, advocationem abbatiæ, quam pridem caſtellani tenuerant, ſibi & ſuis fuiſſe infeſtam, eo quod multas injurias publice & privatim per eam perpeſſi fuerant; conſilio & adſtipulatione meorum, jam dictam advocatiam, cum beneficio ad eam pertinente, prædicto omnino conceſſimus loco. Deinde noſtræ ſerenitati ſuggeſſerunt, quod ab archidiacono, qui procurator & proviſor ejuſdem loci ad utilitatem eſſe debuerat, multa ſub obtentu canonicæ inſtitutionis patiebantur adverſa: pro quibus ſæpe apud archiepiſcopum proclamantes, pacem ſecundum quod voluerant, & ſibi neceſſe fuerat, non obtinuerunt. Hac neceſſitate coacti, nobis intimaverunt, quod patiebantur adverſi. Hinc compatiens conqueſtioni, amicabiliter aggreſſus ſum archiepiſcopum cum eccleſiæ ſuæ miniſterialibus, petens, ut quod contra canonum inſtituta & apoſtolicæ ſedis decreta perſpicue injurioſum erat, omnino prætermitteret, & quidquid exigi poterat ab eis. Hoc ubi obtinui, noſtri ſigilli impreſſione, & manibus fidelium noſtrorum corroboratum prædictæ eccleſiæ contulimus, & in conſeſſu epiſcoporum firmavimus, & per eorum excommunicationem corroboravimus, & præſentiæ papæ ad hoc idem faciendum præſentari juſſimus &c.* Eodem tempore ob eamdem cauſam rex obtinuit ab archiepiſcopo Widone, ut villam, Francovillare * dictam, ex integro redderet, quam complures archiepiſcopi per vim occupaverant.

* Neufchaſtel.

* Villers-franqueux.

LVI. Floriaco conceſſa altaria.

Hoc anno, menſe Novembri, Gilduinus Senonenſis archipræſul ſynodum habuit, in qua Azenerius *reverentiſſimus abbas monaſterii ſanctæ Mariæ, ſancti Petri & ſancti Benedicti Floriacenſis* ipſum deprecatus eſt, ut quædam monaſterio ſuo altaria conferret abſque ullo ſervitutis obſequio. Aſſenſit pontifex *cum conſenſu, voluntate, & juſſione domini Heinrici glorioſiſſimi Francorum regis*, exceptis ſynodis & circadis, quæ ſolvi ſolent. quod ut firmum eſſet atque inconvulſum, id in ſynodo ſua publice confirmavit cum conſenſu Heinrici regis, qui ſynodo aderat. Ejus conceſſionis litteris appoſita ſunt ſigna *Heinrici regis, Gilduini Senonenſis archiepiſcopi, Gualfredi patris ejuſdem, Heſcelini epiſcopi*, cujus mentio jam ſuperius [a] facta eſt, *Odolrici epiſcopi* Aurelianenſis, *Balduini cancellarii, Azenerii abbatis* Floriacenſis, *Alberti abbatis* Miciacenſis, *Adraldi abbatis, Ermenaldi abbatis*, Waleranni & Ivonis comitum, & aliorum. *Datum menſe Novembri, anno ab incarnatione Domini* M XXXV. *indictione* III. *anno* VI. * *Enrici regis.* Tunc ſancti Petri Senonenſi monaſterio præerat Ermenoldus abbas hic laudatus, quem Gilduinus multum vexaſſe dicitur. Azenerio Floriacenſi abbati ſucceſſiſſe videtur Theobaldus, qui Vindocinenſis eccleſiæ dedicationi poſt annos quinque interfuit.

a *num.* 42.

* *f.* V.

LVII. Pontlevii monaſterium conditur.

Alter fuit Gelduinus miles, qui hoc tempore apud Pontilevium * opidum, quod veteres tabulæ Pontem-leviatum vocant, monaſterium in honorem beatæ Mariæ virginis exſtruxit. Situs eſt hic locus in agro Bleſenſi, Ligerim inter & Carum nobiles fluvios: ubi Fulco Niger, Andium comes, collatis ſignis Odonem Bleſarum comitem anno M XVI. profligavit. Eidem Fulconi reſtitit Gelduinus miles in obſidione caſtri Salmurenſis, cujus cuſtodia ei ab Odone commiſſa fuerat. De hoc

* Pontlevoy.

ANN. CHR. 1035.

loco intelligenda videtur charta Haganonis & Adjutoris canonicorum, ſancto Martino conferentium manſum ſuum dominicatum in pago Bleſenſi, *in condita Pontilapidenſi*, villa Blidrico, quæ donatio principatu Ludovici Pii facta eſt, ut ſuo loco [a] vidimus. Duæ tunc temporis, id eſt undecimo ſæculo, apud eumdem Pontem-leviatum eccleſiæ erant: una Deiparæ virgini, altera beato Petro ſacra; utramque Gelduinus tenebat. Parochialis erat ſancti Petri eccleſia, cujus altare idem Gelduinus *ſub vicarii* [b] *nomine* poſſidebat. Ambas monachis conceſſit, annuentibus Theoderico epiſcopo Carnutenſi, atque Odone comite, necnon Ermengarde comitiſſa, ſed eo pacto, ut eccleſia ſancti Petri alteri, quæ monaſterii erat, ſubjecta eſſet. *Actum Carnoti* v. *idus Julii, tertio anno Ainrici regis*, adeoque anno præcedente. Anno vero ſubſequente conditæ ſunt aliæ [c] tabulæ, quibus Gelduinus, *vir ſæculari militiæ ſubditus*, & Adenors uxor ejus, atque Gaufredus eorum filius, novum monaſterium ex rebus ſuis dotant *in præſentia domni Ansberti abbatis*, quem ex Salmurenſi cœnobio Gelduinus adduxerat, *monachorumque, qui ibi jam congregati vel congregandi* erant, *militantes ſummo Regi ſecundum regulam ſancti Benedicti piiſſimi patroni*. Huic dotationi libenter *annuit comes Odo, & Ermengardis comitiſſa, filii quoque eorum, Tetbaldus & Stephanus*: ex quorum beneficio Gelduinus hæc tenebat. *Actum anno ab incarnatione Domini* M XXXV. *indictione* III. quo anno *dies dominici paſchæ* III. *kal. Aprilis* erat, *luna ipſius* XVII. *Data in menſe Julio, anno* IV. *Heinrici regis*. Anſbertus abbas Vindocinenſis eccleſiæ dedicationi poſt annos quinque interfuit. Ejus obitus notatur VIII. idus Januarii. Succeſſor ejus Giraldus in vulgatis indicibus notatur. Id ſi ita eſt, tertius abbas fuit Guido, quartus Petrus, de quo alias.

a *V. lib. 28. n. 87.*

b *Gall. chr. to. 4. p. 738.*

c *ibid. p. 737.*

LVIII. Res Catalonenſes.

In Rivipullenſi monaſterio ſepultus eſt [d] hoc anno Berengarius Barcinonenſis comes, qui in bello apud Baltargam Ceritaniæ locum occubuit. Duas habuit uxores, priorem Sanciam, Sancii comitis filiam, ex qua genuit Raimundum, ejus in comitatu Barcinonenſi ſucceſſorem, & Sancium monachum ſancti Pontii Tomerienſis in Gallia Narbonenſi & priorem ſancti Benedicti de Bagiis, haud procul Minoriſſa *; poſteriorem uxorem, nomine Guiſlam, ex qua prodiit Guillelmus comes Minoriſſenſis.

d *Marca Hiſp. p. 438.*

* *Manreſe.*

In Coxanenſi monaſterio habitus eſt hoc anno conventus [e] epiſcoporum, in quo eccleſia ſeu cella ſanctæ Mariæ Inter-medias-aquas * Coxanenſibus aſſerta. Huic conventui interfuiſſe dicuntur Guifredus archiepiſcopus Narbonenſis, & novem epiſcopi, ſcilicet Bernardus Toloſanenſis, Petrus Gerundenſis, Arnaldus Commengenſis, Arnaldus item Magalonenſis, Oliba Alſonenſis, Giffredus Carcaſſonenſis, Bernardus Conſeranenſis, Berengarius Elenenſis, & Bernardus præſul, forte Biterrenſis. His additus eſt *Ugo nuntius domini Nicolai papæ*, qui Ugo ſynodicis litteris cum aliis non ſubſcripſit, ſed mendum vel interpolatio in hunc locum irrepſit: ubi forte legendum *Benedicti*, cujus nomen littera N. compendio expreſſum fuerit. *Datum in cœnobio prænominato, anno incarnationis dominicæ* M XXXV. *æra* M LXXIII. *indictione* III. *ſub die* IX. *kal. Julii, anno* V. *Ainrici regis*. Hujus cellæ ſeu monaſterii ſola baſilica ſupereſt; de cetero nihil præter rudera. In monaſterio vero Coxanenſi, quod adhuc exſtat, humatus eſt Willelmus Biſuldunenſis comes, qui multa eidem monaſterio, nonnulla etiam beatæ Mariæ Urbionenſi ſeu Craſſæ teſtamento [f] legavit anno præcedente. Ad hæc Guifredus Ceritaniæ comes hoc anno varias [g] poſſeſſiones Canigonenſi monaſterio contulit.

e *Diplom. p. 615.*

* *Tremeſaigues.*

f *Marca Hiſp. p. 1058.*

g *Spicil. to. 6. p. 432.*

LIX. Monteſſerrati monaſterium.

Rivipullenſi monaſterio ad noſtra fere tempora ſubjecta fuit Montis-ſerrati beatæ Mariæ eccleſia, olim ſanctæ Cæciliæ [h] dicta, de cujus origine in ſuperioribus [i] egimus. Hæc eccleſia in monaſterium hoc tempore aſſurrexit, in quo duodecim monachi cum priore ſub Rivipullenſi abbate degebant. Monaſterii originem tribuunt cuidam Guarino famoſo anachoretæ, qui in aſperis illis montibus miræ auſteritatis vitam duxit. Hujus famæ ſanctitatis excitus illarum partium comes, filiam ſuam, a dæmone vexatam, eximiæ alias formæ virginem, ad anachoretam adduxiſſe traditur, ut eam a nefario ſpiritu liberaret. Verum impuri dæmonis ſuggeſtu impulſus anachoreta ipſe, puellam vitiaſſe, vitiatam interfeciſſe fertur. Mox facinoris duplicis pœnitens, Romam profectus, a Romano pontifice indulgentiam impetrat: tum ad ſuos montes reverſus, immanem pœnitentiam ſubit, nudus corpore, ac ferinam vitam ducens. Jam ſeptem annos in illo vitæ genere exegerat,

h *lib. 55. n. 32.*

i *Annal. to. 2. lib. 29. n. 75. & ſeq.*

ANN. CHR. 1035.

cum ab eodem comite, cujus filiam corruperat, deprehenſus, tantæque auſteritatis cauſam interrogatus, crimen fatetur, puellæ tumulum oſtendit: quo aperto, ad ejus preces illa revixiſſe dicitur. Mox ex tam inſolito eventu crevit loci religio, & ex collatitia fidelium pecunia erectum ibidem a Rivipullenſi abbate monaſterium, cui Udalardus vicecomes Barcinonenſis præ ceteris, poſt medium ſæculum undecimum, ſe perquam munificum exhibuit: quem Baluzius [a] prædictæ puellæ patrem fuiſſe ſuſpicatur. Hanc hiſtoriam multis accidentibus amplificant recentiores: ſed hæc ſufficiunt ad præmonſtrandam utcumque monaſterii originem, cujus nudam ac ſinceram veritatem aſſequi in tanta rerum obſcuritate non licet. Ceterum ita Guarinus crimina, quæcumque demum illa fuerint, pœnitentiæ ſuæ acerbitate diluit, ut ejus memoria clarior manaverit ad poſteros, ejuſque oſſa cum eximiæ ſanctitatis opinione in Montis-ſerrati eccleſiæ ſacrario aſſerventur. Porro ex eo tempore ſacer locus ille fidelium cultu ſic frequentari cœpit, & miraculis illuſtrari, ut cum celebrioribus locis comparari poſſit. Unde monaſterium ipſum, Rivipullenſium ditioni ſubductum, in liberam abbatiam a Martino V. pontifice erectum eſt, ac juriſdictione quaſi epiſcopali inſignitum, atque in eam demum transfuſa ſanctæ Cæciliæ vetus abbatia, quæ ejuſdem montis jugo impoſita erat, ut alias diximus. Plura de hoc celebri monaſterio alias.

a *V. Marca Hiſp. p. 337. & ſeqq.*

LX. Variacus Conchis datur.

Sub idem tempus Garſindis comitiſſa poſt obitum Bernardi Anduſiæ principis, ſancto Salvatori & ſanctæ Fidei Conchenſis monaſterii, ſiti ad ripam Dordoniæ fluvii, donat, ceditque villam pagi Agathenſis, vocabulo Variacum, una cum eccleſia ſancti Felicis, ceteriſque adjunctis, pro anima genitoris ſui Willelmi, ac « genitricis ſuæ, quam haud nominat, necnon pro anima ſenioris ſui Bernardi, & « filii ſui Raimundi, & pro animabus filiorum ſuorum Guillelmi, Petroni ſeu Petri, « & Bermundi ſuperſtitum, qui tres cum ea hanc ceſſionem faciunt, pro qua Odol- « ricus abbas & monachi ſanctæ Fidis D C. ſolidos dederunt. Actum menſe Auguſto, « feria tertia, regnante Ehenrico rege. Vivebat adhuc anno M XXXIV. Bernardus de « Anduſia, quo anno Stephanus Agathenſis præſul eccleſiam de Palas in honorem Dei & beatæ Mariæ ſanctæque Fidis & ſancti Johannis-Baptiſtæ dedicavit cum conſilio & voluntate domini principis Bernardi de Anduſia, & Gerſindis comitiſſæ ejus uxoris.

LXI. S. Victori factæ quædam donationes.

Non prætereunda hoc loco munificentia Geraldi Siſtaricenſis epiſcopi in ſanctum Victorem Maſſilienſis monaſterii patronum, cui hoc anno eccleſiam ſancti Petri, quæ dicitur *Fontelance*, conceſſit conſilio & voluntate Willelmi-Bertranni Provinciæ comitis, & Berengarii, filii Berengarii majoris, vicecomitis Sigiſtericenſis, ejuſque conjugis Accelenæ. Eidem monaſterio Willelmus, filius Guillelmi Maſſiliæ vicecomitis, ejuſque conjux Adalgarda, cum filiis ſuis, Guillelmo & Fulcone, conferunt ſextam partem villæ, quæ vocatur Greaſcha. Facta donatio hæc anno Domini M XXXV. regnante domino noſtro Jeſu-Chriſto. Hæc minutiora perſequor ob dignitatem eorum, qui prædictas donationes fecerunt. Willelmo-Bertranno filii fuere Willelmus & Godefredus, qui litteris patris, eccleſiam ſancti Primaſii eidem monaſterio reſtituentis, anno M XLIV. ſubſcripſerunt, comites ſeu marchiones Provinciæ. Godefredus ſeu Gaufredus, qui patri ſucceſſit, uxorem habuit Stephaniam, filium Bertrannum, ut ejus litteræ pro ſancto Victore nos docent, datæ anno M LV. Willelmus ejus frater Juvenis cognominatus. De his iterum in conſequentibus.

LXII. S. Ghiſleni corporis delatio.

Inter abbates, quos Poppo abbas variis monaſteriis ſuppeditavit, Heribrandus in Cella ſancti Ghiſleni poſt Simonem, Everhelmus in Alto-monte rectores ab eo inſtituti fuere. Tunc ad magnas rei familiaris anguſtias, ut fit in relaxatione diſciplinæ regularis, ſancti Ghiſleni monaſterium redactum erat. qua neceſſitate compulſi Heribrandus & fratres ejus loci, cum corpore patroni ſui hoc anno Conradum imperatorem adire, ejuſque opem implorare conſtituerunt. Ubi eum adierint, non prodit Rainerus monachus qui id refert: at veri ſimile eſt, Conradum tunc verſatum fuiſſe Triburiæ, ubi hoc anno concilium epiſcoporum habuit. Cellenſium ſpem non fefellit imperator. Illi abunde recreati pro regia munificentia, ad ſua redeunt alacres. Cum ad villam Riuſatium, quæ haud longe a Moſa ſita eſt, perveniſſent, corpuſque ſacrum in ejus loci eccleſia, dum divinum explerent officium, deponere vellent: matricularius eccleſiæ portas occluſit, nec petentibus aperire voluit: at virtus divina reſeravit. Longe humaniores & pientiores fuere ſancti-

ANN. CHR. 1035.

moniales, *quæ in Thorno militabant Deo ſub inſtitutis regularibus*, nunc canonicæ ſæculares. nam magna cum devotione ſacri corporis bajulos excepere : quibus in grati animi ſignum Heribrandus abbas librum de vita ſancti Ghiſleni obtulit, quem illæ gratanter acceperunt, atque ex eo die eumdem ſanctum magna in veneratione habuerunt.

LXIII. Helias abbas a Piligrino archiepiſcopo vexatus.

Tunc temporis Helias Scottus abbas monaſteria ſancti Pantaleonis, & ſancti Martini apud Coloniam recte adminiſtrabat. Hic propter diſtrictam religionem, nimiamque, ut Marianus ipſe Scottus ait, diſciplinam, & propter aliquot Scottos, quos ſecum habebat, Piligrino archiepiſcopo, invidioſis eum inſtigantibus, ingratus & odioſus eſſe cœpit, eoque res proceſſit, ut archiepiſcopus Heliam, & quos ſecum habebat Scottos, inde vellet expellere. Vocatus ejus rei cauſa in regiam aulam Helias, cum rediiſſet, cum ceteris Scottis dixiſſe traditur : Si Chriſtus in nobis peregrinis eſt, numquam vivus Coloniam redeat Piligrinus. quod Deo volente ita contigit anno ſequenti IX. kal. Septembris. Ei ſucceſſit Hermannus, regius capellanus, filius Ezzonis & Mathildis fundatorum monaſterii Brunevillarenſis. Piligrino ad ſex annos ſupervixit Helias, mortuus anno M XLI. teſtante Mariano, ac pro beato habitus, eoque nomine conſignatus faſtis ſacris ad duodecimum Aprilis, ſepultus in monaſterio ſancti Martini, quod Majus vocant.

LXIV. Symeon monachus Sinaïta obit. a *lib.* 56. *n.* 35.

Incidit in hunc annum mors Symeonis monachi Sinaïtæ, & apud Treviros recluſi, de quo plura ſuperius [a] diximus. Mortis ſuæ præſcius, Popponem archiepiſcopum, quem ad loca ſacra proficiſcentem erat comitatus, rogat, ut operarios ad funus ſibi parandum mittat : hic vero locum ſepulturæ ſuæ in cella ſua deſignat. Ante centum amplius, quam decederet, dies, Evervino abbati, qui hæc refert, in ipſius cellam, quæ magna dignatio erat, intromiſſo, mortem ſuam prædixit, rogavitque, ut ſuum ipſius corpuſculum paratis pro more patriæ veſtibus involveret, & oſtenſo locello componeret. Percontanti vero abbati, Quid ſi præſul in æde ſancti Petri, vel in quovis monaſterio vellet eum ſepeliri ? Fac intelligat, inquit, nihil mihi optatius eſſe, quam ut membra mea hic putreſcere ſinat. quibus dictis, Evervinus ex ejus corpore miri odoris fragrantiam ſe ſenſiſſe teſtatur. Denique *in octavis pentecoſtes*, morbo tentatus vir Dei, Stephano miniſtro, qui ei neceſſaria parare conſueverat, huic officio per aliquot dies ſuperſedere præcepit, ut divinis rebus intentius vacaret. Poſt unum diem, tertia feria, ſigno facto, corbem cum pane Stephanus ad veſperam ſuſpendit, ac ſequenti luce panem intactum reperit. Ingreſſus miniſter rogat, quid rei iſtuc eſſet. Et ille : Vade in pace, inquit. Admonitus Gozelo clericus, qui viro Dei præ ceteris familiaris erat, quinta illum feria inviſit, at nullum reſponſum ab eo expreſſit : ſed tamen de manu ejus potum accepit Symeon, ſeque in lectulum recollegit. Reverſus octava die Gozelo, eum in extremis reperit, idque Evervino abbati mox ſignificari curavit. Accurrit ille, & adhuc ſpirantem invenit, eique ſuprema morientium officia cum duobus fratribus, Aſelino ſcilicet ac Roberto, impendit. Denique vir ſanctus hoc anno kalendis Junii Creatori, cui ſemper ſervierat, puriſſimam animam reddidit. Funus ejus, ita ut edixerat, curatum. Ad ejus tumulum per triginta dies adſtitere orantes clerici ; tumque multa populi frequentia cum cereis, aliiſque donariis eo confluxit, ſanctique viri virtutem editis miraculis experta eſt. Symeonis obitum anno præcedenti conſignat ex veteri inſcriptione Browerus. Verum hunc calculum falſum eſſe ex eo conſtat, quod Symeon *in octavis pentecoſtes*, id eſt ipſa die octava, (ſic enim loquuntur veteres) infirmari cœpit ; atque octava poſt hæc die dominica, & quidem kalendis Junii exſpiravit. quæ omnia nonniſi anno M XXXV. conveniunt, quo anno paſcha in triceſimum Martii, pentecoſtes in octavum decimum Maii diem ; octava in viceſimumquintum ; & dominica inſequens in kalendas Junii incidebat. Ceterum non eſt quod quis nobis objiciat, Symeonem nullo fundamento noſtris accenſeri. Etſi enim forte Sinaïtæ monachi necdum noſtri erant, certe Symeon noſtris admodum conjunctus fuit, ſcilicet Richardo Virdunenſi abbati, quem e Palæſtina revertentem in Galliam ſecutus eſt, eique in Virdunenſi monaſterio aliquamdiu convixit, poſtquam ſanctæ Catharinæ monaſterium prope Rotomagum pro noſtris erigendum curaverat. Librum de ejus vita ſcripſit Evervinus abbas juſſu Popponis archiepiſcopi, cui ipſum nuncupavit. Cujus loci hic abbas fuerit, ſancti Martini in urbe, an Theolegienſis, vix definiri poteſt. nam auctores in diverſa trahunt. Illud Theolegio favet, quod

ANN. CHR. 1035.

Symeonis græcum pſalterium illic aſſervatum ſe vidiſſe aſſerit Trithemius, quod vitæ ejus ſcriptor Evervinus a Poppone archiepiſcopo *pro memoriali* acceperat. ejuſque quatuor folia, reliquiarum loco, a Gerardo abbate ſe obtinuiſſe dicit ; conſultius facturus, ſi integrum reliquiſſet, Eodem Poppone curante, Benedictus IX. Symeonem in album ſanctorum retulit.

LXV. Res Germanicæ.

Dum Conradus Goſlariæ, ubi natale Domini celebraverat, verſaretur, Albuino, in philoſophica arte eruditiſſimo, Hersfeldiæ præpoſito, ubi antea ſcholæ magiſter famoſiſſimus fuerat, Magetheburgenſem abbatiam kalendis Januarii commendavit imperator in locum Brunonis, fratris Friderici comitis Nienburgenſis, qui Thietmaro epiſcopo in ſede Verdenſi ſubrogatus fuerat. Ita in chronico Hildensheimenſi. Apud Lambertum monachum hoc anno *Albuwinus præpoſitus Herveldenſis abbas* dicitur *in Nuinburg*. In prædicto chronico & in noſtro Saxonico Opertus Elewangenſium abbas eodem anno obiiſſe traditur, cui Richardus Fuldenſis monachus ſucceſſit. Ad hæc Alberada Molinbechienſis abbatiſſa, machinatione Sigiberti Mindenſis epiſcopi, domnæ Meinſuitæ Wongereſtorpenſi abbatiſſæ, quæ pridie kal. Novembris obierat, tota congregatione reclamante, ſuffecta. Denique Uta ſeu Ota *ſanctæ commemorationis* abbatiſſa Conſungenſis, Chunegundis auguſtæ neptis, obiit XIV. kal. Octobris. Hæc in Saxonia. Accedit, quod Degarenſe ſeu Tegernſenſe in Bajoaria monaſterium v. kal. Martii incenſum fuit ac direptum anno quinto [a] a reſtitutione Ellingeri abbatis, cui hoc incendium tributum eſt. quæ novæ ejus exauctorationis cauſa ſive occaſio fuit. Non multo poſt a Friſingenſi [b] epiſcopo ſuſpenſus, ad Altahenſe monaſterium agendæ pœnitentiæ cauſa mittitur. ubi, cum per tria luſtra ſcribendis libris egregiam navaſſet operam, mortuo Heinrico tertio imperatore, qui ejus depoſitionis auctor exſtiterat, anno M LVI. ad ſuum monaſterium reverſus eſt ſub abbate Seifrido, eodemque anno illic deceſſit.

a *V. lib.* 55. *n.* 24.

b *Hund. to.* 3. *p.* 392.

LXVI. Baſilius abbas Caſinenſis. c *lib.* 55. *n.* 74.

Jam per complures annos Theobaldus Caſinenſis abbas in monaſterio ſancti Liberatoris exſul [c] degebat factione Pandulfi Capuani principis, cum tandem ſenex & plenus dierum III. nonas Junii defunctus ibidem eſt, atque honorifice humatus. Ejus morte comperta, Caſinates abſque nutu [d] principis de ſucceſſore deligendo agere non auſi, juſſa ejus præſtolabantur. Princeps vero Baſilium, Capuani monaſterii præpoſitum, jam dudum Caſini abbatem conſtituere moliebatur ; at id ſine fratrum conſenſu, quantumvis iniquus, exſequi nolebat. Submiſſus illuc Antonius Capuanus monachus, homo non plane rudis, quem etiam Pandulfus ſpe obtinendæ abbatiæ aliquando ineſcaverat. Sic inter utrumque ſuſpenſa per annum fere integrum electio : ſed tandem, quia ſacramento ſe obligare detrectavit Antonius, principis nutu in Baſilium converſa eſt, accitis Capuam primoribus Caſini monachis, qui Baſilio manus dare compulſi ſunt. Tam abnormem electionem ſecutum eſt non minus turpe ſacramentum, ut abbas, ex rebus monaſterii nihil ultra viginti ſolidos per annum retineret. Ita indigne quidem ordinatus, ſed longe indignius ac turpius in uſurpata præfectura ſe geſſit, non ut abbas, ſed tamquam actor & procurator cauſarum principis, in cujus obſequio quinque circiter a ſua ordinatione menſes Capuæ reſedit. Si quando vero Caſinum accedebat, non in inferiori monaſterio, ubi Todinus principis mancipium curiam obtinebat, ſed tantum in ſuperiori demorabatur, ubi non ut abbas, ſed ut extraneus a monachis habebatur. Hic rerum Caſinenſium ſtatus per duos annos, quibus intruſus ille abbatis perſonam & nomen inane geſſit.

d *Chron. Caſin. lib.* 2. *c.* 63. *& ſeq.*

S. Cyriaci monaſterium Romæ.

Romæ hoc tempore monaſterium ſancti martyris Cyriaci & ſancti Nicolai confeſſoris in via Lata regebat *Boniza religioſa ancilla Dei atque coangelica abbatiſſa*, quæ una cum cœtu ancillarum Dei prædia quædam, ſita ad portam Portuenſem, libellatico jure conceſſit Azoni magnifico viro, cognomento de Fulca, ejuſque heredibus uſque in tertium gradum. Actum Benedicti papæ IX. anno tertio, Conradi imperatoris octavo, indict. III. menſe Novembri. Hoc monaſterium, quod medio ſæculo decimo pro ſanctimonialibus noſtri Ordinis conditum fuerat, anno M CCCC XXXV. ab Eugenio IV. exſtinctum fuit, ejuſque reditus eccleſiæ beatæ Mariæ in via Lata tributi. Aliud erat Romæ ſancti Cyriaci puellare monaſterium ad Thermas, quod nunc poſſident Cartuſienſes.

ANN. CHR. 1036. LXVII. Meinwerco episcopo succedit Rotho abbas.

INgredimur annum millesimum tricesimum-sextum, qui Meinwerci Patherbrunnensis episcopi mortalis fuit. Paullo ante obitum Bustorfiani collegii sacram ædem, quam ante biennium inchoaverat, sollemni ritu dedicavit. Id factum VIII. kal. Junii. quo die, inter missarum sollemnia, habito ad populum sermone, dotationis ecclesiæ tabulas [a] recitavit, quibus Sigehardus Patherbrunnensis seu Abdinchofensis abbas, & Wino Helmwardishusanus e nostris cum aliis subscripsere. Post hæc, dum aliud cœnobium virginum, aliamque ecclesiam meditatur piissimus antistes, fatali morbo interceptus, dum ad extrema urgeretur, nonis Junii, in pervigilio pentecostes, in ædem sacram episcopali aulæ proximam se deferri jussit: ubi sacramento corporis & sanguinis Christi Domini refectus, sublatis in cælum manibus exspiravit. Id statim Godehardo Hildensheimensi episcopo, longe licet absenti, divinitus revelatum, qui, dilato sibi parato prandio, sacra pro defuncto mox celebravit. Post, ubi ad prandendum accessit, arrepta utraque manu simila, quæ forte mensæ apposita fuerat: O beate Meinwerce episcope, inquit, quomodo te lata tua simila a morte communi non liberavit! Et ego, subdit, quam diu superstes fuero, de albo pane non gustabo. Mortui corpus, non in Bustorfiana collegiata ecclesia, sed in Abdinchofensi nostra basilica, uti vivens mandaverat, conditum fuit cum veste sacerdotali, quæ post annos trecentos-quadraginta, cum ossa ejus in superiorem chorum transferrentur, integra reperta est, atque hodiedum in illo monasterio asservatur. Eodem quo Meinwercus momento Boso Corbeiænovæ monachus & ædituus, quem, quod sibi restitisset, ad judicium Dei olim appellaverat episcopus, excessisse e vita dicitur, testante anonymo ejus vitæ scriptore. a quo tantisper dissentiunt annales Corbeienses, in quibus hæc leguntur: *Obiit Meinwercus nonis Junii. Eodem die apoplecticus fit Biso ecclesiæ custos letaliter, & altero die post vesperas animam efflavit.* Idem annales Lothewicum monachum, marchionis filium, tunc claruisse testantur. Hæc Meinwerco episcopo, etsi e nostris non fuit, commemoratio debebatur, ob conditum ab ipso Abdinchofense monasterium, quod hactenus in ea urbe perseverat. Subrogatus est in ejus locum Ruodo seu Rotho, aliis Rudolfus, Popponis Stabulensis abbatis discipulus, & ex ejus disciplina abbas Hersfeldensis creatus, ac demum a Conrado imperatore provectus ad episcopalem dignitatem. qui vitæ genus, quod monachus atque abbas coluit, in clero [b] retinuisse dicitur, inter sanctissimos illius ecclesiæ præsules habitus, mortuus anno M LII.

a *Annal. Paderb.*

b *ibid. p.* 538.

LXVIII. Erfordiæ & Altonis monasteria.

Apud Lambertum hoc anno ædificatum traditur monasterium Scottorum in opido Turingiæ Erfordia [c] per Waltherum de *Glisberg*, qui ibidem sepultus est. Eodem tempore monachi Altonis monasterii diœcesis Frisingensis in Altorfianum parthenona, hujusque cœnobii monachæ in Altonis monasterium translatæ. De hac translatione sic loquitur Hermannus. *Sanctimoniales & domina Irmengarda, Welph comitis vidua, apud Altorf pro clericis collectæ sunt*, id est pro monachis amotæ. Non diu in Altorfiano monasterio perstitere monachi, quos Guelfo tertius in Weingartense monasterium ab se conditum traduxit, relicto Altorfiano cœnobio, quod demum in parochialem ecclesiam redactum est. Altonis vero monasterium sub finem sæculi quinti-decimi Birgittanis concessum.

c *V. lib. 61. n.* 53.

LXIX. S. Remigii apud Remos abbates.

Ineunte hoc anno decessit Airardus abbas Remigiani apud Remos archimonasterii, scilicet III. idus Januarii, imperfecta nova basilica, quam ipse inchoaverat, cum annis octo & viginti præfecturam administrasset. Marlotus [d] retulit ejus epitaphium, in quo ecclesiæ speculum, patriæ columen, prudentia, humilitate, ac moribus egregiis præditus fuisse dicitur. Theodericus ejus successor, *deducta a proavis generositate, morum etiam eximia nobilitate* viguit, teste Anselmo ejus loci monacho in libello de Remigianæ basilicæ dedicatione a Leone IX. facta, quam basilicam Theodericus, destructa ob nimiam ædificii molem ea, quæ ab Airardo incœpta fuerat, ædificare aggressus, Herimaro successori perficiendam reliquit.

d *Metrop. Rem. to.* I. *p.* 351.

LXX. Flaviacense monasterium instauratur.

Exstabat apud Bellovacos jam inde a sæculo septimo Flaviacense monasterium, sancti Geremari a conditore postea dictum, quod sæculo nono per Nortmannos, uti & puellare cœnobium, Oratorium nomine, multaque alia circumquaque monasteria, excisum fuerat. Id factum sub tempus Nicolai papæ I. qui utrumque monasterium Belvacensi ecclesiæ attribuit, ea lege, ut juxta modum facultatum illis

ANN. CHR. 1036.

illis locis collatarum instaurarentur, & illic Deo militantium, sive virorum, sive puellarum cœtus necessariis subsidiis adjuvarentur. *Quia nec pium*, inquit pontifex, *nec justum esse cognoscitur, ut ecclesiæ præfatæ ita rebus suis spolientur, & alterius ecclesiæ necessitatibus deserviant, ut earum necessitatibus nulla prorsus cura videatur impendi.* Utrumque nihilo minus monasterium ruinis consepultum jacuit usque ad tempus Drogonis Belvacensis episcopi, qui utrumque instauravit. Tempus restituti Flaviacensis cœnobii colligimus ex regimine Guntherii abbatis a restitutione primi, qui anno M LVIII. idibus Martii vivere desiit, administrationis anno XXII. Hoc monasterium principio Geremarus amplissimis possessionibus dotaverat: at illæ, exciso monasterio, Belvacensi ecclesiæ, ut mox dicebam, una cum sancti Geremari corpore cesserant. Sacri loci solitudinem miseratus piissimus antistes Drogo, eum in pristinum statum restituit, eique portionem avitæ hereditatis in dotem assignavit: at sancti Geremari corpus a canonicis ejus ecclesiæ extorqueri non potuit. Hic est Drogo episcopus, qui sancti Symphoriani abbatiam anno superiori exstruxit, & qui sancti Pauli puellare, ut mox dicturi sumus, cœnobium itidem ædificavit. Primus instaurati Flaviacensis abbas Guntherius cum nova colonia monachorum e Fossatensi agri Parisiensis monasterio assumtus est. Floruit ab eo tempore non modo religione, sed etiam studio litterarum hic locus, in quo præ ceteris eminent Guibertus, postmodum Novigenti abbas; Adelelmus, & Radulfus, cujus in Leviticum commentarii omnibus noti sunt. De his in consequentibus agendum. Postquam ab eversione Danorum restitutum est monasterium, prioris officium illic gessit quidam bonis moribus præditus, Suggerius nomine, a Guiberto [a] laudatus. Huic ex morbo decumbenti diabolus adstitisse dicitur, libroque, quem tenebat, ei oblato: Accipe, ait, lege: hunc tibi mittit Jupiter. Exhorruit ad dirum nomen Suggerius. cui attonito: Diligis, inquit, domum istam? Diligo, ait. Et ille: Scias eam, totius religionis rigore abjecto, propediem omnino dissolutam & inordinatam fore. Impostoris dictum respuit Suggerius: sed ex illa die, postquam hæc retulisset, in amentiam versus est, ita ut vinculis eum constringi necesse esset. tamen paullo ante, quam exspiraret, rediit ad sanam mentem; & confessus peccata decessit. Porro ex eventu patuit impostoris mendacium. *Res enim postmodum ecclesiæ* seu monasterii *bene provecta, huc usque*, inquit Guibertus, *bene provehitur.*

a *Guibert. lib.* I. *de vita sua c.* 19.

LXXI. S. Pauli monasterium apud Bellovacos.

Eumdem instauratorem habuit Oratorium monasterium, sanctæ Angadrismæ virginis quondam secessu insigne, quod Drogo episcopus sub sanctæ Mariæ & sancti Pauli nomine restituit, retento sanctæ Angadrismæ corpore in collegiata sancti Michaëlis ecclesia, olim monachorum, ubi grassante Nortmannorum tempestate depositum fuerat. Oratorii cœnobii reditus & prædia omnia Nicolaus papa primus matri ecclesiæ Belvacensi *in recompensationem Fontaneti monasterii* concesserat eadem lege, qua diximus de Flaviacensi, scilicet ut quam primum redintegraretur, & virgines sacræ denuo ibidem collocarentur. at res imperfecta mansit per annos circiter centum & septuaginta, donec Drogo præsul operi manum admovit, condito a fundamentis insigni monasterio, quod sanctæ Mariæ ad sanctum Paulum vocant. Hujus parthenonis sanctimoniales restitutum volunt eodem in loco monasterium, ubi antea sanctæ Angadrismæ asceterium, Oratorium nomine, steterat, hoc est, vix una leuca ab urbe. at Louvetus censet hoc Oratorium situm fuisse eo in vico, qui tribus fere leucis ab urbe distat, retinetque hactenus Oratorii * nomen. Illud sanctimonialium opinioni favet, quod in libello de vita sanctæ Angadrismæ Oratorium ejus monasterium situm fuisse dicitur *in pago Bellovacensi prope muros urbis Bellovacus*; & quod *templum beatæ Mariæ* ibidem exstitisse dicitur in vita sancti Ebrulfi. At parum interest, quo in loco positum fuerit sanctæ Angadrismæ primitivum monasterium, dum constet, ut certe constat, Drogonis episcopi eam mentem fuisse, ut illud instauraret, sive eodem in loco, ubi primum steterat, sive in alio commodiori; eidemque monasterio, ab se ita instaurato, veteris Oratorii assignavisse possessionum congruam portionem, quas postea tum sanctimoniales, quæ illuc magno numero subinde se se receperunt, tum reges Francorum, Belvacenses episcopi ac dynastæ, aliique fideles plurimum auxerunt. Prima instaurati cœnobii abbatissa fuit Berta nomine, incertum quo ex loco assumta, cujus obitus IV. nonas Januarii notatur: secunda Otilia, cujus tempore Guido epis-

* Oroër.

ANN. CHR. 1036.

copus multa eidem parthenoni contulit, mortua nonis Februarii. Hanc subsecutæ sunt Adelaïs, Mathildis & Emelina, quibus Tasia sæculo insequente successit. Hactenus religione floret nobile istud asceterium, cui subsunt aliquot cellæ, quasi totidem coloniæ numerosi ejus conventus, in quo septuaginta minimum sanctimoniales, choro addictæ, haberi solent. Accuratissima regularis disciplinæ observatio, quæ ab annis centum illic viget, instaurata fuit a Magdalena *de Sourdis*, illustri pietate & genere abbatissa, eamque verbo, & exemplo prosecuta est auxitque non imparis nobilitatis & virtutis ex sorore ejus neptis Magdalena ex Claromontensium-Tornodorensium stirpe, cujus vita, quæ recens typis mandata est, ejus meritum sanctitatis luculenter prodit, nostrique Ordinis abbatissis in exemplum & speculum esse potest. Huic in abbatiali dignitate post abdicationem ab ea factam successit ejusdem ex fratre neptis quasi hereditario jure, quæ transmissam sacri loci regularem disciplinam religiose observat. De hoc parthenone plura in additione [a] ad Yepesium, iterumque de eo in consequentibus sermo recurret.

[a] *Yepes an. 1031.*

LXXII. Albertus abbas Miciaci obit.

Ad hunc annum haud dubie pervenit Albertus, Miciaci prope Aurelianos abbas, qui anno superiore litteris Gilduini archiepiscopi Senonensis pro Floriaco subscripsit, mense Novembri datis. Mortuus est mense Januario. De eo enim intelligendum videtur Gemeticense necrologium XIX. kal. Februarii: *Albertus abbas & levita jacet in choro in parte dextra.* Certe in vetustis Gemeticensium abbatum catalogis nullus per ea tempora invenitur Albertus; & merito locum habere debuit Albertus Miciacensis abbas in necrologio Gemeticensis monasterii, cujus benefactor & monachus olim exstiterat. Ejus sepulcrum hactenus cernitur ad cornu epistolæ, cum hoc epitaphio,

Hic jacet Albertus quondam regalia spernens,
Prudens atque pius, tantum cælestia cernens.
Mundi divitias cum regali ditione
Gemetica primas sprevit pro relligione.
Namque Dei forma monachorum venit amore:
Hic post sub norma pastorum fulsit honore.
Luceat ante Deum, careat magnoque dolore:
Usque modo per eum Domini sunt dona valore.

Negotium facessere potest quod in hoc epitaphio dicitur *hic pastor fulsisse*, nisi *hic* pronominis, non adverbii locum tenere dicatur. Huic in regimine Miciacensi successit Franco abbas, cujus tempore quidam miles, Suavis nomine, Miciacensibus contulit ecclesiam seu cellam sancti Johannis-Baptistæ apud Motam castellum pagi Cenomannensis, a progenitoribus suis, Achardo & Helvisa, constructam: cujus rei litteræ [b] conscriptæ sunt pontificatu Avesgaudi episcopi Cenomannensis, quem prædictus miles cum Gervasio domino suo adiit ad obtinendam immunitatem a synodalibus consuetudinibus, admonitus *a supra dicta inclyta congregationis patre venerando, capitis canitie dealbato, Fulcone nominato.* quod episcopus cum suo clero indulsit, atque Herbertus comes probavit. Franconis successores fuere Rodulfus & Christianus.

Cella sancti Joannis de Mota.

[b] *Analect. to. 3. p. 302.*

LXXIII. S. Sergii monasterii initia, progressus & instauratio.

Hactenus pauca diximus de sancti Sergii monasterio Andecavensi haud ignobili, cujus obscura origo ad sæculi saltem octavi initia referenda est. Testes hac de re Childeberti tertii [c] regiæ litteræ *pro monasterio sancti Sergii & domni Medardi episcopi, in suburbio Andecavis urbis constructo.* quas litteras Theodebertus abbas obtinuit. Ejusdem loci abbatiam sub finem illius sæculi Witboldus [d] abbas Fontanellensis a Carolo Magno adeptus est. Sub hæc Guntardus comes & abbas nominatur in præcepto Caroli regis, scilicet Calvi, de villis [e] Nubiliaco cum capella & Campaniaco ex *abbatia sancti Sergii seu sancti Godeberti confessoris*, episcopi Andecavensis, *cujus corpus ibi requiescit.* Deinceps nulla ejus monasterii mentio usque ad sæculum decimum, quo Alanus *rex Brittaniæ* [f] cathedrali sancti Mauricii ecclesiæ *abbatiam S. Sergii* contulit rogatu Rainonis episcopi, qui & abbas sancti Sergii dicitur. Itaque jam ante id tempus monachis destituta, & fere in solitudinem redacta erat hæc abbatia, dum tandem Rainaldus episcopus, qui Andecavensem ecclesiam ab anno DCCCC LXXIV. ad annum M V. rexit, eam instaurare cœpit, collaborante Huc-

[c] *Annal. to 2. lib. 19. n. 32.*
[d] *ibid lib. 25. n. 76.*
[e] *Gall. Christ. to 4. p. 821.*
[f] *Annal. to. 3. lib. 41. n. 64.*

berto sancti Albini abbate, qui sancti Sergii quoque abbas exstitit. Sed cum opus imperfectum reliquisset, Huebertus episcopus ejus successor illud absolvit Heinrico regnante, eique proprium abbatem, Wlgrinum nomine, e Majori-monasterio assumtum, præfecit. quæ omnia idem præsul litteris suis testatur in hunc modum. ANN. CHR. 1036.

*Ego Huebertus Andecavensium episcopus, notum fore volo cunctis sanctæ Dei ecclesiæ cultoribus, quomodo monasterium sanctorum martyrum Christi Sergii & Bacchi, quod est juris episcopii nostri, & prope civitatem Andecavam situm, restaurare, & ad ordinem monasticum secundum parvitatis meæ vires paulatim instituere laboravi. Fuerat idem locus ante nostræ ætatis tempora, incertum an Nortmannorum incursione, an quibus aliis impedimentis desolantibus, pæne omnino destitutus, & ad miserandam destructionem redactus. Sed hunc sancti loci, & per venerabilem antiquitatem reverendi, casum magnificæ excellentiæ vir, prædecessor noster beatæ memoriæ Rainaldus præsul, non ferens, instaurare cœpit, & monachorum ibi quantulam catervam sub abbate degentium ordinavit. quod piæ voluntatis votum quia ille incœptum magis quam perfectum die exitus sui de corpore superveniente dereliquit, ego ei in cathedram substitutus, in hac quidem parte vestigiis boni patris institi; & locum ipsum per opportuna tempora parvulis largitionibus augmentavi. Sane quia tota facultatum donatio ad monasteria & omnes venerabiles locos ad Dei servitium decentius peragendum tendere debet; inter alias provisiones exteriores, etiam ordinis regularis firmius ibi tenendi non postremam curam habui: pro qua re domnum Albertum venerabilem virum & abbatem Majoris-monasterii Turonensis expetens, ut mihi ex congregatione sua aptam personam abbatis concederet, qui hujusmodi locellum necessaria strenuitate pariter & religione gubernaret. At ille fratrem quemdam, nomine Wlgrinum, elegit, convenientem ad postulationem meam per gratiam Dei. Ipsum ergo abbatem benedicens, & jam futuri ibi regularis ordinis certior factus quam antea, cellulam quoque sancti Maurilii, quam videlicet apud Calonnam *, sedis meæ vicum, ad cœnobium monachorum extuleram, monasterio sancti Sergii & eidem abbati Wlgrino, & omnibus successoribus suis perpetualiter cum universis ad se pertinentibus volui donare & tradere. quod quidem & feci per consilium bonorum virorum fidelium, meorum clericorum pariter & laïcorum. Signum domni Alberti abbatis *. Signum Domni Walterii abbatis *. Signum domni Berengarii thesaurarii, Signum Rainaldi archidiaconi. Signum Goscelini archidiaconi &c. Signum Gosfredi comitis. Ego Huebertus episcopus hoc signum crucis mea manu feci, & hoc præceptum firmavi. Data VI. Martii regnante Heinrico rege, & Gaufrido comite Andecavorum.*

* Chalonne.

* Majoris monasterii.
* S. Albini.

Prædicta sancti Maurilii cella, quam Huebertus episcopus sancto Sergio dedit, sita est in vico Calonna ad confluentem Meduanæ in Ligerim, eo ipso in loco, ubi olim sanctus Maurilius episcopus oratorium exstruxerat: quod vetustate pæne collapsum Raginaldus seu Rainaldus episcopus restituere aggressus est, Huebertus autem ejus successor perfecit ac dotavit, eique villam Martiniacum, ad Ligerim sitam, præter alia attribuit ad subsidium monachorum, quos ibidem instituit. Nunc hæc cella fere ad simplicem prioratum, uti pleræque aliæ, redacta est. Multa eidem monasterio concessa sunt, maxime a Burchardo [a] thesaurario sancti Mauricii, tempore Wlgrini abbatis, qui postmodum Cenomannensium episcopus creatus est. In illo sancti Sergii monasterio tunc monachus erat Moyses quidam, qui ex tempore Budici comitis Namnetensis locum Cameriaci tenuit cum aliis, quæ postea sancto Sergio provenerunt. Ad Wlgrinum abbatem quod attinet, ortus erat ex Vindocini [b] castello, primum quidem miles, dein Majoris-monasterii monachus sub Alberto abbate, cooptatus in sancti Sergii abbatem ab Huebertо episcopo, cujus consanguineus erat.

Calonnæ cella.

[a] *Gall. Chr. to. 2. p. 126.*

[b] *Analect. to. 3. p. 311. & seq.*

LXXIV. S. Albini abbates.

Post Huebertum, sancti Albini apud Andecavos abbatem, locum rexit ab anno M XXVII. Primasius, cui post quatuor ferme vacationis menses Walterius ex-decano successisse [c] hoc anno traditur, electus a fratribus cum assensu Huebertі episcopi & Fulconis comitis, ut patet ex charta [d] electionis, cui monachi amplius quinquaginta subscripserunt. Walterii abbatis jussu libellum de miraculis sancti Albini [e] scripsit anonymus ejus loci cœnobita. Præfecturam tenuit Walterius usque ad annum M LV. quo desinente decessit IV. kal. Januarii. Theodericus ejus successor anno insequente ordinatus est XIX. kal. Februarii, cujus electioni pauci monachi adfuisse dicuntur. Vixdum ordinatus erat, cum gravem in eum contentionem

[c] *Labbe to. 1. p. 276.*
[d] *Spicil. to. 6. p. 436. & seq.*
[e] *Bolland. Martii to. 1. p. 62.*

ANN. CHR. 1036.

excitavit Haimericus vicecomes Toarcensis, qui unum equum centum solidorum, aut centum ipsos solidos *pro abbatis mutatione* [a] *& relevatione* sibi deberi asserebat. Id vero pernegabat Theodericus abbas, ejusque rei causa petiit Toarcium, vicecomitem adiit, *paratus aut calidi ferri judicio, secundum legem monachorum, per suum hominem probare; aut scuto & baculo, secundum legem secularium, defendere.* Duellum prætulit vicecomes; obtulitque abbas hominem sancti Albini, *qui & sacramentum faceret, & sacramento fidem brachio daret.* Verum interceßere comitis optimates, injustam esse consuetudinem opponentes; eisque vicecomes, utpote prudens & bene morigeratus, licet juvenis, acquievit, hanc pugnam in periculum animæ cessuram intelligens. Itaque jure prætenso cessit, modo ut sibi, uxorique suæ ac fratribus, sancti Albini societas concederetur. Abbatiæ tribus tantum annis præfuit Theodericus; cui suffectus Otbrannus abbas, de quo alias.

Duellum ad litem finiendam.

a *Sirm. in Gosfrid. p. 62.*

LXXV. Placitum pro Arulensi monasterio.

Arulensi in Catalonia monasterio cum præesset Bonfilius abbas, una cum Berengario Helenensi episcopo in judicium vocavit quemdam [b] Wadallum coram Willelmo comite Bisuldunensi, ejusque conjuge domna Azaleiza, & filio Bernardo. Litis hæc causa erat, quod femina quædam, Teza nomine, filium suum simul cum hereditate, quæ ei a parentibus jure contingebat, Deo in illo monasterio quondam obtulisset, ut ibi sub regula sancti Benedicti toto vitæ suæ tempore militaret. » quam hereditatem prædictus Wadallus injuste retinebat. Auditis querelis, hanc » Arulensi monasterio adjudicavit comes, tertia parte ipsius hereditatis, quæ secun» dum consuetudinem illius regionis ipsi competebat, eidem loco attributa, eo pacto, » ut ante corpora sanctorum martyrum Abdon & Sennen, quæ illic requiescebant, luminaria jugiter arderent. *Factum est hoc* VIII. *idus Decembris, anno* VI. *regnante Henrico rege.* Idem comes post aliquot dies commutationem [c] quamdam fecit cum prædictis Berengario episcopo & Bonfilio Arulensi abbate. Oliba sacerdos & monachus utrasque litteras scripsit.

b *Marca Hisp. p. 1063.*

c *ibid. p. 1064.*

Wifredus comes monachus.

Hoc ipso anno [d] Wifredus seu Guifredus comes Ceritaniæ fit monachus in cœnobio Canigonensi sub Guillelmo, ejus loci abbate secundo, qui Selvæ ab annis circiter quinque successerat; aut certe sub Mirone, Guillelmi successore. Ibidem piissime decessit Wifredus anno conversionis suæ quinto-decimo, ut suo loco videbimus.

d *Baluz. miscell. to. 2. p. 309.*

LXXVI. Montis-majoris abbates.

Montis-majoris monasterium post Josmarum [e] tunc procurabat Benedictus abbas, morum honestate & integritate præditus, cui duo fratres, Gaufredus atque Bertrannus, Provinciæ comites, hoc anno & sequentibus se munificos exhibuere, quædam monasterio conferendo tam in villa Pertuso, quam apud Manuascam seu Podium-Bosoni in pago Sigisterico, cujus loci castrum monachis donant, multaque alia in variis pagis. Artaldus quoque Gratianopolitanus episcopus Benedicto abbati, quem *virum religiosum & honestum* vocat, rogatu Ismionis principis Roïanensis, confirmat donationem ab ejus avo factam, ut scilicet in toto illo territorio nullus quidquam acquirere posset, præter monachos » Montis-majoris, quod auctoritate Romana firmatum dicit. Benedicti abbatis depositio notatur IV. kal. Decembris. Exstat in veteri codice acrostichon de eo carmen, & de Aginulfo monacho eximio scriptore. Longe dissimilis Benedicto exstitit Eldebertus ejus successor, cui Raimbaldus Arelatensis archiepiscopus præfecturam abrogavit, jam alias ei infestus ob paludes monasterio circumjacentes, quas Lambertus, Raimbaldi avus, ejusdem loci monachis contulerat. Suffectus in Eldeberti locum Rolandus, de quo inferius.

e *V. lib. 54. n. 26.*

Cluniaco facta restitutio.

Hoc ipso anno Willelmus Provinciæ comes & Lucia ejus conjux Cluniacensi monasterio restituunt res quasdam ex hereditate sancti Mayoli, scilicet Diliadam & Septem-fontes, in Regensi episcopatu sitas. *Actum apud Podii-Odolinum monasterium, feria secunda, anno* M XXXVI. *incarnationis, indictione* V. *Chuonone imperante anno* X. Id factum oportuit a kal. Septembris, cum indictio V. inchoari poterat. Podii-Odolinum seu Podolinum monasterium situm est in diœcesi Arausicensi.

LXXVII. Brunonis episcopi charta pro S. Benigno.

Eodem modo indictionem numerat Bruno Tullensis episcopus in diplomate, quo Bertiniacæ-curtis ecclesiæ dedicationem, & donationem quorumdam altarium eidem cellæ ab se factam memorat. Insigne est hoc Brunonis pietatis ac prudentiæ monumentum, a Perardo [f] relatum, cujus hæc fere summa est. Cum paro» chiam sui episcopatus perlustraret piissimus antistes, contigit eum hospitari apud

f *Perard. p. 185.*

AN. CHR. 1036.

Bertiniacam-curtem, cellam abbatiæ S. Benigni Divionensis, ubi tum domnus Halinardus sancti Benigni, & Widricus sancti Apri abbates, *ambo conversatione laudabiles*, ad eum excipiendum convenerant. Cum vero locus ille, ubi monachi religiose vivebant, necdum dedicatus esset, eorum rogatu Bruno ejus oratorium in honorem sancti Benigni consecravit. Meditanti porro episcopo, quid beneficii eidem loco impenderet, suggestum est ut altaria duarum ecclesiarum ei conferret. Sed, ne temere & inconsulto id feciße videretur, rem ad synodum, in sua urbe brevi convocandam, distulit, ac demum in ea exsecutus est, domno abbate Widrico insistente. Synodicis litteris apposita sunt post Brunonem signa domni abbatis Halinardi, Gregorii prædictæ cellæ prioris, Widrici abbatis sancti Apri, Hunaldi abbatis sancti Mansueti, Norberti abbatis Mediani-monasterii, Gibuini primicerii, & aliorum canonicorum. *Acta sunt hæc Tulli in plenaria synodo, habita* VIII. *idus Octobris, luna* XIII. *epacta* I. *concurrente* IV. *bissexto, anno incarnationis dominicæ* M XXXVI. *indictione* V. *anno regni Chuonradi* XIII. *imperii vero* X. Eodem anno Himbertus Parisiorum antistes librum sacramentorum sancto Benigno dono dedit, hactenus asservatum in bibliotheca monasterii, præmissa hac inscriptione: *Anno dominicæ incarnationis millesimo tricesimo-sexto, datus est hic sacramentorum liber sancto martyri Benigno, Divionensis ecclesiæ patrono, ab honorabili Hymberto, Parisiacæ sedis episcopo, petente ejusdem loci provisore atque rectore domno abbate Halinardo. Si quis illi abstulerit quocumque modo, sit perpetuo anathema a judice Deo.* Habetur in eadem bibliotheca codex alter sacramentorum, Heinrico, ut puto, imperatori, sancto an Conradi Salici filio, oblatus a Bernone, qui non alius mihi videtur a Bernone abbate Augiensi, qui *Bern* scribere se amat, ut in sequentibus versibus, eidem codici præfixis.

Libri sacramentorum.

Splendida terrarum lux Heinrich, gloria regum,
Suscipe conscriptum pura quem mente libellum
Ultima servorum Bern fert persona tuorum.
Qui, licet indignus, tibi fidus semper alumnus,
Obsequio pronus, devoto corde benignus,
Dum viget atque valet, sano dum corpore vivit.

LXXVIII. Reginaldi episcopi Leodicensis obitus & successores.

Apud Albericum & Ægidium, Reginaldus Leodicensis præsul hoc anno diem obiisse traditur, in ecclesia monasterii sancti Laurentii ab ipso exstructa sepultus ante majus altare. Eo mortuo, Stephanus ejus loci abbas, quasi patre orbatus, ad magnas angustias redactus est a nobilibus illarum partium viris, qui jura & immunitates monasterii infringere non dubitarunt. Abbas nihilo minus non despondit animum, sed cælitus roboratus & adjutus, ædificia claustri & officinas absolvit. Reginaldo episcopo successit Nithardus ejus nepos, qui, licet juvenis, vix quatuor annis dignitate potitus est. Hic monasterio sancti Laurentii parum se favorabilem præbuit, immo pæne totam auri & argenti supellectilem, quam Reginaldus sancto Laurentio contulerat, abstuliße dicitur. Longe melior fuit ejus successor Wazo seu Watho, qui primum sub Notgero seu Notkero episcopo capellanus, dein ab eodem præfectus scholis, postea decani & præpositi in illa ecclesia officio rite perfunctus est; ac demum ad sedem episcopalem provectus, ubique egregium virtutis ac prudentiæ specimen dedit. Ejus tempore adhuc in Leodicensi ecclesia perseverabat apud canonicos vita communis: cujus rei præclarum argumentum est epistola, quam idem Wazo, adhuc decanus, scripsit ad Johannem [a] illius ecclesiæ præpositum, qui muneris sui potestate abutens, omnia pro arbitrio disponebat, nec se regularis vitæ officiis teneri putabat. Hæc epistola inscripta est *fratri Johanni.* sive hæc inscriptio a Wazone adhibita sit ad reprimendum fastum Johannis, sive is mos tum fuerit, ut illius ecclesiæ canonici se fratres dicerent monachorum exemplo. Laudatur Wazo in rythmis Adelmanni scholastici, post eum scholis præfecti, sub quo, uti & sub Wazone, *Legia, magnarum artium nutricula,* floruisse dicitur. quæ res in primis Notkero episcopo e nostris tribuenda est.

a *Gesta Leod. episc. to. 1. p. 282.*

LXXIX. Perusini monasterii exemtio asserta.

Ad res Italicas quod attinet, hoc anno Andreas Perusinus episcopus in Romana synodo, præsente Benedicto pontifice, confessus est, se nullum jus habere in Perusinum sancti Petri monasterium, & in alia duo, scilicet Salvatoris, & sanctæ

ANN. CHR. 1036.

Mariæ in valle de Ponte ; & , si quod haberet , in manu pontificis id relaxavit, cujus rei tabulas Ughellus [a] refert. Huic actioni interfuerunt cum pontifice episcopi tres, nimirum Dominicus Lavicanensis, Robertus Signensis, & Hugo Assisinensis ; tres abbates, videlicet Hugo Farfensis , Bartholomæus abbas Græcus , & Johannes abbas sancti Montani , aliique Romanæ ecclesiæ clerici. Vix ad suam ecclesiam reversus erat Andreas, cum iterum jus suum in monasterium sancti Petri recuperare tentavit. qua de re Bonizo abbas eum denuo traxit ad papæ judicium, in quo episcopus iterum jure suo cessit in synodali multorum episcoporum concilio, cui etiam sex abbates interfuerunt, Gregorius sancti Sabæ , Titus sancti Pauli, Franciscus sancti Laurentii, Benedictus sancti Petri a Vinculis , Crescentius sancti Silvestri , & Martinus abbas de Farneto. De hac monasterii sancti Petri immunitate jam dudum antea [b] lis orta, & composita fuerat. Qui hic laudatur Hugo Farfensis , hoc anno denuo *reordinatus* dicitur. Mira in illo abbate vicissitudo.

a *Ital. sac. to. 9. p. 920.*

b *lib. 52. n. 30.*

Amiatini cœnobii ecclesiæ consecratæ.

Cum Arialdus Clusinus præsul ecclesias monasterii de monte Amiato consecrare [c] obfirmate renueret , nec Benedicti papæ mandato parere vellet ; pontifex demum ad preces Winizonis abbatis, qui hac de re sæpius apud ipsum conquestus fuerat , Petrum episcopum [d] illuc direxit , qui videret & discerneret, cujus hæc esset culpa ; & , siquidem episcopi essent, Petrus illas ecclesias consecraret. Episcopo in sua pervicacia obfirmato, Petrus ecclesias monasterii hoc anno dedicavit, ut docet inscriptio , quam Ughellus [e] e subterranea ecclesia eruit , in qua hæc dedicatio facta dicitur in honorem Salvatoris & beatæ Mariæ *anno Domini* M XXXVI. *indictione* IV. *tempore beatissimi papæ Benedicti de Tusculo , ex patre Alberico , & invictissimi imperatoris Conradi , & Gunizi abbatis :* cui consecrationi decem & octo, tam episcopi , quam cardinales , interfuisse dicuntur : inter quos fuit patriarcha Aquilegiensis.

c *V. lib. 52. n. 89.*

d *Ital. sac. to. 3. p. 717.*

e *ibid.*

Eodem anno Conradus imperator omnes illius monasterii possessiones diplomate [f] confirmavit , illudque Winizoni abbati regendum commisit , *ut ibidem neglecta Dei obsequia suorum prædecessorum incuria studiose ordinare studeret , & congregationem inibi Deo servientium monachorum regulariter corrigere , & solummodo divinis obsequiis deditis ad sufficientiam largiri.* Verum non diu supervixit Winizo abbas, cujus postremus hic annus fuit, pænultimus vero Arialdi episcopi. Hujus successor Petrus nihilo æquior fuit Amiatinis monachis : at ejus vexationes Leo IX. auctoritate sua [g] repressit, & Theuzoni abbati, Winizonis successori, decimas, baptizandi facultatem, aliaque jura confirmavit.

f *ibid. p. 719.*

g *ibid. p. 722.*

LXXX. Casæ-Marii monasterium conditur.

Cum Johannes abbas, sancti Dominici [h] successor , Sorano monasterio præesset, accesserunt ad eum quatuor clerici Verulanæ ecclesiæ, missi ab aliis eorum sociis, qui ad fundum Casæ-Marii, perfectioris vitæ studio secesserant, atque ab eodem Johanne habitum monasticum acceperunt. Rem narrat ex veteri codice [i] Baronius ; in quo quidam boni clerici e civitate Verulana , animo compuncti , quod nomine dumtaxat clerici, vitam neque canonicam, neque monasticam ducerent ; adjunctis quibusdam laïcis fidelibus ejusdem civitatis, venisse dicuntur ad fundum , qui dicitur Casæ-Marii , in territorio Verulano situm quarto fere milliari ab urbe , ubi templum Martis quondam exstitisse fertur, ibidemque commorari cœpisse, exstructa ecclesia in honorem sanctorum Johannis & Pauli. Non multo post , quatuor ex ipsis , scilicet Benedictus, Johannes, Ursus, & Azzo , omnes presbyteri , adierunt venerabilem virum Johannem abbatem sancti Dominici , ab eoque sanctæ religionis habitum susceperunt. Inde reversi ad socios, unum e suis abbatem elegerunt, scilicet Benedictum , virum religiosum , natum e civitate Verulana ; ibique Christo Domino sub eo servierunt. Cisterciensibus postmodum cessit hoc monasterium, cui Soranum ab Honorio tertio subjectum fuit, tametsi ab eo primitus propagatum.

h *lib. 56. n. 111.*

i *Baron. an. 1030.*

ANN. CHR. 1037.

LXXXI. Conradi iter in Italiam.

TUrbatis in Italia rebus, multisque defectionem molientibus, Conradus exeunte anno illuc profectus, natale Domini Veronæ celebravit. Inde Brixiam , & Cremonam processit, ubi severissimas de conjuratis quæstiones exercuit , decreto edito contra eos, qui injurias Landulfo & Hunaldo earum urbium episcopis intulerant. Eadem Mediolani severitas : cujus civitatis archiepiscopum Herebertum seu Aribertum , sibi suspectum , Papiæ comprehendi jussit , & Popponi Aquilegiensi patriarchæ custodiendum tradidit, uno apud eum relicto sancti Sixti abbate, qui, custodibus multo vino obrutis, eum in libertatem asseruit. Hinc res in pejus

ANN. CHR. 1037.

conversa. Bruno in locum Ariberti suffectus, sed , prodigio interveniente , haud ordinatus : Mediolanum ab imperatore oppugnatum ; suburbia igne injecto violata. Ad hæc Cremonensis, Placentinus, & Vercellensis episcopi majestatis damnati, & in exsilium acti , quos de Odone Campaniæ comite in regnum inducendo consilia clam agitasse, renuntiante socru Herimanni Suevorum ducis , pro comperto habebat imperator.

LXXXII. Odonis comitis cædes.

Certe, dum Conradus Italicis turbis componendis occupatus esset , Odo arma in Lotharingiam movit, & Barrum opidum oppugnare aggressus est, eo animo, ut viam sibi faceret ad Aquisgranum, tamquam regni sedem , invadendum , ubi in nativitate Christi se sessurum præjactaverat , ut in chronico nostro Saxonico legitur. At rei eventus longe aliter, quam speraverat, cecidit. nam Gozelo dux Mosellanensis, quem totius primæ Rætiæ ducem vocat Hugo Flaviniacensis, cum validis copiis in eum profectus , conserto prœlio , cum diu pugnatum fuisset , Odonis exercitum in fugam vertit, quo in conflictu Odo ipse infeliciter occubuit. Hujus corpus lacerum Rogerius Catalaunensis episcopus & Richardus abbas Virdunensis, e mortuorum turba collectum , reddiderunt Ermengardi comitissæ ejus uxori, quæ illud Turonis in Majori-monasterio, cui multa bona Odo contulerat, juxta patrem suum monasterii instauratorem in atrio ecclesiæ sepeliendum curavit. Hæc fuit sors & finis Odonis, cognomento Campanensis, cujus pater cognominis, avus Theobaldus Carnutensis, cognomine Tricator. Mortis ejus dies in necrologio sancti Petri Carnutensis notatur XVII. kal. Decembris. Ejus tres filii in chronico Alberici numerantur : Hugo scilicet archiepiscopus Bituricensis, Theobaldus comes, & Stephanus, alio nomine Heinricus, itidem comes, hic Trecensis, ille Turonensis Blesensis & Carnutensis , qui a Gaufrido Martello in prœlio captus , civitatem Turonicam a majoribus suis acceptam pro lytro concessit. Ambo vero , matris consiliis acquiescentes, locum sancti Lupantii , situm prope castrum Caïnonense , sancto Florentio quondam a Theotbaldo comite donatum, pro patris sui absolutione confirmarunt. Ejus rei litteris apposita sunt signa Alberti abbatis sancti Martini Majoris-monasterii, Richerii abbatis sancti Juliani , & Ansberti abbatis , tum Gelduini de Britolio, Arduini filii ejus, Gelduini de Calvo-monte, Hervei fratris ejus, & aliorum.

LXXXIII. Waleranno comes fit monachus.

In illo Barrensi conflictu multi alii Franci proceres cecidere , in his Manasses comes de Roceïo, Evruinus & Dido , Virduni sepulti. Walerannus vero comes, Gelduini Britolienſis comitis filius, a Godefrido Gozelonis filio graviter vulneratus, vitæ incolumitate petita & accepta, Virduni sub disciplina Richardi abbatis, uti voverat , postea monachum induit. Ubi vero in cœnobitica vita se se ad tempus exercuisset, vitæ remotioris studio secessit primum in locum a Romarici-monte quinque millibus semotum , uno contentus comite , cui dominus ipse sancti Martini exemplo serviebat. Inde ad locum qui Rombecus dicitur , Richardi abbatis antea secessu [a] illustratus , profectus est, eodemque multi, quos similis vitæ anachoreticæ ardor stimulabat, ad eum confluere cœperunt, & ejus disciplinæ se committere : quibus ille normam vivendi secundum morem a sanctis patribus institutum præscripsit. Exacto in hoc vitæ genere quinquennio, adeo sancti propositi ardor non minuebatur , ut potius crescret in dies, nec fratrum aut episcopi litteris revocari potuerit. Sed tandem post mortem Richardi abbatis regimen Virdunensis monasterii subire coactus est , idemque Arremarensem etiam abbatiam rexit.

a *lib. 54. n. 88.*

LXXXIV. Bruno episcopus pacem conciliat.

Multa in illo bello damna passus est Bruno Tullensis episcopus, quem Odo comes a fide Conradi augusti avertere conabatur. Hinc Tullum urbem obsederat , multisque cladibus, dum eam in suam potestatem redigere non valeret, circumpositos incolas affecerat. Eo interfecto, Bruno pacem inter Conradum imperatorem & Francorum regem composuit , adeo firmam & constantem, ut inter eos eorumque filios integra & inviolata constiterit. Hanc pacem Conradum inter ac Rotbertum regem factam ait Wibertus in libro de vita Brunonis : at, si rerum ordinem non perturbavit Wibertus , eam principatu Heinrici regis sanctam fuisse constat. Post hæc Bruno in letalem morbum incidisse traditur , ex quo sancti Blasii meritis, ad cujus altare deferri voluit , subito ita convaluit , ut qui, alieno istuc portatus auxilio fuerat, inde propriis pedibus alacer domum redierit.

LXXXV. Helvidis ejus mater obit.

His Wibertus subdit obitum Helvidis Brunonis matris. Hæc , licet vigiliis , inedia , variaque maceratione corpus suum afflictasset , in tantam nihilo minus cor-

ANN. CHR. 1037.

pulentiam ex humorum abundantia excreverat, ut vix rheda vehi posset. quæ corporis gravitas cum ei intolerabilis esset, sæpe cum multo fletu Deum exoravit, ut ante mortem minueretur. Votis ejus annuit divina benignitas. nam diutini languoris acerbitate sic extenuata fuit & exsiccata, ut ossa sola cute & nervis sibi cohærere viderentur. Cum ad extrema venisset, cunctis rebus, quas poterat, in egenos impensis, *sacra inunctione ac vivifica communionis participatione munita*, diu exanimis & absque ullo vitali flatu jacuit: dein, resumto paullisper spiritu, confusis lugentium vocibus silentio imposito, omnes e cella eliminari jussit, solamque Regelwidem, cœnobii sanctæ Crucis abbatissam, remanere cum proprio marito. ad quos illa, ne se lugerent, ait piissimam Dei-genitricem sibi tunc adfuisse, & de sua salute certiorem fecisse. tum ad maritum: Unum te, ô amantissime conjux, inquit, » obnixe rogo, ut me absque ulla pompa sepeliri cures: &, quidquid ornamenti ad » meam sepulturam expendere forte velles, in usus pauperum erogare ne graveris. Ægre annuit conjux, idque facto complevit. Puellare illud cœnobium sanctæ Crucis, cujus abbatissa erat Regelwidis seu Regelvida, unum erat ex quatuor monasteriis, quæ a Brunonis parentibus seu propinquis condita fuere, *Wofeinheim* appellatum, situm in superiori Alsatia, haud procul ab Egarshemio opido, quatuor vero leucis a Columbaria *, cujus parthenonis sola modo rudera supersunt. Aliud puellare itidem monasterium ab iisdem constructum est, vocabulo Hessa * seu Hissa, itidem in Alsatia prope Sareburgum, hactenus priscum retinens nomen, sed in cellam redactum, abbatiæ Altæ-silvæ * ordinis Cisterciensis subjectam. Duo alia virorum, Altorfense seu sancti Cyriaci, & Lutrense, etiam nunc perstant: ex quibus Lutrense non a Brunonis parentibus, sed ab ejus majoribus, non quidem primitus conditum, sed instauratum fuit, ut alias diximus. Johannes de Bayone Helvidis obitum ad annos decem differt, id est ad annum M XLVII.

Monasteria ab ejus parentibus condita.

* *Colmar.*

* *Hesse.*

* *Hautesceille.*

LXXXVI. Doncheriacum S. Medardo restitutum.

Post infelicem Odonis comitis interitum, ejus filii, Theobaldus & Stephanus, paterni honoris dignitatem tueri & augere cupientes, in Heinricum Francorum regem insurrexere, armis repetituri[a] Doncheriacum villam suæ ditionis, ad Mosam sitam, quam rex sibi vindicaverat, & postea Gozeloni Lotharienſium duci in beneficium concesserat, nulla ratione habita juris sancti Medardi monasterii, cui hæc villa subjecta erat. Ejus rei damnum gravate ferens monasterii abbas Richardus, habito cum suis consilio, regem adire non ausus, in ecclesia sua divina cessare officia jussit, & sanctorum reliquias, (sic tum religio ferebat) humi prostravit. quasi sancti injuriam monasterii injuria sibi facta ultum irent. Vix annus erat, ex quo Gozelo illius villæ possessionem inierat, cum edicto imperiali apud Noviomagum * curiæ adesse jussus est. Dum vero illic resideret, & vigiliis matutinis ea nocte, quæ dominicam cœnam præcessit, in monasterio sancti Servatii interesset; a sanctis monasterii tutelaribus percussus, sanguinem per os & nares effudisse dicitur; divinaque ultione intellecta, mox sanctis Medardo ac Sebastiano suam possessionem restituisse. quo facto, sanctorum reliquiæ proprio loco cum debita veneratione repositæ, & ecclesiæ sacer concentus restitutus est. Post hæc rex Francorum Heinricus monasterium in suam tutelam suscepisse traditur. Richardo abbati successit Rainaldus, in synodo Remensi sub Leone IX. simoniæ insimulatus.

a *Marlot. to. 2. p. 82.*

* *Nimegue.*

LXXXVII. S. Agerici monasterium conditur.

Hoc ipso anno Rambertus seu Rembertus, Virdunensis episcopus, suburbanum monasterium in honorem sancti Martini & sancti Agerici confessorum ædificavit. Eo loci primitus oratorium erat, in honorem sancti Andreæ, ut perhibent, antiquitus exstructum; postea sæculo sexto a sancto Agerico antistite consecratum sancto Martino Turonensi pontifici, ab eoque excultum post Bertfredi cædem a Childeberto rege in majori ecclesia patratam; dein sæculo decimo a Wilfrido episcopo conversum in cellam abbatiæ sancti Pauli suburbanæ; ac demum in monasterium, ut mox dicebam, a Ramberto episcopo erectum. Id factum hoc anno legitur, tum in veteri inscriptione mox referenda, tum in necrologio monasterii ad III. kal. Maii, quo Rambertus decessit, de quo hæc verba. *Anno milleno trigesimo-septimo præsul Rembertus nostram condidit ecclesiam. Ipsi Remberto & Theodorico episcopis debemus quidquid sumus.* & IV. kal. Septembris: *Dedicatio hujus ecclesiæ beati Agerici episcopi.* Hoc monasterium consilio & consensu Conradi imperatoris ædificasse, & Baldricum primum abbatem ei præfecisse memoratur in diplomate Heinrici tertii imperatoris, qui res omnes eidem loco a Ramberto concessas confirmavit anno M XLI.

M XLI. ordinationis suæ XIII. regni vero secundo. Actum Trajecti idibus Februarii, indictione IX. Necdum absolutum erat monasterium, cum Rambertus Jerosolymam proficiscens, Bellægradæ fato functus est anno sequenti M XXXVIII. aliis M XXXIX. pontificatus sui anno XIV. cujus corpus a Bernero & Bernardo clericis Virdunum relatum, in monasterio ab ipso condito honorifice humatum est. Baldricum abbatem, cui cognomen a Petra, una cum octo sociis e Trevirensi sancti Maximini monasterio accersitum fuisse docet vetus inscriptio, in qua etiam annus conditi monasterii, aliaque exprimuntur in hunc modum.

ANN. CHR. 1037.

Præsul Rembertus nostram dum conderet ædem,
Mille & ter denus septimus annus erat.
Abbatem instituit primum, qui nostra gubernet,
Baldricum: huic nomen nobile Petra dedit.
Illustris claustri monachum prope mœnia structi
Urbis Trevericæ, Maximinoque sacri.
Octo cum sociis hanc accersitus in ædem,
Annis bis-denis rexit & auxit eam.
Ad superos tandem felici sorte vocatus:
Encelinus ei nomine sufficitur.

Perstat etiam nunc hoc monasterium sub religiosa congregatione sancti Vitoni, gaudetque abbate regulari. Ramberto successit Richardus, Hildradi comitis, alio nomine Hecelini filius, cujus *nutritor* fuisse traditur Richardus abbas monasterii sancti Vitoni, cui alodum suum, videlicet Baronis-curtem, & quod habebat ad Domnam-Mariam, concessit[a] *pro amore nutritoris sui Richardi abbatis eximii*, quem præcipuo amore dilexit, ac mortuum luxit, paucis diebus ei superstes.

a *Spicil to.12. p. 271.*

LXXXVIII. Flaviniaci abbates.

Apud Divionem Raginaldus comes, Guillelmi comitis filius, ad preces Amadei[b] abbatis, Flaviniacensibus largitur apud Salinam * villam, aream unam cum caldaria, quæ alio nomine bagerna vocatur, ut ibi fiat sal perpetuis eorum usibus profuturus. Actum Divione castro XV. kal. Junii, anno incarnationis dominicæ M XXXVII. appositis signis Raginaldi comitis, Judith comitissæ uxoris ejus, Guillelmi & Hugonis ejus filiorum, Hugonis episcopi Autisiodorensis & comitis Cabilonensis, Theobaldi nepotis ejus, Raginaldi comitis Nivernensis, Hugonis episcopi Lingonensis, Beraldi episcopi Suessionensis, Adizilini abbatis, Barni præpositi ipsius comitis Raginaldi, & aliorum. Nondiu superstes fuit Amadeus Flaviniacensis abbas, qui eodem anno, quo Rambertus episcopus Virdunensis, id est anno sequenti, XIV. kal. Aprilis obiisse dicitur ab Hugone abbate Flaviniacensi. Huic suffectus Aymo, ob simoniæ vitium in synodo Remensi sub Leone IX. exauctoratus. Substitutus in ejus locum Odo, cujus successor alter Odo Corbiniacensis monasterii possessionem suo monasterio asserere conatus est in synodo Exoldunensi, & apud Heinricum regem, qui ejus restitutionem Aganoni Æduorum episcopo demandavit. Verum hic pollicitationibus a Corbiniacensibus victus, regiis mandatis exsequendis supersedit. Odoni successit Raginaldus seu Rainaldus Philippi regis consanguineus, de quo inferius.

* *Salins.*

b *Labbe to.1. bibl. p. 270.*

S. Benigno factæ donationes.

Eodem anno Hugo Chrysopolitanus seu Vesontionensis archipræsul, Halinardi abbatis Divionensis amicus, sancti Benigni monasterio contulit ecclesiam sanctorum Symphoriani & Agathæ martyrum, sitam in burgo Salinis dicto, a suis parentibus constructam, ubi sanctus Anatolius confessor quiescebat. cujus donationis litteras posuit super altare sancti Benigni, die natalis ipsius martyris, ibidem missas celebraturus, *anno ab incarnatione Domini* M XXXVII. *indictione* V. *episcopatus sui anno* VI. Idem archiepiscopus antea episcopali privilegio confirmaverat donationem ecclesiæ sanctæ Mariæ in eodem burgo sitæ, sancto Benigno factam a Rainaldo comite superius laudato, pro requie animæ patris sui Ottonis-Willelmi, accepta non modica pecunia (sic tempora ferebant) a domno Halinardo, dum adhuc prioris gereret officium. Hæc & alia ex actis ejusdem Halinardi, ubi idem Rainaldus ecclesiam apud Vesullum ad cellam exstruendam concessisse dicitur.

LXXXIX. Robertus abbas Gemeticensis.

Mortuo Willelmo Gemeticensi abbate, in locum ejus subrogatus est Rotbertus, eo nomine secundus, ejusdem loci cœnobita, vir alti ingenii[c] consiliique, & apprime lit-

c *Angl. sac to. 1. p. 237.*

teris instructus, qui novam sanctæ Mariæ basilicam a fundamentis exstruxit. Hunc
ANN. CHR. 1037. Alfredus & Edwardus, Cnuti regis ex Emma filii, in Nortmannia exsules agebant ob persecutionem Haroldi nothi, qui regnum Angliæ post mortem Cnuti regis invaserat. In hoc exsilii discrimine ambos fratres fovit Rotbertus abbas: beneficii memor Edwardus, cum in Angliam anno M XLIII. rex coronandus rediret, eum secum abduxit, regiisque consiliis primum adhibuit: adeo ut nihil absque ejus consilio ac nutu ageret, & pro ejus arbitrio quoscumque exaltaret, vel deponeret. Unde factum est, ut, cum Edsius Cantuariensis primas, ob affectam valetudinem, Siwardum Abendoniensem abbatem, qui vicarius ejus erat, coadjutorem sibi adsciscere vellet; rex non acquieverit, sed, amoto Siwardo a vicariatus officio, & in Roffensem episcopatum promoto, vicarii munus Rotberto committi curaverit, teste Willelmo Malmesburiensi. Hoc in munere Emmam reginam, Edwardi regis parentem, pravæ consuetudinis cum Alwino Wintoniensi episcopo, ipsius cognato, & necis Alfredi infamavit: quod Johannes Bromton & alii factum tradunt ab eodem Rotberto jam archiepiscopo Cantuariensi. At prior sententia præferenda: siquidem hæc quæstio agitata videtur initio regni Edwardi, antequam Rotbertus in sedem Londoniensem assumeretur, quod anno M XLV. contigit. Innocentiam suam regina ferri candentis examine probavit, ut superius[a] diximus, quam ob rem Rotbertus in Galliam, id est ad Gemeticense monasterium, reversus est, ubi novæ sanctæ Mariæ ecclesiæ[b] anno M XL. fundamenta jecit: at non multo post Emmæ reginæ & Alwino episcopo reconciliatus, in Angliam denuo trajecit, factusque est episcopus Londoniensis, ac demum post Edsium Cantuariæ primas, qua dignitate non diu potitus est. Sed his interim dilatis, ad res Gallicanas redeamus.

a *num.* 31.

b *Robert. de Monte acc. ad Sigeb.*

X C. S. Marcelli cellæ in pago Valentinensi.

Jam dudum Lambertus Valentinus comes ecclesiam sancti Marcelli de Fellinis Oddoni & Duranno monachis, haud dubie Cluniacensibus, tradiderat pro filiis suis, Ademaro & Lamberto, aliisque propinquis, ut monasterium illic fieret, nullique loco, nisi sancto Petro subjectus esset; & abbas ibidem non eligeretur, *nisi qui regulam sancti Benedicti teneat & custodiat, & ad hoc fratres sibi subditos caritatie compellat.* Postmodum Ademarus comes, Lamberti filius, uxorque ipsius Rotildis, una cum filiis suis, Pontio episcopo Valentinensi, Hugone, Lamberto, Guntardo & Geraldo, quemdam locum, Saltiacum nomine, sancto Marcello martyri itidem nuncupatum, situm in eodem episcopatu & comitatu, a quibusdam abbatibus neglectum, monachis Cluniacensibus contulere *ad possidendum & ordinandum*, pro anima Lamberti comitis aliorumque christianorum, ut societatem & partem orationum servorum Dei, Cluniaci & in locis ei subjectis Christo militantium, habere possent. Pro hac re decem unciæ auri a monachis datæ ab Edraldo monacho, cujus opera hæc donatio Cluniaco facta est. quæ sane magis canonica fuisset, si absque pretio facta esset. Actum anno ab incarnatione Domini M XXXVII. regnante Conone imperatore anno X. id est Conrado, qui proinde in illis partibus pro rege jam agnitus erat.

X C I. Monasteria Farfæ subjecta.

In Italia Petrus abbas a tempore Ottonis tertii & Gregorii V. locum quemdam in comitatu Narniensi apud Tayzanum comparaverat, ibique multo cum labore monasterium exstruxerat, sancto Angelo & sancto Benedicto sacrum. Postea illi visum est, ut hoc monasterium Farfensi cœnobio, cui tum Hugo abbas præerat, subjiceret. Actum Narniæ hoc anno, imperii Chuonradi X. Benedicti summi pontificis noni anno IV. mense Junio, indictione IV. Ipso anno, mensis Augusti die XVIII. Dodo episcopus cuidam Vitali abbati contulit monasterium quoddam sancti Nicolai, situm in loco, qui vocatur Ficus-nigra, ad sanctum Geminum, ut semper sub regula & ordine monasteriali permaneret. Hæc ex archivo Farfensis abbatiæ, cui forte hoc monasterium addictum fuit.

X C II. Immo episcopus Camaldulensibus facit.

Post mortem Tedaldi Aretini episcopi, Immo, qui & Herenfridus, ejus successor, Camaldulenses eremitas, quorum prior erat Petrus, invisit: *quibus visis*, inquit, *multo gaudio repleti fuimus, agentes Deo dignas gratias, pro eo quod tales in nostro episcopatu Christi repperimus servos. Sunt* enim, ut idem præmittit, *viri Deo pleni, igne divinæ contemplationis succensi, spiritu ferventes, Domino servientes. Quapropter nosmetipsos, & cunctum clerum ac populum nostrum, eorum sanctis commisimus orationibus, deprecantes, ut tanto magis apud Omnipotentis misericordiam pro nobis intercessores exsistant, quanto magis per divinam contemplationem Deo appropinquant.*

Quia igitur penna contemplationis ad alta se extollunt, ac per hoc sæcularibus rebus exinanescunt; internis quidem, quæ appetunt, abundantes; externis vero, quæ negligunt, tenues: justissimum est, ut nos, qui utrumque exercemus, ab utroque manipulos ad vitam Christi ferentes, venturo judici occurramus, & quod illis fit ad momentaneum solamen, nobis prosit ad indeficientis vitæ levamen. In primis igitur confirmamus, & in perpetuum corroboramus prædicto confratri nostro domno Petro eremitæ, ejusque successoribus in æternum omnia, quæ bonæ memoriæ domnus Tedaldus episcopus, antecessor noster, eis concessit. quæ omnia singillatim recenset Immo in suo authentico, ex quo hæc retulimus. In fine præcipit, ut singuli trium plebium, quas memorat, coloni singulos sextarios frumenti iisdem eremitis quotannis offerant, quemadmodum Tedaldus antea constituerat. Hoc autem authenticum *communi sigillo sancti Donati* muniri jussit per manus Gerardi primicerii & cancellarii sui anno dominicæ incarnationis M XXXVII. Huic authentico, quod apud Fontem-bonum vidimus, affixum est sigillum, cui impressa est effigies sancti Donati Aretini primi episcopi, cujus se *vicarium* Immo, uti Tedaldus & alii, dicit. Petrus-Dagninus, primus eremi prior, vixit ad annum M LI. quo anno piissime decessit. Suffectus in ejus locum Albizus prior, de quo ac de aliis successoribus, uti & de rebus ad Camaldulenses spectantibus, consulendus Florentinus monachus in historia Camaldulensi.

ANN. CHR. 1037.

ANN. CHR. 1038. X C III. Conradus Casinum adit.

Anno insequenti post millesimum tricesimo-octavo, Conradus imperator a Casinensibus monachis, qui graves a Pandulfo Capuano principe vexationes, ut vidimus, patiebantur, non semel interpellatus, ipsis ut opem ferret, legatis[a] ad Pandulfum missis ipsum ad sarcienda monasterii damna adducere sategit. at, ubi id eum sponte facere nolle intellexit, invitum ad restitutionem compellere decrevit. Ejus rei causa ex urbe Roma, ubi tum versabatur, cum exercitu profectus, Casinum adiit, & primum quidem in inferiori monasterio honorifice, ut par erat, acceptus est. Postridie cum Gisla uxore & nuru sua (hæc Gunildis erat, Cnuti Anglorum regis filia) ad superius monasterium, beato Benedicto & fratrum precibus se commendaturus, ascendit: ubi cum ingenti gratulatione & honorificentia susceptus, factis de more in ecclesia precibus, ad capitulum deductus fuit. Tum vero Casinates in faciem corruunt, mox in pedes erecti inquiunt, se jam dudum ejus conspectum peroptasse, non secus atque justorum animæ, in inferno detentæ, Christi Domini adventum exspectabant. Dein quot incommoda, quot calamitates & vexationes per duodecim fere annos novissimos pertulerint, lugubri modo exponunt imperatori; utque tantis cladibus finem dignaretur imponere, per Deum, patremque Benedictum obtestantur. Ad hæc imperator, se ob hanc unam causam in istas partes accessisse respondit, &, quoad viveret, sacro isti loco adfuturum pollicetur. tum jubet, ut duodecim ex monachis Capuam secum adeant, spondetque eorum consilio, quidquid in rem monasterii fuerit, perfecturum.

a *Chron. Cas. lib. 2. c. 65.*

X C IV. Postea Capuam.

Richerius Casini abbas consecratus.

Imperatoris accessu perterritus Pandulfus, una cum Basilio conductitio suo abbate in arcem sanctæ Agathæ, quam summa arte munierat, se recepit. Interim ipsis vigiliis pentecostes Capuam advenit imperator, & apud Capuam-veterem tentoria figit. Adsunt continuo Casinates, orantes, ut promissa exsequatur; & primum omnium abbatem sibi ab eo dari postulant. At ille: Non est hoc meum, inquit, vos unum e vestris eligite. Ad hæc Casinates se non habere idoneum respondent; opus esse præpotenti quopiam & magni animi viro, qui aptus sit ad propulsandas infectantium injurias. Augustus vero priori sententiæ adhærens: Non ita fiet, inquit, quin immo e congregatione vestra, sicut beati Benedicti regula præcipit, abbatem idoneum vobis eligite. Illi nihilo minus in consilio persistentes, Gisla augusta suffragante, Richerium, Leonensis in agro Brixiensi monasterii abbatem, natione Bajoarium, sibi concedi postulant, ac demum ægre obtinent. Postea imperator Guaimario Salernitano principi Capuanum principatum tradit, Ranulfum Averſæ comitem instituit, atque Athenulfum Capuæ archiepiscopum, quem Pandulfus in custodiam conjecerat, in libertatem asseruit; eisque Richerium abbatem, & universam Casinatis monasterii causam quam maxime commendavit. His actis, Beneventum concessit, indeque per Picenum agrum in Germaniam revertit. Beneventi erat hoc anno nonis Junii, cum ad preces[b] Gislæ conjugis suæ, Heinrici filii, necnon Cadaloi episcopi & cancellarii sui, Richerio abbati præ-

b *ibid. c. 66.*

ANN. CHR. 1038.

ceptum de omnibus Caſinenſis monaſterii poſſeſſionibus fecit, *aureo ſigillo bullatum*. Conſimile privilegium Benedictus nonus [a] indulſit, inſcriptum, *Cariſſimo nobis in Domino Jeſu-Chriſto filio Richerio, venerabili & religioſo abbati a nobis conſecrato*. tametſi jam ante ordinatus abbas erat. quæ verba expendens Angelus a Nuce obſervat, eam eſſe Caſinenſis abbatis prærogativam, ut a Romano pontifice conſecraretur. Unde idem pontifex in eodem privilegio, agens de Richerio abbate: *cujus abbatis conſecrationem*, inquit, *nuper ex dono piiſſimorum Heinrici & Conradi imperatorum ſuſcepimus*. quæ verba Leo nonus in ſuo privilegio repetit. Ad hæc Guaimarius princeps fecit præceptum beato Benedicto *cum aurea bulla* de univerſis monaſterii bonis. Mitto alias chartas donationum eidem Richerio factas, in quibus memorantur cella ſancti Nazarii, quam Nantarus quidam ſacerdos & monachus de Venafro obtulit; monaſterium ſancti Nicolai ſitum ad radicem montis Leucii prope caſtrum Pica; monaſterium ſancti Sabini ibidem, & monaſterium ſancti Euſtaſii de Pantaſia, ſitum prope caſtellum ſancti Juliani. Sedit Richerius abbas annis ſeptemdecim, cujus inſigniora geſta alias perſequemur.

[a] Bullar. Caſin. to. 2. p. 79.

XCV. Johannis Gualberti ſeceſſus Vallumbroſam.

Paullo ante hunc annum Johannes Gualbertus e ſancti Miniatis monaſterio diſceſſit, feceſſitque in Vallem-umbroſam, ubi congregationis ſuæ fundamenta jecit. Certe illic nullam dum habebat eccleſiam hoc anno, cum imperator Conradus una cum uxore ſua Giſla auguſta, & filio ſuo Heinrico rege, ejuſque conjuge Cunihilde, Florentiam acceſſit. quod ubi reſcivit imperator, id ſibi honoris cælitus reſervatum exiſtimans, ut ſanctis illis fratribus ſubveniret; vacante poſt mortem Jacobi diœceſani epiſcopi Feſulana eccleſia, Rodulfum Patherbrunnenſem præſulem, quem alii Rothonem vocant, Vallumbroſam conſecrandi oratorii cauſa miſit. Hæc dedicatio facta eſt in honorem ſanctæ Mariæ, ſancti Michaëlis, ſanctorum apoſtolorum Bartholomæi & Thomæ, ſancti Stephani martyris & pontificis, ſancti Benedicti abbatis & ſancti Nicolai confeſſoris. quæ omnia diſcimus ex litteris [b] Ittæ abbatiſſæ ſancti Hillari *, quæ locum Vallis-umbroſæ ſanctis illis ſolitariis ad conſtruendum monaſterium liberaliter conceſſit. Ex iiſdem litteris innoteſcit cauſa, ob quam Johannes cum ſociis e ſuo monaſterio receſſit, nempe ſolitudinis amor, & ſtudium vitandæ populi frequentiæ, qui ad ſancti Miniatis monaſterium confluebat. ſic enim Itta in prædictis litteris loquitur, ubi quædam præmiſit de viris ſanctis, qui ad pie ſancteque vivendum omnia relinquunt. *De quorum collegio*, inquit, *quoſdam viros de ſancti Miniatis monaſterio, quos vobis bene notos eſſe credimus, in eremo, quæ Vallis-umbroſa vocatur, ſicut vos ſcitis, ſuſcepimus, in loco, qui dicitur Aqua-bella, in proprietatem ſcilicet noſtri monaſterii, quod eſt in honore ſancti Hillari, ſito Alfiano: qui meliorandæ vitæ gratia cœnobium, quod multa populoſitate frequentabatur, relinquentes, in loco ſolitario vitam ſanctam actitare maluerunt*. Ex quibus confirmatur id, quod ſuperius diximus, Johannis cauſam ſeceſſus non fuiſſe, ut ſimoniacos vitaret, [c] Florentinum epiſcopum Petrum, & Umbertum abbatem ſuum, quod Attoni vitæ ejus ſcriptori viſum eſt: ſed ut frequentiam populi effugeret, & remotioris vitæ genus ſectaretur. Sane Petrus epiſcopus ſimoniacus quidem fuit: ſed annis amplius viginti poſt Johannis ſeceſſum ſedere cœpit, eumque redarguit Johannes poſt inſtitutam Vallumbroſanam congregationem.

[b] Ital. ſac. to. 3. p. 299. * S. Ellero.

[c] Supra n. 25.

Antequam Vallumbroſam ſe reciperet Johannes, Camaldulum profectus eſt, ſanctam illic habitantium converſationem exploraturus. Erat adhuc ejus loci prior Petrus, qui ſanctos illos hoſpites in ſuam ſocietatem adoptare tentavit. Verum, cum eorum de præferenda cœnobitica vita propoſitum intellexiſſet, eos ad illud perſequendum adhortatus eſt. Inde Johannes cum ſociis Vallumbroſam acceſſit, quæ medio fere itinere Camaldulum inter & Florentiam poſita eſt. Illic nuper conſederat, ut jam dixi, cum Florentiam venit Conradus imperator, teſtante in prædictis litteris Itta abbatiſſa. *Morati ſunt ſiquidem*, inquit, Johannes ſcilicet ac ſocii ejus, *in prædicta eremo abſque eccleſia, ſed tamen cum vita ſancta, per dies aliquot. Inter ea exigentibus cauſis quam maximis, voluntate Dei contigit, ut divus Chuonradus imperator auguſtus, cum ſua uxore domna Ghiſla diva auguſta, & filio ſuo domno Heinrico rege glorioſiſſimo & conjuge ſua, Florentiam deveniret. unde factum eſt, ut fama, quæ jam populos repleverat, uſque ad ipſas aures perveniret imperatorias. qui cum omnis illorum converſationis ordinem dignatus eſſet diligenter inquirere, inter cetera nuntiatum eſt, illos eccleſiam non habere. quod audiens, intellexit ſibi à*



Tom. 4. Annal. Bened. ad p. 421.

Deo reſervatum fore *, *in quo fratrum neceſſitati non minimæ ad divinum honorem ſubvenire debuiſſet. ad quos dirigens Rodulfum Pavibronenſem dignum Deo præſulem, quia Feſulani, Jacobo exſtincto, nondum habebant conſecratum præſulem, in honore ſanctæ Mariæ... conſecrari ibi oratorium fecit.* Hactenus Itta in ſuis litteris, cujus authenticum in Vallumbroſano archivo vidimus. Itta vero hunc locum Johanni conceſſit ea lege, ut ejus loci abbas vel præpoſitus ad altare ſancti Hillari (ita conſtanter ſcribitur) ceræ libram unam, & olei libram alteram ad luminaria concinnanda quotannis per ſe vel per ſuum miſſum afferret. *Data anno dominicæ incarnationis triceſimo-nono poſt mille, & anno imperii domni Chuonradi imperatoris auguſti tertio-decimo*, v. *nonas Julii*, *indictione* VII. *Acta Florentiæ.* quo quidem tempore jam mortuus erat Conradus, ſcilicet die quarta Junii ejus anni: ſed mortis ejus nuntius necdum Florentiam pervenerat. Quinam fuerint Johannis in illo ſeceſſu ſocii, non prodit Atto, tantum commemorans eos, qui poſtea illi apud Vallumbroſam adjuncti fuere: ubi quale vivendi genus inſtituerit Johannes, in conſequentibus exponemus. Ad Ittæ monaſterium quod attinet, exciſum fuit ſæculo XIII. juſſu Alexandri IV. ejuſque reditus Vallumbroſanis attributi, ſanctimonialibus ob vitæ ſolutioris licentiam in varia monaſteria diſſipatis. Non ab re erit hoc loco exhibere iconem Vallumbroſani monaſterii, quod olim magna cum animi voluptate inviſimus.

ANN. CHR. 1038.

* i. eſſe.

XCVI. Conradi diploma pro Florentina abbatia.

Antequam alpes pertranſiſſet imperator, Vidalianæ cum eſſet, res quaſdam Florentino beatæ Mariæ cœnobio conceſſit x. kal. Auguſti *pro orationibus Theuzonis, ceterorumque fratrum ibi commorantium adipiſcendis.* Hic eſt Teuzo monachus, cujus commentarium in regulam ſancti Benedicti legimus in bibliotheca illius monaſterii, cum prævia epiſtola ad Odelricum epiſcopum, quod commentarium non ſuo marte, ſed *ex alienis laboribus* ab ſe compoſitum fuiſſe dicit. Odelricus iſte videtur eſſe ejus nominis epiſcopus Firmanus, ad quem Petrus Damiani epiſtolam [a] ſcribit de eccleſia tuenda, non armis, ſed precibus. Ad Teuzonem quod attinet, non videtur fuiſſe tunc abbas Florentini monaſterii, cujus abbatem Petrum laudat Conradus in præcepto [b] ſuo, quo ejus loci jura & poſſeſſiones confirmat anno M XXX. Si idem eſt Petrus Florentini cœnobii abbas, cui Petrus epiſcopus [c] eccleſiam ſancti Proculi anno M LXIV. contulit, vix ullus relinquitur locus Maurilio Fiſcamnenſi monacho, qui cum Gerberto monacho in Italiam profectus, ubi eremeticam aliquamdiu vitam ſectatus eſt, & poſtea Florentinæ beatæ Mariæ abbatiæ præfectus fuiſſe dicitur, ſed inde diſcedere coactus ob monachorum intractabiles mores, qui ejus vitæ perniciem, præbito letali poculo, ſi vera narrant hiſtorici, afferre voluerant. Redeo ad Teuzonem, qui idem eſt ac Teuzo monachus, e monaſterio ſuo ad eremum poſtea egreſſus, cui Petrus Damiani opuſculum LI. direxit, nimirum ut deſineret de ſingularitate tumeſcere, & juniorum fratrum offenſas æquanimiter tolerare diſceret. An vero alius ſit Teuzo abbas [d] monaſterii de monte Amiato, cui Leo IX. privilegium indulſit, non facile dixerim.

Teuzo monachus.

a *Petr. Dam. lib. 4. ep. 9.*

b *Bullar. Caſin. to. 2. p. 78.*

c *Ital. ſac. to. 3. p. 97.*

d *Ital. ſacr. to. 3. p. 721.*

XCVII. Boïanum monaſterium, & S. Stephani de Marmorato.

Florentinæ abbatiæ modo unitum eſt Boïanum, vulgo Boggianum monaſterium ſanctæ Mariæ, ſanctique Michaëlis & ſancti Petri, quod Siſemundus & Guido [e] fratres, filii bonæ memoriæ Sigiſmundi, prope caſtrum ſuum Boïanum conſtruxerunt in Piſcienſi territorio, ditionis Florentinæ, illudque liberaliter dotarunt, eo pacto, ut *ordo ſancti Benedicti* ſemper ibidem a monachis ſervetur. Primus ejus loci abbas fuit Johannes: ſucceſſores vero nominandi, ordinandi & confirmandi poteſtatem, cum conſilio fratrum, ſibi reſervarunt monaſterii conditores.

e *Ital. ſac. to. 9. p. 1001.*

Ad hunc annum referenda eſt charta [f] Honeſti diaconi Ravennatis, qui monaſterium ſancti Stephani de Marmorato territorii Ravennatis confert, unitque monaſterio beatæ Mariæ de Palatiolo, quod modo cœnobio ſancti Vitalis ejuſdem urbis unitum eſt. Hæc traditio facta eſt apprehenſo cornu altaris a Petro preſbytero & monacho atque præpoſito ſanctæ Mariæ in Palatiolo.

f *Bull. Caſin. to. 2. p. 80.*

XCVIII. Chunegundis auguſta obit.

Nondum Conradus alpes emenſus erat, cum Chunegundis auguſta, Heinrici pii conjux, anno quinto-decimo, ex quo poſt mariti obitum in Confugienſi parthenone monaſticum habitum induerat, ad cæleſte regnum felicius coronanda migravit. Cum regales ei pro ſua dignitate pararentur exſequiæ, & aurea feretro obtendenda velamina pararentur; jam pæne exanimis, manu abnuere; & reſumto ſpiritu: Amictus iſte, ait, non eſt meus. auferte hinc: ornatus hic alienus eſt. «

AN. CHR. 1038.

„ Nuda de utero matris meæ egressa, nuda revertar illuc. His pannis (vestem mo-
„ nasticam haud dubio ostendens) vilem miseræ carnis materiam involvite; & cor-
„ pusculum meum juxta tumulum fratris ac domini mei Heinrici imperatoris, quem
„ me jam vocantem video, in proprio locello reponite. His dictis, ubi spiritum suum
in manus Domini commendasset, ejus anima ad suum revolavit auctorem. Corpus ejus Babenbergam deportatum, in ecclesia beati Petri conditum est. De die & anno ejus obitus variant auctores. Præfero sententiam Hermanni & Mariani Scotti, æqualium scriptorum, qui hoc anno eum reponunt. Diem XVII. kal. Augusti Hermannus; XV. easdem kalendas notat chronographus Saxo, Marianus V. nonas Martii. De loco sepulturæ variant quoque auctores. Marianus Spiræ, Hermannus in castro Linaburgo sepultam dicit, vitæ scriptor anonymus Babenbergæ. quæ sententia videtur præferenda. Hic auctor vixit tempore canonizationis sanctæ Chunegundis, ab Innocentio III. factæ: nisi quis recentior hanc vitæ particulam cum miraculis adjecit. Ceterum Confugiense monasterium, quod sancta Chunegundis exstruxerat, dotaveratque, perstitit usque ad annum M D XXXI. quo tempore sub Lantgravio Hassiæ Philippo sanctimoniales proscriptæ, & catholica religio illic penitus abolita fuit.

XCIX. Stephani regis extrema facta & obitus. a *Chron. Casin. lib. 2, c. 78.*

Hoc ipso anno Stephanus, Hungarorum rex piissimus, itidem ad cæleste regnum migravit XVIII. kal. Septembris, quem multis post mortem virtutibus claruisse tradit Leo [a] Marsicanus, sed gentis suæ conversione non minus clarum fuisse constat. Hic paullo ante obitum, auream crucem Casinum sancto patri Benedicto dono misit, eodem Leone testante, multisque precibus Richerium abbatem efflagitavit, ut aliquot sacri illius loci fratres ad ordinandum in Hungaria monasterium, tametsi jam alia illic nostri Ordinis monasteria erant, mittere ne gravaretur. Tanti principis votis obsequens abbas, duos e primoribus Casini fratribus misit, at illi eo appulsi jam defunctum regem invenerunt. Hos tamen Petrus, ejus ex sorore nepos, regnique successor, non Salomon ejus filius, ut Leo putavit, perquam honorifice recepit, variisque donis affectos Casinum remisit. Ceterum Gisla seu Gisala, Stephani piissima conjux, sancti Heinrici imperatoris soror, quæ maritum ad fidem traxerat, Patavii * in Niderburgensi Bajoariæ parthenone [b] monasticum habitum induisse dicitur, ibique abbatissæ officium gessisse post Heilkam, amitam sancti Heinrici imperatoris, illudque monasterium præclare administrasse, illustrasse & auxisse: at quod anno M XCV. obiisse dicitur, ultra fidem est. alias plusquam centenaria fuisset. In ejusdem monasterii ecclesia sepultus traditur Gregorius episcopus, qui ex oriente, id est ex Hungaria, ubi eremiticam vitam duxisse dicitur, in urbem Patavium, forte cum Gisala regina, se recepit. Suspicor hunc esse Gregorium Romualdi discipulum, qui *archiepiscopus in gentibus factus est*. His adjungenda Cunihildis regina, conjunx Heinrici regis, filii Conradi imperatoris, quæ in reditu ex Italia cum multis aliis, quos pestilentia invasit, XVII. kal. Augusti defuncta perhibetur ab Hermanno, & ad castrum *Linaburg* seu Lintburg translata, ibique sepulta est, haud dubie in monasterio, quod eo loci Conradus imperator exstruxerat. Ex quibus refelluntur Johannes Bromton [c] & alii, qui eam a marito divortium fecisse, & in monasterio sanctimonialis velum accepisse scribunt.

Gisla & Cunihildis reginæ an monachæ. * *Passavv.* b *Metrop. Salisb. to. 2. p. 585.*

c *Script. X. p. 933.*

C. Godehardus episcopus obit.

Eodem tempore sanctus præsul Hildensheimensis Godehardus, terris exemtus, cælos petivit. Exactis quadragesimæ diebus, vix cohærentibus nervis, ad sanctum pascha ubi pervenit, sollemnes nihilo secius stationes obivit. Post albas plebes ultimo visitaturus, cum nepote suo Ratmundo Altahensi abbate primum ad locum *Enstad* dictum profectus, præ languore decumbere coactus est. Hoc comperto, præpositus & decanus cum ecclesiæ suæ primoribus ad eum invisendum conveniunt. quibus ille, obitus sui die prædicto, funeris & exsequiarum ac sepulturæ suæ ordinem præscripsit; sicque stupentes dimisit. Inde, ingravescente febre, *Holthusen* venit, ubi Sophia Gandersheimensis abbatissa, quæ tot ei, ejusque decessoribus molestias de sui monasterii subjectione facessiverat, debitam ei satisfactionem promisit. At ille hujus causæ examen ad festivitatem sanctæ Mariæ differendum
„ dixit. Verita Sophia, ne ante dictam diem moreretur: Utinam, inquit, illa dies nos
„ ambos sospites & incolumes inveniat! Ad hæc præsul: In potestate Dei vita no-
„ stra, exitusque consistit: at, quidquid demum evenerit, certe simul coram veraci
„ Judice in festivitate sanctæ Mariæ de hac quæstione disceptabimus. quibus dictis,

AN. CHR. 1038.

compressis oculis conticuit. Verborum sensum subintellexit Sophia, & se brevi morituram formidavit. quod re ipsa contigit in festo purificationis beatæ Mariæ subsequente. Transacta hebdomada, cum vires prorsus deficerent, a Ratmundo abbate, ceterisque ejus loci fratribus, sacro oleo perungitur, indeque in ecclesiam montis sancti Mauricii transvehitur: ubi, media nocte matutinali officio peracto, cum ad canticum Zachariæ perventum esset, vir Dei in extremo agone, clero cantante, *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent*, ille subdidit, *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*. dumque antiphona, *Ascendo ad patrem meum* repeteretur, ab adstantibus e lecto levatus, animam ad cælos emisit. Corpus ejus primum ad monasterium sancti Michaëlis, uti prædixerat, delatum; inde ad sanctum Andream, ac demum ad principem ecclesiam, ubi cum debita veneratione conditum est. Librum de ejus vita Wolferus, ejus æqualis ac discipulus, composuit jussu maxime Athelberti abbatis Altahensis, eumque Albuino præceptori suo, haud dubie Altahensi monacho, nuncupavit. Ad illud opus scribendum ob id maxime impulsus est, quod adolescentiæ suæ tempore inter Herveldense & Altahense monasteria, quibus Godehardus præfuerat, sæpius discurrisset, ejusque gesta resciisset, maxime cum *Altahæ studii causa exsularet*. Ex quo intelligitur, Wolferum ejus loci monachum non fuisse, immo canonicum, tametsi Athelbertum abbatem *nostrum* vocat. Illud argumento est, quod ad Guntheri eremitæ monasterium profectus auctor, ait, illi concionanti assedisse Ratmundum Altahensem abbatem, cum pluribus sui cœnobii fratribus, aliisque multis hospitibus, *præter nos*, inquit, *quos in canonico habitu illuc ingredi religio vetuit*. Sunt qui hunc librum tribuant Arnoldo, cujus nomine prævia epistola Menghardo inscripta in quibusdam codicibus legitur. an Meinhardo ejus temporis Babenbergensi magistro, quem Gozechinus scholasticus laudat, alii judicent. Godehardum in sanctorum numerum retulit Innocentius II. in concilio Remensi. Ejus in sede Hildensheimensi successor Thietmarus, regius capellanus, a Bardone metropolitano XIII. kal. Septembris Lauresheimii consecratus est.

Germanici quidam scriptores.

Trithemius hoc anno collocat obitum Goscheri monachi & scholastici sancti Mathiæ Trevirensis; eique in scholarum præfectura substituit Lampertum monachum, cognomento de Legia, vulgo de Petra, qui scholis annis XXIX. præfuisse dicitur. Utriusque scripta idem Trithemius commemorat, uti & Erhardi monachi, quem Hirsaugiensi scholæ tunc præfectum fuisse testatur.

CI. Cantuariæ archiepiscopi.

Decessit etiam hoc anno Egelnothus Cantuariæ archiepiscopus IV. kal. Novembris, qui Cantuarienses ecclesiæ Christi monachos ad meliorem frugem reduxerat. Hic Cnuto regi familiaris & acceptissimus fuit, cujus opera usus est ad deferenda Carnutas dona beatæ Mariæ, de quibus Fulbertus episcopus scripta epistola regi gratias egit. Egelnotho successit Eadsinus seu Edsius, tunc Wintonienses præsul, regis Haroldi capellanus, qui post ejus mortem Edwardum regem sacravit. Huic ob affectam ætatem Siwardus vicarius datus, & post eum Rotbertus Gemeticensis abbas, qui eidem in Cantuariensi cathedra successit.

CII. Hugo fit Cluniaci monachus.

Hic annus, vel certe insequens, Cluniacensi monasterio faustissimus fuit ob ingressum Hugonis nobilissimi adolescentis in sacrum illud asceterium, cujus abbas futurus erat eximius post sanctum Odilonem, a quo admissus est. Tempus ex eo colligimus, quod monachus factus sit, testante Hugone monacho in ejus vita, anno ætatis quinto-decimo, vicesimo-quinto abbas sacratus; octogesimo-quinto, in chronico octogesimo-sexto defunctus III. kal. Maii anno Verbi incarnati M C VIIII. Hic illustri Burgundionum genere apud Æduos natus est, patre Dalmatio Sinemuri * in pago Brienensi domino, matre Aremburgi, quæ de futura ejus sacerdotii dignitate ex ore cujusdam religiosi sacerdotis, qui pro concepta prole sacrificium obtulerat, oraculum accepit. Hinc diversa parentum circa ejus educationem studia: cum pater eum sæculari militiæ, mater litteris & aris puerum devovere optaret. Contentionem diremit puellus, qui nequaquam ad sæcularem militiam, sed totus jam ad Christum & natura trahebatur, & gratia. Jam tunc enim verbum Dei tenaci commendabat memoriæ, frequens ecclesiæ visitator, sed furtivus. at veritus ingenuus puer, ne pater suus teneræ ætatis primitias inertiæ & otio assignare compelleret, ab eo vix facultatem extorsit proficiscendi Cabilonem ad Hugonem Autisiodorensem episcopum & Cabilonensem comitem, cujus ipse pronepos

* *Semur en Brienois.*

ANN. CHR. 1038.

erat : ubi litterarum prima elementa didicit, quibus ad divinarum scripturarum arcana introduceretur. Ex earum lectione sæculum relinquere, & Christum sequi constituit. Nec mora, patre nesciente, Cluniacum venit, & Odiloni abbati animi sui propositum patefecit. Dehinc ex more capitulum ingressus, petitionem in conventu fecit : tumque unus e fratribus, divino, ut creditur, afflatus spiritu, felicem Cluniacum proclamavit, qui talem tantumque thesaurum accepisset. Mutata mox cum habitu vita, monastici ordinis principes virtutes, humilitatem & obedientiam, sibi in primis sectandas proposuit : quarum præsidio sine querela tulit quidquid difficultatis ipsi occurrit. Non contentus communi monasticarum regularum observantia, multa solitis jejuniis, vigiliis ac precibus superaddidit. Nullum in ejus animo locum arrogantia vel ambitio, nullum voluptas invenit. Ex habitu quoque monachi tanta ei accessit gratia, ut ipsius pater, qui ejus propositum ægre tulerat, eum solito pulcriorem diceret. Tot tantæque in adolescente virtutes Odilonem perpulere, ut eum ex consensu fratrum priorem constitueret. Haud scio an is sit, cui Hugo Chrysopolitanus seu Vesontionensis archiepiscopus confirmat ecclesias, quas Laudonensi ecclesiæ, a se constructæ & amplificatæ, uniri postulaverat. Archiepiscopi litteræ, *Hugoni honesto religioso & clerico* hoc anno Bisuntii datæ, habentur in chartaceo codice sancti Odilonis. Non confundendum Sinemurum pagi Brienensis, ubi Hugo natus est, cum Sinemuro in pago Alesiensi ad fluvium Armentionem : cum aliud situm sit ad Verbincam * amnem, qui in Ligerim influit supra Marciniacum puellare monasterium, quod Hugo ipse in fundo paterno ædificavit.

* *La Verbinche*

CIII. Cellæ Trecensis abbas Bernardus.

Post mortem Odonis comitis, quam anno superiori contigisse diximus, Trecense sancti Petri monasterium, cui Cella-Bobini seu Bovonis nomen erat, pastore orbatum est, mortuo scilicet Warino abbate, qui antea locum illum regebat. Mox fratres ad eligendum novum abbatem convenerunt, elegeruntque Bernardum monachum, morum probitate ornatum. Hæc electio facta est consilio atque auctoritate Alberti Majoris-monasterii abbatis, qui ab Odone comite ejus rei curam susceperat. Electione facta, idem Albertus electum obtulit Hermengardi comitissæ, *sub cujus ditione locus ipse consistit, & Stephano comiti ejus filio, a quibus donum rerum temporalium, ad idem pertinentium cœnobium, susceperit.* Deinde eumdem electum Albertus obtulit Mainardo Trecassinorum præsuli, ab eo confirmandum, ut ab eo curam animarum & abbatis benedictionem acciperet. quod annuit antistes prudentissimus, & eruditione clarus. Hæc ex electionis decreto, quod inter Fulberti epistolas [a] editum est, sed annis decem post ejus obitum scriptum. Bernardo abbate Robertus prioris officium gessisse videtur, postea factus Tornodorensis abbas, postmodum Molismensis.

a *Fulb. ep. 51.*

CIV. S. Petro Carnutensi donationes factæ.

Prædictus Albertus abbas Majoris-monasterii signum suum cum aliis apposuit litteris Landrici abbatis sancti Petri apud Carnutas, quibus testatur Landricus se adiisse præsentiam dominæ Bertæ matronæ, ejusque filiorum, Walterii clerici, Hervei, Hugonis, Tetbaldi, Sigebodi & Engueiæ ejus filiæ, & ab eis obtinuisse terram de Regia-capella, quæ proxima erat prædio suo de Bosco-medio, cum ecclesia, aliisque appendicibus, ea conditione, ut abbas Tedbaldi comitis, ex cujus beneficio erat, assensum impetraret. Annuit comes Tedbaldus pro salute animæ suæ, ac patris sui, hasque litteras manu sua roboravit, suisque fidelibus corroborandas tradidit. Subscripta sunt nomina Gilduini vicecomitis, Hugonis vicedomini, Hervei vicecomitis, Alberti abbatis sancti Martini, Richerii abbatis sancti Launomari, & aliorum, absque chronicis notis. Ejusdem loci altare Theodericus Carnutensis præsul sancto Petro concessit. Hanc vero Regiæ-capellæ possessionem *probata pecunia* comparatam fuisse intelligitur ex alia charta, in qua legitur, Raherium conjugem Engueiæ, filiæ Bertæ matronæ, de hac possessione litem movisse : quæ demum coram Tedbaldo comite ejusque optimatibus composita est eo pacto, ut monachi sancti Petri *quadraginta solidos nummorum Carnotorum* persolverent. quos quidem illi per Paulum monachum ei tradiderunt *Blesis castro in vico Viana* * *super Ligeris ripam ante ecclesiam Matris Domini; sicque Raherius calumniam* seu litem *missam fecit una cum uxore sua Engucia, & unico filio, nomine Rainaldo, & filiabus duabus, Berta scilicet ac Adelina, ibique has litteras jussit fieri, & eas manu propria manibusque omnium suorum corroborari voluit.*

* *Viaine.*

Sub

ANN. CHR. 1038. CV. Cella Legionis conditur. * *Lyon d'Anger.*

Sub hoc tempus Wido thesaurarius sancti Mauricii Andecavensis, cum consensu uxoris suæ, triumque filiorum fundat, dotatque ecclesiam in honorem sancti Martini Vertavensis in villa Legionis * ad Oldonem fluvium, ut monachi sancti Albini eam monasticæ religioni aptent. Accessit consensus Fulconis comitis, Hucberti episcopi, & Warini primum, dein Sichardi dominorum Credonensium, in quorum ditione hæc villa sita est. Postmodum Wido ipse apud sanctum Albinum monachus factus est. Mortuo patre, filius ejus junior paternam donationem rescindere voluit : sed tandem pretio victus destitit auctoritate Goffridi comitis, cognomento Martelli, filii Fulconis, Eusebii episcopi, & Roberti Credonensis domini, præsente abbate Theoderico. Testes Odo, filius Stephani comitis, nepos Tetbaldi comitis, & Rainerius de Turre.

CVI. Cella Ss. Cyrici & Julittæ.

Hoc anno ab incarnatione M XXXVIII. Budicus civitatis Namneticæ comes, & uxor ejus Adois, ecclesiam sanctorum martyrum Cyrici & Julittæ, tum vetustate, tum paganorum seu Nortmannorum devastatione in solitudinem redactam dolentes, eam a fundamento redintegrarunt, tradideruntque ancillis Dei ibidem ab se constitutis, sub regula sancti Benedicti militaturis. Huic chartæ apposita sunt signa Budici comitis & Adois ejus uxoris, Robaldi comitis, & aliorum. Data XV. kal. Julii hoc anno in urbe Namnetica, in die sollemnitatis prædictorum martyrum. Postea Mathias comes, Budici filius, hunc locum concessit Teburgi abbatissæ monasterii sanctæ Mariæ de Caritate, vulgo de Roncereïo, Andecavæ civitatis, quæ « Mathiam comitem rogaverat, ut in urbe Namnetica locus sibi daretur. quod ipse « annuit pro redemtione animæ patris sui Budici comitis & matris suæ Adois comitissæ, *qui hoc monasterium viventes ædificaverant, & ad regulam monacharum destinaverant.* His litteris signa sua apposuerunt Mathias comes, Rodardus vicecomes, & alii. *Datum* VIII. *kal. Aprilis in civitate Nannetis, sub Valerio præsule.* Initio instrumenti Mathias se ipse *bonæ memoriæ* comitem vocat. Sæculo insequente Conanus Britannorum dux, & mater ejus Hermengardis comitissa restitutam a se *capellaniam monasterii sanctorum Cyriaci & Julittæ*, sæcularibus datam, reddiderunt Aldeburgi abbatissæ sanctæ Mariæ de Caritate pro remedio animæ tum suæ, tum patris sui Alani comitis, & matris suæ Ermengardis, ea lege, ut sacerdotem episcopo præsentent. Actum Nannetis anno ab inc. Domini M CXXVIII. regnante Ludovico, Briccio Nannetensium præsule, Hildeberto Turonensi archiepiscopo, Ulgerio Andegavensium, Hamelino Redonensium, Galone Leonensium, & Guidone Cenomannensium episcopis. Erant & beatæ Mariæ sanctimoniales in ecclesia Prugniacensi * diœcesis Namnetensis ab anno saltem M LXIV. ut patet ex charta Quiriaci episcopi Namnetensis eo anno data, præsulatus ejus anno secundo. Adenor, filia Judiquelli Vetuli de Prugniaco, facta est sanctimonialis in monasterio sanctæ Mariæ Prugniacensis. Aliæ insuper cellæ sunt beatæ Mariæ de Caritate, ut cella sanctæ Fidis, cella apud Avenarias, de quibus forte se offeret dicendi occasio.

* *Prugné.*

CVII. Abbatissæ B. Mariæ de Caritate.

Quæ superius laudata est Teburgis abbatissa beatæ Mariæ de Caritate, ipsa videtur esse Leoburgis seu Leburgis prima ejusdem loci abbatissa, de qua in superioribus [a] actum est. Certe hæc non est Tiburgis seu Tetburgis, quæ sub finem sæculi undecimi & sequentis initium illi parthenoni præfuit. In editis [b] abbatissæ primæ hoc ordine recensentur : Lieburgis, Bertrada, Beliardis, Richildis & Tiburgis. qui ordo ex rotulis illius monasterii, in quo chartæ omnes in sex rotulos relatæ sunt, satis confirmatur. Atqui ex una charta rotuli quarti constat primam ejus loci abbatissam dici Teburgim, quæ in alia charta, ejus electionem continente, Leoburgis appellatur. In priori illa charta Fulco Andecavorum comes & Hildegardis comitissa, illius monasterii conditores, hortos, qui sunt circa ecclesiam sancti Nicolai prope Meduanam, conferunt *elecmosynæ* (ut vocant) sanctæ Mariæ Caritatis, ad cibos pauperum & ad pulmentum, in alodio solutos & a quavis exactione immunes. *Hoc donum factum est in tempore Teburgis abbatissæ primæ instituta.* Itaque dicendum est, vel in litteris de electione primæ abbatissæ Teoburgam scribendum fuisse, non Leoburgam ; vel in aliis instrumentis, ubi Teburgis dicitur, legendum Leburgim seu Leburgam. Aliam chartam Goffredi comitis inferius referemus, cui appositum est signum ejusdem Teburgis abbatissæ. Leburgæ abbatissæ inscripta videtur epistola Catwalloni Rothonensis abbatis, superius [c] laudati, quæ in codice Sergiano sic inscripta est : *Omni reverentia dignissimæ matri*

a *lib. 56. n. 47.*
b *Gall. Chr. to. 4. p. 794.*
c *lib. 55. n. 92.*

ANN. CHR. 1038.

L. Catwallonus abbatum noviſſimus, æternitatis bravium. Hac epiſtola, quam in Appendice referemus, gratias agit ob litteras ſibi miſſas ab eadem abbatiſſa, quæ ab eo precum ſubſidia petierat. cui abbas pollicetur, ſe curaturum, ut pro ea *ſollemne ſacrificium ter immoletur, in utriſque conventibus fratrum, qui vel in Inſula degunt, vel in cœnobio Rotonum vocabulo*; eamque hortatur, ut certet eſſe *formula digne ſubjectis æmula*; &, ſiquidem hactenus fuiſſet, amodo ſit attentius, immo & ferventius.

Ad hoc tempus ſpectat diploma Tetbaldi Bleſenſis comitis, qui ad preces Hildegardis comitiſſæ Andecavenſis donat *curiam Petri* monaſterio, quod ipſa prope
» civitatem Andegavam, trans flumen Meduanæ inſtauratum, ad cœnobium ſanctimonialium provexerat. quam donationem facit Tetbaldus hortatu genitricis ſuæ Ermengardis, & aſſenſu fratris ſui Stephani, ad remedium animæ Odonis patris ſui, quem anno ſuperiori apud Barrum interfectum fuiſſe diximus.

CVIII. Felix abbas Ruyenſis obit.

In chronico Kemperlegienſi [a] notatur hoc anno *depoſitio Felicis abbatis ſancti Gildaſii* Ruyenſis, de quo ſuperius [b] non ſemel egimus. Funus ejus curavit Judicaël Venetenſis epiſcopus, eumque humavit in eccleſia, quam ille conſtruxerat. Vitalis ejus ſucceſſor ad annos fere triginta monaſterio præfuit. Felicis tumulus ab accolis frequentatur. Ejus tempore in Ruyenſi monaſterio ſanctitate inſignes fuere Gingurianus & Gulſtanus monachi. Gingurianus *laïcus* quidem erat monachus, ſed Spiritu-ſancto, omnibuſque virtutibus plenus. Hic cum aliquamdiu innocentem ac miræ ſimplicitatis vitam in divino cultu egiſſet, ejus patientiam diutino morbo Deus probare voluit, eique finem vitæ ſuæ proximum revelavit. Tunc vir Dei Felicem abbatem, totamque congregationem in capitulo convenit, & ab omnibus veniam ſibi dari poposcit, cunctoſque ſui in precibus eſſe memores, ſeque oleo ſancto ungi poſtulavit. Cunctis ad hæc verba ſtupentibus, inſtat, ut, dum loqui poterat, ipſum ungere ne cunctarentur. Poſt capitulum omnia utenſilia ſui miniſterii (is alvearii cuſtos ab initio converſionis ſuæ fuerat) ad pedes abbatis depoſuit, idque miniſterii alteri commendari rogavit. Poſt hæc miſſæ interfuit, & poſt pacem ad ſanctum accedens altare, ſacram communionem de manu ſacerdotis accepit; moxque, compoſitis ſupra pectus manibus, juxta gradus altaris corpore extenſo recubuit. tum in domum infirmorum delatus, ſtatim oleo ſancto, uti poſtulaverat, unctus eſt, atque ab illa die per totum annum paralyſi affectus decubuit, ita ut nec in alterum latus ſe vertere, nec manum ad os ducere valeret. Vertente anno, cum ab angelo obitus ſui diem reſciviſſet, Riaulum monachum rogavit, ut fratribus de obſequio, ſibi per totum annum exhibito, gratias ſuo nomine ageret, & communionem ſanctam ſibi afferret. Poſt veſperas, fratres convocari petiit, iiſque præſentibus, ea qua prædixerat hora, ad Dominum migravit IV. kal. Octobris.

Felicis abbas Ruyenſis obit. a *Baluz. miſcell. to. 1. p. 521.* b *lib. 53. n. 51.*

Sancti monachi Ruyenſes.

Non impar ſanctitate fuit Gulſtanus ejuſdem loci monachus itidem *laïcus*, a Felice olim in Oſca * inſula a pyraticis prædonibus ſeparatus. Is pſalmos & orationes, quas memoria tenebat, nocte dieque decantare non ceſſebat, in cibo & potu parcus, in precibus aſſiduus, pernox in vigiliis, ita ut etiam in decrepita ætate vix tribus horis in lecto jaceret. Ejus ſanctitatem Deus multis miraculis declaraſſe traditur. Vita functus eſt v. kal. Decembris apud Bellum-videre caſtrum, quo pro monaſterii utilitate profectus erat, & quidem *in domo monachorum ſancti Petri Malliacenſium*. Audita ejus morte per vocem præconis, continuo de lectulis ſuis exſilientes viri & matronæ nobiles (nam media nocte obierat) certatim cum cereis & lampadibus, multiſque ornamentis & donariis, eo confluxerunt. quo comperto, vicini Herenſes monachi ſancti Filiberti, prô dira cupiditas! ejus corpus ad ſuam eccleſiam, repugnantibus monachis, in quorum hoſpitio mortuus erat, favente multitudine deportarunt, collectaque per triduum multa pecunia, poſt tertium diem eum ibidem ſepelierunt. Hæc ubi nuntiata ſunt in Ruyenſe monaſterium, illuc acceſſit Vitalis abbas, Felicis ſucceſſor, ac monachi ſui corpus modeſte repetiit. at Herenſes amore pecuniarum, quæ ad defuncti ſepulcrum conferebantur in dies, nullum reſponſum reddiderunt. quare Vitalis abbas Iſembardum Pictavenſem epiſcopum adit, de retento ſui monachi corpore queritur. Mox epiſcopus, jam ante illis monachis, qui ipſi rebelles fuerant, infenſus, eos ad ſynodum una cum Vitale abbate convenire præcepit, in qua corpus Gulſtani monachi Vitali abbati reſtitui juſſit. Hæc ex vita ſancti Gildaſii abbatis primi Ruyenſis, quæ ab

* *Hueſcan.*

anonymo Ruyenſi monacho tunc temporis ſcripta eſt. Id contigit tempore Conani Britanniæ ducis, qui Alano patri ſuo trimenſis ſucceſſit anno ſequenti M XXXIX.

ANN. CHR. 1038.

CIX. Augerideo quædam acquiſita.

Iſembardus ſeu Iſembertus Pictavorum epiſcopus, ejus nominis ſecundus, Iſemberto patruo ſuo anno M XXXVI. ſucceſſerat, idemque ſubſcriptus invenitur litteris Raimundi [a] ſacerdotis ſancti Petri-puellaris apud Pictavos, qui una cum conſenſu Willelmi Aquitanorum ducis, eo nomine ſexti, ejuſque conjugis Euſtochiæ, necnon domni Iſemberti epiſcopi, atque domnæ Ermengardæ abbatiſſæ, ceterarumque ſororum ex monaſterio ſanctæ Trinitatis, cui ſancti Petri-puellaris collegiata eccleſia ſubjecta eſt, quaſdam areas, ſitas *intra canonicam ſancti Petri*-puellaris, accepto pretio ceſſit Arnaldo abbati Angeriacenſi: cenſum vero ſibi debitum Ermengardis abbatiſſa & ſanctimoniales, acceptis ab Arnaldo abbate centum ſolidis, in perpetuum relaxarunt. *Data ſunt hæc idibus Septembris, regnante Heinrico rege in Francia, Willelmo comite Pictavis, Iſemberto epiſcopo in cathedra ſancti Petri, anno ab inc. Domini* M XXXVIII. Ex quo intelligitur, Willelmum VI. hoc anno adhuc ſuperſtitem fuiſſe, qui non multo poſt deceſſit, ſepultuſque eſt ad patrem ſuum cognominem in monaſterio Malliacenſi. Huic abſque liberis mortuo in comitatu & in ducatu ſucceſſit frater ejus Willelmus VII. Glaber [b] Rodulfus auctor eſt, Willelmum VI. a Gotfredo, cognomento Martello, in prœlio, quod ad ſancti Jovini opidum apud Pictones anno M XXXVI. conſertum eſt, captum fuiſſe & ſpatio trium annorum detentum, multiſque redemtum pecuniis, ipſo anno, dum ad propria remearet, finem vitæ habuiſſe. In chronico Malliacenſi Iſembertus Pictavenſis epiſcopus, una cum Euſtochia uxore Guillelmi comitis, monaſteria exſpoliaſſe auro & argento dicitur, unde eum redimerent. Non diu marito ſupervixit Euſtochia, quæ Pictavis apud ſanctam Mariam ſepulta eſt. Arnaldus vero Angeriacenſis abbas Aymericum exceperat forte jam anno ſuperiori, quo Fulcaudus quidam ſancto Johanni & dulciſſimo patrono domno Reverentio confeſſori res nonnullas *ad uſus fratrum Ingirienſium* donat. cujus rei litteris appoſita ſunt ſigna Willelmi Aquitaniæ ducis, Odonis Waſconorum comitis, Bernardi & Gaufredi comitum, Godefredi archiepiſcopi, ſcilicet Burdegalenſis, Iſemberti Pictavenſis, Girardi Ecoliſmenſis, Arnaldi Santonenſis, & Jordani Lemovicenſis epiſcoporum. Data menſe Martio, anno incarnationis M XXXVII. Heinrici regis Francorum X. Anno M XXXIX. Willelmus dux Aquitanorum, ſcilicet VI. Angeriacenſi monaſterio contulit villam [c] Perariis pro anima patris ſui Willelmi, matriſque ſuæ Agnetis & Gaufridi fratris ſui. Anno inſequente litteris dedicationis eccleſiæ Vindocinenſis ſubſcripſit Arnaldus Angeriacenſis abbas, cui ſucceſſit Gaufridus II. commemorandus ſuo loco.

a *Beſly comtes p. 301.*

b *Glab. lib. 4. c. 9.*

c *Beſly comtes p. 415.*

CX. B. Mariæ cœnobium de Veteri-muro.

Sub idem tempus Iſarnus vicecomes & Frotardus, in quorum poteſtate poſitum erat puellare cœnobium beatæ Mariæ, ſitum in pago Albienſi, apud Veterem-murum, *juxta alveum, qui a ruſticis dicitur Agod*, ubi Guiſla abbatiſſa præerat, cedunt jure ſuo in gratiam monaſterii, illudque cœnobium ſubjiciunt Anicienſi beatæ Mariæ eccleſiæ, ejuſque epiſcopo & canonicis, ea conditione, *ut ipſum monaſterium exinde ſit honoratum & conſtructum*; abbatiſſa vero ejus loci & monachæ omnia habeant in ſua poteſtate, & facultatem eligendæ abbatiſſæ *ſecundum præceptum ſancti Benedicti*: ſed in ſignum ſubjectionis decem ſolidos ſingulis annis Anicienſi eccleſiæ perſolvant. *Facta carta in menſe Octobrio, ſub die feria* III. *regnante Aenrico ſereniſſimo rege.* Subſcribunt cum Iſarno vicecomite & Frotardo Amelius pontifex, ſcilicet Albienſis, Guiſla abbatiſſa, & Guiſla vicecomitiſſa.

CXI. Raynaldus Caſtellionenſis fit monachus S. Benigni.

Divione in monaſterio ſancti Benigni Raynaldus Caſtellionenſis dominus, monaſticum habitum accepturus, Deo & ſancto Benigno donat manſum cum eccleſia ſancto Juliano ſacra, ſitum in pago Atoarienſi, ſuper fluvium, qui dicitur Norgia, traditque in manu Halinardi abbatis, qui ipſum eodem die monachum fecit, hanc donationem laudantibus conjuge ejus Heliſabeth, & filio Humberto, ea lege, ut tres monachi illuc mittantur, qui quotidie pro ipſo donatore, ejuſque ſucceſſoribus miſſarum ſollemnia offerant. Hujus donationis teſtes fuerunt Hugo Lingonum epiſcopus, Beraldus Sueſſionis epiſcopus, Warnerius ſancti Stephani Divionenſis canonicorum præpoſitus, & alii. *Actum publice in valle Dinato-villæ adjacenti; anno dominicæ incarnationis* M XXXVIII. *indictione* VI. *epacta* XII. *menſe Septem-*

ANN. CHR. 1038.

bri, die ſecunda ejuſdem menſis, feria VII. *regnante Heinrico Francorum rege, fratre Rotberti ducis Burgundiæ, anno* XI. *regni ejus.*

CXII. Theodericus Laubienſis fit ſacerdos.

Agebat triceſimum annum Theodericus monachus Laubienſis, cum a Gerardo Cameracenſi antiſtite ordinatus eſt ſacerdos, XVI. *kal. Julii, anno ætatis triceſimo nedum expleto*, quem anno M VII. natum fuiſſe ſuperius [a] vidimus. Poſt hæc præteritos labores nihili pendens, & quod tanti gradûs conditio ab ipſo exigeret, ſerio perpendens, prioris vitæ propoſitum ita immutavit, quaſi tunc primum Deo ſervire inciperet. Petita igitur abbatis ſui facultate & obtenta, primo ſemel in die reficere ſtatuit, quam jejunii rationem ab anno ætatis triceſimo ad octogeſimum, id eſt uſque ad finem vitæ, inviolabiliter ſervavit, cilicio inſuper per totum illud tempus continuo uſus. Ad hæc in vigiliis frequens, in precibus & in lectione ſacrarum ſcripturarum aſſiduus, quarum difficillimas quæſtiones facile ſolvebat. Hinc, fama ejus per vicina monaſteria vulgata, a multis ſcholarum magiſter expetitus eſt.

a *lib.* 52. *n.* 100.

CXIII. Balduinus comes advocatus Marcianenſis.

Marcianenſis in pago Tornacenſi abbatia a quingentis retro annis ad hoc uſque tempus ab omni advocationis cenſu immunis & libera fuerat. Verum, prævalente illius ſæculi [b] iniquitate, advocati patrocinio ac defenſione indigere cœpit. Qua propter Albricus abbas Balduino Flandrenſium comiti, cui cognomen Inſulano & Pio, ſupplicavit, ut ſui monaſterii advocatus ac defenſor eſſe ne gravaretur, ob idque certos ei reditus aſſignavit. Supplicanti annuit comes, favente Adela ipſius conjuge, Rotberti regis filia; ejuſque loci advocationem cum illo cenſu vice ſui commiſit Hugoni de Albiniaco, qui, ſi officio deforet ſuo, prædicto cenſu privaretur. *Actum Atrebati curte publica, in capella ſancti Benedicti, anno Domini* M XXXVIII. *indictione* VI. *anno quarto Balduini glorioſi comitis*, Letduino abbati Marcianenſi, qui & Vedaſtinus erat, ſucceſſerat Albricus, qui Popponem Stabulenſem & Atrebatenſem abbatem habuit ſucceſſorem.

b *Mirai notit. p.* 156.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUINQUAGESIMUS-OCTAVUS.

Ab anno Chriſti 1039. *ad annum* 1046.

ANN. CHR. 1039. I. Conradi extrema facta & obitus.

SUB finem anni M XXXVIII. Conradus auguſtus natale Domini Goſlariæ in Saxonia celebravit, ubi, inter cetera ipſius inſtituta, Brunoni Mindenſi epiſcopo præcepit, ut Alberadæ abbatiſſæ *de Malenbach* abbatiam Wongereſtorpenſem aſſignaret. quod quidem epiſcopus tunc invitus exſecutus eſt: at poſt paſcha abbatiſſa eam dignitatem abrogavit. Interim domna Sophia Gandersheimenſis abbatiſſa triduo ante purificationem beatæ Mariæ diem obiit: ſicque vaticinium ſancti Godehardi, qui ſe ambos coram ſummo Judice in feſto ſanctæ Mariæ brevi adſtituros morti proximus prædixerat, re ipſa completum eſt. Sophiæ ſoror Adheleida, Quindelinburgenſis abbatiſſa, Heinrico rege aſſentiente, vacantem dignitatem obtinuit. Theophanu vero, earum neptis, abbatiam Eſnethi conſecuta eſt. Sophia mortua, Thietmarus Hildensheimenſis præſul illius regionis decimas, quas illa in beneficium acceperat, Bezeca præpoſita nequiquam reſiſtente, eccleſiæ ſuæ aſſeruit: quas tamen poſtea Adheleidæ abbatiſſæ repræſtitit. Goſlaria imperator digreſſus, Aſtide venit, ibique purificationem ſanctæ Mariæ celebravit. Inde, Saxonia orientali compendioſo itinere peragrata, rebuſque compoſitis, Noviomagum acceſſit, ibique tempus quadrageſimæ & ſanctum paſcha, ac feſtum aſſcenſionis Domini celebravit, tumque podagra laborare cœpit. Inde ad celebrandam pentecoſten Trajectum venit: ubi, feſto cum ſumma lætitia peracto, ſequenti die, hora diei ſexta, pridie nonas Junii, dum menſæ reficiendi cauſa aſſideret, ſubito defecit, &, *vix dum confeſſionis ſententia prolata*, exſpiravit. Optimus imperator, longiori vita dignus, & de Ordine noſtro bene meritus, cui Lintburgenſe monaſterium, ut ſuperius [a] diximus, ſuam originem acceptam refert. De eo memoriæ prodit Glaber [b] Rodulfus, abbatem quemdam haud ignobilis monaſterii eidem imperatori equum optimum, ut de accepta forte abbatia ſe gratum præſtaret, ejuſque benevolentiam ſibi conciliaret, obtuliſſe, cuidam militi, ignorante abbate, furto ſublatum, ab eoque pretio comparatum. Forte inſidenti illi equo imperatori occurrit miles, cui equus furtim ablatus fuerat. quo agnito, miles ad

Res monaſticæ.

a *lib.* 56. *n.* 105.

b *Glab. lib* 5. *c.* 4.

ANN. CHR. 1039.

cæsarem, suum esse equum dixit, sibique restituendum ab imperatore, qui totius justitiæ censuram tenere deberet. Ad quem cæsar: Si tuus est equus, inquit, accipe illum cum sessore, tibique utrumque habe, donec furti pretium acceperis. Attonito ad hæc milite, cæsar eum compulit, utrumque ut apprehenderet. Stupentibus universis, rex abbatem accersiri jubet, factum vindicaturus. Ubi advenit abbas: Depone, ait rex, baculum regiminis pastoralis, quem ab homine mortali te accepisse putas. Paruit abbas imperanti, & baculum a se projecit. quem mox accepit imperator, & dexteræ imaginis Christi Salvatoris imposuit. tum, Ito, inquit abbati, & recipe baculum de manu omnipotentis Regis, nec ulli mortali te inde obnoxium existimes. Abbas vero illum hoc modo recepit gaudens, hocque factum adstantes plurimum delectavit.

II. Heinricus Niger imperator, ejusque prima diplomata.

Conrado patri successit in imperio Heinricus filius, cognomento Niger, jam ante triennium rex appellatus, qui religione, moderatione regni, rerumque gestarum gloria, ut Otto Frisingensis censet, patris virtutes supergressus est. Justis parenti persolutis, lustrata superiore Germania, in Saxoniam profectus, dum Goslariæ per autumnum episcoporum ac procerum conventum haberet, ad eum accessit inter alios abbates Truthmarus seu Druthmarus Corbeiæ-novæ abbas, & ab eodem duo [a] præcepta obtinuit: unum, quo jura & privilegia omnia, tum Corbeiensis, tum Herifordensis monasterii, cui tunc Godesdiu abbatissa præerat, confirmantur, datum III. nonas Septembris: alterum eodem die liberam facultatem eligendi abbatis ratam facit. Ipso item die & anno Frideruna venerabilis abbatissa Keminadæ monasterii, quod ipsa una cum sorore sua Imma comitissa, Gerone comite adjuvante, in honorem beatæ Mariæ in pago Tilithi construxerat, ab Heinrico imperatore confirmationem omnium ejus loci possessionum impetravit, interventu Brunonis Mindensis episcopi, in cujus parochia hoc monasterium positum erat, simulque liberam electionem abbatissæ secundum regulam sancti Benedicti. Hoc ipso anno complures chartæ Cluniacensis monasterii de rebus in Burgundiæ regno datis signantur anno primo Heinrici regis, Conradi scilicet filii, qui Burgundiæ Jurensis hoc anno regnum iniit. Sic Dundinus monachicum habitum *sub norma Clunienſis cœnobii* susceperus, res suas Cluniaco donat *anno* M XXXIX. *indictione* VII. *regnante Heinrico rege anno primo.* Sic quidam Læto tres *condaminas*, in villa pagi Genevensis Silvigiaco sitas, eidem monasterio confert iisdem anno & indictione, *regnante Heinrico rege, filio Chunonis imperatoris, anno primo imperii ejus.*

[a] *Annal. Paderborn.*

III. Mortes in Germania.

Obierunt eodem anno episcopi Eilbertus seu Engilbertus Frisingensis, & Reimboldus seu Regimbaldus Spirensis, e nostris: obierunt quoque Richardus Fuldensis abbas, & Radulfus abbas de Diuzi, ex chronico Hildensheimensi. Engilbertus Frisingensis præsul collegium [b] canonicorum in *Weihenſtephen*, quod Hitto episcopus ante annos ducentos fundaverat, in monasterium nostri Ordinis convertit, canonicis alio translatis, eique aliquot villas ac decimas attribuit. De Nitgero seu Nitkerio ejus successore dicere nihil ad nos pertinet, nihil item de Sibichone Regimbaldi successore, qui Regimbaldus III. idus Octobris obiit, *bonæ memoriæ* præsul, teste Hermanno. In chronico Saxonico manu-scripto, *venerandæ memoriæ* Richardus abbas Fuldensis decessisse traditur XIII. kal. Augusti, eodem die, quo Conradus Carentinorum dux, patruelis Conradi imperatoris; eique successisse Sigehardus juvenis, ab ipso regulariter & sapienter nutritus. In brevi chronico Fuldensi, quod Franciscus Paullinus edidit, Richardus abbas monachis suis mandavisse dicitur, ut facta clarorum virorum fideliter describerent, & manuscripta bibliothecæ inferrent. Hic multos Scottos secum habebat, teste Mariano, qui Fuldense monasterium ad regulæ amussim reformasse dicuntur in prædicto breviario. Brevis fuit Sigehardi, nullaque re insignis præfectura

[b] *Metrop. Salisb. to. 1. p. 105.*

Fuldenses abbates.

IV. Casimirus ex monacho rex.

Actum est superius [c] de Casimiro, Miseconis Polonorum ducis filio, quem e Polonia cum matre fugatum, & Cluniaci factum monachum Polonici scriptores uno consensu tradunt, eumque demum a Polonis ipsis revocatum, & throno impositum hoc fere tempore fuisse. Favet his scriptoribus chronographus noster Saxonicus, cujus ad hunc annum hæc verba sunt. *His temporibus Kaſimer, filius Maſeconis ducis Polonorum, reverſus in patriam, à Polonis libenter ſuſcipitur; duxitque uxorem regis Ruſciæ filiam, procreavitque duos filios, Vladizlaum, & Bolizlaum.*

[c] *lib. 57. n. 45.*

ANN. CHR. 1039.

Multa his addunt Polonici scriptores, aiuntque, missos Cluniacum legatos ad repetendum Casimirum, jam diaconum; eosdemque, Odilone abbate se id citra pontificis dispensationem sibi licere negante, Romam profectos, ut voti & ordinis dispensationem impetrarent, qua impetrata, Casimirum in Poloniam reduxisse, & regio throno imposuisse. Hæc nimirum regni Polonici traditio est, quæ a chronico Saxonico nonnihil auctoritatis accipit. Casimiro mortuo, ut in eodem chronico legitur, filiis ejus in infantia positis, adeoque injuriæ opportunis, dux Boëmiæ Bracilaus, qui multas a Misecone Casimiri parente injurias pertulerat, eas ulcisci constituit. Quam ob rem, collectis magno numero Boëmiis, Poloniam aggreditur; villas cædibus, rapinis, incendiis devastat; Krakon metropolim invadit, subvertitque, aliasque urbes igne succendit; metropolim Gnezden, natura quidem loci & arte munitam, sed raris civibus haud tutam, nullo negotio capit; corpus sancti Adalberti episcopi & martyris, qui in basilica beatæ Mariæ illic quiescebat, cum corpore sancti Gaudentii ejus fratris Pragam asportat, exacto prius à suis Boëmiis voto, eos à consuetis criminibus temperaturos, maxime ab illicitis connubiis. quod Severus illius urbis episcopus anathemate sanciviſſe dicitur. De homicidis hæc notanda. *Fratricidas autem & parricidas, ſive ſacerdotum interfectores, & hujuſmodi capitalium criminum reos, archipresbyter aſſignet comiti vel duci, ſive per manum & ventrem ſerratos de regno ejiciant, ut inſtar Caïn vagi & profugi circumeant terram.* qui locus confirmat ea, quæ sæpius de pœna hujusmodi homicidarum observavimus. Mirum est quod in tabernas & tabernarios ab eodem duce statuitur. *Tabernam quoque*, inquit, *quæ eſt radix omnium malorum, & parari, & paratam comparari prohibemus: & qui fuerit hujus decreti violator tabernarius, in foro ad palum ſuſpenſus; & uſque ad præconis faſtidium cæſus deputetur. res tamen ejus non infiſcentur, ſed potus tantum in terram projiciatur, ne quis eo polluatur. Potatores autem deprehenſi non prius de carcere exeant, quam in fiſcum ducis unuſquiſque* CCC. *nummos componat.* Ad hæc fora diebus dominicis prohibentur, aliaque multa, quæ fusius persequi non est hujus loci. Porro hæc sancti Adalberti translatio facta dicitur hoc anno kal. Septembris; adeoque Casimiri in Poloniam restitutio aliquot annis præcedere debuit. Querelæ hac de re delatæ ad summum pontificem: qui duci Boëmiorum id pœnitentiæ injunxit, ut cœnobium servientium Deo clericorum construeret, maxime quod ipsius injussu dux sacrum corpus Adalberti martyris in suam patriam transtulisset. His vero dux obtemperans, clericorum cœnobium in honorem sancti Wenczlai fabricasse dicitur in urbe Boleslau, juxta fluvium Labe, ubi idem Sanctus olim martyrium consummaverat. Hæc ex prædicto chronico Saxonico.

Boëmiorum lex de homicidis & tabernis.

V. Mediani-monasterii abbates.

Vixit ad hoc tempus Norbertus Mediani-monasterii abbas, cujus obitum Johannes de Bayone hoc anno collocat. Successor ejus Lambertus corpora sanctorum Lazari & Azæ, quorum sepulcra e terra sponte se se erigebant, de veteri ecclesia sancti Petri in sanctæ Mariæ basilicam transtulit. Oratorium sancti Petri, a suo decessore inchoatum, perfecit, & a Brunone Tullensi episcopo V. idus Junii dedicari curavit, atque in illud corpus sancti Spinuli confessoris transtulit Ad hæc ecclesiæ ornamenta & supellectilem multum auxit, eorumque indicem recensuit, in quo calices tres notat, in quibus unus erat *cum anſis.* Summa librorum, qui tum in bibliotheca erant, fuisse dicitur codicum LXVII. Hujus abbatis tempore Humbertus ibidem floruit, ut postea videbimus, is qui postmodum Silvæ-candidæ episcopus & cardinalis exstitit, scriptis ac rebus gestis celebris.

VI. Egmundæ abbates & comites Hollandiæ.

Dum Egmundense in Hollandia monasterium regeret Reynerus abbas quartus, ex hac vita migravit Theodoricus hujus nominis tertius, comes Hollandiæ quartus. Jerosolymis eum obiisse tradunt, & tamen eum Egmundæ cum antecessoribus suis sepultum fuisse asserit Johannes a Leydis in annalibus Egmundanis. Huic successit filius ejus senior æquivocus, qui nec uxorem, nec filios habuisse dicitur, Dordraci post annos septem ab inimicis interfectus, sepultusque Egmundæ. Hunc excepit Florentius ejus frater, qui ex uxore sua Gertrude, Hermanni ducis filia, Theodoricum ejus nominis V. comitem Hollandiæ septimum, procreavit, Egmundensi monasterio valde beneficum: cujus uxor secundis nuptiis Roberto Frisioni conjuncta. Reynero abbati post annos octodecim præfecturæ suffectus Stephanus seu Steppo abbas quintus: cujus rogatu Theodoricus ejus nominis quintus, modo laudatus, Florentii scilicet ac Gertrudis filius, omnium monasterii bonorum possessionem con-

ANN. CHR. 1039.

firmavit, dato diplomate post mortem ipsius abbatis, quæ accidit III. nonas Januarii anno M LXXXIII. Johannes a Leydis integrum refert diploma, in quo monasterii quædam compendiosa historia continetur, datum VII. kal. Augusti, prædicto anno, Stephani abbatis recens mortui vicesimo-sexto. Athalardus abbas loci sextus mortuo subrogatus, honore dignus abbas, qui gregem sibi commissum laudabiliter rexit: cui Florentius comes, Theodorici mox dicti filius, se munificum præstitit.

VII. Guntramnus abbas S. Trudonis.

Ad hunc annum millesimum undequadragesimum [a] pervenit Adelardus abbas sancti Trudonis, eo nomine primus, referente Rodulfo chronographo; eique successit Guntramnus ad annos tantum sexdecim, non unum & viginti, ut in editis. Siquidem, teste ipso Rodulfo, Trudonianis præfuit usque ad annum M LV. aut, si viginti & unum annos locum rexit, anno M XXXIV. Adelardo successisse dicendus est. Erat Guntramnus claris ortus natalibus in Hasbania, in sancti Trudonis monasterio ab adolescentia innutritus sub Adelardo abbate, ibidemque ecclesiasticis & regularibus disciplinis apprime eruditus. Abducto in exsilium Adelardo, ejus vices egit Poppo Stabulensis abbas: qui, dum aliquando in capitulo fratrum culpas exigeret, Guntramnum, elegantissimæ formæ juvenem, animi ejus experiundi causa, mordacius exagitare cœpit, idque pœnitentiæ eidem imposuit, ut se ad Stabulense monasterium pedes sequeretur. Ubi vero illuc advenit proceri ac delicati corporis juvenis, ex via fessus, extra conventum fratrum ad portam atrii, qua admittuntur hospites, pernoctare jussus est. Rogantibus fratribus postera die in conventum admissus, insequenti nocte, qua conversio S. Pauli de more sollemniter celebrabatur, vigiliis adfuit ultimo loco, & sonora, qua præditus erat, ac reboanti voce cunctos attonitos reddidit, ac recreavit. Cumque ad illud responsorium, scilicet duodecimum, quod cantandum abbati armarius significare solet, ventum esset; innuit abbas armario, ut illud Guntramno in extremo loco sedenti præcinendum deferret. Ille vero, suscepto cum humilitate cantandi officio, ea vocis suavitate omnes demulsit, ut, responsorio finito, abbas eum ad se venire, sibique proximum assidere jusserit. Cum in Stabulensi monasterio aliquantum temporis degisset, inde in Hersfeldense, incertum qua causa, profectus, ibidem camerarius abbatis factus est, magna certe honoris prærogativa; camerarius quippe domesticorum turbæ præerat, qui ipsi parere tenebantur; eorumque quæ abbati debentur, quasi tertius particeps erat. Eidem commissus fuit Locus-regius, studiis liberalium artium & opibus præcellens. Illic dum versaretur, morum suavitate, corporis proceritate (nam toto capite grandioribus eminebat) formæque præstantia non modo Hersfeldensibus placuit, sed etiam exteris, ejusque fama in aula regia celebris evasit. Unde factum est, ut mortuo Adelardo sancti Trudonis abbate, una omnium in palatio voce & sententia fuerit, Guntramnum dignissimum esse, qui in demortui locum substitueretur. Huic sententiæ imperatrix maxime faviisse dicitur, missusque ille cum litteris ejus commendatitiis ad Mettensem episcopum, ut eo annuente, ad quem Trudonensis monasterii cura pertinebat, abbas ordinaretur. Hic tempora & nomina permiscet Rodulfus, cum scribit, episcopum Mettensem tum fuisse Theodericum; imperatricem vero ejus sororem, scilicet Chunegundem, quæ Heinrici Pii conjux erat. At Theodericus longe ante hunc annum, quo Guntramnus ordinatus dicitur, decesserat, nimirum anno M XXIV. nec Chunegundis imperatrix amplius in vivis erat, mortua superiori anno; nec ab annis retro quindecim, quo ex tempore monasticam arripuerat vitam, sæculi rebus se immiscuerat. Factus itaque abbas Guntramnus, ac Leodici ab episcopo, scilicet Nithardo, ordinatus, multam in suo monasterio inopiam, parum disciplinæ regularis invenit; sed utramque resarcivit, inopiam quidem ex iis, quæ ab imperatrice & a Regio-loco retulerat; disciplinam autem regularem ex ea, quam tum Hersfeldiæ florentissimam viderat.

[a] *Spicil. to. 7. p. 347. V. lib. 52. n. 83.*

VIII. Majoris-monasterii cellæ & servi.

Cum Albertus abbas Majori-monasterio præsideret, multæ donationes loco illi factæ, & quidem hoc anno in pagis Carnutensi & Dunensi. In his Raherius quidam, *vir militaris*, filius Ratherii & Frohelinæ, alodum suum, qui sanctus Peregrinus dicitur, in pago Dunensi; alterum in Carnutino, quem Umblerias vocant; tertium, qui Materssenta * dicitur, favente Theobaldo comite, ejusque matre Ermengarde, sancto Martino contulit, assentientibus sororibus suis, Milesinde, Rainsoinde, & Adelaïde, anno incarnationis Domini M XXXIX. indictione VII. Testes Gelduinus de Bretulio in Picardia, Harduinus & Herveus vicecomites, & alii.

* *Mersente.*

Locus

Locus iste sancti Peregrini attributus est cellæ sancti Hilarii, non procul a Castroduno eodem fere tempore erectæ, cujus auctor Guanilo dominus Montiniaci, qui sub Alberto abbate monachus factus est. Eodem tempore erecta est cella Camilliacensis * seu Cameliacensis diœcesis Andecavensis versus fines Pictavorum, eoque monachorum deducta colonia est, agente Petro filio Sigebrandi, ejus loci domino, qui Alberto abbati potestatem fecit tot illic instituendi monachos, quot opportunos judicaret. cui rei assensere uxor ejus Radegundis, ac filii Sigebrannus & Petrus. Primus huic cellæ præpositus Fulcardus. Non multo post Eusebius Andecavensis præsul ejus loci novum oratorium dedicavit. quo die Sigebrannus, Petri filius, quædam huic cellæ largitus est. His adde cellam Ventiliaci * diœcesis Remensis, cujus cellæ auctores fuere Tetbaldus Campaniæ comes, ejusque mater Ermengardis, qui Majori-monasterio contulerunt, quidquid Odo Tetbaldi pater apud Ventiliacum tenebat. cujus rei litteris subscribunt Heinricus rex Francorum, Guido Remorum archiepiscopus, Stephanus comes Tetbaldi frater, Ermengardis comitissa, Isambardus & Beraldus episcopi, Nargaudus abbas, Hilduinus comes, & alii. Plura de hac cella inferius. Eodem Alberto abbate Raimbertus quidam, libero genere ortus, cum nihil haberet carius, quod Deo offerret, seipsum sancto Martino tradidit in præsentia Alberti abbatis, omnemque tam natam, quam nascituram ex ipso progeniem, ut toto vitæ suæ tempore servili conditione monachis serviret. In cujus traditionis signum, *quatuor denarios super caput proprium ponens, semetipsum Deo obtulit.* Alii chordas signorum seu campanarum collo suo circumdabant, & pro testimonio servitutis quatuor denarios de proprio capite super altare sancti Martini ponebant,

ANN. CHR. 1039.

* *Chemillé.*

* *Venteley.*

IX. Alanus dux Britanniæ obit.

Majori-monasterio multa quoque beneficia contulit Alanus dux Britanniæ, eo nomine secundus, qui hoc anno e vivis ereptus est kal. Octobris, relicto filio Conano trimensi, quem multis injuriis affecit patruus ejus Eudo, bello tandem ab eo captus anno M LVII. Alanus vero monasterium sancti Exsuperii de Gahardo in diœcesi Redonensi Majori-monasterio contulit tempore Ebrardi abbatis, ejusque cellæ facultates auxit cum fratre suo Eudone & genitrice Hadvisa. Ad hæc tertiam partem sancti Martini *de Sernun*, aliaque nonnulla donavit Deo & Ebrardo abbati Majoris-monasterii: cui donationi testes subscripti sunt Eudo ejus frater, Warinus seu Guarinus episcopus Redonensis, & Walterius Namnetensis; Hildebertus abbas montis sancti Michaëlis, Mainardus abbas sancti Salvatoris Rothonensis, Hinguethen abbas sancti Jacobi, vulgo sancti Jacuti, Rivallonus vicarius, Haymo magister comitis. Alanus comes a Rotberto Nortmannorum duce Jerosolymam proficiscente productus [a] factus, Fiscamni in capitulo sepultus est, ubi hactenus rude ejus epitaphium legitur.

[a] *Cod. S. Gabrielis.*

X. Casini novæ turbæ.

Vix Conradus imperator pedem ex Italia in Germaniam retulerat, cum novæ turbæ in Casinate monasterio exoriri occœpere. Turbarum occasio nata est ex captione [b] Adenulfi, fratris Landonis comitis Aquinensis, Pandulfo Capuano nuper comiti addicti, quem Adenulfum Laidulfus Teanensis comes comprehensum tradiderat in manus Guaimarii principis, quem Conradus augustus Pandulfo exauctorato in Capuano principatu substituerat. Hac injuria offensi Aquinenses comites, contractis ex suis & ex Nortmannis, qui tum in illis partibus magno numero erant, copiis, Teanum aggredi constituit. Venienti obsistit in transitu Liris fluminis Richerius abbas. Id factum per quindecim dies, quibus agros Casinatium hostili more vastati. at demum, facili vado reperto, hostes transeunt præcipites, mox abbatem capiunt; ejusque socii alii capti, alii fugati, interfecti nonnulli. Ex his Landulfus Teanensis comes, qui abbatis auxilio venerat, in monasterium ascendit, quem Casinates in fidem recipiunt. Hoc comperto, Aquinenses Landulfum sibi tradi postulant, seque hoc pacto abbatem restituturos pollicentur. At commoniti ab ipso abbate fratres, quovis etiam propriæ vitæ detrimento id perfidiæ se commissuros pernegant. Ita demum abbas Aquinum perducitur. Eo fratres pedibus se conferunt, multis lacrymis patrem sibi restitui flagitantes. at inanes fuere lacrymæ, inanes preces; nec eis videndi, nedum alloquendi abbatis facta copia est. In his angustiis Guaimarius Adenulfum, fide ab eo accepta, Aquinensibus comitibus restituit, abbatemque Casinatibus hoc pacto reddi obtinuit. Mox eum hortatur, ut trans alpes ad imperatorem quantocius pergat,

[b] *Chron. Casin. lib. 2. c. 67.*

ANN. CHR. 1039.

ejus opem imploraturus : alias actum esse de monasterio, cedendumque sibi Capuano principatu. Acceptis a principe subsidiis ad hoc iter necessariis, abbas, duobus tantum fratribus & famulis aliquot comitatus, maritimo itinere ad Romanum portum appulit : ubi, fracta navi, & universis præter solos homines rebus amissis, a quibusdam Romanorum nobilibus in Urbem honorifice deductus est, ibique aliquamdiu remoratus. Tum, suppeditatis equis & necessario commeatu ab iisdem Romanis, arreptum iter peragit. Interim tam gravis pestilentia invasit Aquinates, ut ad duo millia & quingentos promiscui vulgi consumserit, unusque comitum nomine Siconolfus, interierit. Hanc stragem ob factam abbati injuriam suis divinitus illatam rati defuncti comitis fratres Adenulfus & Lando, ad monasterium pergunt, ligatisque collo restibus erratum confessi, sancti Angeli opidum, quod invaserant, Casinatibus restituunt. Protinus fratres abbatem revocant : redit ille cum quingentis militibus ex Lombardia abductis. at hoc subsidium non sufficere visum est Guaimario, qui abbatem trans alpes, potioris auxilii obtinendi causa, remeare persuasit. Dum hæc geruntur, Basilius, ille Pandulfi abbas, [a] Constantinopoli cum eo reversus, Casinum revertit, & Aquinensium fultus adminiculo, abbatiæ per aliquot dies incubavit. Verum, conductis a Guaimario principe contra Aquinenses comites Nortmannorum copiis, metu perterritus, noctu per montana Aquinum se recepit : ubi aliquantum temporis demoratus, demum ab ipso Guaimario sancti Benedicti cellæ apud Salernum in locum defuncti præpositi substituitur. His intra biennium gestis, Richerius cum validiori militum manu e Germania redit : Nortmannos, qui prædia monasterii occupaverant, ad fidem sibi præstandam compellit, quam non multo post violarunt ; & muros sancti Angeli opidi, cujus opidani nova denuo moliebantur, subrui curavit : sicque demum eatenus infidos & inquietos deinceps quietos manere coëgit.

a *V. lib. 51. n. 32. & 65.*

XI. Hugonis Farfensis abbatis obitus B. Amico revelatus.

In Farfensi monasterio, post varias alternantis fortunæ vices, moritur Hugo abbas, sæpius destitutus, totiesque restitutus. Eum vero media nocte dominicæ nativitatis obiisse discimus ex libello de vita beati Amici eremitæ, qui tunc in monasterio sancti Petri de Avellana, quod sanctus Dominicus Loricatus exstruxerat, postea Casinatibus concessum, demorabatur. [b] Natus est Amicus in opido Martis diœcesis Camerinæ. Jam sacerdos vitæ solitariæ studio in speluncam ad tres annos se abdidit. Inde in Esculanum pagum profectus, cryptam cum discipulis incoluit, ubi oratorium a loci episcopo in honorem sancti Michaëlis dedicari curavit. Demum ad monasterium sancti Petri de Avellana sub Petro abbate se recepit, ubi Hugonis Farfensis abbatis obitum divinitus rescivit. Illinc in proximum montem Taurenum secessit, ubi viginti annorum spatio, nullo alio cibo, quam fungis & pomis silvestribus usus est. Post mortem ejus corpus sepultum fuit in monasterio Avellanensi. Bernardus Casinensis monachus libellum de ejus vita [c] composuit, ex quo hæc compendio retulimus. Ejus festum colitur III. nonas Novembris. Ceterum Hugoni Farfensi abbati non diu supervixit. siquidem super ejus corpus jam erectum erat altare anno M LII. quo anno Petrus Damiani ad Heinricum recens creatum Ravennatem archiepiscopum scripsit opusculum VI. in quo Amicus Ramibonensis (sic enim vocatur) miracula edere dicitur. Redeo ad Hugonem abbatem, cui suffectus a fratribus Suppo, sed rejectus ab imperatore, qui Almericum, Cæli-aurei monachum, substituit, litteris optime instructum, cui cognomen Urso, quod corpore pilosus esset, inditum fuisse tradunt. Laudatur iste abbas ob res, cum spirituales, tum temporales, recte administratas ; ob auctam bibliothecam & ornamenta ecclesiæ ; denique ob modestiam in vestibus & in victu parsimoniam. Ejus tempore Benedictus *archipresbyter & monachus* Farfensis eidem loco acquisivit a Crescentio Nepesino episcopo monasterium sancti Andreæ in Bisano, ea conditione, ut illud maneret in potestate episcopi, eique quolibet anno undecim denariorum pensio solveretur ; utque hoc monasterium toto vitæ suæ tempore retineret Benedictus, qui videtur fuisse archipresbyter in Nepesina ecclesia, quales dignitates eo sæculo complures nostri Ordinis monachos in cathedralibus ecclesiis obtinuisse legimus.

b *Chron. Casin. lib. 3. c. 19.*

c *Petrus diac. de vir. illust. Casin. c. 37.*

S. Nicolai ecclesia Barensis.

Hoc ipso anno Nicolaus archiepiscopus Canusinus & Barensis, anno sexto imperii Michaëlis Constantinopolitani, tertio anno præsulatus sui, mense Octobri, indictione VII. ecclesiam sancti Nicolai, quam adhuc laïcus prope Barim ædificavit in Turre de Musarra, in libertatem asseruit, & *Petro monacho venerabili abbati* ordinandam & regendam contulit, data potestate, ut monachos illic collocaret, & extremo vitæ suæ tempore abbatem ibidem, quem vellet, institueret. Petrus iste abbas erat monasterii sanctæ Trinitatis Barensis, ut patet ex diplomate Leonis papæ IX. qui Marco ejusdem monasterii abbati eamdem ecclesiam confirmat, quam prædictus Nicolaus episcopus *ecclesiæ jam dictæ sanctissimæ Trinitatis* obtulerat. Hoc Leonis diploma datum est IV. nonas Septembris, ejus pontificatus anno V. Jam ergo ante medium sæculum undecimum exstabat illud Barense sanctæ Trinitatis monasterium, uti & prædicta sancti Nicolai ecclesia, antiquior ea, quæ ad recipiendum sancti Nicolai episcopi corpus post annos quadraginta-octo constructa [a] est. Antiquior illa ecclesia postmodum concessa fuit Cavensi monasterio, ex cujus archivo Nicolai archiepiscopi & Leonis IX. mox laudatas litteras accepimus.

ANN. CHR. 1039.

a *V. lib. 67. n. 29.*

ANN. CHR. 1040. XII. Pisanum monasterium S. Michaëlis.

INsequente anno supra millesimum quadragesimo apud Pisas suburbanum sancti Michaëlis monasterium a Bono abbate instauratum est, bonisque auctum ab Opizone episcopo, qui illic eumdem Bonum abbatem constituit. Quæ & quanta instaurando monasterio præstiterit Bonus abbas, docet *Breve recordationis, quod fecit Bonus abbas sancti Michaëlis monasterii, a monachis Nonantulæ fundati.* Sic vero incipit. *In nomine Domini Jesu-Christi, breve recordationis facio ego Bonus abbas, qualiter ab initio inchoavi conversari in ecclesia sancti Michaëlis, quæ nunc est cœnobium. Fecit me venire senior Stephanus de Nonantulis cum avunculo meo Petro, & investivit me de ipsa capella, quæ tunc temporis detinebatur a presbyteris ; & nec monachum, nec abbatem inveni, & non casam, non mansionem, sed tantummodo unum tuguriolum, ubi cœpi habitare cum avunculo meo, & operabamur tunc temporis in turre ipsius ecclesiæ ; & quod habebam, & habere potui, dedi in reparationem ipsius turris ad magistros & ad manuales ; & ad quod necesse erat : & cessavit ipse Stephanus laborare in ipsa ecclesia post unum mensem,* Stephanus iste videtur fuisse illius capellæ dominus, qui Bonum monachum e Nonantulano cœnobio ad locum instaurandum accersivit. Post unum annum, ut breve illud in pauca contraham, ejus loci ecclesia fuit oblata *ad honorem Dei & sancti Michaëlis, & ad officium sancti Benedicti & ad ipsius regulam a monachis ibidem in perpetuum conversaturis.* In ea Bonus abbas nulla fere ornamenta, nullamque supellectilem, nullas campanas, nullos libros invenit : quæ omnia Bonus ille abunde supplevit ex eleemosynis, quas ipse & monachi ejus missis decantandis acceperunt, cooperante Dominico priore, qui eo tempore, quo Bonus hoc breve scribebat, abbas erat Pisani monasterii sancti Zenonis. Hic campanas septem fecisse, & in turri ecclesiæ sancti Michaëlis posuisse dicitur, quarum una M CC. libras & amplius appendebat. Idem Bonus, cum unum tantum calicem stanneum & unum missale in ecclesia illa invenisset ; quatuor calices aureos & argenteos acquisivit, & libros XXXIII. partim ab ipso & Dominico priore suo scriptos, partim pretio comparatos : ex quibus *liber bibliothecæ* seu bibliorum *unus* pretio librarum decem comparatus est. Denique ædificia omnia Bonus ille abbas perfecit, *ubi sunt*, inquit, *omnes officinæ, sicut abbatia habere debet ; & est jam perfecta domus, ut in tota marchia melior non sit.* Jamque triginta anni erant elapsi, cum *breve* istud compositum : in cujus fine ait, se primo triennio nonnisi unam stamineam habuisse ; non equum, sicut alii abbates & monachi, non duplicia vestimenta. Idem videtur esse Bonus abbas, cui Leo IX. [b] cœnobium sanctæ Mariæ, in Tyrrheni maris insula Gorgona positum, commisit : ut illic *semper* essent *habitacula monachorum, ne fiat spelunca latronis, quæ prius fuit domus orationis ;* & ut abbas ibidem absque pretio secundum regulam sancti Benedicti institueretur. Excisum est omnino hoc nobile quondam monasterium, a sancto Augustino celebratum ; nec ullum fere vestigium ejus supereſt. Melior fuit sors Pisani sancti Michaëlis monasterii, cujus abbati Leoni Gregorius VII. privilegium [c] indulsit, laudato præcepto Agapiti papæ, qui fideles christianos in illo monasterio sepeliendi facultatem dederat. Ex quo intelligitur, ante Bonum abbatem exstitisse hoc monasterium, quod cadente sæculo undecimo Camaldulensibus concessum est.

b *Ital. sac. to. 3. p. 408.*

c *ibid. p. 412.*

XIII. Petrus Damiani fit monachus.

Sub hoc tempus Petrus-Damiani, cujus vitæ primordia superius [d] retulimus, ad monasticam vitam convolavit, cum prius religiosam vitam in laïco habitu duxisset.

d *lib. 52. n. 112.*

ANN. CHR. 1040.

Dum altius propositum meditaretur, occurrerunt ei duo fratres ex eremo Fontis-avellani, cujus fama religionis jam ad ipsum pervenerat. Cum his fratribus, tamquam cælitus ad se missis, animi sui arcanum communicat: spondent illi facilem accessum ad *abbatem* seu priorem (nam abbates principio monachi illi non habebant) quem quidem jam ex fama noverat. Atque ut eum sibi conciliaret, scyphum argenteum fratribus illis offert, ad abbatem perferendum. Respuunt illi, viæ longioris impedimentum sibi fore causati. Obstupescit Petrus, miraturque religiosorum fratrum abstinentiam, ac vehementius ad eorum amplectendum institutum accenditur. Verum, ne temere illud arripuisse videretur, experiundi sui causa, in cellam ad quadraginta dies se recludit, corpusque suum inedia & aliis exercitationibus exercet. qua probatione confirmatus, nihil jam anachoreticum illud vitæ genus pertimescens, mox ad Fontis-avellani eremum se contulit. Illic statim admissus, lineis exuitur, cilicioque indutus adducitur ad abbatem, qui eum cuculla superindui incunctanter præcepit. Miratur ille tam subitam conversionem in se fieri, antequam ullum ejus vitæ experimentum feciſſet: sed tamen præcipienti mox obtemperavit. Assumto habitu, tanto protinus fervore succensus est, ut, corporis cura penitus abjecta, totum iis, quæ ad animum pertinent, se daret, & vilia quæque & aspera sectaretur. Forte aliquando cum suo magistro foras profecturus, honestius scapulare, & meliorem equum conscendere jussus est. Ille vero excusare, orare, obtestari, ne sæcularibus nitidulus & pompæ sæcularis sectator appareret. At jubenti demum paruit, satius ratus, hominum subire opprobrium, quam inobedientiæ notam incurrere. sed tamen paullo post, occasione reperta, vilius scapulare induit, quippe qui moribus potius ornari gestiret, quam vestibus.

XIV. Fontis-avellani monasterium & leges.

Fontis-avellani monasterium diœcesis Faventinæ in Umbria Ludolfus Eugubinus antistes, natione Germanus, inter montes Catriæ & Corni, loco valde remoto & solitario, anno M XIX. exstruxisse traditur sub titulo sanctæ Crucis. Ejus loci monachi anachoreticam vitam sectabantur, distincti subinde in diversas colonias, quæ congregationem ejus nominis constituebant. *In hoc loco, qui Fons-avellani dicitur, plerumque viginti plus minus monachi per cellulas, sive in assignata cuique obedientia degimus*, inquit Petrus [a] Damiani: *ut omnes simul cum conversis & famulis tricenarium-quinarium numerum aut vix, aut breviter excedamus.* Hujus vero loci institutio hæc erat, ut bini, divisis cellulis, commorarentur, psalmodiæ, lectioni, & abstinentiæ jugiter addicti. Abstinentiæ vero hic modus erat, ut quatuor qualibet hebdomada diebus pane & aqua contenti, tertia & quinta feria pauxillum leguminis perciperent, quod singuli in suis cellulis coquebant. Vini usus, præterquam in sacrificio, nullus. quem rigorem Petrus-Damiani [b] factus præpositus, fratrum imbecillitati compassus, tantisper emollivit, concessa modici vini copia extra tres paschæ, & sancti Johannis, & Dominicæ nativitatis quadragesimas, quibus neque monachis, neque laïcis vini, piscisve usus permissus erat. In media illa quadragesima, quæ ab octava pentecostes ad natale sancti Johannis-Baptistæ extendebatur, tertia feria ad nonam unum pulmentum concedebatur, quinta feria bina refectio; itidemque feria tertia a festo sancti Johannis: ab idibus autem Septembris usque ad pascha singulis diebus jejunium extra octavas nativitatis, quibus jejunium solvere licebat. In Dominicis per annum diebus duo pulmenta concessa omni tempore, præterquam in duabus paschæ & natalis Domini quadragesimis, in quibus die dominica unicum pulmentum dabatur. Ad hæc in tribus sollemnitatibus, sancti Andreæ, sancti Benedicti, & Annuntiationis dominicæ, aliqua itidem remissio erat, non perfectum jejunium. Jejunare [c] enim illos censebant, qui solum panem cum sale & aqua percipiebant: *ubi autem præter hæc aliud additur, perfectum jejunium non vocatur.* Non bene capio quid sibi velit Petrus in epistola [d] ad Aimericum archidiaconum his verbis: *Et quia nos carnes in secunda feria non comedimus, aliquot nobis pisces dirigi pro dominicæ nativitatis gloria postulamus.* an forte abstinentiam a carnibus in nativitate domini, ut in synodo Aquisgranensi tempore Ludovici Pii permissum fuerat, certis diebus relaxabant illi eremitæ? De psalmodia mos erat, ut, cum duo fratres simul in una cella commorabantur, duo quotidie, præter canonicum officium, psalteria, unum pro vivis, alterum pro mortuis, recitarent. Juge & inviolatum in cellis silentium, ita ut nec pro confessione loqui liceret, nisi si novitiis vel eorum institutoribus aliquid dicere priori videretur. *Est enim, re vera, ut experimento cogno-*

a Petr. Dam. opusc. 15.

b ibid.

c ibid.

d id. lib. 5. ep. 5.

receptus in gratiam, Augensi comitatu donatur. Hic Lescelinam conjugem duxit nobilissimam puellam, Turchetilli filiam, ex qua tres filios suscepit, Robertum scilicet Augensis comitatus heredem, Willelmum Suessionensem comitem, & Hugonem Lexoviensem episcopum. Fallitur Guillelmus Gemeticensis, qui hoc conjugium factum esse dicit hortatu Willelmi ducis; qui forte necdum natus erat, cum Guillelmi comitis filii jam adulti erant. Certe Hugo, qui tertius nominatur, anno M L. Willelmi ducatus quinto-decimo, Lexoviensem episcopatum jam obtinebat. Guillelmus ejus parens ædem in prædio suo, quod ab antiquis sancti Petri super Divam appellatum est, ædificare cœpit: cui operi dum insisterent artifices, mulier quædam prædixisse fertur, non comiti, sed reginæ cæli beatæ Mariæ hoc ædificium parari. quod re vera contigit. nam, mortuo paullo post Guillelmo comite, Lescelina ejus conjux locum illum in cœnobium convertit: ubi primo sanctimoniales collocavit, quas cum a vicinis vexari intelligeret, eas Lexovium transtulit, earumque loco monachos substituit in cœnobio beatæ Mariæ, quod in opido sancti Petri ad Divam amnem, sex ab urbe Cadomo leucis positum est. De primo ejus loci abbate Ainardo postea dicendum. Ante conditum monasterium, cujus basilica Deiparæ virgini sacra est, locus vocabatur sancti Petri super Divam, ob parœciale lem ecclesiam sancto Petro nuncupatam.

ANN. CHR. 1040.

XIX. Grestanum cœnobium.

Eodem fere tempore Grestanum cœnobium, beatissimæ Deiparæ itidem sacrum, ad ostia Sequanæ, sub Hunflutto opido conditum est. Ejus auctor Herluinus miles de Contavilla, Willelmo duci conjunctissimus erat, quippe qui Herlevam ejus matrem conjugio sibi copulatam habebat, ex qua Odonem, postmodum Bajocensem episcopum, & Robertum Moritonii comitem suscepit. Itaque consensu & favore Willelmi ducis privigni sui monasterium condere aggressus est in prædicto loco, cui nomen Grestanum, juxta fontem, ubi olim oratorium beatissimæ Virginis exstitisse fama erat, in cujus honorem novum monasterium ab Hugone Lexoviensi episcopo dedicari curavit. Illic monachi aliquot congregati, quibus congruam substantiam assignavit. Ejus pietatem æmulatus Robertus Moritonii comes, monachorum numerum & censum ita auxit, ut eum monasterii conditorem dixerit Guillelmus Gemeticensis. Fundatoris itidem titulo honoratur in necrologio Odo Bajocensis præsul, tametsi uterque potius benefactor dicendus est. Primus ejus loci præpositus [a] fuisse traditur Reginaldus a Rocha, monachus sancti Ebrulfi, cui Robertus Moritonii comes Godefridum monachum sancti Sergii Andecavensis primum abbatem substituisse dicitur. At si Reginaldus primus Grestani rector fuit, non ante annum M L. illic institui potuit, quo anno Utiacense sancti Ebrulfi monasterium instaurari cœptum est. Sepulti sunt in Grestano monasterio Herluinus, ejusque filius Robertus cum conjuge Mabilia, filia Rogerii comitis de Monte Gomerico. Godefrido abbati successit Fulco Sagiensis monachus, qui novam ibidem basilicam exstruxit. Hunc excepit Herbertus Grestani monachus, qui ad centum annos vixisse dicitur, & post eum Guillelmus de Exonia monachus Beccensis.

a Neustria pia p. 530.

XX. Vindocinensis ecclesiæ dedicatio.

Celebris fuit hoc anno Vindocinensis monasterii dedicatio, quæ a Theoderico Carnutensi, aliisque episcopis, pridie kalendas Junii, in pervigilio festi sanctissimæ Trinitatis in ejusdem honorem facta est, eidemque loco immunitas a Theoderico episcopo indulta. Neque putes, festum sanctissimæ Trinitatis eo tempore necdum in die octava Pentecostes, uti modo, celebratum fuisse. Contrarium enim evincunt complures chartæ Vindocinensis archivi: in quarum una, anno M LX. data, festum sanctissimæ Trinitatis XII. kalend. Junii incidisse dicitur. Alias ejusdem generis prætereo. Hoc festum *æstivale* dicitur ad discrimen alterius, quod ultima dominica Pentecostes subsequente celebrabatur. unde quædam charta Vindocinensis data dicitur *die octabarum sanctæ Trinitatis æstivalis.* Denique Frescendis nobilis femina, filia Odonis Dublelli, uxor Nivelonis pagani, donationem silvæ super Varennam, Vindocinensi monasterio factam, ratam habuit *tertia die* post factam dedicationem, scilicet IV. *nonas Junii*, præsentibus Gaufrido comite & Agnete comitissa. Huic quippe dedicationi interfuerat Gaufridus comes monasterii auctor cum Agnete conjuge, multisque proceribus, episcopis & abbatibus. Privilegio exemtionis a Theoderico præsule concesso subscripserunt episcopi & abbates: ex episcopis quidem Arnulfus Turonensis, Isembertus Pictavensis, Gervasius Cenomannensis, Hubertus Andecavensis, Gerardus Engolismensis, Amelinus Albiensis: ex abbatibus

b Labbe to. 1. bibl. p. 287.

ANN. CHR. 1040.

vero Hugo ſancti Salvatoris Caroffi, Fredericus ſancti Florentii, Walterius ſancti Albini, Ebrardus ſancti Carileſi, Landricus ſancti Petri Carnutenſis, Durandus ſancti Gildaſii, Salomon Bonæ-vallis, Hugo Longiledi, Fulco de ſancto Johanne, Anſeſiſus, qui ſe peccatorem dicit, Petrus de Nantolio, Algerius de ſancto Amando, Arnaldus de Angeliaco, Odo de ſancto Sabino, Azo de ſancto Michaële Eremi, Archembaldus de ſancto Maxentio, Johannes de Lucione, Tebaudus ſeu Thetbaldus de Quinciaco, Anſbertus de Pontelevio, Theudo de Burgolio, Odolricus de ſancto Martiale, Ermenteus de Tufeïo, Theobaldus de ſancto Benedicto; omnes numero viginti-tres. His addendus Rainaldus ſeu Reginaldus Vindocinenſis abbas, de quo ſuperius [a] actum eſt. Ex clericis, qui ex urbe Carnutena cum aliis aliarum eccleſiarum clericis interfuerunt, nominatur *Sigo magiſter ſcholarum*, laudatus in rythmo [b] Adalmanni Scholaſtici, a nobis alias relato. E civitate vero Andecava, *Beringerius archidiaconus*, haud dubie idem ipſe, qui hæreſim de ſacroſancto euchariſtiæ ſacramento poſtea in eccleſiam invexit. Ipſo dedicationis die Gaufridus comes cum Agnete uxore monaſterium ampliſſime dotavit, illudque Romanæ Eccleſiæ, tamquam proprium alodium attribuit: cujus rei litteras ſuper altare poſuiſſe traditur. Has litteras hic in appendice videre licet, ex chartario Vindocinenſi deſcriptas, paullo diverſas ab aliis duabus jam editis, quæ nonnulla additamenta poſteriorum annorum continent. Quænam fuerunt iſtius immunitatis conditiones alias videbimus.

[a] *lib. 57. n. 5.*

[b] *Analect. to. 1. p. 421.*

XXI. Abbates variorum monaſteriorum adſunt.

Ex prædictis abbatibus Hugo Carrofenſis Fulcherio [c] ſucceſſerat: quem ſubſecuti ſunt Fulcradus ſeu Fulcaudus & Petrus. De Frederico S. Florentii, Walterio S. Albini, Landrico S. Petri Carnutenſis jam ſuperius dictum, iterumque de his ſermo recurret. Hugo Longiledi abbas ſecundus Guillelmo ſucceſſerat. Monaſterium S. Benedicti [d] de Nantolio, cui Petrus abbas tum præerat, recens à domino caſtri Rufiaci reſtructum erat, ſi non fallit chronographus Maxentianus. nam longe ante id tempus jam exſtabat, teſtante Aimoino in libro de vita S. Abbonis, qui ad Regulam proficiſcens, *per Karrofenſe monaſterium ad Nantoliacum devenit cœnobiolum, in honore ſanctiſſimi patris Benedicti fundatum.* Qui Azo hic dicitur abbas S. Michaëlis de Eremo, Aſcho [e] vocatur a prædicto chronographo, qui anno M XLVII. conſecratum fuiſſe dicit hoc monaſterium: ubi Aſchonis ſucceſſores ſex commemorat. Antiquum eſt Lucionenſe monaſterium, cujus tunc abbas erat Johannes, a Danis deſtructum: ſed quis ejus inſtaurator fuerit, non liquet, nunc cathedralis ſedes. Adalgerius de ſancto Amando ſeu Amantio diœceſis Ecoliſmenſis, de Buxia nuncupatum, abbas erat hoc anno, quo Gaufredus Ecoliſmenſis comes terram in fundo Cyfariæ S. Amantio donavit, Gerardo epiſcopo approbante: quod Fulco Gaufredi filius, & Fulco ejus nepos confirmarunt. Incertum eſt cujus monaſterii abbas fuerit Durandus de ſancto Gildaſio. nam tria erant ejus nominis cœnobia, nempe Ruyenſe & ſancti Gildaſii de Nemore in Armorica, atque ſancti Gildaſii in pago Bituricenſi, cui præfectum fuiſſe Durandum veri ſimilius eſt. Anſbertus abbas de Pontilevio mortuus die ſexta Januarii inſequentis; huic Wido ſucceſſit: cujus tempore Gelduinus vicecomes Bleſenſis quamdam ſilvam dedit Deo, ſanctæque Mariæ Pontilevienſi & abbati Widoni, ejuſque monachis. Actum hoc tempore obſidionis caſtri Malliaci. Nullam hujus obſidionis mentionem facit chronographus Malliacenſis ſeu Maxentianus, qui hoc anno dedicationem monaſterii Vindocinenſis recte ponit: ſed in eo fallitur [f], quod primum iſtius monaſterii abbatem fuiſſe dicit Odericum, & poſt eum Rainaldum, quem primum fuiſſe conſtat: cui Odericus anno M XLIV. ſucceſſit.

[c] *Labbe t. 2. bibl. p. 209.*

[d] *ibid.*

[e] *ibid.*

[f] *ibid. p. 208.*

XXII. Fulconis comitis obitus.

Paullo ante hanc dedicationem baſilicæ Vindocinenſis, Fulco Andecavorum comes, Goffridi pater, Jeroſolymitanum iter tertium aggreſſus erat: at cum ad urbem Mettenſem veniſſet, ibidem morte interceptus eſt [g] XI. kal. Julii. Ejus corpus ad Lucacenſe ſeu Loccenſe [h] monaſterium, quod ipſe conſtruxerat, delatum, ibidem honorifice humatum eſt. Eo mortuo Gaufredus comes cum Agnete uxore, admonitione & conſilio Hildegardis matris ſuæ, pro venia & remiſſione peccatorum genitoris ſui bonæ memoriæ Fulconis *recens defuncti*, cœnobio ſancti Nicolai, apud Andecavos ab eo fundato, donationes ab eodem factas confirmavit, adjecto torrente Brionello, ſuper quem poſitum eſt monaſterium, aliiſque rebus in ejus charta memoratis. Teſtes Hubertus præſul, Willelmus & Gaufredus, qui & Guido, comites Pictavenſes, Agnetis filii, Hubertus comes Cenomannenſis, & Hugo nepos ejus

[g] *Labbe to. 1. bibl. 287.*

[h] *Glab. lib. 4. c. 9.*

ejus, Hugo de Balgentiaco, multique alii optimates, qui in epitome fundationis ſancti Nicolai recenſentur. Ad hunc annum quædam tabulæ referunt primordia Aquarienſis apud Andecavos monaſterii, de quo inferius [a] agendum.

ANN. CHR. 1040.

[a] *lib. 60. n. 94.*

Quartus hic annus erat, ex quo Gervaſius ſedem Cenomannenſis eccleſiæ inierat, cum de inſtaurando ſancti Vincentii ſuburbano monaſterio, quod Domnolus epiſcopus olim exſtruxerat, cogitare cœpit. Erat is filius Haimonis domini de caſtro-Ledi, & Hildeburgæ, nepos Aveſgaudi epiſcopi, ejus deceſſoris, qui Jeroſolymis [b] rediens, apud Virdunum obiit VI. kal. Novembris, ibidem in eccleſia cathedrali a Ramberto epiſcopo ſepultus. In ejus locum Gervaſius ordinatus eſt XIV. kal. Januarii, hoc eſt ſub finem anni M XXXVI. ſiquidem die dominica ordinatio facta ſit. Etſi vero ſancti Vincentii monaſterium inſtauravit, dum Cenomannicæ præeſſet eccleſiæ, litteras tamen hac de re non edidit ante adeptum Remorum pontificatum. In his litteris notum facit, quod eo tempore, quo Cenomannenſem regebat eccleſiam, communi conſilio canonicorum atque caſatorum ſuorum reſtaurare ſtuduerit monaſterium quoddam, ſub honore beatorum martyrum Vincentii atque Laurentii in ſuburbio Cenomannicæ civitatis fundatum antiquitus atque conſecratum, ibique conſtituerit ordinem monachorum, quibus Aveſgaudum abbatem conſanguineum ſuum præfecerit, reſtitutis eidem loco rebus, quæ injuſte ablatæ fuerant, aliiſque ex ſuo patrimonio ſuperadditis cum præbenda in eccleſia ſancti Juliani, *pro eo quod ibidem epiſcopalis & canonicalis habetur ſepultura.* Ad hæc eidem ſanctuario donavit Robertus Grammaticus *unam bibliothecam*, id eſt ſacrorum bibliorum codicem, *per partes diviſam; canonicale unum, Smaragdum, paſſionale*, & nonnullas poſſeſſiones.

[b] *Annal. Bened. Tom. IV. Kkk*

III. S. Vincentii monaſterium Cenomannis inſtauratur.

Aymo Bituricenſis archiepiſcopus ſynodum hoc anno habuiſſe dicitur cum tribus epiſcopis, multiſque clericis & nobilibus viris, in qua ſancto Sulpicio Navenſis monaſterii patrono, ejuſque abbati Humberto, Viviani ſucceſſori, debitum ſynodorum, & paradas ſeu paratas, id eſt jus procurationis & hoſpitii, ex omnibus eccleſiis ad ipſum monaſterium pertinentibus, relaxavit, prout ab anteceſſoribus ſuis Dagberto & Gauſcelino relaxatæ fuerant. Id factum ſub teſtimonio trium epiſcoporum, ſcilicet Renconis Claromontani epiſcopi & decani Bituricenſis, Hugonis Nivernenſis, & Durandi chorepiſcopi ipſius Aymonis, qui hanc immunitatem laudaverunt, & cum illis Gaufridus vicecomes, Archembaldus comes, aliique huic ſynodo aſſiſtentes. Hic eſt Archembaldus Borbonenſium princeps, qui alodum ſuum, in loco Vivaris ſitum, ſancto Leopardino martyri, ejuſque cellæ Navenſibus monachis ſubjectæ, ſub idem tempus contulit, cum ſacrum illius corpus e terra levatum eſt. Ejus hac de re inſtrumentum ſic habet. *Francorum piiſſimo Heinrico imperii gubernacula moderante, in archiepiſcopatu Biturigæ civitatis urbis metropolitanæ Aymone fratre principis Archembaldi præſidente, abbatiam vero ſancti Sulpicii abbate Humberto regente, atque prioratum Vivaris Andrea monacho diſponente, ipſe præfatus princeps Archembaldus, omneſque proceres Borbonienſium ad ſanctiſſimum cœnobium Leopardini congregati eſſe dignoſcuntur, gratia videlicet relevandi de telluris ſinu almi corpus Leopardini, atque honorabilius locandi. Quibus omnibus congregatis, Aymo archiepiſcopus intimavit, qualiter Ardeus, vir nobiliſſimus, juſſu & laude Theoderici regis, omne alodum Vivaris, quod ſui juris erat, beato donavit Leopardino, & ſancto Sulpicio, & monachis ei ſervientibus. qui prædictus princeps Archembaldus plurima ex rebus propriis dona monachis ſancti Leopardini dedit & conceſſit, quæ hic non piguit, ſed potius placuit inſerere ſedule. In primis conceſſit ipſe benignus princeps Archembaldus, laudante Arnulfo atque Giraldo Firmitatis principe, Domino & ſancto Leopardino, ipſius loci feram * annualem, & feras omnes de cunctis hominibus ad feram venientibus, totum diſtrictum in ipſa fera.* Et poſt multa, jubet princeps, ut hæc terra *quieta ſemper maneat, ſicuti in authenticis Francorum regum præceptis omnis ſancti Sulpicii terra quieta eſſe præcipitur*, id eſt immunis. His litteris appoſita ſigna principis Archembaldi, & filii ejus Arnulfi &, Gilberti * fratris ejus, atque aliorum. *Actum eſt in feſtivitate ſancti Leopardini, regnante Heinrico rege Francorum.* In prædictis litteris notandum eſt *prioratus* vocabulum, quo forte exemplo nullum antiquius fuerit ad cellam ſignificandam. Eidem cellæ ſeu monaſterio Vivarienſi Arnulfus Fertilitatis ſeu Firmitatis princeps dat *omnem vicariam, tam in burgo, quam extra burgum, in terra ſancti Leopardini, ſicut Archembaldus Borbonenſium princeps &*

* *la foire.*

* al. Gerberti.

XXIV. Navenſis & Vivarienſis monaſterii res auctæ.

ANN. CHR. 1040.

Arnulfus avus, inquit, *meus, atque Giſlebertus frater ejus, prædictam vicariam in relevatione beati Leopardini monachis ibidem Domino ſervientibus dederunt. Actum eſt regnante Philippo rege Francorum.* Hæc cella ſancti Leopardini, ſita duabus leucis a Borbone-Archembaldi, hactenus ſancto Sulpicio ſubjacet, ſancto Symphoriano primitus, dein etiam beato Leopardino martyri ſacra. Humberto Sulpiciano abbati ſucceſſit Odo anno quarto Philippi regis.

XXV. S. Remigio & S. Vitono altaria data.

Remis Wido archiepiſcopus ſancti Remigii cœnobio altare villæ Cruſciniaci * ſub vicaria [a] perſonæ ſubſtitutione tradit, rogatus a Theoderico abbate, & quidem *conſenſu & conſilio Beroldi Sueſſionenſis epiſcopi*, ſuorumque ipſius clericorum. Actum Remis hoc anno, domni Widonis epiſcopatus ſeptimo, indictione VIII. Poſt annos quatuor ad preces ejuſdem abbatis Heinricus imperator bona [b] omnia, ſancto Remigio ab Ottone Magno conceſſa, novo diplomate confirmavit pro amore & reverentia uxoris ſuæ Agnetis, & interventu Brunonis epiſcopi Tullenſis, qui poſtmodum ad ſummum potificatum evectus, Herimari abbatis rogatu, novam ſancti Remigii baſilicam ſollemni ritu conſecravit. Hoc autem anno idem Wido archiepiſcopus, agente Richardo abbate, monaſterio ſancti Vitoni altare de Vivariis conceſſit in compenſationem monetæ Moſomenſis, quam Ebalus Widonis deceſſor ſancto Vitono abſtulerat. Cujus rei litteras ex chartario Vitoniano habemus. Ex præmiſſis litteris Aymonis & Widonis archiepiſcoporum intelligitur, in Gallia uſque ad hoc tempus exſtitiſſe chorepiſcopos, quos poſtea Lanfrancus in Cantuarienſi eccleſia ſuppreſſit.

* *Crugny.*

a *Marlot. to.* 2. *p.* 85.

b *ibid p.* 87.

Nivialle facta reſtitutio.

Hoc tempore Nivialenſis abbatia tantis calamitatibus attrita erat, tantiſque oppreſſa vexationibus, ut ad ipſum ejus clauſtrum extenderetur *comitis beneficium*, nec ſanctæ Gertrudi illic quieſcenti, quæ ipſum locum propriis excoluerat manibus, ulla reverentia exhiberetur. Hoc quidem præcedentibus imperatoribus magnopere diſplicuerat: ſed tamen nullus ullum hactenus remedium huic malo attulerat, uſque dum Heinricus [c] Niger, interventu primatum ſuorum, Hermanni Colonienſis archiepiſcopi, & Nithardi Leodicenſis præſulis, necnon ducum Gothelonis & Godefridi, prædictæ abbatiæ, cui tunc Richeza abbatiſſa præerat, ipſum burgum ſeu villam Nivellam cum ſuis adjunctis reſtituit, vetans, ne quis alius ibi advocatus ſeu comes inſtituatur, niſi quem abbatiſſa elegerit. Hoc autem decretum Heinricus auctoritate præſentium pontificum roborari curavit, ſcilicet Hermanni Colonienſis, & Betthelini ſeu Bezelini Bremenſis archiepiſcoporum; atque Nithardi Leodicenſis, Bennonis Trajectenſis, Hermanni Mimigardefordenſis, Richardi Virdunenſis, Gerardi Cameracenſis, Theoderici Mettenſis, & Rodulfi epiſcoporum, qui hujus decreti infractoribus diras imprecati ſunt. *Datum nonis Junii, indictione* VIII. *anno dominicæ incarnationis* M XL. *anno autem domini Heinrici regis tertii ordinationis tertio-decimo, regni ſecundo. Actum Stabulau.* ubi ſine dubio omnes illi epiſcopi convenerant ad novæ baſilicæ dedicationem, de qua mox agendum. Prædictum Heinrici decretum Leo papa IX. [d] pontificio diplomate confirmavit. Heinricus vero quartus, patris ſui decreto inhærens, illius abbatiæ reditus [e] in tres portiones diſtribuit, nempe in xenodochium, in beneficium abbatiſſæ, & in præbendas fratrum ſeu ſanctimonialium ſeptuaginta-duarum. Actum Aquiſgrani anno M LIX.

c *Mirai no-* „
tit. p. 163. „
„
„
„
„
„
„
„
„
„
„

d *ibid p.* 169.

e *ibid. p.* 170. „

XXVI. Stabulenſis eccleſiæ dedicatio.

Exoneratus ſancti Maximini [f] præfectura Poppo, Stabulacum ſe recepit, ubi ſe totum ad componenda Stabulenſe & Malmundarienſe monaſteria contulit. Et apud Malmundarium quidem cryptam a fundamentis exſtruxit, quo cryptæ nomine veteres non raro fornicem eccleſiæ, non tantum ſubterraneum ſignificant: Stabulaci vero omnes monaſterii officinas cum eccleſia renovavit, atque intra ſeptennium perfecit. His abſolutis, nova eccleſia ab Herimanno Coloniæ-Agrippinæ archiepiſcopo & a Nicone * Leodicenſi præſule dedicata eſt, præſentibus multis aliis epiſcopis & abbatibus. Huic dedicationi etiam Heinricus imperator a Poppone invitatus, interfuit, qui Amblaviæ prædium in fratrum uſus aſſignavit, & Malmundarium Stabulaco in perpetuum, uti antea fuerat, imperiali præcepto aſſeruit. Poppo autem, ut Malmundarienſes Stabulaci profeſſionis monaſticæ vota facerent, perpetua lege ratum eſſe voluit. Conſecrata eſt hoc anno illa eccleſia nonis Julii in honorem principis apoſtolorum Petri: quem diem Heinricus concurſu populi deinceps celebrem eſſe edixit. Stabulaci cum reſideret Poppo, mulier quædam ad furorem inſana, hauſta aqua, qua vir Dei intra miſſarum ſollemnia manus abluerat,

f *V. lib.* 56. *n.* 69.

* *qui al.* Nithardus.

repente compos ſui facta eſt. Ad hæc Stephanus quidam vir illuſtris, beato viro familiaris, qui, depoſito militiæ cingulo, monachum ſub eo induerat, cum ſenio confectus horam ſui exitus exſpectaret, dixit, ſe quidem mori paratum, ſed *abſque licentia patris* non poſſe. Acceſſit pater, eique viaticum & benedictionem dedit, &, ſicut petebat, diſcedendi veniam indulſit. Vix ad cellam ſuam redierat vir Dei, cum Stephanus animam exhalavit, factus obediens uſque ad mortem. Non minus de eruditione monachorum, quam de ædificiis ſollicitus fuit ſanctus abbas. nam Theodericum piiſſimum ac eruditum monachum, de quo jam ſæpius [a] egimus, ab Hugone Laubienſi abbate obtinuit, eumque in Stabulenſi monaſterio ſcholaſticum inſtituit. Ille vero non modo humanarum, divinarumque litterarum ſcientia diſcipulos informavit, ſed præclara diſciplinæ regularis ac morum inſtitutione ad veræ philoſophiæ ſtudium excitavit, tanto ſucceſſu, ut eum certatim alii abbates fratrum ſuorum magiſtrum habere cuperent. Ex his Walerannus, ſancti Vitoni poſt Richardum abbas, eum triennio apud ſe retinuit; & Rodolfus Moſomenſis, ſapientiæ & diſciplinæ regularis ſtudio ſpectabilis, eumdem quoque adſcivit.

ANN. CHR. 1040.

Theodericus ſcholarum magiſter.

a *V. lib.* 56. *n.* 39. *& lib.* 57. *n.* 112.

XXVII. Juliacum Cluniaco aſſertum.

Eodem tempore Juliacum, villa pagi Cabilonenſis, Odiloni Cluniacenſi abbati aſſertum eſt a Rotberto Burgundiæ duce, Rotberti regis filio, litteris ſuis teſtante, quod in præſentiam ſuam & duorum Hugonum, Autiſiodorenſis & Lingonenſis, epiſcoporum venerit *fidelis & devotus amicus Odilo Clunienſis presbyter & monachus*, aliique fratres, cum Alinardo abbate ſancti Benigni Divionenſis; ipſique expoſuerit, quo pacto Manaſſes Arelatenſis archiepiſcopus, poſtea Mediolanenſis, ex majoribus proceribus Burgundiæ, Warnerio & Teutberga, parentibus ortus, prædictum locum, ſibi hereditario jure competentem, Cluniacenſibus contulerit. Cum vero Hugo Magnus dux Francorum regnum Burgundiæ accepit, quidam Burgundiones hanc villam in beneficium ab eo petierunt: at ille dare noluit. Eo mortuo, hæc villa Cluniaco a præpotentibus hominibus ſubtracta fuit, uſque dum Otto-Willelmus cum filio ſuo Rainaldo comite, eam ſancto Petro reſtituit juſſu & auctoritate Rotberti regis & Hugonis comitis Cabilonenſis, aliorumque procerum, quod dux Rotbertus poſtmodum confirmavit.

XXVIII. Garſiæ epiſtola de monaſterio Coxanenſi.

Tunc temporis Garſias Coxanenſis in Catalonia monachus prolixam epiſtolam [b] ſcripſit ad Olibam Auſonenſem epiſcopum, ſuumque abbatem de initiis monaſterii Coxanenſis, de ejus dedicatione & reliquiis ibidem aſſervatis: qua in epiſtola Olibam epiſcopum laudat ob conſtructum hoc anno elegantiſſimum eccleſiæ propitiatorium, quod fuſe deſcribit auctor, & ob erectam aram ſanctiſſimæ Trinitatis pone altare majus ſancti Michaëlis archangeli, ejuſdem loci cum ſancto Germano patroni. In fine Coxanenſes monachos hortatur ad imitandam majorum ſuorum religionem.

b *Marca Hiſp. p.* 1072.

XXIX. Dominici Silenſis vitæ initia.

In Hiſpania Tarraconenſi tum ſanctitate florebat Dominicus, Exilienſis ſeu Silenſis a monaſterii, quam geſſit, præfectura cognominatus, ad diſcrimen ſancti Dominici Prædicatorum inſtitutoris, quem parentes meritis alterius Dominici a Deo impetrarunt. Natus eſt noſter Dominicus in villa Canienſi ſeu Iranienſi, haud procul ab urbe Najara, patre Johanne, nobili ac religioſo. Bonæ indolis puer ſæculares ſcientias præ rebus ſpiritualibus aſpernatus, paſtoritiam coluit, ut illo in miniſterio, quod infra natalium dignitatem eſſe videbatur, ſoli Deo vacaret. Expleto in ovium cuſtodia quadriennio, litterarum utilitate demum intellecta, eas perfecte didicit, ut ad ſacerdotii honorem promoveri poſſet: atque ut tanto miniſterio ſe dignum præberet, in ſolitudinem ad ſeſquiannum ſeceſſit. Verum cum ſine duce ac magiſtro ad perfectionem aſſequendam ſe imparem ſentiret, ad monaſterium ſancti Æmiliani ſe contulit, ibique ſuſcepto habitu regulari, *juxta inſtitutionem ſanctorum Patrum* (ſic vetus auctor ſancti Benedicti regulam deſignat) mores ſuos ad amuſſim compoſuit. Hinc ſanctæ Mariæ Canienſis præpoſitura ei commiſſa a ſuo abbate, quam intra biennium inſtauravit, accolas interim monitis ſalutaribus ad meliora inſtruere ſolitus: quos inter patrem ſuum Johannem, jam quidem religioſe viventem, fratreſque ſuos a ſæculi vanitate ad vitam monaſticam convertit. Ejus monita reſpuit una ipſius genitrix, ſæculari more vivere aſſueta: quam poſtea ægrotantem inviſere noluit, indignam ſervorum Dei viſitatione exiſtimans, quæ ad Dei cultum adduci nolebat. Sed tamen cum paullo poſt e vita migraſſet, in prædicto ſanctæ Mariæ cœnobio, poſtquam ſalutare ſacrificium pro ejus abſolutione cele-

ANN. CHR. 1040. brasset, honorificæ tradidit sepulturæ. Inde in sancti Æmiliani cœnobium revocatus, præpositi officium recte administravit, dum Garsias rex Navarræ, ejus nominis quartus, filius Sancii Majoris, frater vero Fredelandi seu Ferdinandi Castellæ regis, dein etiam Legionensis, eum inde exturbavit: propterea quod regis iniquæ cupiditati resisteret, res monasterii auferre volenti, quas majorum suorum facultates esse dicebat. » Ad quod vir Dei: Fateor, inquit, rex gloriose hæc majorum tuorum beneficio » nobis collata fuisse: at semel Deo consecrata denuo usurpare nefas. Hoc responso rex excandescens, oculorum, linguæ, ac denique ipsius vitæ privationem Dominico » minatur. Verum sanctus vir ad has minas: Fac quidquid vis, inquit, & quidquid potes. » Mihi quidem animam auferre potes, at lædere non potes. Ad quod rex supra modum ira succensus, abbati imperat, ut Dominicum e monasterio extrudat. Paruit Ferrutius, (id abbati nomen) non invitus, quippe qui Dominico jam ob insigne meritum invidebat, eique nihilo minus tres cellulas regendas commisit. at vix transacto dimidii anni spatio, vir Dei a rege, qui harum cellarum rebus inhiabat, iterum exagitatus, demum in regnum Ferdinandi se recepit: a quo benigne susceptus, postmodum Exiliensi monasterio præfectus est. Situm est hoc monasterium in Castella-veteri, & quidem in diœcesi Oximensi, sancto Sebastiano sacrum; eique Munio abbas tunc præerat: qui regis hortatu præfecturam in gratiam Dominici abdicavit. Rem paullo aliter Sandovallius, quam Grimoaldus vitæ Dominici scriptor, commemorat. Nempe Garsiam, pium ac liberalem alioqui regem, ut ejus in Najarense monasterium, cujus monachus erat Sandovallius, benefacta probant, regni necessitatibus compulsum a sancti Æmiliani abbate & monachis postulasse, urgenti ut necessitati subvenirent; omnibusque assentientibus unum obstitisse Dominicum, qui idcirco expulsus sit.

ANN. CHR. 1041. XXX. Gozecense & Transaquense monasteria. * *Munster.*

POstero anno millesimo-quadragesimo primo, duo in Saxonia condita fuere monasteria, unum Gozecæ virorum, alterum puellarum apud Mimigardevordam seu Monasterium*, Transaquense appellatum. Primum construxere germani fratres, Albertus seu Adelbertus, post Alebrandum archiepiscopus Bremensis, Dedo & Fridericus, palatini comites, filii Friderici comitis ex Agnete Wimarienſi, ad quos castrum Gozecense, in orientali parte montis Gozecæ positum, pertinebat. hi partem occidentalem a propinquis suis compararunt: ubi monasterium hoc anno incohoasse dicuntur, *in nomine Domini nostri Jesu-Christi & in honore sanctissimæ Mariæ virginis genitricis-Dei, & beati Michaëlis archangeli* consecratum, ut legitur in fundatorum litteris, quibus hoc monasterium Bremensi ec» clesiæ attribuerunt, statuentes, ut ordo monasticus secundum beati Benedicti re» gulam ibidem perpetuis temporibus inviolabiliter servaretur, libera abbatis eligendi facultate concessa. Datum est diploma Gozecæ anno M LIII. cui multi præsules & comites subscripserunt. Ex his conditoribus Dedo comes a quodam nefario clerico cæsus, antequam exspiraret, noxam parricidæ indulsit. Primus e stirpe sua *monarchiam palatii a rege* obtinuisse traditur. Eamdem ab Heinrico rege itidem accepit Fridericus comes ejus germanus, in Fuldensi academia litteris eruditus, qui multis beneficiis Gozecense monasterium affecit instinctu Friderici abbatis, qui *novellæ vineæ Domini sibi creditæ* sollerter invigilavit. Postea regis offensam incurrit Fridericus, ob idque Papiam primum relegatus; inde postea revocatus, sed in artissima detentus custodia, cum ejus vita, uti & reditus omnino desperaretur, omne studium suum in Gozecenses contulit. nam, cura sui postposita, quidquid sibi subtrahere potuit, in utilitatem illius monasterii expendit: cui *bibliothecam ex integro*, id est libros sacrorum bibliorum, aliosque codices multa pecunia comparavit. Huic filius æquivocus fuit, ejus nominis tertius, qui patre superstite cæsus, Gozecæ sepultus est. Triennio post, id est anno M LXXXVIII. decessit Fridericus secundus ejus parens, *unica spes Gozecensis ecclesiæ, solamen & gloria*; & ipse a Friderico abbate Gozecæ honorifice humatus: de quo illud pro magno elogio refertur, quod *epistolas transmissas per se legeret & intelligeret, ac capellanos in divino officio errantes corrigeret.* Friderico abbati successit Conradus: quo mortuo, Gozecense monasterium aliquamdiu rectore caruit. Interim monasterii præpositus, quibusdam familiaribus & propinquis sibi adjunctis, abbatiæ obtinendæ gratia inconsultis fratribus, ad urbem Bremam iter arripuit. Verum in medio itinere omnes capti

& spoliati, vix tandem nudi redire potuerunt. sic præpositus dignas ambitionis suæ pœnas luit. Quæ hactenus de Gozecensi monasterio retulimus, ex appendice ad Witichindi historiam Saxonicam desumta sunt. De Alberto seu Adalberto archiepiscopo non bene sentit Adamus, ut inferius videbimus. ANN. CHR. 1041.

Eodem, ut mox dicebamus, tempore Hermannus Monasterienſis episcopus apud Trans-aquas, ut vocant, in antiqua [a] urbis parochia, ad Alpham fluvium, virginum sacrarum collegium condidit cum magnifica basilica, quam sollemni pompa in honorem beatissimæ Mariæ virginis dedicavit. Ad ejus dedicationem invitati non modo vicini episcopi, sed etiam Heinricus rex cum quatuor archiepiscopis interfuit. Hermannus sororem suam primam abbatissam imposuit. Hanc dedicationem IV. kalendas Januarii, id est exeunte anno M XL. factam fuisse intelligimus ex chronico Saxonico, in quo novus annus incipit a natali Domini, quod festum Heinricus rex Mimigardevordæ celebrasse dicitur: ubi Suitgerus Babenbergensis episcopus a Bardone Moguntino archiepiscopo consecratus est in natali Innocentium, sequenti vero die prædicta dedicatio facta. a *Annal. Paderborn.*

Dum Guntherus seu Guntharius Altahensis monachus, de quo superius actum est, in solitudine versaretur, nonnulli ex clericis, monachisve se se illi adjunxere: quos inter presbyter quidam, Tammo nomine, e Saxonum gente oriundus, eidem se sociari postulavit. Hic missus de more ad Altahensem abbatem (is tum Ratmundus erat) ut in vita cœnobitica ex regulæ præscripto probaretur; facta demum professione rediit ad eremum, seque Guntheri disciplinæ subjecit. Cum in cella sibi deputata aliquamdiu humiliter & obedienter se gessisset, in tantam demum superbiam prolapsus est, ut etiam venerando seni Gunthero detrahere ausus sit, & convicia irrogare; nec a condiscipulis, qui pii magistri contemtum & injuriam indigne ferebant, ad sanam mentem revocari potuerit. Hinc a ceteris sequestratus, nec sic tamen resipuit, immo dæmonis præstigiis & fallacibus visis delusus, ad id amentiæ devenit, ut etiam dæmonem ipsum, qui se Christum esse fingebat, pronus adoraverit. Quin etiam mendaci male credulus, brevi se martyrem fore, sed prius Noricorum monachorum vitam ab ipso emendandam esse persuasus est; atque in ejus rei argumentum, duobus ejus loci fratribus, Remigio & Razoni, utroque lumine orbatis, ipsique Gunthero, qui sinistro laborabat oculo, integram videndi facultatem restituendam. Quæ cum resciviſſet Guntherus: Crede mihi, inquit, mallet « Guntherus ambobus carere oculis, quam lumen recipere illius opera, qui tibi hæc « fallaciter promisit. nam te diabolica arte circumventum certo scias. Verum Tammo « nihilo cautior aut melior, uni ex duobus illis cæcis fratribus visum restituere precibus tentat. ast ubi preces nihil efficiunt, pudore simul & horrore perfusus, ad Guntherum accedit, acciditque supplex ad ejus pedes; ni sui misereatur, actum de sua salute agnoscens. Verum jacentis animum erexit pius senex proposito Petri exemplo, qui trinæ negationis crimen lacrymis tandem eluit. Ageret proinde pœnitentiam, & Dei misericordiæ confideret. quæ cum ille strenue exsequeretur, dæmon nihilo minus se illi infestum exhibebat. Consultus hac de re Ratmundus abbas, Patavienſem episcopum in consilium vocat. Eorum sententia fuit, tantam noxam, quæ ex superbia orta erat, humilitate expiandam; Tammonem proin officio sacerdotali usque ad condignam satisfactionem privandum; ad hæc preces fratrum cum sacrificii salutaris oblatione adhibendas. Hæc ubi per sex menses acta sunt, ab infesto hoste Tammo levamen sensit; jamque octavum annum in summa humilitatis, obedientiæ & abstinentiæ exercitatione agebat, cum Arnolfus sancti Emmerammi monachus, qui hæc refert, ab ore senis Guntheri excepit. XXXI. Tammo eremita ad æmone illusus resipiscit.

Virdunense sancti Agerici monasterium ante paucos annos [b] exstruxerat Rambertus ejusdem urbis episcopus, favente Conrado imperatore, eidemque loco ab se dotato Baldericum abbatem præfecerat. Hoc autem anno Heinricus augustus, interventu Richardi Virdunensis episcopi, qui Ramberto successerat, necnon Balderici abbatis, res omnes eidem monasterio concessas imperiali auctoritate confirmavit. *Data idus Februarii, indictione* IX. *anno dominicæ incarnationis* M XLI. *anno autem domini Heinrici tertii ordinationis ejus* XIII. *regni vero secundo. Actum Trajecti feliciter.* XXXII. Heinrici diploma pro S. Agerico. b *V. lib.* 57. *n.* 87.

Per id tempus interfectus est Gualterus castellanus Cameracensis, qui Gerardo episcopo multas molestias facesserat, ob idque fidelium communione, adeoque XXXIII. S. Amando quædam donata.

ANN. CHR. 1041.

jure sepulturæ privatus. sed tandem post mortem ecclesiæ reconciliatus, in Elnonensi sancti Amandi monasterio humatus est, curante ejus conjuge Ermentrude, quæ ob eam causam sancto Amando quædam donavit. Legi ejus hac de re litteras » in Elnonensi chartario, in quibus Ermentrudis ait, dominum suum Gualterum, » dum viveret, Elnonensium societatem obtinuisse, & pœnitentiam sibi injunctam « egisse in quadragesima præcedente finem vitæ suæ. Interfecto autem eo Cameraci, » privatoque ecclesiastica sepultura, dum per episcopum Gerardum restitutus fuisset » *ecclesiæ vel atrio*; cum multo comitatu nobilium virorum se curasse eum deferri » ad monasterium sancti Amandi, ubi & honorifice fecit eum sepeliri; regressamque » a sepultura ejus, præsentibus episcopis domno Fulcone Ambianensi & Drogone » Teruannensi, præsente etiam Adela Flandrensi comitissa, tradidisse ad usus fra- » trum sancti Amandi, quidquid possidebat in vico pagi Cameracensis, dicto Bra- » ceolo; necnon in pago Atrebatensi, in villa, *quæ vocatur Vitris*, omnem decimam » anguillarum, quæ ibi caperentur. Hæc est villa Victoriacus, in qua rex Sigebertus olim cæsus est. *Facta est hæc traditio Elnone anno* M XLI. *imperante rege Francorum Henrico, comite Flandrensium Balduino, præsidente cathedræ pontificali Cameracensis ecclesiæ Gerardo.* His litteris apposita sunt signa Fulconis Ambianensis episcopi, & Drogonis Teruannensis; tum, Lierduini Atrebatensis abbatis, Helgori & aliorum. Fulcuinus rogatus a domno abbate Malboldo *scripsit & subscripsit.* Prædicta Ermentrudis ab insania mariti non cessaviſse dicitur, sed pejora addidisse, secundis nuptiis contractis cum Johanne advocato Atrebatensi, qui tyrannus a Balderico [a] appellatur. Malbodus Elnonensis abbas ad annos minimum viginti superstes fuit.

[a] *Chron. Camerac. lib. 3. c. 62.*

XXXIV. Corbeiæ vexationes remissæ.

Præerat hoc tempore Corbeiensi monasterio Richardus abbas. Is apud Heinricum Francorum regem conquestus est de vexationibus & consuetudinibus injustis, quas in primis Walterus Incrensis dominus, Corbeiæ advocatus, suo monasterio inferebat. His auditis, rex se Corbeiam profecturum, & justitiam de omnibus facturum promisit. Citatus ad regis præsentiam Walterus, illis consuetudinibus cessit, quæ in eo positæ erant, ut, si quando in expeditionem comitis aut episcopi pergebat, equos e Corbeiæ hospitibus, & procurationes ex villis exigebat. quod in posterum facturus non sit, nisi ad expeditionem regis pergat. Ad hæc frumentum, avenam, fœnum & alia pro arbitrio suo e villanis monasterii extorquebat. quod injussu abbatis deinceps non faciet. Hac de re Richardus instrumentum hoc anno confecit. *Actum Corbeia* mense Februario, *præsente glorioſissimo rege Heinrico*, qui signum crucis prædicto instrumento apposuit, uti & frater ejus Odo, Fulco episcopus, scilicet Ambianensis, Walterus Incrensis & filii ejus Etfridus & Robertus, Waldericus Castellanus, Drogo Botvensis & alii. Eadem controversia postea sub Fulcone abbate recruduit. Prædictus Fulco Ambianorum præsul Richardo abbati altare villæ Cirisiaci * concessit, eo pacto, ut personæ a Corbeiensibus designatæ curam animarum committeret, & ab omni conditione liberam constitueret, excepto quod bis quolibet anno synodo se sisteret institutus presbyter, *& denariorum summulam, quam honorem cathedræ canones appellant, ut reliqui, & ipse persolveret.*

* *Cerisy.*

XXXV. Salmurensis ecclesia dedicatur.

Jam Fridericus Salmurensis abbas novam basilicam in loco, ubi nunc stat monasterium, perfecerat, cum vicinos episcopos ad illius dedicationem invitavit, scilicet Arnulfum Turonensem, Hubertum Andecavensem, Isembertum Pictavensem, & Galterium Namnetensem. Hæc dedicatio facta est hoc anno idibus Octobris, quo die consecrata fuit ecclesia in honorem sanctissimæ Trinitatis & beatæ Dei-genitricis Mariæ, in memoriam beatorum apostolorum Petri & Pauli & S. Florentii confessoris, cujus patrocinium & nomen hactenus retinet. Huic dedicationi interfuere plurimi abbates & monachi, necnon Gaufridus Andecavensium comes cum Hildegarde matre & conjuge Agnete, multisque nobilibus, & cum infinita promiscui vulgi multitudine. Tunc temporis Agnes comitissa locum Fossas dictum S. Florentio donavit in pago Pictavo situm, concedente Petronilla sanctæ Crucis abbatissa cum monachabus suis, ad quas locus ille pertinebat, annuentibus etiam Agnetis comitissæ filiis, Guillelmo & Guidone. Eodem fere tempore Bellaïus dominus Monsterioli castri, quod ab eo Monsteriolum-Bellaii vocabulum accepit, defunctus est, cujus corpus *in locutorio*, ubi *pedes pauperum abluuntur*, honorifice sepultum fuit. Hujus conjux, Grisela nomine, postea Andecavensis comitissa, annuentibus

filiis suis, Giraldo, Andecavis in cæna Domini cum aliis interfecto, & Rainaldo, non multo post Remorum archiepiscopo, terram in territorio Pictavensi apud Triangulum castrum, aliaque beneficia sancto Florentio concessit. Hæc acta Friderico abbate, qui ad annum M LV. superstes fuit.

ANN. CHR. 1041.

XXXVI. Treuga Dei statuta.

Richardus Neustrasiis eam approbat.

Hugo Flaviniacensis abbas auctor est, anno M XLI. de quo nunc agimus, trevam seu treugam Dei, auctore in primis Odilone Cluniacensi abbate, denuo statutam & firmatam fuisse, eamque non solum humana auctoritate, sed etiam divinis terroribus confirmatam. Hanc Austrasii quoque probavere: at, cum Neustrasii eam admittere præfracte nollent, divino judicio ignis in eos desævire cœpit, & vini penuria hoc anno eis inflicta, quam pestilentia paullo post subsecuta est. Tunc multi eorum, qui illo igne torquebantur, ad Richardum Virdunensem abbatem confugerunt, ejusque precibus sanitatem sunt adepti. Hinc ei negotium impositum, ut ejusmodi pax Neustrasiis persuaderetur: ex quibus qui contumaces & rebelles fuere, & quasi rem novam & inauditam respuere perrexerunt, divinam in se ultionem ex illo igne experti, mox ad medicum recurrerunt. Videres, inquit « Hugo, monasterium eximii patris, ardentium turbis refertum: quos ipse sancto- « rum reliquiis, aqua benedicta respersis & vino lotis, & pulvere, qui de petra se- « pulcri Domini radebatur, vino ipso consperso & ad potandum miseris dato, pace « firmata & jurata, pristinæ sanitati reddebat. Pro innumeris autem turbis con- « fluentium infirmorum vas potui illi paratum erat, ut, si advenirent ægroti, potus « salutis non deesset, ne fallerentur, si hora incompetenti venissent; neve tunc fo- « ret necessitas recurrendi ad ablutionem reliquiarum, quod post missam fieri mos « erat. Quid sit illa treva seu treuga Dei, superius [a] dictum est, quæ a Nortmannis demum in concilio Cadomensi anno M LXI. sancita fuit.

[a] *lib. 57. n. 17.*

XXXVII. Halinardus Lugdunensem episcopatum recusat.

Interim vacabat Lugdunensis sedes, Burchardo juniori in Germaniam, ut diximus, abducto a Conrado imperatore, & forte jam mortuo: cum Heinricus imperator, Austrasiorum recepto regno, Vesontionem [b] accessit, qui, Lugdunensis ecclesiæ diutina viduitate comperta, Halinardo Divionensi sancti Benigni abbati, olim sibi noto, & pro sanctitatis opinione multum dilecto, eam dignitatem detulit. Ille vero tanti muneris pondus constanter refugit, se ad eam imparem esse professus. Huic officio longe magis idoneum esse quemdam Lingonensis ecclesiæ clericum, Odalricum nomine, non magis ætate quam sancta conversatione provectum, litterisque apprime eruditum, qui tunc in palatio regis, sed ei incognitus versabatur. Assensit Heinricus rex, modestiam admiratus Halinardi, qui Odalricum ad sedem illam deduxit, ejus post annos quinque, vellet, nollet, successor futurus.

[b] *Glab. lib. 5. c. 4.*

XXXVIII. S. Stephani abbatia Eporediæ.

Eporediæ * in Gallia Cisalpina exstat abbatia sancto Stephano protomartyri sacra, cujus originem Henrico illius urbis episcopo tribuunt. In primariis ejus litteris, teste [c] Francisco-Augustino, nominantur Eripertus seu Heribertus archiepiscopus Mediolanensis, Gregorius episcopus Vercellensis, Liutprandus Novariensis, Petrus Dertonensis, & Guillelmus Astensis. Supereſt etiam nunc hæc abbatia, quam modo tres tantum monachi inhabitant. Henricus episcopus ejus auctor abbatiam [d] Fructuariensem ab episcopali jurisdictione immunem declaravit. At præ ceteris Ogerius episcopus se munificum in eumdem locum exhibuit, de quo iterum infra.

* *Ivrée.*

[c] *Chronol. Pedem. p. 268.*

[d] *Ital. sac. to 4. p. 1496.*

Caburrensis confirmata.

Hoc ipso anno Wido Taurinensis episcopus, episcopatus sui anno tertio, donationes omnes, Caburrensi monasterio a Landulfo decessore suo factas, suis litteris confirmavit, a Francisco [e] Augustino relatis, in quibus Johannes primus ejus loci abbas, vir *summæ industriæ & sanctitatis egregiæ* laudatur. De hujus monasterii origine superius [f] actum est, quod hodie quoque perstat.

[e] *Chronol. Pedem. p. 214.*

[f] *lib. 53. n. 41.*

XXXIX. Vallumbrosæ nova institutio.

Florebat in dies Vallis-umbrosæ instituta recens a Johanne-Gualberto religio, multique ad eum discipuli confluebant, cum quibus sancti Benedicti regulam ad amussim observare decrevit. Qui ad eorum societatem convolabant, multis experimentis prius in hospitio probati, dein in novitiorum cella denuo exercebantur: quos post annuam probationem veste monastica donatos ad professionem admittebat. Exinde nihil a quoquam accipere vel quærere licebat: sed omnia suppeditabantur a præposito seu priore. In tironum vero delectu insignis erat Johanni concessa gratia, ita ut primo intuitu vel colloquio, recto an ficto animo accederent,

ANN. CHR. 1041.

facile perſpiceret. Nulla apud eum perſonarum acceptio; immo divitibus ad aſſequendam humilitatem, ſi quas afferrent pecunias, magnopere obſtare cenſebat. Ideo novitios gratuito admitti volebat, aut certe nullo heredum detrimento. unde cum reſciviſſet quemdam totum ſuum patrimonium, propinquis hereditate omnino privatis, cuidam monaſterio contuliſſe; mox ad locum perrexit Johannes, & donationis inſtrumento minutatim diſcerpto, cœnobio dira imprecatus diſceſſit. quo non longe digreſſo, monaſterium repentinus ignis corripuit, & majori ex parte conſumſit. Conſimile quid accidit in Muſcetano, cum Rodulfus abbas ei præeſſet. Hic, tametſi vir pietate inſignis, cellas illic grandiores & elegantiores, quam Johanni videretur, exſtruxerat. ad quem Johannes: Tu in hoc loco, inquis, magnis expenſis, quibus multi pauperes recreari potuiſſent, ex proprio voto palatia fabricaſti. Tum converſus ad rivulum prope decurrentem, Deum rogavit, ut abnorme ædificium aquis obrueret. Vix e loco pedem moverat vir Dei, cum rivulus magno impetu lapidum ſcopulos & arbores e monte ſecum trahens, prædicta ædificia ſubvertit. Initio prioris nomen & officium geſſerat Johannes, qui cum fratrum animas & corpora ſollicite procuraret, ſibi gravem abſtinentiam & laborem imponebat, modico cibo & potu contentus. Si quando extra reficiendi corporis horas præ manuum labore ſitim patiebatur, tunc in frigidam aquam manibus pedibuſque immiſſis, ex contracto frigore ſitim temperabat, quidvis extra regulares horas percipere religioni ducens. Hinc tantum ſtomachi ac virium defectum contraxit, ut pæne exanimis ſubinde redderetur. Ex illo autem propriæ infirmitatis experimento tantæ diſcretionis erga alios factus eſt, ut nemo eo benignior eſſet, nemo humanior, & materna in omnes viſcera habere videretur. Dein abbatis nomen & officium ſubire coactus, ſenſum regulæ diligentius ſcrutari, & ad ejus obſervationem diſtrictius ſe ipſum, fratreſque exigere cœpit. In primis monachos extra clauſtrum progredi vetuit, his exceptis, quibus excipiendorum hoſpitum & exteriorum rerum cura commiſſa erat. Veſtes ex ovium varia lana confectas a fratribus geſtari voluit, quarum vilitate illi ſic delectabantur, ut cilicina tunc veſte plerique ſponte uterentur. His ſucceſſit veſtis exterioris ferrugineus color, in atrum tandem mutatus.

XL. Johannis Gualberti primi diſcipuli.

Inter primos ejus diſcipulos cenſendus eſt magnus ille Rodulfus, mox laudatus, qui multo tempore excipiendorum hoſpitum functus officio, in Muſcetano demum monaſterio abbatis curam geſſit. Huic non impar fuit Petrus, qui diu aſinorum, tum vaccarum procurator, dein prioris in Paſſiniano, inde abbatis in Ficiclo officium adminiſtravit; & tandem Romanæ eccleſiæ cardinalis & epiſcopus Albanenſis creatus eſt. His acceſſere Lætus abbas in Paſſiniano, & Ruſticus, qui rerum exteriorum curam ſuſtinuit vivente Johanne, & poſt eum tertius univerſæ congregationi præfuit. Principio qui abbas Vallumbroſæ erat, idem perpetuo totius congregationis præpoſitus cenſebatur: at poſtremis temporibus cujuſlibet monaſterii abbas pro arbitrio eligentium fit abbas generalis, mutaturque ſingulis quadrienniis. Præter monachos choro addictos admiſſi ſunt etiam a Johanne viri laïci, qui *in bonis moribus fere nihil a monachis diſtabant, extra veſtium qualitatem & ſilentium, quod in exterioribus occupati, nequibant plenius obſervare. Tales igitur tam probatos converſos pater ad mercatum & omnia exteriora mittebat.* quæ ipſis Johannis vitæ ſcriptoris verbis referre viſum eſt, quippe qui e primis hujuſmodi converſos in ſuum cœtum admiſit, de quibus in conſequentibus fuſius differendum erit.

Converſi ab eo admiſſi.

ANN. CHR. 1042.

XLI. Joannes epiſcopus Cæſenas.

a *Ital. ſacr. to. 2. p. 458.*

INſequente anno ſupra milleſimum quadrageſimo-ſecundo, Johannes Cæſenas præſul monachus noſtri Ordinis, Sergii itidem monachi in Cæſenate ſede ſucceſſor, clerum eccleſiæ ſuæ ad communem [a] vitam degendam, conſilio Gebehardi Ravennatis archiepiſcopi, aliorumque epiſcoporum & abbatum, adduxit, eiſque ſtipendium aſſignavit. Johanni in Cæſenate epiſcopatu ſucceſſêre Deſiderius itidem Benedictinus, & uno interpoſito Gebizo monachus & abbas ſanctorum Alexii & Bonifacii in monte Aventino, Ordinis quoque ſancti Benedicti.

XLII. Petrus Damiani ſcriptis clareſcit.

b *Petr. Dam. lib. 3. epiſt. 2. & 3.*

Florebat hoc tempore, & jam ſcripta edere cœperat Petrus Damiani, qui opuſculum octavum de parentelæ gradibus prædicto Johanni Cæſenati epiſcopo inſcripſit. Tempus quo ſcribere cœpit, ſignantius elicitur ex ejus duabus epiſtolis [b] ad Gebehardum Ravennatem archiepiſcopum mox laudatum, qui anno M XLIV. vivere deſiit, ſepultus in Pompoſæ monaſterio, ubi paullo ante Petrus per biennium converſatus

ANN. CHR. 1042.

verſatus fuerat. In priori ex illis epiſtolis excuſat Petrus, quod pauperculi loci regimine occupatus, ad Gebehardum venire non potuerit, quem *ſecundæ per Italiam ſedis* antiſtitem vocat; eumque in primis laudat, quod ſaluti monachorum paſtoralis ejus oculus invigilet: in poſteriori cariſſimum patrem ſuum Claſſenſem abbatem ei plurimum commendat. Jam ergo ante mortem Gebehardi archiepiſcopi Petrus Fontis-avellani ſubierat regimen, quod regreſſus a Pompoſia monaſterio ſubire coactus eſt. Cur in illo monaſterio aliquamdiu verſatus ſit, ex ejus vitæ ſcriptore diſcimus. quippe cum ipſius opinio & fama jam late ſpargeretur, Fontis-avellani abbatem ſeu priorem rogavit venerabilis Wido ſeu Guido abbas Pompoſianus, ut eum ſibi ad aliquod tempus commodaret ad eruditionem monachorum ſuorum, qui tunc centenarium numerum exceſſiſſe dicuntur. Ivit illuc Petrus patris ſui obſecutus imperio, nec mediocrem in illa commoratione fructum tulit. Reverſus poſt biennium, ad ſancti Vincentii monaſterium ſe recepit, & poſt paullum Fonti-avellano præfectus eſt: quo in munere varia eremitoria conſtruxit, non tantum de ſua ſuorumque ſalute, ſed de communi omnium profectu ſollicitus, ut ejus ſcripta probant, de quibus pro nata occaſione agemus. Quanto autem ſtudio Pompoſianos monachos dilexerit, argumento eſt una ipſius ad eos epiſtola, quos rogat, ne ſe, licet corporis habitatione ſemotum, quaſi extraneum reputent, nec qualemcumque amicum aut ſocium: ſed & ſe, & totum ipſius conventum, tamquam proprii ſui juris poſſeſſionem exiſtiment. Inſuper rogat obnixe, ut ipſius in precibus ſuis, maxime cum mortuus fuerit, ſint memores. Exſtat ejuſdem Petri opuſculum ad Pompoſianum abbatem Widonis ſucceſſorem, de quo infra. Eumdem quoque locum ſubinde frequentabat Gebehardus archiepiſcopus Ravennas, qui cum ad menſam una cum abbate Guidone, quem ſola aqua uti noverat, aliquando ſederet; idem aquæ poculum, quo ille bibebat, ab eo ſibi porrigi importune flagitavit. quo hauſto, aquam in vinum converſam fuiſſe, quod Guidoni non raro accidiſſe traditur, expertus eſt. Quid porro cauſæ fuerit, cur Petrus Damiani ſcribendis libris animum appulerit, ipſe explicat in epiſtola [a] ad Theodoſium Senogallienſem, & Rodulfum Eugubinum epiſcopos: nimirum quia labori manuum vacare non poterat. *Noverit ſanctitas veſtra*, inquit, *quia præſumſi quædam opuſcula ſcribere, non tam videlicet ut legibus eccleſiaſticis, quod temerarium fuerat, aliquid adderem, quam ob hoc præcipue, quia ſine qualibet exercitio inertis otii & remotioris cellulæ tædia non perferrem: ut qui operibus manuum utiliter inſudare non poteram, cor vagum atque laſcivum quodam meditationis loro reſtringerem; ſicque cogitationum ingruentium ſtrepitum atque acediæ obrepentis inſtantiam facilius propulſarem* Hæc Petrus.

Pompoſiæ degit.

a *id. lib. 4. ep. 11.*

XLIII. Joſeph abbas Novalicienſis.

Novalicienſe monaſterium tunc regebat Joſeph abbas: quo tempore quidam Aymo clericus, filius Ugonis, lege Romana ſe vivere profeſſus, multa eidem monaſterio contulit, traditione facta per ramum arboris; ibique ſe ipſum pro monacho obtulit. Hanc donationem *in præſentia domni Anſelmi epiſcopi Gratianopolitani bonæ memoriæ* laudavit Wifredus de Camberiaco cum uxore & filiis ſuis, donnus Berlio cum filiis itidem ſuis, donnus Ludovicus, & donnus Wifredus de Viriaco, anno ab incarnatione M XLII. *Actum infra caſtrum, quod Carboneria dicitur. Data per manus donni Joſeph abbatis Novalicenſis.* Hic Odiloni abbati ſucceſſiſſe videtur, omiſſus a Franciſco Auguſtino, apud quem Odiloni ſubſtituitur Eldradus, & ipſe Bremetenſis abbas, ſed Joſephi ſucceſſor, laudatus in opuſculo XXXIV. Petri Damiani, qui eum Adraldum vocat, ac virum prudentem & religioſum; eumdemque in itinere ad Burgundiæ regnum viæ ſocium habuit.

XLIV. Lanfranci converſio & monachatus.

Inſignis eſt hic annus converſione Lanfranci nominatiſſimi viri, qui hoc anno monaſticum habitum in Beccenſi monaſterio induit. Erat is ſenatorii generis, ex civitate Papia oriundus: qui in primæva ætate orbatus patre, amore diſcendi litteras, ad celebrem patriæ ſuæ academiam, forte Bononienſem, profectus eſt. Sæculares litteras perfecte aſſecutus, domum rediit, ac paullo poſt alpes & Franciam tranſgreſſus, cum multo nobilium ſcholarium comitatu Nortmanniam penetravit principatu Heinrici regis & Guillelmi ducis: ubi apud Abrincatas demoratus, illic aliquamdiu litteras docuit. Interim ſecum reputans, quam vana & fluxa ſit gloria, quæ ex qualicumque ſcientiæ opinione captari ſolet, & quod tandem ad interitum tendant omnia; ad verum & immortale bonum, in quo ſolo vera & ſolida gloria eſt, animum convertit. Tum de abdicandis ſæculi rebus conſilium inire cœpit, & locum

ANN. CHR. 1042. * *la Rifle.*

quærere a turba remotum, & cenſu inopem, ubi litterati nulli eſſent, qui eum colerent & honorarent. Hoc ſtudio animatus, Rotomagum cum tenderet, inclinata jam luce, in ſilva, quæ ultra fluvium Riſlam * poſita eſt, incidit in latrones : qui rebus omnibus, quas habebat, ſpoliatum, ligatis a tergo manibus, & caputio cappæ ob oculos reducto, eum abduxerunt de via, & inter condenſa ſaltus frutecta dimiſerunt. In his anguſtiis neſcius quid ageret, infortunium ſuum lamentari cœpit. tum nocturno ſilentio in ſe reverſus, ad preces ſe convertere voluit; at precandi omnino rudis & inexpertus, qui in ceteris doctus erat, ſe ipſe incuſans, converſus » ad Deum dixit: Domine Deus, ecce quantum tempus in diſcendis litteris expen» di, in quibus corpus attrivi & animum; & adhuc miſer te precandi modum ignoro! » Libera me, quæſo, de his anguſtiis, & ego, te adjuvante, deinceps mores corri» gere, & vitam ſic inſtituere curabo, ut dignum tibi obſequium impendere valeam. Dixit, & primæ lucis crepuſculo viatores illac iter carpentes audit. Inclamat, auxilium petit. Illi ad incertam vocem expavêre; tum ad vocis ſonum profecti, ſolutis manibus reducunt ad viam; & quis eſſet, quid quærat, percontantur. Ille vilius & pauperius totius regionis cœnobium ſibi deſignari rogavit. ad quod illi nullum vilius & abjectius monaſterium ſe ſcire dicunt, quam iſtud, quod in proximo loco quidam homo Dei ædificabat; & oſtenſa ad locum via, diſcedunt. Mox ille Beccum pergit, is enim deſignatus locus erat; eoque profectus, Herluinum abbatem exſtruendæ fornaci occupatum invenit, cui ſe monachum fieri velle dixit. Tum abbas Rogerio monacho præcepit, ut librum regulæ Lanfranco oſtendat. qua perlecta, reſpondit, ſe omnia Deo ſe juvante libenter ſervaturum. quo audito, abbas ejus pedes pronus oſculatur; nec mora novum tironem veſtibus monaſticis induit, lætitiæ plenus, quod preces ſuas a Deo exauditas intelligeret, qui tantum virum naſcenti religioni conceſſiſſet. nam cum ſæpe ad res exteriores procurandas foras egredi cogeretur abbas, nullus domi remanebat, qui eam regere, & diſciplinam regularem curare valeret. Lanfrancus vero nullam pro eminenti ſcientia arrogantiam, immo ſummam modeſtiam præ ſe ferens, ad omnia parebat imperanti, eratque inter ambos pia quædam contentio, dum abbas diſcipulum debita veneratione, diſcipulus magiſtrum omnimoda ſummiſſione proſequebatur. Sic per tres annos Becci delituit Lanfrancus, omnibus, præterquam iis, quibus loqui neceſſe erat, omnino ignotus. In omnibus porro, maxime in re divina, tam accurate agebat, ut lectionem in eccleſia recitare ipſi religio eſſet, niſi prius eum recitantem cantor ſeorſim audiſſet, ac probaſſet. Forte aliquando, cum ad menſam legeret, correptus eſt a præſidente illiterato, quaſi erratum in pronuntiando commiſiſſet. Ille vero, etſi recte prolatum, ad nutum præſidentis accentum mutavit, ſatius eſſe ratus Chriſto obedire, quam Donato.

XLV. Nicolaus abbas S. Audoëni.

Dum hæc in Beccenſi monaſterio geruntur, Rotomagi apud ſanctum Audoënum defunctus eſt Herefaſtus abbas: cui ſuffectus in regimine monaſterii juvenis loci ejus monachus Nicolaus, ducis Richardi [a] tertii filius, qui ab infantia illic educatus & litteris eruditus, monaſtico jugo jamdudum aſſueverat. Hic tempore ſui regiminis, quod per annos quinquaginta tenuit, novæ eccleſiæ fabricam aggreſſus, ſancti Audoëni corpus per diverſas provincias, ad colligendas fidelium in hoc opus eleemoſynas, deferri curavit. Delatum eſt quoque ad Cadomenſe concilium, in quo treuva ſeu treuga Dei, quam ad id tempus Nortmanni admittere noluerant, ſancita eſt. Duo Cadomi concilia per id tempus habita fuiſſe diſcimus ex chartario Pratellenſi, in quo de priori fit mentio, quod ante obitum Gradulfi Fontanellæ abbatis habitum eſt, ut ad annum M XLVII. videbimus: alterum celebratum eſt anno M LXI. De priori concilio mentionem facere videtur Fulbertus ſancti Audoëni monachus in libro de miraculis ſancti Audoëni, quem rogatu fratrum & prædicti Nicolai abbatis, vitæ ejuſdem Sancti ſuperaddidit: ubi prædictæ delationis corporis ſancti Audoëni mentionem facit. Idem auctor meminit proceſſionis quotannis fieri ſolitæ ad vicinum montem ſeu cellam ſancti Michaëlis cum corpore ſancti Audoëni. Reliqua Nicolai abbatis acta, quæ aliquanti momenti erunt, ſuis locis referemus.

a *V. lib. 56. n. 45.*

XLVI. S. Germano Gilliaci immunitas data.

In Belnenſi Burgundiæ pago exſtat villa Gilliacus, quam Pratenſi ſancti Vincentii monaſterio a ſancto Germano Pariſiorum epiſcopo collatam tradunt. In hac villa Burgundiæ ducis miniſtri quaſdam conſuetudines præter jus & morem exigebant, ſcilicet ducis procurationem ſeu hoſpitalem ſuſceptionem cum ſuis equis &

toto comitatu. Reclamantibus abbate & monachis, dux Rotbertus, Heinrici regis frater, illas conſuetudines [a] remiſit *amore Dei & ſancti Germani, necnon abbatis Adderoldi* ſeu Adroldi, *omniumque ſibi commiſſorum monachorum. Acta eſt hæc cartula publice apud caſtrum Divionem die feſtivitatis ſancti Mauricii, ſociorumque ejus; regnante & ſtrenue in ſceptris agente Heinrico Francorum rege anno* X. *Hugone autem Lingonenſium præſule epiſcopali cathedræ præſidente anno quinto.* Huic inſtrumento appoſita ſunt ſigna Rotberti Burgundiæ ducis, Heliæ conjugis ejus, Ermuini Æduorum, & Hugonis Lingonenſis epiſcoporum, Azelini abbatis, ſcilicet de Monteſancti Johannis, id eſt Reomaenſis, de quo alias, & Johannis fratris ejus; idque poſtea Rotbertus dux Heinrico regi fratri ſuo Pariſiis firmandum tradidit, ſubſcribentibus cum rege Imberto Pariſienſi, & Widone Silvanectenſi epiſcopis. Cum vero ducis miniſtri alias conſuetudines, vini ſcilicet ac cæpium ibidem exigere pergerent; querelis denuo Adroldi abbatis, ejuſque monachorum pulſatus Rotbertus, eaſdem conſuetudines remiſit, aſſentientibus duobus filiis ſuis, Hugone & Heinrico. Actum in caſtro Divione, die purificationis ſanctæ Mariæ, *regnante & ſtrenue agente in ſceptris Henrico Francorum rege anno* XXIII. *Harduino autem Lingonenſium præſule epiſcopali cathedræ præſidente anno* III. His litteris poſt Rotbertum ducem, & Hugonem ejus filium, appoſita ſunt ſigna Johannis de Varziaco & Henrici filii ejus, Fulconis Belli-montis comitis, Widonis comitis Salani-montis, & aliorum. Intermedio tempore idem Rotbertus quamdam terram, quæ vocatur Villare-Bichet, in Belnenſi pago ſitam, eidem Pratenſi monaſterio, Heliæ uxoris ſuæ aſſenſu, conceſſit Heinrici regis anno XIII. Subſcribunt cum duce & uxore, duobuſque ejus filiis, Willelmus comes Nivernenſis, & alii. Porro hæc villa Gilliaci poſtmodum Ciſtercienſibus, permutatione facta, ceſſit ante annos trecentos.

ANN. CHR. 1042.

a Montmorency. p. 18.

XLVII. S. Salvii monaſterii inſtauratio & abbates.

In ſecundo tomo noſtrorum Annalium paucis egimus [b] de monaſterio S. Salvii, ſito in caſtro pagi Pontivi, vocabulo Monſteriolo ad Quantiam: cujus monaſterii originem ad ſanctum Salvium Ambianorum epiſcopum retulimus, argumentum quoddam ſuppeditante Anſegiſo Fontanellæ abbate, qui *ad ſanctum Salvium in Brago* ſolidos decem legat. quod de prædicto monaſterio Valeſius interpretatur. At ſaltem ejus inſtauratio tribuenda eſt Hilgodo comiti, uti diſcimus ex diplomate Heinrici Francorum regis, qui hoc anno milleſimo quadrageſimo-ſecundo avi ſui Hugonis patriſque Rotberti donationes eidem loco factas confirmat, novaſque ipſe adjicit, & *ea, quæ a primis fundatoribus loci*, ſcilicet *ab Hilgodo comite*, aliiſque collata ſunt, rata habet. Hic quippe comes, ut in illo diplomate legitur, ſancti Wingaloëi abbatis corpus, *a partibus Britanniæ*, ſcilicet Landvenecenſi monaſterio, *propter metum pyratarum* illuc *deportatum, hoſpitio cum liberalitate & munificentia tempore Ludovici imperatoris, filii Caroli-Calvi, ſuſcepiſſe* dicitur, *eique atrium publicum, ſepulturam ſcilicet advenarum & peregrinorum; deinde novem manſos ſubtus Firmitatem* contuliſſe. quæ quidem confirmat Heinricus, necnon ea, quæ contulerunt *Herlewinus comes*, Reynerus, & alii in eodem memorati diplomate, quod in Appendice referemus. Hilgodus iſte non alius eſt ſine dubio quam Heligaudus comes & abbas Centulenſis, ab Hariulfo [c] laudatus, uti & filius ejus & in comitatu ſucceſſor Herluinus, qui in prædicto diplomate Herlewinus comes vocatur. Ex his duo colligimus. unum, ſancti Wingaloëi corpus cum aliis e Britannia Monſterolium (ita ſcribunt) tranſlatum fuiſſe principatu Ludovici-Balbi, qui in illo diplomate imperatoris nomine donatur, tametſi numquam re vera imperator fuerit: alterum, Hilgodum ſeu Heligaudum comitem, qui tunc temporis, id eſt anno DCCC LXXVIII. vivebat, *fundatorem* ſaltem ſecundarium fuiſſe ſancti Salvii monaſterii, cujus patronus cum ſancto Salvio exinde habitus eſt S. Wingaloëus. Inter ejus loci benefactores recenſentur præter Hilgodum Herlewinus ejus filius, Aldorus, Arnulfus, Balduinus, & Ingelrannus, omnes comites Pontivenſes; necnon Balduinus marchiſus, ſcilicet Flandriæ comes: in quibus Herlewinus in villa Sguira eccleſiam ſancti Vedaſti, & villam, quæ Longum-pratum dicitur, eidem monaſterio donavit. Ad hæc rex Hugo tres moletrinas ad cerviſiæ uſum contuliſſe dicitur, cum duabus ſancti Judoci eccleſiis: Rotbertus vero tres eccleſias, *unam ſcilicet in honore ſancti Petri, aliam in honore ſancti Wingaloëi, tertiam in honore ſancti Salvii ſacratas.* Actum Monſterioli hoc anno, Heinrici regis undecimo, quod diploma Balduinus cancellarius ſcripſit. Per id tempus ſancti Salvii monaſterio præfuit [d] Gualterus, cogno-

b *lib. 19. n. 20.*

c *Chron. Centul. lib. 3. c. 10.*

d *ibid. c. 29.*

ANN. CHR. 1042.

mento Grimutio, ex Centulensi monasterio assumtus : post quem nullus nobis alius occurrit ante Normannum, quo abbate Wido Pontivi comes *cœnobio sanctorum confessorum Salvii & Wingaloëi omnes bannos de quibuscumque forfacturis justitiæ*, ab antecessoribus suis datos, confirmat anno centesimo supra millesimum. Ad ordinem revertor.

XLVIII. Vitalis abbas Ruyensis.

In Britannia minori Vitalis abbas Ruyensis, Felicis successor, hoc anno monachorum suorum importunitate cedere coactus, ad Willelmum [a] Talemontis castri dominum se recepit, & ab eo locum, ubi maneret, accepit, scilicet ecclesiam sanctæ Mariæ de Aulona seu Ollona, ut Willelmi litteræ fidem faciunt in hæc verba : *Ego Willelmus, Talemontis castri dominus, Vitali abbati, qui abbatia sancti Gildasii, cui præerat, monachorum suorum importunitate ejectus, a me sibi locum dari, in quo Deo juxta propositum deservire posset, expostulans accesserat, cujus moralitatis atque sanctitatis fama non solum apud habitatores vicinarum, verum etiam remotarum provinciarum perlucebat, consilio filiorum meorum, Willelmi & Pipini.. ecclesiam sanctæ Mariæ de Ollona dedi*, &c. *Datum* VI. *kal. Aprilis, feria secunda, luna* XV. *epacta* XVIII. *anno incarnationis* M XLII. *rege Francorum Heinrico, & episcopo Pictavensi Isemberto, duce vero Aquitaniæ Willelmo.* Error est in numericis notis.

a *Besly comtes. p.* 424.

XLIX. Talemontis monasterium.

Idem Willelmus Talemontis castri princeps, ac dominus, ut se ipse vocat, senior seu major dictus, ad discrimen Willelmi filii ac successoris sui, monasterium sanctæ Crucis intra prædictum castrum [b] construxit, dotavitque, concessa ecclesia sancti Petri, in ipso castello sita, cum omnimoda in eodem loco justitia, multisque aliis rebus ; ac demum ipse in extremis monasticum illic habitum induit. Conditoris pietatem spirat ejus rei instrumentum, in quo Willelmus ait, se hujus sæculi curis implicatum, deliberasse ecclesiam ex proprio facere, *quatenus inter filios*, inquit, *merear computari ecclesiæ : ut, qui videlicet vacare non possem, quomodo Domino digna facerem, illi saltem per me domum haberent, in quibus Dominus habitaret. Hinc quippe denominatum meum castellum construi placuit in honore dominicæ Crucis : ut, cum in ultimo die examinis ipsa Crux sacrosancta apparuerit, magnum fiat præsidium tam mihi, quam liberis meis, & omnibus propinquitate conjunctis. In hac igitur monachos sub norma beati Benedicti militaturos aggregavi, quorum assidua pro nobis oratio fiat efficax intercessio.* Et post multa. *Ubi vero ego Willelmus persensi adesse diem mortis meæ, suscepi monachalem habitum in hoc eodem monasterio, quod construxeram in honore sanctæ Crucis ; & convocans omnes barones meos, quos de diversis regionibus adduxeram, quosque in isto honore meo placitaveram, eos multum rogavi, ut secundum posse suum ecclesiam, quam ædificaveram, de rebus, quas eis dederam, augmentarent.* Desunt his litteris chronicæ notæ. Willelmus junior, senioris filius, & Talemontis
„ castri dominus, votum patris sui de construendo monasterio sanctæ Crucis adim-
„ plere cupiens, venerabilem virum Vitalem abbatem, cujus modo meminimus, ad
„ informandum illud monasterium invitavit, atque ecclesiæ Aulonæ dimidiam par-
„ tem, quam ipse abbas de Agnete comitissa habebat, eidem monasterio attribuit,
„ alteram partem daturus, si ab eadem Agnete eam recuperare posset, quam pater
„ ipsius, dum viveret, ab ea tenebat. Hanc vero dimidiam partem Willelmus dux Aquitaniæ, ipsius Agnetis filius, Vitali abbati postmodum restitui jussit. Eidem monasterio Isembertus Pictavorum episcopus, Evrardi abbatis rogatu, decimas ecclesiarum, ab ejus conditore attributas, confirmavit. *Actum Philippo rege & Goffrido comite.* quod postea Petrus, Isemberti successor, ad preces Alexandri abbatis, & Pipini Talemontis domini, ratum habuit.

b *ibid. p* 410. *& seq.*

L. Paternus abbas in Hispania.

In Hispania florebat hoc tempore Paternus abbas, qui ex orientis partibus eo venisse, & in veteri ecclesia beatæ Mariæ de Portu, quæ in Burgensibus montibus ad mare sita est, sedem fixisse traditur, cum Garsias rex in Pampilone & Castella, ejusque frater Ferdinandus in Legione & in Gallicia regnarent. Exstiterat olim eo loci monasterium, cui Montanus abbas post medium sæculum nonum cum Antonio episcopo præfuerat. Hoc vero tempore deserta erat *absque abbate vel habitatore* ecclesia. Cum illuc advenisset *ex orientis partibus* [c] Paternus presbyter, locum excolere cœpit, ædificia instaurare, hortos & vites plantare, & discipulos Deum timentes undequaque congregare, quibus abbas præfectus est. Cum vero veteres possessiones, quæ olim tempore Antonii episcopi ad illud monasterium pertinuerant, requirere & recuperare voluisset ; insurrexerunt in illum in-

c *Yepes cent. 4. script. 20.*

justi earum possessores, eumque cum monachis suis inde expellere constituerunt. Verum eorum iniquis molitionibus obstitit Garsias Castellæ rex, & Paternum cum suis in regiam tutelam suscepit, graves iis pœnas comminatus, qui res eorum quoquo modo infestarent. Actum æra M LXXX. & quidem VIII. kal. Aprilis. Hic Paternus abbas alius fuisse videtur a Paterno abbate, qui ritus Cluniacenses in Hispanica monasteria hoc tempore induxit. Ceterum prædictum monasterium sanctæ Mariæ de Portu Nagerensi postmodum unitum est.

ANN. CHR. 1042.

LI. Gerardi episcopi in tyrannum constantia.

In Hungaria post mortem Stephani regis, quæ ante quatuor annos accidit, Petro a regni proceribus regnum defertur, eique fides ab omnibus datur, uno excepto Uvone seu Ovone, Stephani fororio, qui regnum per vim invasit, sibique adversantes fudibus ac palis, non secus ac immunda pecora, ipsis sanctis quadragesimæ diebus suffixit. Tot innocentum cruore perfusus, nihilo minus ad Morisenam Gerardi ecclesiam paschalia sacramenta percepturus, & regio diademate a pontifice coronandus accessit. Renuente Gerardo, tyranno coronam imponunt alii episcopi ; sicque magno cleri & populi comitatu coronatus ecclesiam ingreditur. Conscenso mox suggestu, Gerardus per interpretem invasori dira imprecatur, & post triennium futuram ei expulsionem & necem prædicit ; populo vero, qui tyranno favebat, immanem seditionem, in qua Gerardus ipse occidendus esset. quæ omnia eventus probavit.

LII. Procopius abbas in Boëmia.

Per id tempus in Boëmia Procopius abbas vita & mirandis factis inclaruisse traditur. Hic Chotumæ in illa regione editus in lucem, Vissegradi in Dalmatia, ubi tum litteræ florentes erant, eruditus fuit. Inde reversus in patriam, in reconditam quamdam & hominibus incognitam specum secessit, haud procul a castro Curimæ positam ad fluvium Sassavam, ubi liber a populi tumultu divinis rebus totus addictus, precibus & inedia dæmones ipsi infestos abegit. Forte Udalricus Boëmiæ princeps inter venandum offendit in cervum, qui a molossis persequentibus pressus, ad notam sibi specum Procopii confugit. Illuc statim citato cursu advenit Princeps, & Procopium hactenus sibi ignotum, quis sit, percontatur. Ubi virum Dei esse cognovit, rogat, ut torrenti siti remedium aliquo potu afferat. Ille aquam offert, quam facto signo crucis in vinum convertisse dicitur. quo miraculo perculsus princeps, virum Dei consulit, quo pacto vitæ suæ errata expiaret. Huic auctor fuit Procopius, ut templum ac monasterium in honorem sancti Johannis-Baptistæ construeret. Consilium admisit princeps, inchoavitque monasterium, quod Bretislaus ejus filius ac successor perfecit. Illic Procopius cœtum monachorum rexit secundum regulam sancti Benedicti, quæ jam in illis regionibus per sanctum Adalbertum, aliosque e nostris propagata fuerat.

LIII. Egelricus episcopus Dunelmensis.

In Anglia mortuo Hardecnuto rege, imperium Edwardo piissimo principi, Ethelredi regis & Emmæ filio, legitimo jure cessit. Eodem anno Egelricus Petroburgensis monachus, post Eadmundum episcopum, qui eum in familiam suam adsciverat, Dunelmensi ecclesiæ præficitur. sed tertio episcopatus sui anno a clericis, eo quod extraneus esset, expulsus, Siwardi comitis opera in sedem restitutus est. Huic frater erat Egelwinus monachus, qui sub eo totius episcopatus curam gerebat, eidem ad monasterium suum reverso suffectus, postquam Egelricus quindecim annos in episcopatu egisset. Hic superstes fuit usque ad principatum Willelmi regis, apud quem accusatus, quod inventum in Dunelmensi ecclesia thesaurum abstuliisset, Lundoniæ in custodiam retrusus, ibidemque defunctus est. Hæc fusius apud Turgotum, sive Symeonem in historia [a] Dunelmensi. Egelrico pontifice factum notatu dignum contigit, ut refert ejus temporis monachus anonymus Dunelmensis in libro de miraculis sancti Cuthberti, & ex eo Turgotus [b] mox laudatus. Quidam presbyter, Froccherus nomine, uxore ducta, indignam sacerdote vitam ducebat. Quadam die multi nobiles ac privati, qui ad placitum convenerant, eum rogant, ut ante placitum missam celebraret. At ille, cui nonnihil religionis in rem sacram resederat, cum nocturno flagitio pollutus esset, id se facturum omnino negavit. Urgent illi iterum ac tertio, ac demum divinum timorem humana vicit verecundia, missamque presbyter celebravit. Cum ad communionem ventum esset, particulam dominici corporis, quæ in calicem missa fuerat, cum sanguine in piceum colorem conversam vidit & obstupuit. Ilico reatum suum intelligens, pallere, & quasi jam ultricibus flammis tradendus supra modum pavere. Anxius quid

a *Hist. Dunelm. lib.* 3. *c.* 9.

b *ibid. c.* 10.

faceret, tandem magno cum timore hausit, sed cum tanto horrore, ut nihil amarius gustari posset. Missa peracta, confestim ascenso equo ad episcopum perrexit: cujus pedibus prostratus, rem ex ordine retulit, acceptaque pœnitentia, caste & religiose deinceps vixit.

ANN. CHR. 1043. LIV. Olberti abbatis Gemblacensis caritas tempore famis.

QUi sequitur annus supra millesimum quadragesimus-tertius annonæ penuria, ob nimios imbres orta, gravis fuit, fameque jam ante grassari cœpta ad septem annos Galliam in primis ac Germaniam infestavit. Hæc tanta fuisse traditur, quantam nullus mortalium se vidisse vel audisse meminisset: quæ villas & opida ita depopulata est, ut, ædificiis passim dirutis, rarus incola inveniretur, testante anonymo in libro de miraculis sancti Wlframni archiepiscopi, qui hanc famem statim initio principatus Willelmi Nortmannorum ducis sævire cœpisse dicit. Anselmus canonicus eam differt ad primum annum episcopatus Wazonis episcopi Leodicensis, id est annum M XXXVIII. aut insequentem: cujus antistitis caritas eo tempore maxime enituit. In his angustiis non defuere nostri egenorum necessitati: quos inter Olbertus Gemblacensis abbas, quasi alter Joseph, repletis ex superiorum annorum ubertate horreis, ea in usus pauperum aperuit, nec solum singulis momentis adventantes pascebat, sed etiam integras familias diurno viatico reficiebat, immo & aliarum congregationum monasticarum inopiæ subveniebat. In tanta caritate non tamen ei defuit, unde ecclesiam ornaret, augeretque bibliothecam. In ornanda ecclesia artificum inopiæ, & hominum carnalium, qui religionem nonnisi ex cultu exteriori æstimant, pietati potissimum consulebat. Ut vero bibliothecam augeret, fecit hoc in primis ejus in litteras studium, tum caritas erga fratres, quos per scribendi laborem exercebat, ne otio torpescerent; & frequenti bonorum librorum lectione recreabat, ut animos eorum ad meliora promoveret. Hinc est, quod præter libros sacros, amplius quam centum volumina sanctorum patrum, sæcularis vero disciplinæ codices quinquaginta comparavit.

LV. Humolarienses & Fossatenses abbates.

Mortuus est hoc anno Walerannus Humolariensis abbas, uti colligimus ex duobus illius monasterii instrumentis hoc anno datis: in quorum uno Walerannus abbas, in altero Bernardus ejus successor nominatur. Primum est, quo Walerannus abbas quædam prædia in villa Seguncurte ab Arnulfo & Theoderico germanis fratribus comparavit. Actum in monasterio Humolariensi coram Ottone comite, die festivitatis sanctæ Hunegundis, id est VIII. kal. Septembris, anno inc. M XLIII. indict. XI. cui instrumento Gerardus abbas Insulæ, & Gerardus abbas sancti Projecti seu Præjecti subscribunt. Alterum est, quo Otto comes & abbas sancti Quintini confirmat donationem cujusdam prædii apud Curcellas, a Godefrido milite suo factam. *Actum prope monasterium sancti Quintini anno inc. dominicæ* M XLIII. *ind.* XII. a Septembri inchoata. His litteris apposita sunt signa Bernardi abbatis Humolariensis, & prædictorum Gerardi Insulæ & Gerardi sancti Projecti abbatum; necnon Amalrici abbatis sancti Michaëlis in Teorascia. Idem Otto rogatu Waleranni abbatis aliam donationem cujusdam aquæ in flumine Somenæ juxta villam Frisiam & Novam-villam, ab Amalrico milite factam, comprobavit, favente rege Heinrico, cum optimatibus suis: quorum his litteris subscripta sunt signa & nomina post regem, scilicet Ottonis comitis, Widonis archiepiscopi Remensis, Godefridi Magni, Roberti Magni Perronensis principis, Wazeleni Calniacensis, Theoderici abbatis sancti Remigii, Waleranni abbatis Humolariensis, Odonis Pultrelli & Balduini de Betancurte, filiorum ipsius Amalrici. Post cujus obitum quidam de ejus progenie, Fulbertus nomine, qui advocationem apud Dediniacum usurparverat, eam relaxare coactus est agente Bernardo abbate apud Rainerum Haisnonensem comitem, qui utrasque partes traxit ad curiam Godefridi ducis Mosani. Hic vero, causa discussa, Fulbertum ab illa advocatione removit, & compulit ad satisfactionem. Non ultra hunc annum vitam produxisse videtur Otto comes, cujus filius Heribertus cum Pavia uxore sua, ratam habuit donationem alodii apud *Beresnoth.* quam pater suus Otto, ejusque genitrix Ermengardis eidem monasterio fecerant tempore Waleranni abbatis. Bernardo Waleranni successori non multo post hunc annum successit Macarius, quo abbate sanctæ Hunegundis corpus in novam thecam translatum est.

Fossatensi ecclesiæ hoc tempore post Odonem præerat Gunterius abbas, qui

apud Heinricum regem conquestus est, quod Nivardus quidam, sub specie advocationis & tuitionis, homines villæ Æquatæ, in silva Aquilana * sitæ, quam Carolus rex Fossatensi ecclesiæ contulerat, iniquis exactionibus divexaret. Citatus ad regis præsentiam Nivardus, modico avenæ stipendio contentus esse jussus est. Integrum diploma retulit Gerardus [a] a Bosco. *Actum Parisius civitate in aula regis, anno incarnationis dominicæ* M XLIII. *indictione* XI. *sub* XIII. *kal. Junii, anno vero Heinrici regis glorioso* XII. *Balduinus cancellarius relegit & subscripsit.* Regio præcepto appositæ sunt signa post Heinricum regem Mainardi Senonensis archiepiscopi, Imberti episcopi Parisiensis, Frollandi Silvanectensis, qui recens Widoni successerat, Rodolfi comitis, Guillelmi Corboilensis comitis, Yvonis comitis Bellomontis, Nanterii vicecomitis, Guillelmi comitis *de Gomez*, Balduini constabilis, & Ingenulfi buticularii. Gunterio abbati successit Robertus abbas, qui detectioni corporis sancti Dionysii anno M L. interfuit; Roberto Landricus sub annum M LVIII. Ex hoc instrumento, & ex alio, quod sequitur pro monasterio sancti Juliani, intelligitur, duos eodem tempore archiepiscopos de Senonensi episcopatu contendisse, Mainardum scilicet, qui Fossatensi diplomati subscriptus invenitur; & Gilduinum in charta sancti Juliani laudatum. Hæc contentio post mortem Leotherici archiepiscopi, teste Odoranno, ab anno M XXXII. exorta est, duravitque ad annum M LI. quo anno Gilduinus, cujus factio hactenus prævaluerat, ob pravos mores auctoritate Leonis IX. exauctoratur.

ANN. CHR. 1043. * *Aveline.*

[a] *Hist. Paris. to. I. p. 658.*

Subjectum erat Fossatensi abbatiæ ad id usque tempus Glannafoliense sancti Mauri cœnobium ad Ligerim, cui Abelinus quidam [b] cum uxore sua Beatrice contulit ecclesiam Curtis-Guntsonis in pago Pictavensi, & unum molendinum ad opus monachorum Deo Glannafolii servientium, quam ecclesiam in beneficium tenebat ex Alberico de Monte-Johannis, qui eam a Gaufredo vicecomite Toarcensium obtinuerat. Hanc donationem ratam habuit vicecomes, eamque Guillelmus dux Aquitanorum & Pictavensis comes litteris suis hoc anno confirmavit. Sub finem sæculi undecimi Glannafoliense monasterium Fossatensium subjectione exemtum est auctoritate Urbani secundi.

Glannafolio ecclesia data.

[b] *Besly comtes, p. 417.*

Annus erat duodecimus Heinrici regis a morte patris, cum Gaufridus Nivernensis comes quasdam malas consuetudines, quas pater ipsius Gaufredus parthenoni sancti Juliani Autisiodorensi remiserat, & ipse relaxare pergit, rogante Emma abbatissa, interventu Adhelaidis matris suæ, atque consensu fratrum suorum, Gilduini videlicet archiepiscopi Senonensis & Raginaudi: ut, qui particeps fuerat in peccato, in pœnitentia etiam socius fieret. Hæ vero consuetudines a patre & filio exactæ fuerant in villa comitatus Senonici, vocabulo Mitigana, quas cedit Gaufridus, exceptis banno, raptu & incendio. *Actum publice Autisiodoro, in monasterio sancti Juliani martyris; sub die kalendarum Martii, regnante Heinrico rege Francorum anno* XII.

LVI. S. Juliano Autisiodorensi vexationes remissæ.

Eodem die Rotbertus dux Burgundiæ, Heinrici regis frater, *salvamenta* [c] *trium villarum*, id est præstationes ex illis villis pendi solitas, beato Benigno remittit, donatque, laude & consilio Heliæ uxoris suæ, ac filiorum suorum, Hugonis atque Heinrici: eo pacto, ut duo fratres ultra solitum numerum in Divionensi monasterio alantur. Hujus autem oblationis, quam per festucam, cultellum, wantonem & wasonem fecit, chartam super sanctum altare posuit, manu subter firmavit, & testibus roborandam tradidit. Huic instrumento post ipsum, uxorem & filios, appositæ sunt signa Fulconis & Milonis comitum, Widonis militis Divionensis, ejusque filii æquivoci, Walterii vicecomitis & Wilenci fratris ejus, Hugonis Lingonensis præsulis & aliorum. *Actum publice apud castrum Divionense, monasterio S. Benigni, ante cornu altaris ipsius, anno ab incarnatione Domini* M XLIII. *indict.* XI. *epactæ* VII. *secunda hebdomada quadragesimæ, feria tertia, prima die mensis Martii, regnante Heinrico Francorum rege, prædicti ducis fratre, anno decimo-tertio ipsius monarchiæ.* Hæ chronicæ notæ bene omnino quadrant, nisi quod hic annus Heinrici regis tantum duodecimus a morte patris numerandus videtur.

S. Benigno salvamenta.

[c] *Perard. p. 188.*

Insignis vero in primis est hic annus secessu Roberti canonici Brivatensis in eremum. Erat is nobilis Arvernus, matre Raingarde progenitus, patre Geraldo, qui a beati Geraldi Auriliacensis stirpe originem duxisse creditur. Qui res ab eo gestas scripsit Marbodus episcopus, generis ejus qualitatem hoc uno expressit, quod

LVII. Robertus Brivatensis canonicus secedit in eremum.

ANN. CHR. 1043.

esset *conditione liber*, tametsi a stirpe nobilissima beati Geraldi comitis ejus originem deducit. quo minus mirandum est, si Gregorius Magnus, sancti patris Benedicti generis nobilitatem expressurus, eum *liberiori genere* ortum sat habuit dicere. Raingardis Roberto gravida, non sine Dei nutu, urgente necessitate, in solitudine eum enixa est, qui solitudinis amator futurus erat. Id contigisse tradunt in finibus diœcesis Rutenensis prope quemdam sancti Martini prioratum Casæ-Dei subjectum, ubi sacellum sancti Roberti postmodum erectum est in rei monumentum. Nutrici parum castæ traditus infans, lactantem abhorruisse dicitur, nec alia quam matris ubera suxisse. Puer in Brivatensi sancti Juliani ecclesia educatus, procedente ætate clericus ibidem & canonicus factus est, eorum vitiorum prorsus expers, quibus illa ætas vel proprio instinctu, vel alieno plerumque imbuitur. Orare frequentius & legere, humilitatem & obedientiam sectari, pauperum & infirmorum misereri: hæc rudimenta erant pueri Roberti. Adolescens blanda naufragia pudoris jejuniis & precibus vitavit, totus in misericordiæ opera effusus, adeo ut *domum eleemosynariam* jam tum exstrueret, ubi pauperibus ipse ministrare consueverat. His dotibus instructus, ad sacerdotium accessit, jamque ante actæ vitæ conditione haud contentus, rejectis omnibus, Christum sequi constituit. Hinc in Cluniacense monasterium, religionis ac disciplinæ fama sibi notissimum, clam discessit, uno tantum comitatus socio, metuens, quod & accidit, ne, si plures id resciren t, revocaretur a cœptis. Ubi deesse a familiaribus compertus est, hi protinus profugum insequuntur, tenent, reducunt. Erubuit vir sanctus, & propositum suum non magis impeditum quam proditum dolens, ex mentis ægritudine morbum incurrit. Ubi convaluit, tentavit si vel inter suos propositum implere posset. at cum domesticorum nemo assentiretur, Romam pergit, consilium a Deo precibus impetraturus. Reversus Roma, secessum serio meditatur, adjunctis sibi duobus sociis nobilibus, quorum prior Stephanus, alter Dalmatius vocabatur. Inventus locus ad eorum secessum aptissimus, ecclesia videlicet semiruta in vasta solitudine. Obtentus locus a duobus nobilibus germanis, quorum juris erat, qui ambo Anicienses ecclesiæ canonici erant, alter etiam abbas, nempe Arbertus, qui postea beati viri discipulus ac monachus fuit, & Rostagnus. Mox illi eremum petunt, spinas & vepres vellunt, casas cum oratorio ex virgultis construunt, soli sterilitatem labore subigere conantur, partiti inter se domesticam curam, ut duo socii laborarent ad parandum victum; Robertus lectioni & orationi ad eorum informationem vacaret. In oratorio tamen certis horis nocte & interdiu communes preces fundebant. Auxit loci incommoda etiam accolarum improbitas, qui fervorum Dei proposito conviciis ac minis obstrepebant. ast eorum feritatem ac brutos mores brevi mansuefecit Roberti, ejusque sociorum patientia & caritas: adeo ut ex eis non pauci, sæcularis militiæ cingulo deposito, eorum se societati adjunxerint. Crescente numero discipulorum, crevit ex æmulatione religionis observantia; eratque in illo pusillo & pauperculo Christi grege spectabile sanctitatis commercium, cum suis adderet quisque virtutibus, quidquid in altero imitabile vidisset: cumque nihil habentibus pro Christo paupertas ipsa sufficeret, de solo sanctitatis suæ defectu anxii & solliciti erant. Crevit loci fama ex miraculis, quæ Robertus ad invocationem sanctorum martyrum Agricolæ & Vitalis patrabat, confluentibusque illuc novis in dies discipulis, construendi monasterii necessitas facta est. Roberti secessus contigit sub finem hujus anni, nimirum post Christi Domini nativitatem, die sanctorum Innocentium.

LVIII. Amnichadus reclusus & abbates Fuldenses.

In Fuldensi monasterio sub initium hujus anni Amnichadus Scottus, ibidem reclusus, obiit III. kal. Februarii: super cujus sepulcrum visa fuisse lumina, & psalmorum cantus auditos testis est Marianus Scotus, qui decem annos inclusus, super ejus tumulum quotidie missas celebravit. Trithemius ad hunc annum agit de Claro quodam monacho Seligenstadensi diœcesis Moguntinæ, quem ait annis ferme triginta inclusum fuisse, carnem & quidquid vitam habet, non comedisse; denique a vino & sicera abstinuisse, & post mortem, quam prima die Februarii accidisse dicit, miraculis claruisse. tum addit, multa de hoc sanctissimo viro recitari a Mariano Scoto, apud quem ne verbum quidem de Claro monacho, hoc anno reperias; sed de Amnichado Fuldæ monacho & recluso, cujus nomen in Clarum permutasse videtur Trithemius, qui Amnichadi nullam mentionem facit.

Ibidem

Ibidem, id est Fuldæ, eodem anno e vita migravit Sigewardus Fuldensis abbas, cui Rohingus successit, non ante annum M XLVII. ordinatus Romæ a Clemente II. paucisque diebus superstes, ibidem vitam finiit. Browerus versus de eo refert, libris moralium beati Gregorii adscriptos, quos libros ille describi curavit. His mortuis adde Alebrandum archiepiscopum Bremensem, cujus anno pænultimo domus sancti Petri Bremæ cum ornamentis & libris conflagravit. *Et hæc quidem rerum damna*, inquit Adamus, *facile recuperari possent, si majora in moribus non pateremur detrimenta. Multum enim distant, ut quidam ait, damna morum a damnis temporalium rerum: cum illa intra nos sint, ista extra nos.* quod Adamus scribit ob defectionem a vita communi, & a regula sanctorum patrum, quæ per multa prius sæcula illic conservata fuerat, nempe a tempore sancti Willehadi episcopi e nostris, illius sedis institutoris: at post illud incendium omnino neglecta, ac demum abrogata, *fratribus, qui ante canonice vixerant, extra claustrum vagantibus.* Eadem defectio contigit in ecclesia Hildenesheimensi sub Azelino episcopo, ut videbimus anno sequenti. Alebrando Bremensi archiepiscopo successit Adalbertus, conditor Gozecensis monasterii, de quo superius [a] actum est. Sub utroque hoc archiepiscopo Adamus Bremensis canonicus historiam suam scribebat.

ANN. CHR. 1043.

Bremensis defectio.

a *num.* 30.

LIX. Ferdinandi privilegia pro monasteriis sancti Isidori & S. Andreæ de Spinareda.

In Hispania Ferdinandus rex Castellæ cum Sancia regina uxore multa confert [b] monasterio sancti Isidori & sancti Martini, sito inter duos rivulos, Carrion & Pisoricam, prope castellum *Donnans* vocitatum. In primis litat sacris ejus loci altaribus pro sustentatione monachorum illic degentium locum ipsum, ubi basilica posita est, cum suis appendicibus & adjunctis, prout in privilegiis regum Adefonsi, Garsiæ & Ordonii exprimuntur. Addit etiam ecclesiam sanctæ Columbæ, sitam juxta rivulum Pisoricæ, aliasque; hancque donationem facit Johanni abbati & fratribus ejus, qui monasticam vitam ibidem secundum regulam sancti Benedicti exercebant. Actum æra M LXXXI. kalendis Octobris. Subscribunt post regem ac reginam & quosdam comites sex episcopi, nimirum Petrus Lucensis, Didacus Asturicensis, Cyprianus Legionensis, Froila Ovetensis, Miro Palensis, & Gomez Burgensis; necnon duo abbates, Albigo sancti Facundi Saguntensis, & Luminosus Asturicensis. Johannes abbas sancti Isidori jussu Ferdinandi regis diploma scripsit. Idem rex [c] eadem æra, quæ præsenti anno respondet, amplissimum immunitatis & asyli privilegium concedit monasterio sancti Andreæ de Spinareda diœcesis Asturicensis in confinio regni Legionensis & Galiciensis, quod monasterium initio duplex, postmodum solis viris cessit, ut probat epitaphium Gutterii abbatis, qui *vir magnæ nobilitatis* fuisse dicitur, & monachos sub norma sancti Benedicti illic constituisse, mortuus æra M C IX. Hactenus subsistit hoc monasterium, cujus incerta origo, instauratum a rege Ferdinando & Isabella, qui amotis sæcularibus abbatibus regulares substituerunt sub congregatione Vallisoletana anno M CCCC XLIX.

b LIX. Ferdinandi privilegia pro "monasteriis "sancti Isidori "& S. Andreæ "de Spinareda. "b *Yepes cent.* "4. *script.* 24.

c *id. cent.* 6. *script.* 12.

LX. Venetiis sancti Nicolai cœnobium conditur.

Venetiis dux Contarenus, & cum eo Dominicus Gradensis patriarcha, & alter Dominicus Olivolensis episcopus, communibus expensis [d] monasterium in litore Rivoaltensis portus construxerunt in honorem sancti Nicolai, ob summam devotionem, quam erga eumdem sanctum præsulem, & erga Ordinem sancti Benedicti habebant; ejusque loci regimen Sergio Dei servo & abbati commiserunt, collatis in monasterii dotem omnibus, quæ in eodem litore & in civitate habebant. Hos conditores laudat in suo diplomate [e] Urbanus III. confirmatque omnes possessiones, quæ ab eodem duce, aliisque fidelibus in imperio Constantinopolitano, Corintho, Dyrachio, Rhodo, Almiro, Jerosolyma, Accarone, atque in regno Italico eidem monasterio collatæ fuerant. Paullo ante id tempus, id est pontificatu Alexandri III. ibidem monachus erat Nicolaus Justinianus, cui prænobilis Justiniana familia suam debet originem: qui post emissam vitæ monasticæ professionem, cum mascula proles ex sua gente defecisset, Alexandri III. permissu Annam duxit uxorem: ex qua postquam aliquot liberos suscepisset, in suum monasterium reversus est. Anna vero itidem religiosam vitam professa. Hactenus perstat illud monasterium sub congregatione sanctæ Justinæ: ubi sacra celebrare solet abbas festo die ascensionis, præsente patriarcha cum duce & toto senatu, postquam dux sollemni ritu mare Adriaticum sibi desponsavit.

d *Ital. sac. to.* 5. *p.* 1287.

e *ibid. p.* 1323.

ANN. CHR. 1044.

LXI. Schisma de papatu.

AD annum millesimum quadragesimum-quartum progredior, quo anno Romana ecclesia fœdo schismate laboravit. nam Benedicto IX. ob flagitia post un-

ANN. CHR. 1044.

decim occupati pontificatus annos tandem rejecto, intrusus in ejus locum Silvester III. ex episcopo Sabinensi: quem prædictus Benedictus, faventibus Tusculanis proceribus propinquis suis, post tres menses depulit; sedique restitutus, cum se omnibus invisum cerneret, sui vice Johannem archipresbyterum simoniace substituit. Infelicem hunc ecclesiæ statum miseratus religiosus quidam presbyter Gratianus, Benedicto & Johanni, ut a sancta sede recederent, assignatis utrique reditibus, persuasit. quæ res effecit, ut Romani eum, tamquam ecclesiæ servatorem suspicientes, in summum pontificem elegerint, indito nomine Gregorii, scilicet sexti. Hunc vero statim pro legitimo pontifice habuerunt omnes, in primis Petrus Damiani, qui litteras [a] de ejus electione gratulatorias ad eum scripsit, & ad repurgandam a simoniæ præfertim labe ecclesiam adhortatus est. quod ille quibus potuit modis exsequi tentavit, sed ob brevem duorum paullo amplius annorum pontificatum omnino perficere non valuit, hac provincia Gregorio VII. cælitus reservata.

a *Petr. Dam. lib. 1. epist. 1. & 2.*

Hildebrandi vitæ primordia.

Hic *natus in urbe Roma, parentibus civibus Romanis*, &, quod potius est, *religiosis*, testante Hugone Flaviniacensi ejus æquali, dictus in baptismo Hildebrannus, vulgo Hildebrandus, ab ineunte ætate ecclesiasticis mancipatus officiis, primis annis futuræ dignitatis specimen dedit. Pandulfo in libro de Romanis pontificibus Hildebrandus dicitur *natus Tuscus de opido Raovaco, ex patre Bonizo.* Adolescentiam, *assumto sanctitatis proposito*, ait idem Hugo, inter mundi contemtores non sine magnis perfectionis indiciis perdomuit. quibus verbis Hugo monasticum ejus institutum significat, quod difertis verbis adstruunt Domnizo, Bruno Signiensis, & Ordericus præter alios: ex quibus Domnizo, ubi de ejus obitu agit, hæc habet:

Hunc monachi flerunt, monachus quia noscitur esse.

b *Orderic. lib. 7. p. 639. V. p. 456. 530. & seq.*

In libro de vita Leonis IX. auctore Brunone Signiensi episcopo, laudatur *monachus quidam Romanus nobilis indolis adolescens, Hildebrandus nomine, clari ingenii sanctæque religionis*, quem idem pontifex Romam secum adduxisse dicitur. Ordericus [b] itidem de ejus obitu agens: *Gregorius papa*, inquit, *qui Hildebrannus in baptismate dictus fuerat, a puero monachus fuit, omnique vita sua sapientiæ & religioni admodum studuit, assiduumque certamen contra peccatum exercuit. Per singulos gradus ecclesiasticorum ordinum usque ad summi pontificatus ordinem ascendit, in quo sexdecim annis legem Dei vigilanter observare studuit, &c.* Monasticen professus videtur Romæ in monasterio sanctæ Mariæ in monte Aventino; ubi avunculo suo abbati dicti monasterii commendatus fuisse traditur a Paulo Bernriedensi canonico regulari, vitæ ejus scriptore, qui eum *natione Tuscum* dicit, uti & Pandulfus: at præferenda Brunonis Signiensis auctoritas, qui eum Romanum dicit; & Hugonis Flaviniacensis, qui eum *in urbe Roma*, & quidem *parentibus Romanis* natum asserit. Præceptorem habuit in discendis litteris Laurentium Amalfitanum archiepiscopum, si qua Bennoni hac in re fides, Gregorii VII. adversariorum antesignano, qui Laurentium magum, & Gregorium ab eo magicis artibus imbutum fuisse insigni commento scribit: cum e contrario Petrus Damiani in libro de vita sancti Odilonis, auctor æqualis, qui eum vidisse & nosse potuit, *sanctæ ac venerandæ memoriæ* Laurentium, græce ac latine doctum dicat. Hunc Gregorius VI. domi secum retinuit in suo archipresbyterio ante portam Latinam, ubi sine dubio Hildebrandus eo magistro usus est, addictus quippe jam tum Gregorio VI. quem in Germaniam discedentem comitatus est, ut scribit Otto Frisingensis, immo Hildebrandus ipse, qui jam pontifex in concilio Romano anni M LXXX. hac de re ita loquitur: *Vos enim scitis, quia non libenter ad sacrum ordinem accessi, & invitus ultra montes cum domino papa Gregorio abii: sed magis invitus cum domino meo papa Leone ad vestram specialem redii ecclesiam.* Hæc Gregorii VI. in Germaniam deportatio post tres annos facta est per Heinricum imperatorem, qui eum pontificatu deturbavit. Non assentior Paulo Bernriedensi, qui Hildebrandum adolescentem in Franciam profectum fuisse dicit, comparandæ eruditionis causa, & carnis petulantiæ domandæ molestia peregrinationis: indeque moram feciisse aliquantum temporis in aula Heinrici III. Post hæc Romam reversum, invidiam incurrisse æmulorum; ob idque in Germaniam reverti statuisse; at, cum ad Aquas-pendentes veniisset, visione beati Petri in Urbem revocatum fuisse. Constat quippe ex ipsius Hildebrandi testimonio mox relato, eum

cum Gregorio VI. in Germaniam adiisse: unde, cum Wormatiæ in aula Heinrici imperatoris demoraretur, a Leone IX. pontifice electo Romam reductus est, ut postea videbimus. Nec is solus hujus auctoris error est. nam & Hildebrandi pueri futurum meritum scintillarum circa eum emicantium visione ait innotuisse B. Mayolo abbati Cluniacensi, quem ante natum Hildebrandum decessisse constat. Quod attinet ad monasterium beatæ Mariæ in Aventino, ubi Hildebrandus sub avunculi abbatis disciplina monasticen professus videtur, obscura est ejus origo, quod modo redactum est in prioratum militum Jerosolymitanorum. Duo alia erant in eodem monte Ordinis nostri monasteria, unum sanctorum Alexii & Bonifacii, quod modo tenent Hieronymiani monachi; alterum sancti Sabæ, unitum a Gregorio XIII. collegio Germanorum sancti Apollinaris,

ANN. CHR. 1044.

Romæ tunc degebat Laurentius [a] Amalfitanus archiepiscopus e nostris, græce & latine doctus, ut mox dicebam, qui Hildebrandum divinis, humanisque litteris eruditisse dicitur. Ejus tempore quidam Amalfitani cives, qui tunc apud Melfim Apuliæ urbem versabantur, S. Benedicti monasterium construxerunt, locum suppeditante Angelo abbate sancti Petri in latere montis, quem Vultum vocant, eo pacto, ut in illa S. Benedicti ecclesia orare possent, ac sepeliri. Angelus iste *presbyter & monachus & abbas* ecclesiæ sancti Petri [b] in latere ejusdem montis dicitur in ipsius instrumento apud Ughellum. Nulla modo vestigia utriusque monasterii restant.

S. Benedicti monasterium apud Melfim.

a *V. lib. 56. n. 90.*

b *Ital. sac. to. 7. p. 255.*

Hildebrando in cardinalitia dignitate adjunctus fuit Humbertus, qui hoc tempore in Mediano-monasterio [c] sub Lamberti abbatis disciplina privatam vitam agebat. Hoc quippe anno, qui Lamberti [d] abbatis sextus erat, laudes seu responsoria, ut vocant, sanctorum Cyriaci martyris, Gregorii papæ, Hildulfi ac Deodati episcoporum, necnon Columbani abbatis & Odiliæ seu Othiliæ virginis rythmice ac metrice composuit, eaque Brunoni episcopo *decantandæ* seu *modulandæ*, id est in cantum redigenda, tradidit, ut Richerius & Johannes de Bayone testantur. Hinc nata familiaritas Brunonem inter atque Humbertum, qui Bruno summus pontifex creatus, Humbertum secum in Italiam duxit, eumque postea cardinalem & Silvæ-candidæ episcopum creavit. Fallitur Richerius, cum Humbertum Mediani-monasterii abbatem [e] vocat.

LXII. Humbertus Brunoni episcopo scripta offert.

c *V. lib. 52. n. 7.*

d *Sup. n. 5.*

e *Spicil. to. 3. p. 320.*

Dum de Brunone episcopo incidit mentio, occurrit in præsens ejus instrumentum pro monasterio sancti Apri de cella Daguliaci, quam Galterus de Daguliaco, assensu conjugis suæ Adilæ construxit, ac monasterio sancti Apri subjectam esse voluit. Positus est hic locus Daguliacus * in pago Segetensi, in finibus Leucorum & Lingonum, olim pendens a Domno-Valerico, a cujus subjectione Bruno episcopus Daguliacum exemit, ejusque ecclesiam beatæ Mariæ nuncupavit: Widricus vero abbas sancti Apri plurima eidem ornamenta contulit. Galterus porro advocatiam hujus loci sibi & uxori suæ atque uni heredum suorum retinuit. Hæc omnia constant ex litteris Brunonis episcopi, qui *diffinitionem præbendarum* sic disponit inter monachos ejus loci & *capellanum*, (sic eum vocat) ut capellano assignet quinque modia frumenti cum siligine, vel pisæ, vel fabæ, quinque modia speltæ, totidemque annonæ, privatas missas, primam missam ad corpus defuncti, peras *, scilicet peregrinorum benedicendorum, nuptias, purificationes mulierum, sepulturam *albatorum*, confessiones, festum sanctarum animarum absque candela, in quinque festivitatibus annualibus singulos denarios, & in ipsis festivitatibus cum fratribus refectionem, eleemosynam defuncti, quantum vivus donaverit: monachis autem, quorum ecclesia est, reliqua concedit. *Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini* M XLIV. *indictione* II. *epacta* XIV. *concurrente* VI. *regnante Heinrico secundo Romanorum augusto, anno pontificatus domni Brunonis* XVIIII. *urbis comite Rainardo juniore; Segetensis pagi, in qua ipsa cella sita est, comite Ricuino juniore.* His litteris Bruno Dei gratia Leucorum præsul subscribit, & post eum apposita sunt signa Hugonis de Cysa urbe Italorum, Herberardi archiepiscopi Trevirorum, Adalberonis Mettensis episcopi, Theoderici Virdunensis episcopi, Hugonis Chrysopolitani archiepiscopi, Widrici abbatis sancti Apri, Herberti primicerii, Herberti archidiaconi, Walterii comitis, Rainardi comitis, Odolrici comitis, & aliorum. Qui hic dicitur Hugo *de Cysa urbe Italorum*, is est unus ex quatuor episcopis, qui cum Brunone electo Romanorum pontifice natalem Domini celebrarunt Tulli-Leucorum, ubi primus nominatur Hugo de Cysa urbe Italorum, legatus Romanorum. Prædictas

LXIII. Daguliaci cella.

* *Devilly.*

* *V. inf. n. 80.*

ANN. CHR. 1044.

litteras renovavit Petrus episcopus interventu Richardi abbatis & fratrum sancti Apri anno M C LXXXIX. & post annos sex Cælestinus III. *Warnerio priori sanctæ Mariæ de Dauleio*, ejusque fratribus possessiones ejusdem cellæ confirmavit.

LXIV. Corienſe monaſterium conditur.

In Asturiis sub hoc tempus conditum est Corienſe monasterium in honorem beatæ Mariæ virginis & sancti Johannis-Baptistæ in Ovetensi diœcesi, & quidem in territorio Persico super fluvium Narceïæ. Monasterii auctor fuit Piniolus Ximenes comes una cum conjuge sua Ildonica, Munionis filia, qui ad ejus dotem multas contulêre possessiones, & quasdam ecclesias, quas permutatione facta cum Froilano Ovetensi episcopo comparaverant. Eidem etiam abbatiæ sex alia monasteria subjecere, nempe S. Martini de Vesulio, sancti Johannis de Santo, sancti Michaëlis de Cano, sancti Antonini de Villa-nova, sanctæ Mariæ de Miades, & sancti Martini de Mantares, ut fusius legitur in primariis [a] Pinioli & Ildonicæ litteris, quibus constituunt, ut omnes vicini vel extranei, qui sub regula sancti Benedicti militare voluerint, pro loci facultate in monasterium Corienſe admittantur. Si qui vero ex servis suis huic sancto loco in aliquo contrarii exstiterint, ad pistrinam revocari volunt, & centum ictibus flagellari. Ceterum in potestate abbatis & fratrum relinquunt, ut patrocinium istius monasterii, cui voluerint, committant, sive domino papæ, sive regi, seu cuilibet potenti personæ, non vero cuiquam ex suis propinquis. Ex villis monasterio subjectis annuus census præbebatur de *escanda*, de sicera, de carnibus, & de sale. Actum sub æra M LXXXII. Primus ejus loci abbas Arrianus [b], antea clarus in palatio comitis Pinioli, bonis pollens moribus, a primæva ætate litteris eruditus, quem idem comes ad gradus ecclesiasticos promoveri, & a Froilano Ovetensi episcopo abbatem æra præcedente ordinari curavit absque omni jugo ecclesiæ Corienſis. Unde Arrianus in professione, quam ordinandus abbas episcopo fecit, eidem promittit *obedientiam & reverentiam a sanctis patribus constitutam secundum regulam* sancti Benedicti; *subjectionem vero nullatenus* promittit, ut disertis verbis habet formula ab Yepesio [b] relata. Demum pastoralem curam deposuit Froilanus, factus monachus in prædicto cœnobio, ubi reliquum vitæ sanctissime exegit, & in ejus locum suffectus est Arrianus abbas: cujus in abbatiali dignitate successor fuit Munio, propinquus monasterii conditorum, qui ambo in eodem monasterio jacent. Ibidem sub finem sæculi sexti-decimi abbas fuit Antonius Yepesius, editis chronicis generalibus Ordinis sancti Benedicti clarus, qui ejusdem loci abbatum seriem exhibuit.

[a] *Yepes cent. 6. script. 4.*

[b] *id. ad ann. 1032. c. 1.*

LXV. Hildenſheimenſis eccleſiæ ſtatus mutatus.

Ex Hispania in Saxoniam venio, ubi in Hildensheimensi ecclesia ingens facta conversio est. Thietmaro quippe episcopo, subita morte prævento, Azelinus regius capellanus hoc anno successit, ut ex chronico Saxonico necdum edito discimus. Tum vero, cum *monasterium* seu ecclesia igne conflagrasset, idem contigit quod in Bremensi ecclesia contigisse superius vidimus: ubi post ejus incendium, cano norum mores pristinum vitæ communis institutum abjecerunt. *Hactenus Hildensheimensis clerus*, ut chronographi verbis utar, *tam districta religione obsequio Dei se mancipaverat, ut in professione canonica, districtione gauderet monachica.* Si quis choro, mensæ, dormitorio non dico deesse, sed tardius adesse, nisi aut gravi necessitate irretitus, aut licentia munitus, præsumsisset; scholarem disciplinam denuo subire cogebatur, artiori disciplina in claustro detentus, ubi lectioni scripturarum, psalmorum meditationi, aliisque similibus officiis severius operam dare tenebatur. Delicatioris etiam vestitus nulla canonicis cura, ita ut *gulas* (pellium genus) *quibus nunc ardet clerus*, penitus nescirent; *linguas* seu fimbrias *pelliciales ac manicas, non pallio, sed ingrato panno ornarent*; & *claustrali districtione clausi, renuntiato nondum sæculo, sæculum nescirent.* Hæc institutio ac censura usque ad Azelini sexti-decimi præsulis tempora perseveravit: cujus pontificatu irrepsit ambitiosa curialitas, in victu lautior, in vestitu mollior, quæ, *disciplinæ mollito rigore, claustri claustra laxavit.* Hæc carptim ex chronico Saxonico: quæ idcirco refero, non quod illius ecclesiæ clericos nostris accenseri velim, sed quod hæc institutio potissimum ab episcopis nostri Ordinis, Altfrido, Thiethardo, Othwino, Osdacho, Bernwardo, & Godehardo, quorum primus & duo postremi sanctitate insignes, exculta fuerit.

LXVI. Lotharingiæ duces.

Addit chronographus, Gozelonem ducem Lotharingiæ obiisse hoc anno: cujus filius Godefridus, nobilissimæ indolis juvenis, atque in re militari admodum exercitatus, quia ducatum patris obtinere non potuit, arma contra rempublicam corripuit; Adalbertum ducem, quem Heinricus patri ejus subrogaverat, prælio victum occidit, cædes hominum & populationes agrorum maximas fecit, & loca omnia usque ad Rhenum, præter ea, quæ vel murorum præsidio hostilem impetum subter fugerant, vel se pecunia redemerant, in cinerem redegit. Brevius Sigebertus: *Gothelo dux obiit, cujus filius Godefridus, dum ei ducatus Mosellanorum denegatur, altero ducatu*, scilicet Lotharingiæ-inferioris, *repudiato, contra imperatorem rebellat.* Aliter rem narrat Hermannus, nempe Gozelonem ducem Lotharingorum Gozelino filio suo, quamvis ignavo, ducatum suum, a rege Heinrico promissum, relinquere disposuisse: alterum vero ejus filium Godefridum, jam dudum ducem, scilicet Mosellanorum, cum ducatum Lotharingiæ-inferioris fratri debitum, contra fas a rege Heinrico sibi obtinere nequivisset, fide postposita, in pium regem rebellasse. Hermanni sententiam non immerito præfert Miræus: cum constet, Fridericum ducem, qui Gozelino Ignavo post quatuor annos successit, Antuerpiæ, Trudonopoli, adeoque in Lotharingia inferiori dominatum fuisse. Hic excursus opportunus ad res subsequentes illustrandas.

«ANN. CHR. » 1044. «

In Anglia Alwoldus Londonienſis præsul, qui & ante episcopatum, & in episcopatu, abbatis jure Eoveshamensi cœnobio præfuerat, cum episcopatum administrare præ nimia infirmitate minus valeret, Eoveshamium se recipere voluit. at cum fratres haud assentirentur, ablatis maxima ex parte libris & ornamentis, quæ ipse eidem contulerat loco, ad Rameſiense monasterium secessit, cui ablata ornamenta contulit, ibique VIII. kal. Augusti, feria quarta defunctus est. Eodem tempore, in generali concilio Londoniæ habito, religiosus Eoveshamensis monachus Wlmarus, qui & Manni, IV. idus Augusti, feria sexta, sui monasterii abbas ordinatur. Hæc ex Turgoti historia.

LXVII. Alwoldus Londoniæ epiſcopus obit.

Alwoldo episcopo, quem Willelmus Elfevordum vocat, in sede Londinensi subrogatus est Rotbertus Gemeticensis abbas, agente Edwardo rege, a quo in Angliam, ut vidimus, accersitus fuerat, postmodum factus primas Cantuariensis. Cum Londoniæ pontificatum regeret, monasterii sui memor, multa eidem ornamenta contulit cum libro sacramentorum, ad cujus calcem hæc verba adscripsit. *Notum sit omnibus, tam præsentibus, quam futuris per succedentia tempora fidelibus, quod ego Rotbertus abba Gemmeteñsium prius, postmodum vero sanctæ Londoniorum sedis præsul factus, dederim librum hunc sanctæ Mariæ in hoc mihi commisso monachorum sancti Petri cœnobio, ad honorem sanctorum, quorum hic mentio agitur, & ob memoriale mei, ut hic in perpetuum habeatur. quem si quis vi, vel dolo, seu quoquo modo isti loco subtraxerit, animæ suæ, propter quod fecerit, detrimentum patiatur, atque de libro viventium deleatur, & cum justis non scribatur; & severissima excommunicatione damnetur, qui vel unum de palliis, quæ dedi isti loco, subtraxerit, sive alia ornamenta, candelabra argentea, seu aurum de tabula. amen.* In eo habetur collecta de sancto Mauro.

LXVIII. Robertus abbas Gemeticenſis ſuccedit.

Libri Sacramentorum.

In eadem Gemeticensi bibliotheca alter asservatur codex pontificalis, annorum amplius septingentorum, ex Anglia itidem allatus, qui fuit olim monasterii Lanalatensis. Initio exhibetur episcopus nudo capite cum ornamentis pontificalibus, manu sinistra manipulum gerens pollicem inter & indicem: cui adstat sacerdos cum stola, non decussata supra pectus, sed ex utroque latere pendente, qui similiter manipulum in sinistra gestat, habetque librum præ manibus. In secundo folio verso exhibetur item episcopus ecclesiam consecrans, cappa indutus, qui dextra virgam tenet, non recurvam, sed in pomum desinentem, sinistra manipulum, ut supra. Sequitur post eum clerus, id est sacerdotes, & monachi habentes caputium in capite acuminatum, extremi laïci. Deinde subsequitur ordo ad consecrandam ecclesiam: in cujus primis litaniis post sanctos Hilarium, Martinum, Gregorium & Silvestrum, invocatur sanctus Benedictus ante sanctum Augustinum, aliosque pontifices; & post sanctum Remigium sanctus Columbanus; inter sanctas Scholastica. In hoc ordine dedicationis ecclesiæ, post illatas in eam reliquias, pontifex *ponit tres portiones corporis Domini intus in confessione altaris, & tres de incenso; & reconduntur intus reliquiæ.* In benedictione monachorum formula professionis habetur in hunc modum. *Ego frater Deodatus promitto stabilitatem meam, & conversionem morum meorum, & obedientiam secundum regulam sancti Benedicti coram*

ANN. CHR. 1044.

Deo & sanctis ejus, in præsentia domni N. abbatis. In ordinatione subdiaconis & diaconis porriguntur de more instrumenta: & *fit consecratio manuum diaconi de oleo ac chrisma*, sub his verbis: *Consecrentur manus istæ* &c. In ordinatione presbyteri fit *consecratio capitis cum oleo* sub hac forma: *Ungatur & consecretur caput tuum cæleſti benedictione* &c. Denique in benedictione regis funditur oleum *cum cornu* super caput ipsius. Ante unctionem infirmorum exhibetur imprecatio contra raptores & prædones ecclesiarum, maledicendos *ab ore sancti Petri apostoli principis apostolorum, & omnium azymorum episcoporum sui subsequentium.* deinde sequitur hæc imprecatio: *Divinitatis suffragio Lanalatensis monasterii episcopus, omnibus sanctæ Dei ecclesiæ notum sit, quia quidam homines raptores, perversa cupiditate incitati* &c. In ordine visitandi infirmum, recitatis quibusdam precibus, sacerdos *accipit infirmi confessionem*, &, si cunctis voluerit dimittere, sanctam ei tribuit unctionem. Interim recitantur litaniæ, in quibus sanctus Benedictus iuvocatur primus inter omnes confessores etiam pontifices, scilicet sanctos Martinum, Hilarium, Silvestrum, Gregorium, Augustinum, Birinum, Cuthbertum, Eudocum, Remigium, & Germanum: post quos invocantur sanctus Maurus, sancti Columbanus, Antonius, Macarius, Basilius, Ercenwalus & Justinus. Unctiones fiunt indicativo modo. Unguntur labia, collum, cetera membra solito more. Deest ordo ad ministrandum viaticum, forte avulsus. Hæc extra lineas ad recreandos paullisper lectorum animos, & ad conservandam notitiam monasterii & episcopatus Lanalatensis, quæ omnino obliterata est. Rotberto in regimine Gemeticensis monasterii suffectus Godefridus abbas, de quo infra. Non omittendum id, quod legere memini in uno necrologio Gemeticensi, in quo pridie nonas Martii præscribuntur preces *pro illis, qui dederunt & fecerunt libros, prima die quadragesimæ*, quando scilicet libri singulis distribui solent ex regulæ præscripto.

LXIX. Coventria monachis datur, & sit episcopalis sedes.

a *Angl. sac. to. 1. p. 433.*

Hoc etiam anno Leofricus comes Herefordiæ cum uxore sua Godiva magnopere amplificavit, & quasi de novo restruxit Coventriæ monasterium, a Cnuto rege pro virginibus ædificatum, ditavitque opibus amplissimis; & ejectis sanctimonialibus monachos substituit, Leofwino abbate eis præposito, qui post annos duodecim Licidfeldensis episcopus factus, Wlsium habuit successorem. Licidfeldensis sedes tempore Lanfranci Cestriam translata est anno M LXXV. per Petrum episcopum: cujus successor Robertus de Limesy, cum monasterium Coventrienſe suæ diœcesis multo auri & argenti thesauro a comite Leofrico locupletatum comperisset; cupiditate incitatus sedem suam transtulit Coventriam anno M XCV. quæ a priori sede abest millibus [b] quinque & viginti, aquilonaribus Britannis collimitanea. Hoc porro monasterium a comite Leofrico constructum dicitur *tanto auri & argenti spectaculo*, ut angusti viderentur parietes ecclesiæ thesauris recipiendis. adeo ut Robertus episcopus ex una trabe, quæ scrinia sustentabat, *quingentas marcas argenti* corraserit, teste Willelmo Malmesburiensi. vir tantæ duritatis in monachos, ut eos miserabili stipe aleret, ac vix ad populares litteras, immo nec ad regularis disciplinæ amorem adspirare sineret, ne vel ciborum affluentia delicatos, vel regulæ ac scientiæ vigor contra se redderet elatos. In ambabus autem Coventriensis ecclesiæ porticibus jacent Leofricus & Godiva loci conditores, in quibus Godiva maxime prædicatur, quæ cum thesauros suos vivens ibi totos congessisset, jam moritura *circulum gemmarum*, quem filo insuerat, ut singularum contactu singulas preces numeraret, collo imaginis sanctæ Mariæ appendi jussit, quæ gemmæ a gnaris centum marcis argenti æstimabantur. In eodem monasterio asservabatur brachium sancti Augustini, quod Egelnothus archiepiscopus, ex urbe Roma revertens, *emit centum talentis argenti & talento auri*, si Willelmo credimus. Sub finem sæculi duodecimi Hugo Coventriensis episcopus monachos [c] expulit ab ecclesia cathedrali: in qua Hubertus-Walterus Cantuariensis archipræsul monachos restituit ex mandato Cælestini V.

b *Vuillelm. Malmesb. de episc. Cestr.*

c *Monast. Angl. to. 1. p. 303.*

LXX. Coronæ B. Mariæ origo.

Prædictum *circulum gemmarum*, ad quarum contactum singulas preces Godiva numerabat, genus quoddam rosarii fuisse veri simillimum est: tum quia nobilis hæc mulier beatæ Mariæ devotissima erat, testante Rogerio Hovedeno, idque probatur ex eo, quod hunc circulum collo imaginis beatissimæ Virginis appendi jussit; tum quia ejusmodi rosarii recitatio jam tum in usu erat. cujus rei indubitatum nobis argumentum suppeditat Hermannus abbas in libro de restauratione cœ-

nobii sancti Martini Tornacensis, in quo auctor laudat instauratores Lescienſis in Hannonia monasterii, Theodericum de Avesniis, & Adam ejus conjugem, filiam Hilduini comitis Rocciensis, quæ *angelicam illam salutationem singulis diebus sexagies replicabat.* ob idque beata Virgo pro Theoderico ejus sponso, ad judicium Dei postulato, intercesserit. quæ res in tantum vulgata est, ut etiam Goscequinus, filius alterius Adæ, qui avunculo suo prædicto Theoderico succesſerat, *easdem salutationes beatæ Mariæ quotidie replicaret, militibusque suis eas dicere suaderet.* Hæc origo videtur Coronæ, quam vocant, beatissimæ Virginis, repetenda proinde ab ineunte sæculo duodecimo, quo id contigit. Plura hac de re legesis in præfatione nostra [a] ad acta sanctorum Sæculi quinti.

ANN. CHR. 1044.

a *Præfat. sec. V. n. 125. & seq.*

LXXI. Elienses abbates.

Post mortem Leoffini Elienſis abbatis, quæ hoc anno [b] contigisse dicitur, rex Edwardus Wilfricum cognatum suum ex novo Wintoniæ monasterio ad Elienſe regimen assumsit, & a Stigando tunc Norwicensi episcopo, post Cantuariensi primate, ordinari curavit. Wilfrico frater germanus erat Gudmundus, cui ille absque titulo & subscriptionis testimonio, inconsultis monachis, quædam sui monasterii prædia concessit, quæ Gudmundus a Turstano abbate, Wilfrici successore, ad vitam denuo accepit anno M LXVI. quo Turstanus a Stigando archiepiscopo benedictus fuit. Mortuo Wilfrico, Stigandus abbatiam Elienſem, aliasque usurpavit, immo & episcopatus, & pro suo nutu aliis contulit.

b *Angl. sac. to. 1. p. 609.*

LXXII. Siwardus Cantuariæ coadjutor.

Hoc ipso anno [c] Edsius Dorobernensis archipræsul, cum præ infirmitate pastorale officium implere non posset, Siwardo Abendoniæ abbati, quem prudentia plurimum vigere noverat, vices suas commisit, & ipse vivens & volens potestati decessit. Sunt qui Siwardum archiepiscopum ordinatum dicant: alii tantum chorepiscopum. quæ Gervasii Dorobernensis [c] sententia est. Willelmus Malmesburiensis eidem sententiæ favere videtur, cum ait, Edsium apud regem & comitem satis egisse, *ut Siwardus abbas Abendoniensis succederet.* Sed *cum ille in ipsum, qui honorem intulerat, ingratus, etiam necessario victu infirmum fraudaret; jam designatus successor eliminatus est, datusque ei episcopatus Roffensis, quo leviaret verecundiam, quo detrimentum consolaretur.* Fuit igitur tantum *designatus* archiepiscopus Willelmi judicio, non ordinatus. Verum subdit Willelmus, Rotbertum, qui ex Gemeticensi monacho Londoniæ episcopus erat, Siwardo suffectum fuisse. quod non ante annos quinque factum postea videbimus. Siwardus per id tempus vices archiepiscopi egisse dicendus est ut chorepiscopus, qui Edsii nonnisi *designatus* successor erat. Gervasius scribit, Siwardum chorepiscopum apud Abendoniam defunctum, ibidem sepultum fuisse. Eidem in præfectura monasterii ad quadriennium subrogatus est Æthelstanus [d] ejusdem loci monachus, eique mortuo Sperafoc de monasterio sancti Eadmundi.

c *Script. X. p. 1651.*

Abendonienſes abbates.

d *Angl. sac. to. 1. p. 167.*

LXXIII. Glaber Rodulfus historiam absolvit.

Florebat hoc tempore Glaber Rodulfus, monachus Cluniacensis, ac discipulus Odilonis abbatis, cujus mandato historiam rerum sui temporis quinque libris scripsit, eidemque nuncupavit. In prologo ait se eam ordiri ab anno millesimo, qui primus erat Heinrici secundi regis Saxonum, tertius Rotberti Francorum regis: sed tamen in duobus prioribus libris multa ante hunc annum facta commemorat, & a libro tertio res ab anno millesimo gestas narrare incipit. Desinit liber quintus in electione Gregorii VI. hoc anno in Benedicti IX. locum suffecti: qui vir religiosissimus ac sanctitate præcipuus ab eo dicitur. cujus videlicet bona fama, quidquid prior fœdaverat, in melius reformavit. His in verbis desinit Glabri historia, quæ proinde ultra hunc annum non protenditur. Obstare tamen videntur ea, quæ in capite primo libri v. referuntur de conjugio Heinrici tertii regis Saxonum cum Agnete filia Willelmi Pictavorum ducis, quod *quinto post quadragesimum atque millesimum dominicæ incarnationis annum* contigisse idem Glaber tradit, & quod de eclipsi *sequenti anno; id est quadragesimo-sexto post millesimum*, facta narrat. Verum Agnetis cum Heinrico rege connubium anno M. XLIII. contractum fuisse testatur Hermannus, ejus temporis scriptor, & Lambertus Scafnaburgensis: quibus chronicon Andecavense suffragatur [e], in quo Heinricus anno M XLIII. & quidem kalendis Novembris, Agnetem duxisse traditur. atque adeo dicendum est, mendum irrepsisse in Glabri contextum; aut certe commode interpretandum esse. cujus rei argumento est, quod Glaber hoc conjugium proxime post annum M XLI. commemorat, reſque subsequentes quæ ante annum

e *Labbe bibl. to. 1. p. 276.*

ANN. CHR. 1044. M XLV. contigere. Eadem proinde correctio adhibenda videtur vulgato chronico Hugonis abbatis Flaviniacensis, in quo Heinricus Agnetem duxisse dicitur anno M XLV. & quarto post anno Richardum Virdunensem abbatem obiisse, quem anno M XLVI. obiisse ex eodem auctore constat. Relato enim Heinrici cum Agnete conjugio, subdit luem in urbe Virdunensi usque adeo desævisse, ut civitas illa fere in solitudinem redigeretur. quod malum ut averteretur, visum fuisse Richardo episcopo, beati Vitoni implorandum esse auxilium; ideoque sacrum ejus corpus e feretro exponendum, & sollemni processione deferendum, contradicente Richardo abbate, quippe Sancti corpus non esse inquietandum. Verum, cum nihilo minus in sententia perstitisset antistes, remque exsecutus esset; Richardum abbatem prædixisse, fore ut quintum abhinc annum non videret episcopus; abbas vero, qui demum assenserat, ante quintum pariter annum e vita excederet. quod utique probavit eventus. Quarto enim necdum exacto, viribus corporis destitui cœpit sanctus abbas, & non multo post decessit.

ANN. CHR. 1045. LXXIV. Angelramnus abbas Centulæ paralyticus.

ANnus insequens post millesimum quadragesimus-quintus Angelramni Centulensis abbatis supremus fuit. Sub finem vitæ paralysi sic affectus, ut nec manum ad os ducere, nec in lecto se movere valeret; superno Conditori gratias nihilo minus jugiter referebat, nec a divinis laudibus, immo nec a missarum recitatione quotidiana cessabat: qua in re vino cælesti aliquando refectus memoratur. Interim Fulco ejus loci monachus, filius Angelramni comitis, ab Heinrico rege, qui tunc forte in Pontivum venerat, interventu patris sui, abbatiam sibi dari petiit, ignorante Angelramno, & obtinuit. Jamque festivum hac de re epulum quibusdam *militaribus* in refectorio paravérat, cum Angelramnus hoc comperto se ad ostium refectorii deferri jussit, omnesque qui convenerant, ex auctoritate Dei omnipotentis, si ulterius pergerent, diris addixit. quo facto, omnis illa factiosorum turba evanuit. Tum Fulconem accersitum graviter increpuit Angelramnus, eumque se vivente, ne quidem alterius loci, abbatem fore contestatus est: uti re ipsa contigit. nam Fulco, jam tum Forestensis cellæ abbas a patre designatus, ea prefectura, superstite Angelramno, potitus non est. Verum, ut ejus ambitionem validius retunderet Angelramnus, se ad Heinrici regis præsentiam curru devehi jussit, & graviter increpitum, quod, se vivente, abbatiam Fulconi donasset, ad facti pœnitentiam adduxit. Forte per id tempus ad regem accessit Richardus Virdunensis abbas, comitante Gervino ipsius capellano, quem rex Angelramno successorem dari postulavit. Annuit Richardus, at Gervinus obstitit, ni fratrum electio accederet. Hoc comperto, gaudet Angelramnus de tali successore: fratres in concionem vocat, & designatum sibi successorem ab omnibus approbari curat. Mox scribitur *consensus electionis, redditur a sancto viro curæ pastoralis.* Ambianis interim substiterat Gervinus, qui fratrum electioni demum assensit, ipsaque die nativitatis beatæ Mariæ a Guidone episcopo sacratur; sacratus Centulam adit, & honorifice accipitur. Ubi vero admissus est, Guarinum præpositum, Regneguardum decanum instituit. Non diu superstes fuit Angelramnus, qui diutina paralysi probatus, demum ad extrema pervenit, & ad cælestem patriam hoc anno migravit v. idus Decembris. Corpus ejus in basilica sancti Richarii ad aram beati Laurentii sepultum est; ad cujus tumulum mulier paralytica sanata dicitur. Nullo tamen publico cultu hactenus honoratus, nec Sanctorum albo adscriptus est.

Fulcone rejecto, Gervinus succedit.

LXXV. Angelramni discipuli, & scripta.

Res ab eo gestas scripsit Hariulfus in chronico Centulensi, ubi quosdam ejus discipulos laudat, in his Odelgerum piissimum monachum, qui a puero sacris sub Ingelardo abbate disciplinis informatus, miræ abstinentiæ & obedientiæ fuisse traditur, orisque tam severus custos, ut, cum fratres in communi colloquio aliquid sæculare miscerent, statim secederet in ecclesiam, precibus & compunctioni vacaturus. Mortuus est ante Angelramnum, qui ejus epitaphium composuit, in quo Februarii die nona obiisse dicitur. Multi quoque nobiles Angelramno se litteris erudiendos tradiderunt, ex quibus duo præcipui fuere, Guido scilicet Ambianensis ecclesiæ tunc archidiaconus, postea præsul, & Drogo Taruennensis. Guidonem poëticæ artis amantem fuisse tradunt Willelmus Gemeticensis & Ordericus Vitalis, aiuntque ipsum carmine heroïco librum edidisse, necdum editum, de expeditione Guillelmi Conquæstoris in Angliam. Idem præceptoris sui epitaphium scripsit,

sit, ab Hariulfo relatum. Angelramnus vero, hortante Fulberto Carnutensi episcopo, vitam sancti Richarii versu heroïco composuit, cui alterum libellum itidem metrice de ejusdem miraculis subjecit cum relatione ejus in monasterium Centulense. Ad hæc passionem sancti Vincentii martyris, & vitam sanctæ Austrebertæ virginis metrice reddidit; necnon sanctorum Wulframni archiepiscopi & Walarici abbatis honori proprios cantus aptavit.

ANN. CHR. 1045.

LXXVI. Guido ejus frater, Forestis-cellæ abbas.

Eidem frater erat Guido, Forestensis cellæ abbas primus ex eo tempore, quo hæc cella proprios abbates habere cœpit. Id factum a principatu Hugonis Capeti, qui Abbatis-villam Centulensibus abstulit, ut castrum seu præsidium illic ad præcavendos Barbarorum incursus exstrueret, ejusque custodiam commisit Hugoni militi, qui ipsius Capeti filiam, Gelam seu Gislam nomine, uxorem duxerat, non comes, sed monasterii Centulensis advocatus: cujus filius Angelramnus, quia Bolonienſis comitis, ab ipso in bello cæsi, relictam in matrimonium acceperat, comes deinceps dictus est, quod nomen ad ejus posteros transiit. Idem Capetus Forestis-cellam dedit prædicto Hugoni militi, qui monachos quosdam Centulenses ibidem clericorum loco substitui postulavit, quibus abbates ex Centulensium grege in posterum præfici statuum est. Horum primus fuit Guido Angelramni frater, qui postea oculorum lumine orbatus, Centulam se recepit, suffecto in ejus locum Hucberto, ibidemque VIII. kalend. Maii obiit, ad tumulum piissimi illius monachi Odelgeri humatus in ecclesiola sancti Vincentii martyris claustro contigua, & epitaphio a fratre honoratus.

LXXVII. Gervini abbatis prima facta.

Redeo ad Gervinum abbatem, de cujus vitæ primordiis hactenus agere distulimus. Ortus ex territorio Remensi (sic primo scriptum ab Hariulfo, ubi *Laudunensi* nonnemo superaddidit) patre Guillenco, matreque Romilde natus est. A puero litterarum studiis eruditus in metropolitana sanctæ Mariæ ecclesia, ubi clerus insignis pietate & doctrina excellebat; dum poëtarum lectione nimium delectatur, mens ejus sensim polluitur turpibus eorum figmentis, jamque tum juvenili ardore, tum sodalium instinctu eo ventum est, ut corporis integritas violaretur. Verum Deus, qui sibi in eo aptum vas gratiæ præordinaverat, juvenem ex ipsis diaboli faucibus exemit, tantoque pudore ejus animum implevit, ut ex eo tempore non modo lascivis amoribus, sed etiam sæcularibus studiis nuntium remiserit. Mortuis parentibus, cum esset Remensis ecclesiæ canonicus, sæculum relinquere decrevit. Huic consilio adversabantur sorores ejus duæ, quarum custodia ipsi competebat. Ut ab hac remora se expediret, unam, cui Rotselinæ nomen erat, Haymoni strenuissimo militi nuptum dat: alteram Christo collocat in monasterio virginum. Tum ille Virdunum se confert ad Richardum olim Remensem canonicum, tunc sancti Vitoni abbatem, quem eximiæ virtutis fama sibi notum ac venerabilem dudum fecerat, & ab eo in monasterium admitti postulat. Non statim postulanti annuit pius abbas: vitæ monasticæ instituta dura exponit, ac sæpius inculcat. Gervinus ad aspera quæque se promtum exhibet. His induciis protracto anno, tandem monastica veste induitur, & in cœtum fratrum admittitur. Probata dein ejus pietate, factus est primum puerorum custos, tum abbatis capellanus, quem ad loca sacra proficiscentem comitatus est. Reversus ex illa peregrinatione, cum Richardum abbatem, ut paullo ante diximus, in aulam Heinrici regis secutus esset, Centulensis monasterii abbas expetitus est. Ab inito statim regimine disciplinam regularem firmare, vetera renovare ædificia, nova exstruere, dissipata recolligere cœpit. Unde cryptam insignem in honorem beatissimæ virginis Mariæ cum quatuor altaribus condidit, quam XIV. kalend. Novembris dedicavit. Ad hæc monasterii possessiones a quibusdam subtractas vindicare instituit, multaque alia patravit, de quibus in consequentibus agemus.

LXXVIII. Ejus vitæ exercitia.

Quam pie vitam in abbatiali dignitate instituerit, testis est Hariulfus, qui ab eo in monasterium admissus est. Quolibet tempore, nisi obstaret infirmitas, ubi paullulum somni ceperat, e grabato se excutiens, ecclesiam petebat, aras omnes precando circumibat, peractisque precibus ad lectum revertebatur, ad vigilias nocturnas cum fratribus denuo surrecturus. Præter claustralem canonem, alterum de sancta Trinitate, de beata Virgine, de Angelis, de Apostolis, & de omnibus sanctis quotidie persolvebat. Post nocturnas vigilias, cum fratres plerique ad lectos reverterentur, ipse denuo precibus, tum lectioni usque ad lucem vacabat. Quadragesimæ

ANN. CHR. 1045.

tempore major illi austeritas : juge cilicium, panis cibarius cum aquæ potione, insuper ad triduum inedia frequens. Pro lectuli pompa, congesta vilis mattula erat. In sollemnibus vigiliis omnino a cibo abstinebat, totumque ex integro psalterium recitabat. Si quando foras progrediebatur, in itinere psalmos decantare consueverat. Hospitio receptus, mox ad proximam, si qua erat, ecclesiam oraturus pergebat: in mensa lectio, vel divinæ legis meditatio numquam deerat. Ubi socii lecto compositi erant, ipse lecto clam se proripiens, ad sacras reliquias, quarum capsulam secum deferre solebat, solitas effundebat preces. Præter ea de conversione peccatorum plurimum sollicitus, eorum confessionibus excipiendis sedulam impendebat operam, ita ut diem aliquando integrum jejunus hoc in munere transigeret. qua in re tantum profecit, ut multos scelestos homines non modo ex Gallia & Aquitania, sed etiam ex Hungaria ad resipiscentiam adduxerit. His virtutibus cum floreret Gervinus, a populo *sanctus abbas* vocabatur. Tantum in audiendis confessionibus studium non sustinuerunt clerici, conquesti, quod *absque apostolici licentia homo non episcopus prædicare auderet, & peccatorum confessiones inquireret.* Verum eorum invidiam Leo pontifex repressit, ut postea videbimus.

LXXIX. S. Medardi abbatia a rege protecta.

Per id tempus sancti Medardi abbatia Suessionensis multa gravamina passa erat a Stephano comite, qui eam sibi subjugaverat. Hujus rei indignitate commotus rex Heinricus, abbatiam [a] ab ejus potestate eripuit, & in suam tutelam & protectionem suscepit; tum castrum de Vico super Axonam, quod idem comes invaserat, cum suis adjunctis sancto Medardo restituit. Eidem quoque abbatiæ multas molestias inferebat Rotbertus miles, Couciaci dominus, eique multas iniquas consuetudines imposuerat, quas rex Heinricus itidem abrogavit. Tunc illius monasterii abbas erat Reinoldus seu Rainoldus, qui, quoniam inconsulto rege sui purgandi causa Romam profectus erat, post quatuor annos abbatia privatus est.

[a] *Spicil. to. 2. p. 786.*

S. Præjecti & S. Quintini abbates.

Viromandensem comitatum eo tempore administrabat Otto comes, & abbatiæ sancti Quintini rector. Is suburbani sancti Præjecti monasterii, quod avus ipsius Albertus a fundamentis exstruxerat, inopiæ compassus, possessiones ejus confirmavit, auxitque, litteris hoc anno datis, quas Hemeræus [b] refert. Tunc Præjectino monasterio præerat Gerardus abbas, ut probat alterum ejusdem Ottonis instrumentum, anno superiori datum, quo villam Curcellas monasterio sancti Quintini-de-Insula contulit, testibus Gerardo abbate Insulano, Gerardo item Præjectino, & Amalrico sancti Michaëlis in Teorascia abbatibus. Gerardo Præjectino abbati jam successerat anno M XLVII. Rainerius, cum Heribertus [c] abbas-comes, rectorque monasterii sancti Quintini, cuidam famulo suo, Herembaldo nomine, amore vitæ contemplativæ accenso, facultatem concessit adeundi sancti Præjecti monasterium, ut ibi monachus fieret, resque suas eidem loco tradendi; *laude domini Heinrici Francorum regis, qui abbatiam sancti Quintini vice mea,* inquit Heribertus, *regebat.* quas res prædictus Herembaldus *dedit Deo & sancto Præjecto, & Rainero ejusdem loci abbati, & monachis Deo in eodem loco servientibus*, præsentibus Guidone Remensi archiepiscopo, Balduino Noviomensi, Fulcone Ambianensi, & Frollando Silvanectensi episcopis, qui istius donationis, si qui futuri essent, violatores excommunicarunt; His litteris apposita sunt signa domni Heinrici regis, domni Heriberti abbatis & comitis, prædictorum pontificum, Gerardi abbatis de-Insula, & aliorum.

[b] *Hemeræ p. 35. & seq.*

[c] *ibid.*

LXXX. Odericus abbas Vindocinensis.

Sub hoc tempus decessit Rainaldus abbas primus Vindocinensis, cui Odericus in annos octo & triginta successit. Ejus mentio sæpe recurret. Interim observanda ejus charta sine chronicis notis de Goffrido presbytero ante ordinationem uxorato * in villa Maziaco *, cui villæ Maziaci ecclesiæ *presbyteratum*, ut ipse vocat, tenendum concedit, sicut prius habuerat: *dum tamen, sicut spopondit, ordoque sacerdotalis exigit, caste & continenter vixerit*, toto vitæ suæ tempore possidendum, fru- menti scilicet octo sextarios, & quædam alia, baptisterium totum, benedictionem viri & mulieris, offerendam quoque feminæ tempore purificationis ad missam venientis, confessiones omnes, infirmorum visitationes, & agenda mortuorum; præter ea *denaria sacramentorum*, & de signis sonandis; in die vero Crucis-adoratæ eorum, quæ offeruntur, dimidiam partem, uti & in rogationum processionibus; *benedictionem quoque peræ* [d] *si quempiam de parrochianis suis peregre proficisci contigerit.* His conditionibus idem presbyter, *domni O.* id est *Oderici abbatis homo* factus

* *Mazey.*

[d] *V. supra n. 63.*

ANN. CHR. 1045.

est, *fidelitatemque illi ac loco sanctæ Trinitatis cœnobii Vindocinensis juravit*, atque omnium, *quæ ad præsens tam ipse quam uxor ejus legaliter, ab eodem secundum laicalem morem, antequam sacerdos esset, ducta, possidebant. Prædicta vero conjux illius, ab ejus consortio sequestrata, in eadem parochia minime conversabatur.* Ex his intelligitur, presbyteros quoque homines tunc temporis servos monasteriorum factos fuisse : cujus rei antiquius exemplum habetur in libro sexto de re diplomatica, num. LXX.

LXXXI. S. Aviti puellare cœnobium.

Ad hoc tempus revocanda est origo parthenonis beati Aviti in castro-Duno diœcesis Carnutensis. Hujus parthenonis auctor Wanelo archiclavus seu thesaurarius sancti Martini quasdam res suas de beneficio Carnotensis episcopi, scilicet de abbatia sancti Aviti in usus sanctimonialium, ibidem jam Deo famulantium, donavit, aliaque permulta, quæ in ejus litteris exprimuntur. Hæc autem omnia ea lege donat, ut locus ille nulli personæ, nulli umquam regulæ aut ecclesiæ, præterquam ecclesiæ beatæ Mariæ Carnotensis, subjiciatur, & libera sit electio abbatissæ. *Factum est istud in aula Theoderici Carnotensis episcopi anno ab incarnatione Domini* M XLV. His litteris apposita sunt signa Theoderici episcopi, Fulcherii archidiaconi, Wanelonis archiclavi, aliorumque canonicorum, Fulberti nepotis episcopi, *Hilgaudi futuri episcopi*, Adeliciæ monachæ, quæ forsan ejus loci abbatissa prima fuit, & aliarum. Hoc monasterium etiam nunc perstat sub regula sancti Benedicti.

S. Petro Carnutensi datæ burgi consuetudines.

Eodem tempore Gilduinus vicecomes Carnutensis, una cum Emelina uxore ac filiis suis, suburbano sancti Petri monasterio cedit suburbii consuetudines, quæ sui juris erant, ea conditione, ut monachi pro salute sua Deum precentur, & singulorum post mortem anniversaria celebrent. Subscribunt post Gilduinum vicecomitem Harduinus vicecomes, Elizabeth uxor ejusdem, Guarinus *princeps coquorum vicecomitis*, Durandus pincerna comitis. *Hoc actum est* III. *kal. Maii, regnante invictissimo rege Heinrico, secundo anno post bellum, quo captus est Theobaldus comes palatinus.* Id accidit anno M XLIII. quo anno *Thebaudus, filius Odonis comitis, a Goffrido comite Andegavensi captus est* XII. *kal. Septembris*, ut in veteri chronico Salmurensi legitur, & post *triduum civitatem Turonensem reddidit.*

LXXXII. Parthenonis Caritatis abbatissæ & res confirmatæ.

Jam annus septimus-decimus currebat a condito parthenone beatæ Mariæ, Caritatis dicto, quem Fulco Andecavorum comes [a] una cum Hildegarde conjuge sua in prospectu Andecavæ civitatis construxerat : cum Goffridus comes, Fulconis filius, prosperos rerum suarum successus Deo acceptos referens, universas eidem loco factas donationes confirmavit, adhortantibus dilectis sibi matronis, domna Hildegarde comitissa genitrice sua, simulque conjuge sua Agnete, quarum nomina cum eo hujusmodi litteris subscripta sunt, itidemque Huberti Andecavorum episcopi, & Teburgis abbatissæ, forte Leburgis seu Leoburgis primæ ejus loci abbatissæ, cui Bertrada successisse dicitur. *Actum kalendis Octobris intra ipsum monasterium.* Anno insequente M XLVI. Hildegardis comitissa, Jerosolymam profectura, *ubi & secundum desiderium cordis sui defuncta, prope loca dominicæ sepulturæ humata* est, donavit sanctæ Mariæ servos suos, necnon vineam quamdam; *sanctimoniales & Bertradam tunc abbatissam deprecans, ut eam filiæ suæ Ermengardi, jam tunc viduæ, usu-fructuario in vita ejus habendam dimitterent.* Hæc est Bertrada abbatissa, quæ Eremburgi venerabili viduæ beneficium orationum concessit, cum illa se ipsam, & filias suas, Herfendem & Hildegardem, in monasterio sanctæ Mariæ devovit, & prædium suum in terra Hainonis donavit. Bertradæ abbatissæ successit Beliardis, de qua alias. In chronico Andegavensi [b] Hildegardis comitissa anno M XLVI. obiisse traditur kal. Aprilis, aliis IV. nonas ejusdem mensis. Fallitur chronographus sancti Maxentii, qui eam in monasterio sancti Nicolai ad Fulconem maritum sepultam fuisse scribit. nisi dixeris ejus corpus (quod vix credibile est) reportatum fuisse ex locis sacris, ubi mortua humataque erat.

[a] *lib. 56. n. 47.*

[b] *Labbeto. 1. bibl. p. 276.*

LXXXIII. Theodelini abbatis Malliacensi successores.

Actum est superius non semel de Theodelino Malliaci abbate, quem ineunte anno M XLV. id est kalendis Januarii, apud Burgulienſe cœnobium, sanctis mysteriis initiatum, spiritum *sæculis æternis* reddidisse tradit Petrus [c] ejus loci monachus. Huic successit *vir mansuetissimus & humilis*, nomine Humbertus, qui Malliacense monasterium quindecim annis rexisse dicitur, atque patientiæ & longanimitatis suæ clarissimum filiis suis specimen reliquisse, ac demum anno M LX. vivendi finem

[c] *id. to. 2. p. 237.*

ANN. CHR. 1045.

feciſſe. Poſt hunc Malliaco præfuit Goderannus, natione Gallus, atque alterius loci, id eſt ſancti Remigii Remenſis, monachus : cujus mandato Petrus mox laudatus libros duos de antiquitate & commutatione Malliacenſis monaſterii compoſuit, eidemque nuncupavit. De Goderanno abbate, ac demum Santonenſi epiſcopo plura inferius.

LXXXIV. Salvatoris monaſterium Nivernis.

Exſtat Nivernis baſilica Domini Salvatoris, a priſcis temporibus decorata monaſticis inſtitutis, quam Hugo epiſcopus anteceſſorum ſuorum incuria valde labefactatam, & ſancti Benedicti regulis deſtitutam, (abbatiam vocat) in priſtinum reſtituere gradum cupiens, aſſenſu & conſilio Adelelmi ejuſdem loci rectoris, Cluniaco tradit, & Odiloni abbati regendam & diſponendam committit. Actum Nivernis publice in ſancta ſynodo, VIII. idus Novembris, regnante Heinrico rege. Hactenus illic prioratus eſt conventualis abbatiæ Cluniacenſis.

Moiſiacum & Tomeriæ.

Eidem olim ſubjecta erat, ut inferius videbimus, abbatia Moiſiacenſis, nunc collegiata eccleſia canonicorum ſæcularium, cui Pontius Toloſanus comes, eo nomine tertius, hoc anno quamdam donationem fecit, manuque propria firmavit, *& in ſignum* [a] *ſuæ conceſſionis, ungulam ſui pollicis in tantum abſcidit, ut in hujus facti memoriam ſanguis ex ipſo exierit, ipſumque locum Salvitatem vocari & eſſe ab eo die conſtituit.* Pontius iſte conjugem duxerat Adalmodem ſeu Almodem comitiſſam, quam Willelmus Malmeſburienſis Guillelmi comitis Toloſani uxorem perperam vocat. Sub idem tempus Aldegarius Albienſis epiſcopus cum ſuis clericis eccleſiam ſancti Remedii de Autrico ceſſit Petro abbati & monachis Tomerienſis monaſterii *ad peragendum in ea divinum famulatum*, ea lege, ut ex rebus ad eamdem eccleſiam ex oblatione fidelium provenientibus monachus & capellanus, qui » eam rexerint, quinque ſolidos Albienſi eccleſiæ quotannis in paſchali ſynodo perſolvant.

[a] *Catel Comtes, p. 112.*

LXXXV. Dominicus Exilienſe monaſterium renovat.

Per id tempus Dominicus ſancti Æmiliani monachus, a Garſia rege Navarræ exagitatus ob eam, de qua ſuperius [b] diximus, cauſam, in regnum Fredelandi ſeu Ferdinandi Caſtellæ ac Legionis regis ſe recepit, quo ipſius fama jam penetraverat. Jacebat tunc illuſtre quondam Caſtellæ-veteris monaſterium, & pæne in ſolitudinem redactum erat, paucis illic relictis ſub Munione abbate monachis, qui languentem utcumque diſciplinam ſuſtinebant. Miſerabilem ſacri illius loci ſtatum lugebat præ aliis piiſſimus quidam monachus, Licinianus nomine, qui Eſdram alterum, ſanctæ regulæ & domus Dei inſtauratorem, aſſiduis precibus & lacrymis a Deo poſtulabat. Adfuit oranti divina pietas, & Dominicum in illas oras profectum adduxit ad notitiam Ferdinandi regis, cujus cor & animum, ut quondam Cyri regis, ad inſtaurandum monaſterium inflexit. Convocatis itaque regni optimati« bus, rex in hunc modum verba feciſſe dicitur. Non ignoratis, proceres, quam in» ſigne quondam exſtiterit Exilienſe monaſterium, quod inhabitantium vitio & ſo« cordia pæne ad nihilum redactum cernitis. Tempus eſt, niſi illud omnino inte» rire velimus, ut idoneum ei rectorem provideamus, qui eum redintegret in priſti» num ſtatum. Adeſt nobis in præſens vir quidam eximiæ ſanctitatis & prudentiæ, » quaſi divinitus nobis ad hoc ſubmiſſus, Dominicus nomine, e regno Navarræ di» greſſus. Hunc prædicto monaſterio præficere placet, ſi quidem vobis ita videbitur. Aſſenſere omnes communi applauſu : ex quibus nonnulli a rege deſignati Dominicum ad Exilienſe monaſterium deduxerunt. Locum ac regimen Munio abbas haud ægre ceſſit viro Dei : qui brevi monaſticam illic diſciplinam cum ædificiis reſtituit, ita omnibus omnia factus, ut omnium voluntates ac ſtudia pro nutu flecteret. Hos vero ad frequentandum laborem, qui corpore exercetur, & ad ſectandam humilitatem & parſimoniam ſuo ipſius exemplo, non tantum verbo informabat, monens eos abhorrere affluentes ac ſuperfluentes divitias, deliciarumque illecebras ; tamquam peſtes chriſtianæ ac religioſæ pietatis. Dum his ſtudiis occuparetur vir ſanctus, cæleſti quodam viſo recreatur, oſtenſa ipſi in præmium triplici corona : una, ob ſæculi abdicationem & contemtum : altera, ob reſtitutam ſanctæ Mariæ eccleſiam, & ob ſervatam corporis integritatem : tertiam, quæ pretioſior erat, ob inſtauratum Exilienſe monaſterium. Tunc temporis monaſterio ſancti Petri de Arlanza præerat abbas, Garſias nomine, vir vitæ venerabilis, qui viſo admonitus eſt, ut ſanctorum martyrum Vincentii & ſororum ejus Sabinæ & Chriſtetæ corpora ex civitate Abela, ubi neglecta jacebant, in ſuum monaſterium transferret :

[b] *Supra n. 29.*

ANN. CHR. 1045.

cui tranſlationi Dominicus interfuit. De prædicto Fredelando rege, ut id in tranſcurſu obſervem, intelligendus eſt ſine dubio Petrus Damiani in fine opuſculi XLVII. ubi *Stedelandus* (legendum videtur Fredelandus) *imperator Galliciæ* laudatur.

LXXXVI. Caſinatium cum Normannis conflictus.

Per eos dies Normanni, qui in ulteriorem Italiam tranſmigraverant, ſuperbia elati, omnia circumpoſita loca uſque adeo infeſtarunt, ut ne a ditione quidem ſacri Caſinatis monaſterii temperaverint. Atque ut eos in poteſtate haberent, arcem [a] ſancti Andreæ, firmum ſibi receptaculum, conſtruere aggreſſi ſunt, nequiquam intercedente Richerio abbate : qui improborum hominum vicinia exterritus, conſilium deferendi monaſterii cepit. Interim Rodulfus Normannorum comes, non modica ſuorum ſtipatus manu, in monaſterium venit, ut pacis ſpecie abbatem comprehenderet, vel forte interficeret. Poſitis autem in eccleſiæ atrio armis, templum precandi cauſa cum omnibus ſuis inermis ingreſſus eſt. Tum monaſterii famuli, dominorum ſuorum injurias ultum iri geſtientes, præclaram nancti occaſionem, hoſtium equos & arma diripiunt ; atque claſſico campanarum ſonitu pulſato, opidanos omnes ad arma cient. Ita Normanni inermes ab incolis oppreſſi, ex quibus quindecim deſiderati ; Rodulfus ipſe ab intervenientibus monachis vix ſervatus, in cuſtodiam miſſus eſt. Hac victoria elati Caſinates, circumjectæ regionis loca omnia, præter arces ſancti Victoris & ſancti Andreæ, uno die armis recuperant : tum amicorum fulti præſidio, ipſa etiam ſancti Victoris arce expugnata, in arcem quoque ſancti Andreæ, in qua Rodulfi comitis uxor erat, & quo ſe Normanni ex fuga receperant, arma convertunt. Oppugnantibus acriter reſtitere adverſarii per quindecim dies : ſed tandem, invocata ſancti Benedicti a Caſinatibus ope, ad deditionem compulſi ſunt, ac ſeſe monachorum, qui illic aderant, fidei permiſerunt : a quibus vix defenſi, demum Averſam incolumes ſe receperunt. Averſanis inde ſociorum injurias ulciſci pergentibus obſtitit Guaimarius Capuæ princeps, qui Drogonem Normannorum comitem abbati reconciliare ſtuduit. Ita ditio Caſinatium ab injuria Notmannorum præſenti ſancti Benedicti ope recuperata : abbas vero, fidei Nortmannorum diffiſus, ſingula monaſterii caſtra muris & hominum præſidio communivit.

[a] *Chron. Caſin. lib. 2. c. 71.*

LXXXVII. Guido abbas Caſaurienſis obit.

Hic annus ſupremus fuit Guidonis Caſaurienſis abbatis, de quo ſuperius [b] actum eſt. Hic ſub finem vitæ intra clauſtra monaſterii aſſiduis jejuniis & precibus finem vitæ ſuæ prævenjens, ægrotare cœpit ; ſtatimque convocatis fratribus, qua die & hora moriturus eſſet prædixit, die ſcilicet feſto ſancti Clementis, ea hora, qua in miſſa recitaretur evangelium, *Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* quod ita evenit. Ipſa quippe die, antequam miſſa celebraretur, in eccleſiam ſe portari fecit, ſumtoque ſacro viatico, cum prædicta evangelii verba legerentur, exſpiravit, nono ſcilicet kalendas Decembris ; at ejus memoria ob feſtum ſancti Clementis dilata in diem ſequentem. Sepultus eſt in eccleſia prope clauſtrum monaſterii ad parietem auſtralem, ubi quotidianis miraculis claruiſſe dicitur a Johanne chronographo, qui librum [c] de ejus vita ſcriptum ſuo tempore in monaſterio exſtitiſſe teſtatur.

[b] *lib. 55. n. 19.*

[c] *Spicil. to. 5. p. 428 & 439.*

Adalbertus ejus diſcipulus & ſucceſſores.

Ejus tempore quidam Adalbertus [d] filium ſuum cognominem monaſterio ſancti Clementis obtulit, ſacris & monaſticis inſtitutionibus ab eo erudiendum. Hunc venerabilis Guido paterno amore ſedulo informavit, atque ita perfectum reddidit, ut a cœnobitica vita ad anachoreticam tranſierit, ac miraculis coruſcaverit. Principio in monte, qui Bletrennius dicitur, ſolus habitavit. Inde in convallem deſcendit, ubi ſancti Michaëlis eccleſiam exſtruxit ; tum ſancti Eliæ oratorium, poſitum in fundo ſancti Clementis, reparavit. Poſtea hominum frequentiam vitaturus, ſeceſſit in montem Caramanicum, in comitatu Teatino, ibique monaſterium ſancti Nicolai in loco, qui Civitatula dicitur, ædificavit. Denique, cum in monte Urſa aliquamdiu latuiſſet, in convallem deſcendit, & in comitatu Valvenſi, in loco, qui Eufinianus dicitur, eccleſiam in honorem ſanctæ Trinitatis ſub titulo ſancti Quirici martyris condidit : ubi vivens & mortuus multis miraculis & virtutibus claruiſſe dicitur, *ſicut libellus de ejus vita conſcriptus inſinuat*, inquit chronographus : quem libellum, uti & alium, qui de vita ſancti Guidonis abbatis ſcriptus eſt, non vidimus. Guidonis in abbatiali dignitate ſucceſſor Franco octo tantum menſibus ſupervixit. Subrogatus in ejus locum Dominicus, vir religioſus, ex monaſterio ſancti Fructuoſi, quod Caput-montis appellatur, diœceſis Genuenſis, aſſumtus permiſſu

[d] *ibid. p. 438.*

ANN. CHR. 1045.

abbatis ſui Berardi : de cujus electione chronographus Caſaurienſium epiſtolam [a] refert, a monachis triginta-duobus ſubſcriptam, quorum plerique ſacerdotes erant, ſeque preſbyteros & monachos dicunt. Iſte Dominicus a Romano pontifice Leone IX. primus obtinuit privilegium, quod ejus anteceſſores vel habere non potuerant, vel inſuper habuerant. Idem Dominicus, cum ob præclaras dotes electus eſſet epiſcopus Valvenſis, abbatiam ſimul cum epiſcopatu retinuit, quod ad eam regendam ſolus dignus haberetur : qua in dignitate priſtinam humilitatem cum monaſtico habitu ſervavit, ob id Deo & hominibus gratus & acceptus. Poſtmodum tamen, cum utrique muneri ſe ſufficere non poſſe animadvertiſſet, Berardum ſub ſe abbatem inſtituit, ſummarum rerum poteſtate ſibi reſervata. Verum, Berardo poſt ſex annos defuncto, abbatiam ad obitum uſque retinuit. Ad ordinem revertor.

a *ibid. p. 446.*

LXXXVIII. Brixienſis parthenonis privilegium.

Trajectulæ menſe Auguſto verſabatur Heinricus tertius, cum interventu Herimanni [b] Colonienſis archiepiſcopi & cancellarii, opidanos Novi-caſtri, ſiti in monte Razino in vicinia Gardæ, a publicis miniſtrorum ſuorum exactionibus immunes declaravit, ut ſanctæ Dei eccleſiæ Domini Salvatoris, & beatæ Juliæ martyris, in ea apud Brixiam requieſcentis, liberius deſervire valerent. Hoc puellare noſtri Ordinis monaſterium erat, de quo jam ſæpe diximus. *Data anno dominicæ incarnationis* M XLV. *indict.* XIII. XI. *kal. Auguſti ; ordinationis vero domni Heinrici* XIII. *regni vero ejus* VI. *Actum Trajectula feliciter.* quod forte eſt Trajectum * Suevorum. nam eo anno Heinricus in Germania erat, profectus in feſtivitate pentecoſtes in Boëmiam, ubi Petrus rex eum honorifice excepit, eique regnum Pannoniarum ſubjecit, teſte Hermanno-Contracto, qui de triumpho Petri in regnum reſtituti [c] rythmum compoſuit. In illo itinere, ut idem auctor tradit, rex e veteri quodam ſolario corruiſſe dicitur, ſed illæſus : Brunus vero Wirtziburgenſis epiſcopus ex eodem lapſu letaliter vulneratus, poſt unam hebdomadam VII. kal. Junii obiiſſe, Adalberonem ſortitus ſucceſſorem, quem Trithemius abbatem monaſterii Lambacenſis Ordinis noſtri, quod tunc à clericis occupatum, ſerius monachis noſtris conceſſum eſt, monachum fuiſſe dicit.

b *Bull. Caſin. to. 2. p. 81.*

* *Schevvinfurt.*

c *Alberic. ad hunc ann.*

LXXXIX. Guntheri eremitæ obitus.

Ibidem autumnali tempore, ut ſcribit idem Hermannus, Guntharius ſeu Guntherus eremita ex monacho Altahenſi, cujus non ſemel meminimus, ad Chriſtum migravit, & in Praga Boëmiæ urbe ſepultus eſt, in proximo ſcilicet Breunovienſi monaſterio, ut vir ſanctus optaverat. Rem ita narrat Wolferus in libro de ejus vita. Polonia ſibi ſubjugata, dux Bretiſlaus inter venandum illatus eſt ad vicinos Pragæ urbis ſaltus, in quibus Guntherus cellulam ſibi ex virgultis exſtruxerat. Cum hac illac diſcurreret, ſubito cervus miræ magnitudinis ei occurrit ; quem ille alacriter inſecutus, cæleſti voce admonitus dicitur, ut latentem in illa ſilva theſaurum perquirat. Hic inopinato ſtupefactus oraculo, uno cliente comitatus, oculis circumquaque conjectis, eminus proſpicit in vaſta ſolitudine rivulum, virenti circumdatum gramine, & ſaxum ingens, in quo cellula erecta erat. Illuc reverenter ingreſſus, invenit ſenem canitie venerandum, pio horrore perfuſus ad ejus adſpectum. Tum ſenex benigne ipſum intuitus, bono animo eſſe juſſit, ſe Guntherum eſſe conteſtatus, qui ducem ipſum e ſacro fonte ſuſceperat. Ad hæc reſumto ſpiritu percontatur, quo pacto ad id vitæ genus vir adeo nobilis deveniſſet, eique locum & commoda omnia in ſuo ducatu offert. Aſt oblatam gratiam renuit vir Dei, prædixitque imminere ſui corpuſculi diſſolutionem, quod in proximo Breunovienſi monaſterio humari poſtulavit. His verbis duci ſupra modum conſternato & in lacrymas effuſo Guntherus : Deſine, ait, fili, mæſtus eſſe, & ad tuos incunctanter redi, craſtino reverſurus, ſi migrationi meæ adeſſe cupis. Ita dimiſſus Bretiſlaus, ſequenti die ad virum Dei reverſus eſt cum Severo Pragenſi epiſcopo, qui, celebratis miſſarum ſollemniis, dominici corporis & ſanguinis viaticum Gunthero miniſtravit : quo percepto, ſpiritum Deo reddidit vir ſanctus anno incarnationis M XLV. & quidem VII. idus Octobris, ſub horam tertiam ; ſepultus, uti optaverat, in Breunovienſi monaſterio, quod ab urbe Praga viginti ſtadiis diſtabat. Illic ad ejus tumulum crebra fieri miracula teſtatur Wolferus ejus vitæ ſcriptor æqualis, haud ſcio an monachus Altahæ-inferioris, ubi Guntherus monaſticen profeſſus erat ſub Godehardo tum abbate, poſtmodum Hildensheimenſi epiſcopo, cujus geſta idem, ut quidem nobis videtur, Wolferus litteris mandavit.

ANN. CHR. 1045. X C. Ratmundus Altahæ abbas.

Eidem monaſterio tum præerat abbas Ratmundus, cui rex Heinricus, *ob juge* [a] *& acceptabile* ejus *ſervitium*, decem manſos regales, ſitos in comitatu Sigiſridi marchionis, hoc anno donavit. *Data* III. *nonas Junii, anno dominicæ incarnat.* M XLV. *indictione* XIII. *anno autem domini Heinrici tertii ordinationis ejus* XVI. *regni vero* VI. *Actum Berſnich.* quod diploma Theodoricus cancellarius vice Bardonis archicancellarii recognovit. Bardo quippe archiepiſcopus Moguntinus cancellarii munere fungebatur pro rebus Germanicis, Hermannus vero Colonienſis pro Italicis, ut paullo ante vidimus. Idem Heinricus poſt tres annos eidem Ratmundo abbati tres alios manſos, *ob fidele* [b] *ſervitium ejuſdem abbatis*, contulit, interventu conjugis ſuæ Agnæ ſeu Agnetis, & rogatu Gebehardi Ratiſponenſis epiſcopi, & alterius Gebehardi Eichſtadenſis. Paullo ante, id eſt III. kalendas Februarias ejuſdem anni & indictionis, prædictus rex Heinricus, dum Turegi * verſaretur, litteras mundiburdii ſeu regiæ defenſionis indulſit ſanctimonialibus, quæ *ſub canonica regula* Deo militabant in monaſterio ſancti Sebaſtiani de Schenis, quod ineunte ſæculo nono in Rætia ab Hunfrido comite exſtructum fuerat.

a *Hund. to. 2. p. 25.*

b *ibid. & ſeq.*

* *Zurich.*

XCI. Bernonis abbatis epiſtola ad Heinricum.

Forte adhuc Turegi morabatur Heinricus rex, cum ad eum epiſtolam ſcripſit Berno Augienſis abbas, ſub hac inſcriptione : *Domino meo, regum invictiſſimo, Heinrico pacifico, orthodoxæ fidei propagatori glorioſiſſimo, Bern, licet meritorum qualitate omnium ſuorum extremus, votivæ ſervitutis, aſſiduæque orationis munus.* In hac epiſtola Berno Heinricum laudat, quod Petro regi, ad ipſum ſuppliciter confugienti, « ſinum pietatis expanderit, & non ſolum nullam vindictam de his, quæ in ſe com- « miſerat, ſumſerit, ſed miro caritatis affectu foverit ac juverit, quouſque, Chriſto « adjuvante, eum regno ſuo reſtituiſſet. Tum ſubdit. *Hæc pauca habui, quæ, veſtri* « *amoris impatiens, pro tempore dicerem, veſtraque majeſtatis excellentiæ benivole dirigerem. Subjeci etiam ſermones duos, unum de epiphania, alterum de cœna Domini, in quo aliquid de pœnitentia, etſi non ut debui, tamen prout potui, diſputavi : ſuppliciter deprecans, ut, ſi dignum ducitis, illos noſtris ſcriptis adnecti jubeatis.* Poſt hos ſermones, iterum redit ad laudes Heinrici: dein agit pro Hirmingarde Turegenſi abbatiſſa, quæ ob ſtuprum gradu exciderat. *Dico*, inquit, *de Hirmingarta, quondam in Turego abbatiſſa, ſed modo pro ſui culpa merito dejecta. Illa quondam cœleſti Sponſo conjuncta, illud dulce divini carminis epithalamium potuit cantare : Oſculetur me oſculo oris ſui. Nunc, velut adultera & proſtituta, virginei decoris cogitur deflere detrimenta.* Et infra. *Nunc igitur regale veſtræ pietatis decus appello, ſuppliciterque exoro, ut miſericordiæ opus, quod ex divina inſpiratione cunctis in regno veſtro manentibus conceſſiſtis, huic miſeræ ac infelici feminæ non negetis.... Ecce nunc ex toto corde ad Deum converſa laborat in gemitu : lavat per ſingulas noctes lectum ſuum ... Accedat etiam domnæ meæ reginæ Agnæ interceſſio, quæ apud vos, ob Dei amorem, ei obtineat priſtini honoris redintegrationem.* Hæc raptim & carptim ex codice Villingenſi olim excerpſimus.

Turgenſis abbatiſſæ reſtitutionem petit.

XCII. Gellonenſes abbates.

Sub idem tempus e vivis exceſſit Gaufredus Gellonenſis monaſterii abbas, eo nomine ſecundus, quo, ut videtur, abbate, Senegundis comitiſſa, ejuſque filius Petrus epiſcopus, necnon nepotes ſui Bernardus comes & Petrus, atque neptes Conſtantia & Willelma, conferunt ſancto Salvatori Gellonenſis monaſterii, *& venerabili ligno Crucis* illic aſſervato ex dono Caroli Magni, necnon confeſſori Chriſti Willelmo, atque abbati Gaufredo, ejuſque monachis, *eccleſiam diſruptam, quam vocant ſanctæ Reparatæ* cum ſuis adjunctis. *Facta carta donationis* X. *kalend. Martii, feria* IV. *regnante Domino noſtro Jeſu-Chriſto.* quæ notæ chronicæ, anno Chriſti deſtitutæ, huic anno convenire poſſunt : ſiquidem hæc donatio facta eſt ſub Gaufredo abbate ſecundo. Huic in monaſterii regimine ſucceſſit Petrus, qui multa præclare geſſit. In his ad monaſticam profeſſionem admiſit Fredelonem virum nobilem, qui alodium ſuum apud Venrancium monaſterio conceſſit.

ANN. CHR. 1046. XCIII. Clemens II. Gregorio ſuffectus.

SEquenti anno ſupra milleſimum quadrageſimo-ſexto, Heinricus Germaniæ rex, Italiam frequentibus pontificiis comitiis, & Normannorum continuis ſucceſſibus turbatam audiens, illuc ſe conferre decrevit, tum ut ingruentibus malis mederetur, tum ut corona imperiali inſigniretur. Accedenti occurrit Placentiæ Gregorius VI. qui, rejectis duobus aliis, ſcilicet Benedicto IX. ac Silveſtro III. ſubſtitutus fuerat, eumque Sutrium uſque ſecutus eſt. Illic menſe Decembri epiſcoporum cœtu

convocato, de Gregorii cooptatione actum, quem rex, ob pensionem Johanni assignatam, vitio creatum pontificem declarari, ac deponi curavit, ejusque in locum substitui Suidgerum Babenbergensem episcopum, qui Clemens II. dictus est, cui Gregorius pontifex, alias minime malus, insigni modestia cessit. Sutrio inde Romam pridie natale Domini ventum est: postridie ipso die festo Clemens pontifex consecratus, Heinricum imperiali diademate cum Agnete conjuge ornavit. ANN. CHR. 1046.

XCIV. Guido abbas Pomposianus obit.

Vix alpes transgressus erat Heinricus, cum nuntiis Pomposiam missis, Guidonem abbatem sibi obvium proficisci jussit. Hic vero statim nuntiis obtemperans, discipulis suis prædixit, fore ut numquam deinceps ipsum visuri essent. quod re vera contigit. nam ex urbe Parma ad opidum sancti Domnini profectus, in morbum incidit, ibique tertio quam ægrotare cœperat die, id est IV. nonas Aprilis, ex hac vita ad cælum migravit, cum Pomposiense monasterium annis quadraginta-octo rexisset. Monachis, qui cum eo erant, defuncti corpus efferentibus, cæcus lumen recepit. Eo silere jusso, ne monachi, miraculi fama vulgata, tanto thesauro spoliarentur, nihilo minus ille vocem extollit, acceptum beneficium alte prædicat. Accurrunt Parmenses, & sacrum loculum rapiunt. Retentum penes eos corpus mensibus septem, quo tempore nulla dies absque miraculo fuit. Ubi eo advenit Heinricus, conquerentibus ereptum sibi patrem monachis, corpus Veronam deferri jussit, & in ecclesia beati Zenonis deponi: quod ille anno subsequente Spiram deportavit, reposuitque in ecclesia sancti Johannis Evangelistæ, postea sancti Guidonis dicta, quæ translatio quotannis exinde sollemnis haberi cœpit. Paullo ante obitum Guido Bonifacium marchionem corripuit, quod more illius temporis maxime improbando, ecclesias venales daret. qua correptione pulsatus marchio, facti pœnitentiam egit, testante Domnizone his versibus.

Pomposiæ vovit tunc abbatique Guidoni,
Ecclesiam nullam quod per se venderet umquam:
Hoc pro peccato, multis aliisque patrato,
Vovit adhuc votum, nonnullis denique notum,
Scilicet ad cultum Christi sanctumque sepulcrum
De prope debebat quod pergere, si sibi cedat
Vita, salus tantum vel ad unum pleniter annum.

Hic est Bonifacius, pater inclytæ Mathildis comitissæ, hoc circiter anno in lucem editæ, siquidem anno M C XV. ætatis suæ LXIX. decessit.

XCV. Petri Damiani liber de perfectione monachorum.

Guidonis successori O. forte Odoni, abbati Pomposiano, Petrus Damiani nuncupavit opusculum XIII. de perfectione monachorum. In hoc libro luget imminutum fervorem sui temporis monachorum, qui sola hujus professionis veste videantur esse contenti, & monachorum nomen inaniter possidere; ad oculos hominum » prætendentes honestatis imaginem, sed in conspectu occulti Judicis veritatem habere negligentes. Religiosam quidem professionem secundum esse baptismum, & » sancti Benedicti regulam, quæ discretione maxima temperata est, his sufficere, qui » spontaneo desiderio & perfectionis amore sæculum deserunt; non his, qui scelerum » immanitate detriti, ad vitam monasticam confugiunt, quibus canones pœnitentiales » subeundos esse contendit. Unde quosdam monasteriorum rectores arguit, qui plus » tribuentes monasticæ regulæ quam expediat, quibuslibet a sæculo venientibus, » etiamsi graviter lapsi sint, non aliam imponunt pœnitentiam, quam ut communem » monasterii ordinem servent; nullum discrimen servantes inter eos, qui in puerili » ætate, & eos, qui gravibus peccatis onusti ad monasterium veniunt. At contraria videtur sententia Eucherii [a] sive Paulini (nam huic tribuitur in concordia [b] regularum) censentis, pœnitentiam publicam abrenuntianti sæculo non esse necessariam, » quia conversus ingemuit, & cum Deo æternum pactum iniit; adeoque ex illo die » non memorari ejus delicta, quæ gessit in sæculo, ex quo facturum se justitiam de » reliquo promiserit Deo. Verum id intelligendum de monasteriis illis, in quibus sancti Benedicti regula accurate servatur, non de iis, quorum mollior vita gravioribus peccatis expiandis non sufficit. Huc spectat quod legitur apud Severum Sulpicium [c] de sancto Martino, qui exprobranti sibi dæmoni, quod scelestos homines in monasterium admitteret, respondisse traditur, *antiqua delicta melioris vitæ conversatione purgari.* In consequentibus Petrus varia dat monita abbatibus, præpositis,

a *Analect. to. 2. p. 318.*
b *Conc. p. 81.*
c *Sever de vita S. Mart. c. 24.*

tis, variisque officialibus, pueris, adolescentibus & senibus, indignatus monachis nonnullis, qui, relictis spiritualibus studiis, totos se in grammaticorum litteras immergunt. ANN. CHR. 1046.

XCVI. Johannes Sublaci abbas.

Clementis II. pontificatu Johannes abbas, Petri successor, monasterio Sublacensi præfuisse traditur. Ejus religio prædicatur, studium augendæ bibliothecæ, & pia mors. Hic quippe ex hac vita migraturus, exemplo beati patris Benedicti in ecclesiam se portari fecit, ibique ante crucem jacens, animam suam Deo commendavit: tum sumto Christi corpore, exspiravit, sepultus ante majorem portam ecclesiæ sanctæ Scholasticæ, postmodum in capitulum translatus. Brevem ejus fuisse præfecturam probat successio Benedicti abbatis, cognomento Grammatici, qui tempore ejusdem Clementis papæ monasterium rexisse dicitur, & post eum Atto abbas pontificatu Leonis IX. qui Umbertum Gallum illic instituisse perhibetur.

XCVII. Halinardus fit archiepiscopus Lugdunensis.

Ex illis episcopis, qui concilio Sutrienſi interfuerunt, unus fuit Halinardus Lugdunensis archiepiscopus, hoc anno ordinatus ab Hugone Chrysopolitano seu Vesontionensi archiepiscopo, qui & ipse prædicto concilio adfuit. Erat Halinardus abbas sancti Benigni Divionensis monasterii, qui ante annos quinque jam designatus ejusdem sedis præsul, acquiescere noluerat, sed Odolrico hanc dignitatem tribui curaverat. Verum post mortem Odolrici, cum delatum sibi denuo honorem rursus detrectaret, jubente incassum Heinrico Germaniæ rege, cui Lugdunum tunc parebat; demum ad illum subeundum a Gregorio VI. compulsus est. Profectus ad regem, ut ab eo regalia acciperet, fidei sacramentum præstare noluit, obtendens evangelii & regulæ sancti Benedicti interdictum ne juraret. malle se dicens carere sacerdotio, quam transgredi hoc mandatum. Instabant Teutonici episcopi, maxime Sigebaudus Spirensis, ut fidem sacramento, sicut ceteri, firmaret: at rex, ejus constantiam videns, suasione Theoderici Mettensis episcopi, Brunonis Tullensis, ac Richardi Virdunensis ejus amicorum, juramentum ei remisit, verbo & promissis ejus contentus; eumque se præsente ordinari jussit. Ordinatus est autem hoc anno, ut jam dixi, ab Hugone Vesontionensi archiepiscopo in loco, qui lingua Teutonica vocatur *Hebreſtein**, quod in latina Bonas-mansiones significat; ac deinceps apostolicam factis vitam duxisse dicitur, eademque in eo humilitatis virtus emicuisse, *opere multiplicato caritatis.* Romam inde cum rege profectus, Gregorii VI. depositioni, & Clementis II. promotioni interfuit. Divionensis monasterii regimen retinuit Halinardus archiepiscopus pro more illorum temporum usque ad obitum, id est usque ad annum M LII. quo Johannes abbas ei successit. Fallit breve chronicon [a] sancti Benigni, in quo Halinardi archiepiscopi ordinatio differtur in annum sequentem.

* *al.* Erbreſtin.

a *Labbe t. 1. bibl. p. 294.*

XCVIII. Savigniaco ecclesia S. Baldomeri data.

Paullo ante obitum Odolricus archiepiscopus probavit donationem ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Baldomeri in pago Forensi, monasterio Saviniacensi a quodam Aschirico factam, cum oblationibus, *quas attulerint homines peregrini & Romei*, pergentes ad loca Sanctorum, tam ad beatam Mariam & sanctum Petrum Romæ, quam ad sanctum Jacobum & sanctum Ægidium; quidquid post missam publicam in ipsa ecclesia oblatum fuerit, id est si monachi ibi manentes, post missam communem, aliam celebraverint. Facta est hæc charta *die Jovis, luna prima, anno ab incarnatione Domini* M XLVI. *regnante domno Heinrico imperatore in Burgundia. Data per manum Walterii monachi, in præsentia domni Udulrici archiepiscopi & domni Duranti abbatis.* Fallit in vulgatis indictio sexta, quæ hoc anno quarta-decima erat.

XCIX. Richardus Virdunensis abbas obit.

Hic annus supremus fuit Richardi Virdunensis abbatis, rebus pie gestis insignis, cui ob id Gratia-Dei cognomen erat. Is vires corporis minui sentiens, monasteriis, quæ per se ipse regebat, singulos dicitur præfecisse abbates, scilicet Catalaunensi S. Petri cœnobio Odilardum, cujus ordinatio facta est [b] anno sequenti: Bello-loco in Argonna æquivocum suum Richardum; sancti Urbani monasterio Stephanum; & sancti Hucberti Andaginensi cœnobio Theodericum. Verum, ut de aliis verum sit, non ante annos novem Theodericus Andagino præfectus est. Una restabat sancti Vitoni abbatia, cujus abbatem electioni fratrum permisit. Sic omnibus fere exoneratus, totum se ad exitum suum Domino commendandum composuit. Tum febribus graviter vexari cœpit. quo comperto, Richardus episcopus, quem ipse e sacro fonte susceperat, institueratque, ad eum accessit, nec inde usque ad ejus

b *Labbe to. 1. bibl. p. 296.*

ANN. CHR. 1046.

obitum receſſit, ab illo noctu & interdiu non paſſus avelli. Advenerunt quoque vicinorum locorum epiſcopi & abbates ad eum inviſendum; aderant quoque magnates, immo & inferioris ordinis quam plurimi: adeo ut in ejus obitu tota regio commoveri ac turbari videretur. Inſtante obitu, oleo ſancto inunctus eſt a Richardo epiſcopo, confeſſione data, viatico cæleſti refectus, mox in lectulo expoſitus, jacuit in cinere & cilicio contra ſancti Nicolai altare, quod ejus oculis conſpicuum erat. Poſt hæc reliquias, Jeroſolymis ab ſe allatas, reverenter exoſculatus, eas, quas collo geſtare conſueverat, ante ſe expoſuit. Interim fratres, quibus ſalutaria dedit monita, coram eo dominicas paſſiones legebant, & loca quædam ex libro quarto Dialogorum ſancti Gregorii papæ: quæ omnia ille attente audiebat. Ubi vero corpus ab inferiori parte emori ſenſit, Sanctorum reliquias a pedibus protraxit ad pectus, ubi eas reclinavit; tumque animam Deo reddidit XVIII. kal. Julii, illuceſcentis diei hora fere tertia, regiminis ſui anno XLII. Patris oculos clauſit Richardus epiſcopus: pollinctores funeris Richardus, Odilardus, Stephanus abbates ab eo deſignati, & Walerannus, qui poſt eum ſancti Vitoni monaſterio præfuit. Hi corpus viri Dei procuraverunt; veſtibus ſacratis induit epiſcopus, non vilibus, quibus ille ſe indui præceperat, ſed quas paternus amor ſuggeſſit, reliquiis ſuper ejus pectus compoſitis. Elatum funus ante altare ſancti Petri, ubi miſſa a pontifice celebrata januis clauſis ob nimiam turbam populi, qui demum admiſſus cum lacrymis & planctu irruit. Atque ut omnium devotioni fieret ſatis, adveſperaſcente die (id tertia tantum die dicit anonymus) corpus ejus prius ad ſancti Mauri puellare, inde ad ſancti Pauli virorum monaſterium, ac demum ad principem beatæ Mariæ eccleſiam deportatum, tota illic nocte remanſit, dum canonici vigilias ac preces defuncto perſolverent. Inde, miſſa celebrata, ad monaſterium relatum: ubi miſſam celebravit epiſcopus, ſermonemque de vitæ inſtabilitate, & beati patris morte habuit. Tandem ſollemni ritu ſepultum fuit in crypta ſubterranea ante altare beatæ Mariæ & ſancti Johannis-Evangeliſtæ, ſub majori altari ſancti Petri prope Madalveum epiſcopum. Anno M CC XXXVIII. tranſlatum fuit ſacrum ejus corpus e crypta beatæ Mariæ ad capellam ſancti Nicolai ab ipſo inchoatam: ejuſque caſula tunc incorrupta inventa. Nunc in meridionali eccleſiæ latere viſitur ejus tumulus, cui tabula marmorea ſuper quatuor columnas impoſita in tanti viri monumentum. Non diu ſupervixit Richardus epiſcopus, uti ab eo petierat, ad menſem tantum Novembrem ſuperſtes. Qui Richardo abbati ſucceſſit Walerannus ejus loci monachus, filius erat Gelduini Britulienſis comitis, & Hugonis epiſcopi Lingonenſis frater, qui in Barrenſi prœlio [a] in calcaneo graviter vulneratus, vitæ incertus, a Richardo abbate in monachum adoptatus, jam tum decimum in hac palæſtra annum agebat. Richardo epiſcopo ſucceſſit Theodericus, cognomento Magnus, quem cum imperatoris juſſu Virdunum deduxiſſet Theodericus alter Baſileenſis epiſcopus, ſancti viri ſepulcrum inviſit, ejuſque tumbam pallio pretioſiſſimo crocei coloris exornavit.

[a] *V. lib. 57. n. 82.*

C. Vitæ ſcriptores & miracula.

Res a Richardo abbate geſtas ſcripſit anonymus ſancti Vitoni monachus, prout ab eis acceperat, qui eum viderant & cognoverant. Eaſdem fuſius proſecutus eſt in chronico ſuo Hugo itidem ejuſdem loci cœnobita, ac demum abbas Flaviniacenſis. Libellum de miraculis ejuſdem viri Dei vitæ ſubjunxit anonymus, in quibus illud obſervatione dignum, quod cum de ſanguine Chriſti Domini inter celebranda ſacrificii myſteria effuſo pœnitentiam in alterius diei capitulum diſtuliſſet, angelum diſtricto gladio pœnam repoſcentem nocte videre ſibi viſus eſt. qua viſione perterritus, intempeſtæ noctis hora fratribus in capitulum convocatis, ſe uſque ad ſanguinis effuſionem verberibus affici juſſit, ceteros ipſe mitius multavit. Conſimilis pœnitentia pro alio ſacrificii defectu a ſancto Bernardo [b] Claræ-vallenſi abbate impoſita. Multa tum in Lotharingia, tum in Francia Richardus monaſteria regebat, eiſque probatos e ſuis præfecerat abbates, quos ſingulis annis ad ſanctum Vitonum adeſſe conſtituerat. Factum vero eſt, ut quadam die, dum vir ſanctus in capella ſancti Nicolai ab ſe exſtructa, recurrente ipſo dedicationis ejus die, id eſt XV. kal. Novembris, miſſas celebraret; præſentibus ſeptem abbatibus cum numeroſo fratrum cœtu, poſt miſſæ præfationem, unius fere cubiti altitudine e terra ſublatus eſt. Longe plura de viro Dei relata ſunt, ſed plura ſilentio ſuppreſſa, quæ famam ejus per totam Galliam celebrem reddiderunt, dignumque fecerunt, qui in Sanctorum

[b] *Bernard. ep. 69.*

claſſem referri mereatur. Haud ſcio an obſtitit, quod de eo refert Petrus [a] Damiani, virum ſcilicet quemdam per ſoporem ductum ad infernum, & in tormentis vidiſſe Richardum Virdunenſem abbatem, velut excelſas machinas erigentem, & tamquam caſtrorum propugnacula conſtruentem. *Hoc enim morbo*, inquit, *laboraverat abbas ille, dum viveret, ut exſtruendis inaniter ædificiis omnes fere diligentiæ ſuæ curas expenderet, & plurimas facultates eccleſiæ in frivolis hujuſmodi næniis proſligaret. quod ergo fecit in vita, hoc perferebat in pœna.* Sed hoc ſomnium eſt, quod etſi verum eſſe concedamus, id de piacularibus tantum pœnis intelligendum eſſe ipſius epiſtolæ ſcopus probat, in qua Petrus Cinthium ad juſtitiam recte adminiſtrandam excitare vult, ut hoc ei poſt mortem prodeſſe poſſit. Certe ſi monaſterii ſancti Vitoni clauſtrum, quod unum ex Richardi ædificiis ſupereſt, cum noſtræ ætatis fabricis comparemus, de auctoris modeſtia aliam habebimus opinionem, niſi nos ipſos (quod forte non minus æquum eſſet) reprehendere malimus. Ut enim monaſteriorum ædificia ſolida, modeſta & commoda eſſe decet, & pro locorum conditione utcumque elegantia: ita patrimonium pauperum in ſplendidas & magnificas ſtructuras profundere valde improbandum eſt. quod Richardus abbas non fecit, qui, urgente publica neceſſitate pretioſiora quæque in egenorum ſubſidium expendit, *beatæ memoriæ vir* merito dictus in litteris Richerii epiſcopi pro ſancti Vitoni monaſterio. Quanta ſollemnitate ejus anniverſarium ibidem olim celebraretur, in obſervationibus ad ejus vitam expoſuimus. Scripſit libellum de vita ſancti Rodingi Belli-loci abbatis primi; aliumque de vita & miraculis beati Vitoni epiſcopi Virdunenſis, monaſterii ſui patroni.

ANN. CHR. 1046.

[a] *Petr. Dam. lib. 8. ep. 2.*

C I. Walerannus abbas Montis S. Quintini.

Præter Walerannum, Richardi in ſancti Vitoni monaſterio ſucceſſorem, alter eodem tempore exſtitit Walerannus abbas, alterius Valeranni ſucceſſor, qui ab anno M XL. in annos octodecim ſuburbanum Perronæ monaſterium, ſancti-Quintini-de-Monte dictum, ſapienter adminiſtravit, ordinavitque, & a fundamentis inſtauravit. Ejus gratia Heinricus rex Francorum a Gregorio VI. nondum exauctorato poſtulavit, *ut quamdam cellam, in pago Veromandenſi ſitam, in honore ſanctæ Trinitatis ac ſancti Quintini martyris conſtructam, apoſtolicæ auctoritatis præſidio muniret, quam, ſuggerentibus Rotberti militis bonæ memoriæ filiis, qui eamdem abbatiolam jure beneficii poſſidebant, ad ſacræ religionis cultum venerabilem* rex ipſe *erigere conatus erat, ac regiæ poteſtatis præcepto corroboraverat.* Regiæ poſtulationi annuit Gregorius, vetatque ut nemo ſæcularium, cujuſcumque fuerit dignitatis, hanc abbatiolam uſurpare tentet, ejuſve poſſeſſiones, quas ſingillatim enumerat. *Scriptum per manus Johannis primiſcrinii noſtri Lateranenſis palatii indictione* XIIII. *Data* IIII. *kalend. Martias per manum Petri diaconi bibliothecarii & cancellarii ſacri Lateranenſis palatii, anno primo domni Gregorii univerſalis papæ indictione* XIIII. In necrologio ejuſdem monaſterii laudatur nonis Auguſti *Robertus Peronenſis dominus, ſponſus dominæ Adelydis*, quem puto eſſe Rotbertum illum militem, cujus mentio fit in prædicto privilegio. In eodem necrologio pridie idus Septembris notatur *Adelydis Peronenſium domina, quæ dedit ſancto Quintino Alaniam* * *cum appendiciis ſuis*, & plura alia. Notatur alter quoque kalend. Octobris *Robertus Peronenſis, qui dedit ſancto Quintino villam Oſtricurt, tranſitum Halæ fluminis, &c.* Tunc temporis in eodem monaſterio, ut & in aliis non paucis, monachi quidam recluſi erant, ex quibus complures in necrologio commemorantur.

* *Alaine.*

C II. Lyræ monaſterium fundatur.

Inter principes viros, qui tempore Willelmi ducis in Neuſtria florebant, ſpectabilis erat Willelmus comes, Oſberni filius, qui ex utraque linea [b] Willelmum ducem cognatione attinebat. Oſbernus enim pater ejus fuit filius Herfaſti, fratris Gunnoridis comitiſſæ, primi Richardi Nortmannorum ducis uxoris: mater vero patrem habuit Rodulfum comitem Ibriacenſem ſeu Ivreicenſem, prædicti Richardi ducis fratrem uterinum. Non minus illuſtris fuit Adelicia ejuſdem Willelmi conjux, filia Rogerii de Toënio, qui Caſtellionenſe ſeu Conchenſe S. Petri monaſterium conſtruxit. His ampliſſima patrimonia erant in Anglia & in Neuſtria. nam Willelmus Herefordenſis comes erat, idemque Britolii in Neuſtria dominus, atque ad eum multa prædia in Ebroïcenſi & in Lexovienſi pago pertinebant. Ex his ambo conjuges, ut erant non minus pietate quam genere præſtantes, duo monaſteria conſtruxerunt in honorem beatæ Dei-genitricis Mariæ, unum apud Lyram in diœceſi Ebroïcenſi, alterum apud Cormelias in Lexovienſi: quorum poſterius Willel-

[b] *Gemetic. lib. 8. c. 15.*

ANN. CHR. 1046.

mus, prius illud Adelicia ſepultura ſua honorarunt. Lyra duplex eſt, una Vetus dicta ad Rigellam * fluvium, altera Nova ſeu Parva, uno lapide a Vetere diſtans, ex qua prodiit inſignis ille Minorita Nicolaus, de Lyra ob id cognominatus, qui in epitaphio ſuo ita loquens inducitur.

* *Rillo.*

Lyra Brevis, vicus Normanna in gente celebris,
Prima mihi vitæ janua ſorſque fuit.

Anno M XLVI. Willelmus & Adelicia ejus conjux, *angelica*, ut fertur, *admonitione & divina juſſione* cœperunt ædificare Lyrenſe cœnobium, in loco, qui dicitur Vetus-Lyra, ubi quædam ſancti Chriſtophori capella erat, illudque congrue dotaverunt, præpoſito Rotberto abbate, quem in loco proximo apud Chaletum eremiticam vitam duxiſſe tradunt. In primariis ejuſdem monaſterii litteris Willelmus filius
» Oſberni & Adeliz ſeu Adelicia ejus uxor concedunt eccleſiæ ſanctæ Mariæ ſemper
» virginis, & monachis ibidem ſub Rotberto abbate omnipotenti Domino ſervienti-
» bus, gubernante atque regente patriam Normanniæ Willelmo filio Rotberti comi-
» tis, ac præſulatum Ebroïcenſium procurante Willelmo filio Gerardi, in loco, qui
» Vetus-Lyra nuncupatur, *terram de eadem villa*, id eſt ejuſdem villæ, quam idem
» Willelmus in ſuo dominio tenebat, & unum molendinum, & totam aquam ab No-
» va-Lyra uſque ad *Chalet*, &c. Hæc omnia dedit Willelmus ſanctæ Mariæ cum
» omnibus ornamentis, quæ domina Adeliz poſſidebat, vel poſſeſſura erat. Hanc mo-
naſterii dotem poſtea idem Willelmus plurimum auxit.

CIII. Ainardus abbas Divenſis.

Divenſis monaſterii primordia ſuperius [a] retulimus, ubi primum collocatæ ſanctimoniales a Leſcelina Augenſi comitiſſa, ejus conditrice, quæ cum eas a vicinis vexari cerneret, hoc anno earum loco monachos ſubſtituit. His præfectus Ainardus, abbas ejus loci primus, natione *Teutonicus*, *vir ſanctitate* [b] *& litterarum ſcientia præditus*, qui in monaſterio ſanctæ Trinitatis prope Rotomagum ſub Iſemberto abbate vitam profeſſus erat monaſticam. Divenſe monaſterium annis uno & triginta laudabiliter rexit. Sanctimoniales in urbem Lexovium * tranſlatæ a Leſcelina, quæ alterum illic puellare monaſterium exſtruxit, ubi & ipſa, ſuſcepto velo, Deo ſe ſe conſecravit. Primarium ejus parthenonis inſtrumentum cujus authenticum ſupereſt, alias ſaltem ex parte referemus.

a *ſup. n.* 18.
b *Order. lib.* 3. *p.* 460.
* *Liſieux.*

CIV. Lanfrancus Becci docet litteras.

Inter ea Lanfrancus, quem ad Beccenſe monaſterium ante annos tres [c] ſeceſſiſſe diximus, illic ſcholas aperuit. Mox eo confluunt clerici, nobilium filii, immo & nominatiſſimi ſcholarum magiſtri. Hinc laïci potentes & nobiles viri multa eidem monaſterio conferunt; factaque eſt brevi celeberrima omnium Beccenſis academia. Etſi vero Lanfrancus in omnibus modeſtiſſime ſe ageret, ſi qua tamen a fratribus, qui nec multum litterati, nec admodum in religione inſtructi erant, contra regulam fieri cerneret, impatienter ferebat, eaque Herluino abbati ſignificabat. quæ res fratrum invidiam adverſus eum concitavit, metuentium, ne hic aliquando ipſis præficeretur. Id ubi animadvertit Lanfrancus, fugam meditatur, & in ſolitudinem ſe ſubducere cogitat. Quare, ſimulata ſtomachi infirmitate, quorumdam carduorum radices, ſub ſpecie remedii, a Fulcranno hortulano ſibi quotidie afferri rogavit, ut aſſueſceret ejuſmodi edulio, quo in ſolitudine veſci conſtituerat. Dum hæc animo agitaret, Herluino abbati ea neſcienti noctu apparuit egregiæ indolis Hugo puer nuperrime mortuus, filius Baldrici de Sawarvilla, ipſius Herluini nepos; eique Lanfranci conſilium prodit. His dictis abbas attonitus, reliquam noctem duxit inſomnem, ac prima luce, mox ut hora loquendi ſe dedit, Lanfrancum ſeorſum accerſit ſibique aſſidere præcepit. Tum pii patris vox faucibus hæret: lacrymæ ex oculis erumpentes, dolorem teſtantur. Lanfrancus hoc videns humi proſternitur,
» doloris cauſam ſciſcitatur. Tandem abbas in hæc verba prorumpit. Heu mihi, in-
» quit, cui tale damnum & infortunium intentat Deus! Væ mihi, qui eum, in quo
» totius conſilii & adjutorii mei ſpem repoſueram, tot lacrymis & precibus expeti-
» tum, quo hunc locum religione imbuendum ſperaveram, amitto tam cito! Certe
» quando huc te adduxit Deus, frater Lanfrance, preces meas cælitus exauditas pu-
» tabam: ego te hujus oneris ſarcinæ partem maximam ſupportaturum confidebam.
» Nunc autem, neſcio qua de cauſa, hinc diſcedere, me relicto, meditaris, & in
ſolitudinem pergere. Obſtupuit ad hæc Lanfrancus, ſecretum ſuum propalatum

c *ſup. n.* 44.

Fugam meditatur.

videns; quo pacto id reſcierit abbas, percontatur; reque intellecta, errati veniam petit, nec ſe deinceps a loco receſſurum pollicetur. Hæc omnia Lanfrancus ipſe ſub fide ſecreti retulit Willelmo diſcipulo ſuo, poſtmodum Cormelienſi abbati qui hæc, ſcriptis ad Beccenſes litteris, quæ [a] exſtant, nota fecit.

ANN. CHR. 1046.

a *Geyeron in notis ad S. Anſelmi lib.* 1. *ep.* 41.

Per id tempus Berengarius Turonenſis clericus, qui ſub Fulberti epiſcopi diſciplina litteras didicerat, apud Turonos in eccleſia ſancti Martini ſcholas tenebat. Cum vero per ſe, ait Guitmundus, attingere philoſophiæ altioris ſecreta non poſſet, neque enim homo ita acutus erat; novis ſaltem verborum interpretationibus ſingularis ſcientiæ laudem ſibi arrogare, & cujuſdam excellentiæ gloriam venari, qualitercumque poterat, affectabat. Sed poſtquam a domno Lanfranco de re quadam parva in dialectica turpiter confuſus fuiſſet, & per eum liberales artes reviviſcerent, & ad eum confluerent omnes: ille deſertum ſe a diſcipulis dolens, ad ſcrutanda impudenter divinarum ſcripturarum ſacramenta, homo in his minime verſatus, ſe ſe convertit: & ea quorum novitate omnium animos permoveret, oculoſque ad ſe traheret, ſtudioſe perquirens, maluit eſſe ſub aliqua hominum admiratione hæreticus, quam ſub oculis Dei vivere catholicus. Hinc ſæculi hominibus, qui peccare impune cupiunt, placentia dogmata aperuit, legitima videlicet conjugia, quantum in ipſo eſſet, & parvulorum baptiſma evertens: altero, ut peſſimis hominibus illicitos concubitus permitteret: altero, ut, negato infantibus baptiſmate, adultis poſtmodum baptizandis peccandi frena laxaret. Ad hæc veritatem corporis Chriſti in Sacramento-altaris contra omnium eccleſiarum fidem negare auſus eſt, ut minus timidos redderet eos, qui tantum ſacramentum indigne perciperent. quæ omnia cum per ſe, tum per egenos ſcholaſticos, quibus vitæ neceſſaria præbebat, quaquaverſum poterat, diſſeminare ſategit. Hæc fere Guitmundus initio libri primi: ex quo intelligitur, Berengarii hæreſim ex invidentia & ſuperbia ortam eſſe. id quod futurum præviderat Fulbertus ejus magiſter.

CV. Berengarius errores ſpargit.

CVI. Hildegardis comitiſſa Roncercio benefica obit Jeroſolymis.

Sub id temporis Goffredus Andecavorum comes, adhortantibus dilectiſſimis ſibi matronis, domna Hildegarde comitiſſa genitrice ſua, ſimulque conjuge ſua Agnete, confirmat univerſas donationes, quas bonæ memoriæ genitor ſuus Fulco illuſtriſſimus comes fecerat puellari monaſterio ſanctæ Mariæ, quod eadem mater ſua prope civitatem Andecavam in ripa Meduanæ fluminis exſtruxerat. His litteris appoſita ſunt ſigna ipſius Goffredi comitis, Hildegardis & Agnetis, Hucberti epiſcopi, & Tetburgis abbatiſſæ. *Actum kalendis Octobris intra ipſum monaſterium.* Paullo poſt deceſſit Tetburgis abbatiſſa, cui Bertrada hoc anno ſucceſſerat, quo anno venerabilis comitiſſa Hildegardis, Jeroſolymitanæ peregrinationis iter aggreſſura, *ubi & ſecundum deſiderium cordis ſui defuncta, prope loca dominicæ ſepulturæ humata jacet*, ſanctæ Mariæ ſervos ſuos donavit cum quadam vinea juxta monaſterium ſita, cujus uſum-fructuarium Ermengardi filiæ ſuæ, jam tunc viduæ, concedi poſtulavit. Sed cum illa fratris ſui Goffredi iram incurriſſet, hic illam vineam ipſi abſtulit, & concubinis ſuis donavit. quo defuncto, Goffredus ejus ex ſorore nepos, & in comitatu ſucceſſor, Salmurum *caſtrum & vineam ipſam ab Adelait Theotiſca, quæ fuerat poſtrema ejus avunculi uxor*, gravi pecunia redemit, illamque vineam ſanctimonialibus reddidit. Eadem Bertrada abbatiſſa Eremburgi venerabili viduæ dedit beneficium & communionem orationum, cum ſe ipſam & filias ſuas, Herſendem & Hildegardem, in monaſterio ſanctæ Mariæ devovit, data inſuper terra Hainonis. Bertradæ ſucceſſit Beliardis, tertia loci abbatiſſa.

CVII. Caſæ Dei monaſterium condi cœptum.

Jam tertium in ſolitudine annum agebat Rotbertus [b] Brivatenſis canonicus, cum, multis ad ejus imitationem eo confluentibus in dies, aliiſque non paucis idem competentibus, neceſſe fuit conſtruere monaſterium, in quo, velut in ovili dominico, ſub regulari & monaſtica diſciplina, omnes unanimiter habitarent. Favit huic conſilio multorum fidelium pietas, qui certatim in hos uſus præſidia & pecunias conferre geſtiebant. Hanc occaſionem ſibi divinitus præparatam videns Rotbertus, ratus ad ſuæ periculum animæ pertinere, ſi tot hominum ſaluti, propriæ quietis reſpectu deeſſet; habita ſuper hoc cum fratribus ſuis deliberatione, aſſenſu quoque & conſilio Renconis Arvernenſis epiſcopi, quem ipſius avunculum fuiſſe tradunt, monaſterium cum ſumma omnium gratulatione ædificare cœpit juxta ipſum locum, in quo ſolitariam cum paucis vitam ducere optaverat, cœ-

b *Sup. n.* 57.

ANN. CHR. 1046.

ptumque opus intra breve tempus ex fidelium oblationibus & donis prospere consummavit, idque regia & apostolica demum auctoritate confirmari curavit.

CVIII. Arulensis basilicæ dedicatio.

Exstat in Elenensi diœceſi Arulense monasterium, sæculo decimo constructum, cujus nova basilica in honorem beatæ Mariæ hoc anno dedicata est. Ejus rei acta habentur in appendice Marcæ-Hispanicæ [a] cum his chronicis notis. *Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi millesimo quadragesimo-sexto, æra millesima octuagesima quarta, indictione decima-quinta*, XVII. *kal. Decembris, anno decimo-sexto, quo post decessum venerabilis memoriæ Roberti regis Francorum suscepit regni gubernacula filius ejus Heinricus, factus est conventus episcoporum in cœnobio sanctæ Mariæ perpetuæ virginis, territorio Arulensi, ad dedicationem basilicæ ipsius Dei-genitricis, simulque principum patriæ ac reliquorum fidelium utriusque sexus, ætatis & ordinis. Actum est autem hoc instinctu & ordinatione domini Wifredi sanctæ primæ sedis Narbonensis archiepiscopi, & domni Berengarii pontificis Elenensis, ad cujus diocesim pertinet ipse locus, qui eamdem ecclesiam.. dedicavit.* Ab iisdem episcopis confirmata sunt ejusdem monasterii privilegia, tum pontificia, tum regia; concessaque facultas abbati & monachis ejusdem loci judicandi de omnibus excessibus, qui commissi fuerint intra terminos prædiorum suorum. Ad hæc comprobatum est ab iisdem privilegium Sergii papæ, quo sancitum erat; ut cuilibet pœnitenti, qui pro facinoribus suis ab ecclesiæ liminibus segregatus esset, liceret eamdem ecclesiam ingredi, & divinis mysteriis ibidem interesse. quod argumento est, pœnitentiam publicam necdum tunc penitus obsoleviſſe. Adfuere huic dedicationi Willelmus comes Palliarensis & Stephania comitissa ejus uxor, Raimundus-Guifredi comes Ceritaniæ, Gauzfredus comes Ruscinonensis, Adalais comitissa, Pontius abbas sancti Genesii, Petrus abbas sancti Petri Rodensis, Raimundus abbas sancti Andreæ Suredensis, Willelmus-Dalmatius vicecomes, & alii.

a *Act.* 231.

CIX. Ermenaldus abbas S. Petri-Vivi obit.

Hoc ipso anno decesserunt duo nostri Ordinis abbates præter jam laudatos, scilicet Ermenaldus [b] abbas sancti Petri apud Senonas in Gallia, & Drutmarus abbas Corbeiæ-novæ in Saxonia. Obiit Ermenaldus VIII. kal. Novembris, sepultusque est in claustro sancti Petri. Huic successit Gerbertus monachus ejusdem loci, jam ante annos duodecim creatus abbas sanctæ Mariæ extra muros urbis, qui locus modo puellare Ordinis nostri cœnobium est. Gerberto abbati Gilduinus archiepiscopus, qui multas Ermenaldo molestias faceſſerat, restituit caput sancti Quiriaci, quod a prædicta basilica sanctæ Mariæ in matrem ecclesiam sancti Stephani transtulerat. Eodem tempore Frotmundo Trecensi episcopo subrogatus est Mainardus archiclavis sancti Stephani; depositio per Leonem IX. Gilduino, postea factus Senonensis archiepiscopus, qui abbatiam sancti Petri & monachos, quos inter ab infantia nutritus & litteris eruditus fuerat, magnopere dilexit.

b *Spicil. to.* 2. *p.* 743.

CX. Drutmarus quoque abbas Corbeiæ-novæ.

Ante aliquot menses obierat Drutmarus Corbeiæ-novæ abbas, vir religiosissimus, scilicet XV. kal. Martii. Post octo dies, id est VII. kalendas ejusdem mensis, præsente Heinrico Germaniæ rege, omnium fratrum concordibus votis electus est Ruthardus ejusdem loci cœnobita, vir doctus, VII. idus Martii, ordinatus a Rothone episcopo Patherbrunnensi. Eodem anno incendium Corbeiense accidisse legitur in annalibus Corbeiensibus: ubi subditur, anno sequenti Ruthardo abbati ab Heinrico rege, communi principum consilio, adjudicatum fuisse, ut universa monasterii sui officia, exceptis quatuor principalibus, ad nutum suum instituerat. Corbeiamnovam rexit usque ad annum M LI. quo abbas Hersfeldensis factus est, ex iisdem annalibus. Ex quo refellitur, id quod scribit Nicolaus [c] Schatenus, Ruthardum ob quædam delicta & discidia biennio abhinc ab officio amotum fuisse, & in ordinem redactum.

c *Annal. Paderb. p.* 528.

CXI. Godefridi ducis facinora & pœnitentia.

Idem auctor hoc anno refert diploma Heinrici regis, qui Wolfango Abdinchofensi abbati ejusque cœnobio curtem & vineam quamdam largitus est VII. kal. Julias Aquisgrani, ubi Godefrido Mosellanorum duci, Gibboso dicto, qui in regem ob negatum sibi Lotharingiæ-inferioris ducatum rebellaverat, ob idque proprio ducatu privatus, in carcerem conjectus fuerat, e custodia relaxato, & ad ejus pedes prostrato, Mosellanorum ducatum restituit, Lotharingiæ-inferioris principatu Friderico, Heinrici Bajoariæ ducis fratri, concesso. At Godefridus anno sequenti ad ingenium rediit, & redintegrata rebellione Neomagi palatium & Virdunensem ecclesiam, injectis in urbem ignibus, absumsit: cujus facti tantopere mox eum

ANN. CHR. 1046.

pœnituit, ut se flagellis verberandum publice exposuerit, interque cæmentarios, mancipii instar, lapidem ad instaurationem ecclesiæ comportaverit, ut ex Lamberto Scafnaburgensi discimus. qui addit, Godefridum *capillos suos, ne tanderentur*, pœnitentiæ scilicet publicæ causa, multa pecunia redemisse. Hanc cladem fusius refert Laurentius [a] de Leodio, sancti Laurentii monachus, in continuatione historiæ episcoporum Virdunensium, ubi hoc incendium anno secundo Theoderici episcopi contigisse testatur, id est anno sequenti. Godefridus postmodum Heinrico per Ermenfridum Virdunensis ecclesiæ archidiaconum reconciliatus, in Italiam perrexit, obsequium præstiturus Bonifacio marchioni: quo mortuo, Beatricem ejus uxorem conjugio sibi copulavit, filiamque eorum unicam Mathildem, filio suo Godefrido desponsavit: exindeque ambo Italiæ marchiones & duces Lotharingiæ exstitere. Insignis vero est, ut dixi, hic annus nativitate ipsius Mathildis, quippe quæ, teste Domnizone, anno MCXV. ætatis suæ anno LXIX. defuncta est.

a *Spicil. to.* 12. *p.* 280.

CXII. Aliæ mortes duorum episcoporum.

Prædictis mortuis duos alios addo præsules, unum Heribertum seu Aribertum archiepiscopum Mediolanensem: alterum Livingum Wicciorum Domnaniæ & Cornubiæ in Anglia episcopum, quem X. kal. Aprilis, die dominica obiisse testatur Symeon Dunelmensis. sepultus est in Taviſtokensi [b] monasterio. Leofrico regis cancellario datus est Cridiatunensis & Cornubiensis episcopatus: Aldredus autem primo Wintonienſis monachus, post abbas Taviſtokensis, Wicciorum seu Wigorniæ præsulatum adeptus est. Decessit itaque hoc anno Heribertus Mediolanensis archiepiscopus, non anno M XLIV. ut Hermanno visum est. Id manifestum fit ex ipsius testamento, condito [c] Modoëtiæ anno superiori M XLV. mense Decembri, quo testamento abbati & monachis sancti Ambrosii legat argenti libras duas denariorum Mediolanensium, quotannis a suis heredibus ex quadam curte ipsis persolvendas *per omnes festivitates sancti Ambrosii*; statuitque ut, si ipsius heredes annuum hunc censum persolvere neglexerint, ipsa curtis veniat in jus & potestatem monasterii sancti Ambrosii, ita ut abbas & monachi divinum pro ipso officium in perpetua tempora peragant. Huic testamento appositum est signum ipsius Ariberti archiepiscopi, *qui propter ægritudinem scribere minime potuit*. Itaque jam ex morbo decumbebat mense Decembri, quo testamentum illud, ut dixi, Modoëtiæ conditum legitur. Inde in urbem se transportari curavit, ubi sexta-decima die insequentis mensis Januarii decessit, humatus in monasterio sancti Dionysii ejusdem urbis, quod ipse condiderat. Annum & diem notat epitaphium, quod Puricellus retulit.

b *Willelm. Malmesb. fol.* 145. *& seq.*

c *Puricell. p.* 414.

CXIII. Hildebrandus an prior Cluniaci.

Priusquam hunc annum, huncque librum claudamus, juvat expendere quorumdam e nostris sententiam, qui Gregorium VI. post depositionem hoc anno Cluniacum secessisse putant cum Hildebrando monacho, quem ibidem prioris officium gessisse aiunt; eumdemque Gregorium ibidem mortuum ac sepultum fuisse. quod nullo veterum testimonio fultum reperio. Illud certum, Hildebrandum trans alpes cum Gregorio abiisse. quod ipse testatur in concilio Romano anni M LXXX. in hæc verba: *Vos scitis, quia non libenter ad sacrum ordinem accessi, & invitus ultra montes cum domino papa Gregorio abii: sed magis invitus cum domino papa Leone ad vestram specialiter ecclesiam redii.* Cur Gregorium trans alpes Hildebrandus secutus sit invitus, non satis apparet. immo id feciſſe videtur studio Gregorii VI. ob cujus amorem, cum electus fuisset pontifex, se Gregorium VII. [d] appellari voluerit. Forte Gregorium VI. comitatus est ex mandato imperatoris, ut cum honesto comitatu depositus abduceretur, & exsilium ejus tantisper molliretur, quippe qui tam modeste suæ depositioni acquieverat. Non minor est difficultas, an Cluniacum se receperit Hildebrandus, an vero illic prioris officio functus sit. Sane ita censuit Paulus Bernriedensis ejus vitæ scriptor, quod Otto Frinsigensis [e] dubitanter retulit, ubi ait, Brunonem electum pontificem Cluniacum venisse, *ubi forte tunc prefatus Hildebrandus prioratus, ut dicitur, obedientiam administrabat.* Atqui non Cluniaci, sed Wormatiæ tunc versabatur Hildebrandus, teste Brunone Signiensi, cum Bruno dictus est pontifex, qui eum Wormatiæ inventum, Romam ut secum rediret, obtinuit. Itaque valde incertum est, ne dicam falsum, an Hildebrandus Cluniaci priorem egerit. quæ opinatio nata videtur ex æquivocatione alterius Hildebrandi præpositi Cluniacensis, quem Johannes monachus [f] in vita sancti Odonis magistrum suum vocat. Huic errori ansam

d *Otto Frising. lib.* 6. *c.* 32.

e *ibid. c.* 33.

f *Vita S. Odonis init. lib.* 1.

ANN. CHR. 1046.

præbuiſſe videtur Paulus Bernriedenſis, ubi ait, ſcintillas Hildebrando puero emicuiſſe, hancque ſcintillarum viſionem, ut fertur, oſtenſam fuiſſe ſancto Mayolo, quem ante natum Hildebrandum juniorem obiiſſe conſtat. Certe Bruno Signienſis in libello de vita Leonis IX. mox laudatus, eum monachum Romanum vocat his verbis. *Illis autem diebus, erat ibi*, ſcilicet Wormatiæ, *monachus quidam Romanus, Hildebrandus nomine, nobilis indolis adoleſcens, clari ingenii, ſanctæque religionis. Iverat autem illuc tum diſcendi gratia, tum etiam ut in aliquo religioſo loco ſub beati Benedicti regula militaret.* Nondum itaque ulli monaſterio ſe illic addixerat Hildebrandus, jam tum monachus Romanus: cujus *propoſitum, voluntatem & religionem mox ut cognovit* Bruno Tullenſis epiſcopus, *rogavit eum, ut ſimul cum eo Romam rediret.* cui primum reſtitit Hildebrandus, propterea quod Bruno, *non ſecundum canonicam inſtitutionem, ſed per ſæcularem & regiam poteſtatem* Romanam ſedem adire videretur. Verum, ubi ei ſatisfecit Bruno, *Romam veniens prædictum monachum ſecum adduxit.* Hæc fuſe relata ſunt a me, ſed, ut puto, non otioſe, ad illuſtranda Hildebrandi merita & vitæ primordia, quæ quidem eo majori fide digna ſunt, quod Bruno Signienſis pleraque Leonis IX. facta ex ipſius Gregorii VII. ſeu Hildebrandi ore ſe accepiſſe diſerte teſtatur.

Neque vero hanc obſervationem, quam veri ac ſinceri amor a nobis exigit, ingratam fore puto Cluniacenſibus noſtris, quorum decora, non ſecus ac nobis propria, adeo minui nolumus, ut contra ea augere, quatenus ſinunt hiſtoricæ veritatis leges, optemus. Certe male omnino de Ordine noſtro mereremur, ſi tam illuſtrem ejus portionem, ex qua tantum honoris & emolumenti toti Benedictinæ familiæ, immo & eccleſiæ provenit, pro modulo commendare non ſtuderemus. Atque ut hoc quod de Hildebrando mox diximus amplius eluceſcat, in toto ſancti Odilonis chartaceo codice nullus occurrit in chartis ejus tempore editis Hildebrandus præpoſitus ſeu prior. Primus quippe invenitur Vivianus anno ſeptimo Hugonis regis. deinde Rainaldus regnante Rodulfo rege Provinciæ: tum Robertus anno incarnationis M XXXII. poſtea Warnerius Heinrici Francorum regis principatu; denique Hugo prior ſub finem vitæ ſancti Odilonis, ejuſdem poſtmodum in abbatiali dignitate ſucceſſor. Sed de his hactenus.

Cluniaci priores ſub S. Odilone.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUINQUAGESIMUS-NONUS.

Ab anno Chriſti 1047. *ad annum* 1050.

CORONATO, ut diximus, ſub finem anni ſuperioris Heinrico imperatore, novus pontifex Clemens II. rem omnium optimo pontifice digniſſimam, ſed maxime arduam aggreſſus eſt, memorandam ſcilicet ac neceſſariam in primis labentis religionis ac pietatis reformationem, qua eccleſia Dei, a ducentis prope annis ægrotans, maxime indigebat. Huc concilium epiſcoporum convocandum eſſe pontifici viſum eſt, in quo primum de Simoniæ vulgato malo penitus exſtirpando actum, omniſque ſacrorum ordinum nundinatio improbata, quæ ad id tempus impune invaluerat. *Quis enim neſciat*, inquit Petrus [a] Damiani, *uſque ad hujus Heinrici clementiſſimi regis imperium, præſulatumque reverendæ memoriæ Clementis papæ, iſtiuſque beatiſſimi Leonis apoſtolici, quo nunc videlicet præſule ſancta ſe gubernari gratulatur eccleſia, per occidentalia regna virus ſimoniacæ hæreſeos ebulliſſe? ita ut quod paſſim fiebat, licenter admiſſum ultoriæ animadverſioni nequaquam duceretur obnoxium; & quod erat fere omnibus conſentaneum, pro regula teneretur, tamquam legali ſanctione decretum.*

ANN. CHR. 1047. I. Concilium Romanum.

a *Petr. Dam. opuſc. 6. c. 27.*

Ut nota erat imperatori Petri-Damiani pietas & eruditio, iteratis litteris Petrus ab eo vocatus Romam eſt, ut novo pontifici in tam difficili reformationis propoſito adeſſet. Ægre ad hoc iter ſe comparavit Petrus, nec niſi conſulto & jubente pontifice id aggredi voluit. Itaque ad Clementem [b] hac de re epiſtolam ſcripſit, in qua ita loquitur. *Ego enim inter utrumque poſitus, & dies meos, huc illucque diſcurrendo, perdere timeo; & tamen eccleſiis Dei, quæ in noſtris partibus per malos epiſcopos & abbates omnino confuſæ ſunt, compatiendo, mœrore nimio & triſtitia contabeſco.* Et in fine: *Nos enim ſperabamus, quod tu eſſes redemturus Iſraël. Quapropter, beatiſſime domine, ſic conculcatam & abjectam ſtude relevare juſtitiam, ſic eccleſiaſtici vigoris exhibe diſciplinam, ut & pars iniqua a ſtatu ſuperbiæ corruat, & mens humilium ad ſperanda bona fiducialiter convaleſcat.* quæ verba innuunt hanc epiſtolam ante Romanum concilium ſcriptam fuiſſe. An Petrus Romam tunc adierit, incertum, qui tamen ſe multis conciliis a Romanis pontificibus convocatis interfuiſſe, multa imperatoribus ſuggeſſiſſe alibi dicit, ſed nullo fructu. Unde ſuos [c] monet, ne ſub eccleſiaſticæ compaſſionis ſpecie regum aulas irrumpant, neve aures principum, velut

II. Petrus Damiani Romam vocatus.

b *id. lib. 1. ep. 3.*

c *id. opuſc. 12. c. 30.*

ANN. CHR. 1047.

„ salutaria suggerendo, fastidiosa importunitate pulsent. Credant experto, & in hu-
„ jus rei studiis non leviter, sed inaniter fatigato.

III. Odilo abbas Romam adit.

Eodem tempore Odilo Cluniacensis abbas, qui gravissimo per quinquennium morbo conflictatus, mortem sibi instare præsentiebat, Romam adire constituit, ut ad sanctorum Apostolorum limina vitam finiret. Ivit, ibique mansit per quatuor menses, Clementis papæ frequenti colloquio, & Laurentii Amalfitani archiepiscopi, viri sanctissimi, cum latine, tum græce docti, consuetudine recreatus. Postquam vero contra spem convaluit, benedictione apostolica munitus, Cluniacum reversus est: ubi per totum fere annum jejuniis, precibus, ac vigiliis, quoad infirmitas sinebat, institit, fratres piis monitis instruxit, sibique mortem imminere prædixit. Forte post reditum frequentem conventum illum habuit, cujus meminit Gervasius Cenomannorum præsul in quodam instrumento, quo multa ecclesiæ suæ [a] legat, diras imprecatus iis, qui hanc donationem violaturi essent. *Hæc excommunicatio*, inquit, , *facta est ab episcopis & sacerdotibus subscriptis, & a plusquam quingentis sacerdotibus in sancta synodo sanctissimi abbatis Cluniacensis monasterii Odilonis, cujus admonitione hæc egimus.* quod an de capitulo generali Cluniacensi, an de alia synodo intelligendum sit, incertum.

a *Analect. to. 3. p.* * 311.

IV. Farfæ abbas mutatus.

Dum Romæ versaretur imperator, Almericus Farfensis abbas ab æmulis accusatus est, quod, etsi litteris utcumque instructus, regendo tamen monasterio impar esset. Sed cum hæc nihil apud imperatorem efficerent, id commenti addiderunt, exiguum ab eo fodrum (sic annonam militarem appellabant) suppeditatum fuisse. quod illi ipsi accusatores maligne subtraxerant. Hac re nihilo minus offensus imperator, Almerico abbatiam abstulit, eamque Supponi, quem antea rejecerat, concessit. Verum non diu ea potitus est Suppo. nam anno necdum revoluto decessit. Electus in ejus locum Berardus abbas, de quo anno sequenti. Almerico autem in ordinem redacto concessa fuit ecclesia sancti Martini, in monte illo sita, ubi usque ad finem vitæ quiete ac pacifice permansit.

V. Imperator Casinum adit, & in Germaniam redit.

Rebus in Urbe compositis, Heinricus ad Campaniæ turbas sedandas processit, & primo quidem Casinum [a] adiit: ubi magno cum honore a fratribus acceptus, planetam purpuream, gemmis ornatam, super altare cum pretioso pallio posuit: in capitulo vero auri libras aliquot fratribus obtulit. Inde, ubi se eorum precibus commendasset, Capuam progressus, illic præceptum, aurea bulla munitum, Richerio Casini abbati indulsit, & Pandulfo Capuæ principatum restituit. Ad hæc Drogoni Apuliæ, & Ranulfo Aversæ comitibus Nortmannis, cum ad ipsum venissent, atque equos eximios multamque pecuniam obtulissent, omnem, quam tenebant, ditionem imperiali auctoritate firmavit. Beneventum inde profectus, cum cives eum non recepissent, eos a pontifice, quem secum duxerat, fidelium societate semoveri fecit. In Lombardiam postea revertens, Mantuæ pascha peregit: tum Parmam progressus, cum illic ægrotasset, Cadaloo ejus urbis episcopo *fodrum & mansionaticum* remisit, atque ab eo corpus Widonis seu Guidonis Pomposiani abbatis, qui majoribus in dies miraculis inclarescebat, accepit, Spiramque detulit.

b *Chron. Casin. lib. 2. c. 81.*

VI. Damasus II. papa.

Interim Clemens pontifex, vix nono mense a sua promotione expleto, VII. idus Octobris vita functus est. tum Benedictus, quem ab imperatore depositum diximus, novis artibus ad pontificatum reversus, illum tenuit per octo menses, donec imperator, comperto Clementis obitu, Popponem, Brixinensem in Tiroli episcopum, in ejus locum substitui curavit: qui XVI. kal. Augusti anni insequentis consecratus, Damasi secundi nomen tulit ad paucos dies, nam idibus ipsis Augusti Prænestæ exstinctus est, sicque Brunoni Tullensi episcopo locum fecit.

VII. Ecbertus abbas Fuldensis.

Etsi ab anno M XLIII. præfectus esset Fuldensibus Rohingus abbas, ejus tamen ordinatio dilata fuit usque ad finem anni præcedentis: quo anno Heinricum regem in Italiam prosecutus, Romæ in natali Domini consecratus est a Suitgero papa, ut loquitur Lambertus, id est a Clemente II. eodemque cum ipso anno ibidem vitam finivit. Fuldæ ad nominis sui gloriam [c] reliquit tabulam altaris ab se inchoatam, margaritis ac gemmis insignem; & codicem libros Moralium Gregorii Magni continentem, ut testantur versus eidem codici præscripti, quos Browerus refert. Ecbertus, qui & Eppo, post eum abbas *factus statim post natale Domini*, ait Lambertus, non Romæ, ut Browerus putat, sed in Germania, quo imperator jam tunc se receperat. Hic abbas statim a sua ordinatione cum Adalberone Wirziburgensi

c *Browver. lib. 4. Antiq. Fuld. p. 292.*

episcopo controversiam habuit de jure diœcesano: sed imperator veterem exceptionem firmavit, concessa rectori parochiæ Fuldensis juris dicundi facultate in loca exempta, quam sibi Wirziburgensis archidiaconus arrogabat.

ANN. CHR. 1047.

VIII. Poppo S. Vedasto præficit Emmelinum.

Mortuo quoque hoc tempore Johanne Atrebatensi abbate, Balduinus, cognomento Pius & Barbatus, vacantis abbatiæ regimen commisit Popponi abbati Stabulensi, eximiæ sanctitatis viro, qui ægre assensit, obtenta demum ab imperatore facultate, quam ob dissensionem principum non facile impetravit. Atrebatum itaque accessurus Poppo, Wazonem Leodicensem episcopum, quem olim Leodico pulsum perhumane in suo monasterio exceperat, invisit, ab eoque Naumenem civitatem (Namucum interpretor) deductus, se brevi ante eum moriturum prædixit. Atrebatum inde ubi venit, maxima omnium gratulatione acceptus est ob perspectam sanctitatem: ubi, proprietate monachorum resecta, rebusque in commune collatis, cum cuncta recte composita & ordinata essent, vice sui monasterio præfecit Emmelinum, virum prudentem, prædicti Wazonis episcopi germanum, qui sancti viri cooperator, &, ut vulgo dicitur, dextera-manus erat. Idem Balduinus comes Popponis quoque providentiæ commisit Marcianense monasterium, cui vir Dei Balduinum sui vicarium præposuit, Atrebatensium postmodum abbatem.

Marcianis Balduinum.

IX. S. Medardo iniquæ vexationes remissæ.

Per id tempus Rotbertus de Codiciaco, præpotentissimus miles, injustas consuetudines a villis sancti Medardi abbatiæ Suessionensi subjectis extorquebat. quod gravate ferens Rainoldus abbas, eum pertraxit in judicium Heinrici regis, qui tunc in abbatia sancti Stephani apud Cauciacum * villam regiam, ad Axonam fluvium supra Compendium sitam, residebat. Illic in audientia regis constitutus Rotbertus coram [a] episcopis & abbatibus ac nobilibus multis, iniquis illis consuetudinibus cedere compulsus est, annuitque, ut, si abbati aut ministris ejus quamlibet injuriam, aut quodvis damnum intulerint homines forenses; de his abbas per se, aut per ministros suos sententiam ferat. quod si eos ad sarciendum damnum compellere non valuerit; tunc Rotbertus ab ipso, ejusve ministris invitatus id præstet, (quod ejus quoque posteris concessum) *si per eos abbas justitiam receperit, tunc ex justitia, quam vulgo vocant legem, tertiam tantum habebunt partem*, scilicet pecuniariæ multæ. Hoc placitum seu judicium rex propria manu proprioque sigillo firmavit, eique appositæ sunt signa episcoporum & nobilium, qui aderant, videlicet Widonis Remorum archiepiscopi, Beraldi Suessionum episcopi, Walteri Meldensium, Gibuini Laudunensis, Drogonis Belvacensium, Rogeri Catalaunensis, atque Frolandi Silvanectensis episcoporum; dein Rainaldi comitis & Guidonis ejus filii, aliorumque multorum. *Descripta vice Rainoldi cancellarii, jubente Rainaldo abbate, anno incarnati Verbi* M XLVII. *regni Heinrici regis nono-decimo*, ab anno scilicet M XXVII. quo vivente patre rex coronatus est. Eadem controversia [b] denuo ventilata sub Philippo rege, Heinrici filio, post annos fere viginti.

* *Choisy.*

a *Diplom. p.* 584.

b *V. lib. 62. n. 99.*

X. Nortmannica bella.

Commissum est hoc anno atrocissimum prœlium super fluvium Divam, inter Heinricum Francorum regem & gentem Nortmannorum, quorum nonnulli principes Willelmum ducem agnoscere detrectabant. In quodam brevi chronico Senonensi legimus, ex parte Nortmannorum fuisse triginta-millia peditum & equitum: at ex parte Francorum tria tantum millia bellatorum: a quibus dure Nortmanni cæsi, quorum decem millia perierint. Meminit hujus prœlii Johannes Bromton, ad annum regis Edwardi sextum, illudque commissum fuisse ait apud *Valesdune*, inter Heinricum regem & proceres Nortmanniæ: quorum alios Willelmus, parta victoria, exsilio, alios capite multaverit. Id accepisse videtur Bromton a Roberto de Monte, qui huic prœlio Guidonem, filium Richardi comitis Burgundiæ, cognatum Willelmi Nortmanniæ ducis, interfuisse tradit. Haud scio an hoc prœlium præcesserit, quod certe ad multum tempus duravit, aliud bellum Heinrici regis contra ipsum Willelmum Nortmannorum ducem, in quem quidam Nortmannorum proceres [c] Heinricum regem concitarunt. quo in bello castrum Tegularias, a Willelmo pro pace sibi traditum, & Argentomum combussisse perhibetur. Diu duravit hoc bellum, & quidem fere usque ad obitum Heinrici regis, qui ad fluvium Divam, si Guillelmo [d] Gemeticensi fides est, a Nortmannis victus, pacem cum Willelmo composuit, eique Tegulense castrum restituit.

c *Gemetic. lib. 7. c. 4 & 5.*

d *ibid. c. 28.*

XI. Guiberti abbatis parentes.

In illo bello, quo anno incertum, pater venerabilis Guiberti, qui ex-monacho Flaviacensi abbas Novigenti ineunte sæculo insequenti factus est, captus fuit a Wil-

ANN. CHR. 1047.

lelmo duce, cujus hæc consuetudo [a] erat, *ut numquam captivos suos ad redemtionem cogeret, sed perpetua, dum adviverent, carceris relegatione damnaret.* Guiberti parens Evrardus vocabatur, miles cum primis nobilis ac locuples in Bellovacis: matris nomen ubique reticet Guibertus, qui passim in tribus, quos scripsit, de vita sua libris, ejus pietatem & facta fuse commemorat. Hæc de mariti *irremeabili captivitate* summopere mærens, cum aliquando intempesta nocte mærorem coqueret insomnis, incumbentem sibi dæmonem, ac suo pondere se opprimentem sensit, ratione quidem libera, sed vocis expers. Tum opportune illi adfuit bonus spiritus, qui ei suggessit, ut sanctam Mariam invocaret. Ad cujus nomen sæpe repetitum malus genius cum magno tumultu aufugit: monitaque est pia mulier a bono spiritu, ut *bona* deinceps *femina* esse curaret. Hæc omnia pedisequis ancillis suis, quæ repentino strepitu excitæ ad ipsam venerant, pæne exanimis retulit. Hoc autem pii liberatoris monitum pia mulier alte memoria retinuit, & accurate observare studuit. Hæc vero longe ante natum Guibertum accidisse testatur Guibertus ipse, de cujus ortu in consequentibus agemus. Aliud parentum infortunium idem [b] refert, nimirum, quod in illis effectus conjugalis quorumdam maleficiis, & forte novercæ invidia, (quæ, cum neptes haberet, aliquam ex illis Evrardo copulare moliebatur) per septennium impeditus sit; quo temporis spatio mater pudicitiam intaminatam servavit contra puellarum & matronarum sui temporis solutos mores, præ quibus major erat in viris pudor.

[a] *Guibert. lib. 1. de vita sua c. 12.*

[b] *ibid c. 11.*

XII. Gradulfus abbas Rotomagensis ecclesiæ vicarius designatus obit.

Rotomagensem ecclesiam regebat hoc tempore Malgerius archiepiscopus, qui cum episcopalem ecclesiæ suæ honorem paullatim declinare cerneret, visum est ei, quod & toti clero & universo populo maxime placuit, ut Gradulfum Fontanellæ abbatem, virum prudentia & doctrina insignem, *sibi substitueret, & vicarium sub se benedictione insigniret episcopali: ut res, quibus se minus sufficere perpendebat, ille sua vice suppleret.* Cum vero super hoc negotio Willelmo *principi suggestio fieri* deberet; Gradulfus ad monasterium (nam Rotomagi tunc erat) hac de re apud se deliberaturus reversus est: at tertia die repentino morbo correptus, ad extrema pervenit: *acceptaque corporis dominici & sanguinis communione*, decessit hoc anno, pridie nonas Martii. Hæc auctor anonymus ejus temporis in libro de miraculis sancti Wulframni archiepiscopi Senonensis. Fontanellam per sexdecim annos rexerat Gradulfus, cui successit Rotbertus ejus frater, quo ad regimen Pratensis sancti Germani monasterii translato, Girbertus Fontanellæ præfectus est.

XIII. Pratellis prædia restituta.

Paullo ante Gradulfi obitum Pratellensi virorum monasterio quorumdam prædiorum, ipso agente, restitutio facta est ab Hugone Bajocensi episcopo, qui ea invaserat. Rem ex chartario sic accipe.

* Caën.

* scilicet Pratellensis.

*Notum sit tam præsentibus quam futuris, quod illo anno, quo prius incœptum est concilium de pace apud Cadomum * cum corporibus Sanctorum, invasit Bajocensis episcopus, nomine Hugo, terras sancti Petri Pratellensis, pro quadam conventione, quam structor loci, Hunfridus nomine, cum eo habuerat. Unde valde commoti domnus abbas Gradulfus Fontinellæ monasterii, qui partim fundator illius loci existerat; & abbas ejusdem monasterii *, Anfridus nomine, cum nimio labore impetraverunt, ut prædictam conventionem perdonaret, & terras redderet. Nec hoc sine magno pretio potuit fieri. Dederunt enim illi jam dicti abbates centum libras denariorum, & tria argentea candelabra, videlicet duo ex puro argento, & tertium ex auro & argento vel nigella pulcre compositum; & unum calicem deauratum. qua pecunia recepta, sicut præsens subscriptio demonstrat, cartam episcopali auctoritate firmavit. † Ego Hugo Bajocensis episcopus hanc donationem terrarum, scilicet quas dedi sancto Petro Pratellensi precatu Hunfridi, nunc manu & ore confirmo, & episcopali auctoritate earum invasores anathematizo. Amen. Huic conventioni interfuerunt testes, videlicet Rainaldus Drudus, Hugo cognomento Compositus, Rodulfus-Sichardus, Radulfus Afaciatus, Richardus Scoria-vesulam, Turstinus filius Rannulfi. Ex parte vero abbatis interfuerunt Gaufridus clericus, &c.*

XIV. Cadomi duo concilia.

Ex his intelligitur, duo per illud tempus habita fuisse Cadomi concilia pro treuga seu pace sancienda: unum ante obitum Gradulfi Fontanellæ abbatis, *prius* in superiori notitia dictum: alterum anno M LXI. sub Maurilio archiepiscopo, de quo inferius. Haud scio an de priori interpretandus sit Fulbertus monachus in libro de miraculis sancti Audoëni archiepiscopi, ubi hæc leguntur. *Instabant causæ, quibus*

ANN. CHR. 1047.

episcoporum & abbatum provincialis conventus agebatur. Locus hic præfinitus erat sub Cadomensi territorio, propter loci opportunitatem & frugum ubertatem. Huc Sanctorum corpora & reliquias suas convehi universorum consilio decretum fuerat, inter quos venerandus pater noster Audoënus ablatus fuerat. Fit ex tota regione confluentium populorum infinita multitudo. Ibi de pace regni & statu rei publicæ varia per biduum consilia trahuntur, repugnantibus plerisque, quibus ex discordia publica victum rapinæ spes promiserat. Sed præponderavit consilium bonorum, quibus pax & quies publica placebat. Fit igitur in medio de pace jusjurandum. Gaudent omnes, & maxime agricolæ. Redeunt singuli ad castra sua: reportantur & corpora Sanctorum intra tentoria sua. Hactenus Fulbertus in libro de miraculis sancti Audoëni, cujus corpus in reditu miraculis illustratum fuisse tradit. Hæc autem omnia recte conveniunt huic tempori, quo Nortmanni inter se se contra Willelmum principem, & contra Francos bella movebant.

XV. Fiscamno facta restitutio.

Habitus est hoc anno Fiscamni conventus generalis procerum Nortmannorum, in quo dux Willelmus, commissorum in adolescentia [a] scelerum pænitentia ductus, simulque memor beneficiorum a Deo acceptorum, qui ipsum ab inimicis mirabiliter protexerat, monasterio sanctæ Trinitatis restituit terram Rainaldi vicecomitis, quam ejus pater Richardus eidem monasterio concesserat, postea in beneficium a Johanne abbate datam Gozelino Heddonis filio, qui eam suis hominibus tradiderat. *Actum publice Fiscamni castro, die* XV. *kal. Augustarum in conventu generali, sub præsentia Johannis abbatis, cæterorumque fratrum, anno ab incarnatione Domini* M XLVII. *indictione* XV. Sub id tempus quidam Fiscamnenses monachi, inconsulto abbate, obtentu solitariæ vitæ, jugum excussere: quos Johannes abbas scripta [b] epistola ad officium revocare conatus est. Forte ex eo numero fuit Benedictus ille monachus, qui citra permissum abbatis e Fiscamnensi ad sancti Arnulfi monasterium secessit. quæ res inter Johannem Fiscamnensem & Warinum abbatem sancti Arnulfi rixæ seminarium fuit, ut postea videbimus.

[a] *Martene miscell. p. 16.*

[b] *id. p. 19.*

XVI. Vindocino factæ donationes.

Vindocinensi monasterio non ita pridem constructo, cui tunc Odericus abbas præerat, Hucbertus de villa Terboldi, ejusque conjux se suaque omnia tradiderunt. Intercessit Odo Dublellus, cujus erant feudatarii: sed tandem cessit, petente Agnete comitissa ejus loci fundatrice, & Lancelino de Balgenciaco, teste Petro sancti Karilesi abbate. Actum *in galilea* seu navi cœnobii Vindocinensis. Idem Odericus abbas comparavit ab Arnulfo Turonensi archiepiscopo *altare* sanctæ Mariæ de Riparia decem nummorum libris (hi erant illorum temporum mores) tenendum ad vicarios duos: quorum primus nominatus est Albertus monachus Vindocinensis, eo pacto, ut post ejus obitum alter substituatur pro decem libris, quo mortuo, pro quolibet vicario deinceps monachi centum dumtaxat solidos archiepiscopo pro altaris redemtione persolverent. Ubi vides, parochiarum ad monasteria pertinentium curam, quam altaris nomine designabant, concessam fuisse vicariis perpetuis, quorum primus in prædicta ecclesia fuit Albertus monachus. Ejusmodi altaria sub duplici conditione monasteriis concedebantur ab episcopis: una, ut ad singulas presbyteri mutationes monasteria confirmationem eorumdem altarium per præstationem certæ pecuniæ, altarium redemtionem vulgo nuncupatam, ab episcopis obtinerent, quæ altaria *sub personatu* concessa dicebantur: altera, ut ab ejusmodi præstatione immunia essent, ideoque hæc *impersonaliter* teneri censebantur. Verum, quia id genus redemtiones simoniæ expertes non erant, illæ tandem in concilio Claromontano sub Urbano II. prohibitæ sunt. Nihilo minus post concilium institit Ulgerius Andecavorum episcopus, ut Vindocinenses annuum censum pro redemtione altarium ipsi persolverent: sed ei restitit Goffridus abbas, ratus hunc annuum censum non minus simoniæ obnoxium esse, quam præstationem illam ad singulas presbyterorum mutationes. Plura de his in tomo sequenti.

Altaria sub duplici conditione concessa monasteriis.

XVII. Huberto episcopo Andecavensi succedit Eusebius.

Mortuus est hoc anno Hucbertus Andecavorum episcopus, cui Eusebius, alio nomine Bruno, eodem anno successit, ut breve chronicon [c] Andecavense testatum facit his verbis: *Anno* M XLVII. *obiit domnus Hubertus, dulcis memoriæ Andecavorum præsul,* VI. *nonas Martii: cui successit domnus Eusebius-Bruno* VIII. *idus Decembris, domni Clementis papæ anno primo*, qui jam mense Octobri præcedente obierat. Tempus Hucberti obitus apprime notatum invenio in quadam charta pro monasterio beatæ Mariæ de Caritate seu de Roncereio, qua Gaufridus comes una

[c] *Labbe to. 1. bibl. p. 287.*

cum Agnete uxore sua quemdam juris sui colibertum ab omni jure servitutis ab-
ANN. CHR. 1047. solvit, ac liberum facit. Testes Guillelmus comes Pictavorum, & Gaufridus frater ejus, Petrus de Trimolia, & alii. *Actum publice in ecclesia sancti Albini, regnante rege Heinrico, archiepiscopo Turonis Arnulfo, in transacta ante quadragesima defuncto Huberto pontifice Andegavensi, cum redissent comes & comitissa de Apulia. Scripsit hæc Martinus capellanus, postea Trigarensis * episcopus.* Observatu digna est hæc epocha de itinere Gaufridi comitis & Agnetis ejus conjugis in Apuliam, ut scilicet comitarentur Heinricum imperatorem, qui Agnetem, prædictæ Agnetis filiam, conjugio sibi copulaverat. Confer Lambertum *, & Hermannum ad hunc annum. Idem Hucbertus episcopus, monente Wlgrino sancti Sergii abbate, ejus consanguineo, qui postea Cenomannensis episcopus fuit, sancti Sergii monasterio *præbendam canonicalem* in ecclesia sancti Mauricii restituit *instante mortis articulo*, ut legere memini ad calcem bibliorum sancti Sergii, probantibus ejusdem ecclesiæ canonicis, & Goffrido seu Gaufrido comite confirmante; quam præbendam olim idem episcopus monasterio contulerat, sed postea quorumdam persuasione abstulerat. Idem in extremis per manus prædicti Wlgrini abbatis donavit monachis Majoris-monasterii terrulas duas, unam, quæ Palesus dicitur, juxta fluvium Ladionem *; alteram, quæ Radiolana vocatur prope Calonnam, quæ villa posita est ad lævam Ligeris ripam infra confluentes Meduanæ in Ligerim. Ex hac donatione orta est cella Calonnæ, ex donis Eusebii episcopi aucta, quæ materia litis exstitit inter monachos sancti Sergii & Majoris-monasterii, ex quo Wlgrinus abbas [a] assumtus fuerat.

* Trecorensis.

* anno 1046.

* Layon.

[a] *lib. 57. n. 73.*

XVIII. Berengarii vitæ & erroris initia.

Eusebius episcopus mox laudatus archidiaconum ecclesiæ suæ habebat Berengarium, forte ipsius magistrum, qui etsi ab annis minimum septem Andecavensis archidiaconus, nihilo minus Turonicis scholis præfectus erat. Hic non multo post lapsus est in hæresim, cui faviisse creditus est Eusebius, tametsi ab ea se purgare conatus est. Berengarius seu Beringerius, ut passim veteres scribunt, Turonis ortus sub initia sæculi undecimi, Walteri Martinianæ basilicæ præcentoris nepos, post prima litterarum elementa, ad scholas Carnutenses se contulit, ubi condiscipulum in multis habuit Adelmannum, postea Brixiensem episcopum, sub Fulberto præsule, qui morti proximus, futuros ejus errores prædixisse traditur. Ex discipulo factus Turonis magister in Martinianis scholis Berengarius, cum Lanfrancum in Beccensibus frequentari, seque obscurari, & a scholaribus pæne deseri cerneret; præ invidia, ut nomen sibi faceret, nova dogmata, maxime circa sancti issimum eucharistiæ sacramentum fabricare in animum induxit, ut doctrinæ novitate, ut fit, discipulos ad se traheret. Ubi hæc in vulgus spargi intellexit Lanfrancus, acriter, ut par erat, nascentem errorem improbavit, quod cum resciviisset Berengarius, litteras ad eum dedit, quibus significabat, indignum esse tali ingenio, ut Paschasii Radberti ineptias, ut vocabat, præ Johannis Scotti doctrina sectaretur. Hæc fusius prosecuti sumus in præfatione secunda ad Sæculum sextum actorum nostrorum. Quid inde consecutum sit, postea videbimus.

XIX. Carrofi dedicatio.

Non satis accuratum est chronicon Malliacense seu Maxentianum, in quo Carrofensis ecclesiæ dedicatio hoc anno facta dicitur jussu Leonis IX. qui *altare sacratum* eo misisse perhibetur. Hanc dedicationem feciisse dicuntur archiepiscopi & episcopi, numero tredecim, vicinarum provinciarum, abbate Hugone, ejus nominis secundo, qui Fulcherio successerat. In kalendario sancti Sergii Andecavensis hæc dedicatio notatur XVI. kalend. Julii anno a nativitate Domini M XLVIII. quo necdum Leo IX. sedere cœperat. Eodem anno, quo hæc dedicatio facta est, combustum fuit monasterium cum tota villa. Hæc tertia minimum dedicatio est Carrofensis basilicæ, quæ hoc ipso sæculo paucis ante annis dedicata fuerat. Fulcaudus abbas, Hugonis secundi successor, non parum in restruenda basilica laboravit.

XX. S. Michaëlis in Eremo abbates & cella.

Hoc ipso anno, ut in prædicto Malliacensi chronico legitur, consecratum est monasterium sancti Michaëlis in Eremo, cui tunc Ascho abbas præerat. Ejus tempore condita est cella in loco, qui vulgo Bellanoa vocatur, sita prope Marolium in diœcesi modo Lucionensi. In primariis ejusdem cellæ litteris pius vicecomes Toruacensis Gaufredus, uxorque ejus Adenor, interpellasse dicuntur domnum Aszhonem * abbatem sancti Michaëlis de ædificando monasterio, in loco, qui vulgo Bellanoa nuncupatur, ea conditione, ut monachos pro suo nutu ibidem in-

* sic.

stitueret. Traditio facta cum virga, quam abbas ipse gestabat. Missus illuc e cœ- ANN. CHR. 1047.
nobio sancti Michaëlis monachus multæ industriæ, Savaricus nomine, qui monasterium eo loci diligenter ædificavit. Post mortem Aschonis abbatis, defuncto quoque Gaufrido vicecomite, qui in extremis monachus factus & apud sancti Michaëlis sepultus est, Aimericus ejus filius cum sua matre sancto Michaëli hanc cellam auferre voluit: sed tandem ab incœpto destitit, acceptis decem libris a Savarico & Hildeberto monachis, in eadem cella residentibus, facto dono *cum missale, ubi est nativitas & passio, & resurrectio, & ascensio Domini nostri Jesu-Christi.* Hanc veterem chartam coram Aimerico vicecomite relegit domnus Petrus sancti Michaëlis abbas, qui Aschoni successerat. Hinc corrigendus chronographus Malliacensis, apud quem Aschoni successisse dicuntur Theadus, Audebertus, Willelmus, Johannes, Garinus & Johannes.

Qui hic laudatur Gaufredus Toruacensis vicecomes, is est sine dubio Goffredus Thoarcii vicecomes, qui in gravi morbo a Bernardo sancti Jovini venerabili abbate olei sacri benedictione delibutus, eidem sancti Jovini abbatiæ, ejusque monachis in perpetuum donavit *frumentagium illud, quod homines militum illius vici & parrochiæ, & totius territorii abbatiæ per singulos annos ei reddebant.* Huic beneficio Bernardus abbas & monachi minime ingrati, pro Goffredo ejusque propinquis *quotidie sacras hostias* se oblaturos promittunt, eumque in suam fraternitatem admittunt. His litteris, quas cl. Baluzius ex authentico mihi communicavit, testes subscribunt Petrus abbas S. Launi, W. abbas Aureæ-vallis, & abbas de Brignun, multique alii. Id factum concedente Aymerico Goffredi filio, jam superius laudato, qui anno [a] M XCV. decessit.

S. Jovino facta donatio.

[a] *Gall. chr. to. 4. p. 113.*

Exstat in suburbio Mediolani Santonum insigne Benedictinarum virginum cœnobium sanctæ Mariæ sacrum, quod Goffridus Andecavorum comes & Agnes ejus conjux hoc ipso anno in proprio fundo construxisse memorantur. Primarias hujus monasterii litteras ediderunt Galliæ [b] christianæ auctores, in quibus singillatim enumerantur prædia, latifundia, ecclesiæ, aliaque bona, quæ prædicti conditores eidem monasterio contulerunt. In his donant in insula, cui nomen Olarion * est, *quam famosissima soli fertilitas & amœnitatis commoditas nobilitat*, ecclesiam sancti Dionysii & quatuordecim mansos cum decima *omnium* rosiarum *, cervorum, cervarumque, quæ in ipsa insula captæ fuerint, *ad librorum volsuras* seu operturas; ad hæc monetam totius episcopatus Santonensis, cujus artifices fidelitatem sanctæ Mariæ in manu Constantiæ abbatissæ jurare fecit, domo ad fabricandam monetam data, juxta arcum pontis sitam. Insuper obtulerunt Deo & beatæ Mariæ abbatiam sancti Palladii in usum canonicorum, sanctimonialibus inservientium ad res sacras: quam abbatiam iisdem fundatoribus concessit Guillelmus vicecomes, *a quo procedebat ex genere ipsa abbatia*, quæ nunc parœcialis ecclesia est suburbii Santonensis, beatæ Mariæ parthenoni hactenus subjecta. Denique, ut cetera omittam, iidem fundatores constituunt, ut quotannis abbatissa, misso venatore suo, habeat de silva Baconeis, *ad recreandam femineam imbecillitatem, aprum unum cum sua fera, cervum cum cerva, damum cum dama, caprum cum caprea, duosque lepores* &c. *Actum civitate Santonas, anno incarnati Verbi* M XLVII. *indict.* XV. *regnante Heinrico Francorum rege.* Omitto subscriptiones multorum nobilium, qui huic instrumento cum Goffrido comite & Agnete, ejusque filio Willelmo duce Aquitaniæ & Pictavorum comite subscripserunt.

[b] *Gall. Chr. to. 4. p. 517.*

* *Oleron.*

* *al.* rosiarũ.

XXI. Apud Santonas cœnobium S. Mariæ conditur.

Hoc instrumentum posterius videtur charta episcoporum, edita in dedicatione illius ecclesiæ, qui ab illustri comite Goffrido & uxore illius venerabili Agnete ad consecrationem ordinationemque monasterii hujus, quod ab ipsis recens fundatum, & jam propemodum exactum erat, cum abbatibus evocati & congregati, IV. nonas Novembris illud in honorem Domini Salvatoris & glorioisissimæ ejus genitricis virginis Mariæ dedicarunt, atque in eo monasticum ordinem ancillarum Dei sub abbatiali regimine secundum regulam sancti Benedicti instituerunt, eo pacto, ut abbatia sit, & non cella cuiquam subjecta monasterio, & abbatissæ inibi sororum hujus cœnobii, ceterorumque Dei fidelium electione canonice substituantur. His litteris, quæ carent chronicis notis, subscribunt prævio signo crucis Archembaudus Burdigalensis, Hugo Bisuntinensis, Aimo Bituricensis archiepiscopi: episcopi vero Arnulfus Santonensis, Hugo Nivernensis, Guillelmus Egolismensis, Geraldus Pe-

Monasterii dedicatio.

tragoricorum, Budicus Namnetensis, & Jordanus Lemovicensis: ex abbatibus Goffridus Angeriacensis, Aaron *sancti Michaëlis de Eremo, Johannes de Lucione, Goslenus sancti Leodegarii... abbas de Bazaco, Fredericus sancti Florentii, Rainaldus Burgulienſis, Odricus seu Odericus Vindocinensis. Ex clericis Isembertus clericus Pictavensis designatus episcopus, Joscelinus archidiaconus Andegavensis, Goffredus thesaurarius Nivernensis, Mangodus thesaurarius Bisuntinensis, & quidam alii. Qui primus subscripsit Archembaldus Burdegalensis archiepiscopus, abbas fuit sancti Maxentii, simulque cum archiepiscopatu abbatiam retinuit. Hi omnes excommunicaverunt eos, qui invadere ausi fuerint illius monasterii possessiones.

ANN. CHR. 1047. *f Aſcho.

XXII. Insula Vicus ei concessa. * Vic.

Ad ejus vero dotis augmentum Agnes comitissa comparavit a Willelmo de Parteniaco, jussu & auctoritate filii sui Willelmi, insulam, quæ vocatur Vicus*, in » pago Pictavensi sitam, in maritimis aquæ Seuriæ, habentem sinistro latere haud » multo longe castellum Fonteniaci; ad orientem vero monasterium sancti Petri » Malliacensis prospicientem. Pro qua insula prædicto Willelmo dedit Agnes mille » & quingentos nummorum solidos cum plurimis *auxiliis* seu subsidiis, quæ illi alias » fecerat. Huic emtioni assenserunt Agnetis filius Pictavorum comes Willelmus, » uxor Willelmi Parteniacensis Arengarda, & filius ejus natu-major Willelmus, » ejusque fratres Goscelinus sancti Hilarii thesaurarius, & Simon, & Geldoinus. *Hanc autem insulam*, inquit Agnes, *concessi ecclesiæ, quam apud Santonas civitatem in honore sanctæ Dei-genitricis Virginis Mariæ & omnium sanctorum Dei, humilis ejus ancilla a novo fundavi, & sanctimonialibus in eadem omnipotenti Deo sub sancti Benedicti regula servientibus, pro redemptione animæ meæ & salvatione filiorum & honoris, ut peccatorum veniam merear consequi. Tali autem tenore supra dictæ ecclesiæ contuli insulam cum appendiciis & omnia ejus exenia, ut sit illi & suis sanctimonialibus in perpetuum: & si forte, quod absit, locus ille, qui est apud Santonas, omnino destrueretur, sic destino animæ meæ, ut ubicumque aufugeret abbatissa cum monachabus ibi velatis & Deo dicatis, vel deveniret, vel hospitaretur; hujus emptionis meæ redditionem vel expletum sibi & suis accipiat in vivendi usum. Quod factum ut stabile potius videretur, dominus Willelmus & uxor ejus Arengarda filiam, quam habebant parvulam, Deo & Matri suæ & omnibus sanctis ad sibi inibi serviendum obtulerunt, & de hac venditione donum super altare Matris-Domini miserunt.* His litteris apposita sunt signa Willelmi ducis Aquitanorum, Agnetis comitissæ, Isemberti Pictavensis episcopi, qui in charta dedicationis tantum designatus episcopus dicitur; Arnulfi Santonensis episcopi, Willelmi Parteniaci, ejusque filiorum, Goscelini thesaurarii sancti Hilarii, Simonis, Geldoini, & Ebonelli; Beatricis sororis eorum, Hugonis & Willelmi nepotum eorum, Hugonis vicecomitis de Castro-Airaldi, & aliorum. *Actum est in civitate Santonis, anno ab incarnatione Domini* M XLVII. *indict.* XV. Post obitum Willelmi de Paterniaco Goscelinus beati Hilarii thesaurarius & Simon frater ejus, beatæ Mariæ alumnus, prædictam insulam, quam Gaufridus dux Aquitanorum abstulerat & Radulfo militi injuste donaverat, eidem monasterio restitui curarunt, assentientibus eorum fratribus Geldoino de Tauniaco, & Ebonello. His litteris absque chronicis notis subscripta sunt nomina Gaufridi ducis Aquitaniæ, Isemberti Pictavensis episcopi, Bartholomæi Turonensis archiepiscopi, & aliorum. Ex his apparet, Agnetem comitissam, etsi in multis peccavit, de redimendis peccatis sollicitam fuisse, ut probant monasteria, Vindocinense, Santonense, & alia, quæ cum marito suo Gaufrido condidit, ac dotavit.

XXIII. Abbatissæ primæ.

Quæ prima Santonensi monasterio præfecta est Constantia abbatissa, quonam ex monasterio assumta sit, incertum. Ei Nicolaus II. anno M LXI. binas litteras scripsit, quibus monasterii possessiones confirmat, illudque sedi apostolicæ subesse declarat. Post annos quinque abbatissa erat Letburgis, cujus tempore Dagbertus quidam, assentiente conjuge, monasterio in servum perpetuum se dedit, scilicet anno M LXVI. tempore Willelmi comitis, qui Barbastam civitatem Sarracenis abstulit. Letburgi jam successerat Hersindis anno M LXXIX. quo Guido Aquitanorum dux quædam monasterio contulit. De hac abbatissa plura inferius.

XXIV. Isarnus abbas Lirinenses captivos redimit.

Per id tempus Sarraceni, ex Hispania in Gallias effusi, Lerinense monasterium inter alia diripuerunt, & multos e fratribus captivos secum abduxerunt. Qui superstites fuerant monachi, de fratrum suorum redemtione perquam solliciti, corrogata undique pecunia, Isarnum sancti Victoris apud Massiliam abbatem adeunt, rogaturi,

ANN. CHR. 1047.

rogaturi, ut, quia illius monasterii possessiones Hispaniis conjunctæ erant, quemdam e suis, in illis partibus notum, sibi ducem daret, cujus consilio & ope fratres suos redimere possent. At Isarnus, etsi diutino languore pæne confectus, cujus caritas in præmortuo jam corpore tota vigebat, pro tanti desolatione monasterii & fratrum captivitate ingemiscens, se ipsum illis ducem & vadem obtulit. Obstitere ejus consilio Victorini fratres, tanto itineri contriti corporis vires haud sufficere causati; nullius esse consilii, ut sibi commissas oves desereret, alienas frustra quæsiturus, forte ipse captivus futurus; denique captivos absque ejus morte multis aliis modis redimi posse. At ille: Quid agitis, inquit, dolore afficientes « cor meum? Salvatorem præ vobis audire decet, cujus exemplo & præcepto in- « structus, non solum ad Hispanias ire, sed & servituti me ipsum subjicere, insu- « per & animam meam pro fratribus dare paratus sum. Ceterum domum istam & « meipsum, meaque consilia divinæ providentiæ committo. Quod si mori hoc in iti- « nere contigerit, ô me felicem, si tali morte beari meruero! Potest quidem sine « me illos captivos redimere; sed si me ad hoc opus ministro uti velit, tanto magis « huic officio deesse nolim, quanto nihil simile hactenus me feciſſe novi. Quapropter « curas nostras projicientes in Dominum, quo nos ille vocat, alacriter properan- « dum. Vos autem, viscera mea, carissimi filii, confortamini in Domino, & pro « nobis orate. His dictis utcumque relevati fratres cedunt: ille vero se itineri cum « Lerinensibus committit, ubique ab omnibus honoratus. Ventum est ad quamdam possessionem sancti Victoris, Alfalium nomine, diœcesis Barcinonensis, ubi in specu amœnissima præclarum monasterium erat, sancto Michaëli sacrum. Illic ægritudine & labore itineris confectus pater sanctus decubuit, quo audito, Barcinonensis comes Raimundus-Berengarii, & uxor ejus Elizabeth, & Gumbaldus vir consularis, eo accedunt, peccata viro Dei confitentur, opem & auxilium, se denique suaque ei offerunt, ut captivos redimant, & instaurando Lerinensi monasterio ea impendant. Nec mora, statim Raimundus comes ad urbem Deniam Alaïo regi legatos suos cum monacho mittit, qui captivos repetant; alias bellum ipsi indicant; idemque regi Dertosæ seu Tortosæ Agalifo significatum. In his enim duabus urbibus captivi monachi detinebantur. Tum captivi ægre relaxati, ac navi Barcinonem tendenti impositi a legatis, qui terrestri via revertuntur. Verum dum illi fausta nuntiant, adsunt alii nuntii, qui repetitos in mari a paganis fratres asserunt, ac in Siciliam transportandos. Hoc nuntio consternatus cum ceteris pius pater, deplorato humano auxilio, ad divinum confugit, & preces ad Deum a prima luce ad horam nonam effundit. Inter ea pagani, dromoni captivis impositis, secundis ventis ad Siciliam tendentes, cum jam longius processissent, auræ contrariæ violentis flatibus ad Hispanias subito reportantur. Mox remissi ad barbaros legati, de fraude eorum conqueruntur; ni captivos tandem bona fide reddant, & sanos continuo reducant, nullis conditionibus secutura mala redimi posse. Tunc illi, velint, nolint, captivos omnes, balneis & dapibus recreatos, novisque indutos vestibus, absque ullo dolo malo restitui jubent ipsa die dominicæ resurrectionis. quæ res duplex gaudium Isarno patri attulit. Tandem, prædictis principibus cum multa gratiarum actione fausta precatus, cum illis captivis discessit, & vix lecto vectus Massiliam demum appulit, ubi cum summo omnium plausu exceptus, tale universæ provinciæ gaudium attulit, ac si Deus post longissimas tenebras ablatum solem flentibus terris restituisset. Hoc iter factum est proximo anno ante ejus obitum, qui anno sequenti contigit VIII. kal. Octobris, ipso post annum die, quo in Hispanias iter instituerat.

XXV. Oliba episcopus obit. a *Marca Hisp. p.* 446.

Incidit in hunc annum mors Olibæ episcopi Ausonensis, itidemque abbatis Rivipullensis monasterii, in quo monachum induerat, & Coxanensis, in quo mortuus sepultusque est. Rivipullense rexit per annos triginta & octo. Plura de eo apud eruditum [a] Baluzium, qui observat, in quodam codice bibliothecæ Colbertinæ exstare librum de cyclo paschali, editum hoc anno *ab Oliva monacho sanctæ virginis Mariæ Rivipollentis*, ab ipso Oliba episcopo, an ab alio, incertum. Hic episcopus maxime propensus fuit non modo erga illa duo quibus præerat, sed etiam in alia ejusdem provinciæ monasteria. Frater erat Guifredi seu Wifredi comitis Ceritaniæ, qui ei triennio supervixit, optime etiam affecti in monachos, maxime Canigonenses, quorum monasterium condidit. Hi in rotulo misso per varia monasteria

ANN. CHR. 1047.

post ejus mortem, inculcant quoque nomen *domini Olivæ dulcissimi patris*, *præsulis & abbatis spiritualis*, non quidem Canigonensis cœnobii, sed aliorum, de quibus modo actum est. Rivipullense post eum, haud scio an proxime, rexit Bernardus abbas, Coxanense Gauzfredus, de quibus in consequentibus agendum.

XXVI. S. Zoyli Carrionense monasterium.

In Hispania Tarraconensi exstat celebre sancti Zoyli monasterium in diœcesi Palentina, positum ad fluvium Carrionem, a quo nomen opidum haud ignobile, uti & monasterium accepit. Primitus sancto Johanni-Baptistæ nuncupatum fuit, sed postea sancti Zoyli dictum, postquam hujus sancti martyris reliquiæ ex urbe Corduba eo translatæ sunt. Quis illius monasterii primus auctor, quove tempore conditum fuerit, incertum. Morales longe antiquius esse existimat ob repertum in eo volumen conciliorum, quod Theodemirus abbas litteris gothicis exarare cœpit ab anno DCCCC XLVIII. sed cujus loci abbas ille fuerit, non constat. Quidquid sit de illius cœnobii prima origine, jam illic exstabant hoc anno M XLVII. Cluniacenses monachi, quo anno comes Gomez-Diaz monasterium sanctorum martyrum Facundi & Primitivi, ab se conditum, tribuit *Deo & ecclesiæ sancti Joannis-Baptistæ, & sanctorum Zoyli atque Felicis, & monachis Ordinis Cluniacensis ibi Deo servientibus.* Ibidem quippe habetur etiam corpus sancti Felicis martyris Complutensis, quod Morales [a] in argentea theca illic servari, & magna religione coli testatur. Huic monasterio multa alia subjecta fuere, in primis monasterium sancti Romani de Rupibus, quod Didacus-Moniz cum conjuge sua Tigridia liberaliter [b] dotarunt, traditione facta Licinio abbati æra DCCCC LXXVIII. *pro sustentatione monachorum*, eo pacto, ut *sancti Benedicti regulam ibidem exercerent.* Alterum monasterium est sancti Martini de Fromesta, quod Major Christi [c] ancilla, Sancii comitis filia, ædificavit, dotavitque, collatis inter alia multis ovibus, aliisque animantibus, quæ apud Asturias habebat, divisisque in tres partes, quarum unam loco sepulturæ suæ assignat: alteram sancto Martino, ut servientes laïci & clerici, qui die noctuque ibidem obsequium fecerint, inde sustententur: tertiam *istis tribus monachis*, scilicet cellæ sancti Martini, *ut vigilias & obsequia faciant*, & missas canant pro ipsius anima. Factum testamentum idibus Junii, æra M C IV. regnante Aldefonso rege, Ferdinandi regis filio, in Legione. Subscribit *Major regina, Christi ancilla*, & post eam Simendus episcopus Burgalensis seu Burgensis, Bernardus Palentinus, Miro abbas, & alii. Alias Carrionensis monasterii cellas prætermitto, quas Yepesius-ad hunc annum refert cum indice primorum ejusdem loci præpositorum & subsequentium abbatum: quorum primus præpositus fuit Arnulfus, qui a sancto Odilone abbate illuc missus perhibetur. Processu temporis hoc monasterium Vallisoletanæ congregationi unitum, deinceps proprios abbates habuit.

a *Moral. in Eulog. p. 265.*

b *Yepes cent. 6. script. 14.*

c *ibid. script. 25.*

ANN. CHR. 1048. XXVII. Poppo abbas obit.

QUi sequitur annus supra millesimum quadragesimus-octavus, multorum nostri Ordinis illustrium abbatum obitu insignis fuit, Popponis scilicet abbatis Stabulensis, aliorumque monasteriorum patris, Olberti Gemblacensis, Richardi Corbeiensis, Isarni Massilienſis, & Bernardi Augiensis, præter Gerardum episcopum Canadiensem & martyrem, de quibus singillatim dicendum. Addit Baronius sanctum Odilonem abbatem Cluniacensem: at mors ejus differenda in annum sequentem. Primus nobis occurrit sanctus Poppo abbas, qui, rebus apud Vedastinos, ut superius [d] diximus, ordinatis, dum Marcianis moraretur, ubi Balduinum proabbatem instituit, variis dæmonis infestationibus pulsatus, demum gravissima febre corripitur. Ubi ad extrema se urgeri sensit, Everhelmum Altimontensem abbatem, qui ipsum secutus fuerat, fratresque Marcianenses convocari jussit, & unctionem a prædicto abbate sibi exhiberi rogavit, corpusque suum post obitum ad Stabulense monasterium deferri. Tum super cilicium, quod sibi sterni fecit, se supinum collocavit, inchoavitque responsorium, *Subvenite sancti Dei*, quod fratres prosecuti sunt cum subjuncta Litania. Postea, resumto spiritu, quædam ab se prætermissa ordinavit: res suas partim ecclesiis Dei, partim amicis & egenis distribui præcepit. Theodericum discipulum suum ad imperatorem ire jussit, ut sancti Maximini monasterii Trevirensis regimen ab eo acciperet: Stabulense divinæ providentiæ permisit. His ita dispositis, accepta sacerdotali stola, indulgentiam fratribus impertiit, extensisque manibus Deum precatus est, ut die festo conversionis sancti Pauli, quæ instabat, ex hac vita migraret. quod re vera contigit, expleto matu-

d *num. 8.*

tinali ejus festi officio. Obiit itaque VIII. kal. Februarii, anno incarnati Verbi M XLVIII. indictione I. ætatis suæ anno septuagesimo, imperii vero Heinrici secundi anno decimo, ut diserte notat Onulfus monachus ejus vitæ primus scriptor jussu Everhelmi abbatis, sive Everhelmus ipse, viri Dei nepos, ejusque vitæ continuator, qui morienti adfuit, ejusque funus Stabulacum usque prosecutus est. Corpus casubula indutum primo, delatum in urbem Leodicum, ubi a Wazone episcopo, sancti viri amico, honorifice exceptum fuit, deductumque ad Stabulense monasterium, ubi in crypta ab vivente designata, sexto ab obitu die, omnis corruptionis expers, humatur, appositis super ejus pectus una cum calice litteris, quas venerabilis Richardus Virdunensis abbas, suus olim institutor, ipsi scripserat. Multa miracula ad ejus tumulum patrata, in primis erga quosdam viri Dei discipulos, Herimannum portarium, qui ad judicium Dei ob quamdam temeritatem raptus, vitæ inducias ejus meritis impetravit; Gozonem, dæmonis terriculamentis liberatum; & Thietmarum, qui cito moriendi gratiam ab eo petiit, & obtinuit. Librum de sancti Popponis vita composuit, ut jam dixi, Onulfus jussu Everhelmi Altimontensis abbatis, qui etiam Onulfo hac in scriptione socium se adjunxit. Hic in Altimontensis cœnobii præfectura successerat Fulcuino, quem Richardus Virdunensis [a] abbas rectorem ibidem instituerat.

ANN. CHR. 1048.

a *Chron. Camerac. lib. 3. c. 6.*

XXVIII. Virtutes ejus præcipuæ.

Popponis præcipuæ virtutes fuere, in primis caritas adversus omnes, præsertim solitarios & egenos; ex quibus trecentos singulis mensium kalendis reficiebat; abstinentia & jugis afflictatio corporis, quod *flagellis propria sibi manu clam illatis* divexabat; & compunctionis gratia singularis, quam primo conversionis suæ tempore tanto studio exquisivit, ut, cum quosdam fratrum in lacrymas excitari videret, seque præ illis duri cordis esse doleret; sumto lapide pectus contunderet, ut vel modicam compunctionis stillam ex eo exprimeret. Unde tantam compunctionem postmodum divinitus adeptus est, ut genuum flexionibus centies nocte dieque repetitis pavimentum totum lacrymis madefaceret, & in celebratione missarum casubulam, qua indutus erat, omnino perfunderet. Non impar fuit ejus studium ad reformandam monasteriorum depravationem, quorum non paucis abbates e discipulis suis suppeditavit. Unde non immerito recensetur inter præcipuos illius temporis abbates, quorum opera monastica religio in regno Lotharii refloruit. Popponis sors præ venerabili Richardo magistro suo felicior fuit, quippe qui publico ecclesiæ cultu, non ille, honoratur.

XXIX. Olberti abbatis obitus.

Popponi non diu supervixit Olbertus abbas, ejus virtutum æmulus, maxime caritatis in egenos & studii in monasticam disciplinam, quam in Gemblacensi auxit, & in Leodicensi sancti Jacobi monasterio primus abbas instituit. Alternis vicibus in his duobus locis habitare solitus, postquam Gemblaci natalem apostolorum Petri & Pauli celebrasset, imminentem vitæ suæ finem præsagiens, fratribus ad altare sancti Petri convocatis salutaria dedit monita, eosque summo Pastori commendavit, absolvit, & salutem ultimam eis apprecatus, Leodicum se retulit, ubi Wazonem seu Wathonem episcopum extremo urgeri morbo intellexerat. Ejus præsentia recreatus summopere pius antistes, ab eo se ungi postulavit, seque postridie moriturum dixit, quibus verbis supra modum consternatus abbas, dolori temperare non valens, resolutus in lacrymas: Non sinat, inquit, Deus me septem dies tibi supervivere. Mox ad sancti Jacobi monasterium regressus, acutis febribus vexari cœpit, brevique viribus corporis destitutus, cum episcopus VIII. idus Julii ad cælum migrasset, abbas ipse pridie easdem idus ad ejus consortium pro voto evolavit hoc anno, postquam Gemblacensi per annos triginta-septem, Leodicensi vero cœnobio circiter annos viginti-novem præfuisset. Sepultus est in ecclesia sancti Jacobi, appositio ad ejus tumulum brevi hoc epitaphio, quod chronographus Gemblacensis, ejus vitæ scriptor, retulit in hunc modum.

Hic jacet abbatum speculum, decus & monachorum,
Abbas Olbertus, flos, paradise, tuus.
Præfuit ecclesiis normali tramite binis:
Legia corpus habes, Gembla carendo doles.

Olbertum laudat Sigebertus, eumque recensetus inter scriptores ecclesiasticos ob

ANN. CHR. 1048.

quasdam vitas Sanctorum, quas composuit; sed illustrior habitus est ob discipulos, maxime Burchardum Wormatiensem episcopum, quem erudiisse traditur. *Sanctæ memoriæ abbas* dicitur a Sigeberto, qui eum viris sanctis, Odiloni Cluniacensi, Popponi Stabulensi, Guatoni seu Wathoni episcopo Legiensi hoc anno mortuis annumerat. Wathonem [a] laudat Adelmannus in rythmo alphabetico; Hermannus virum doctum dicit: cui Dietwinus (sic ille vocat) seu Deoduinus successit, qui epistolam ad Heinricum Francorum regem contra Berengarium scripsit.

[a] *Analect. to. 2. p. 422.*

Olberto in præfectura Gemblacensi subrogatus est Misac seu Mascelinus ejus consanguineus; in Leodicensi Albertus. Mascelinus a pueritia sub Olberti disciplina educatus fuerat cum Fulcuino fratre, qui ad Stabulense monasterium *ad regendas puerorum scholas* a Poppone primum accersitus, dein ad regimen abbatiæ sancti Vincentii Mettensis promotus est. Mascelinus vero ejus frater sub Richardo Virdunensi abbate in disciplina regulari exercitatus, postea Gemblaci præpositus sub Olberto abbate, cui nullus eo dignior qui succederet inventus est, VII. kalendis Augusti electus, consecratus vero septima idus ejusdem mensis. quo in munere pie ac prudenter se gessit. Camerario villarum & prædiorum, cellerario rei familiaris curam assignavit, mensas fratrum hoc modo ordinavit. Panis libræ duæ, pulmentum unum ex fabis seu pisis quotidie singulis fratribus concessum: ad emendum alterum pulmentum ovorum, casei vel piscium, septemdecim denarii per dies singulos a kalendis Octobris ad septuagesimam assignati: tertium pulmentum ex herbis hortensibus. *Justæ* seu mensuræ duæ cervisiæ in dies, mensura vini per singulos quatuor hebdomadæ dies *cum caritate sabbati*. Paximates similaginei in duodecim præcipuis sollemnitatibus: omni tempore ad prandium placentæ & oblatæ; ad cænam alia bellaria. Hæc erat Gemblacensis eo abbate victus disciplina, moribus patriæ ac tempori accommodata. Ad hæc viginti solidos nummorum assignavit ad coëmtionem vini, ex quo missæ quotidianum sacrificium celebraretur. De Alberto sancti Jacobi abbate id memoriæ proditum, quod reliquias ex urbe Compostella in suum monasterium intulerit, inita cum canonicis Compostellanis societate, quam Olbertus abbas, eo nomine secundus, monasterii septimus firmavit, successor Stephani secundi, qui vir magnæ virtutis & eruditionis fuisse dicitur apud Fisenum [b], qui indicem ejus loci abbatum retulit.

Mascelinus Gemblaci ejus successor.

[b] *Flores Leod. p. 328.*

XXX. Richardi Corbeiæ abbatis successor Fulco.

Hic annus supremus quoque fuit Richardi abbatis Corbeiensis, cujus obitus in veteri ejus temporis abbatum indice notatur XIII. kalend. Aprilis, in quo abbas ordine tricesimus recensetur. Suffectus in ejus locum Fulco, tunc solum diaconus, quem tricesimum abbatem dicit chronographus Corbeiensis, omisso nimirum Adalhardo juniori, qui tempore exsilii Adalhardi senioris monasterium rexit. Immunitatem loci strenue propugnavit Fulco adversus Fulconem & Widonem episcopos Ambianenses, ut in consequentibus patebit. Eo abbate Adelbertus seu Albertus Hammaburgensis pontifex, antiquam cum veteri Corbeia societatem ob memoriam sancti Ansgarii seu Anscharii, ex Corbeiensi monacho Hammaburgensis ecclesiæ fundatoris & primi archiepiscopi, renovari ultro postulavit, scriptis ad Fulconem [c] literis, quæ in hæc verba desinunt. *Nuntium tuum in proxima æstate nobis dirigito, per quem & cartam, omnia hæc, scilicet alternam memoriam & fraternitatis titulum continentem, destinare memento. Per ipsum autem reliquias tibi ejusdem sancti patris nostri Ansgarii, & translationem mittemus.* Id vero præstitit Fulco, accepitque promissas reliquias, scilicet os brachii sancti Anscharii, quod hactenus in Corbeiensi thesauro asservatur. Guido Corbeiæ-veteris monachus in metrica sancti Anscharii vita, quam Alberto archiepiscopo in grati animi testimonium nuncupavit, hujusce doni mentionem facit, gratiasque Alberto agit Corbeiæ suæ nomine his versibus.

[c] *V. Sac. 4. part. 1. p. 121.*

S. Anscharii reliquias obtinet.

Hæc pro pignoribus collatis dona rependit,
Cujus ab uberibus felix puer ille pependit,
Qui sal salvificum Scythico stillavit in orbe,
Primus & in vestra surrexit episcopus urbe.

Tum in suæ Corbeiæ laudes excurrit in hunc modum.

Quam speciosa fuit tua, mater sancta, juventus,
Cujus adhuc vernat jam canis sparsa senectus!

ANN. CHR. 1048.

Qualis eras, cum regis opes Adalhardus & aulas
Respuit, atque tuas albo cum vellere caulas
Ingrediens, primo gradu surrexit ab uno!
Hic tibi Ratbertum genuit, sapientia cujus
Guttura ditavit dociles ingressa recessus,
Contra catholicos ne sibilet impius anguis.
Verus in altari Christi de corpore sanguis
Stillat, & occisi pro mundo carnibus Agni
Vescimur in terra, per quod revocamur ad astra.

Idem poëta Corbeiensis monasterii privilegium & immunitatem prædicat, & Alberti archiepiscopi opem apud papam implorat contra molitiones episcopi Ambianensis.

——— *Petrus illi contulit arram*
Libertatis opem, sibi ne manus æmula dotem
Auferret per vim, vel eam subverteret olim:
Nupta semel soli post se non nuberet ulli,
Nec sibi rivalis præsul foret Ambianensis,
Neve bonis sponsæ præsumeret improbus esse.
Talibus auspiciis centum quater hactenus annis
Altrix Anscharii conjux Corbeia Petri,
Quamvis pertulerit discrimen, libera mansit.

Et infra Albertum alloquens poëta,

Ergo manum prætende: libenter episcopus urbis
Romanæ decernet ei, quodcumque rogabis.
Talem se lætetur avus genuisse nepotem,
Quo tutante suam conservet libera dotem.

Hæc scribebat Gualdo ante annum M LII. quo anno Leo IX. Corbeiæ privilegium renovavit & asseruit. Denique renovatum fœdus ait poëta ob missas sancti Anscharii reliquias.

Maternis laribus sacro de corpore pignus,
Transmissum per te, fœdus renovavit utrimque,
Quod Deus æternet nobis, omnique gubernet
Tempore, te mortis, pater, eripiendo periclis.

In martyrologio Nevelonis Corbeiensis monachi notatur *kal. Martii exceptio reliquiarum sancti Anscharii Hammaburgensis archiepiscopi.*

Hoc ipso anno Theodericus, sancti Remigii apud Remos abbas, e vivis excessit sexta die Octobris, post annos regiminis undecim, ut legitur in ejus epitaphio [a] apud Marlotum, ubi *vir magnificus*, & abbatis *munere dignus* fuisse dicitur, & in odeo sepultus. Ejus magnificentiam probat ampliſsima, quam inchoavit, sancti Remigii basilica, quam perfecit & a Leone IX. dedicari curavit ejus successor Herimarus, vir insignis prudentiæ ac religionis, eo vivente electus, & a Widone archiepiscopo sacratus, cujus mentio inferius non semel recurret.

XXXI. Theoderico S. Remigii abbati succedit Herimarus.

[a] *Marlot. to. 1. p. 351.*

Ex Hispania Massiliam vix reversus [b] erat Isarnus abbas, cum itineris & confectæ valetudinis molestia fractus, in graviſsimum incidit morbum, quo per quatuor fere menses ita conflictatus est, ut vix se in latus alterum, nisi aliorum manibus, reclinare posset. Instante demum ultima vitæ periodo, convocatis fratribus, cum ad mundi contemtum & ad cælestium amorem sacris eos monitis & ignitis sermonibus animasset, ac summo Pastori commendasset, sumto viatico, ad cælum hoc anno migravit VIII. kal. Octobris, ipsa eadem post annum recurrente die, qua in Hispanias fratrum Lerinensium causa profectus fuerat. Conditus est in marmoreo lapide in septemtrionali parte templi, ubi frequentibus miraculis coruscasse dicitur, appositio ad ejus tumulum epitaphio, in quo commissum sibi gregem *bis-denis septemque annis* rexisse perhibetur. Res ab eo gestas scripsit eleganter anonymus loci monachus ejus æqualis. Apud Victorinos sanctus Isarnus ipso ejus obitus die colitur. Inter ejus discipulos præcipui numerantur Dodo & Rainaldus, primi sub eo con-

XXXII. Isarnus abbas moritur.

[b] *supra n. 24.*

ANN. CHR. 1048.

versi, ambo tantæ pietatis, ut eorum admiranda sanctitas, antiquis comparanda, multis miraculis declarata memoretur. Et Dodo quidem magistrum ad beatam vitam subsecutus est: Rainaldus adhuc superstes erat, cum hæc anonymus scriberet. Sub eodem sancto patre Pontius Arelatensis archiepiscopus, & Randibaldus seu Raiambaldus ejus successor, sanctæ se regulæ summiserunt. Ejusdem tempore monasterium sancti Victoris certatim locupletarunt vicini episcopi & principes, ex quibus nonnulli suis locis superius laudati sunt. Ex illis Clemens Cavellicensis episcopus monasterium beatæ Mariæ de Valle-clusa, ubi sancti Verani corpus quiescebat, Victorinæ abbatiæ subjecit.

XXXIII. Petrus ejus successor.

Post Isarni obitum vacavit duobus circiter mensibus abbatialis sedes, donec Pontii Massilienſis episcopi consilio electus est tandem Petrus, eximiæ virtutis & pietatis monachus, præsentibus Raiambaldo Arelatensi archiepiscopo mox laudato, Fulcone Massilienſi comite, ejusque uxore Odila & Stephania sorore, cum tribus filiis ejusdem. Interfuit Petrus abbas concilio Vercellensi, in quo damnatus est Berengarius a Leone IX. a quo immunitatis sui monasterii confirmationem obtinuit, & restitutionem exiguæ abbatiæ sancti Victoris prope Valentiam sitæ, quam sancti Theotfredi monachi occupaverant. Eodem Petro abbate Petrus Vasionensis præsul donavit abbatiam sancti Petri & sancti Victoris, in eadem diœcesi Vasionensi positam apud Grasellum, litteris datis anno M LIX. qui Petri abbatis obitum præcessit. De Grasello & Grasellensi monasterio actum est in tomo [a] primo.

a *lib. 17. n. 38.*

XXXIV. Gerardus Canadii episcopus martyr.

Hunc etiam annum illustravit martyrium sancti Gerardi Canadiensis in Hungaria episcopi. Hic origine Venetus, & sancti Georgii in eadem urbe monachus, cum iter ad sacrum Domini sepulcrum institueret, a Stephano Hungarorum rege piissimo ad gentem illam erudiendam detentus est. Hoc in munere tantum progressum fecit, ut multas in illa regione fundaverit ecclesias, in his ecclesiam sancti Georgii martyris, monasterii quondam sui patroni, ad litus Morisii fluminis, atque inde Morissenam sedem appellatam, quam Stephanus rex multis dotalitiis nobilitavit. Illic erecta beatissimæ Virgini Deiparæ, quam Gerardus in primis venerabatur, insignis ara, ad quam thus perpetuum in argenteo thuribulo ardebat. Cum a prædicatione verbi Dei subinde vacaret, in solitudinem uno comitante Mauro monacho, se recipere consueverat. Mortuo Stephano rege, cum Petro regni invasori ob multas cædes regiam coronam imponere detrectasset, exorta postea seditione, a furenti populo ad Albam-regalem, cum ad Danubium iter intenderet, lapidibus obrutus est. Corpus ejus sacrum Venetias sub initia sæculi quinti-decimi relatum, Murani * in ecclesia sanctæ Mariæ, nunc sancti Donati, repositum est. Festus ejus dies in Hungaria colitur VIII. kal. Octobris.

* *Moran.*

XXXV. Tegernsenses & Augienses abbates.

Eodem anno Heinricus imperator pascha Ratisponæ celebravit, ubi Seifridum Hersfeldensem monachum in Tegernsensi monasterio abbatem Eckberti demortui loco instituit, cujus tempore corpora sanctorum martyrum Chrysogoni & Castorii e Veronensi monasterio sanctæ-Mariæ-ad-Organa in Tegernsense translata dicuntur. E Bajoaria in Alamanniam profectus imperator, Augiense adiit monasterium, cujus novam basilicam, a Bernardo abbate constructam, VIII. kal. Maii, se præsente a Theoderico Constantiensi antistite dedicari fecit. Inde Turegum * se contulit, ubi ascensionem Domini peregit, dein Solodori pentecosten. Huic celebritati non diu supervixit Bernardus abbas, vir doctus & moribus insignis ac senio venerabilis, qui morbo confectus, VII. idus Junii ultimum diem clausit anno promotionis suæ quadragesimo, ex Hermanno. In ejus locum Udalricus decanus electus a fratribus, ab imperatore confirmatur. Huic Leo IX. anno sequenti Romæ abbatis benedictionem impertiit, eodemque anno festum sancti Clementis Augiæ celebravit.

* *Zurich.*

XXXVI. Desertinum in libertatem assertum.

Sub finem hujus anni, dum Spiræ versaretur imperator, ei Udalricus, Desertinensis in Rætia monasterii abbas, lamentabilem ejus loci statum exposuit. Hæc abbatia, quam Heinricus primus imperator Brixinensi ecclesiæ pridem subjecerat, in-
» justæ servitutis pressura & episcoporum incuria pæne ad nihilum redacta erat. quo
» comperto, Heinricus III. interventu Agnetis augustæ, Udalrici abbatis reclama-
» tione & querelis pulsatus, hanc abbatiam in pristinam libertatem, & in jus regni,
» a quo abalienata fuerat, restitui jussit. Actum Spiræ XIII. kalend. Decembris, hoc
» anno, Heinrici regni XX. imperii secundo. Waltherus cancellarius vice Bardonis
» archicancellarii præceptum recognovit. Idem confirmavit Heinricus V. ad preces
Adæ abbatis.

ANN. CHR. 1048.

Dervensi monasterio tunc præerat Milo abbas, Dudonis successor, cum Manasses, *consulatus Rosnacensis advocatus*, cum filio suo Isembardo, ecclesiam ejusdem castri, majorum suorum facultatibus stabilitam, regularibusque traditam canonicis, tunc autem a Widone apostata, qui monastico habitu abjecto & clericali usurpato, eidem ecclesiæ præerat, repudiatam, ceterisque canonicis penitus destitutam, Dervensis ecclesiæ monachis, favente Mainardo Trecassinæ ecclesiæ pontifice cum suo clero, eadem qua prius libertate contulit. His litteris absque chronicis notis apposita sunt signa Manassæ & Isembardi ejus filii, Dudonis vicecomitis, scilicet Rosnacensis, & aliorum. Idem qui supra Mainardus, Augustæ Trecorum pontifex, prout venerabilis comes Breonensium Gualterus seu Walterus cum matre sua Petronilla postulaverat, sub annuo censu duorum solidorum largitur libertatem altari Requiniacæ-curtis, in honorem sancti Leodegarii martyris consecrato, ubi prædictus comes monachos *sub jugo abbatis sancti Petri & sancti Bercharii* posuerat. Actum *Trecis civitate publice* V. *kalend. Januarii, regnante Heinrico Francorum rege*, incerto anno, sed ante annum sequentem, quo Mainardus episcopus Senonensem cathedram subiit, subscriptus hoc anno litteris Heinrici regis pro cella sancti Aigulfi, de qua nunc agendum.

XXXVII. Dervo quædam factæ donationes.

XXXVIII. Sancti Aigulfi ecclesia Cellæ Trecensi data.

Exstat hæc cella in Pruvinensi opido diœcesis Senonensis, ubi antiquitus ecclesia erat, sancto Aigulfo abbati Lerinensi & martyri sacra, quam Theobaldus Trecorum comes a rege in beneficium tenebat. Hic ab Heinrico rege petiit, ut sibi [a] *liceret monachos de monasterio domni Petri Trecassini, Cellensis cognominati primitive, ponere, & ad Dei servitium, quod inibi prius negligenter agebatur, administrandum destinare, ea tamen ratione, ut quod archiepiscopus Senonensis in eadem ecclesia possidebat, videlicet altare, ab eo impetraret.* Rex petenti annuit, cavetque, ne monachis umquam hæc auferatur ecclesia, *ne alii per nefas bonis paratis injuste abutantur. Actum publice in Senonico palatio anno incarnati Verbi* M XLVIII. *& regni Heinrici regis* XVII. Subscribunt Gilduinus archiepiscopus, Imbertus Parisiacensis episcopus, Isambardus Aurelianensis, Mainardus Trecacensis, Hugo Nivernensis, Herbertus Autisiodorensis, Walterus Meldensis, omnes archiepiscopi Senonensis suffraganei; tum Rotbertus dux Burgundiæ, Theobaldus comes Campaniæ, Arnaudus, Rodulfus, & Wilermus comites. *Balduinus cancellarius relegendo subscripsit.* Gilduinus archiepiscopus anno sequenti a Leone IX. exauctoratus Mainardo episcopo locum fecit. Prædicta cella sancti Aigulfi hactenus subest Cellensi monasterio, cui tunc præerat Bernardus abbas, de cujus electione superius [b] egimus. Fallunt vulgati indices, qui Guarinum hoc tempore abbatem collocant, & Bernardum ejus successorem summovent ad annum M LXXI. qui quidem ad illum annum pervenit, sed longe ante Guarino suffectus est, & quidem paullo post obitum Odonis comitis, prædicti Theobaldi parentis, quem anno [c] M XXXVII. interiisse constat.

a *Camuzat, t. 23.*

b *lib. 57. n. 103.*

c *ibid. n. 81.*

XXXIX. Theobaldus nobilis eremita.

In prædicto castro Pruvino Theobaldus nobili genere, Arnulfo & Willa parentibus ortus est, cujus nativitatem Theobaldus Viennensis archiepiscopus, ejus aviæ avunculus, prædixit, eique nomen suum indidit. Adolescentiam ingressus Theobaldus, illius ætatis lasciviam haud sectatus est, immo eremiticæ vitæ jam cupidus, tenuitatem in victu, in habitu asperitatem, & secessum præferebat. Crescente devotione, quemdam eremitam, in quadam Sequanæ insula latentem adiit, (Burchardum vocant, qui postmodum in sancti Petri Senonensi cœnobio monachus factus est) eique animi sui arcanum patefecit. Hinc in suo confirmatus proposito, assumto quodam milite suo, Waltero nomine, conscensis equis ad Remorum civitatem pergit, ibique in suburbio sancti Remigii hospitatur. Tum ambo sub specie invisendorum in urbe amicorum, armigeris & equis in hospitio relictis, pedites urbe clam exeunt, inventisque duobus in itinere peregrinis, vilibus eorum vestibus acceptis, nudis pedibus ad regnum Teutonicorum contendunt, & in loco, cui nomen Pitingo seu Pitango, subsistunt, voluntariam pro Christo paupertatem sustinentes, & proprio labore victum comparantes, ad viliſſima & duriſſima rusticorum opera passim conducti. Carbonariam eos exercuisse intelligimus ex Guiberto abbate, qui ait, Ebrardum comitem [d] Theobaldi exemplo id genus artis exercuisse. Forte aliquando herbis eradicandis & exportandis adhibitus a quodam rustico Theobaldus, pedibus nudis per sentes & silices excoriatis, cum labore gravatus jam pæne deficeret, ab operis immani exactore stimulo cæsus est. quod indigne ferens Walterus,

d *vr. lib. 60. n. 39.*

ANN. CHR. 1048.

juveni, necdum labori penitus assueto, ut parceret, exactorem rogavit, ad socii pensum explendum se se offerens. At ille, humili dicto ferocior, ictus ingeminat supra dorsum teneri adolescentis, qui hæc patienter pro nomine Domini tolerabat. Post aliquantam illo in loco moram, in Galliciam ad sancti Jacobi templum cum socio profectus est: indeque reversus in Gallias, postulato per nuntium psalterio a patre suo, ut litteras disceret, quas necdum didicerat, Treviris ab eodem convenitur: ast ægre ab eo avulsus, Romam iter arripuit. Inde, ad sacrum Domini sepulcrum itinere instituto, Venetias tendit, mare trajecturus. Verum in illa regione subsistere a socio compulsus est.

XL. Scabelli-villæ ecclesia Centulæ asserta.

In superioribus dictum est, Scabelli-villæ ecclesiam in Neustria Centulensi monasterio a Richardo Nortmannorum duce ad preces Angelramni abbatis collatam fuisse. Post mortem Richardi ducis ac fratris ejus Rotberti, cum ducatus ad Willelmum devolutus fuisset, abbatissa [a] Villaris-monasterii hanc ecclesiam in jus suum convertere moliebatur. Ea re accepta, Gervinus abbas, Angelramni successor, sumto donationis chirographo ad Willelmum pergit, & occupatæ ecclesiæ restitutionem flagitat. quod quidem dux non sine fenore exsecutus est, hujus negotii causa *coram primatibus curiæ suæ* ventilata. nam vicissim dux ipse reliquias de sancti Vigoris episcopi corpore, quod Centulam olim translatum fuerat, exegit; secus ecclesiam illam haud redditurus: malens alioqui *propinquæ suæ & affini* (nam Beatrix, prima Villaris-monasterii abbatissa, Rotberti ducis amita erat) prædictam ecclesiam cedere, quam cuilibet alteri extraneo tradere. Conditione accepta, Gervinus ecclesiam recuperavit. *Actum hoc anno dominicæ incarnationis* M XLVIII. *apud Argentulum* III. *kal. Novembris.* Testes Storinstingus, Richardus filius ejus, Ivo de Belismo, Arnulfus nepos ejus, & Rodulfus Taxo.

a *Spicil. to. 4. p. 574.*

XLI. Cerasiacum os sancti Vigoris delatum.

Guillelmus vero dux, misso Centulam monacho e Cerasiacensi monasterio, nomine Guarino, os brachii dextri sancti Vigoris ad Cerasiacum monasterium deferri curavit: ubi cum multo plausu acceptum, magna devotione ex eo tempore coli cœpit, postquam igne probatum fuisset. Actum est superius de Cerasiaci monasterii origine, siti in territorio Bajocassensi, quo ex loco sanctus Vigor olim immanem serpentem expulisse traditur. Aliquanto post Gervinus abbas reliqua sancti Vigoris ossa e veteri capsa, in qua tempore Ingelardi abbatis reposita fuerant, multis episcopis & abbatibus convocatis, sollemni ritu transferri curavit XII. kal. Octobris, quæ dies deinceps sollemnis habita est apud Centulenses.

XLII. Pontivi comes primus Angelramnus Portam donat.

Hactenus provincia Pontivensis, in qua monasterium situm est, a regiis militibus hinc inde præpositis defensa fuerat ex eo tempore, quo rex Hugo tria Centulensibus abstulerat opida, nempe Abbatis-villam, sanctum Medardum & Incram, quorum loco alias villas & possessiones monasterio contulerat, cujus abbates plerique a sæculo nono comitis nomen & officium gesserant. Processu temporis [b] *Hugo Abbatensis*, id est Abbatis-villæ a rege præpositus, ceteris potentior evasit. sed tamen comitis nomen numquam obtinuit. Ejus hæc prærogativa erat, ut sancti Richarii advocatus diceretur: cujus advocationis obtentu sancti Richarii villarum reditus & rusticorum obsequia in suos usus convertebat. Ingelramnus ejus filius ac successor, advocati quoque nomine contentus fuit, donec Bolonien-sis comitis ab se interfecti conjuge matrimonio sibi copulata, ab ea comitis nomen usurpavit, & ad posteros transmisit. Hic morti proximus, villam, Portam vocabulo, legavit sancto Richario, cui filius ejus Angelramnus comes, ipso die sepulturæ patris sui, scilicet XII. kal. Decembris, eam tradidit, præsente Fulcone Ambianorum episcopo, qui exoratus a fratribus, ipso comite suggerente, donationis violatores, si qui futuri essent, excommunicavit.

b *ibid. p. 578. & seq.*

XLIII. Suppo abbas S. Michaëlis Fructuariam se recipit.

Cum Suppo abbas Montis-sancti Michaëlis monasterium quindecim annis rexisset, quibusdam simultatibus denuo exortis, ad suum Fructuariense monasterium revertit, cui ad annum saltem M XLVIII. [c] præfuisse dicitur. Idem Montis-sancti Michaëlis sacram supellectilem [d] non mediocriter auxit. nam præter crucifixi imaginem & formulas angelicas binas argenteas, ampliſſimum calicem ansatum, qui hactenus illic asservatur, cum patena & canna argentea, qua sanguis Domini a communicantibus hauriebatur, sancto Michaëli contulit, ut versus calici, patenæ & cannæ inscripti testantur. In canna hic versus legitur:

c *Chronol. Pedem. p. 264.*
d *Neustria pia p. 385.*

Hic

Hic Domini sanguis nobis sit vita perennis:

ANN. CHR. 1048.

& in pede calicis isti præter alios, qui artificem notant:

Princeps cæligenûm, Supponis hoc excipe votum
Condere Lambertum calicem jubet arte peritum,
Cœtibus angelicis statuit quem Suppo fidelis.

Hinc in brevi chronico [a] sancti Michaëlis abbatiæ multa bona contulisse perhibetur, indeque propter odium monachorum ad proprium solum recessisse. Huic successit in Monte Radulfus monachus Fiscamnensis, vir nobilis, qui Bernaïcensis abbatiæ antea custos fuerat, quam Vitalis abbas post eum rexit.

a *Labbe bibl. to. 1. p. 351. & 348.*

Haud levis suspicio est, Supponis abbatis tempore Anastasium, nobilem Venetum, latine & græce doctum, in Montem-sancti-Michaëlis accessisse, ibique monasticum habitum induisse: ubi magnam inveniſſe dicitur congregationem monachorum religione præstantium, *excepto quod abbas per simoniam subintraverat.* quod cum resciſſet Anastasius, inde recessit, secessitque in quamdam oceani Britannici insulam, & in quadam basilica beatæ Mariæ solus mansit, jejuniis, vigiliis, assiduisque precibus addictus. Forte accidit, ut venerabilis Hugo Cluniacensis abbas, lustrando sui instituti monasteria, in istas Neustriæ partes accederet. Is, Anastasii pia conversatione intellecta, eum ad se accersivit, eique, ut in Cluniacense monasterium se reciperet, persuasit: ubi religiosissime vixit, dum ad Hispaniarum partes, ad Sarracenos christianæ fidei mysteriis erudiendos, Gregorii VII. mandato ab Hugone abbate missus est. Hunc Anastasium laudat Robertus de Tumbalenia, sancti Michaëlis itidem monachus, in prologo [b] ad commentarium super Cantica-canticorum, quod ejus potissimum instinctu se inchoasse dicit. Non dubito quin ii sint Robertus & Anastasius, quorum amicitiam postulat Anselmus in epistola, [c] *Dilectissimo* ac *reverendo monacho Roberto* inscripta; *ut ego*; inquiens, *velut alter Robertus, utar eodem Anastasio, & ipse me fruatur quasi altero Roberto: cujus bonus odor jam per multos hujus patriæ suaviter diffusus, quanto delectabilius animæ meæ fragrat, tanto ipsa ad ejus amicitiam & notitiam ardentius flagrat.* quæ tanti viri verba utriusque meritum satis superque commendant.

Anastasius monachus.

b *Analect. to. 1. p. 126.*
c *Anselm. lib. 1. ep. 3.*

Sollemnis in primis fuit dedicatio capitis, id est superioris partis, ecclesiæ sancti Johannis Angeriacensis, quæ ab Arnulfo Santonensi, Willelmo Engolismensi & Brunone Andegavensi episcopis facta est curante Gaufrido abbate, qui Arnaldo successerat. Huic celebritati interfuit Agnes comitissa [d] cum filiis suis, scilicet Willelmo Pictavensi comite, *qui cognominatus est Aigret*, & Guidone fratre ejus: qui omnes violentias & injustas exactiones, quas in opido sancti Johannis, aliisque locis extorserant, liberaliter relaxarunt, facta donatione totius opidi cum omnimoda jurisdictione, hoc tantum, *ad procurationis indicium* retento, ut comiti & comitissæ, quando illuc venturi essent, una refectorii præbenda monastica daretur. *Facta est hæc constitutio in celebri sollemnitate consecrationis ecclesiæ, ad quam totius Aquitaniæ multitudo maxima convenerat, cum scilicet caput ecclesiæ dedicatum est in præsentia supra dictorum antistitum, & domni Gaufridi ejusdem loci abbatis, qui ad ejus etiam confirmationem sua signa subscripserunt.* Accessere etiam signa Fulconis comitis Engolismensis, & Aimerici vicecomitis Thoarcensis. Eodem anno facta est dedicatio novæ basilicæ Millebecensis monasterii ab Aimone archiepiscopo Bituricensi III. nonas Septembris. In chronico Malliacensi prædicta dedicatio Angeriacensis sub anno M L. ponitur, sed indefinite facta dicitur *his diebus* ab auctore non admodum accurato.

XLIV. Angeriaci dedicatio & donatio.

d *Besly comtes p. 428.*

Eodem fere tempore in Lezatensi monasterio apud Wascones novæ basilicæ fabrica cœpta est: cui construendæ Petrus-Raymundi episcopus Cosederadensis seu Conseranensis, *ipsius ecclesiæ auxiliarius & procurator* seu abbas, multique alii provinciales sumtus contulerunt, nempe *ad construendam ecclesiam beati Antonii, vel meliorandam sacram basilicam sancti Petri apostolorum principis*, ut legimus in litteris hac de re confectis absque chronicis notis.

XLV. Lezati nova basilica conditur.

XLVI. Florentiæ S. Salvii cœnobium conditur.

In Italia prope Florentiam Rolandus, nobilis Florentinus, qui & Moro vocatus, filius bonæ memoriæ Theuti, oratorium sancti Salvii, situm in loco, cui Pa-

rentinulæ nomen est, in monasterium convertit *monachorum* [a] *Ordinis sancti Benedicti, in omnibus servientium regulæ in psalmis, hymnis, orationibus & missis, & in omnibus ecclesiasticis cultibus, qui ab ipsis debent fieri: quatenus ibi Deo sic deserviant, ut honor omnis christianæ religionis & nobis*, inquit Rolandus, *proficiat, & omnibus, ad quorum salutem ipse locus venerabilis instruitur.* quod a se factum dicit pro salute animæ suæ, uxoris suæ Adalectæ, parentumque ac propinquorum suorum: eo pacto, *ut omni tempore, quo necesse fuerit, ibi abbatem secundum sacras constitutiones & sancti Benedicti normam cum reliquis consortibus ejusdem loci*, tam ipse, quam heredes ejus legitimi ordinare debeant. *Actum in loco Parentinula prope eamdem ecclesiam in territorio Florentino, anno* ~~millesimo~~ *quadragesimo-octavo post mille*, » & anno secundo domini Heinrici gratia Dei imperatoris augusti, XVI. kal. Maii » indictione prima. Ughellus scribit, hoc cœnobium conditum fuisse auctore Johanne Gualberto Vallis-umbrosani ordinis fundatore; dotatumque non modo a prædicto Rolando, sed etiam a Gerardo Florentino præsule, & a Bernardo, ex Ubertorum familia insigni viro, qui postea Vallis-umbrosæ monachus factus, tum abbas, postmodum presbyter cardinalis, ac demum Parmensis episcopus creatus, post mortem in sanctorum ordinem relatus est. Hujus Bernardi donationis litteras [b] refert Ughellus, anno M LXXXIX. datas, cum Dominicus abbas præesset sancti Salvii monasterio, quod anno M D XVII. sanctimonialibus ejusdem Ordinis cessit, abbatiali titulo Vallumbrosanæ familiæ summis præfectis ad secuturas ætates attributo.

ANN. CHR. 1048.

[a] *Ital. sac. to. 3. p. 86.*

[b] *ibid. p. 87.*

XLVII. Berardus Farfæ abbas electus.

Post mortem Supponis Farfensis abbatis, fratres illius monasterii communibus votis Berardum successorem elegerunt, factæque electionis confirmationem ab imperatore petierunt, scriptis ad eum litteris in hæc verba.

In nomine sanctæ individuæque Trinitatis, nos omnes fratres cœnobii Farfensis beatæ Mariæ semper virginis, post obitum domni abbatis Supponis, elegimus uno voto parique consensu domnum Berardum, nostrum monachum, nutritum a puero in nostro cœnobio: quo digniorem atque honestiorem inter nos neminem invenire quivimus. Quapropter, domine imperator, vestram flagitamus excellentiam, quatinus corroborare & confirmare dignemini. Vestræ igitur sponsionis reminiscimini, quam nostris fratribus promisistis, cum domno Supponi pastoralem virgam dedistis. Et ut certum hoc, venerande auguste, habeatis absque scrupulo dubietatis, nos omnes propriis manibus hæc nomina subscripsimus.

Huic vero electioni, inquit chronographus, qui se a prædicto Berardo educatum fuisse dicit, subscripta erant nomina Farfensium fratrum, videlicet Johannis præpositi, sacerdotum quadraginta, diaconorum trium, subdiaconorum quindecim, monachorum sexdecim, conversorum novem, puerorum duorum. Electus porro est Berardus annorum fere triginta in festo sancti Callisti papæ pridie idus Octobris, moxque ad ultramontanas partes missus ad Heinricum III. imperatorem, qui ei abbatiæ investituram dedit postridie natalis Domini in festo beati Stephani, id est VII. kal. Januarii, anno M XLVIII. desinente: quod munus Berardus annis triginta recte administravit.

XLVIII. Quædam ejus facta.

Inter alia ejus facta magnam contentionem habuit cum Johanne Sabinensi episcopo, maxime pro ecclesia sancti Angeli in Tancia, quam olim dux Hildebrandus pontificatu Hadriani I. Farfensi monasterio contulerat. quam donationem Stephanus IV. necnon Carolus, Ludovicus & Lotharius imperatores confirmaverant. Hujus rei penitus inscius Hugo abbas, utpote homo extraneus & alienigena, quamdam convenientiam fecerat cum Sabinensi episcopo: qui eam a Berardo abbate rescindi non passus, armata manu ad locum venit, aram evertit, ac reliquias abstulit. Verum in reditu, orta repentina aquæ, grandinis & fulguris procella, tanto pavore correptus fuit, ut pæne animam egerit. quod ubi rescivit Berardus abbas, assumto secum ultramontano episcopo, qui apud se hospitabatur, ad prædictam ecclesiam pergit, restituit aram, aliasque in ea reliquias recondidit: episcopus vero ipsa nocte morbo percussus, facti pænitens, ablatas eidem loco reliquias restituit. Quædam alia Berardi facta inferius referemus.

ANN. CHR. 1049.

XLIX. Odilonis abbatis obitus & scripta.

REversus ex urbe Roma Odilo Cluniacensis abbas, cum anno fere integro Cluniaci resedisset, finem vitæ suæ non longe abesse ex ipso decrepitæ ætatis statu

auguratus, decrevit ante obitum monasteria, cellasque sibi commissas perlustrare, fratres in eis manentes salutaribus instruere monitis, eisque extremam benedictionem suam impertiri. Dum id exsequitur, Silviniacum venit, quæ cella est agri Borbonensis, sancti Mayoli abbatis, decessoris sui, obitu & tumulo illustris. Cum duobus illic mensibus moratus esset, ubi Cluniacum redire parat, viscerum solitus dolor eum invasit: quo per sex continuos dies vexatus, viribus corporis destitui cœpit. Interim aderat vigilia natalis Domini, qua die in capitulum venit, ubi, pronuntiata de more instantis festi sollemnitate, cum lacrymis humi se prostravit, & fratres ad illam devote celebrandam hortatus est. Sed quia, jam pæne exanimis, in majori ecclesia sancti Petri nocturnis vigiliis cum fratribus interesse non poterat, in oratorium beatæ Virginis delatus, cum aliquot fratribus secum retentis eas celebravit. Vigilia festi sancti Silvestri, cum vires penitus eum deficerent, ante matutinos sacram communionem & crucem sibi afferri præcepit. Insequenti die contra dæmonum tentationes symbolum fidei cum Augustini expositione sibi prælegi jussit. Consultus de successore, rem divinæ dispositioni & electioni fratrum se committere dixit. Post vesperas, quas in oratorio sanctæ Mariæ coram se cantari fecit, in domum infirmorum relatus, ubi ad extremum agonem inclinare visus est, in cilicium cineribus stratum deponitur. Ibi, resumto paullisper spiritu, Bernardum quemdam sibi familiarem interrogat, ubinam ipse esset. In cinere, inquit, ille & cilicio. tum Odilo, Deo gratias respondit. Dein, an pueri & conventus fratres adessent percontatur: cui cum responsum esset, omnes adesse; defixis in crucem oculis, moxque clausis, animam Deo reddidit nocte circumcisionis Domini, prima vigilia noctis, quæ dominica erat, anno ætatis suæ octogesimo-septimo, dominicæ incarnationis M XLIX. ut diserte scribit Jotsaldus monachus ejus æqualis, regiminis sui, a morte sancti Mayoli, quinquagesimo sexto. Corpus ejus totum & aromatibus conditum, designatis ab eo indutum vestibus, in ecclesiam sancti Petri delatum, ubi post triduum in sinistra ecclesiæ crypta prope altare sancti Lauriani martyris humatur. Ejus beatitudinis haud dubia indicia Gregorio monacho, valde religioso, ipso ejus mortis die; & paullo post Alberoni Teutonico, Leonis IX. consanguineo, visa sunt: quibus subsecuta miracula majorem fidem conciliarunt. Res a sancto Odilone gestas litteris mandarunt Petrus-Damiani, & ante eum Jotsaldus monachus, ille quidem rogatu Hugonis abbatis ejus successoris, & quidem uno libro, quem pertenuem & longe imparem meritis tanti viri esse censet Baronius: hic vero, scilicet Jotsaldus, *nutritus*, ut ipse ait, *magni Odilonis magisterio, informatusque beneficio*, tribus libris, quos epitaphii nomine Stephano Anicensi episcopo, ipsius Odilonis nepoti, nuncupavit. Epistolam de ejus obitu Alberto, ut videtur, Majoris-monasterii, *abbati abbatum* dicto, scripsit familia Silviniacensis: qua in epistola, Odilo instante morte, se quidem nullius boni conscium esse confessus dicitur, *attamen Dei gratia virginem corpore esse.* unde virgo *centenarius* dicitur in chronico Lemovicensi. Multæ aliæ ejus virtutes prædicantur, pietas in Deum, quam quotidiana divini sacrificii oblatione palam testabatur; devotio in beatissimam Virginem singularis; misericordia erga delinquentes, unde illud ejus effatum: malle se damnari de misericordia, quam de nimia severitate; caritas in egenos, in quorum gratiam tempore famis sacra vasa expendit; aliæque, quas omitto, virtutes. Scripta ipsius præcipua edita sunt in Bibliotheca Cluniacensi, scilicet de vita sancti Mayoli abbatis liber unus: unus item de rebus gestis sanctæ Adelheidæ imperatricis; sermones, & epistolæ, quibus addendæ tres editæ in Spicilegii tomo secundo. Discipuli ejus innumeri. Mirum quantum sub eo creverit Cluniaci res familiaris, sed maxime religio, quippe qui *doctrina pariter & exemplo conventum hominum*, ut ait Hildebertus, *conventum fecit esse virtutum.*

ANN. CHR. 1049.

Laurentii item archiepiscopi obitus.

Post mortem Odilonis, ut Petrus-Damiani in ejus vita refert, scilicet *proxima quadragesima succedente*, adeoque anno M XLIX. contigit, *sanctæ & venerandæ memoriæ* Laurentium Amalfitanum archiepiscopum e nostris, *qui græce noverat & latine, & quod longe præstantius est, laudabilis vitæ claritate pollebat*, Romæ obdormire in Domino, ubi profugus degebat [a]. Cumque ejus cadaver in ecclesiam fuisset illatum, beatus Odilo cuidam clerico apparuisse traditur, eique dixisse, se ad carissimi olim amici sui Laurentii archiepiscopi exsequias venisse. Ex quo intelligitur, Laurentium anno M XLIX. obiisse, non anno M XLVIII. ut apud Baronium & Ughel-

[a] *V. lib. 56. n. 90.*

ANN. CHR. 1049.

lum. [a] idque ex eo patet, quod archiepiscopus anno M XXX. factus, annis viginti, uno mense minus, sedisse dicitur. Ejus obitus notatur die VII. mensis Martii.

[a] *Ital. sac. to. 7. p. 254.*

Hugo Cluniaci fit abbas.

Cluniaco tum aberat superius [b] jam laudatus Hugo, sacri illius loci prior, cum sanctus Odilo e vita migravit, ab eo missus in Germaniam ad redintegrandam imperatoris gratiam Paterniacensibus monachis, qui ab ea exciderant. Cluniacum reversus, cœtum fratrum optimi patris obitu supra modum afflictum invenit: at ejus adventus mœrentibus magno solatio fuit. Tum, præmissis jejuniis & precibus, actum de eligendo successore. Adelmannus quidam, cui religio simul ætasque majorem conciliabat auctoritatem, Hugonem priorem nominat: omnes unanimi consensu suffragantur. Unus contra reclamabat ipse Hugo, cui quantumvis renitenti Hugo Chrysopolitanus archiepiscopus ipso die cathedræ sancti Petri abbatialem benedictionem impertiit. De hac electione testantur Silviniacenses in epistola de obitu sancti Odilonis, Hugonem hunc honorem *invitum* accepisse, *lacrymando* scilicet, ac contestando, *se indignum esse tali honore*. Eo abbate impletum est venerabilis illius senis vaticinium, qui Cluniaci domum tanto thesauro felicem ac fortunatam fore olim prædixerat. Sub tali quippe pastore nec vitiis censura defuit, nec religioni augmentum: tametsi in ejus judiciis misericordia censuræ prævaluerit. Totam ejus vitam vel Mariæ, vel Marthæ officium sibi vindicavit, lectioni ac precibus quam maxime addictus. Nulli misericordiæ officio, nulli caritati defuit. Sive domi, sive foris, numquam illi deerat quod egenis daret. Indigentibus monachis largiores suppetias ferebat, ne rei familiaris penuria eos cogeret a monasterio evagari. Massiliensibus in primis ab eo subventum traditur. His animum studiis, his usibus argentum & aurum consecrabat; ea melius impensa, quam servata rutilare effatus.

[b] *lib. 58. n. 102.*

Moyriaci cella conditur.

Ubi primum Hugo abbas Cluniacensem iniit præfecturam, Willelmus-Arnaldi apud Moyriacum * diœcesis tunc Aginnensis, nunc Condomiensis, monasterium in honorem beatæ Mariæ exstruxit, multasque ei possessiones attribuit. Insuper misit filium suum, Petrum nomine, Cluniacum, ut monasticis institutis informaretur, factus postea Moyriaci prior. Quinetiam Willelmus ipse monasticum habitum induit Cluniaci, ubi monachi Moyriacenses vota sua emittebant usque ad sæculum quintum-decimum, numero sex, dum tandem hæc cella in simplex beneficium redacta est. Multas subinde lites monasterio excitarunt Petri propinqui & affines, dolentes scilicet pinguem sibi præreptam hereditatem; resque eo evasit, ut Petrus Moyriaci prior solum vertere, & latibula quærere coactus sit: sed tandem consilio Gauzberti Aginnensis episcopi, argenteis ecclesiæ vasis ad pondus sexaginta-sex marcarum conflatis, & Petro vicecomiti Gavaretano, qui ipsum vexabat, loco amuleti & lytri traditis, se ipse redemit. quo facto Petrus vicecomes cum uxore sua Guiscarda *super altare sanctæ Mariæ, super sanctam Crucem & super venerabile Corpus Christi* fidem præstitit, se numquam de illis possessionibus monasterio litem intentaturum; & facta charta, cui signum crucis appositit, corrigiæ suæ partem tradidit in tesseram veritatis, confessus se accepisse sexaginta-sex marcas argenti, valentes duo millia & ducentos solidos Aginnenses. Actum anno incarnationis M CXV. Hæc consequenter referre visum est, ne in plures distracta particulas Moyriacum minus illustrarent.

* *Moyrac.*

LI. Leo IX. fit pontifex.

Inter ea post menses quinque, quam Romana sedes mortuo Damaso secundo vacaverat, Bruno Tulli-Leucorum episcopus, de quo jam superius actum est non semel, in Wormatiensi conventu, cui Romanorum legati aderant, summus pontifex electus est: cui electioni nequaquam acquiescere voluit, nisi Romanus clerus ac populus eam approbasset. Prima hæc electio facta est paullo ante festum natalis Domini, quod Bruno in sua Tullensi ecclesia celebravit. Inde assumto peregrini habitu, tertio post festum die, ut scribit Anselmus sancti Remigii monachus, Romam contendit: ubi, probata ejus electione, prima dominica quadragesimæ, quæ hoc anno pridie idus Februarii incidebat, apostolicæ cathedræ impositus est, Leo dictus ejus nominis nonus. Anselmus mox laudatus id factum ait *in hypapanthi Domini*. Ex his patet, quam longe abfuerit a Leonis mente ac modestia id, quod scribit Otto Frisingensis, Brunonem electum, assumta mox purpura, Cluniacum venisse, ubi Hildebrandus prioris officium falso gessisse [c] dicitur: cujus consilio peregrini habitum, deposita purpura, induerit. Immo in illo Wormatiæ conventu, ubi electus est Bruno, adfuit Hildebrandus, teste Brunone Signiensi in Leonis IX. vita, eumque

[c] *lib. 58. n. 113.*

Romam comitatus est. Certe si in illo itinere Bruno Cluniacum venit, eo accessit paullo post natale Domini celebratum apud Tullum, quo tempore Hugo Cluniaci prior erat, in locum demortui Odilonis electus abbas in cathedra sancti Petri, quo tempore, etsi id de cathedra mense Januario celebrari solita intelligatur, jam Bruno alpes emensus erat. In pontificatu Tullensis episcopi nomen ac titulum duobus primis annis retinuit.

ANN. CHR. 1049.

LII. Montem-Garganum & Casinum adit.

Cum sedem apostolicam iniisset Leo, mox ad montem Garganum orationis causa [a] profectus est. In reditu ad montem Casinum, in ipsa festivitate palmarum divertit: ubi honorifice a fratribus susceptus, ipso die missarum sollemnia ibidem celebravit. Postea in refectorio cum eis refectus, & post prandium ingressus capitulum, magnas fratribus pro tam honorifico obsequio gratias egit, eisque se in omnibus favorabilem ac propitium fore pollicitus est. Discedentem comitatur Richerius abbas, cujus rogatu ecclesiam, ab eo in insula Limata constructam, sub patrocinio sancti Mauricii; & aliam in territorio Atinensi in honorem sancti Salvatoris consecravit. Inde Romam reversus, eidem abbati ejusque successoribus sandaliorum, dalmaticæ & chirothecarum in præcipuis festivitatibus usum ad missarum sollemnia indulsit, Casinatium privilegia renovavit, & monasterium sanctæ Crucis in Jerusalem, Sessorianum dictum, Richerio concessit, eligendique ibidem abbatis facultatem, cujus solam ordinationem sibi pontifex reservavit.

[a] *Chron. Casin. lib. 2. c. 84.*

LIII. Romæ ab eo gesta.

Proximo paschatis festo Udalricus Augiensis abbas, qui pontificem in Urbem secutus erat, abbatialem ab eo benedictionem, & monasterii sui privilegiorum confirmationem accepit. Dein post albas synodus Romæ habita, in qua simoniacorum ordinationes, non sine tumultu reorum, irritæ declaratæ. quo tempore Petrus-Damiani librum, qui Gomorrhianus [b] inscriptus est, contra quadripartita clericorum carnalia vitia composuit, nuncupavitque Leoni pontifici, qui scriptis ad eum litteris auctori gratulatus est. Verum postea Gomorrhæorum querelis pulsatus, hanc dicendi libertatem improbavit, offensus scilicet spurcissimorum flagitionum relatione, quæ illo in libro continetur. Ad hæc Petrus, litteris [c] ad pontificem scriptis, eum accusatoribus suis nimis credulum fuisse dicit; se, nisi pro Christi amore, nullius hominis quærere gratiam, nullius iracundiam pertimescere; optare, ut in se miteſcat pontificis animus. quod si flagello vapulandum decernat, se liventes jam scapulas ferienti ultro subjicere paratum esse. ceterum id sibi accidere justo Dei judicio, quem rogat, ut, si suæ saluti id conduxerit, pontificem sibi benevolum reddat.

[b] *Petr. Dam. opusc. 7.*

[c] *id. li. 1. ep. 4.*

LIV. S. Remigii basilicæ dedicatio fere impedita.

Post hæc trans alpes profecturus Leo, in hebdomada pentecostes aliam synodum Papiæ habuit, ubi denuo damnati simoniaci; indeque per montem Jovis alpibus transscensis, Coloniæ imperatorem convenit. quo in itinere Cluniacensi monasterii [d] privilegia, rogatu Hugonis abbatis IV. idus Junii confirmavit. Comperto ejus Coloniam adventu, Herimarus S. Remigii apud Remos abbas, qui novam basilicam, a Theoderico decessore suo inchoatam, perfecerat, pontificem ad eam dedicandam, prout ille ipsi olim pollicitus erat, invitare constituit. Et primo quidem Heinrico regi, ut ejus consilium & favorem expeteret, Laudunum venienti occurrit, obnixe rogans, ut futuræ dedicationi præsens adesse, & regni episcopos ac principes eo convocare dignaretur. quod rex benigne annuit. Ea re lætus abbas, pontificem in festo apostolorum Petri & Pauli apud Coloniam convenit, eumque promissi sui monet. Hic vero tempus rei gerendæ ad initium proximi mensis Octobris assignat. Colonia egressus Leo, Aquisgranum venit, inde Leodicum, quo ex loco Fredericum, fratrem ducis Godefridi, archidiaconum sancti Lamberti, secum adduxit, postea monachum & abbatem Casinensem, dein cardinalem, ac demum futurum pontificem sub nomine Stephani IX. In illo itinere pontifex, Stabulensis monasterii privilegia, petente Theoderico abbate, renovavit. *Data Moguntiæ III. nonas Septembris per manus Petri diaconi, bibliothecarii & cancellarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domni Leonis noni papæ primo, indictione III.* Inde Leo Tullum accessit in exaltatione sanctæ Crucis, scriptisque litteris circumjacentium regionum episcopos & abbates præfixa die Remis ad celebrandam in nova sancti Remigii basilica synodum convenire mandavit. Hoc nuntio perculsi episcopi & abbates, qui in ovile dominicum non per ostium ingressi erant, quosdam præpotentes laïcos, incestis implicatos conjugiis, excitant ad regi suggerendum, regni sui honori detractum

[d] *Bull. Clun. p. 12.*

[e] *Spicil. to. 12. p. 282.*

AN. CHR. 1049.

» iri, si in eo Romanum pontificem dominari sineret, quod a nullo decessorum suo-
» rum concessum; vel si indictæ synodo ipse adesset. Denique his agendis non con-
» venire perturbata rei publicæ tempora, dum quidam viri præpotentes regiæ domi-
» nationis jugum detrectarent, terrasque & castella ab ipsius ditione abalienarent.
» Quapropter regiæ dignitati magis congruere, ut rei publicæ necessitati consulat,
» quam synodis convocandis intendat; satiusque esse, principes suos, necnon episco-
» pos & abbates, penes quos maxima pars regni facultatum sit, ipsumque sancti Re-
» migii abbatem, de rerum suarum abundantia nimis præsumentem, ad militarem
» expeditionem, quam ad concilia cogere. Hujus rei architecti præcipui fuere Gibui-
nus episcopus Laudunensis, & Hugo de Braina castello, qui non multo post interiêre. Hac versipelli admonitione mollitus rex, papæ per Silvanectensem episcopum significat, se suosque pontifices & abbates urgentis belli necessitate detineri, quo minus præfixo tempore ad celebrandum concilium convenire possint. Adventum proinde suum in Franciam in aliud tempus differret pontifex, quo, absolutis hujusmodi negotiis, cum debito honore susciperetur. Ad hæc respondit pontifex, se promissioni beato Remigio factæ deesse non posse: tempore condicto se ad dedicandam ejus basilicam adfuturum: ubi, si qui religionis amantes antistites convenerint, cum eis synodum habiturum. His acceptis, rex nihilo minus cum ingenti exercitu contra rebelles progreditur, comitantibus eum plerisque episcopis & abbatibus, qui papæ censuram ac judicium refugiebant. Quin etiam Herimarus abbas sancti Remigii, tristis ac mærens, cum eis ire cogitur: sed tandem, vix unius diei & dimidii confecto itinere, indulta est ei redeundi venia. Nec mora papam, apud Tullum-Leucorum adhuc remorantem, adire properat, eique regis permissum nnutiat: moxque ad monasterium reversus, necessaria omnia instanti celebritati parat.

LV. Fit tamen a Leone papa. * *Cormelois.*

Interim papa ad Remorum civitatem iter arripit, & in festivitate sancti Michaëlis in villa Curmolensi *, die vero sequenti apud sanctum Remigium excipitur, tribus archiepiscopis comitatus, Eberhardo scilicet Trevirensi, qui Popponi anno superiore successerat, Halinardo Lugdunensi, & Hugone Vesontionensi, præter multos honoratos viros, quos inter eminebant Johannes episcopus Portuensis, Petrus Romanæ ecclesiæ diaconus, & ipsius urbis præfectus. Accedenti pontifici tota Remigianorum familia, & cum eis abbatum, monachorum, & clericorum, qui undequaque confluxerant, innumera multitudo obviam procedit, præeuntibus tribus episcopis, Silvanectensi videlicet, Andegavensi & Nivernensi, textumque evangelii cum aqua benedicta & aromatum odore ferentibus: qui papam advenientem festivo plausu & cantu suscipiunt, & in ecclesiam introducunt. Tum pontifex primum ad altare sanctæ Crucis fundit preces; inde ad altare sancti Christophori, ac demum ad venerandi Francorum apostoli Remigii sepulcrum, ubi adstantes apostolica benedictione donavit. Inde egressus, cum psallentium choris ad urbem deducitur: ubi Remensis clerus cum Widone archiepiscopo, aliisque nonnullis episcopis ad atrium sancti Dionysii ecclesiæ ei occurrit, & ad ecclesiam sanctæ Mariæ comitatur. Illic ante sanctæ Crucis, & sanctæ Dei-genitricis altaria facta oratione, aliquantulum in archiepiscopali throno resedit, archiepiscopo Remensi ad ejus dexteram, Trevirensi ad sinistram adstante. Dein sacerdotalibus indutus ornamentis, ad missarum sollemnia celebranda processit. quibus expletis, archiepiscopus ei epulum *in majori palatio juxta ecclesiam sito* exhibuit. Die subsequenti, quæ vigilia erat sancti Remigii sollemnitatis kalendis Octobris celebrari solitæ, qua sacri ejus corporis translationem facere statuerat pontifex, duobus tantum comitatus capellanis, dum nocturnæ a fratribus vigiliæ explerentur, ad sanctum Remigium clam accessit, ne frequentia circumfluentium populorum impediretur: factoque sibi balneo, lotus est tonsusque, ut ad imminentem tanti patris sollemnitatem celebrandam paratior esset. Prima luce sequentis sollemnitatis sancti Remigii corpus, a pontifice primum elatum, succollantibus quatuor archiepiscopis, Remensi, Trevirensi, Lugdunensi, & Vesontionensi, cum sancti Remigii abbate & domno Hugone venerabili patre cœnobii Cluniacensis; dein aliis, aliisque succedentibus, (quod Gervino Centulensi abbati concessum legimus) sollemni pompa in ecclesiam B. Mariæ deportatur, ubi Vesontionensis archiepiscopus missarum sollemnia celebravit. Ibidem pernoctatum in sacris laudibus, monachis more suo nocturnas vigilias persolventibus, quibus canonici suc-

ANN. CHR. 1049.

cessere. Interim apud sanctum Remigium Trevirensis archiepiscopus, præsente papa, ex consensu Remorum archipræsulis, consecrat oratorium sanctæ Trinitatis, quod ad meridianam plagam, juxta portam, Harduini cujusdam loci cœnobitæ studio cum dominici sepulcri figura constructum fuerat. Sub ortum diei sequentis, quæ secunda Octobris erat, sacris in ecclesia beatæ Mariæ ante canonicum tempus peractis, sacrum beati Remigii corpus circum urbem delatum: dum papa novam basilicam consecraret, singulis episcopis singula assignans dedicanda altaria. Pontifex ipse princeps altare consecravit in honorem sancti Petri apostolorum principis, sanctorumque Clementis papæ & Christophori martyrum, necnon sancti Remigii, nulla cruce lapidi insculpta, quod genus est marmoris politissimi, ex Nordalbingia seu Saxonia transalbina istuc allati, ut inscriptio probat, anteriori margini lapidis eleganti charactere Romano incisa in hæc verba: DE SUMMA HAC DIGNITATIS ARA, FERRO BIPERTITA, SALUTIS MENSA GENTIBUS DIRECTA NORDALBINGORUM IN VUELENA. Hæc majori charactere: tum minutiori: *Folco. Adalbero.* qui duo videntur episcopi, pontifici adjuncti in consecratione majoris altaris: ex quibus Folco seu Fulco Tolosanus erat, qui & sancti Michaëlis altare consecravit: Adalbero vero Mettensis, qui sancti Stephani aram dedicavit. Hic marmoreus lapis duabus partibus constat, una majori, quæ in longum sex circiter pedes; in latum, tres minimum habet: altera minor, uno amplius pede lata, posteriorem occupat altaris locum. Hæc forte minutiora: cetera persequar.

Ubi ad hoc ventum est, ut corpus sancti Remigii cum aliis Sanctorum reliquiis intra basilicam inferendum erat, cum portæ ad vitandum irruentis multitudinis impetum obseratæ remanerent, per fenestram oratorii sanctæ Trinitatis dimittitur: ubi a pontifice reverenter exceptum, super primarium altare, quod in honorem sanctorum apostolorum Petri & Petri, Clementisque & Christophori martyrum ac beati Remigii papa consecraverat, primum deponitur: ut in ejus præsentia synodus postera die celebraretur. Tum missarum sollemnia de ecclesiæ dedicatione celebravit pontifex, lectoque evangelio sermonem habuit ad circumstantem populum, qui, foribus obseratis, per fenestras irruperat; diemque illam in posterum celebrem esse sanxit, anathemate illis intentato, qui ad hunc locum ipso die deinceps conventuris quidvis impedimenti afferrent; statutoque edito, ne quilibet, præter Remensem archiepiscopum & loci abbatem, ac septem ab eodem abbate designatos presbyteros cardinales, in principe altari sacra faceret, excepto clero ecclesiæ Remensis bis quolibet anno, scilicet feria secunda paschalis festi, & vigilia ascensionis dominicæ, quibus diebus sollemnes illic stationes ex antiqua traditione facere consueverunt. De utraque constitutione habentur Leonis IX. litteræ, primæ quidem inscriptæ omnibus fidelibus per Francorum regnum constitutis ad celebrandam kalendis Octobris sancti Remigii translationem: secundæ vero inscriptæ *Herimaro abbati & omni congregationi monachorum sancti Remigii* de privilegio principis altaris. Hactenus de illius ecclesiæ dedicatione, ad quam etiam clerici ecclesiæ Compendiensis cum corpore sancti Cornelii papæ & martyris, aliisque reliquiis convenerunt, res suas ab invasoribus repetituri.

LVI. Synodus illic habita.

Postera die, scilicet v. nonas Octobris, in eadem basilica synodus haberi cœpta, quæ tribus consequentibus diebus absoluta fuit. Prima die, ubi ad confessum ventum est, vetus controversia inter archiepiscopum Remensem & Trevirensem de primatu renovata, sed a pontifice in aliud tempus dilata. Disposita in modum coronæ medio in choro sedilia episcoporum, qui numero viginti-quinque aderant cum quinquaginta fere abbatibus, & aliis quamplurimis ecclesiastici ordinis viris. Ea cura Remensi archiepiscopo data, qui papæ suggestum in medio statuit. Post missarum sollemnia, quæ papa celebravit, consederunt omnes, eo ordine, quo Remensis archipræsul dispositerat, papa quidem in medio, Remensis ad dexteram, Trevirensis ad sinistram. Post Remensem ex ordine sedebant Beroldus Suessionensis, Drogo Morinensis, Frollandus Silvanectensis, & Adalbero Mettensis: ad meridiem Halinardus archiepiscopus Lugdunensis, Hugo episcopus Lingonensis, Joffridus Constantiensis, Ivo Sagiensis, Herbertus Lisoiensis seu Lexoviensis, Hugo Bajocassensis, Hugo item Abrincensis, & Theodericus Virdunensis: ad septemtrionem Hugo archiepiscopus Vesontionensis, Hugo episcopus Nivernensis, Eusebius Andegavensis, Budicus Namnetensis, Dudrico episcopus Wellensis ex Anglia, & Johan-

ANN. CHR. 1049.

nes Portuenſis. Pone eos ſimiliter in modum coronæ reſidebant abbates hoc ordine: ſcilicet Herimarus abbas ſancti Remigii, Hugo Cluniacenſis, Sigefridus Gorzienſis, Fulco Corbeienſis, Robertus Prumienſis, Rainoldus ſancti Medardi, Gervinus ſancti Richarii, Godfridus Verzeliacenſis, Arnoldus Pultarienſis, Rodulfus Moſomenſis, Oylardus Catalaunenſis, Milo Dervenſis, Norgaudus Altivillarenſis, Albertus ſancti Theoderici, Stephanus ſancti Urbani, Wlfricus ſancti Auguſtini Cantuarienſis, & Alwinus Rameſienſis, ambo de gente Anglorum; deinde ceteri numero, ut dixi, fere quinquaginta. His ita reſidentibus, ex præcepto papæ Petrus ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus ea expoſuit, de quibus in concilio agendum erat, videlicet de ſimonia, de cælibatu clericorum, de clericis monachis a propoſito deficientibus; de inceſtis & illicitis conjugiis; de altaribus, quæ a laïcis tenebantur, aliiſque vitiis, quæ tunc in his partibus pullulaverant. De ſimonia primum actum, de qua plerique epiſcopi ſe purgaverunt, quatuor tantum exceptis, Lingonenſi nimirum, Nivernenſi, Conſtantienſi & Namnetenſi. Abbates quoque plerique ſe ejuſmodi criminis immunes dixêre: quos inter Hugo Cluniacenſis: *Pro adipiſcendo abbatiæ honore*, inquit, *Deo teſte, nihil dedi vel promiſi: quod quidem caro voluit, ſed mens & ratio repugnavit.* Pultarienſis abbas ob flagitia depoſitus, uti Aymo [a] Flaviniacenſis, Amedei ſucceſſor, ob ſimoniam culpatus, cui Odo Arremarenſis monachus ſucceſſit, & poſt duos annos Odo ſecundus. Altera die Widonis archiepiſcopi ventilata cauſa, ſed non finita. Actum etiam de abbatia Dervenſi, quam pontifex Tullenſi eccleſiæ ſubjectam eſſe dicebat: at Remenſis archiepiſcopus ſuæ eccleſiæ obnoxiam [b] eſſe probavit. Quærelæ item factæ de Dolenſi archiepiſcopo, qui ſe a Turonenſi eccleſia ſubtraxerat. Hugo Lingonum præſul, multorum criminum inſimulatus: quem cum Veſontionenſis archiepiſcopus purgare vellet, repente obmutuit. Hinc tertia die Lingonenſis in ordinem redactus: confeſſuſque eſt Hugo Veſontionenſis archipræſul, ſe per merita beati Remigii, cum Lingonenſem excuſare vellet, elinguem factum fuiſſe. quo audito, papa in has voces cum lacrymis erupit: *Adhuc vivit beatus Remigius.* Namnetenſis quoque præſul exauctoratus: Nivernenſis purgatus: excommunicati quidam epiſcopi, qui ad ſynodum invitati, nulla prætenta excuſatione, non venerant; necnon abbas ſancti Medardi, quod clanculum a ſynodo receſſiſſet; denique ſancti Jacobi Gallicienſis archiepiſcopus ſacris interdictus, quod contra fas *culmen apoſtolici nominis* ſibi vindicaret. Conditi ſunt in eadem ſynodo tredecim canones, quorum ultimus eſt contra novos hæreticos, qui in Gallicanis partibus tunc emerſerant. His ita geſtis, corpus beati Remigii in loco ei parato repoſitum eſt: moxque pontifex, ſalutem Remigianis in capitulo imprecatus, illinc diſceſſit Virdunum, inde Mettas profecturus. Hæc ex Anſelmo ſancti Remigii monacho, qui de hac dedicatione & tranſlatione, necnon de ſynodo conſecuta libellum accurate ſcripſit. Interfuit illi ſynodo Odalricus Remenſis eccleſiæ præpoſitus, qui veritus ne divinam ultionem, quam Leo pontifex ſimoniacis intentaverat, quoquo pacto incurriſſet; miniſterium ſuum Widoni archiepiſcopo, quod & quidam alii canonici fecerunt, reſignavit: at papa, comperta ejus innocentia, idem miniſterium eidem reſtitui mandavit. Id memoriæ prodidit ipſe Odalricus, aitque ſe clauſtrum eccleſiæ ſuæ inſtauraſſe, hiemale conſtruxiſſe refectorium, & pondus panis ſingulorum canonicorum, quod libras tantum duas cum dimidia, ſeu quinquaginta ſolidos tunc pendebat, cum quatuor libras regula canonicorum Aquiſgranenſis aſſignaret, ſuppleviſſe & auxiſſe, addito minori pane ſolidorum triginta. Quippe in Remenſi eccleſia etiam tum vigebat vita communis in ſynodo Aquiſgranenſi, viguitque uſque ad finem ſæculi duodecimi, ut Stephanus Tornacenſis nos docet, qui ejus caſum reprehendit.

[a] *Labbe bibl. tom. 1. p. 792.*

[b] *V. lib. 28. n. 37.*

LVII. Hugo epiſcopus ſcribit contra Berengarium.

Quinam ſint novi illi hæretici, quos ſynodus excommunicavit, diſerte non exprimit canon ultimus, qui his verbis conceptus eſt: *Et quia novi hæretici in Gallicanis partibus emerſerant, eos excommunicavit* pontifex, *illis additis, qui ab eis aliquod munus vel ſervitium acciperent, aut quodlibet defenſionis patrocinium illis impenderent.* Non alii videntur novi illi hæretici, quam Manichæi, qui toto illo ſæculo Galliam & Germaniam infeſtarunt. Necdum enim ſatis propalatus erat tunc Berengarii error, nec in apertam hæreſim ante concilia Romanum & Vercellenſe anni ſequentis erupit. Contra hunc tamen jam ſcripſerat Hugo Lingonum adhuc epiſcopus in ſynodo Remenſi exauctoratus, fratrem appellans Berengarium, qui veritatem

ANN. CHR. 1049.

tatem corporis & ſanguinis Chriſti Domini in euchariſtia ſubdolis verbis negabat, extollendo Johannem Scottum, præ Paſchaſio Radberto, quem *ineptum & erroneum* vocabat. qua de re fuſe in præfatione ſecunda ad acta Sanctorum noſtrorum ſæculi ſexti diſſeruimus. Idem Hugo Romam nudis pedibus poſtea ſecutus pontificem, nudus & excalceatus ad ſynodum ingreſſus eſt, virgas manu deferens, quibus cæderetur. quo ſpectaculo flexus pontifex, ſupplici indulgentiam conceſſit, utque pius pater, pœnitenti filio ſtolam primam & anulum amiſſi pontificatus cum ſandaliis reſtituit, adeoque epiſcopatus honorem, dummodo Lingonenſis eccleſia, vel quælibet alia eum epiſcopum vellet recipere. Verum dum in patriam regrederetur, in morbum incidit, & habitum monachi *ſub nomine cœnobii* ſancti Vitoni, cui Walerannus ipſius frater præerat, a Cluniacenſibus quibuſdam monachis, qui eum comitabantur, petiit, accepit, ac pie deceſſit, catalogo fratrum ſancti Vitoni adſcriptus, ut Laurentius de Leodio [a] ejus loci monachus teſtatur. Wibertus in vita Leonis IX. auctor eſt, Hugonem in redeundo nimiis affectum jejuniis, corporiſque maceratione, in bona perſeverantia vitam finiiſſe. Suffectus in ejus locum in eccleſia Lingonenſi Harduinus, olim archidiaconus Noviomenſis, ut lego in veteri charta ſancti Eligii monaſterii, cui factus epiſcopus quamdam vineam contuliſſe dicitur.

Fit monachus.

[a] *Spicil. to. 12. p. 283.*

LVIII. Leonis miraculum de vaſe redintegrato.

Non omittendum hoc loco, quod Anſelmus monachus tradit de quodam poculo, intus & exterius auro decorato, quod Herimarus abbas Leoni papæ initio ejus pontificatus dono miſit cum litteris, quibus pontificem ad dedicandam ſancti Remigii baſilicam invitabat. Hoc vaſe ob ſancti Remigii honorem ad bibendum uti ſolebat pontifex, quod poſtea per pincernæ incuriam caſu fractum precibus redintegravit. cujus miraculi teſtes producit Anſelmus Hugonem Nivernenſem epiſcopum, & Hugonem Remenſis eccleſiæ diaconum, necnon Benedictum clericum Halinardi archiepiſcopi Lugdunenſis, quorum duo primi Romæ ab iis, qui factum viderant, id reſciere; tertius cum domino ſuo rei geſtæ præſens fuerat. *Ligneum poculum* fuiſſe ſcribit Deſiderius Caſinenſis [b] abbas, hocque miraculum commemorat ex relatu Gregorii VII. pontificis, *qui ab eo educatus, ac ſubdiaconus ordinatus fuerat.* Hic eſt Hildebrandus, qui ab eodem Leone præfectus fuit Romano ſancti Pauli monaſterio poſt Airardum, qui anno ſequenti ad epiſcopatum Namnetenſem promotus eſt. Hoc poculum haud dubie ex mazerino confectum erat, quod Hugo Chryſopolitanus archiepiſcopus, qui & ipſe miraculo adfuit, furto abſtuliſſe a Wiberto traditur.

[b] *Dial. lib. 3. c. 1.*

Hildebrandus ſubdiaconus & abbas.

LIX. Leonis geſta Virduni ac Mettis.

Remis egreſſus Leo IX. deducente Theoderico epiſcopo, Virdunum adiit, ubi Ermenfridi archidiaconi rogatu eccleſiam ſanctæ Mariæ Magdalenæ dedicavit, aſſiſtentibus tribus archiepiſcopis, Everardo Trevirenſi, Halinardo Lugdunenſi, & Hugone Chryſopolitano, cum plurimis epiſcopis. Idem pontifex ruinas incenſæ a duce Godefrido urbis & eccleſiæ beatæ Mariæ miſeratus, veterumque inſtrumentorum jacturam, poſſeſſiones canonicorum diplomate confirmavit, inſcripto, *Rotmiro primicerio canonicæ ſanctæ Mariæ principalis eccleſiæ Virdunenſis, atque Warmundo decano, & per eos ceteris canonicis, tam præſentibus, quam futuris.* Hujus diplomatis authenticum vidimus, in Supplemento librorum de re diplomatica editum, in quo miſerabilem illius urbis ſtatum deſcribit pontifex his verbis. *Redeuntibus igitur nobis a Remenſe ſynodo, contigit Virduni hoſpitari, & non lætari, ſed potius lacrymari. Reſpeximus enim crudele urbis excidium, quale nullus poſſit non dolere hominum. Etenim tyrannorum ingreſſa civitatem ſævitia, totam diruit per dira incendia. qui ignis nec ipſi eccleſiæ ſanctæ Mariæ pepercit, ſed paſſim & ubique dominans conflagravit: ex quæ conflagratione inopinato ſuperveniente, inſtrumenta etiam cartarum veſtrarum præbendarum conſumta ſunt.* &c. *Data* VII. *kal. Novembris per manus Petri diaconi bibliothecarii & cancellarii ſanctæ apoſtolicæ ſedis, anno domni Leonis noni papæ primo, indictione tertia.* Idem pontifex ad preces Theoderici epiſcopi & Avæ abbatiſſæ, parthenonis ſancti Mauri poſſeſſiones omnes IX. kalendas ejuſdem menſis & anni confirmavit, cujus rei diploma in probationibus chronici Benedictini a domno Martino Retelleo editum eſt. Conſimile itidem privilegium ſancti Vitoni cœnobio conceſſum. Inde ad urbem Mediomatricum progreſſus Leo, rogante Warino abbate ſancti Arnulfi baſilicam conſecravit, eidemque optimum pallium, ab apoſtolica ſede allatum conceſſit: quod ipſum eſſe tradunt, quod Geila regina, conjux

ANN. CHR. 1049.

Stephani Hungarorum regis, Johanni papæ dono dedit, ut superius vidimus. Tunc etiam Warinus abbas ab eodem pontifice privilegium obtinuit, a Meurissio [a] editum, quo privilegio consimilem prærogativam principi altari basilicæ sancti Arnulfi ac Remigiano concedit, *ut* scilicet *præter episcopos & abbates, ac septem ejusdem cœnobii sacerdotes, ac tres canonicos de domo sancti Stephani, primicerium, decanum & chorepiscopum primum, ad ipsum altare nullus umquam missas celebrare præsumat.* ubi chorepiscopi nomine primicerius cantorum designari videtur. Ad hæc Warino abbati, ejusque successoribus in præcipuis festivitatibus, sandaliorum & dalmaticæ usus conceditur: monasterii possessiones confirmantur; & abbatia sancti Felicis, in qua sancti Clementis, primi ejusdem urbis episcopi, corpus quiescit, sancti Arnulfi monasterio subjicitur, ea lege, ut nullus ibi ulterius pastoralem virgam portare præsumat. *Data* v. *idus Octobris per manus Odonis sanctæ apostolicæ sedis cancellarii, bibliothecarii & Tullensis primicerii, anno domni Leonis papæ primo, indict. secunda, anno vero dominicæ incarnationis* M XLIX. Inter subscribentes postmodum adscriptus est Udo Leucorum episcopus, & Humbertus cardinalis & episcopus Silvæ-candidæ, qui ambo serius ad illam dignitatem promoti sunt. Verum hæc sancti Clementis subjectio non tenuit, sed locus iste proprios semper abbates habuit. Tunc abbas sancti Clementis erat Widilo Scottus, piæ memoriæ dictus in necrologio ad VIII. kal. Februarii: cui Hagano itidem Scottus successit. In eadem urbe exoratus pontifex a Sigefrido Górziensi abbate, cantum nocturnalium responsoriorum beati Gorgonii martyris composuit. Idem quoque Romarici-montis altare dedicavit.

[a] *Meurisse p. 354.*

LX. Warini abbatis dissensio cum Johanne Fiscamnensi.

Per idem tempus inter Johannem Fiscamnensem & prædictum Warinum sancti Arnulfi abbates, non levis dissensio exorta est occasione Benedicti monachi olim Fiscamnensis, sed ad sanctum Arnulfum translati, quem Johannes abbas acribus litteris repetebat. Cum ad primas non satisfeciisset Warinus, alteras [b] acriores Johannes scripsit, quibus a communicatione Warini se recessurum dicebat, nisi quantocius Benedictum restitueret. Ad has posteriores litteras, quas Wimundus monachus attulerat, modestius, sed nervose rescripsit [c] Warinus, suum esse jam monachum » Benedictum, non Johannis abbatis, *sed sanctæ memoriæ domni abbatis Willelmi conversum, nutritum & professum*, quem ipse, ex quo Gorziense monasterium regendum » accepisset, ad eumdem locum cum multis aliis, quorum nonnulli, jam vita defuncti, ibidem humati quiescebant, ut suum venire, ac inibi manere præceperat. » Eumdem vero Benedictum ibidem mansisse; & post aliquot annos, ex consensu Sigifridi & Odonis tunc priorum, post abbatum, & jussu Willelmi abbatis, ad monasterium sancti Arnulfi translatum fuisse, ipsique Warino sua sponte obedientiam, » ut monachum abbati, promisisse. Mirum esse jam repeti Benedictum, quem non » repetierat Johannes, cum Warinus ad sanctum Michaëlem orationis causa proficiscens, ac Fiscamnum divertens, ab eodem Johanne humanissime exceptus est. Hujus porro discordiæ incentorem esse Bernardum ejusdem Benedicti fratrem, qui e » sancti Arnulfi monasterio fuga elapsus, & Fiscamni acceptus, Benedictum secum » habere velit. Annuere se, ut monachus redeat ad locum suum, sed is qui male, » non is qui obedienter exiit, & obedienter in loco, ubi jussus est, stetit. Alioquin » *redeant omnia ad prima initia, Benedictus Fiscamnum, Warinus Gorziam, domnus* » *abbas Johannes Divionem.* Ceterum Benedictum æque in suo paupere & exiguo » loco posse animam suam cum Dei adjutorio servare, ac in quocumque ditiori & » religiosiori; nec posse jam a Johanne abbate excommunicari, qui ejus non sit, » sed sancti Arnulfi. In fine Johannem rogat, ut mitiorem in se habeat animum, & » gratiam ipsi restituat.

[b] *Analect. to. 2. p. 224.*

[c] *ibid. p. 225.*

LXI. Humbertus Leonem comitatur.

Dedicata sancti Arnulfi basilica Leo papa, Vosagi montes transscensurus, ad Medianum-monasterium accessit, indeque Humbertum monachum, jam sibi notum, secum duxit, quem postea totius Siciliæ archiepiscopum ordinasse dicitur: sed cum ob Nortmannorum infestationes illuc accedere non posset, Romæ cardinalis ad supplendas pontificis vices creatus est, ut scribunt Richerius & Johannes de Bayone. Idem papa oratorium sancti Johannis-Baptistæ ad portam Mediani-monasterii consecravit. Sed quia hæc consecratio v. nonas Aprilis facta dicitur, ad aliud tempus referenda est. nam post sancti Arnulfi basilicæ dedicationem Leo mense Novembri ad sanctum Deodatum profectus est, cui privilegium indulsit, hoc ipso anno *datum decimo-sexto kalend. Decembris, per manus Petri diaconi* sæpe

laudati. Post duos abhinc dies litteras apostolicæ tuitionis & immunitatis H. abbati Luxoviensi concessit.

ANN. CHR. 1049.

LXII. Hissæ parthenonis privilegium.

Eodem tempore sanctissimus pontifex privilegium concessit Hissæ parthenoni, posito prope Sarburgum ad radices Vosagi montis, a parentibus seu propinquis suis condito, ubi patrueles suos comites Mathiridum & bonæ memoriæ Gerhardum cum ejus uxore devota Deo famula Cunisa, necnon fratrem suum Hugonem, cordis sui, dum viveret, dulce solamen, humatos esse dicit. Hoc privilegium inscriptum est, *Dei ecclesiæ, in loco, qui dicitur Hesse, positæ in honore sanctæ Dei-genitricis Mariæ, & in honore sanctissimi Martini confessoris & Laurentii levitæ glorioси, & igne purgatorio assati martyris dedicatæ, & per eam Serbergæ* * *nepti nostræ, & post eam successuris inibi Dei ancillis in perpetuum.* quo privilegio confirmat eidem loco, quæcumque prænominati, vel alii ejus propinqui contulerant. *Et ut noverint omnes*, inquit, *quantum honorem huic loco semper optaverimus, justis precibus domnæ Mathildis & filii ejus Henrici, nostri quondam nepotis, altare in ipsa ecclesia nos ipsi dedicavimus. quod quia eminentius altiusque præ ceteris est constitutum, decrevimus etiam illud magnificentius speciali honore glorificandum: ut nemo ibi celebret missam, nisi archiepiscopus, vel episcopus ipsius diœcesis, vel idonei ipsius ecclesiæ hebdomadarii. Si quæ autem alia persona orationis vel alicujus negotii supervenerit causa, ad idem altare, ut missarum sollemnia exsequatur, non præsumat accedere, nisi de abbatissæ vel aliarum sanctimonialium consensu & licentia. Celebretur etiam dedicatio ab omnibus loci ejusdem incolis* VII. *kal. Decembris.* Ex quo intelligitur, Leonem ab opido sancti Deodati Hissam profectum fuisse. Exstat in Appendice nostra integrum hoc privilegium. Hoc cœnobium modo redactum est in simplicem prioratum, Altæ-silvæ * abbatiæ ordinis Cisterciensis subjectum.

* *f.* Gerbergæ.

* *Hautefeille.*

LXIII. Alia monasteria a Leonis propinquis condita.

Alia duo monasteria a Leonis consanguineis constructa sunt, scilicet Altorfense virorum, quod hactenus supereст, sancti Cyriaci dictum a Wiberto, situm haud procul Molshemio Alsatiæ urbe; & Wofeinheimense seu sanctæ Crucis virginum, quatuor circiter leucis ab urbe Columbaria * positum, quod itidem in cellam redactum est. Hoc monasterium a Leone ipso fundatum dicitur in epistola Gregorii VII. ad Guarnerium Argentinensem & Burchardum Basileensem episcopos, quos hortatur ad componendam litem, quæ inter Hugonem & Gerardum Leonis nepotes orta erat de illius advocatia monasterii. Insuper idem pontifex sancti Marci monasterium, olim a Dagoberto rege pro virginibus sub titulo sancti Sigismundi regis & martyris conditum, situm prope Engisheimium castrum, ubi Leo natus est, duabus a Columbaria leucis, restruxisse traditur, quæ modo cella est monasterii sancti Blasii in Hercinia silva. His monasteriis non immerito additur Lutrense, quod Leonis papæ majores instaurarunt, ut in superiori tomo [a] vidimus. Ad hæc Ludovicus ejus avus cellam in honorem sancti Quirini pro monachis Mauri-monasterii ædificasse dicitur haud procul a castro Asburgo, ubi Hugo Leonis parens manere solitus fuisse fertur: quod hactenus priscum nomen * retinet, ante paucos annos a Francis destructum. De hoc castro consulendus Richerius [b] in chronico Senonienſi. Sed reliquum hujus anni Leonis iter persequamur.

* vulgo *d'Abo.*

[a] *lib. 46. n. 24.*

[b] *Spicil. to. 3. p. 382.*

LXIV. Leonis alia facta.

Post dedicationem basilicæ sancti Arnulfi Wibertus, ceteris prætermissis, scribit, Leonem apud Moguntiam generale concilium habuisse, in quo Sibico Spirensis præsul carnalis flagitii insimulatus, *terrifico sacramento dominici corporis* se purgare voluit, sed maxilla ejus paralysi contorta remansit. Adeundo Moguntiam pontifex apud comitem Adelbertum de Calve, nepotem suum, hospitatus dicitur, indeque Hirsaugiam cum eo accessisse: ubi veteris monasterii, quod comitis majores vastaverant, miseratus ruinas, comiti instaurandum injunxerit, reperto corpore sancti Aurelii, quod a tempore Nortmannorum incerto inibi loco latebat. Hæc fuse Trithemius. Rem confirmat chronicon Saxonicum nondum editum, in quo Leo regnum Teutonicum ingressus, *ad filium sororis suæ comitem Adalbertum* in Sueviam venisse traditur, & illum sub comminatione tremendi judicii Dei admonuisse, *ut Hirsaugiense cœnobium, ab eo injuste possessum, relinqueret, & sacræ regulæ observatores in eodem loco restituere studeret. quod ipse comes confestim opere complevit.* tum subdit prædictus chronographus: *Idem papa in cœnobio virginum, quod nominatur Andela, in Alsatia, corpus sanctæ Richardis imperatricis de tumulo honorifice elevavit, & in ecclesia recondidit.* Inde profectus Moguntiam, concilium ce-

Hirsaugia instauratur.

S. Richardis elevatio.

ANN. CHR. 1049.

lebravit : ad quod in ſynodo Remenſi citatus fuerat Goffridus Andecavenſis comes, qui Gervaſium Cenomannorum tunc epiſcopum in cuſtodia tenebat. Ejus rei hiſtoria fuſe refertur in actis [a] epiſcoporum Cenomannenſium, ubi Goffridus ſeu Gaufridus comes Gervaſium ſeptem annis in vinculis tenuiſſe traditur : ſed tandem, accepto ab eo caſtello *Lir*, eum liberavit, eo pacto, ut quam diu viveret, in civitatem Cenomannicam non intraret. quod cum ægre ferret Gervaſius, ad Willelmum Nortmannorum ducem ſe recepit, dum ſedem Remenſem poſt mortem Widonis archiepiſcopi adeptus eſt. Ex urbe Moguntia Leo papa venit in Augienſe monaſterium, ubi eccleſiam ſanctæ Crucis dedicavit, & inter miſſarum ſollemnia dæmoniacum liberavit. Inde Romam reverſus dicitur a Wiberto, qui nec loca, quæ in reditu luſtravit ; nec tempus, quo in Urbem appulit, commemorat. Hermannus ait, eum Augiæ feſtum ſancti Clementis, & dominicam ante adventum VI. kal. Decembris egiſſe, ac per Auguſtam-Vindelicorum, Bajoariamque tranſeundo, Veronam perveniſſe, ubi natalem Domini celebravit. Hæc certiora, quam quæ de Leonis itinere ſcripſit Lambertus. Sub finem hujus anni, antequam in Italiam remearet, venit in civitatem Lingonas, ubi Frotmundum Trecarum epiſcopum ordinavit, teſte Clario, nimirum loco Mainardi epiſcopi, qui ad Senonenſem eccleſiam pulſo Gebuino ſuffectus fuerat. Ibidem obiiſſe dicitur Petrus diaconus ejus atque cancellarius, ſepultuſque in capitulo ſancti Mammetis : at ejus obitus contigit poſt ſynodum Romanam anno ſequenti habitam, cui interfuit, uti & Frotmundus epiſcopus Trecenſis, adeoque in altero itinere, quod ipſo anno Leo papa in Galliam confecit. Wido Tullenſis primicerius cancellarii officium poſt eum geſſit.

a *Analeſt. tom. 3. p. 306.*

LXV. Libertas quarumdam eccleſiarum Dervenſibus data.

Cum Tulli adhuc verſaretur Leo papa, Milo Dervenſis abbas, qui Remigianæ baſilicæ dedicationi interfuerat, pontificem adiit, poſtulans, ut libertatem concederet altari vici, qui proprio nomine Villa dicitur, ſiti ſuper amnem Bleſam, ubi ipſe abbas monachos inſtituere cogitabat. Aſſenſit pontifex, *omnemque libertatem prædictæ eccleſiæ* conceſſit, *ut inibi habitantes monachi abſque ulla emptione altare ſancti Mauricii ad honorem dicatum perpetualiter poſſideant :* at *capellanus, qui curam animarum Villæ haburit, ſynodum atque concilium prævideat, cenſumque perſolvat : quando vero alius ſucceſſerit, oblatus a monachis abſque ulla ſervitute locum tenebit.* Incipit hoc privilegium ab invocatione ſanctæ Trinitatis in hæc verba : *Ego Dei clementia Leo humillimus papa*, qui in fine ſubſcribit, idque *Tulli* confirmat. Poſt eum appoſita ſunt ſigna Halinardi Lugdunenſis archiepiſcopi, Evrardi Treverorum archiepiſcopi, Johannis Portuenſis epiſcopi & Alberonis Mettenſis ; dein Widonis Leuchorum primicerii, ſex archidiaconorum, duorum decanorum ; Milonis abbatis Dervenſis, Alberti prioris, & aliorum, ut habent pontificiæ litteræ, editæ in noſtra Appendice, quas Petrus diaconus & cancellarius ſcripſit.

* *de Brienne.*

Eodem fere tempore Walterus ſeu Gualterus Breonenſis * comes, ſublimare cupiens eccleſiam Requiniacæ-curtis, ſancto Leodegario martyri atque pontifici ſacram, *omnes* ei *conſuetudines* & *juſtitias* remittit, quam diu illic Deo deſervient monachi, ſcilicet *bannum, infracturam, corvadam, carroperam, & opus ad caſtellum.* Atque ut ſui, ſuorumque anteceſſorum ſemper memores eſſent monachi, idem Walterus cum matre ſua Petronilla prædictam eccleſiam ſancti Leodegarii a ſervitute epiſcopi liberavit, qua de re litteras paullo ante a Mainardo Trecenſi præſule obtinuerat. *Actum eſt hoc publice Requiniacæ-curtis, & poſitum ſuper altare ſancti Leodegarii per manus Walteri comitis* IIII. *feria poſt pentecoſten,* VIII. *idus Junii, eodem anno, quo papa Leo eccleſiam ſancti Remigii Remis Domino dedicavit ; necnon Heinrico rege in regno Francorum regnante.* quod intelligendum de eodem anno currente a dedicatione, ſed non a Chriſto nato. nam anno ſequenti M L. id factum eſt, ſcilicet quarta feria poſt pentecoſten.

LXVI. Kalo Dervi monachus.

Sub idem tempus nobilis quidam juvenis, Kalo nomine, ad converſionem venit in Dervenſe monaſterium, ſub Milone abbate, poſtulans monaſticum ſibi habitum tradi, quod ut facilius obtineret, univerſam hereditatem, quæ ſibi ex matre unico filio contingebat, monaſterio ſe daturum promiſit. Non tamen citra patris ejus aſſenſum aſſentiri voluit abbas, qui idcirco eum ab VIII. kal. Martii uſque ad VI. kal. Auguſti apud ſe retinuit. Advenit tandem pater, Nevelo nomine, ac filii donationem probavit hac conditione, ut, *quod Warnerus ſocer ſuus, hujus filii ſui avus, tam ex terris, quam ex ſervis, dederat in beneficium, ex ſe, dum viveret, ſui tenerent homines ; & poſt finem ſuum abſque ſuorum aliorum filiorum contradictione, ac militum qui præſentialiter tenebant, hic poſſideret Dei & ſanctorum locus.* His litteris appoſita ſunt ſigna Walteri comitis, ſcilicet Breonenſis mox laudati, *qui hæc ordinavit & ſtatuit*, Petronillæ matris ejus, & aliorum. Non diu ſupervixit Milo abbas, cui Bruno ſucceſſit anno ſequenti.

ANN. CHR. 1049.

LXVII. Rainaldi abbatis S. Medardi varia fortuna.

Synodo Remenſi, ut paullo ante diximus, interfuit Reinoldus [a] ſeu Rainaldus, monaſterii ſancti Medardi Sueſſionenſis abbas : ubi ſimoniæ inſimulatus, ipſe ſibi conſcius, e ſynodo ſe ſubduxit, ob idque excommunicationi ſuppoſitus. Poſtea ſui purgandi cauſa Romam abſque regis permiſſu profectus, abbatia privatur. Gerardus in ejus locum ſuffectus, interfuit coronationi Philippi regis, qui injuſtas conſuetudines, quas Albricus Cociacenſis & Willelmus a monaſterio extorquebant, repreſſit, & fundationem collegii Harlebecæ in Belgio confirmavit, dato præcepto, ut, ſicut ſancti Medardi abbatia ab epiſcopo Sueſſionenſi, ita hæc eccleſia a Noviomenſi epiſcopo exemta eſſet. Poſtea Rainaldus abbas reſtitutus, ſed a Petro-Damiani, legato in Gallias, iterum excommunicatus. Hinc grex monachorum diſſipatus, quorum alii ad Romanum pontificem ſcribunt, alii ipſum adeunt. Petri ſententiam probavit Alexander II. ſed nihilo minus Rainaldus, potentium quorumdam fultus favore, in abbatia perſtitit uſque ad annum circiter M LXXVI. quo fere tempore deceſſit. Per illa intervalla monaſterium rexit Gerardus abbas, ut inferius [b] videbimus.

a *V. lib. 58. n. 79.*

b *lib. 61. n. 41.*

LXVIII. Noviomi eccleſia S. Remigii.

Noviomenſi ſancti Eligii monaſterio jam ab annis fere quindecim præerat Remigius [c] abbas, cum Radbodus nobiliſſimus miles ſuburbanam ſancti Remigii eccleſiam, quæ modo ſancti Blaſii dicitur, ex lignea & exigua lapideam & ampliorem fecit, ſanctorum reliquiis & ornamentis decoravit, clauſtrilque ac neceſſariis ædificiis conſtructis, quatuor illic collocavit monachos, quibus altaria de *Artem*, Johannis-curtis, alioſque reditus aſſignavit. Horum altarium donationem Balduinus probavit. Anſelmus ejus frater ſubſcriptus invenitur litteris hac de re VIII. kal. Aprilis confectis hoc anno, Balduini epiſcopatus VI. indictione II. epacta XIV. Huic de Balduini epiſcopatu calculo favet alia charta : in qua quidam, Verliaci in Sana-terra advocatia uſurpata, ſic ejus loci colonos infeſtabat, ut illi inde aufugere cogitarent. cui malo ut occurreret Balduinus epiſcopus, *anno epiſcopatus ſui tertio* ad preces Remigii abbatis Fulconem Ambianenſem epiſcopum rogat, ut excommunicatione hominis audaciam reprimat. quod ut majori cum ſollemnitate fieret, corpora ſanctorum de locis ſuis in terram monachi depoſuerunt. Actum anno M XLVI. indict. XIV. Quam diu his ſupervixerit Remigius abbas, non facile eſt certo definire. Occurrit in tabulis monaſterii Angelbertus abbas anno M LXIII. Philippi regis quarto, *Balduino Flandriæ comite procurante regnum anno ſecundo*, Balduini Noviomenſis epiſcopi anno XVIII. *Angelberti ſancti Eligii abbatis tertio*, quo anno advocatus villæ Batbodi per feſtucam, ſuper altare poſitam, cedit exactionem vini, quam illic facere conſueverat. Ex quo intelligitur, Remigium anno M LIX. obiiſſe. Et tamen anno M LXIX. Radbodus epiſcopus Remigio abbati donat altare de *Bethincourt* in pago Vermandenſi anno epiſcopatus ſui ſecundo, Philippi regis undecimo, ſcilicet a ſua coronatione, vivente patre facta. Ex quibus conſequens eſt, vel duos fuiſſe Remigios ſancti Eligii abbates ; vel Remigium primo regimen Angelberto ceſſiſſe anno M LIX. ſed paullo poſt illud reſumſiſſe. Ut ut ſit, monaſticam diſciplinam tunc temporis illic viguiſſe id argumento eſt, quod complures ejuſdem urbis canonici, ſpreto ſæculo, monachi ibidem facti ſint : in his Achardus decanus, & Guatſcelinus canonicus, qui quaſdam eidem loco donationes feciſſe memorantur.

c *lib. 57. n. 54.*

S. Eligii abbates.

LXIX. Gemeticenſes & Rothonenſes abbates.

Vix ad hunc annum pervenit Godefridus Gemeticenſis abbas, qui Rotberto ejus nominis ſecundo, in Angliam profecto, & ad Londinenſem primum, dein ad Cantuarienſem pontificatum promovendo, ſucceſſerat. Eodem Godefrido abbate Rogerius de Monte-Gomerii confirmavit donationem, quam quidam ejus *fidelis*, Goisfredus nomine, Gotſelini *Stantuin* filius, Gemeticenſi cœnobio fecerat de quodam alodio ſuo, apud villam Fontanas in ditione ipſius Rogerii ſito, cum monaſticum Gemetici habitum ſuſciperet. Nec gratuita fuit hæc Rogerii confirmatio. Hic ſiquidem a Godefrido abbate, atque ab ipſo Goisfredo accepit *unum equum*

ANN. CHR. 1049.

xxx. *librarum, necnon unum halbere septem librarum.* Litteris hac de re absque temporis nota confectis appositæ sunt signa Willelmi comitis Nortmannorum, Rogerii de Monte-Gomerii, Widonis comitis, Willelmi comitis Vilcasini, Willelmi Archensis comitis, & Willelmi filii Osberni. In necrologio ad septimum-decimum kalendas Aprilis, & ad decimum kalendas Januarii notatur absque addito *Godefridus abbas*: sed uter Godefrido, de quo agimus in præsens, conveniat dies, incertum. Huic successit non serius hoc anno Rotbertus abbas, eo nomine tertius, qui anno sequenti Theodericum monachum suum instaurato Uticensi monasterio primum abbatem suppeditavit.

Amoto Budico ab episcopatu Namnetensi, ut superius vidimus, in concilio Remensi, non statim subrogatus est Airardus cardinalis & abbas basilicæ sancti Pauli Romæ, qui hoc nomine synodo Romanæ anno sequenti interfuit, ac subscripsit. Verum præsenti anno Leo papa confirmavit Bellam-insulam Cadvallono [a], monasterii sancti Salvatoris Rotonensis abbati, qui eodem anno obiisse dicitur, & Pereneſium successorem habuisse. Illud argumento est, quod Pereneſius ipse, jam abbas sancti Salvatoris, synodo Romanæ anno sequenti subscripsit. Quamquam chronographus Kemperlegiensis, apud quem hæc leguntur, non satis sibi constare videtur, cum anno M XLI. reponit transitum Cadvalloni abbatis, nisi forte duo, unus post alterum, admittendi sint ejusdem loci cognomines abbates. Ut ut est, prædictam insulam Gregorius VII. Benedicto abbati Rothonensi cum aliis possessionibus asseruit anno pontificatus sui quinto. Hæc porro insula multarum subinde litium materia fuit cum monachis sanctæ Crucis Kemperlegiensis, quibus a monasterii sui origine hæc insula ab Alano comite [b] data fuerat. Hæc in minori Britannia.

a *Baluz. Miscell. to.* 1. *p.* 522. *V lib.* 55. *n.* 92.

b *V. lib.* 56. *n.* 62.

LXX. Westmonasterium instauratur.

In majori Britannia rex Edwardus jam ab annis octo regnabat: qui beneficii accepti memor, quod patrium regnum, post diuturnum in Gallia exsilium, recepisset, votum concepit adeundi limina [c] Apostolorum, tum pro collatis beneficiis gratias Deo acturus, tum precaturus, ut pax in regno perpetua sibi, suisque posteris cælitus firmaretur. Id ubi ad optimatum notitiam ventum est, magnus eos mæror pavorque invasit, ne, absente rege, novæ in regno turbæ orirentur. Quam ob rem rogare & obtestari omnes, ut a pio cœpto rei publicæ majori bono abstineret: polliciti, se eleemosynis ac precibus regis voto facturos satis. Missi ejus rei causa Romam legati ad Leonem pontificem, Ealdredus & Herimannus episcopi; duoque abbates, Welfricus & Alfwinus, prior sancti Augustini Cantuariensis abbas, posterior Ramesiensis, regis votum, & procerum preces pontifici exponunt. Procerum postulatis assensit pontifex, regemque a voto absolvit, cum eo, ut expensas, quas ad Romanum iter paraverat, in egenos erogaret, & cœnobium monachorum in honorem sancti Petri, aut novum exstrueret, aut vetus instauraret. Hoc mandato accepto, rex Westmonasterienſe monasterium, in aquilonali Londoniæ urbis parte ab Augustino episcopo quondam institutum, quod tum vetustate, tum bellorum injuriis pæne destructum erat, restruendum aggressus est, idque, prout regia magnificentia dignum erat, intra sexdecim annos perfecit. Iidem qui supra abbates synodo Remensi hoc anno interfuere.

c *Monast. Anglic. to.* 1. *p.* 60.

LXXI. Altahæ-inferioris abbates.

In Bajoaria apud Altaham-inferiorem Dietmarus abbas cujus superius [d] facta mentio est, jam successerat hoc anno Ratmundo abbati, cui Heinricus Augustus VI. idus Aprilis [e] anni superioris quædam prædia contulerat. Idem imperator, interventu conjugis suæ Agnetis, rogatu Dietmari Altahæ abbatis, eidem loco quædam concessit hoc anno Babenbergæ XI. kal. Martii. Dietmaro post annos sex suffectus Adalhardus ad annos septem: quem excepit Wenceslaus, *annalium Bajoariæ scriptor*, teste Hundio, ab Henrico IV. imperatore missus ad conventum Mantuanum, in quo de Cadaloi antipapæ contra Alexandrum II. factione actum est. Tunc temporis Gebehardus Ratisponæ præsul Campidonensem abbatiam in beneficium accepit.

d *lib.* 58. *n.* 90.

e *Hund. to.* 2. *p.* 26.

ANN. CHR. 1050. LXXII. Leo cum multis Romam redit.

Leonem pontificem e Gallia Romam revertentem secuti sunt non pauci Gallicani præsules & abbates, aliique insignes viri. Ex archiepiscopis Halinardus Lugdunensis, Leodegarius Viennensis & Hugo Vesontionensis archiepiscopi, præter Humbertum monachum, quem pontifex Sicilienſem archiepiscopum, ut dixi-

mus, creavit, quo nomine Synodo Romanæ, post pascha subsequentis anni millesimi quinquagesimi habitæ, subscripsit. Ex episcopis Adalbero Mettensis, Mainus Redonensis, Hugo Nivernensis, Isembaldus Pictavensis, & Arnoldus Santonensis. Inter abbates insigniores Hugo Cluniacensis, Richerus sancti Juliani Turonensis, Gozfredus Vizeliacensis, Walerannus sancti Vitoni, Gervinus sancti Richarii, Richardus sancti Ragneberti, & Pereneſius sancti Salvatoris Rotonensis: quos Fulco abbas Corbeiensis paullo post subsecutus est. Mirum est quam pauci ex Germania episcopi & abbates pontifici in urbem redeunti se adjunxerint. Ex episcopis enim solus occurrit Gozfredus Constantiensis. Hos subsecutus est Lanfrancus tum prior Beccensis sub Herluino abbate, sive a pontifice accitus, sive ab suo abbate Romam missus negotiorum causa.

ANN. CHR. 1050.

LXXIII. Berengarii epistola ad Lanfrancum.

Interim errorem suum in Gallia disseminabat Berengarius scholasticus Turonensis, de quo jam superius dicere cœpimus, & tum furtivis scriptis, tum discipulis suis hac illacque submissis, quoscumque poterat, in suas partes pertrahere tentabat. Cum vero Lanfrancum, celebrem per illa tempora magistrum, perversæ suæ doctrinæ adversari ex Ingelranno Carnutensi resciviſſet, litteras ad eum dedit, *Fratri Lanfranno* inscriptas, in quibus ait indignum esse ejus ingenio, quod Deus « ipsi *non aspernabile* concesserat, ut hæreticas habeat sententias Johannis Scotti de » sacramento altaris, in quibus a Paschasio dissentit. Nondum eum cum suis satis in « scriptura versatum esse. optare se cum illo hac de re simul conferre, adhibitis qui- » bus vellet vel judicibus congruis, vel auditoribus. Interim desineret hæreticum « habere Johannem Scottum, nisi hæreticos habere vellet Ambrosium, Hieronymum, « & Augustinum. Hanc epistolam præcessisse videtur altera, sed non edita, in qua Berengarius mentem suam Lanfranco amice aperiebat. Hanc epistolam cuidam e suis asseclis tradidit, ad Lanfrancum forte Remos perferendam, quo non reperto, (jam quippe Romam cum pontifice profectus erat) has litteras quibusdam clericis resignavit. Hi apertas litteras legunt, &, cum eas receptissimæ ecclesiæ fidei contrarias esse deprehendissent, *zelo Dei accensi*, inquit [a] Lanfrancus, *quibusdam ad legendum porrexerunt, plurimis earum sententias verbis exposuerunt.* Hinc factum est, ut non deterior de Berengario ipso, quam de Lanfranco vulgata sit opinio, quod de superiori epistola intelligi non potest, in qua Lanfrancus Berengario diserte adversari ex ipsa lectione manifeste deprehenditur.

a *Lanf. de sacr. cap.* 4.

LXXIV. Berengarius Romæ damnatus.

Per id tempus Leo papa, Romam reversus, concilium habuit, ut jam dixi, & quidem *post pascha*, testante Hermanno, quod hoc anno millesimo quinquagesimo in XVII. kal. Maii incidebat. Convenere in basilicam Salvatoris apud Lateranum cum Leone pontifice Dominicus Gradensis patriarcha, archiepiscopi septem, quadraginta-septem episcopi, Hugo archidiaconus sanctæ Romanæ ecclesiæ, Petrus ejusdem ecclesiæ diaconus, cancellarius & bibliothecarius; Sico primicerius: necnon abbates triginta-quinque, ut fidem faciunt pontificiæ litteræ canonizationis sancti Gerardi Tullensis episcopi, in illa synodo factæ: quibus litteris illi omnes subscripserunt. Lecta fuit in illo conventu prædicta Berengarii epistola, Romam perlata a quodam Remensi clerico, qui ejus exemplum in Gallia acceperat. Prolata damnationis sententia in epistolæ auctorem, qui etiam communione ecclesiæ privatus est. Lanfrancus vero male conceptam de se suspicionem fidei suæ expositione omnino absterſit. Postremo indicta Vercellas synodus in proximum mensem Septembrem, ad quam Berengarius citatus est. Hæc omnia ex Lanfranci libro [b] de corpore & sanguine Domini accepimus.

b *ibid.*

LXXV. Gerardus Tulli episcopus canonizatus.

In eadem synodo actum, ut mox dicebam, de Gerardo episcopo Tullensi in sanctorum cœtum referendo, qui multis miraculis illustratus fuerat. Aderat in illa synodo magnæ pietatis monachus, Albizo nomine, quem Udo Tullensis primicerius interpellavit ad exorandum Deum, ut quanti apud se meriti esset Gerardus, patefaceret. Albizoni post preces vir sanctus apparuisse traditur, seque beatorum sorte frui declarasse. quod frequenti synodo circa VI. nonas Maias ab Udone primicerio relatum est. Hinc visum est patribus, ut Gerardus sanctorum catalogo adscriberetur, ejusque festus dies VIII. kal. Maii celebraretur. Synodicis litteris ea de re a Leone papa confectis subscripsere omnes episcopi & abbates, quos supra memoravimus, plerique Itali, ceteri fere Gallicani, quorum nomina superius [c] retulimus. Qui primus inter abbates subscripsit Richardus abbas sancti Be-

c *num.* 72.

nedicti, videtur esse Richerius abbas Casinensis, quem proxime subsequitur Hugo
ANN. CHR. 1050. Cluniacensis. tum Airardus abbas sancti Pauli, paullo post promotus ad sedem Namnetensem in locum Budici, qui in superiori synodo Remensi depositus fuerat; Richardus abbas sancti Ragneberti in pago Lugdunensi. Romani abbates erant Johannes sancti Sabæ, Reinerus sancti Cosmæ, Petrus sancti Bonifacii, Johannes sancti Vitalis, Johannes sancti Laurentii: Vulturnensis abbas fuisse videtur Liufridus abbas sancti Vincentii; Bonizo abbas Perusini sancti Petri monasterii; Albricus sancti Zenonis prope Veronam; ceterorum monasteria incomperta. Hæ litteræ cum aliquot mendis editæ sunt in septimo volumine actorum nostrorum, relatæ a Widrico abbate sancti Apri in libro de miraculis sancti Gerardi necdum edito, quem auctor Udoni primicerio nuncupavit. Sed quia vitiata sunt multa nomina, subscriptiones in Appendice nostra recudemus.

LXXVI. Leo Casinum adit, tum Beneventum.

Post Romanam synodum Leo iter in Apuliam aggressus est, ut concordiam inter accolas & Nortmannos componeret. Hoc in itinere rursus ad Casinense monasterium [a] divertit ante festum apostolorum Petri & Pauli, quo die missas ibidem celebravit; &, cum illa die sabbatum esset, *ingressus ad mandatum fratrum*, (nam quolibet sabbato ex regulæ [b] præscripto pedes fratrum lavari debent) pedes *duodecim monachis lavit, & ipse vicissim ab eis lotus*, in refectorio cum eis pransus est. Inde perrexit Beneventum, ubi clinicam sanavit, ut in ejus vita legitur, urbemque ab excommunicatione, quam ejus antecessor ipsi intulerat, benigne absolvit, testante Leone Marsicano. Inde in Apuliam profectus, in concilio Siponti habito duos archiepiscopos ob simoniæ crimen deposuit; moxque Romam regressus est; *eodemque anno*, ait vitæ scriptor, in Galliam denuo reversus, sancti Gerardi Leucorum præsulis corpus e tumulo levavit. Sed de his postea.

a *Chron. Casin. lib. 2. c. 34.*

b *S. Bened. reg. c. 35.*

LXXVII. Franco abbas Corbeiæ Italiam adit cum Gerardo.

Leonem papam Romam redeuntem prosecutus, aut paullo post subsecutus est Fulco abbas Corbeiæ-veteris, ut monasterii sui privilegiorum confirmationem a pontifice obtineret. Hunc comitatus est Gerardus monachus, postmodum Silvæ majoris abbas & auctor. Is in ipso Corbeiæ opido natus, a puero in illo monasterio educatus est: ubi progressu ætatis pro sua integritate & prudentia rebus temporalibus gerendis a Fulcone abbate adhibitus, tanto capitis incommodo afficitur, ut nulla esset doloris intermissio, nulla requies, quocumque se verteret, quocumque in statu esset. Tentatis incassum remediis medicorum usque ad frontalis venæ & arteriarum incisionem, cum Fulco Romam iter aggressurus esset, ut monasterii sui privilegia adversus Fulconem Ambianorum episcopum tueretur; ægre ab eo Gerardus obtinuit, ut ipsum in illo itinere comitaretur. Hic, ubi Romam perventum est, frequentes ad sanctum Petrum ardentesque fudit preces, ut capitis sanitatem ejus meritis recuperaret. Inde post octo dies itum ad montem Casinum, tum ad montem Garganum: quibus in locis sanctum Michaëlem & beatissimum patrem Benedictum pariter interpellavit: ast hæc curatio sancto Adalhardo, Corbeiæ quondam abbati, divinitus reservata erat. In illo itinere, *inter Romanos & Apuliones*, in latrones incurrerunt abbas & Gerardus, & ab eis spoliati perhibentur. Ambo etiam sacerdotio initiati a Leone papa, quem in Apuliam euntem secuti erant. Tunc etiam conscientiæ suæ arcana Gerardus aperuit Huberto pontifici, forte Humberto Silvæ-candidæ episcopo, qui ejus incommodo compassus, modicam ei pœnitentiam imposuit, monuitque, ut ne quid citra permissum abbatis aggrederetur. Ex illo itinere Fulco retulit confirmationem privilegiorum suorum, bulla *data* XIV. *kal. Maii per manus Petri diaconi, bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domni Leonis noni papæ secundo, indictione* III. quo diplomate pontifex Fulconi usum dalmaticæ & sandaliorum impertit. Consimile privilegium a Leone concessum v. kal. Maias ejusdem anni Gaufrido abbati Vizeliacensi, qui prædictæ Romanæ synodo interfuit, dictus *Gosfridus abbas de Vergeliaco* in litteris canonizationis sancti Gerardi episcopi Tullensis. Gaufrido abbati post duos annos Bonifacius successit. Reverso ex Italia Gerardo cura ecclesiæ a Fulcone commissa: quo munere tam strenue, infirmus licet, perfunctus est, ut sancti Petri basilicam, Richardi abbatis tempore incendio deformatam, instaurare aggressus sit; idque tanta sedulitate exsecutus est, ut brevi divinis ministeriis aptata fuerit. His præclare gestis, capitis sanitatem cælitus recepit meritis sancti Adalhardi: cujus vitam metro, miracula soluta oratione, beneficii accepti memor, celebravit.

Corbeiæ & Vizeliaci privilegia confirmata.

Eodem

Eodem quoque tempore citatur a Leone Gervinus Centulensis abbas, a clericis Ambianensis diœcesis culpatus, quod *absque apostolici licentia homo non episcopus prædicare auderet, & peccatorum confessiones seu conversiones, præsumptor non sui officii, inquireret.* quo in munere Gervinus persæpe dies integros jejunus impendebat in cellula huic officio deputata, quam fratres *confessionem* vocabant. Reddita facti ratione, pontifex eidem verbi Dei prædicandi, recipiendi sceleſtorum confessiones ac tradendæ pœnitentiæ potestatem concessit, ea maxime de causa, quod Fulconem Ambianorum præsulem, *non animarum saluti, sed volucrum captioni & ferarum venatui studere compererat.* Quam ob rem pontifex eidem abbati sandaliorum usum obtulit, ut his prædicatoris insignibus ornaretur. quod vir modestissimus recusavit.

ANN. CHR. 1050. LXXVIII. Gervino abbati data facultas excipiendi confessiones.

Inter ea Berengarius, quoscumque poterat, viros doctos ac potentes pertentat, ut eos sibi conciliet. Ejus rei causa in Nortmanniam irrepsit, appulitque ad Pratellense monasterium diœcesis Lexovienſis, ante annum M XXXV. ut vidimus, instauratum, ut pio & erudito illius loci abbati Ansfrido, quem Gradulfus Fontanellæ abbas primum novi monasterii rectorem instituerat, perversæ doctrinæ suæ virus instillaret. Illic humanissime exceptus homo versipellis: ast ubi primum novum pio abbati errorem proposuit, tamquam *blasphemus ac perfidus* mox repulsus, ejectusque ab eo est. quod Durandus monachus in libro de corpore & sanguine Domini ab ipso Ansfrido se resciviſſe tradit. Inde digressus vir pestilentissimus, Willelmum Nortmannorum ducem, adhuc juvenescentem, adeoque deceptioni magis obnoxium, adit, eique novum dogma proponit. Verum suam in re nova & lubrica suspendens assensionem prudentissimus & catholicus princeps, rem virorum doctorum examini & judicio reservandam recte censuit.

LXXIX. Berengarius fautores quærit.

Indicitur itaque virorum doctorum conventus Brionam, quod opidum est diœcesis Rotomagensis prope Beccum-Herluini ad Risclam fluvium: ubi, convocatis catholicis & sapientissimis illius provinciæ viris, Berengarii novum dogma ventilatum fuit, ac rejectum, confutatusque ejus auctor cum alio quodam, quem secum adduxerat, clerico, in cujus eloquentia spem victoriæ reposuerat. Hinc imperatum Berengario silentium, extortusque ab eo in catholicam fidem assensus: sed, quia utrumque fictum erat, non diu promissis stetit. nam inde Carnutas profectus, errorem suum in frequenti clericorum cœtu asserere & propugnare perrexit: &, cum ab eis recessisset, litteras veneni & summæ in Leonem papam irreverentiæ plenas, a quo forte se damnatum fuisse jam resciverat, eisdem misit.

LXXX. Brionensis conventus.

Ubi hæc in cognitionem Heinrici regis venere, ne quid minus Willelmo duce pro fide feciſſe videretur, concilium Parisios in proximum mensem Octobrem convocat, ad quod Berengarium adesse jubet. Hic interim *fratri Ascelino*, qui Brionensi conventui cum Willelmo abbate interfuerat, epistolam scripsit; professus se animo constituisse, nullum habere cum quibusvis de sua controversia sermonem, priusquam satisfeciſſet episcopis, futuri scilicet concilii Parisiensis, ad quos contendebat. ob idque nihil fere se opposuisse Ascelino, ejusque assectis; at certe nihil concessiſſe *in illo colloquio*, nimirum Brionensi, ad quod illi *indigne* conveniſſent; « adeoque falso jactitare Willelmum, se negare nequiviſſe, quin hæreticus esset Jo- « hannes Scottus; Willelmum vero impie dixisse, *omnem hominem ad mensam domi-* « *nicam debere in pascha accedere.* Ad has litteras respondet Ascelinus, vindicatque seipsum ac Willelmum, necnon Arnulfum cantorem, quem Berengarius sibi quodam modo assensisse falso asserebat. Ascelinus ille alius est sine dubio ab Ascelino juniori, Ascelini senioris nepote, quem Ordericus [a] laudat, aitque *discendi causa* Galliam sæculo decimo expetiisse: sed videtur esse Ascelinus ille Beccensis monachus, unus e primis Herluini abbatis discipulis, uti & Willelmus ille, Lanfranci amicus, qui postmodum abbas Cormeliensis factus est. Eidem, ut veri simile est, Willelmo jam abbati scripsit epistolam illam *frater Anastasius*, quæ in vulgatis libris *domno Geraldo abbati, olim filio, nunc venerabili patri* inscripta est. nam in codice Joliano hæc epistola inscripta legitur *domno W. abbati* &c. In illa porro epistola catholicam de eucharistia fidem adstruit Anastasius monachus, idem, ut videtur, cujus rogatu Robertus de Tumbalenia commentarium edidit in Cantica canticorum, quem Ansfrido Pratellensi abbati jam laudato nuncupavit. Et forte is fuerit Anastasius ex monacho sancti Michaëlis factus Cluniacensis, de quo

Berengarii epistola ad Ascelinum.

a *Orderic. lib. 6. p. 623. & seq.*

ANN. CHR. 1050.

jam superius [a] egimus. Has omnes epistolas Acherius noster vulgavit in notis ad vitam Lanfranci.

a *supra num.* 43.

LXXXI. Deoduini epistola ad Heinricum regem.

Interim Deoduinus seu Theoduinus Leodicensis præsul, comperto, episcopos ab Heinrico rege ad futurum concilium Parisiense convocatos esse, litteras ad eum scripsit, in quibus ait, rumorem, supremos Galliæ fines prætergressum, totam pervasisse Germaniam, Brunonem Andecavensem episcopum una cum Berengario Turonensi magistro antiquas renovasse hæreses, adstruendo, Corpus Domini in eucharistia non tam corpus esse, quam umbram & figuram ejus corporis; amboque legitima conjugia destruere, & , quoad in ipsis esset, evertere baptismum parvulorum. Dein regi gratulatur Deoduinus, quod ad revincendos ejusmodi errores synodum episcoporum indixerit: at sibi videri id fieri vix posse ob Brunonem episcopum inconsulto Romano pontifice, cujus injussu nefas sit episcopum judicare. Insuper id genus homines nequaquam audiendos esse, nec tam eorum causa concilium convocandum, quam de illorum supplicio cogitandum, utpote qui sanctorum patrum conciliis ac clarissimis sententiis aperte contraria docerent.

LXXXII. Adelmannus Berengario scribit.

Eodem tempore Adelmannus scholasticus Leodicensis, tunc in Teutonicis partibus degens, postmodum Brixiensis episcopus, Berengario scripsit, quem dilectum in Christo fratrem, conscholasticum & collactaneum vocat, ob commune cum eo contubernium in academia Carnutensi sub Fulberto episcopo. In hac porro epistola se *ante biennium*, rumore vulgato accepisse dicit, Berengarium ab ecclesiæ communione recessisse, & de corpore & sanguine Domini *aliter, quam fides catholica tenet, sentire*; eumque ad resipiscentiam hortatur. Lectu digna hæc epistola, quæ incipit in hunc modum. *Collactaneum te meum vocavi, propter dulcissimum illud contubernium, quod tecum adolescentulo ipse ego majusculus in academia Carnotensi sub nostro illo venerabili Socrate jucundissime duxi: cujus de convictu gloriari nobis dignius licet, quam gloriabatur Plato, gratias agens naturæ, eo quod in diebus Socratis sui, hominem se, & non pecudem peperisset. Nos enim sanctiorem vitam, salubrioremque doctrinam catholici & christianissimi hominis experti sumus: & nunc ejus apud Deum precibus adjuvari sperare debemus. Neque enim putandus est memoriam, in qua nos, tamquam in sinu materno ferebat, amisisse; aut vero caritas Christi, qua sicut filios amplectebatur, in eo exstincta esse: sed absque dubio memor nostri, & diligens plenius, quam cum in corpore mortis hujus peregrinaretur, invitat ad se tacitis votis & precibus, obtestans per secreta illa & vespertina colloquia, quæ nobiscum in hortulo juxta capellam de civitate illa, quam, Deo volente, senator nunc possidet, sapius habebat; & obsecrans per lacrymas, quas interdum, in medio sermone prorumpens, exundante sancti ardoris impetu, emanabat, ut illuc omni studio properemus, viam regiam directim gradientes, sanctorum patrum vestigiis observantissime inhærentes, ut nullum prorsus diverticulum, nullam in novam & fallacem semitam desiliamus, ne forte in laqueos & scandala incidamus.* & infra. *Avertat Dominus a te, sancte frater, semitas tales, & convertat pedes tuos in testimonia sua; & mendaces ostendat, qui famam tuam tam fœda labe maculare nituntur, spargentes usquequaque, ut non solum Latinas, verum etiam Teutonicas aures, inter quas diu peregrinor, repleverint, quasi te ab unitate sanctæ matris ecclesiæ divulseris, & de corpore & sanguine Domini, quod quotidie in universa terra super sanctum altare immolatur, aliter quam fides catholica teneat, sentire videaris: hoc est, ut illorum de te dictis utar, non esse verum corpus Christi, neque verum sanguinem, sed figuram quamdam & similitudinem. Hæc ante hoc biennium cum audissem, fraternitatem tuam per epistolam convenire, idque ex te ipso certius scisciteandum esse decrevi.* tum subdit Adelmannus, se per familiarem ipsius Berengarii Paulinum Mettensem primicerium id discere tentasse: sed, eo rem negligente, occurrisse quemdam fratrem, e latere ejusdem Berengarii directum, cui hanc epistolam ad eum perferendam commiserit: qua in epistola fidem catholicam idem auctor validissime asserit, eamdemque communis sui magistri Fulberti doctrinam haud obscure prodit, Berengarium obsecrans *per misericordiam Dei, per suavissimam memoriam Fulberti*, ut pacem catholicam diligat, neque conturbet *rem publicam christianæ civitatis, bene compositam a majoribus nostris, pro qua tot millia martyrum, contra idololatriam & regnum diaboli fortiter certantes, triumphaverunt: subindeque sancti doctores bella civilia, ab hæreticis commota, salutaris eloquentiæ fluminibus restinxerunt, itaque eam circumquaque munie-*

runt, ut jam novus hostis nullus oboriri queat, qui, adversus eam aliquid nitens, non continuo mille jaculis desuper ruentibus obruatur. Hanc epistolam scripsit Adelmannus nondum episcopus ante Berengarii damnationem, quem alias sanctum fratrem vocaturus haud fuisset. Scripsit & aliam ejusdem argumenti epistolam ad Paulinum Mettensem primicerium, quem vulgatus Sigebertus [a] *Paulum* vocat, monens eum, *uti Berengarium, communem amicum suum, revocaret ab hac prava intentione.* Adelmanno rescripsit Berengarius, Sigeberto [b] referente, *fastuoso stilo, non agnoscens amici corrigentis benevolentiam, sed defendens suam de mysteriis Christi sententiam.* quæ epistola ad nos non pervenit.

a Sigebert. de script. c. 153.

b id. c. 154.

LXXXIII. Parisiensis synodus in ejus causa.

Incertum nobis est, an Heinricus Deoduini epistolam acceperit ante concilium Parisiense, quod nihilo minus habitum fuisse constat XVII. kal. Novembris in ipsa Parisiorum civitate, ubi multi præsules, clerici & laïci nobiles convenere. At Berengarius, male sibi conscius, illic adesse, uti jussus erat, subterfugit, uti & Eusebius, cognomento Bruno, Andecavensis episcopus, qui ejusdem erroris suspectus erat, a quo tamen postea se purgavit. In hac synodo Aurelianorum præsul Isembertus Berengarii litteras protulit, ad Paulinum Mettensem primicerium scriptas, & ab se interceptas, quæ publice lectæ, ab omnibus reprobatæ fuere, utpote nequissima hæresi infectæ. Quam ob rem, damnato communi sententia talis erroris auctore cum suis asseclis, & codice Johannis Scotti, ex quo ejusmodi error desumtus erat, concilio soluto discessum est, ea lege interposita, ut nisi ejusmodi erroris auctor cum suis asseclis resipiscceret, adhibita militari manu comprehenderentur omnes, mortis pœnam luituri, si in defendendo errore contumaces persisterent. Unde territi omnes, non multo post in alio concilio catholicæ veritati se assentire professi sunt. Verum, remoto periculo, mox ad pristinum errorem relapsi. quæ omnia ex Durando accepimus.

LXXXIV. Berengarii epistola ad Richardum.

Post synodum Parisiensem Berengarius epistolam scripsit [c] *dilecto fratri Richardo*, quem rogat, ut pro sua apud regem familiaritate eum moneat, injustissime damnatum fuisse Johannem Scottum, injustissime quoque assertum Paschasium in concilio Vercellensi, quod paullo ante Parisiense habitum est, ut mox dicturi sumus; & clericos Carnutenses falsa regi de se retulisse. Hic videtur esse ille R. abbas: cujus meminit Frollandus Silvanectensis episcopus in epistola [d] ad Berengarium: cui plus æquo tribuit, dum morbo gravi & letali decumbens, se ejus præsentiam avide cupere dicit, seque ejus precibus commendat. at quis sit ille Richardus abbas, ignoramus.

c Spicil. to. 2. p. 510.

d ibid p. 509.

LXXXV. Concilium Vercellense de eodem.

Instante autumno Leo papa Roma discessit, celebraturus concilium, quod *ipso autumno*, testante Hermanno, *Vercellis collegit.* Forte in illo itinere id contigit, quod in libro de vita sancti Johannis Gualberti refertur. nimirum cum Passinianum Florentiæ proximum pontifex cum plurimo comitatu supervenisset, & prope monasterium viri Dei refecturus consisteret; Johannes œconomum interrogavit, an pisces haberet. Ut cognovit nihil ejus generis esse in monasterio, *conversos* in lacum quemdam, monasterio proximum, piscatum ire jussit. Omnibus autem asserentibus, numquam illic pisces visos fuisse, institit nihilo minus ut pergerent. Itum, & duo magni lucii inventi, quos Johannes lætus papæ obtulit. Inde Vercellas accessit pontifex, ubi *proximo* [e] post Romanam *Septembri* synodum celebravit. Ad quam vocatus non comparuit Berengarius, ut testatur Lanfrancus, qui *usque ad ipsam synodum* cum pontifice remansit. Illic *in audientia omnium*, inquit ille, qui de diversis hujus mundi partibus convenerant, Johannis Scotti liber de eucharistia lectus, damnatus, atque igne consumtus fuit; Berengarii *sententia exposita & damnata*, duobus clericis, qui ad eam defendendam ab illo missi fuerant, *in ipso aditu* deficientibus & captis; adeoque *fides sanctæ ecclesiæ*, quam omnium assensu adstruebat Lanfrancus, *audita, & concordi omnium assensu confirmata est.*

e Lanfr. c. 4.

LXXXVI. S. Gerardi episcopi elevatio.

Vercellis discedens pontifex, alpes transscendit, & in Galliam Belgicam progressus, Tullum-Leucorum, uti antea promiserat, statim adiit, corpus S. Gerardi episcopi, quæ una ipsius itineris causa erat, e tumulo levaturus, qui in basilica sancti Mansueti monasterii sepultus erat. Meminit hujus itineris Hermannus post concilium Vercellis celebratum: *indeque Gallias*, inquit, *& episcopatum suum, Leucorum civitatem revisit* Leo papa. Illic *devotus cœtus sanctorum pontificum aderat*, ut scribit Widricus abbas, testis oculatus, *quos pia devotio a remotis climatibus eo adduc-*

ANN. CHR. 1050.

xerat. nam cum venerando Lugdunensium archiepiscopo domno Halinardo, quem decorabat sacra monachilis religio; accurrerat illuc *domnus Hugo Chrysopoleos archiepiscopus, quem regalis nobilitas & jocunda facundia amabilem reddiderat omnibus. Quin etiam Georgius Colocinensis archiepiscopus de Ungaria advenerat, quem civium legatio, & apostolicæ benedictionis cupido a longinquis illuc partibus advexerat. Frotmundus quoque Trecassinus episcopus cum Herberto Autisiodorensi præsule, necnon Lupo Anglorum pontifice, huic tam divino studio se adjungunt devotissime*, inquit idem auctor. Sub vesperam inchoata celebritas XII. kal. Novembris, quæ dies dominica erat, & sequenti die absoluta. Inventum beati præsulis corpus fere integrum cum pontificalibus ornamentis, & repositum a dextris altaris beati Stephani protomartyris in ara, quam pontifex ipse consecravit. Huic translationi successere miracula, quæ a Widrico descripta sunt.

LXXXVII. Privilegium S. Mansueto indultum.

Ipso translationis die pontifex Dodoni abbati monasterii sancti Mansueti privilegium concessit, quo illius loci possessiones omnes cujusvis gravaminis immunes esse sanxit, easque singillatim enumeratas confirmavit *anno incarnationis Domini millesimo* L. *indictione* IV. *Data Tulli in majori ecclesia* XI. *kalend. Novembris, per manus Udonis Tullensis ecclesiæ primicerii, cancellarii & bibliothecarii apostolicæ sedis, anno apostolatus domni Leonis papæ secundo, episcopatus Tullensis* XXVI. ubi vides, Leonem papam adhuc retinuisse Tullensem episcopatum. Widricus abbas sancti Apri librum de miraculis & translatione S. Gerardi nuncupavit prædicto Udoni primicerio, tum bibliothecario & cancellario apostolicæ sedis post Petrum, quem apud Lingonas [a] decessisse, & in ecclesia sancti Mammetis sepultum fuisse auctor est Clarius monachus. Dodo abbas sancti Mansueti successerat Hunaldo, de quo superius mentio facta est.

[a] *V supra n. 64.*

LXXXVIII. Bulla pro parthenone SS. Bertarii & Athaleni.

Huic sancti Mansueti abbatiæ olim subjectum fuit monasterium sanctorum Bertarii & Athaleni, quod a prima sui origine virginum Benedictinarum erat. Conditum est a Rainardo Tullensi comite, ejusque progenitoribus non multo ante hunc annum, quo anno istud cœnobium Leo papa, dum adhuc Tulli versaretur, apostolico munivit privilegio, quod *ecclesiæ beatorum martyrum Bertarii & Athaleni, quæ dicitur Blederici-villa, posita in comitatu Santensi, & per eam sanctimonialibus ibidem perpetuo famulaturis* inscriptum est. Blederici-villa * sita est in pago *Santensi* * olim dicto, qui ad Bassiniacum * modo pertinet, ab Arari fluvio uno amplius milliari dissita, quinque a Marca opido. Puellare itaque monasterium, ibidem a Rainardo comite, ejusque majoribus constructum, ejusque possessiones Leo papa confirmat, & apostolica munit auctoritate; prohibetque, *ne umquam a monastico ordine locus ipse auferatur, sed semper sub regula sancti Benedicti permaneat*; nominatim confirmans omnia, *quæ ipse Rainardus comes huic loco pro remedio animæ suæ contulit:* cujus loci ecclesiam, *sicut ipse prædictus comes expetierat*, idem Leo, cum Tulli episcopus esset, consecraverat. Insuper sancit pontifex, *ut donum abbatiæ in manu episcopi Tullensis semper consistat; & quæcumque de ejusdem præfati comitis stirpe in eodem cœnobio idonea inventa fuerit, provisionem loci sub nomine abbatissæ suscipiat: sin autem inibi nequiverit reperiri, de loco sancti Romarici aliqua de ejus progenie digna ad abbatissam sumatur; &, si etiam in his utrisque cœnobiis nulla poterit inveniri, potestatem episcopus habeat aut de iisdem locis, aut de aliis infra Tullensem episcopatum, aliam dignam personam perquirere, & in loco illo secundum Deum præficere* [b], &c. *Data* VIII. *idus Decembris per manus Udonis Tullensis primicerii, cancellarii & bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno domni Leonis* IX. *papæ secundo, indictione* IIII. Ex hoc diplomate manifeste conficitur, Romarici-montis puellas etiam tunc sub regula sancti Benedicti militasse: siquidem ex earum collegio licebat abbatissam eligere pro monasterio sanctorum Bertarii & Athaleni, quod *semper sub regula sancti Benedicti permanere* Leo papa præcipit. Hujus privilegii duo facta sunt exemplaria *magnis precibus* Lanhardis filiæ ipsius Rainardi comitis, & quorumdam ejus fidelium, scilicet Richuini, Cunonis, Rhindrici & Theobaldi: quorum exemplarium alterum in Tullensi ecclesia servaretur, alterum in prædicto cœnobio, cui filiam ipsius Rainardi comitis Lanhardem præpositam fuisse existimo. His omnibus, quæ superius exposuimus, peractis, Leo Romam reversus est, ubi paschalia festa insequentis anni celebravit.

* *Bleurville.*
* *le Saintois.*
* *le Bassigny.*

[b] *V. append.*

LXXXIX. In Mettensi sancti Arnulfi monasterio Warinus abbas, cujus mentio anno superiori facta est, hoc anno e vivis sublatus fuisse traditur, laudatus in necrologio XIII. kal. Septembris. In ejus locum subrogatur Walo abbas, Hieronymi lectioni addictus: cujus jussu Ambrosius monachus sancti illius Doctoris commentarios in prophetas minores descripsit, ut probant hi versus veteri codici appositi, qui Hieronymi laudes præmittunt.

ANN. CHR. 1050. Warino abbati S. Arnulfi succedit Walo.

Hic interpretibus cunctis sapientior unus,
Exposuit recte, quæcumque transtulit apte.
In cujus libris dum Walo pater pietatis
Fervieret, librum præcepit scribier istum,
Ambrosius paret frater, qui nec mora complet.

Implicatus est Walo funesto illo schismate, quod inter Gregorium VII. & Henricum IV. exarsit, & schismaticorum non modo partes sectatus est, verum etiam episcopatum Mettensem, ex quo Herimannus legitimus pastor ob studium Gregorii VII. pulsus fuerat, temere invasit. quod factum postea resipiscens expiavit.

X C. Bruno abbas Dervensis a papa benedictus. [a] *sup. n. 66.*

Miloni Dervensi abbati, cujus superius [a] meminimus, successit hoc anno Bruno abbas, ejus nominis primus, a Leone papa Romæ in capella Lateranensi benedictus, cui nomen suum Brunonis pontifex imposuit, cum antea Wandelgerus vocaretur. Id Leo ipse testatum facit in litteris ad Willelmum comitem Nivernensem, quem ad restitutionem quarumdam ejus loci possessionum sub interminatione excommunicationis compellit his verbis.

Leo episcopus servus servorum Dei Willelmo Nivernensi comiti apostolicam benedictionem. Mandamus & præcipimus tibi, ut rectum facias Deo, & sanctis apostolis Petro & Paulo, & sancto Berchario, & monachis inibi considentibus, de prædiis illorum, sicut jam tibi præcepimus, & tu abbati illorum convenisti. Quod nisi feceris, si, quatuor proclamationibus factis, ad me de hac re quinta facta fuerit, profecto excommunicaberis. Vale. Data kalend. Maii per manus Petri bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, anno domni Leonis noni papæ secundo, indictione tertia, abbati sancti Bercharii, quem eodem die ad abbatem in capella sua Lateranensi benedixerat, & ei nomen suum, quod fuit Bruno, imposuerat.

Brunonem antea vocatum fuisse Wandelgerum discimus ex ipsius litteris, quibus concordiam init cum Rodulfo comite super quadam silva, apud villam Losam sita, cujus partem, quam tenebat comes, Dervensibus dimittit, uti & filii ejus Walterus & Simon, ceterique heredes, ea conditione, ut qualibet secunda feria cujuslibet « septimanæ celebretur missa pro sua, heredumque suorum salute, & unus pauper « in eodem monasterio victum & præbendam habeat in perpetuum. «

XCI. Cellam apud Disceias cedit Odoni abbati Autisiodorensi.

Idem Bruno abbas in præsentia Mainardi episcopi Senonensis, & Parisiorum episcopi Hecelini, cellam apud villam Diseias, quam Autisiodorenses sancti Germani « abbates injuste antea tenuerant, Odoni ejus loci abbati petenti concedit sub annuo « censu sex solidorum, solvendorum in festivitate sancti Bercharii, quæ est XVII. kal. « Novembris. *Actum publice monasterio Putiolus seu Dervo, regnante in regno Francorum Heinrico rege post obitum patris anno vicesimo. Data* VIII. *idus Januarii, anno ab incarnatione Domini millesimo quinquagesimo.* Hujus Brunonis consanguinea erat nobilis matrona, nomine Mainsendis, quæ partem sibi competentem in villa Dervo contulit eidem monasterio, ubi majores sui humati erant, & avunculus suus Adelelmus habitum monasticum induerat. Has duas postremas litteras in Appendice referemus. Ejusdem Brunonis jussu liber de miraculis sancti Bercharii abbatis scriptus est ab anonymo ejus loci monacho, qui consulto nomen suum reticuit. *Ejus imperiis,* inquit ille, *frequenter iteratis impulsus, hoc arripui opusculum, mutâ paginâ a nomine auctoris,* nempe ut vitaret opprobrium *inepti sermonis.*

Librum de miraculis S. Bercharii scribi curat.

XCII. S. Crispini rotulus.

Obiit hoc anno Garnerius seu Warnerius præpositus ecclesiæ sancti Stephani Divionensis, vir pius & illustris, de cujus obitu exstant lugubres *tituli* multarum ecclesiarum, in his *titulus* [b] *monasterii sanctorum Crispini & Crispiniani Suessionensis,* in quo adscripta sunt de more nomina mortuorum ejus loci abbatum & monachorum, ut hic subjiciuntur in titulo, seu lugubri epistolio, quod sic habet.

[b] *Hist. de S. Estienne de Dijon prob. p. 70.*

Postquam ad limina beatorum martyrum Crispini & Crispiniani, in territorio Suessionensi sita, rotlifer pervenit, vestrorumque obitum nunciavit; nostro pro posse caritatis

ANN. CHR. 1050.

officia ex more persolvimus. Cujus rei gratia, fratres carissimi, his, quos annotatos aspicitis cum omnibus, vestris orationibus succurrere nitimini. Ragenardus abbas, Adulfus abbas, Gerardus abbas, Atelemus abbas, Tetboldus abbas, Milo decanus, Lambertus sacerdos & monachus, &c. Ignoti erant quinque isti abbates. Tunc Anselius abbas erat sancti Crispini. Rotlifer seu rotliger erat is, qui rotulum seu indicem mortuorum ad ecclesias suffragiorum societate conjunctas deferebat, ut alias[a] diximus: qui quia nonnisi tristia & mortes nuntiabat, Baldricus Burgulienses abbas ludendo ita invehitur *in roligerum.*

a *Annal. to. 3. p. 762.*

Obsecro jam parcat tam sæpe venire veredus:
Per nimios usus, nimium sua verba veremur.
Vivant prælati, pro quorum morte vagatur.
Vultur edax, corvusque niger, volitansque veredus,
Necnon bubo canens dirum mortalibus omen;
Significant mortes, præsaganturque cadaver.
Sic rotulus semper mortem cujuslibet affert.
Ergo sit a nostris penitus conventibus exsul,
Qui semper mortem, qui nuntiat anxietatem.
Nam si sæpe venit, nummi mercede carebit.

XCIII. Uticense monasterium instauratur.

Jacebat a multis jam annis Uticense monasterium, a sancto Ebrulfo abbate in Neustria sæculo sexto constructum, quod a paganis[b] sæculo decimo, uti alia fere Neustriæ monasteria, eversum fuerat. Illud vero monachis omnino destitutum mansit ad hoc usque tempus, quo Willelmus, Geroii viri præpotentis filius, Escalfoii dominus, veterem ecclesiam sancti Petri Restoldo & Ingranno piis[c] presbyteris incolendam assignavit, & paullo post Beccensibus monachis concessit. Illuc missus ab Herluino abbate Lanfrancus cum tribus monachis; qui divinum eo loci cultum redintegrare cœperunt. Per id tempus nobiles duo germani, Hugo de Grentemaisnilio & Rotbertus, cœnobium apud Nuceretum villam suam prope Grentemaisnilium construere[d] cœperunt. Hi nepotes erant ex sorore Willelmi Geroïani mox laudati, militis inclyti, qui a Willelmo Talvacio perfide oculis & membris orbatus, bis Jerosolymam profectus est; indeque secundo reversus, sæculo nuntium remisit, factusque Becci monachus, Uticensem sancti Petri ecclesiam, ut diximus, Beccensibus concessit. Hic, comperto nepotum suorum consilio, quod valde probavit, eis auctor fuit, ut, Nucereti statione relicta, utpote aquis & nemore destituti, Uticum se conferrent. Assensere fratres, &, loco perlustrato, monasterium illic instaurare constituunt. Verum, quia locus ille Beccensibus tributus erat, facta cum eis alterius loci permutatione, Uticum liberum receperunt. Dehinc, Willelmi principis consensu obtento, novi monasterii hoc anno fundamenta ponunt, & accepta eligendi abbatis facultate, Gemeticum se conferunt ad Rotbertum abbatem, & ab eo rectorem exposcunt. Annuit rogantibus Rotbertus, & unum e suis, Theodericum nomine, quem ad pastoralem curam magis idoneum noverat, eis concessit. Illi statim duci præsentant electum, quem ille, dato, ut tum moris erat, baculo pastorali, novo Uticensi monasterio præfecit: eumdemque Hugo Lexoviensis episcopus III. nonas Octobris ordinavit. Hic Theodericus genere Nortmannus[e] erat, ortus ex Caletensi * pago, quem Calogiensem Ordericus vocat, vir sacris litteris eruditus, librorum ac litterarum amans, sed maxime religione ferventissimus, qui ab infantia usque ad canos divino cultui mancipatus fuerat. Hunc venerabilis Theodericus Gemeticensis abbas e sacro[f] fonte levaverat, & sub monastico jugo educatum magnopere dilexerat, eumdemque jam moribus maturum infantium magistrum & claustralem priorem instituerat. Ad constructionem porro novæ domus Theodericus junior Rodulfum nepotem suum & Hugonem cantorem, aliosque idoneos fratres Gemetico secum adduxit, per quos regularem disciplinam Utici optime excitavit. Ordinatus autem in superbiam elatus non est, sed religionis viam verbis & exemplis ostendit his, quos novæ institutionis candidatos admisit. Hos ad bene legendum, canendum, & ad scribendum & ad alia quæque bona studia, quæ solitariis conveniunt, diligenter erudiebat: quos vero ad studia scripturarum minus idoneos noverat, hortamentis & exemplis in religione

b *Orderic. li. 6. p. 619. & seq.*

c *ibid. p. 625.*

d *id. lib. 3. p. 460. & seq.*

Theodericus abbas.

e *ibid. p. 468.*

* *le païs de Caux.*

f *ibid. pag. 462.*

confirmabat. Sub tali magistro brevi crevit res familiaris, quam non modo Hugo & Rotbertus germani, sed etiam Willelmus Geroïanus, ejusque fratres multum auxerunt, ut Ordericus, ejus loci monachus, fuse[a] docet. Ex his Rotbertus de Grentemaisnilio, sæculari habitu depositio, monasticum eodem anno Utici sub Theoderico induit, eidemque loco multa prædia & ornamenta contulit, in his magnum psalterium, variis picturis decoratum, ex dono matris suæ Hadvisæ, quod Emma regina, conjux Ethelredi regis Anglorum, Rotberto Rotomagensium archiepiscopo fratri suo olim dederat, & Willelmus Geroïanus ejus filius, Hadvisæ sorori suæ donaverat, quæ ab Orderico ex incogitantia ejus conjux hoc loco[b] dicitur.

ANN. CHR. 1050.

a *id. p. 465. & seq.*

b *ibid. p. 468.*

XCIV. Antiquarii Uticenses.

In primis Theodericus abbas exteriores curas, quatenus poterat, devitare studebat, seseque divinis obsequiis sedulo mancipabat, in precibus assiduus, & in opere manuum, quod ipsi competebat, præsertim in scriptoria arte, in qua excellebat. Hinc antiquariæ artis præclara monumenta, cum per se, tum per discipulos suos, Uticensibus reliquit. Collectaneum enim ipse, necnon graduale & antiphonarium propria manu descripsit; ejusque generis codices a sociis, qui secum Gemetico venerant, exarari curavit. Rodulfus enim ejus nepos heptaticum & missale descripsit; Hugo expositionem super Ezechielem & decalogum, primamque partem Moralium; Ragerius vero presbyter tertiam partem ac libros Paralipomenon Salomonis. Denique per octo annos, quibus Uticensibus præfuit, omnes libros veteris ac novi testamenti cum libris Gregorii Magni exarari curavit. Hinc ex ejus schola prodiere insignes antiquarii, in his Berengarius, qui postmodum ad episcopatum Venusiæ promotus est; Goscelinus, Rodulfus, Bernardus, Turchetillus, Richardus, aliique, qui sanctorum patrum operibus Uticensem bibliothecam locupletarunt. Ad hunc laborem pius abbas idemtidem discipulos suos hortabatur, proposito inter alia exemplo cujusdam monachi defuncti, quem ad Dei tribunal multorum delictorum a dæmonibus accusatum, sancti angeli vindicasse dicuntur, objecto enormis molis codice, ab eo scripto, singulis peccatis opponentes singulas scripti codicis litteras, cujus una sola littera numerum peccatorum excessit. Ad hunc modum Theodericus abbas discipulos suos ad vitandam otiositatem hortabatur, monebatque ut orarent, legerent, psallerent, scriberent, manuumque suarum opera Deo jugiter sacrificarent.

XCV. Detractores patitur abbas.

His dum instaret pius abbas, nihilo minus pro hujusmodi studiis a quibusdam monachis, qui sæculares curas divinis præponebant officiis, conviciis afficiebatur. Ejusmodi homo, inquiebant illi, non meretur esse abbas, qui res exteriores curare nescit, negligitque. Unde vivent oratores, si defecerint aratores? Similia olim verborum jacula in Trithemium torquebant ob similem causam Spanheimenses. Malumus, aiebant illi, aratorem, quam oratorem. Hæc itaque hisque similia ingerebant sæculares illi monachi optimo abbati: at Willelmus Geroïanus, qui pro ejus sanctitate illum maxime colebat, conviciantes acriter revincebat, & pro viro Dei contra omnes querelas intus & foris (nam & foris æmulos habebat abbas) rationes reddebat. Verum, cum pro utilitatibus monasterii idem Willelmus in Apuliam profectus esset, nec inde revertisset; vir Dei tanto defensore orbatus est. Hinc adversarium passus est ipsummet Rotbertum Hugonis fratrem, alterum monasterii instauratorem ac monachum, ut suo loco videbimus.

XCVI. Radulfus monachus fieri petit leprosus.

Hic Willelmus filius, ut jam diximus, Geroii, qui ex illustri genere Francorum & Britonum ortus, Abonis Britonis filius, sex fratres habebat, & quatuor sorores, quarum una, nomine Hadvisa, Rotberto de Grandesmainilio nupsit, & ex eo Hugonem & Rotbertum, Uticensis monasterii instauratores, peperit. Willelmo quintus frater erat Radulfus, Clericus[c] cognominatus ob peritiam litterarum & artium, quibus imbutus erat; dictus etiam Mala-corona, quod clericatus honorem militaribus exercitiis & levitatibus deturpasset, idem medicinæ & rerum arcanarum peritissimus. Ad extremum, relictis sæculi lenociniis, ad Majus-monasterium secessit; ibique sub Alberto abbate monachus factus, Deum obnixe precatus est, ut insanabilis lepræ morbo in corpore fœdaretur ad expiandas peccatorum sordes, quas in sæculo contraxerat. Re vera quod pie precatus est, cælitus obtinuit, lepraque percussus, post conversionis annos fere sex piissime decessit. Willelmus[d] ejus frater Becci monachus itidem factus est.

c *id. p. 464. V. Willelm. Gemet. lib. 7. c. 10.*

d *Willelm. ibid.*

ANN. CHR. 1050. XCVII. Troarni abbatia conditur. a *Orderic. p. 462.*

Dum Uticensis monasterii nova surgerent ædificia, Rogerius de Monte-Gomerico, Oximensis vicecomes, contribulibus suis invidere cœpit, quod ipso amplius in Dei amore ferverent; adeoque pia æmulatione consimile opus aggredi decrevit, apud Troarnum, qui locus est diœcesis Bajocensis ad Ornam fluvium, tribus ab urbe Cadomo leucis. Unde Gislebertum [a] Castellionis seu Conchensis monasterii primum abbatem cum monachis suis, quos Hugo & Rotbertus fratres apud Nuceretum collocaverant, accersivit, ad construendam apud Troarnum abbatiam, ubi pater ipsius Rogerius duodecim canonicos constituerat. His ob morum turpitudinem ejectis suffecti sunt monachi, regularibus imbuti disciplinis, qui sub disciplina Gisleberti abbatis in ecclesia sancto Martino sacra districtam religionis normam instituerunt, suisque sequacibus usque ad mortem servandam tradiderunt: *quam successores eorum sub eruditis patribus, Gerberto, Durando & Arnulfo, usque hodie*, inquit Ordericus, *laudabiliter tenere fategerunt.* Gerbertus ille primus locum haud dubie rexit, forte abbatis titulo necdum donatus: Durandus enim primus abbas fuisse creditur, anno M LIX. institutus, cum illius loci ecclesia dedicata est: Arnulfus ejus successor.

XCVIII. S. Martini Sagiensis monasterium. b *id. ibid. p. 470.*

Non stitit se Rogerii pietas in constructione Troarnensis monasterii: quin etiam progressa est ad aliud condendum sub titulo itidem sancti Martini in suburbio Sagiensi. Id factum instinctu Ivonis illius urbis [b] episcopi, cujus neptem, Mabiliam nomine, Willelmi Talevacii filiam, Rogerius desponsaverat, *per quam*, inquit Ordericus, *magnam partem possessionis Willelmi Belismensis* avi sui *obtinuerat.* Idem Rogerius novam sancti Martini ecclesiam apud Sagium Theoderico Uticensi abbati commisit, monasticis ædificiis & institutionibus instruendam. Mox ille manum operi admovere cœpit, ibique Rogerium sacerdotem & monachum una cum Morino & Engelberto, aliisque discipulis suis instituit: ubi Theodericus ipse idemtidem per tres aut quatuor menses commorari solebat. Eidem Theoderico Rogerius & Mabilia primogenitum suum, Rotbertum de Belismo, cujus crudelitas [c] insignis fuisse dicitur, sacro fonte abluendum obtulerunt. Postea tamen eadem Theoderico Mabilia magnopere infestam se præbuit. quod illi exitium attulisse traditur. Hæc duo monasteria, Troarnense & Sagiense, ab eodem exorta auctore, magnam inter se se affinitatem principio habuere. *Unus amor*, inquit [d] Ordericus, *hos pariter cœnobitas connexuit*; unus utriusque patronus fuit sanctus Martinus Turonensium pontifex.

c *lib. 8. p. 707.*

d *id. lib. 8. p. 677. & seq.*

» Sagienses a Troarnensibus primum sibi abbatem accepisse tradit idem auctor: qui
» non satis sibi constare videtur, cum ait, Fiscamnensem normam utrique monasterio
» impositam fuisse: cum prius dixisset, Gislebertum Castellionis abbatem Troarnensi, Theodericum vero Uticensem Sagiensibus primam coloniam suppeditasse. Primus Sagiensium abbas ponitur Robertus, *vir bonus ac simplex*, teste Orderico. Quod attinet ad Rogerium de Monte-Gomerico, a Willelmo Conquæstore donatus est comitatibus Arundelli in Anglia. & Scrobesburiæ, ubi tertium condidit monasterium in honorem sancti Petri: quo in loco monasticum habitum induit in extremis, ac pie decessit, ut suo loco videbimus.

XCIX. S. Mariæ Lexovienſe parthenium. e *Neustria pia p. 584. & seq.*

Non ante hoc tempus data est charta pro Lexoviensi sanctæ Mariæ parthenone a Willelmo Nortmannorum duce ad preces Hugonis illius urbis episcopi, & Lescelinæ ejus matris, qui sanctimonialibus, e Divensi monasterio illuc translatis, locum, qui ad-sanctum-Desiderium dicebatur, in suburbio Lexovii positum, ad construendum in honorem sanctæ Dei-genitricis ac virginis Mariæ monasterium, cum multis prædiis contulerunt. Editum est hac re Willelmi diploma in Neustria [e] pia cum multis mendis, & sine chronicis notis, quæ in litteris Nortmannorum per id tempus omitti solent. Verum non ante hunc annum, ut dixi, datum est hoc diploma, cui post Willelmi comitis seu ducis nomen appositæ sunt signa, in primis Hugonis episcopi, qui hoc anno sedere cœpit; tum Rogerii vicecomitis de Monte-Gomerico, Willelmi-Taxonis filii Osberni, Rotberti fratris comitis, id est Willelmi ducis, Radulfi-Taxonis, & aliorum, ut in authentico legimus, quæ nomina in editis, uti & contextus diplomatis, vitiata sunt. Præter Hugonem episcopum alii quoque multa eidem loco prædia contulerunt; in his Gislebertus pro filia sua, quæ ibidem sanctimonialis facta est; necnon Osilia, quæ pro filia itidem sua dedit *medietatem de Bretta-villæ, quæ sita est juxta Ceus* (sic enim legendum) qui locus est pagi Cadomensis versus Bajocasses. Adde terram Rogerii Foresterii, *quam emit Lescelina trans*

trans Tolcam * *fluvium*, qui fluvius Lexovium & Augensem pagum alluit, & infra Pontem-episcopi in oceanum devolvitur.

ANN. CHR. 1050. * *Touque.*

Eodem tempore Johannes Fiscamnensis abbas epistolam scripsit ad Leonem papam in reditu ex Italia, quo in itinere ab Italis vim passus est ex odio gentis Nortmannorum, qui Apuliam invaserant. Hac de re conqueritur in illa epistola, in qua, præmisso pontificis elogio, hæc habet. *Nota loquor in aurem pontificis de prævaricatione ecclesiasticæ pacis, quam mihi, vestræ fidelitatis nuncio, immo ipsius Petri apostolorum principis legatione functo, irrogaverunt, non exteræ nationes, sed ipsi Romani cives, & in secundo loco Richesburh, & Aquæ-pendentis suburbiorum potentissimi habitatores. Hi certe, contemta super pace apostolica vestra sanctione, me invaserunt, spoliaverunt, & omnibus piis lacrymabiliter dehonestaverunt, frustra mandata vestræ legationis præferentem, & in defensionem mei patrocinium apostolicæ auctoritatis vocantem. Porro hæc Italorum in Nortmannos invidia adeo exarsit, & jam inolevit, ut pæne per omnia Italiæ suburbia vix umquam ulli Nortmannorum liceat tutum iter carpere, etiamsi sit peregrina devotione, quin assaliatur, trahatur, nudetur, colaphizetur, vinculis religetur, sæpe etiam tristem exhalet spiritum, longo carceris squalore maceratus. Unde notum tibi sit, christianæ plebis humanissime pater, quia nisi Romana pietas apostolica interdictione aboleverit hanc indisciplinatam barbariem, & maxime in specialis sui legati injuriam vindicaverit, ita ut totus orbis audiat & contremiscat; valde depretiabitur Romanæ majestatis auctoritas, nec erit gens illa Nortmannorum bellica in vestra fidelitate adeo prompta & devota.* Postea mentionem facit *de Tedbaldo comite, & Burgundionum infrunito duce* Rotberto, prima dumtaxat nominis sui littera designato, *qui transgressores*, inquit, *pontificalium decretorum, fas nefasque confundunt: qui, abdicatis legitimi thori connubiis, volutantur inhonestis & consanguinitate fœdatis thalamis*; additque Tedbaldum adiisse pontificem, indeque rediisse impune; immo quasi auctoritate papæ roboratum *falsam illam Agnem* (id adulteræ nomen aliunde haud compertum) *in sua* vindicasse, & vivente marito usurpasse *exsecrabili stupro, facto illicito licitæ conjugis divortio.*

C. Johannis abbatis epistola ad papam. a *Martene Miscell. to. 1. part. 2. p. 22.*

CI. Rotbertus fit Cantuariæ archiepiscopus.

Cum Rotbertus abbas, ejus nominis tertius, Godefridi successor, Gemeticensi monasterio præesset; Rotbertus secundus in Anglia versabatur, eo invitatus, ut superius diximus, ab Edwardo rege, cui olim in Gallia exsuli subvenerat. Post variam fortunam factus est primum Londonii episcopus, ac demum hoc anno Cantuariensis primas post mortem Edsii seu Eadsini, cujus chorepiscopus seu vicarius Siwardus apud Abendoniam nuper defunctus, ibidemque sepultus erat. Verum non diu hac dignitate tranquille potitus est Rotbertus. Vix enim biennio sedem illam tenuerat, cum per Godwinum comitem, quem jam pridem adversarium sustinuerat, exagitatus, prolata in ipsum ejusque populares Nortmannos sententia quasi statum regni conturbarent, ille pro sua causa sedem apostolicam appellavit. Sed cum inde Gemeticum revertisset, morbo correptus ibidem interiit.

CII. Airardus episcopus Namnetensis.

Vacabat hoc eodem tempore Namnetensis ecclesiæ in minori Britannia sedes ab anno superiore, quo Budicus, qui illius urbis vitio factus fuerat episcopus, in synodo Remensi cum aliis in ordinem redactus fuerat. In ejus locum suffectus Airardus, missus a Leone papa, inconsultis Namnetensis ecclesiæ clericis, qui litteris ad pontificem scriptis hac de re conquesti sunt, causati, hominem [b] non episcopali tantum, sed omni dignitate indignum esse; omni publicæ administrationi omnino imparem, nullius considerationis, nullius ponderis; adeoque nulla umquam ratione ab se admittendum. Id ex falso præjudicio obtendebant illi de Airardo, quippe qui post Budici depositionem Namnetensem ecclesiam non male rexit. Erat is cardinalis & abbas ecclesiæ sancti Pauli in urbe Roma, ubi Hildebrandus tum subdiaconus post eum institutus est. Inito episcopatu, Airardus concilii Romani, cui interfuerat, recens editum decretum, quo ecclesiarum altaria & decimas sacris ministris à laïcis restitui sancitum erat, observari curavit. In his Rodaldus quidam, e primoribus gentis, ea omnia, quæ tenebat, episcopi arbitrio commisit: quæ episcopus Majoris-monasterii monachis, ob insignem eorum religionem ac fervorem, donavit, ut sui, gregisque sibi commissi *in suis benefactis* essent memores. quod Mathias Namnetensis comes statim approbavit, & post aliquot annos Quiriacus episcopus, Airardi successor. Utrasque litteras in Appendicem rejicere visum est. Ad hæc idem Airardus ecclesiam Salvatoris de Bairiaco * contulit eisdem Majoris-mona-

b *Martene Miscell. to. 1. parte 2. p. 24.*

Bairiaci cella Majoris monasterii. * *Baré.*

ANN. CHR. 1050. * Chateau-Brient.

sterii monachis, qui cellam ibidem erexerunt haud procul a Castro-Brientii *, unde cella Brientii vel Bairiaci promiscue vocata est. Hunc locum Brientius miles, interpellatus a matre sua Ignoguende, fratribus Majoris-monasterii concessit, *quatenus ego*, inquit, *& pater meus Tennarius & mater mea, & filii Gaufredus & Tennarius, & conjux mea Adelendis, eorum orationibus adjuti, eorum consortio, qui elecmosynis Deo placuerunt, adjungi mereamur.* Ab hoc Brientio Castrum-Brientii seu Briennii, comitatus titulo insigne, nuncupatum fuisse notitia quædam a prædictis monachis facta docet, in qua Gaufridus patri suo Brientio successisse dicitur. Eidem cellæ Marbodus, Hamelinus, & Iterius Namnetenses episcopi multa beneficia contulerunt. Hæc contigere Alberto Majoris-monasterii abbate, cui Amalricus miles anno Heinrici regis vicesimo-primo locum quemdam [a] in pago Carnutensi, vocabulo Senicurtem, cum suis adjunctis contulit, voluntate & assensu conjugis suæ Bertredis, ac filiorum Simonis & Mamerii : cujus donationis litteris appositum est signum Heinrici regis, dein signa donatorum, tum Theobaldi comitis, Odonis fratris regis, Galeranni comitis, scilicet Mellentensis, Hescelini (forte Imberti) Parisiacæ urbis episcopi, Guazonis de Drocis, & aliorum.

a *Spicil. to. 13. p. 290.*

CIII. Vindocinensis monasterii libertas.

Exstant apud Sirmundum in notis ad Goffridum abbatem tabulæ Goffridi seu Gaufridi Andecavensis comitis, quibus testatur, se, cum Vindocinensem comitatum, Adelæ sororis suæ filio, donaret, de monasterio sanctæ Trinitatis ab se condito excepisse, caviseque, ne potestati Andecavensium comitum umquam subtraheretur, quippe qui monasterium ipsum & res illius universas ab omni consuetudine, sive exactione quietas auctoritate & assertione Heinrici regis Francorum domini sui, Theoderici etiam Carnotensis episcopi consilio, & beato Petro apostolorum principi & Romanæ ejus ecclesiæ in alodium & patrimonium obtulerit, illius loci sola defensione sibi, suisque in Andegavensi comitatu successoribus reservata. *Actum apud castrum Vindocinum in ecclesia sanctæ Trinitatis, anno ab incarnatione Christi millesimo quinquagesimo, indict.* III. *regnante Heinrico Francorum rege, anno imperii sui nono-decimo.* His litteris post Goffridum subscribit Fulco nepos ejus, aliique illarum partium nobiles viri. In iisdem litteris ait Goffridus, se nepoti suo Fulconi donare honorem Vindocinensem, *quem patri ejus Bodoni cuidam Burgundioni* pater suus Fulco cum filia ipsius, sorore sua Adela, absque suo assensu contulerat, ubi Sirmundus legendum putat *Odoni*, cum non modo in chartaceo codice, sed etiam in authentico legatur *Bodoni*. Addit Goffridus, Fulconem *super textum evangeliorum, extrinsecus de auro fabricatum*, & super ipsum altare sanctæ Trinitatis juravse, se omnia hæc observaturum. quod tamen nequaquam præstitit.

b *Sirm. p. 3. & 4.*

CIV. Wifredus comes & monachus obit.

Hoc ipso anno, mense Julio exeunte, ex hac vita discessit Guifredus seu Wifredus Ceritaniæ comes, suscepto jam pridem habitu monastico in cœnobio Canigonensi, quod ipse condiderat. Exstant de ejus obitu litteræ [b] encyclicæ, per varia monasteria missæ, quibus preces & suffragia exposcuntur *pro domno Guifredo venerabilis memoriæ comite*, quem noverunt Italia, Gallia & Hispania : qui, dum sæculari honore potiretur, ut Deo bonorum omnium auctori se gratum præstaret, » Canigonense monasterium ædificavit : ubi postea, relictis temporalibus honoribus » cum uxore & liberis, ibidem pauper Christi esse voluit. His litteris adscribunt Canigonenses nomina patrum suorum Selvæ, & Renardi abbatum, & aliorum; commendantque simul animam Olivæ episcopi & abbatis, qui paullo ante decesserat.

c *V. lib. 57. n. 75.*

d *Marca Hisp. p. 1094.*

Lezatum instauratur.

Eodem fere tempore Lezatense monasterium instaurari cœptum est, curante in primis Bernardo-Raimundi episcopo Cosederadensi & abbate, cui operi multum subsidii contulere Gaucelinus monachus, aliique ejusdem regionis principes viri. Hoc monasterium postea Hugoni abbati Cluniacensi traditum est.

CV. Andaonenses abbates.

Tunc Avenionensem ecclesiam regebat Rostagnus episcopus, qui ex rebus ecclesiæ sibi commissæ, cum consensu canonicorum, Andaonensi sancti Andreæ monasterio concessit ecclesiam sanctæ Mariæ apud Juncarias cum suis adjunctis, ea lege, ut Aicardus monachus arcam sancti Veredemii ab ipso incœptam perficiat, & monachi annuatim mense Octobri sanctæ matri ecclesiæ sex denarios persolvant. Tunc Andaonensi monasterio præerat Ermengardus abbas, factus postmodum abbas apud sanctum Ægidium, ubi post annos septem fato functus est. Post Gisonem ejus successorem, & Rolandum, qui paucis annis monasterium rexerunt,

eidem loco præficitur Pontius, vir sanctus, de quo in consequentibus agendum.

ANN. CHR. 1050.

Sub idem tempus condita sunt duo monasteria, præter ea, de quibus hoc anno egimus, Lucedium scilicet in diœcesi Vercellensi prope Liburnum [a] Canapitii, in locis palustribus situm; & Comense sancti Januarii : quorum alterum a Bonifacio Montis-ferrati marchione a fundamentis erectum dicitur; sæculo insequenti ad Cistercienses translatum : alterum a Bennone Comensi præsule pro monachis, uti & primum, Benedictinis, quos inde inquit [b] Ughellus, demigrare coëgit luxus commendatariorum, quibus Sixtus quartus pontifex census illos contulit exhauriendos.

CVI. Lucedium & Comense monasteria.

a *Chronol. Pedem. p. 312.*

b *Ital. sac. to. 5. p. 279.*

Hunc annum claudet obitus Alferii Cavensis abbatis, viri sanctitate eximii, qui die cænæ dominicæ ad cælestes epulas jejunus migravit. Hic paullo ante obitum statuerat, ut ne plures quam duodecim fratres in monasterio admitterentur, pro portione scilicet facultatum illius loci : at morti proximus hoc statutum revocavit, confessus se id secundum hominem dixisse; sibi vero divinitus fuisse revelatum, fore, ut innumera multitudo ad suum monasterium confluereet. adeoque futuram fratrum receptionem non ex præsenti inopia, sed ex futura copia metiendam, quia ille, qui homines ad regnum suum vocat, eisdem commeatum abunde sufficere valet. His lætis quædam etiam adversa permiscuit : post obitum quippe suum in illud ovile lupum quemdam irrupturum, sed citius periturum, quod re ipsa contigit. Ante sextum sui exitus diem Christus Dominus ei se conspicuum præbuisse traditur, atque dixisse, virum sanctum ipso die cænæ ad se migraturum. Ubi illuxit hæc dies, missarum sollemnia celebravit, fratrum pedes abluit, pauperibus donativa distribuit, &, instituto successore venerabili Leone, in cellulam speluncæ, ubi manere consueverat, secessit, exitum suum Domino precibus commendaturus; ibique mortuus a fratribus inventus est, cum fere centum viginti esset annorum. Obiit pridie idus Apriles, qui dies apud Cavenses festive celebratur.

CVII. Alferius abbas Cavæ obit.

Sepultus est in speleo *circa oratorium*, quod idem vir Dei exstruxerat, ubi modo sacra eucharistia servatur. Ejus tumulum ambiunt hinc inde tumuli Petri primi ac Petri secundi abbatum. Librum de sancti Alferii gestis, triumque ejus successorum, Leonis, Petri, atque Constabilis, scripsit abbas quidam Venusinus, qui Alferii nonnulla miracula recitat. In his quidam dæmoniacus ad ejus tumulum liberatus traditur : & is pictor erat, qui, accepti beneficii memor, *ecclesiam sanctæ Trinitatis, quam suffraganeam vocant*, propriis manibus depinxit.

In Alferii demortui locum suffectus Leo ipsius discipulus, ejusque conversationis perfectus imitator. Hic Tuscus genere, civis Luccensis, cum in partes Salernitanas veniisset, comperta viri Dei sanctitate, ejus se disciplinæ informandum tradidit : in qua tantum profecit, ut non solum ejus laborum æmulator, sed etiam mirabilium operum conscius exstiterit. Hic quippe solus a magistro admissus est, cum ille pro excitando mortuo preces ad Deum fudit. Fuit Leo beatissimæ virginis Mariæ, necnon sanctæ Cæciliæ cultor devotissimus, erga pauperes & carcere detentos optime affectus, prophetiæ spiritu præditus. quo in genere exitium prædixit Gisulfo Salernitano principi, qui tribus reis, quos oculis orbari jusserat, noxam ad ejus preces remittere noluit.

CVIII. Leo ejus successor.

Apud Treviros sub idem tempus Bertulfus, S. Eucharii seu S. Mathiæ monasterii abbas, corpora sanctorum Eucharii & Valerii, primorum apud Treviros evangelii præconum, ad id tempus incerto loco abdita, in lucem extulit, Eberhardo metropolitano cum duobus suffraganeis, Adalberone Mettensi & Theoderico Virdunensi, sacræ pompæ præsidente. Hoc comperto, Heinricus imperator, sancti Valerii corpus exornandæ novæ Goslarienst ecclesiæ sibi in Saxoniam ab Eberhardo mitti postulavit. Ille vero tam piæ imperatoris voluntati haud abnuendum ratus, sacrum illud depositum, nuperrime inventum, cum aliis sanctorum reliquiis ad cæsarem deportavit. qui tanto beneficio vicem rependere cupiens, *prabendam monachorum Deo, sanctoque Euchario regulariter servientium*, auxit, concessa villa, quæ Villmaria nuncupatur, nunc haud ignobile municipium, positum ad Loganam fluvium, Runchelium inter & Weilburgum. Hujus donationis diploma a Browero [c] relatum, datum est Goslariæ anno MLIII. Eodem fere tempore, eodemque in monasterio inventum traditur corpus sancti Mathiæ apostoli, cujus nomine deinceps monasterium insignitum est. De possessione sacri illius corporis idem Browerus [d] fuse differit.

CIX. Treviris apud S. Eucharium reliquiæ inventæ.

c *Brower. Annal Trevir. to. 1. p. 531.*

d *ibid. & seqq.*

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER SEXAGESIMUS.

Ab anno Christi 1051. *ad annum* 1057.

ANN. CHR. 1051. I. Leonis papæ varia facta.

INITIO anni insequentis millesimi quinquagesimi-primi Leo pontifex adhuc trans alpes versabatur, uti discimus tum ex Adamo Bremensi, tum ex Hermanno, illius temporis scriptoribus. nam, teste Hermanno, dominus papa & imperator cum multis episcopis & principibus apud Augustam-Vindelicorum convenientes, purificationem Deigenitricis illic celebraverunt, & Hunfrido Ravennate archiepiscopo ipsi reconciliato, pontifex Romam revertitur. Verum antequam Augustam-Vindelicorum procederet, Moguntiam haud dubie profectus est: ubi synodus generalis habita, *præsidente domno apostolico*, ut scribit [a] Adamus, præsente Heinrico imperatore cum episcopis, Bardone Moguntino, Everardo Trevirensi, Hermanno Coloniensi, Adalberto Hammaburgensi, Engelardo Magdeburgensi, ceterisque provinciarum sacerdotibus: qua in synodo Sibico Spirensis episcopus, cui stupri crimen imputatum erat, examinatione sacrificii purgatus; simoniaci & conjugati sacerdotes damnati. Moguntia itaque digressus pontifex, indeque Augustam-Vindelicorum ineunte Februario progressus, Romam demum rediit: ubi post pascha alteram habuit synodum, in qua Gregorius Vercellensis præsul ob crimen adulterii damnatus, sed postea reconciliatus; aliaque fere eadem, quæ in Moguntina, sancita fuere. Ad hæc Udonem Tullensis ecclesiæ primicerium, quem post Petrum ecclesiæ Romanæ cancellarium instituerat, Tulli-Leucorum episcopum sui vice ordinavit, Friderico, Godefridi ducis fratre, in locum Udonis ad officium cancellariæ substituto. Post pascha ex Urbe egressus pontifex, Capuam primum perrexisse dicitur a Leone [b] Marsicano; postea iterum Beneventum, indeque Salernum: cujus urbis ecclesiæ [c] novum privilegium, rogatu Johannis archiepiscopi, indulsit. *Datum* XI. *kal. Augusti per manus Friderici sanctæ apostolicæ sedis bibliothecarii & cancellarii*, vice * *domini Herimanni Colonienſis archiepiscopi & archicancellarii, anno domini Leonis IX. papæ tertio, indict.* IV. Hoc primum exemplum est archicancellarii in litteris pontificiis: cujus rei alia in solo Leone exempla inferius occurrent. Dehinc, ut Leo Marsicanus prosequitur, expellendorum Nortmannorum gratia, ultra montes ad impe-

[a] *Adam. c.* 147.

[b] *Chron. Cas. lib.* 2. *c.* 83.

[c] *Baron. hoc anno.*

* al. &

ratorem accessit, milites exinde conducturus. Verum cum multas copias ab imperatore obtinuisset, Gebehardus Eistetensis episcopus apud eum effecit, ut ab illa expeditione revocarentur: sicque cum quingentis tantum militibus, quos a propinquis impetraverat, in Italiam remeavit. ANN. CHR. 1051.

II. Sublaci abbatem Humbertum instituit.

Antequam in urbem Capuam se conferret pontifex, ad Sublacense divertit monasterium, cujus præfecturam quidam pseudoabbas, Atto nomine, tunc occupabat post Benedictum, qui sacro illi loco pontificatu Clementis II. præfuerat. Verum Atto, apostolici comperto accessu, causæ suæ diffisus, Trevam se recepit, jussusque coram pontifice se sistere, in Campaniam refugit ad sanctæ Cæciliæ ecclesiam, juxta Plumbinariam sitam, ubi usque ad obitum permansit. Ejus loco pontifex Humbertum, monachum Francum, ibidem abbatem ordinavit; jussitque sibi afferri falsa instrumenta, quæ forte pseudoabbas ille in monasterii perniciem fabricaverat, eaque coram se igne cremari curavit. quod quidem ingenue retulit Sublacensis chronographus: ut appareat ejusmodi falsa, immo *falsissima*, ut ipse vocat, *monumenta chartarum*, ab se suisque Sublacensibus valde improbata, &, quod veri simillimum est, ab iisdem ipsi pontifici indicata fuisse. His peractis, Leo apostolicis litteris confirmavit omnes possessiones illius monasterii, quod *caput omnium monasteriorum per Italiam constitutorum* appellasse fertur. Id autem approbat chronographus, propterea quod illo in loco primam sedem instituit omnium Latinorum monachorum sanctus parens Benedictus, & quod Regulam ibidem suam, Spiritu-sancto dictante, scripserit. quod non facile concesserint nostri Casinates. Ordinatus itaque Sublaci abbas Humbertus (quem ne confundas cum Humberto Silvæ-candidæ episcopo) monasterii vetera ædificia instauravit, bibliothecam auxit, sacri specus oratorium renovavit, & rem familiarem servare & augere studuit. qua in re adversarium sustinuit quemdam Landum de Civitella, qui comprehensum abbatem in custodiam retrusit, nec monachis flagitantibus restituere voluit. Hi itaque, ne monasterium absque rectore esset, Johannem Farfensem monachum, Odonis filium, accersunt, eumque sibi abbatem præficiunt. quod ægre ferens Landus, Humbertum eis reddidit. Verum multa deinde adversa sustinuit Humbertus, cum ab exteris, tum a domesticis: ex quo factum est, ut monasterium ad maximas redigeretur angustias usque ad pontificatum Alexandri secundi, qui per Hildebrandum archidiaconum ei succurrit.

Farfenses papæ reconciliati.

Per id tempus Farfensibus nonnihil offensus fuisse videtur Leo papa, ut intelligitur ex supplici libello, quem ei porrexerunt. In illo libello Berardus abbas cum monachis suis pontifici exponit, Farfense monasterium a Romanis pontificibus & imperatoribus protectum ac liberaliter dotatum fuisse, ejusque immunitatem ab eisdem sancitam. Itaque obsecrant Farfenses, ut ne pontifex ab adulatoribus se permoveri sinat, ut antecessorum suorum infringat statuta, & libertati rebusque monasterii quidquam detrahat, *Sumus enim*, inquiunt, *plus minus quingenti vestri oratores.* Proinde *ne aliquorum vos perversa compellat opinio in Dei aliquo modo sævire famulos.* Itaque *vestra provideat sollertia, ne aliquorum prævaleat importuna clamositas: sed ita agite, ut collata a Deo gratia augeatur, & aucta corroboretur.* Hæc illi. Quinam fuerint illi Farfensium oblocutores, non omnino liquet. Unus ex his haud dubie fuit Johannes Sabinensis episcopus, qui ecclesiam sancti Angeli de Tancia possideri a Farfensibus graviter ferebat. Inde exortæ inter eos altercationes: tandemque Johannes hoc anno proclamationem in synodo fecit apud pontificem, qui, auditis partibus, jura Farfensium nova bulla confirmavit. *Data* XI. *kalend. Decembris per manus Frederici S. R. E. bibliothecarii & cancellarii vice domni Herimanni archicancellarii archiepiscopi, anno domni Leonis papæ tertio, indictione* V. Legendum videtur anno quarto, id est anno ab incarnatione M LI. quo anno indictio quinta a mense Septembri jam numerari poterat.

III. Insulæ Gorgonæ monasterium.

Hoc ipso anno Leo papa Bono abbati concessit, confirmavitque monasterium beatæ Dei-genitricis Mariæ, in insula Gorgona positum, cujus alias mentio a nobis facta est, præcepitque, *ut* illic [a] *semper sint monachorum habitacula, ne fiat spelunca latronis, quæ prius fuit domus orationis*; & abbas in eodem cœnobio, non pretio, sed qui melior illic inventus fuerit, *secundum regulam sancti Benedicti* eligatur. *Datum* XVII. *kal. Novembris per manus Frederici diaconi S. R. E. bibliothecarii & cancellarii, vice domni Herimanni archicancellarii & Colonienſis archiepiscopi anno*

[a] *Ital. sac. to.* 3. *p.* 408.

ANN. CHR. 1051.

domini Leonis IX. papæ tertio, indictione quarta. Hic Bonus abbas idem esse videtur, quem Pisano monasterio præfuisse alias diximus. Idem pontifex paullo ante, id est x. kal. Julias ejusdem anni, Dominico venerabili abbati Casæ-aureæ privilegium [a] concesserat per manus ejusdem Frederici diaconi bibliothecarii ac cancellarii vice ejusdem Herimanni archicancellarii.

a *ibid. t. 6. p. 1311.*

IV. Placitum pro Farfa.

Non tantum archicancellarium habuit Leo papa, sed etiam missos suos per Italiæ provincias ad jus suum cuique reddendum. Id patet ex tabulario Farfensi, in quo placitum refertur, die lunæ III. kal. Maias in civitate Corgnito habitum *in præsentia domini Adalberti missi domini Bonifacii ducis & marchionis, & Ingelberti episcopi Bledæ, missi domini Leonis summi pontificis, in platea, quæ est juxta ecclesiam sancti Martini:* ubi Berardus abbas sanctæ Mariæ Farfensis cum Rainerio abbate monasterii sancti Cosmæ Romani trans Tiberim, quod Mica-aurea dicitur, disceptavit de ecclesia sanctæ Mariæ, quæ dicitur in Minione, aliisque de rebus, quarum possessio Farfensibus adjudicata est. Bleda *, urbs olim episcopalis in Etruria, nunc diœcesis est Viterbiensis.

* *Bieda.*

V. Hugo Cluniacensis abbas filium imperatoris e fonte levat. * *Spiræ.*

Post Moguntinum concilium imperator partem quadragesimæ Nemeti * transegit, paschæ festum Coloniæ, ubi filius ejus Heinricus, multarum turbarum futurus auctor, quem Agnes imperatrix anno superiore pepererat, ab Herimanno archiepiscopo baptizatur, sponsore ac susceptore sancto abbate Cluniacensi Hugone. Hic ab imperatore ejus videndi cupido invitatus, paschа cum eo apud Agrippinam-Coloniam celebravit, Teutonicis mirantibus in juvenili adhuc ætate tantam morum maturitatem. quo ex tempore tanto ejus amore flagravit imperator, ut vix eum a se discedere passus sit. Inde Cluniacum reversus venerabilis abbas, non multo post summi pontificis jussu in Hungariam contendit, pacem in illo regno reformaturus. quod feliciter exsecutus est. Verum inde cum regis Andreæ gratia, regiisque donis revertens, a quodam regionis illius tyranno captus, sed meritis beati Mayoli, cujus opem multis precibus flagitaverat, liberatus, & honorifice dimissus a tyranno est.

Hungariam petit.

VI. Bardo archiepiscopus obit.

Imperator pentecosten Patherbrunnæ peregisse dicitur, ubi Bardo Moguntinus archipræsul, sermone ad missam habito, obitum suum instare prædixit, seque adstantium precibus commendavit: & re quidem vera intra mensem defunctus est. Hunc aliquando ægrotantem cum Leo papa invisereт, rogavit ut recuperandæ sanitatis gratia carnibus vesceretur. nam monachis factis episcopis regularem abstinentiam violare nefas erat. Paruit ille pontifici: sed non Bardoni monachus quidam, qui ad eum eodem tempore divertit. Hic ad præsulis mensam admissus, deficientibus piscibus, carnes edere jussus est. Rem horruit monachus, sibi monacho innuens id non licere. Ad hæc antistes, & se monachum esse, & tamen carnes comedere (ita enim præceperat papa) reposuit. Verum, monacho nec sic acquiescente, Bardo super carnes signum crucis ter feciſse dicitur, easque in fragmen esocis convertisse. Quo miraculo attonitus monachus, inobedientiæ veniam petiisse fertur, qui forte ob abstinentiæ firmum propositum hoc miraculum promeruit. Moguntiam reverti volens Bardo, haud procul ab urbe Patherbrunna in morbum incidit. Erat ei suffraganeus episcopus, Abellinus nomine, qui tunc temporis Fuldæ versabatur, ad festum sancti Bonifacii, quod pridie nonas Junii agitur, a venerabili Egberto abbate invitatus. Huic Bardo nuntiari præcepit, quantocius ut rediret, si ipsum viventem videre vellet. Idem æquivoco suo Bardoni juniori, fratris sui filio, qui Fuldæ monachus erat, significatum. Cum ambo confestim venissent, & ab eo humanissime fuissent accepti, remotis arbitris, solum episcopum remanere jussit, quem his verbis affatus est. Jam instat finis mei dies, sæpe mihi optatus, semper » cum metu & terrore spectatus. Id te scire volui: at cave id populo prodas, cujus » mærorem ac desolationem sustinere non valeo. Tu vero sacri olei unctionem secun» dum ecclesiæ leges mihi impendere ne differas. Ubi id factum, imminente extremo articulo, cilicium super pavimentum sterni jussit, seque adstantium precibus commendavit, seque numquam in alium eam posuisse respondit. Dein, misericordia Dei implorata, ipse sibi oculos clausit, ceteraque membra decenter composuit; sicque animam efflavit III. idus Junii, anno ætatis septuagesimo, pontificatus vicesimo-primo. Ejus obitus Luydmando Fuldensi monacho, ejus familiari, morum gravitate prædito, prænuntiatus. Corpus Moguntiam deportatum, cum summo omnium mærore, postquam ad omnes ecclesias circumlatum fuerat,

in principe sancti Martini ecclesia, quam a Willigiso inchoatam ipse perfecerat, humatur. Vitam ejus scripsit anonymus æqualis.

ANN. CHR. 1051.

Eidem tribuuntur initia suburbani sancti Jacobi monasterii, in Monte-specioso siti, quod Liutpoldus ejus successor, antea Babenbergensis præpositus, perfecit, ubi post mortem sepeliri voluit. Supereſt etiam nunc non incelebre istud cœnobium, cujus primus abbas Waltherus, secundus Ruthardus, genere, eruditione, & pietate insignis, qui non pauca ingenii sui monumenta reliquisse dicitur, haud scio an idem abbas Hersfeldensis, cui Lambertus hæc tribuit.

S. Jacobi monasterii auctor.

VII. Corbeiæ-novæ abbas Arnoldus.

Proximum vero est, primos illius loci cœnobitas ex Hersfeldensi, unde Bardo assumtus fuerat, accersitos fuisse monasterio, cujus abbas hoc anno factus dicitur Rothardus Corbeiæ-novæ abbas, resignata Corbeiæ præfectura, quæ Arnoldo commissa fuit. Hic Vasckembergius vocatur in annalibus Corbeiensibus, ac pauciores monachos ob crebra incendia sub se habuisse traditur. Et tamen post biennium abbas Casinensis, si iisdem annalibus fides est, fama loci impulsus, duos e suis fratres Corbeiam misit: qui post triennium ad matrem suam, id est Casinum, reversi, comites habuerunt e Corbeiensibus Arnulfum & Bernardum, probos monachos, quorum alter postea in insulam Cyprum missus, alter Cremonæ obiisse dicitur. Certe in numero monachorum, qui Corbeiæ sub Rothardo abbate vixerunt, illi ambo recensentur post Remaclum lectorem, id est scholarum præfectum, quæ etiam tum ibidem floruere, curante in primis Arnoldo abbate, qui bis quolibet anno examinabat juniores monachos, ut eis stimulum daret vir doctus. Ita in annalibus Corbeiensibus, quos Christianus Paullinus vulgavit. Idem Arnoldus a puero Laureshami monachus, ita se gessit, ut primo ibidem præpositus, dein Wessemburgensis monasterii regimini prælatus, postea Lintburgensis monasterii, ac subinde Corbeiænovæ præfecturam obtinere meruerit. Inde ad regendum Laureshamense monasterium a suis revocatus, demum Spirensis ecclesiæ episcopus factus dicitur in chronico Laureshamensi. at quo tempore has præfecturas sortitus sit, non facile est definire. In annalibus Corbeiensibus Laureshamum revocatus dicitur anno M LVI. at in chronico Laureshamensi quædam huic calculo repugnant: tum quia ecclesiam, quæ vocatur Varia, per Leonem papam anno M LIII. jam Laureshami abbas consecrari impetravit: tum quia Udalricus post eum Laureshamensis abbas renuntiatus est ipso anno, quo Heinricus tertius obiit, id est anno M LVI. Verum hunc chronographum a vero aberrasse constat ex Lamberto Scafnaburgensi, ex quo discimus, Arnoldum Siviconi seu Sibiconi episcopo in sede Spirensi successisse anno M LIV. & anno M LVI. obiisse. Itaque ad auctores illos conciliandos, dicendum videtur, Arnoldum eodem tempore utrique monasterio, Laureshamensi nimirum & Corbeiensi, præfuisse, & factum episcopum utriusque loci præfecturam, quod tunc temporis haud insolitum erat, retinuisse.

VIII. Lindaugiæ & Buchaugiæ abbatissæ.

Illis diebus eodem pæne tempore apud Alamannos fato functæ sunt duæ abbatissæ, Lindaugiensis scilicet ac Buchaugiensis: utrique loco instaurando Ota seu Uta, nobilis, prudens ac religiosa vidua, ab imperatore præficitur. Buochaugiense seu Buchaugiense monasterium anno M XXXII. incendio conflagraverat sub Hildegarde [a] abbatissa, cui Ota successit, Ivota dicta in Hermanni editione Pistoriana, in qua hæc referuntur. Consimile infortunium haud dubie acciderat Lindaugiensi seu Lindaviensi parthenoni, de cujus abbatissis nihil in præsens nobis dicendum occurrit. Quasdam posteriorum temporum recenset [b] Bucelinus. In veteri kalendario Murensi IV. idus Octobris *Outa abbatissa, Deo hominibusque digna*, migrasse dicitur, forte illa ipsa, de qua hic mentio. Apud Germanos veteres proclive est, ut nomina propria, quæ a littera O incipiunt, superscriptam habeant litteram U, ut alterutro modo nomen pronuntietur: ex quo recentiores unam syllabam continuam efformarunt. Sic Vodalrici vel Odalrici nomen effictum pro eo quod litteræ U superscripta esset littera O.

a *V. lib. 57. n. 14.*

b *Bucelin. tom. 1. typog. Germ. p. 212.*

IX. Albertus abbas S. Michaëlis ad Mosam.

Sancti Michaëlis ad Mosam monasterium pagi Virdunensis regebat hoc tempore Albertus abbas, ejus nominis secundus, Nanteri successor: cui Theodericus Virdunensis antistes, hoc anno confirmavit altare Domni-Remigii, & capellam ad Crucem, quæ Richardus episcopus ejus decessor Nantero abbati contulerat. Hæc autem confirmatio facta est eo pacto, ut post mortem proprii ejus villæ pastoris abbas, vel ejus nuntius, aliam convenientem personam ad præsentiam episcopi

adducat, qui per laudem archidiaconi & decani curam animarum gratuito ſuſcipiat. ANN. CHR. 1051. His litteris poſt primicerium & archidiaconos ſubſcripta ſunt nomina Alberti abbatis ſancti Michaëlis, Waleranni abbatis ſancti Vitoni, Folcrici abbatis, forte ſancti Pauli Virdunenſis, ubi Folcradus abbas tunc temporis erat; & Baldrici abbatis ſancti Agerici. Actum anno incarnationis M LI. indictione XIV. anno epiſcopatus domni Theoderici quinto. Plura de Alberto abbate inferius. Tunc Gerardus ducatum Moſellanum obtinebat, Virdunenſem comitatum Ludovicus, cujus conjux Sophia inferius memorabitur. Nanterus abbas in necrologio notatur III. nonas Novembris.

X. Heinricus rex Francorum Annam uxore ducit.

Poſt mortem prioris uxoris Heinricus rex Francorum Walterium Meldenſem epiſcopum, & Waſcelinum de Chalinaco direxit ad Geriſclum Ruſciæ regem, ut filiam ejus Annam ſibi nuptum daret. quod ille graranter accepit, eamque cum multis donis in Franciam miſit, ut ex Clario monacho diſcimus. In veteri codice, quem Remenſi eccleſiæ Odalricus præpoſitus dedit, Heinricus rex Francorum *in Rasbatiam* miſiſſe dicitur Catalaunenſem epiſcopum R. id eſt Rotgerum ejus nominis ſecundum, ut filiam regis illius terræ, Annam nomine, ſibi uxorem peteret. Eumdem epiſcopum deprecatus eſt Odalricus præpoſitus, ut de Cherſona inſula, ubi ſanctus Clemens papa requieſcere traditur, inquireret a rege illius terræ Sclavo, Georgio nomine: qui petenti fecit ſatis, reſponditque, Julium papam, eo profectum, corpus ſancti Martyris ſuper ripam maris poſuiſſe, ibique eccleſiam ædificaſſe, & quaſdam ejus reliquias Romam ſecum detuliſſe. Ad hæc idem rex capita ſancti Clementis & Phœbi ejus diſcipuli eidem epiſcopo Catalaunenſi oſtendiſſe perhibetur. Hæc ſaltem valere debent ad illuſtrandas ſecundas nuptias Heinrici regis, quas Rotgerum Catalaunenſem epiſcopum procuraſſe ex hoc loco certo diſcimus. In libro de vita Lietberti Cameracenſis epiſcopi, nuptiæ regis cum Anna Remis in eodem conventu celebratæ dicuntur, in quo Lietbertus conſecratus eſt epiſcopus. Ex hoc conjugio natus eſt anno ſequenti Philippus, ejus nominis primus, qui patri ſucceſſit, & poſt eum Rotbertus & Hugo, quem Aimoini continuator cognomine Mannum vocat. Anna regina, Deo devota, plus de futuris, quam de præſentibus cogitans, apud Silvanectum eccleſiam ſancti Vincentii, quæ regularium canonicorum eſt, conſtruxiſſe traditur.

a *Spicil. to. 9. p. 693.*

XI. S. Hunegundis nova tranſlatio.

Jam anni quinque ſupra centum effluxerant, ex quo ſanctæ Hunegundis virginis corpus apud Humolarias e tumulo elatum fuerat, cum de eo in novam thecam transferendo conſilium a Macario abbate captum eſt, inſtigante in primis Balduino monacho, qui nuper ex opido ſancti Quintini ad converſionem illuc venerat. Adfuere illi celebritati Girardus abbas ſancti Quintini de Inſula, Rainerius ſancti Præjecti *vicarius*, id eſt proabbas, atque domnus Bonifacius-Waleramnus abbas de Monte-Sancti-Quintini prope Perronam, ex quibus Girardus, abſente Noviomenſi epiſcopo, ſacra oſſa in novam thecam tranſtulit: quæ *in ſacro peribolo retro altare ſanctæ virginis Hunegundis intra pyramidem* poſita ſunt. Huic tranſlationi *duo militares viri*, Godefridus, & Rotbertus, cognomento Anguillula, inter alios interfuere. ex quibus Godefridus pallium ornatiſſimum ſanctæ Hunegundi donavit: alter vero, id eſt Rotbertus, *ſeipſum ob devotionem per cervinam corrigiam ſervum obtulit.* Macarius Humolarienſis abbas ſucceſſerat Bernardo abbati, cujus mentio ſuperius facta eſt.

XII. Lanfrancus Willelmi conſiliarius.

Reverſus ex Italia Lanfrancus tanto apud Willelmum ducem in honore eſt habitus, ut eum dux conſiliorum ſuorum participem [c] & conſcientiæ ſuæ arbitrum conſtituerit. Qui geſta Willelmi ducis ſcripſit antiquus auctor, *Lanfrancum*, inquit, *de quo venit in litem, pluſne ſit meritis reverentiam atque gloriam ſæcularium ac divinarum litterarum ſingulari peritia, an ordinis monachici ſingulari obſervantia, intima familiaritate colebat* Willelmus, *ut patrem venerans, verens ut præceptorem, diligens ut germanum aut prolem. Illi conſulta animæ ſuæ, illi ſpeculam quamdam, unde ordinibus eccleſiaſticis per omnem Nortmanniam proſpiceretur, commiſit.* Verum, ut eſt lubricus & fragilis principum favor, non multo poſt ejus offenſam incurrit ob hanc maxime, ut creditur, cauſam, quod ejus conjugium cum Mathilde, Balduini Flandriæ comitis filia, ob conſanguinitatem improbaret. Agebatur de hoc matrimonio jam ab anno M XLIX. tempore ſcilicet concilii Remenſis ſub Leone IX. in quo interdictum eſt Balduino comiti Flandrenſi, *ne filiam ſuam Willelmo Nortmanno nuptui daret*

c *Guillelm. Gemet.*

daret, & Willelmo, *ne eam acciperet*. Vicit tamen Willelmi pertinacia, ob quam ANN. CHR. 1051. ejus ducatus a Nicolao II. interdicto ſuppoſitus fuit: ſed tandem obfirmato in contumacia principi indultum, ut ambo conjuges ad expiandum facinus duo monaſteria conſtruerent. quod Cadomi factum eſt, ut ſuo loco videbimus. Cum itaque hanc copulam, ut par erat, Lanfrancus haud probaret, ita in eum & in Beccenſe monaſterium exarſit ducis indignatio, ut quamdam monaſterii villam, Parcum vocabulo, igne conſumi juſſerit. quod tamen Lanfrancus faceto commento avertit, profectus ad ducem cum equo tripede, qui ad ſingulos paſſus caput ſubmittendo principem ſalutare videbatur. Ad quem Lanfrancus decenti joco: Tuo juſſu, inquit, e provincia diſcedo pedes, hoc inutili impeditus equo, niſi meliorem diſcedenti conceſſeris. Cui dux ſubridens: Quis, ait, ab irato judice, non purgato crimine, munus petit? Hac occaſione uſus Lanfrancus, audientiam obtinuit, & apud principem ita cauſam peroravit, ut in gratiam redintegratus ſit, magna ſuorum gratulatione, qui interim precibus apud Deum inſtabant.

XIII. Iſembertus abbas Montis-Sanctæ-Catharinæ obit.

Hoc tempore Iſembertus, Montis Sanctæ-Catharinæ monaſterii prope Rotomagum primus abbas, de quo ſuperius [a] actum, diem functus eſt poſt annos regiminis unum ac viginti, ut in libello metrico de illius loci abbatibus legitur. Huic abbati rythmo lugubri parentavit quidam illius temporis monachus, a quo vocatur rivus ſapientum, patriæ conſilium, cleri decus, ac monachorum ſingulare ſpeculum. Idem auctor teſtatur, Iſembertum, velut aurum in camino, diutino languore probatum fuiſſe, & imminente obitu, ſe in capitulum perduci juſſiſſe, datiſque fratribus piis monitis, ſe nudum a ſingulis cædi. Dein ſacram euchariſtiam percepiſſe dicitur, tum, adorata cruce, oleo ſacro unctus fuiſſe, ſuiſque mutuam caritatem commendaſſe: ac demum in domum infirmorum reportatus obiiſſe poſtridie omnium Sanctorum, cum fratres horam primam decantaſſent, ſepultus ante aram beatæ Mariæ. Multos habuit nobiles & inclytos diſcipulos monachos, litterarum ſtudiis non minus quam pietate claros; ex quibus Einardus ſeu Ainardus Divenſis monaſterii abbas, Oſbernus *abbatum ſanctiſſimus*, ſcilicet Uticenſis; Durandus Troarnenſis item abbas, & Guitmundus ſeu Witmundus monachus Crucis ſancti Audoëni, ac demum epiſcopus Averſanus, ambo ſcriptis contra Berengarium inſignes. Durandus, nepos venerabilis Gerardi Fontanellenſis abbatis, ejuſdem loci a pueritia monachus, Iſemberti diſcipulus & auditor, tam in philoſophia & in arte muſica, quam in lege divina excelluit. Iſemberto in regimine monaſterii ſucceſſit Rainerius, ex decano eccleſiæ Rotomagenſis factus ſanctæ-Catharinæ monachus, qui jejuniis corpus maceraſſe, & tamquam eremita inter fratres ſimplex ac modeſtus vixiſſe traditur in libello metrico de abbatibus Sanctæ-Catharinæ, cui loco annis quatuor & viginti præfuit. Hic Oſbernum monachum miſit ad condendum Cormelienſe monaſterium, de quo inferius.

a *lib. 56. n. 77.*

XIV. Cellæ Sparnonenſis, Berfodii & Vivonii.

Cellæ Sparnonenſi in pago Carnutenſi conſtruendæ occaſionem dedit Amalbertus miles, qui aſſenſu uxoris ſuæ Bertrudis, ipſiuſque filiorum, Simonis & Mainerii, quemdam locum ex majorum ſuorum ſucceſſione ſibi contingentem, in Carnutenſi pago ſitum, nomine Senicurtem, Majori-monaſterio & Alberto abbati contulit cum multis aliis prædiis & decima cujuſque rei, quæ de Sparnone * caſtro percipiebatur: ubi cella ſancti Thomæ poſtmodum erecta eſt. Hoc inſtrumentum Heinricus rex ſigillo & monogrammate ſuo roboravit, eidemque appoſita ſunt ſigna Tetbaldi comitis, Odonis fratris regis, Gualeranni comitis, Heſcelini Pariſiacæ urbis epiſcopi, Gazonis de Drocis, Nivardi de Monte-forti, & aliorum. *Data anno* XXI. *regnante Heinrico glorioſiſſimo rege* indict. VI*. *Actum apud Stampas-Logias.* Alberto abbate vivebat in Majori-monaſterio Tetbertus, in arte medica peritiſſimus, qui plurimos deſperatiſſimis morbis afflictos priſtinæ ſanitati reſtituit, multaque ex hoc commoda monaſterio procuravit. Hinc miles quidam, Nivello nomine, filius Guarini Sine-barba, prædium quoddam in villa pagi Bleſenſis, Berfodio * dicta, Majori-monaſterio contulit, ubi cella erecta. Ad hæc Radulfus Cenomannenſis vicecomes eccleſiam ſancti Hippolyti prope caſtrum Belli-montis ad fluvium Sartam apud Vivonium * eidem abbatiæ ceſſit, annuentibus ipſius filiis, Huberto & Rodulfo, & conjuge ejus Cana, quæ ob eam cauſam tredecim libras cum una mula a monachis accepit: ex quibus libris Tetberto monacho ſeptem dedit ob recuperatam per ipſum ſanitatem. Exſtat etiam nunc apud Vivonium cella conventualis.

b *Spicil. to. 13. p. 191.*

* *Eſpernon.*

* *Ville-Berfon.*

* *Vivoin.*

ANN. CHR. 1051. XV. Flaviniaci abbates.

Post duos annos, quam Odo Arremarensis monachus Flaviniaco præfectus fuerat, virgam pastoralem alteri Odoni resignavit. Multam litem pro cella Corbiniacensi sustinuit Odo secundus cum Helmuino Æduensi [a] episcopo: quo mortuo, cum in Aganonem conveniisset electio, curiam Heinrici Francorum regis adiit abbas, cujus prima vox est in electione Æduensis episcopi; effecitque, ut novus episcopus statim post suam consecrationem jus suum monasterio reformaret. Et quidem in capitulum monasterii venit electus episcopus, & fratribus in osculo sancto fidem fecit de restituenda cella Corbiniacensi: at Corbiniacensium obsequiis delinitus promissis non stetit. Flaviniacum adhuc anno M LV. regebat Odo [b] abbas, cui suffectus est Rainaldus ducis frater, Flaviniaci monachus, qui corpus sancti Præjecti martyris loculo aureo & argenteo recondidit, multaque ornamenta ecclesiæ contulit, plura facturus, nisi mors eum in juvenili flore exstinxisset, necdum septem annis in præfectura expletis: post quem abbatia septem annis vacavit.

a *Labbe to. 1. bibl. p. 792.*

b *infra n. 69.*

XVI. Hermanni mater obit.

Hermanni Canisiana editio mutila desinit in hoc anno M LI. at Pistoriana, quæ amplior est, pertingit ad annum M LIV. quo Hermannus e vivis excessisse traditur. Ejus mater Hiltrudis, Wolferadi comitis uxor, admodum pia, mitis, liberalis & religiosa, ut ipse ait, femina, marito septemque liberis superstitibus, felici, ut creditur, exitu diem ultimum clausit v. idus Januarii, anno M LI. ætatis circiter LXI. conjugii anno XLIV. cujus epitaphium ab se compositum idem auctor refert.

ANN. CHR. 1052. XVII. Petrus Damiani Heinrico archiepiscopo scribit.

MOrtuo Hunfrido Ravennati archiepiscopo, quem Romano pontifici anno superiori reconciliatum fuisse diximus, Heinricus cæsar in quadragesima Heinricum subrogavit, suum in Italia vicecancellarium; eumque per Nizonem Frisingensem episcopum, qui pridem ob nova molimina imperatori infensus, jam utcumque in gratiam redierat, Ravennam deduci jussit, ubi Nizo repentina morte interiit. Non tamen ante annum sequentem consecratus est Heinricus, ut inferius videbimus. Statim atque sedem Ravennatem iniit, librum [c] ad eum scripsit Petrus Damiani de ordinationibus factis ab episcopis simoniacis, quas, contra multorum mentem, Petrus non iterandas esse contendebat. quæ quidem sententia, quod ordinatis illis optatissima & jucundissima esset, effecit, ut liber iste ab auctore *Gratissimus* inscriptus sit. In epistola nuncupatoria, in qua se *vivificæ crucis Christi humillimum servum* dicit Petrus, ait se diutius rogatum detrectasse provinciam scribendi hoc de argumento, priusquam ab ipso ecclesiæ principe ejus rei tractandæ facultatem obtinuisset. In hoc autem libro suggerendum monet Romano pontifici, ut simoniacos quidem, uti jam cœperat, divinitus animatus destruat; sed non eo usque, ut eorum ordinationes immoderato quorumdam judicio » subjacere permittat. Nonnullos [d] quippe esse venerabiles viros, quos a simoniacis » ad sacerdotium provectos fuisse constat, qui usque ad obitum offerendis indesinen» ter sacrificiis institerint; & tamen insignibus in dies miraculis coruscent. *Nostra quippe ætate*, inquit, *Romaldus Camerinensis, Amicus Ramibonensis, Guido Pomposianus, Firmanus Firmensis, & complures alii sanctæ conversationis studio floruerunt: super quorum videlicet veneranda cadavera ex sacerdotalis concilii auctoritate sacra altaria sunt erecta: ubi nimirum divina mysteria, miraculis exigentibus, offeruntur.* Primus ex illis est sanctus Romaldus, vulgo Romualdus, in editis Constantini Cajetani mendose *Rondaldus*, apud Baronium *Ronaldus*, dictus hoc loco *Camerinensis*, a Camerte civitate, in cujus diœcesi mortuus est sanctus Romualdus, nimirum in monasterio Vallis de Castro, quod ab ipso conditum erat. Ortus est in pago itidem Camerino Amicus hic laudatus, de quo superius [e] actum, uti & de Guidone [f] Pomposiano abbate. Ramibonensis vocatur Amicus haud dubie a loco, ubi sepultus est, qui Arabona seu Arambona Ferrario dicitur, situs in Piceno. Denique Firmanus seu Firmus is est sancti Sabini abbas, cui Hubertus Firmanensis præsul ecclesiam sancti Michaëlis archangeli prope mare [g] anno M XVI. concessit. Situm erat hoc monasterium in monte Visiano [h] extra muros, quem sancti Sabini montem hodie quoque appellant. Hunc locum aliquamdiu occuparunt Capuccini: sed, his in urbem translatis, patres Soc. Jesu coëmerunt a capitulo Firmano, cui hoc monasterium unitum fuerat. Idem Petrus in eodem opusculo [i] mentionem facit Eleuchadii, reverendissimi atque honestissimi viri, qui tunc monasterio præerat beatæ Dei-genitricis semperque virginis Mariæ, juxta Faventinæ urbis mœnia

c *Petr. Dam. opusc. 6.*

d *ib. c. 29.*

e *lib. 58. n. 11.*

f *ibid. n. 94.*

g *Ital. sac. to. 2. p. 749.*

h *Lubin. p. 135.*

i *petr. Dam. opusc. 6. c. 18.*

ANN. CHR. 1052.

constituto; necnon reverendissimi viri Gerardi, tunc abbatis monasterii sancti Donati in suburbio Imolensi. Primum ex his duobus monasteriis transiit ad Cistercienses, & in eo corpus beati Petri Damiani [a] asservatur: alterum sancti Donati monasterium Imolensi ecclesiæ collatum [b] fuit. De utroque Lubinus [c] agit.

a *Ital. sac. to. 3. p. 512.*

b *ibid. p. 685.*

c *Lubin. p. 129. & 176.*

Redeo ad Nizonem Frisingensem episcopum, quem Ravennæ hoc tempore interiisse mox dicebamus. Huic ex fratre nepos erat Udalricus, insignis ille Cluniacensis monachus, qui libros tres de Consuetudinibus Cluniacensibus post Bernardum scripsit, variisque monasteriis præfuit. Erat is ex illustri Bajoariorum prosapia Ratisponæ ortus, patre Bernoldo, Heinrico III. imperatori acceptissimo, qui eum sollicite educari, & litteris institui curavit. Post pueriles annos, in quibus perpetuam corporis castimoniam Christo Virginis filio vovisse traditur, in aulam imperatoris ingressus, morum integritatem non tantum servavit, sed etiam aulicis inspiravit. Cum his polleret moribus, visum est Nizoni episcopo ejus patruo, ut eum ad diaconatum promoveret. quo in munere ita se gessit, ut brevi ab eodem ecclesiæ suæ præpositus factus sit. Dein, pro more illorum temporum, iter Jerosolymitanum aggressus, cum illud non sine multo discrimine confecisset, reversus patruum defunctum comperit, suamque præposituram alteri concessam. Quam ob rem, ubi Ratisponæ aliquamdiu apud unum e consanguineis suis, illius ecclesiæ præpositum, substitisset, construendi monasterii consilium cepit. Verum ob varias difficultates a proposito deterritus, facultatibus suis partim in cognatos, partim in ancillas Christi egentes, aliosque pauperes distributis, cum Geraldo ejusdem civitatis scholastico, lustrata prius urbe Roma, ad Cluniacense monasterium se recepit: ubi ambo ab Hugone abbate in cœtum fratrum accepti, tam laudabiliter se gesserunt; ut Geraldus non multo post major prior, ac postmodum a Gregorio VII. Ostiensis episcopus & cardinalis creatus sit: Udalricus vero factus sacerdos, & fratrum confessionibus excipiendis adhibitus. quo in munere mira ejus in delinquentes caritas & misericordia eluxit. Nec minor ejus fuit patientia in tolerandis quorumdam fratrum injuriis, quos adversus eum invidia concitaverat. Alia ejus facta in consequentibus referemus.

XVIII. Udalrici monachi vitæ primordia.

Geraldus ejus socius cardinalis.

XIX. Vindocinensibus data capsula reliquiarum.

Hujus loci occasione observare juverit, in Vindocinensi monasterio haberi ex dono Nitkeri Frisingensis episcopi capsulam auream, in qua asservatur Lacryma illa, quam unam esse ex illis, quas Christus dominus in excitatione Lazari fudit, atque ex urbe Constantinopoli allatam fuisse tradunt. Hæc capsula sanctos Frisingensis ecclesiæ patronos exhibet, Tertullinum scilicet, Corbinianum & alios, aureis litteris in ea expressos; simulque nomen Nitkeri episcopi, qui hanc capsulam Heinrico regi donasse dicitur. Qui hic laudatur Nitkerus episcopus, idem est procul dubio atque Nizo episcopus apud Hermannum & in libro de vita sancti Udalrici, Nitkerus, Nitkarius ac Nizo promiscue [d] appellatus. Ex una parte seu facie illius capsulæ, in qua Frisingensis ecclesiæ exhibentur patroni, hic versus legitur.

d *V. Hund. to. 1. p. 106.*

Aspice læta tuos, felix Frigisinga, patronos.

in altera, HEINRICO NITKERUS DAT. In uno capsulæ latere, HEINRICUS REX, NITKERUS EPISCOPUS. quod argumento est, hoc reliquiarium simul cum re contenta Heinrico regi donatum fuisse, id est Heinrico III. postea imperatori, cujus necdum offensam incurrerat Nitkerus. Porro Heinricus ille *ob servitia multa* sibi impensa a Gaufrido Andecavorum comite, Vindocinensis monasterii conditore, eidem *inter alia munera* contulit quasdam sancti Nicolai reliquias, quas ille in Andecavensi sancti Nicolai monasterio ab se condito deposuit, ut inferius [e] videbimus. *Inter alia* illa *munera* censenda videtur prædicta capsula, quam Gaufridus comes & Agnes ejus conjux Vindocinensi monasterio contulere. Ad hoc donum eis faciendum induci quoque potuit rex Heinricus ab Agnete conjuge, quam ejus parens Agnes *cum primoribus gentis suæ*, haud dubie etiam cum Gaufrido marito, Goslariæ anno M C XLVI. invisit, testante Lamberto: quæ anno sequenti Heinricum & reginam Agnetem comitata est in Italiam, adeoque ad montem-Garganum, ut Hermannus tradit: eodemque anno *comes & comitissa de Apulia*, ut superius [f] observatum, in Galliam reversi sunt. quo tempore pretiosam hanc capsulam Vindocinensibus eos dedisse haud temere dici potest. Ejus specimen in partes divisam hic exhibere lectori haud ingratum fore credimus.

e *lib. 61. n. 5.*

f *lib. 59. n. 17.*

ANN. CHR. 1052.



ANN. CHR. 1052.

Huic ſpecimini aliud etiam hoc loco repræſentare haud ab re fuerit, arcuatæ ſcilicet fabricæ imaginem, ſub qua hæc capſula recluſa eſt, eodem fere tempore erectæ, quæ hiſtoriam tranſlatæ ex urbe Conſtantinopoli vel Jeroſolymitana prædictæ Chriſti Lacrymæ inſculptam repræſentant. Hujus optionem dat patriarcha quibuſdam equitibus, qui eam in patriam, id eſt Friſingam, deferunt. Hæc ſi Lacrymæ Chriſti veritatem non ſatis probant, ſaltem ejus antiquitatem oſtendunt, & antiquam Vindocinenſium noſtrorum poſſeſſionem ab origine monaſterii aſſertam, & bonam eorum fidem : cui vicinorum populorum priſca & recens devotio adſtipulatur. Ad hæc obſervandum eſt, in prædicta capſula tres alias contineri arculas : quarum prima, auro ac gemmis pretioſiſſimis ornata, Agnetis comitiſſæ donum eſſe creditur ; in tertia habetur ſacra Lacryma, vitrea ampulla cærulei coloris incluſa. Mitto varias inſcriptiones, græcas & latinas, recentiorum temporum, adjuncto parieti incluſas.

XX. Leo papa iterum in Germania.

Inter ea Heinricus auguſtus cum Andrea Hungariæ rege bello inexpiabili contendebat. quos ut ad concordiam revocaret Leo papa, iterum in Germaniam pergit, Andream ad pacem cum Heinrico faciendam hortatur ; abnuenti vero piorum communione interdixit ; atque ad Heinricum profectus, Chriſti natalem cum eo Wormatiæ celebravit. Tunc permutatis, quas Romana eccleſia in Germania poſſidebat, permultis eccleſiis, Beneventum cum ſuo ducatu nomine vicariatus ab imperatore accepit ; atque ut ea loca, aſſiduis Nortmannorum incurſionibus infeſta, liberaret, validam Germanorum manum impetravit.

XXI. S. Dionyſii corpus an Ratiſponæ.

In illo itinere Leo pontifex Ratiſponam acceſſit, atque corpus ſancti Wolfgangi ejuſdem urbis epiſcopi e tumulo levavit, ut in annalibus Saxonicis ad hunc annum legitur. Hac occaſione uſi Ratiſponenſes ſancti Emmerammi monachi, prolatis neſcio quibus tabulis, pontificem induxerunt ad transferendum ſimiliter corpus quoddam, recens in eccleſia ſua, dum inſtauraretur, inventum, quod ſancti Dionyſii Pariſiorum primi epiſcopi eſſe jactitabant. Circumfertur hac de re Leonis papæ bulla, inſcripta *Cariſſimo filio inclyto regi Francorum, ac venerabilibus fratribus, archiepiſcopis, epiſcopis, & dilectis, abbatibus, prioribus, præpoſitis & decanis, univerſisque tam ſubditis, quam prælatis ejuſdem regni.* In hac bulla loquens inducitur pontifex, ſe ad partes Germaniæ viſitandas ab Heinrico imperatore invitatum acceſſiſſe, & Ratiſponam evocatum, ut venerabile corpus beati Wolfgangi ejuſdem urbis epiſcopi transferret. quo peracto, Francorum regis legati ipſum pontificem induxerint ad finiendam litem, quæ Francos inter & prædictam urbem ſuper poſſeſſione corporis beatiſſimi Dionyſii Areopagitæ *diutiſſime ventilata* erat, aſſerentibus Francis illud penes ſe ſupereſſe ; Ratiſponenſibus ex adverſo contendentibus, ipſum per Arnulfum imperatorem ad eccleſiam ſancti Emmerammi tranſlatum, ubi hactenus aſſervetur. quod venerabilis abbas Reginwardus, ejuſque fratres cum tota urbe Ratiſponenſi aſſerebant. His auditis, ait pontifex, ſe capſas, thecas, & ſcrinia, in quibus ſacræ reliquiæ conditæ dicebantur ; necnon titulos & epigrammata, quæ Ratiſponenſes pro ſua cauſa proferebant, accurate diſcuſſiſſe cum imperialibus & *papalibus* litteris, picturis & ſculpturis vetuſtiſſimis, exprimentibus indicia veritatis ; ſeque demum indubitata fide comperiſſe, dicti martyris oſſa venerabilia, excepta particula manus dextræ, in memorato beati Emmerammi cœnobio contineri ; idque atteſtari prodigia & portenta, quæ pontifex diligenter conſcribi juſſerit ; ideoque diſtricte præcipere, ut ipſius tranſlationis ſolemnitas tam a fratribus ejuſdem monaſterii, quam in tota urbe deinceps quotannis celebretur. Ceterum non eſſe quod tantopore doleant Franci, ſancti Dionyſii corpus ſibi eſſe ablatum : quandoquidem ejus prædicationis & paſſionis conſortes, Ruſticum & Eleutherium, apud ſe retineant : nec ægre ferendum, ſi Germanos jam viſitare dignetur vel defunctus, qui Gallos vivens prædicatione, ſignis & martyrio illuſtravit. Pretioſum quidem eſſe theſaurum, quem perdiderint Franci : at eos attendere debere ablatoris dignitatem, qui ad has reliquias ſuffurandas cæſareum verticem inclinaverit. *Datum & actum Ratiſponæ per manus Friderici diaconi, bibliothecarii & cancellarii eccleſiæ catholicæ & apoſtolicæ, anno Domini* M. LII. *pontificatus domini Leonis papæ* IV. *indict.* [VI.] V. *nonas Octobris.* Hæc ſumma vulgati diplomatis, quod ſubditicium eſſe vel ipſa contextus lectio perſuadet, id eſt ſtilus, qui omnino a pontificiis Leonis, aliorumque Romanorum litteris alie-

ANN. CHR. 1052.

nus est. Deinde multa in fictitio illo diplomate falsa continentur. Falsum quippe est in primis, quod in eo legitur, causam hanc *diutissime ventilatam* fuisse. Nulla enim ante id tempus apud veteres de hac controversia mentio. Falsum est Leonem ad id discutiendum, *tam imperialibus, quam papalibus* (Germanica vox) antecessorum suorum litteris instructum fuisse. Quis enim umquam has imperiales *& papales* litteras protulit? Falsum denique est hoc factum fuisse ab Arnulfo imperatore, ut alias [a] ostendimus. Mitto quod voces *Alemannorum* & *Alemanniæ*, quæ in ejusmodi litteris occurrunt ad significandos Bajoarios & Bajoariam, posteriorum temporum genium sapiunt. Jam qualia verba Leonis papæ ad Heinricum Francorum regem, quibus eum ob hanc subtractionem solari conatur! qualis sermo pontificis, ut Arnulfi furtum approbet! Sed his nugis diutius immoror. Haud tamen absolute negaverim, Leone papa Ratisponæ demorante, quæstionem de corpore sancti Dionysii ventilatam fuisse, (id enim & annales Saxonici tradunt) atque in sancti Emmerammi templo tunc detectum fuisse quoddam corpus, quod ejusdem sancti Dionysii corpus esse prolatis nescio quibus tabulis, Ratisponenses asseruere; idque forte Leoni persuasum fuisse. Hinc est, quod Heinricus rex ad refellendam hanc opinionem, frequentem episcoporum, abbatum & procerum cœtum in Dionysiano monasterio per Hugonem abbatem indici jussit, ac sancti Dionysii loculum reserari, ut anno sequenti videbimus.

[a] *lib. 39. n. 29.*

XXII. Halinardi archiepiscopi obitus.

Cum ex urbe Roma discessit Leo papa, in Hungariam profecturus, illic Halinardum Lugdunensem archiepiscopum, qui ipsum comitari consueverat, reliquit in monasterio sancti Gregorii ad Clivum-Scauri, quod ei pontifex ad manendum assignaverat. Dum illic moraretur Halinardus, discumbenti ad mensam oblatus est piscis a quodam falso amico, veneno infectus: ex quo tam ipse, quam duo monachi ejus loci, ceterique, qui ex illo pisce comederunt, interiere. Obiit ille IV. kal. Augusti hoc anno, pontificatus anno septimo, regiminis monasterii Benigniani, quod ad mortem usque [b] retinuerat, anno vicesimo. Hic in prædicto sancti Gregorii monasterio sepeliri se mandaverat: at nobiles Romani ejus corpus deferri curarunt ad basilicam sancti Pauli, ubi honorifice conditum est ad lævam partem ecclesiæ, sub arcu super ejus tumulum erecto. Idem sacram supellectilem, qua in re sacra utebatur, cum vasis argenteis & non modica auri summa legavit sancti Benigni monasterio, quod vivens multis ornamentis, libris, & ædificiis decoraverat. Ad hæc rem familiarem non mediocriter auxit, ut scribit sancti Benigni chronographus, ex quo res ab eo gestas accepimus. In his, præter ea, quorum suis locis mentio facta est, Rotgerius dominus castri, quod Wangionum-rivus * vocatur, ecclesiam, a patre suo Widone in honorem sancti Stephani constructam, sancto Benigno donavit, ea lege, ut expulsis canonicis monachi substituerentur. Ejusdem Halinardi tempore Rainaldus possessor castri, quod Castellion * dicitur, in extremis habitum monachum induit, deditque *potestatem* seu villam sancti Juliani cum omnibus ad eam pertinentibus, necnon ecclesiam ejusdem sancti, ut illic constituerentur monachi, qui pro ipso, ceterisque fidelibus Deum assidue precarentur. Chronographus Benignianus desinit in Halinardo, cui successit in archiepiscopatu Humbertus, in abbatia [c] Johannes abbas Fiscamnensis, sancti Benigni monachus, & post eum Adalbero, de quorum gestis nihil se comperisse ait chronici [d] continuator. Non diu sancti Benigni regimen tenuit Johannes Fiscamni abbas, qui hanc sarcinam rejecit in Adalberonem, de quo nonnulla inferius dicenda occurrent, ipsi Adalberoni futurus superstes.

[b] *V. lib. 58. n. 97.*

* *Vignory en Bassigny.*

* *Chatillon.*

S. Benigni abbates.

[c] *Labbe bibl. to. 1. p. 52.*

[d] *Spicil. to. 1. p. 472.*

XXIII. Bonifacii ducis mors.

Eodem anno Bonifacius marchio, Tusciæ dux, per insidias ad Spinetam agri Cremonensis vicum ad ripam Olii, ab exsule quodam pridie nonas Maii interficitur, ac summo Italorum dolore Mantuæ in æde sancti Andreæ sepelitur. Ejus ditionem Beatrix uxor, quæ ædem illam exstruxerat, & filia Mathildis cum Bonifacio puero excepit. Beatrix non multo post nupsit Godefrido duci Mosellano, quem Leo papa paullo ante cum Friderico Leodicensi archidiacono, postea cancellario suo, in Italiam secum abduxerat.

XXIV. S. Syri monasterio decimæ attributæ.

Post annos circiter quinquaginta sex, quam Landulfus Genuensis præsul Ordinis nostri monachos induxisset in veterem [e] sancti Syri ecclesiam, ex qua Johannes ejus decessor sedem episcopalem in ædem sancti Laurentii transtulerat; Otbertus seu Obertus episcopus, ejus loci monachorum inopiæ compassus, eam relevare

[e] *lib. 51. n. 32.*

ANN. CHR. 1052.

pro virili studuit. *Nos* [a] *igitur*, inquit, *qui cunctarum Januensis episcopatus ecclesiarum curam suscepimus, beati Syri ecclesiam negligere non debemus, quæ & episcopatus hujus exstitit caput. nam hujus pontificatus sanctissima atque gloriosissima sedes ea fuisse cognoscitur; in qua, etsi paupertatis onere premitur, tamen juxta sanctissimi patris Benedicti instituta diligenter vivitur, & spiritualis militiæ disciplina sub domno Ansaldo abbate non instrenua custoditur.* Ut ergo quoddam ejus loci monachis solatium præberet pius antistes, quasdam decimas, ecclesiæ suæ debitas, quas Genuenses nonnulli persolvere detrectabant, prædictis monachis assignavit instinctu ipsorum Genuensium, qui has decimas libenter eidem loco se daturos promiserunt, ubi propinquorum suorum corpora sepelirentur.

[a] *Ital. sac. to. 4. p. 1162.*

XXV. Casæ-Dei abbatia erigitur.

In Gallia, Casæ-Dei monasterio jam absoluto, ejus auctor [b] vir *venerabilis*, & *Deo dignus Rotbertus Brivatensis canonicus & thesaurarius*, ad Heinricum regem cum litteris commendatitiis missus a Rencone Arvernorum episcopo, petiit, ut ecclesia recens constructa in abbatiam erigeretur. Annuit rex [c] eo pacto, ut Arvernensis episcopi jussu & voluntate, & monachorum illius loci petitione & electione, abbas loco illi provideatur, & Deo dignus procurator *absque omni venalitate & munere* instituatur. Insuper ut in assumtione beatæ Dei-genitricis & virginis Mariæ abbas loci illius ad sedem Arvernensis matris ecclesiæ cum tribus aut quatuor monachis diei sollemnitatem cum canonicis festive peragat, libramque incensi in censum persolvat. Ad hæc rex omnes illius loci possessiones ratas habet. *Actum Victriaco palatio publice, obtentu domni & venerabilis Hugonis Nivernensis episcopi mense Septembri, luna* XI. *indict.* V *. *ab incarnatione Domini anno millesimo quinquagesimo secundo, regni domni & invictissimi Heinrici regis vicesimo-primo.* Appositæ sunt signa Rotberti Burgundionum ducis, Odonis fratris regis, Aymonis Bituricensis archiepiscopi, Widonis Remensis archiepiscopi, Mainardi Senonensis archiepiscopi, Arnulfi Turonensis archiepiscopi, Renconis Arvernensis episcopi, Isembardi Aurelianensis episcopi, Hescelini Parisiensis, Adeverti Carnotensis, Herberti Autisiodorensis, Helmuini Augustodunensis, Widonis Cabilonensis episcoporum, Willelmi Aquitanorum ducis, Willelmi Nortmannorum ducis, Willelmi comitis, Radulfi comitis, Theobaldi comitis, Rainaldi camerarii. *Seguinus Sciolus scripsit ad vicem Balduini regii cancellarii* XII. *kal. Octobris.* Varius est ordo subscriptionum in variis exemplis, quæ ad manus meas pervenerunt. Non dubitem, nonnullos aliquanto post confectum diploma subscriptos fuisse. Certe Renco Arvernensis episcopus, qui Rotberto litteras commendatitias ad Heinricum regem dederat, rei gestæ non videtur interfuisse. Qui hic subscriptus est Hescelinus Parisiensis episcopus, idem aliis [d] litteris, pro Majori-monasterio Heinrici regis anno XXI. pariter datis, subscriptus occurrit. Idem est Isembertus, qui alio nomine Hescelinus dictus erat, in Gallia Christiana mendose *Humbertus* appellatus. Hugo Nivernensis episcopus senior, cujus obtentu hoc præceptum datum est, optime affectus erat erga monachos, apud quos humari voluit, scilicet in monasterio sanctæ Mariæ & sancti Stephani Nivernensi, ut suo loco videbimus. Victoriacum palatium, ubi datum diploma, videtur esse illud, quod in silva Aurelianensi positum erat.

[b] *V. lib. 58. n. 107.*

[c] *Baluz. in notis ad Lupum p. 525.*

* *sic in authentico. al.* secunda.

[d] *supra n. 14.*

XXVI. S. Petro Carnutensi Villula restituta.

Arnulfo Turonensi archiepiscopo mox laudato successisse dicitur hoc anno Bartholomæus, quo tempore Landricus monasterii sancti Petri Carnutensis abbas apud Gaufridum Martellum Andecavorum comitem conquestus est de ejus nepote Gaufrido Guastinensi comite, qui terram quamdam, quæ Villula dicitur, sancto Petro quondam a Teduino milite collatam, suo cuidam militi injuste dederat, quod comes ægre ferens, Villulam sancto Petro restitui jussit. Huic rei præsentes adfuere Bartholomæus archiepiscopus Turonum, Johannes de Cainone-castro frater archiepiscopi, Ivo Mala-corona, Rainaldus de Castro-Guntherii, aliique. Non confundendus tractus ille Guastinensis seu Wastinensis apud Turones cum alio pago cognomini in Burgundia.

Donationes eidem factæ. * *Brion.*

Eodem fere tempore ecclesia sancti Romani martyris, quæ tum vilis & inculta erat, prope Brajanum * castrum pagi Carnutensis ad Osannam fluvium sita, a quodam Gaufrido milite sancti Petri monasterio concessa fuit, assentiente Gaufrido ejus loci domino, & Mathilde ejus conjuge. Cum vero ligneum hoc oratorium in meliorem statum restrui cœptum esset, sancti Romani martyris caput inventum est, quod quidam Brito Armoricus, Maurus nomine, ex urbe Roma attulerat, illic

ANN. CHR. 1052. * *Fusy.*

mortuus, cum ex urbe in patriam reverteretur. Tunc etiam Hugo-Monachus cum Willelmo filio suo puerulo, teloneum, quod apud Vernonem castrum suum percipere solebat, sancto Petro atque Josiaci * seu Gesiaci cellæ, ad Sequanam infra Mellentum positæ, & monachis eam incolentibus, rogatu Landrici abbatis remisit, ita ut nullum deinceps teloneum de rebus sancti Petri, sive per fluvium Sequanæ, sive per terram Rotomagum adductis, vel inde reductis, a monachis exigatur. His litteris apposita sunt signa Hugonis-Monachi, Willelmi ejus filii, Burchardi vicecomitis, & multorum aliorum. *Actum est hoc in Vernone castro, die festivitatis sancti Clementis martyris, regnante impavido rege Henrico, & Willelmo illustri comite tenente Nortmanniæ monarchiam. Impavidus* hoc loco dicitur Heinricus contra eorum opinionem, qui eum ignavum fuisse aiunt. Certe Willelmus Gemeticensis monachus, minime suspectus auctor, Heinricum regem *valde* [a] *militarem, magnæque fortitudinis & pietatis* fuisse dicit. Hic in mentem recurrit id quod legere memini in quodam carmine haud vulgato Baldrici abbatis, qui Trojæ veteris vina ceteris præferens, de vino Aurelianensi & de Heinrico rege mentionem injicit his versibus.

Heinricus rex impavidus.

a *Gemet. lib. 7. c. 28.*

Bacchica non similes generat Præneste racemos,
Immo nec ille locus, qui dicitur Area-Bacchi,
Urbi vicinus, quam dicunt Aurelianam.
Talia vina bibit, nec talia vina refundit,
Quæ rex Henricus semper sibi vina ferebat,
Semper ut in bellis animosior iret, & esset.

* *Rebrechien.* * *Mem.*

Area-Bacchi * villa est vino albo celebris, prope urbem Aurelianorum, infra quam Baldricus natus erat in opido Magduno * ad Ligerim. Certe Heinricus rex in publicis illius temporis instrumentis passim *invictissimus* dicitur.

XXVII. Hugo præpositus Gesiaci. * *Mante.*

Per id tempus Gesiacensis cellæ præpositus factus est Hugo, cognomine Brustans-Salicem, olim in sæculo nobilis, ex castro Medanta * seu Medunta: qui, antequam monachus fieret, quartam partem ecclesiæ & villæ Guairiaci cum quarta parte silvæ sancto Petro Gesiacensis cellæ contulerat, consentientibus Hugone & Beatrice liberis suis. Hic a Landrico abbate provisor & custos Gesiaci constitutus, & cum eo ad villam Fontinidum profectus, cum ad monasterium festinus rediisset, interrogatus a fratribus, utrum eo die comedisset; quid responderet incertus, veritusque, ne vel mendax, vel jejunii prævaricator haberetur, respondisse fertur: Si dominus abbas comedit, & nos comedimus; sed, si ille non comedit, nec nos. quod idcirco referre lubet, ut appareat, quanta illis temporibus regularis jejunii religio fuerit.

XXVIII. Siggensis abbatia.

Cum Nicolaus abbas [b] Rotomagensi sancti Audoëni monasterio præesset, Hugo quidam [c] abbatiam in loco, qui dicitur Siggi, exstruxit in honorem sanctorum Martini & Wlganii, dotavitque liberaliter, & eam sancti Audoëni monasterio subjectam esse voluit, ita ut mortuo Siggensi abbati ex sancti Audoëni monasterio alter subrogetur. Chronicis notis caret hoc instrumentum, cui post donationem subscribunt Malgerus Rotomagensis archiepiscopus, Nicolaus abbas sancti Audoëni, Hugo archidiaconus, ad cujus curam locus pertinebat; tum apposita sunt signa Willelmi comitis Nortmannorum, Willelmi magistri comitis, Nigelli vicecomitis, Geffredi vicecomitis, & Radulfi *Teisson.*

b *V. lib. 58. n. 45.*

c *Spicil. to. 13. p. 288.*

XXIX. Najaræ monasterium conditur.

Quam bene in monasticum ordinem affectus fuerit Garsias rex Castellæ & Pampilonis, jam præclarum specimen ante annos decem [d] edidit erga Paternum abbatem: hoc autem anno idem studium amplius testatum fecit, insigni monasterio in beatissimæ Virginis Deiparæ honorem Najaræ constructo. Hujus rei diploma habetur in archivo Cluniacensi, quo in diplomate rex ita loquitur: *Ego Garsias rex, Sancii regis filius, videns in pluribus partibus desolationem ecclesiæ, cum consilio dilectæ conjugis Stephanæ, statui apud Nayram ecclesiam seu monasterium cum officinis regulari congregationi aptis in servitium Dei & beatæ Mariæ ædificare, ubi honesta clericorum* (sic monachos vocat) *congregatio consisteret, quæ pro remedio animæ meæ, patris mei... jugiter Deo serviret.* Deinde novo monasterio plurimas assignat » possessiones & ecclesias, atque inter alia episcopatum sancti Martini de Zarra, » cujus terminos describit, extenditque usque ad Asturias; denique decimam partem tributi

d *lib. 58, n. 50.*

tributi suæ terræ, ejusque, quam ipse vel successores sui de manu Sarracenorum eripuerant. Hanc donationem confirmant reges ejus fratres, Ferdinandus & Ranimirus; & post eos Eneco & Munio abbates; ac demum optimates regni ejus ac Ferdinandi. *Data æra millesima nonagesima, pridie idus Decembris, lunæ septem diebus exactis* ϡϡϡ, *regnante in Pampilonia, in Alava, & in Castella-vetula usque in Burgis, & usque in Briciam obtinente cum suis terminis in Asturiis Garsia prædicto; fratre vero ejus Fredinado* * *rege in Legione & Burgis, & Ranimiro fratre eorum in Aragone.* Qui hic inter subscribentes notantur abbates Eneco & Munio, alter quidem Oniensis, alter Exiliensis abbas videtur fuisse. Eamdem donationem Alfonsus rex post annos quindecim confirmavit. Amplissimum & nobilissimum est hoc monasterium, & sacris reliquiis, opibus, regum Navarræ ac principum tumulis insigne, cujus primi abbates etiam episcopi erant; hactenus florentissimum sub congregatione Wallisoletana. Catalogum illius monasterii abbatum, aliaque ejus decora Yepesius ad hunc annum fusius refert.

ANN. CHR. 1052.

* sic.

XXX. S. Eneco abbas Oniensis.

Regularem disciplinam Sancius Aragonum rex in Pinnatensi monasterio restitui curavit per Paternum abbatem, quem ad Cluniacense monasterium prius miserat ad discendos, indeque referendos in Hispaniam sacri illius asceterii ritus atque mores. Idem etiam præstitum in Oniensi monasterio, cui Paternus Garsiam abbatem præfecit, ejectis ob solutiorem vitam monialibus, qui locum illum ad id tempus infederant. Garsia defuncto, aut certe, ut alii volunt, ad episcopale fastigium assumto, Oniensem præfecturam, jubente Sancio rege, subiit Eneco seu Henneco, quem alii Ynicum vocant, vir apud Hispanos ob sanctitatem & miracula celebratus: cujus tamen res gestæ desiderantur, nisi quod eum in montium solitudine vitam rigidissimam duxisse tradunt, priusquam ad Oniensis monasterii regimen adduceretur. Hic post recte gestam præfecturam obiisse dicitur kalendis Junii anno M LVII. Crebrescentibus ad ejus tumulum miraculis Petrus Burgensis episcopus, ex mandato Alexandri papæ, an tertii, sancti Eneconis corpus e tumulo extulit, & e clausto monasterii transtulit in ecclesiam, ubi altare in ejus honorem erectum est. Anno M DC. Onienses monachi Bilbitanæ * urbis civibus, ex qua oriundus creditur vir sanctus, ejus brachium alterum concesserunt, depositum in monasterio nostri Ordinis virginum, quod in eadem urbe sub patrocinio sancti Benedicti conditum est.

* *Calzalaynâ.*

IN Germania perstitit Leo pontifex usque ad finem anni M LII. natalemque Domini Wormatiæ cum imperatore celebravit. Antequam illinc discederet, Fuldensem abbatiam, aliaque cœnobia & loca, quæ sancto Petro quondam subjecta fuerant, ab imperatore sibi restitui postulavit: quæ ut sibi remitterentur, Heinricus Beneventum, ac cetera in Beneventano ducatu juris regii opida nomine vicariatus, ut jam observavimus, pontifici concessit. Excepta hoc pacto Fuldensis abbatia, quæ a regia potestate ad pontificiam transiit. Verum quia Nortmanni ea loca incursionibus passim infestabant, validum exercitum ad eos debellandos ab imperatore obtinuit Leo, qui statim e Germania cum his copiis discedens, alpes trajecit, & quinquagesima Mantuæ acta, per dies quadragesimæ Romam pervenit, ubi post pascha synodum ad res Nortmannorum consultandas habuit. Statuto bello, paratis ad Nortmannicam expeditionem rebus omnibus, Urbe egressus, Casinum adiit, ut se fratrum precibus commendaret. Illic Terracinense sancti Stephani monasterium, quod Agapitus papa Balduino abbati restituerat, Casinatibus denuo asseruit, cujus rei diploma Fridericus cancellarius vice domni Herimanni archicancellarii ac Colonienſis archiepiscopi conscripsit. Tunc etiam litem composuit pontifex inter Liutfridum abbatem sancti Vincentii ad Vulturnum, & Albertum presbyterum & monachum, qui sibi nomen abbatis in monasterio sanctæ Mariæ in Castanieto tribuebat. Prolata secundum Liutfridum abbatem sententia die decima mensis Junii, præsentibus Humberto episcopo Silvæ-candidæ, Petro Amalfitano archiepiscopo, Udalrico Beneventano electo archiepiscopo, Friderico sanctæ Romanæ ecclesiæ cancellario & bibliothecario, aliisque. Casino adversus hostes processit pontifex. Castris utrimque in Apuliam promotis, VIII. kal. Julii fortiter ab utraque parte concursum est. Nortmanni victores: Leo ex prœlio in castellum trepidus se recepit: ibique acriter obsessus, tandem Nortmannis reddita, quam ademerat, sacrorum communione, IX. kal. Augusti incolumis ab Hunfrido Nortmannorum duce Beneventum deductus,

ANN. CHR. 1053. XXXI. Leonis papæ reditus in Italiam, & expeditio.

Casini ab eo gesta.

ANN. CHR. 1053.

ibique aliquantum temporis detentus est usque ad paschale tempus anni insequentis, quo Romam redire permissus, paullo post decessit. Ex hac rerum serie patet, falso a nonnullis rejici ad hunc annum synodum Vercellensem, mense Septembri habitam, in qua damnatus Berengarius, quam anno M L. post synodum Romanam celebratam fuisse constat. Non probavit hoc bellum a Leone gestum Petrus [a] Damiani, ut testatus est in epistola ad Oldericum episcopum Firmanum, de qua Baronius ad hunc annum disceptat.

[a] *Petr. Dam. lib. 4. ep. 9.*

XXXII. Abbatis victoria incruenta.

In hoc opusculo factum narrat Petrus, quod in Galliarum finibus accidisse quorumdam relatu acceperat. Inter abbatem haud scio quem, & quemdam sæculi præpotentem virum acris erat de quadam possessione contentio. Jurgiis utrimque diu certatum: sed, neutra parte cedente, tandem ut armis res ageretur, utrimque conditum est. Processit ad assignatum prœlii locum vir sæcularis cum multo armatorum comitatu: abbas vero solis armis spiritualibus confisus, monachos suos equis impositos adduxit, cucullis, veluti galeis, in capite munitos. Hoc spectaculo stupefactus adversarius, tamquam cælestem atque angelicam aciem adventare conspicatus, tanto divini timoris horrore cum suis percussus est, ut omnes ex equis desilientes, mox arma projecerint, humique abjecti, indulgentiam flagitarint. Sic victoriam retulit abbas, qui non in armis corporalibus, sed in divina virtute totam spem reposuerat.

XXXIII. Petrus Anicienſis episcopus a Leone ordinatus.

Dum Leo in reditu ex Germania Ravennæ subsisteret, ad eum accessere nuntii Anicienſis ecclesiæ, ipsum consulturi super dissensione, quæ inter Heinricum Francorum regem & Anicienſes canonicos post obitum Stephani episcopi de novo eligendo pontifice emerserat. Canonici quippe, obtenta regis facultate, Petrum prædicti Stephani nepotem, ecclesiæ suæ præpositum, elegerant, & ad regis præsentiam duxerant consecrandum: at rex, instinctu Tolosani comitis, &, si qua canonicorum dictis hac in re fides, munere corruptus, Bertrannum Mimatensis ecclesiæ archidiaconum præferri volebat. Id cum ægre ferrent Anicienſes canonici, consultu Leodegarii archiepiscopi Viennensis, suæ quondam ecclesiæ canonici *atque nutritii*, nuntios ad Leonem papam super his consulendum mittunt. Nec mora, nuntii pontificem Ravennæ III. idus Martii hoc anno conveniunt, ecclesiæ suæ privilegia & eligentium vota proferunt. His auditis, electum apud se sisti jubet pontifex, ab ipso consecrandum: quem, quia tantum diaconus erat, Humbertus Silvæcandidæ episcopus primo presbyterum ordinavit, eumdemque alia die pontifex apud Ariminum cum Heinrico Ravennatis ecclesiæ electo episcopum consecravit. Habes in Appendice nostra totius illius negotii instrumentum, cujus multi episcopi testes afferuntur. Hæc in transcursu dicta ad continuandam saltem Leonis itineris seriem.

XXXIV. S. Dionysii corporis detectio.

Ubi ex nuntiis rescivit Heinricus Francorum rex, quæ Ratisponæ anno superiori acta fuerant, inventum scilicet fuisse in basilica sancti Emmerammi quoddam corpus, quod sancti Dionysii Parisiorum episcopi esse Ratisponenses jactitabant; ne hæc opinio serperet latius, demumque invalesceret, loculum, in quo sancti Dionysii corpus in ejus monasterio servabatur, publice [b] reserandum, ejusque sacras reliquias frequenti multitudini ostentandas curavit. Hujus rei causa per Hugonem Dionysianum abbatem episcopos, abbates & clericos auctoritate regia ad hanc sollemnitatem convocari jussit. Præmissis jejuniis, ad conditum diem, id est ad v. idus Januarias, convenit episcoporum, abbatum, clericorum, & promiscui sexus plurima multitudo. Illic etiam vice regis adfuit Odo ejus frater cum multis proceribus. Sancti Dionysii, duorumque ejus sociorum corpora in scriniis argenteis jussu Dagoberti regis fabrefactis, & diligenter obseratis, ad id tempus reposita erant post altare in crypta multæ profunditatis, & recluſa in alia cryptula auro & gemmis extrinsecus decorata, in qua sub duabus seris etiam Christi Domini clavus & corona simul asservabantur. Prolato in medium scrinio, in quo sancti Dionysii corpus reconditum erat, & non sine difficultate reserato, reperta sunt sacra ejus ossa, obvoluta pallio tantæ vetustatis, ut inter manus tenentium in pulverem redigeretur. Extracta e loculo ossa circumstantibus ostensa fuere, alioque involuta pallio, quod rex eo præmiserat. Tum sollemni pompa deportatum sacrum corpus, quod per quindecim continuos dies super altare princeps expositum fuit. Rigordus Dionysianus cœnobita in vita Philippi Augusti, meminit hujus detectionis, cui interfuere ex episcopali ordine Wido Remensis, & Rotbertus Cantuariensis archiepiscopi; Imbertus Parisiorum, Elinandus Laudunensium, Balduinus Noviomensium, Walterius Meldensium, & Froëlandus Silvanectensium episcopi cum suis clericis & familiaribus. Ex ordine abbatum Hugo sancti Dionysii, Albertus Majoris-monasterii, Johannes Fiscamni, Landericus sancti Petri Carnutensis, Rotbertus Fossatensis, Rodulfus Latiniacensis, & Gaufredus Columbensis abbates cum suis monachis. Adfuit etiam Adalbertus sancti Remigii monachus, qui Ratisponæ præsens fuerat, cum vulgatum illud corpus incerti hominis inventum est, imperatori contestatus, corpus sancti Dionysii in sua æde adhuc superesse. Denique ex laïcali ordine aderant Odo regis frater, Walterius Pontisarensis, Willelmus Corboilensis, Ivo Bellomontensis, & Walerannus Mellentensis comites, aliique nobiles, ac plurimi gregarii milites.

[b] *Chesn. to. 4. p. 157. & seqq.*

ANN. CHR. 1053.

XXXV. Rotberti archiepiscopi Cantuariæ obitus.

Rotbertus Cantuariensis archiepiscopus, qui huic celebritati interfuit, invidia Godwini comitis ex Anglia pulsus fuerat cum aliis Normannis, quos regni tranquillitatem perturbare Angli causabantur. Rotbertus itaque sede sua ejectus, Romam perrexisse traditur, *unde cum epistolis innocentiæ & restitutionis suæ allegatricibus*, inquit Willelmus Malmesburiensis, *rediens finem vitæ apud Gemeticum invenit*, ubi olim monachus & abbas fuerat. Itaque cum forte ex Italia reverteretur, accidit, ut cum ad Parisiorum urbem accessisset, facta fuerit hæc detectio, cui interfuit. Inde Gemeticum profectus, morbo pulsatus decessit XVII. kal. Aprilis. quo die in necrologio illius monasterii *Rotbertus archiepiscopus* notatur. Sepultus est in basilica ab ipso constructa ad latus epistolæ, appositio hoc epitaphio.

Quem tegit iste lapis, fuit abbas Gemmeticensis,
Robertus, nostro tempore magnus homo.
Urbs populosa tuus, Londonia, denique præsul
Exstitit, Arctoi clarus in orbe soli.
Cantua pontificem tandem suscepit eumdem,
Anglica terra, tui quæ caput est populi.
Ad Domini laudem, quam cernis, condidit ædem.
Pro merito fidei vivat in æde Dei.

Subintrusus in ejus locum Stigandus, Edwardi regis capellanus, vir illiteratus, primusque, ut Gervasius, aliique existimant, qui ex clericali, non ex monastico ordine assumtus est ad illam sedem, ex qua tandem merito dejectus fuit pontificatu Alexandri II. utpote episcopatus & abbatiarum infamis nundinator.

XXXVI. Guiberti vitæ primordia.

Hoc ipso anno in lucem editus est apud Clarum-montem Bellovacorum opidum Guibertus, Flaviaci futurus monachus & præcipuum ornamentum, ac demum Novigenti in diœcesi Laudunensi abbas, de cujus parentibus superius [a] egimus. Ille ipse tres libros de vita sua scripsit, ex quibus ea, quæ de illo dicenda sunt, desumemus. Hic proles matris *postrema* [b] fuit, germanis suis solus superstes, cum hæc scriberet. Graves in ejus partu dolores passa mater, eum, velut abortivum, tandem *vigilia paschatis*, paullo ante idus Aprilis, ex utero effudit: cujus homunculi recens editi *adeo miseranda erat exilitas, ut cadaveruli extemporaliter nati species videretur:* ita ut, *iduato ferme Aprili*, junci qui in ea oriuntur regione pertenues, ejus digitulis applicati, corpulentiores viderentur. Eam ob causam puellum mater beatissimæ virgini Dei-paræ vovit. Vix octo mensium erat, cum pater ejus Evrardus [c] occubuit, divinæ circa Guibertum providentiæ, si superstes fuisset, forte obfuturus. Quia enim pro indolis alacritate huic sæculo aptus videbatur puer, nulli dubium erat, quin pater eum suis, id est militaribus, potius exercitiis, quam discendis litteris adhibiturus fuisset contra matris votum, quæ natum divinis obsequiis devoverat. Hæc sollicite puerum educavit, ac secundis nuptiis constanter nuntium remisit. Ille adhuc [d] pusio sub matre agens, diebus paschalibus febre quotidiana vehementer æstuare cœpit. Hinc, evocatis mater duobus clericis suis, quorum unus ejus capellanus, alter postea Guiberti præceptor fuit, puerum deferri præcepit ad ecclesiam sanctorum Leodegarii & Machuti, sub opido natali sitam, & pro illorum temporum usu ad ipsam pertinentem, cui continuum olei lumen pia matrona ministrare solita erat. Illic composito ante altare strato, puerum per totam noctem collocari ab illius ecclesiæ clericis permissum. Nocte media intra eamdem ecclesiam cœpit

[a] *lib. 59. n. 11.*
[b] *Guiberti lib. 1. vitæ c. 3.*
[c] *ibid. c. 4.*
[d] *lib. 3. c. 19.*

ANN. CHR. 1053.

humus quasi malleis concuti, & ferae arcarum cum multo strepitu circumvelli. Hoc strepitu excitati clerici, ad puerum accurrunt, quem omnino sanum & incolumem reperiunt. Post haec ad prima litterarum elementa discenda scholae traditur [a] ipso die festo sancti Gregorii papae, quem singulari devotione colebat mater. Vix primos apices attigerat, cum grammaticae addiscendae adhibitus est sub disciplina unius ex illis clericis, qui matri *sub capellanorum nomine* officia divina celebrare consueverant. Puerum optimis moribus imbuit magister aliquanto severior, erga eum alias optime affectus, qui illum a puerilibus nugis & ludis adeo revocare curabat, ut dominicis etiam festisque Sanctorum diebus ab scholari exercitio feriari non sineret, sic uni erudiendo addictus, ut alium, quem doceret, admittere non permitteretur. quod male ad litterarum studia successisse ait Guibertus, tum propter magistri imperitiam, qui scriptionis ac poëseos expers erat; tum maxime ob nimiam illam ejus severitatem. *Quo enim praeter modum*, inquit ille, *non dico puerilis, verum omnis hominum natura meditationis assiduitate distenditur, eo amplius hebetatur & tepescit.* Erat igitur magistro illi erga Guibertum *savus amor*: quem cum aliquando atrocius [b] virgis cecidisset in schola, quae domus paternae triclinium erat, percontata vesperi mater de more, an eo die vapulasset; neganti Guiberto subuculam, quam *camisiam* vocamus, detraxit, *& liventes ulnulas dorsiculi* (quod notandum) *& ex viminum illisione cutem ubique prominulam deprehendit.* quae res ita eam offendit, ut Guibertum a scholis retrahere, *& equitem* facere tum decreverit. Verum hanc conditionem respuit ingenuus puer, quod genitrici non minus, quam magistro placuit.

a *lib.* 1. *c.* 4.

b *ibid. c.* 6.

XXXVII. Beneficiis ecclesiasticis implicatur.

Verum ad aliud magis malum se vertit mater indulgentior, & filium suum ecclesiasticis beneficiis irretire [c] curavit. Illius opidi dominus nescio qua donativi ac feodalis debiti pensione tenebatur, quam Guiberti frater, eques ac municeps ejusdem castri, ab eo exigebat. Illi, cum solvendo non esset, quorumdam Guiberti propinquorum consilio suggeritur, ut collegiatae ejusdem opidi ecclesiae *canonicam*, (*praebendam* vocant) quae ejus ditioni contra scita canonum subjacebat, Guiberto daret in debiti solutionem. Erat in illa ecclesia praebendarius quidam, presbyter uxoratus, qui sedis apostolicae decretis constrictus, maluit ab officio sacerdotis suspendi, quam uxorem dimittere. Eo aliquando absente, quidam Guiberti cognatus, patris sui nepos, vir secundum saeculum prudens aeque ac potens, sed lubricus, & tamen uxoratis clericis infensissimus, investituram illius canonicae a castrensi illo domino, cui necessarius ac familiaris erat, Guiberto conferri curavit. Hinc factum est, ut presbyter ille, qui ad id tempus ob uxorem a sacris abstinuerat, tunc praebenda privatus, cum jam amittendae praebendae poenam non amplius timeret; retenta uxore, missas celebrare non dubitaret. Hinc rumor sparsus in vulgus, Guiberti matrem cum familia sua excommunicationi subjacere. quo intellecto, religiosa ceteroquin matrona Guibertum male partae praebendae cedere jubet, aliamque castri dominus, ubi aliquis praebendarius obiisset, ipsi pollicetur. quod paullo minus erratum esse putavit Guibertus. *Sub praestolatione* enim, inquit, *alienae mortis aliquid dari, nihil aliud est, quam quotidianum homicidam quempiam jubere fieri.* quod postea pia mater, suis erratis facta doctior, magnopere luxit, & expiare satagit.

c *ibid. c.* 7.

XXXVIII. Patria ejus & annus natalis.

Quod attinet ad Guiberti natale solum, natus est, ut jam dixi, apud Bellovacos, & quidem apud Claromontem opidum, cujus frater ejus municeps [d] erat. Etsi enim locum illum numquam diserte notet Guibertus, eum tamen ex circumstantiis satis designat. Quippe brachium sancti Arnulfi [e] martyris illo in opido, unde oriundus erat, asservatum fuisse dicit; quod hodie quoque in illius opidi collegiata beatae Mariae ecclesia habetur; & *sub opido* [f] illo erat ecclesia sanctorum Leodegarii & Machuti, cui continuum olei lumen ejus mater ministrabat, quae forte parœcialis est Aneti * ecclesia, sancto Leodegario sacra, mille passibus ab opido distans, cui subjecta est media pars suburbii Claromontani. Denique Castanetum *, ubi Guiberti mater aliquamdiu versata est, a natali ejus opido duobus [g] fere milliaribus remotum erat. Unde, cum mater ejus Flaviacum transmigraret, *sub opido illo* transitum habuit. quae omnia Claromonti optime conveniunt, a quo Castanetum opidum duobus fere milliaribus abest. Annum nativitatis suae non obscure designat Guibertus, cum ait, se *vigilia* [h] *paschatis* natum fuisse, & quidem *iduato ferme Aprili*, id est paullo ante idus illius mensis. quae notae coincidunt in hunc annum M LIII. quo

d *ibid.*

e *lib.* 1. *c.* 13.

f *lib.* 3. *c.* 19.

* *Anez.*
* *Catenois.*

g *lib.* 1. *c.* 13.

h *lib.* 1. *c.* 3.

paschа in tertium idus Aprilis incidebat. Nec serius id differendum videtur, ut patebit ex iis, quae de ejus ingressu in monasterium, & primis ejusdem scriptionibus dicturi sumus.

ANN. CHR. 1053.

XXXIX. Ebrardi comitis conversio.

Guiberti consanguineum se dicebat Ebrardus Britoliensis in Ambianorum, Belvacorumque confinio comes, cujus ille conversionem, quam, dum juvenculus esset, ab eo rescierat, in libro primo [a] de vita sua litteris mandavit. Ebrardus genere, aetate, & opibus florens, elegantissimae quoque formae, adeoque multo superbiae fastu inflatus, jam licentiorem vitam ingredi coeperat, cum, animae suae miserabili statu perspecto, alium tandem vivendi modum arripere constituit. Adjunctis itaque quibusdam ejusdem propositi sociis, in exteras furtim recessit provincias, ubi prorsus ignotus erat; & carbonibus faciendis, quos per vicos & opida ad victus subsidium venum ferebat, operam dedit, tunc primum summas ratus se attigisse divitias. Hoc porro vitae genus sectatus est exemplo Teudebaldi seu Theodebaldi Vicentini eremitae, qui in ipso aetatis flore, spretis nobilissimi generis & saecularis militiae illecebris, nudipes domo clam elapsus, ejusmodi opificio aliquamdiu vacaverat ut superius [b] vidimus. Verum spectro nescio quo territus demum Ebrardus, cum suis commilitonibus hoc vitae institutum mutare, & ad Majus-monasterium, quod tum religione florebat, se se recipere decrevit. Illic itaque sanctae conversationis habitu suscepto, tanta se humilitate abjecit, ut ex corporis habitu non comitem, sed agrestem rusticulum fuisse facile quivis existimaret. Si quando vero per urbes & opida ex abbatis imperio proficisceretur, numquam adduci potuit, ut castella, quae reliquerat, vel semel ingrederetur. Porro, etsi illitteratus esset, semper tamen secum libellum gestabat, &, ubi quid prosa aut versibus praeclare dictum, aut festivum a quoquam audisset, id sibi in libello describi cogebat, quod sibi postea relegi curabat. Hic finis fuit illustris illius viri, hoc fine bono longe nobilioris, qui inter illius temporis viros *exemplo primus glorioſiore resplenduit*, inquit Guibertus. Hoc exemplum [c] secutus est Simon, Radulfi Crispiacensis filius, de quo in consequentibus agemus. Haec anticipato retulimus occasione Guiberti. nam paullo serius haec Ebrardi [d] conversio accidit.

a *ibid. c.* 9.

b *lib.* 59. *n.* 39.

c *ibid. c.* 10.

d *V. lib.* 64. *n.* 44.

XL. Gervini Centulae abbatis quaedam facta.

Hoc anno villam Noguerias in pago Pontivensi, a quodam milite, scilicet a Waltero cognomine Tirello, injuste occupatam, recuperavit Gervinus Centulensis abbas, qui Walterum, ejusque conjugem Erminam a vinculo excommunicationis, quam ob eam causam incurrerant, humi prostratos absolvit. Idem abbas aliquando quorumdam negotiorum causa in Angliam profectus, ubi pro suae merito sanctitatis, maxime Edwardo regi ac reginae, in magna veneratione erat, in curiam venit. Accedenti *osculum salutationis & pacis* pro more patriae regina Edith praebere voluit. quod cum ille prae verecundia respuisset, eo usque succensuit regina, a monacho spretam se reputans, ut donum ei factum irata revocaverit. Verum regis sermone, qui abbatis religionem probavit, facta placatior, & ipsa factum postea laudavit, eumque morem in episcopis & abbatibus improbavit. Gervinum itaque multis honoribus & donis rex onustum remisit, eidemque regina pretiosum amictum donavit, auro & lapillis decoratum: cujus elegantia Guido seu Wido Ambianorum praesul ita captus est, ut eum a Gervino tandem extorserit, concessis ei duobus altaribus villarum Argubii & Montis-Elisii.

XLI. S. Wlframni meritis pestis fedata.

Jam annus septimus erat, ex quo fames & pestis inde consecuta Galliam, & maxime Caletensem Neustriae pagum infestabant, cum Fontanellenses coenobitae, tametsi ab hac tabe Dei singulari providentia immunes, publicam miserati calamitatem, sancti Wlframni corpus Rotomagum sollemni pompa deferre constituerunt. Condicto itaque die, videlicet VIII. kal. Junii, electi quindecim fratres sacrum loculum efferunt, & Rotomagum appulsi, canonicis cum sancti Romani corpore obviam progressis, in ecclesiam sanctae Dei-genitricis Mariae festivo ritu inferunt. Illic Hugo archidiaconus, vir eloquentissimus, de vita & virtutibus sancti Wlframni sermonem habuit, in quo miraculum de muliere ad ecclesiam sancti Hermenlandi sanata retulit. Inde sacer loculus ad ecclesiam sancti Audoëni delatus, cui monachi albis induti cum sancti Nicasii theca obviam processere: tum ad sui juris ecclesiam sancti Laurentii, ubi ipsa die atque subsequenti quievit. Ibi quaedam mulier Rotomagensis sanata, cui ex equo delapsae brachium contritum fuerat, *cum rediret a sancto Dionysio, ad quem cum populo videndum devote confluxerat*, uti

* *le pays de Caux.*

ANN. CHR. 1053. a *num.* 34.

auctor illius temporis ſcribit, quod ſancti Dionyſii detectionem hoc anno, ut paullo ante [a] diximus, factam confirmat. Demum corpus ſancti Wiframni Fontanellam revectum eſt: cui loco tum præerat Rotbertus abbas. Huic miraculum redintegrati viſûs, ſancti Wlframni virtute in ſe factum, retulit Tetbaldus Vernonenſis, Rotomagenſis canonicus, qui multorum geſta ſanctorum, in his ſancti Wandregiſili in vulgarem linguam rythmice tranſtulit, & urbanas ex illis cantilenas edidit. Hæc ex anonymo illius temporis monacho Fontanellenſi.

XLII. Vindocino Credonenſis S. Clementis eccleſia datur. * *Craon.* ** l'Oudon.

Notiſſimum eſt Credonis * caſtrum in inferiore Andecavorum pago verſus Armoricos, ad Udonem * fluvium. Huic proximam eccleſiam, ſancti Clementis nomine inſignem, Suhardus-Vetulus, Credonis olim dominus, Hucberto abbati & monachis ſancti Albini ea lege donaverat, ut eam in abbatiam promoverent, quod pactum cum non expleſſent ſancti Albini monachi; Guarinus Suhardi filius eccleſiam in jus ſuum revocavit, & clericos pro monachis in ea conſtituit. Deinde vero cum Gaufridus-Martellus, Andecavorum comes, Credonenſe dominium recepiſſet; ſancti Clementis eccleſiam Vindocinenſi monaſterio, quod recens conſtruxerat, hoc anno addixit, priuſquam Credonenſe dominium Rotberto Burgundioni, fideli ſuo, concederet. Hæc diſcimus ex tabulis donationis ab ipſo Gaufrido factæ monachis Vindocini ſub Oderico abbate degentibus, eorumque ſucceſſoribus *in augmentum victualium & neceſſarii ſumtus eorum. Actum Andegavis civitate* VII. *kal. Aprilis. anno ab inc. Domini noſtri Jeſu-Chriſti* M LIII. Hæc donatio multæ ſubinde litis materia fuit inter ſancti Albini monachos & Vindocinenſes, ut in conſequentibus videbimus. His litteris poſt Gaufridum comitem ſubſcripta invenitur Grecia comitiſſa: aſt hæc ſubſcriptio poſt datas litteras facta dicenda eſt, quandoquidem Agnes comitiſſa viro ſuo uſque ad tres annos ſequentes adhæſit, ut inferius videbimus. Hæc cum viro ſuo Gaufrido monaſterium Vindocinenſe conſtruxerat, ipſaque in ſupercilio montis ædificaverat ſancti Georgii collegiatam eccleſiam, quam *capellam conſulis* ſeu comitis vocari præcepit, ut in geſtis comitum Andegavenſium legitur. Paullo aliter hanc Credonenſis eccleſiæ donationem explicat Euſebius Andecavorum præſul in litteris, quibus eam confirmavit. Ait quippe Suhar-
» dum-Vetulum hanc eccleſiam uſurpaſſe, eamque primum abbati Pontilevis, deinde
» ſancti Albini monachis commendaſſe, ut illic abbatia conſtrueretur; idque factum
» abſque ſuo ipſius aſſenſu & comitis, cui Suhardus *honorem illum* violenter auferebat. At, cum prædicti monachi, contra epiſcopi excommunicationem, reclaman-
» te etiam comite, illic manere non potuiſſent, eos ad propria monaſteria revertiſſe.
» ſed, mortuo tandem prædicto tyranno, Credonenſis caſtri honorem poſtliminio
» rediiſſe ad epiſcopum & comitem, qui prædictam eccleſiam Vindocinenſibus con-
» ceſſerunt. Actum Andegavis in capitulo beati Mauricii VII. kal. Aprilis, id eſt eo-
» dem die & anno, quo Gaufridi comitis donatio facta eſt. His litteris poſt Goſlenum decanum ſubſcribit *Berengerius archidiaconus*, qui proinde necdum dignitate ſua privatus erat. Etſi porro Gaufridus comes Vindocinenſem comitatum ante triennium Fulconi, ſororis ſuæ filio, reſtituiſſet, Vindocinenſis tamen monaſterii tutelam retinuerat. unde Andecavenſes comites idem jus in illud monaſterium ſibi competere aliquando contenderunt.

XLIII. S. Martialis monaſterium crematur. b *Labbe to.* 1. *bibl. p.* 284. c *ibid. p.* 287.

Apud Lemovicas tunc concremata eſt *regalis eccleſia* [b] *Salvatoris* ſeu ſancti Martialis cum omnibus monaſterii officinis: quo incendio multa pretioſa ornamenta & pleraque inſtrumenta conſumta ſunt. Tres quoque monachi, Bernardus, Ranulfus, & Guido, ſuper ſepulcrum ſancti Martialis exſtincti. Eodem anno, vel, ut alii ſcribunt, decennio poſt, Cluniacenſes monachi [c] ſancti Martialis cœnobium invaſerunt ope Ademari, filii Guidonis Vicecomitis Lemovicenſis. Illic monaſtica diſciplina refloruit ſub Ademaro abbate, ſucceſſore Mainardi, qui hoc tempore locum adminiſtrabat.

XLIV. S. Benigni poſſeſſiones confirmatæ. c *Perard p.* 189.

Dum Johannes Fiſcamnenſis abbas Divionenſe quoque ſancti Benigni monaſterium procuraret; ejuſdem loci poſſeſſiones omnes, quæ in regno Heinrici imperatoris ſitæ erant, Hugo Chryſopolytanæ eccleſiæ archiepiſcopus imperiali [c] auctoritate confirmari curavit. Actum Wormatiæ hoc anno. quod præceptum Hugo cancellarius vice Hugonis archicancellarii & archiepiſcopi recognovit. Ex quo intelligitur, Hugonem Veſontionenſem archiepiſcopum in Burgundia Transjurenſi archicancellarii munere tunc functum fuiſſe, qui ſane erga Ordinis noſtri alumnos

optime affectus erat, ut multis argumentis hactenus relatis nobis innoteſcit. Non diu poſt hunc annum regimen [a] ſancti Benigni retinuit Johannes, qui Adalberonem ſuo loco ibidem ſubſtituit. ANN. CHR. 1053. a *V. ſupra num.* 22.

XLV. Villæ-novæ cella conditur.

Cluniacenſi monaſterio jam ſubjectum erat Muſciacenſe ſeu Moiſiacenſe Cadurcenſis pagi monaſterium, cum Odo quidam, filius Rodulfi de Rutenenſi comitatu, Jeroſolymis reverſus, quo voti cauſa, viſurus ſancta loca, perrexerat, partem hereditatis ſuæ ad conſtruendum in villa Mauriago monaſterium in Chriſti Domini ſepulti honorem impendit; illudque ſub titulo cellæ de Villa-nova providentiæ Duranni tum abbatis Moiſiacenſis, ejuſque ſucceſſorum commiſit, eo pacto, ut poſt conſecrationem ejus loci eccleſiæ ſingulis annis aureum byzantium unum patriarchæ Jeroſolymitano perſolverent Moiſiacenſes. Petrus-Berengarii Rutenenſis epiſcopus ibidem nundinas inſtituit, quarum mediam partem ejuſdem loci monachis conceſſit: alteram Deodatus prior obtinuit.

XLVI. Adelardus abbas Laubienſis. b *Spicil. to.* 6. *p.* 593.

In Laubienſi monaſterio Hugo abbas fato functus eſt hoc anno, poſtquam annis uno & viginti locum adminiſtraſſet magno cum ſtudio regularis diſciplinæ, quam illibatam [b] ſervaſſe traditur. Ejus ſucceſſor Adelardus baſilicæ fabricam, a Francone abbate ab annis amplius ducentis inchoatam, & ab Hugone promotam, non ſtatim abſolvere potuit, tum ob bellorum tempeſtates, quæ inter Heinricum imperatorem & Balduinum Flandriæ comitem, cognomento Inſulanum, qui Hainoënſem comitatum invaſerat, exortæ, Laubienſes vicinos magnopere infeſtabant: tum ob imminutas monaſterii facultates, quas Adelardus abbas, delato per Flandriam, aliaque loca ſancti Urſmari corpore, recuperare conatus eſt. quod ubi ad votum ſucceſſit, non modo eccleſiam abſolvit, ſed etiam ab occidentali parte novum in honorem ſancti Johannis-Baptiſtæ oratorium adjunxit in ſuperiori parte eccleſiæ, in cujus inferiori oratorium ſancti Benedicti poſitum erat.

XLVII. Theodericus monachus Romam adit. c *lib.* 49. *n.* 73.

Paullo ante Hugonis obitum iter Jeroſolymam aggreſſus erat Theodericus Laubienſis & ipſe monachus, tuncque in Stabulenſi monaſterio ſcholarum rector: qui, cum plurimos ad ſacra loca proficiſci cerneret, eodem quoque deſiderio pulſatus eſt. Verum, ubi Pannoniam attigit, reflexo ob barbarorum incurſiones itinere, per Italiam iter inſtituit, per montem Garganum & mare Adriaticum Conſtantinopolim, indeque Jeroſolymam profecturus. Verum ubi Romam appulit, Theoduinum ſeu Deoduinum Leodicenſem epiſcopum offendit, & in ejus comitatu quoſdam amicorum ſuorum, maxime Anſelmum ſancti Lamberti canonicum, virum doctrina & morum probitate inſignem, ſibique a puero familariſſimum: a quibus Hugonis Laubienſis abbatis obitum didicit, & Adelardi in ejus locum ſubrogationem; de illo admodum mæſtus, de altero lætus, quippe qui Adelardum, probum, prudentem ac modeſtum monachum, præ ceteris dudum dilexerat. Ubi ejus conſilium pergendi ad ſacra loca reſcivit Anſelmus, eum ab hoc itinere ob piratas mare incurſantes revocare tentavit; epiſcopus vero ut propoſitum in aliud tempus differret, & ad monaſterium ſuum rediret, perſuaſit. Vix ad monaſterium pervenerat, cum Heinricus imperator a Theoduino epiſcopo poſtulavit ad ſe mitti religioſum quempiam & eruditum monachum, quem in Fuldenſi monaſterio *ſcholaſticum* conſtitueret. Deſignatus ad id muneris Theodericus: at dum hic ad illud iter ſe accingit, ad præfecturam Andaginenſis monaſterii poſtulatur.

XLVIII. Weingartenſe monaſterium.

Hermannus auctor eſt, Altorfenſe cœnobium igne conſumtum hoc anno fuiſſe. Inde monachi ejus loci, qui in parœcialem poſtea eccleſiam converſus eſt, cum Berithgero abbate genere & pietate illuſtri tranſlati ſunt in Weingartenſe monaſterium, quod Guelfo tertius exſtruxiſſe traditur. Liberum hoc & imperiale in Suevia cœnobium patronum habet ſanctum Martinum, *Vinearum* dictum ob vineas olim, ut creditur, loco circumpoſitas. Illic oſtenditur ſanguis Chriſti Domini, quem Juditha *dux fundatrix* cum multis aliis donis conceſſiſſe traditur; forte Juditha mater Guelfonis comitis, inſtauratoris, ut alias [c] vidimus, Altorfenſis monaſterii, ex quo ſanguis ille ad monaſterium Vinearum tranſlatus ſit. an ex illo ſanguine, qui Mantuæ pontificatu Leonis tertii repertus eſt, alii viderint. Altorfenſium & Weingartenſium abbatum indicem exhibet Bucelinus, Weingartenſis cœnobita, multis editis libris notus. Ex ejus loci bibliotheca deſcripſimus veterrimas formulas Andegavenſes, primum editas in tomo quarto Analectorum. In hoc monaſterio conditi ſunt Guelfones complures, notati in necrologio: in his, *Welf dux ſenior* illic ſepultus v.

ANN. CHR. 1053.

idus Novembris, qui dedit ecclesiam ; & ipsis idibus *Welf dux Carinthiæ*, ibidem humatus, qui, ut in altero necrologio legitur, *in extremis positus, omne patrimonium suum, duobus ex suis delegatum, Altorfensi ecclesiæ donari decrevit : sed mater superstes hanc traditionem jure irritam faciens, pro anima filii hæc prædia dedit, Lancrein* &c. Idibus vero Decembris laudatur *Heinricus dux, & noster*, ut loquuntur, *congregationis monachus, pater Welfonis, hic sepultus*, qui prædium in loco Einode concessisse dicitur. Denique ut alios omittam, XVIII. kal. Januarii memoratur prædictus *Welfo dux, Welfonum ultimus, filius Heinrici ducis, qui inter alia dedit nobis duas curias, Berge & Villare.* Ad abbates quod attinet, III. idus Maii notatur Berithgerus abbas, is, sub quo Altorfenses monachi in locum Vinearum commigrarunt. Apud Bucelinum Beringero (sic eum vocat) subjicitur Adilhelmus princeps Lucelburgius, & post eum Heinricus, ex comitibus de Beienburg, vir sanctus, *Herricus abbas* nullo addito dictus in necrologio idibus Novembris : cujus successor *Walicho abbas* v. kal. Januarii notatur, Willelmi Hirsaugiensis discipulus. Post multos IX. kal. Maii nominatur Meingoz abbas, quem Bucelinus beatum vocat.

XLIX. Monachi ad loca sacra profecti.

Florebat tunc temporis in Augiensi monasterio Hermannus monachus, genere non tantum scriptis insignis, jam sæpius laudatus, cujus frater Werinharius, & ipse Augiensis monachus, *admodum doctus*, ait ille, *& religioni vere deditus*, adhuc juvenis, cum alio monacho, Liuthario nomine, *studio vitæ perfectioris flagrans*, peregrinationem ad loca sancta pro more illorum temporum *clam* aggressus est, injussu scilicet abbatis, cujus facultatem postea litteris scriptis petiit, & obtinuit. Hos non multo post subsecuti sunt Richardus Rhenaugiensis abbas, & Henricus monachus.

Hadamuta abbatissa obit.

Eodem tempore Hadamuta, Niunburgensis prope Ingolstadium abbatissa venerabilis, quæ monasterium pæne collapsum in meliorem statum restituerat, cum eam, quæ ipsi succederet, designasset ; sororibus pie admonitis, IV. kal. Novembris decessit. quo itidem anno Heinricus imperator Abdinchofensi monasterio, abbatique Egilberto [a] suas possessiones asseruit contra Meinwerci Patherbrunnensis episcopi fundatoris heredes, qui eas reposcebant. Idem cæsar filium suum æquivocum apud Triburiam in frequenti conventu *a cunctis eligi*, cum necdum electores imperii instituti essent, eique subjectionem in antecessum promitti fecit. Huic Bajoariæ ducatum assignavit, excluso Conrado duce, qui huic electioni assensum non præbuerat. Hæc ex Hermanno. Tunc querelæ adversus imperatorem in Saxonia auditæ, quod a recto & justitia deflectere videretur.

a *Annal. Paderborn.*

Procopius etiam abbas.

Sub idem tempus Procopius, sancti Johannis monasterii [b] abbas apud Boëmos, sancte vita functus est kalendis Aprilis, cum prospera omnia incolis superstite Bretislao duce, ast eo erepto sinistra eventura prædixisset. quod sub Spitigneo principe accidit. cujus tempore Vitus abbas, Procopii successor, monasterio cedere, & in Pannoniam se recipere ob ducis infestationes compulsus est : sed demum revocatus Uratislao Boëmiam regente. Miraculis ad Procopii tumulum increbrescentibus, Blasius monasterii præpositus eum in sanctorum numerum ab Innocentio III. referri fategit, quod per Guidonem sanctæ Mariæ trans Tiberim presbyterum cardinalem anno M CC IV. factum est IV. nonas Junii.

b *lib. 58. n. 52.*

L. S. Crucis exaltatio Mediolani recepta.

Ad id tempus exaltatæ sanctæ Crucis festivitas, quæ ubique recepta erat, in ecclesia Mediolanensi primum [c] instituta est in frequenti totius cleri confessu, cui Landulfus Ambrosiani monasterii abbas, Gottifredi successor, cum monachis suis, aliisque abbatibus interfuit. Atque ut hoc festum cum majori pompa celebraretur, Tado seu Tadelbertus notarius Mediolanensis quædam prædia assignavit ad instituendam psalterii recitationem in ecclesia metropolitana in pervigilio festi, ipsoque festo totius cleri processionem ad basilicam Ambrosianam : ubi singulis presbyteris, aliisque clericis *fictum* seu pensitatio ab ejus loci abbate distribueretur. Actum in secretario ecclesiæ Mediolanensis hoc anno M LIII. Heinrici imperatoris septimo, Widonis archiepiscopi octavo, quinto die mensis Septembris. Præter monachos jam tunc duodecim canonici erant in basilica Ambrosiana, immo & quædam monachæ, ut patet ex testamento [d] Lauterii cujusdam & Widæ conjugum ibidem sepultorum, qui quasdam possessiones eidem monasterio tribuunt, unde lumen super ipsorum sepulcrum perpetuo accendant prior & diaconus major, & de reliquo fratres *camisias* habeant, eo pacto, ut in ipsorum anniversario simul officium

c *Puricel. p. 426. & seqq.*

d *ibid. p. 431. & seqq.*

officium mortuorum celebrent, & quotidie pro ipsis Deum orent : canonici vero ejusdem ecclesiæ quolibet die preces pro ipsismet fundant, & quotannis anniversarium persolvant ; *& cum duobus custodibus & sex monachabus de eadem ecclesia gustent* seu reficiant *in canonica.* Hæc fusius apud Puricellum, ubi recte arguit Gabrielem Pennottum, qui canonicos regulares in illa basilica tum exstitisse scribit.

ANN. CHR. 1053.

LI. S. Trinitatis monasterium Venusii.

Venusii ad muros in Apulia exstabat hoc tempore sanctæ Trinitatis monasterium, a Rotberto Guiscardo fundatum, ubi olim cathedralis ecclesia erat, cui tunc Gaufridus abbas præsidebat. Huic monasterio Drogo [a], dux & magister Italiæ, comesque Nortmannorum totius Apuliæ & Calabriæ, tertiam partem dictæ civitatis, & monasterium sancti Georgii extra muros, aliudque sancti Georgii monasterium, necnon sancti Petri, sancti Benedicti, sancti Nicolai & sancti Johannis hoc anno confert pro remedio animæ suæ, fratrisque sui Guillelmi, eo pacto, ut pro eis, aliisque suis propinquis missæ & orationes atque vigiliæ a fratribus agantur. Hoc monasterium militibus Hospitalis sancti Johannis a Bonifacio VIII. [b] traditum est, suppresso monachorum ordine, qui per quadringentos illic annos perstiterant.

a *Ital. sac. to. 7. p. 219.*

b *ibid. p. 223.*

LII. Legatio Constantinopolim.

Inter ea furebat contra Latinos Michaël Cerularius patriarcha Constantinopolitanus, scriptaque ad Leonem papam epistola, totius occidentalis ecclesiæ ritus & doctrinam sugillabat. Hanc epistolam, cum in Apulia esset, accepit pontifex, eamque Humbertus Silvæ-candidæ episcopus cardinalis latine reddidit. Ad hanc epistolam rescripsit Leo, repressitque arrogantiam patriarchæ : qui alia epistola in concordiam redire visus est, permotus scilicet Constantini imperatoris hortamentis, qui unitatem inter utramque ecclesiam resarcire studebat. Verum cum nec sic res succederet, legatos tres Constantinopolim misit pontifex, tum ad bellum conficiendum adversus Nortmannos, tum pro ecclesiastica pace reformanda inter utramque ecclesiam. Legati fuere Humbertus cardinalis mox laudatus, Fridericus S. R. E. archidiaconus & cancellarius, & Petrus archiepiscopus Amalfitanus : qui, adito prius [c] Casinensi monasterio, ut fratrum precibus se commendarent, ad regiam urbem profecti sunt, acceptis pontificiis litteris, tum ad imperatorem, tum ad patriarcham. De hac legatione commentarium scripsit Humbertus. Collatione cum Michaële Cerulario & Niceta Pectorato habita, resipuit Nicetas, at nequaquam Cerularius, quem in schismate obfirmatum legati communione ecclesiæ interdixerunt. Hanc legationem anno M LIV. reponit Baronius : at rectius Lambertus, aliique veteres anno præcedente. Legati quippe, teste Humberto, Constantinopolim pervenerunt *ipso die nativitatis sancti Johannis Baptistæ* ac proinde vix ante mensis Junii initium ex Italia profecti sunt jussu Leonis pontificis, qui mense Aprili anni insequentis decessit.

c *Chron. Casin. lib. 2. c. 88.*

ANN. CHR. 1054. LIII. Leoni papæ succedit Victor II.

Ipso anno, scilicet millesimo quinquagesimo-quarto, Beneventi detentus est Leo pontifex usque ad mensis Martii duodecimum diem. Inde Capuam ab Hunfrido comite Nortmanno deductus : ubi duodecim dies remoratus, cum ægrotaret, itineris socio assumto Richerio Casinensi abbate, Romam revertit, & in Lateranensi palatio decubuit. Cum vero brevi se moriturum intelligeret, in ecclesiam beati Petri se deferri præcepit, ubi tumulum intuitus, in quo humari voluerat, in hunc modum verba fecisse traditur. *Videte*, inquit, *fratres mei, quam vilis, quamque fragilis & transitoria sit humana gloria ! Ego, qui ex nihilo propemodum ad humanæ gloriæ fastigium evectus sum, ab hoc nunc iterum fere ad nihilum sum redigendus. Cellam, quam monachus incolui, in spatiosissima palatia jam dudum vidi conversam : modo ad hujus sarcophagi angustias iterum est remeandum.* His dictis, aliisque, quæ anonymus ejus æqualis refert, unctione & sacro viatico munitus, feliciter diem clausit XIII. kal. Maii, miraculis ante & post obitum editis clarus, quorum nonnulla Victor tertius refert in libro tertio Dialogorum. Obiit quinquagenarius, Tullensis episcopatus anno vicesimo-octavo, pontificatus sexto ; sepultus ad altare sancti Gregorii in basilica Vaticana. Libros de rebus ab eo gestis duos, videlicet de ejus vita, atque miraculis, scripsit Wibertus Tullensis archidiaconus, ejus familiaris : narrationem de ejus obitu retulit anonymus ejus æqualis, modo laudatus, quam ex vetustissimo Beneventanæ ecclesiæ codice, litteris Langobardicis exarato, Ughellus excepit.

Post ejus obitum vacavit anno fere integro pontificatus, ad quem demum assum-

ANN. CHR. 1054.

tus fuit Gebehardus Eistetensis episcopus, dictus Victor secundus, postulante clero Romano per Hildebrandum, tunc ecclesiæ Romanæ subdiaconum, qui ad Heinricum imperatorem ejus rei causa missus est, cum nullus ad pontificatum idoneus in Romana ecclesia tum repériretur. Gebehardo pontificatum prædixisse traditur sanctus Bardo archiepiscopus Moguntinus. Cum enim Heinricus imperator de ejus promotione ad Eistetensem episcopatum hæreret, consultus hac de re Bardo, *subtus* [a] *cucullam suam, ut solebat, collectus & tacitus*, cæsari demum respondit: Domine, bene potestis hanc ei dare potestatem, quia aliquando ipsi daturi estis majorem. quo intellecto, Heinricus, tanti viri securus testimonio, anulum ei cum baculo, eidemque postea summum pontificatum dari curavit.

a *Gretser. in catal. Eistet. p.* 448.

LIV. Legati Romam redeunt.

Ubi nuntium de morte pontificis accepere legati, Michaële patriarcha & Leone Acridano episcopo damnatis, in Italiam reverti maturarunt. Discedentes muneribus eximiis, quæ sancto Petro offerrent, donavit imperator, qui etiam binas [b] auti libras annui census Casinati monasterio assignavit. Verum cum per Apuliam transirent, a Transmundo Teatino comite per libidinem, avaritiamque indigne exspoliati sunt. Fridericus Romam reversus odium Heinrici imperatoris incurrit, tum ob fratrem suum Godefridum ducem, ei dudum infensum, cujus potentia propter nuptias, cum Beatrice Tusciæ duce contractas, cæsari tunc maxime suspecta erat; tum ob multam pecuniam, quam ex sua legatione retulisse ferebatur. Unde invidiæ cedendum ratus, cum jam aliunde contemtum sæculi concepisset; [c] Richerium Casini abbatem, qui ex urbe Lucca, ubi imperatorem adierat, nuper reversus, clam Romæ versabatur, convenit, seque monachum fieri postulavit. Id perjucundum fuit abbati, a quo incunctanter Casinum præmissus est, quem brevi subsecutus abbas cum legatis, quos Heinricus imperator ad principes mittebat, iisdem præsentibus Fridericum monasticis vestibus induit. Hoc factum plerique male interpretabantur: sed *nemo qui sanum saperet*, inquit Lambertus, *alio animo hoc eum, quam ardore fidei, & tædio sæcularium negotiorum fecisse credebat. præsertim cum eodem tempore & longi itineris labore exhaustus, & gravi corporis molestia pulsatus, diu se posse vivere desperaret.* Hic non multo post abbatem rogavit, ut ad monasterium insulæ Tremitensis, in mari Adriatico e regione Gargani montis situm, secedere sibi liceret. Verum cum ob quædam vitia ab se reprehensa ingratus ejus loci abbati esse cœpisset; inde ad monasterium sancti Johannis, quod Veneris dicitur, positum in agro Lancianensi, se recepit.

b *Chron. Casin. lib.* 2. *c.* 88.

Fridericus Casini monachus.

c *ibid. c.* 59.

LV. Theobaldi eremitæ vita piissima.

Hoc etiam anno Liuthericus Vicentinus episcopus, quem Ughellus mendose *Sirdicherium* vocat, puellare sancti Petri cœnobium instaurasse dicitur. Idem Theobaldum, eremitam Gallum, qui tum in illis partibus vitam angelicam ducebat, presbyterum ordinavit. Illuc accesserat vir sanctus ex urbe [d] Roma, per mare Adriaticum in loca sancta trajecturus: ast ubi ad locum, qui Sallaniga dicitur, pervenit; Waltero collega jam deficiente, & ulterius progredi recusante, illic consistere decrevit: ibique, assentiente loci domino, cive Veronensi, exstructo tugurio, durissimam vitam agere instituit. Et primum quidem a carnibus, omnique pinguedine & obsonio abstinuit, solo pane hordeaceo & aqua contentus: demum vero, pane & quovis potu sibi detracto, fructibus tantum & herbis, earumque radicibus usus est. Ad hæc jugi indutus cicilio, multifido flagello ex corio facto corpus sæpius divexabat. Toto quinquennio numquam jacendo, sed sedendo somnum cepit; fallensque ministrum, qui ipsum somno vacare putabat, ad conticinii tempora preces continuabat, paullo ante matutinos, ut suis lateret, ad stratum reverti solitus, appositio durissimo trunco pro cervicali super arcam linteolo substratam, quæ ipsi pro lecto erat. Biennio quam illic degere cœperat, socius ejus Walterus *in sancta religione* non sine opinione sanctitatis decessit. Comperta Theobaldi fama ex miris virtutibus, quas non raro patrabat, Arnulfus ejus pater ad eum visendum perrexit cum Henrico milite, Odone presbytero, & Herchemberto venatore, aliisque, qui ad limina Apostolorum profecti erant. Reversus domum Arnulfus, visa & audita de filio Willæ conjugi piissimæ narravit: quæ cum honesto comitatu ad filium contendit, eique, abjectis sæculi retinaculis, ministratura constanter adhæsit. Utriusque desiderio Arnulfus denuo Romam, ac Sallanigam petiit, & in reditu ad patriam alterum filium, uti Theobaldus præscierat, in bello interemtum invenit.

d *lib. 59. n.* 39.

ANN. CHR. 1054.

Haud scio an ille Arnulfi filius cæsus sit in bello, quod Heinricus rex Francorum cum Nortmannis hoc anno infeliciter gessit, referente inter alios Willelmo [a] Gemeticensi monacho. Hoc bellum ex ingenita Francorum in Nortmannos invidia profectum ait auctor ille, regemque Heinricum, malignis ejusmodi æmulorum suggestionibus commotum, copias suas in duo agmina divisisse, unumque adversus Calcinum seu Caletensem * pagum, duce fratre suo Odone; alterum, cui ipse cum Goffredo Martello, Andecavorum comite, præfuit, in comitatum Ebroïcensem immisisse. Duobus illis bina quoque agmina Willelmus Nortmannorum dux oppositi. Qui ad Caleto's missi erant, Francos ad Mortuum-mare incautos adorti, cum eis ad multam diem signa contulisse, eosque demum fudisse perhibentur. quod cum celeri nuntio ad Willelmum perlatum fuisset, id per Rodulfum de Toënia Heinrico regi proclamari, & exprobrari curavit. quo audito, rex a cœpto destitit. Dux vero contra Tegulense castrum, quod rex illi dudum abstulerat, aliud æque validum, scilicet Bretolium, instauravit, illudque Willelmo [b] Osberni filio custodiendum commisit. Hic est Willelmus, qui duo monasteria in honorem sanctæ Mariæ reginæ cæli condidit: unum Lyræ, ubi Adelizam seu Adeliciam conjugem suam, Rogerii Toënitæ filiam, sepelivit: alterum apud Cormelias, in quo Rodulfus filius ejus, *a pueritia monachus*, Deo diu militasse traditur.

a *Willelm. Gemet. lib.* 7. *c.* 24.

* *de pais de Caux.*

b *ibid. c.* 25.

LVI. Franci a Nortmannis victi.

LVII. Johannes Fiscamni abbas Angliam petit.

Sub finem hujus anni Johannes Fiscamnensis abbas in Angliam transfretavit, ut rebus monasterii sui, in illo regno positis, provideret, sibique Edwardum regem propitium redderet. Quid ex illo itinere consecutus sit, vetus notitia sic refert. *Anno dominicæ incarnationis* 1*. LIV. *Johannes, Fiscamnensis cœnobii abbas secundus, vir grandævus, & a puero in Christi militia apprime exercitatus, mare disposuit transire, terrasque suæ ditionis, illa in regione sitas, invisere, &, prout competebat, utiliter ordinare. Proinde secundo nonas Decembris a prædicto cœnobio exiit; mare deinde, Deo propitio, feliciter enavigavit. Deinde regem, dispositis pro quibus erat, petiit: a quo honorifice susceptus, necessariis dapsiliter in suos suorumque usus præbitis, est muneratus. Frater ea petitionem regi humiliter de ecclesia, quæ est in Burhna, suggessit. cui rex Edwardus gratanter assensit, præfatamque ecclesiam sanctæ & individuæ Trinitati perenniter auctoritatis suæ dono delegavit*, &c. Ad hæc idem rex terram, quæ dicitur Staningeis, eidem monasterio contulit, & omnia, quæ ad illam jure pertinebant, post obitum episcopi Helwini.

* *id est* millesimo.

LVIII. Cormeriaci ecclesia dedicatur.

Jam annus septimus erat Roberti Cormeriacensis abbatis, eo nomine secundi, qui dirutum monasterium, *a bonæ memoriæ Roberto* decessore suo instaurari cœptum, omnino perfecit, ejusque nobile templum in honorem sancti Pauli apostoli dedicari curavit. Hic *frater* erat *illius Barnardi, qui in Andecava civitate studiis philosophiæ efflоruit*, de quo superius [c] actum est. Hæc autem dedicatio facta est *anno ab incarnati ne Domini* M LIV. *qui est septimus ordinationis ejusdem archimandritæ annus*, & quidem idibus Novembris, a Bartholomæo Turonensi archiepiscopo, anno ejus ordinationis secundo, necnon ab Eusebio, cognomento Brunone, præsule Andecavensi, & a Martino episcopo Britannorum, in frequenti cœtu abbatum, monachorum, clericorum, & laïcorum. Rotberto abbati successit Guido seu Wido secundus, de quo inferius.

c *lib.* 53. *n.* 42.

LIX. Cervianense monasterium conditur.

Eodem anno monasterium sanctæ Mariæ apud Cervianum, in pago Gerundensi construxerunt Silvius, cognomento Lobetus, & uxor ejus Adeleis seu Adelais, illudque Clusensi sancti Michaëlis abbatiæ subjecerunt. Id autem se feciisse [d] dicunt cum consensu Raymundi Barcinonensis comitis, qui Gerundensem quoque comitatum tenebat; & Ermesindis comitissæ, necnon Berengarii pontificis Gerundensis, *ut in eodem loco simul construantur ædificia servorum Dei usibus apta, qui ibi secundum legem beati Benedicti Deo semper serviant, & regulariter vivant. Et quia Deus nobis*, inquiunt, *in hac vita filium dare non voluit; nos offerimus de suis donis, quæ ipse nobis contulit, hunc locum, ubi servitium ejus perpetualiter fiat: ut in loco filii morituri serviant Deo homines in æternum victuri.* His litteris subjunctæ sunt aliæ, quibus Cervianum subjicitur monasterio Clusæ, quod *in regno Italiæ, in monte supra vallem Seusa positum dicitur.* Facta ista scriptura donationis XII. kalend. Martii, anno XXIIII. Heinrici regis.

d *Marca Hisp. c.* 1099.

Eodem anno Petrus abbas cœnobii sancti Petri Rodensis litem habuit contra

ANN. CHR. 1054.

Pontium comitem Emporitanum [a] de quibusdam vineis, quæ Petro in sollemni placito adjudicatæ sunt.

Rodense & Simorræ monasteria.

Tunc temporis Willelmus-Garsias Ottonem filium suum beatæ Mariæ in monasterio Simorræ tradidit cum multis ecclesiis, quas in sua potestate habebat. *Id factum est tempore Victoris papæ II. & Austindi archiepiscopi*, scilicet Auscitani, Sanciique comitis, & *Pontii abbatis*, præsente Raymundo comite, aliisque, qui *speculatores*, id est testes, dicuntur.

[a] *ibid. pag.* 101.

Gregorius ex abbate episcopus Aquensis.

Sub idem fere tempus Gregorius, sancti Severi in capite Wasconiæ abbas, promotus est ad episcopatum Aquensem, quem, rogante & suadente Austindo archiepiscopo mox laudato, subiisse dicitur in Gallia-christiana. Verum hanc dignitatem jam inierat pontificatu Raymundi-Copæ Austindi antecessoris, ut constat ex quodam instrumento monasterii sancti Michaëlis Pecianensis, in quo legitur, quemdam monachum sancti Johannis de Sordua, factum Peciani sacristam ab Arsivo sancti Michaëlis abbate, olim Sorduensi monacho, gravate ferentem Sorduense monasterium Pecianense subjectum esse, charta subjectionis furtim sublata aufugisse, & in cella sancti Caprasii *de Pontons* hospitatum eamdem chartam combussisse admota candela: quæ in lectum delapsa, ipsum monachum, totumque monasterium incendio consumserit. Unde factum est, ut Sorduenses Pecianensium jugum excusserint. Postea vero, Raymundus Pecianensis abbas, qui Arsivo successerat, de hac subtractione conquestus est in concilio Aquensi contra Willelmum Sorduensem abbatem, isque *judicio Auxiensis archiepiscopi Raymundi-Copæ, atque domni Gregorii ejusdem sedis*, scilicet Aquensis, *episcopi, omniumque episcoporum in concilio existentium, prælationem diu amissam recuperavit*, & episcoporum consultu Sorduense monasterium, salvo jure sancti Michaëlis, prædicto Willelmo abbati regendum commisit. His litteris absque chronicis notis subscripta sunt signa Raymundi-Copæ Auxiensis archiepiscopi, Gregorii episcopi, Guillelmi abbatis cellæ-Menulfi, Raimundi Pecianensis abbatis, Fortis prioris, & aliorum. Sed ut ad Gregorium episcopum recurrat oratio, is ab ipsis pueritiæ rudimentis Cluniaci institutus, illinc petente Sancione comite, Willelmi-Sancii filio, in patriam revocatus, sancti Severi in capite Wasconiæ præfectus est monasterio, quod incendio deformatum instauravit. Dein Lascurensis factus episcopus, simul abbatiam retinuit. Aquensem vero episcopatum ad breve tempus, hortante Austindo archiepiscopo, tenuit, mortuus III. idus Januarii, anno M LXXII.

Lis de Sorduæ subtractione.

LX. S. Maxentii abbas Archinbaldus archiepiscopus.

Per idem tempus Burdegalensem ecclesiam regebat Archinbaldus archiepiscopus, idemque abbas monasterii sancti Maxentii apud Pictones post Emmonem, cujus mentio superius [b] facta est. Archinbaldus injustas consuetudines quibusdam monasterii sui prædiis impositas [c] gravate ferens, eas auctoritate Willelmi, alio nomine Petri, ducis Aquitanorum, qui tunc una cum fratre suo Gaufrido, Agnete matre adhuc superstite, Pictavensis pagi principatum tenebat, relaxari fategit; effecitque, ut ipse Willelmus comes, ipsiusque uxor Ermensendis seu Hermisindis nonnullas consuetudines, quas in prædiis sancti Maxentii possidebant, eidem monasterio concederent, accepto pretio trecentorum solidorum, necnon equo quingentorum solidorum. Actum ante natale Domini, regnante Heinrico rege: cujus concessionis instrumentum, quod Isembertus monachus composuisse dicitur, super altare sancti Maxentii posuit Willelmus comes, qui una cum uxore sua Ermensende, Agnete matre, Isemberto Pictavorum episcopo, Archinbaldo archiepiscopo, Rainaldo priore, aliisque monachis, signum suum his litteris apposuit. Prædictam Hermisindem comitissam laudat Petrus [d] Damiani, eamque *cognatam* vocat Agnetis imperatricis, quam illa post mortem mariti sui, ejusdem Agnetis germani, quæ anno M LIX. contigit, Romam devotionis causa secuta est. Porro prædictus dux Willelmus hoc ipso anno quamdam donationem fecit sancto Florentio Salmurensi, attestantibus eodem Archinbaldo archiepiscopo, Iterio Lemovicensi episcopo, Hildeberto comite, Willelmo de Parteniaco, & aliis.

[b] *lib.* 13. *n.* 105.

[c] *Besly comtes p.* 414.

[d] *Petr. Dam. lib* 7. *ep.* 5. *&* 8.

LXI. Theobaldus comes ad Heinricum imperatorem confugit.

Hoc tempore Theobaldus Campaniæ comes cum rege Heinrico rixabatur, eoque simultas processit, ut ad Heinricum imperatorem secessionem fecerit, cum ille Moguntiæ pascha celebraret; qui opem ei adversus regem promisit. Id nos docet Hermanni Pistoriana editio ad hunc annum, qui tamen in margine haud notatur. ubi Theodbaldus-Othonis ad Heinricum imperatorem, Moguntiæ morantem, con-

ANN. CHR. 1054.

veniisse dicitur, *& miles ejus effectus*, qui auxilium illi pollicitus est. Idem auctor subdit obitum Leonis papæ IX. qui miraculis claruisse memoratur; additque ducem Godefridum contra imperatorem rebellasse, Italiaque adita, Beatricem, *Bonifacii quondam marchionis viduam*, uxorem accepisse. Sic desinit Pistoriana editio Hermanni, cujus obitus subjicitur his verbis. *Herimannus, Wolferadi comitis filius, ab infantia omnibus membris contractus, sed omnes tunc temporis viros sapientia & virtutibus præcellens, in Aleshusam prædio suo defunctus, ac sepultus est.* Nec plura de eo, sive in illo chronico, in quo ipse genus suum, parentes & nativitatem suam notavit; sive in libris Augiensis bibliothecæ, cujus loci monachus fuit. Annum ætatis quadragesimum-primum agebat, quando decessit, natus anno M XIII. ut de se ipse testatur. Fallitur Albericus, qui ejus obitum ad decem annos differt. Præter chronicon de sex mundi ætatibus paucula scripsit, in his sollemnem beatæ Mariæ antiphonam, tempore adventus Domini cantari solitam, composuisse, & musicis notis illustrasse dicitur. Hermanni chronicon, cujus Canisiana editio Pistorianæ præstat, Bertholdus Constantiensis presbyter continuavit. Eodem anno Werinherus Hermanni frater, & Liutharius seu Liutherus, Augienses itidem monachi, in Jerosolymitano itinere, quod anno superiore aggressi fuerant, obierunt.

Hermanni Contracti obitus.

ANN. CHR. 1055. LXII. Concilium Turonis in causa Berengarii.

ADductus Romam ab Hildebrando Gebehardus Eistetensis præsul, quem Romani post obitum Leonis IX. summum pontificem cooptaverant; idibus Aprilis in cæna Domini anno M LV. consecratus, Victoris II. nomen prætulit. Antequam Romam perveniret, Florentiæ concilium habuit, in quo Berengarii confirmata damnatio, Vercellis facta ante sex annos. Sed cum Berengarius virulentam nihilo minus doctrinam spargere non desisteret; missi a pontifice legati, Gerardus cardinalis & Hildebrandus S. R. E. subdiaconus concilium Turonis habuerunt: in quo Berengarius a Lanfranco nostro, qui præsens aderat, victus, errorem suum abnegare, & catholicæ fidei subscribere coactus est, attestante Orderico [a] Vitali, qui de Lanfranco agens, ait eum in synodis Romana & Vercellensi spiritualis eloquii mucrone confodisse Berengarium, & catholicam de eucharistia fidem asseruisse. moxque subdit: *Profundissimis disputationibus Berengerium Romæ Turonisque palam evicit, omnemque hæresim anathematizare, scriptoque veram fidem profiteri coëgit.* Hanc tamen perfidus hæresiarcha postea scripto rursus impugnavit, quod Lanfrancus libro edito confutavit. Quid actum sit in prædicto Turonensi concilio de cella Fulgeriarum, inferius exponemus. In eadem legatione Hildebrandus sex episcopos simoniæ reos in ordinem redegit. ex quibus unus cum crimen procaciter negaret, jussus tres personas sanctissimæ Trinitatis nominare, Spiritus-sancti nomen proferre non potuit. qua re tremefactus, culpam confiteri coactus est. quod Petrus Damiani & Desiderius [b] Casini abbas ab ipso Hildebrando archidiacono, quem tunc subdiaconum dumtaxat fuisse asserunt, se accepisse testantur. Erat is Hugo Ebredunensis archiepiscopus, qui in ea *civitate, ubi Synodus habebatur, aderat.* quod plerique ita interpretantur, quasi concilium Ebreduni habitum esset, quod in *Lugdunensi provincia* celebratum fuisse, libellus a Baronio prolatus docet.

[a] Orderic. *lib.* 4. *p.* 519.

[b] *Victor* 3. *lib.* 3. *dial. c.* 5.

LXIII. Maurilius archiepiscopus Rotomagensis eumdem damnat.

Eodem tempore, destituto ob insipientiam Malgerio archiepiscopo Rotomagensi, & in insulam Gernerviam * relegato, suffectus est, agente Willelmo Nortmannorum duce, Maurilius Fiscamni monachus, superius laudatus non semel; statimque in Rotomagensi [c] ecclesia cum omnibus suffraganeis suis concilium celebravit de cælibatu clericorum, ceterisque patrum institutionibus, quæ pastorum incuria neglectæ fuerant, restituendis. In hac synodo condita videtur formula professionis fidei de sanctissimo eucharistiæ sacramento, qua substantiam panis & vini *ineffabili* [d] *potentia divinitatis in naturam & substantiam carnis*, quæ de Maria virgine nata est, & in verum sanguinem converti patres confitentur. quæ confessio post Maurilii obitum in altera synodo denuo renovata fuit. Idem Maurilius ecclesiam beatæ Mariæ, a Rotberto archiepiscopo incœptam, perfecit, dedicavitque præsidente sedi apostolicæ Victore II. regnante Heinrico Francorum rege, ut in actis archiepiscoporum legitur, in quibus id factum dicitur anno M LXIII. quæ notæ simul convenire non possunt. Siquidem Victor papa anno M LVI. Heinricus rex anno M LX. decessit. Forte hæc dedicatio facta est ipso anno M LV. aut insequenti, tempore concilii, in quo prædicta formula condita fuit. Consimilem fidei confessionem in

* *de Gerneseya*

[c] *Analect. to.* 2. *p.* 441.

[d] *ib. p.* 461.

extremis profeſſi ſunt per ea tempora viri complures pietate inſignes, in his Gervaſius Remorum archipræſul, qui hoc anno M LV. e Cenomannenſi eccleſia ad Remenſem tranſlatus eſt idibus [a] Octobris; ſanctus Bruno, ſacri Cartuſiani ordinis inſtitutor, & Ludovicus VI. Francorum rex, ut Sugerius in ejus vita teſtatur.

ANN. CHR. 1055.
a *Labbe bibl. to. 1. p. 360.*

Hoc ipſo anno quidam clericus, Tomor nomine, eccleſiam ſancti Victoris in Caletis, hereditario jure ſibi competentem, ſancti Audoëni monaſterio, cui ad hoc tempus Nicolaus abbas præerat, ea lege contulit, ut illic cella monachorum *ſub tutela ſancti Audoëni & ſpirituali dominio* inſtitueretur: ipſe vero cum Gilleberto alumno ſuo apud ſanctum Audoënum factus eſt monachus. Hanc donationem dux Willelmus litteris [b] ſuis hoc anno datis comprobavit, teſte inter alios Malgerio archiepiſcopo, qui eodem anno, ut mox dicebamus, abjectus eſt. Hæc cella in abbatiam, poſtulante Rogerio [c] de Mortuo-mari cum uxore ſua Hadviſa, erecta fuit tempore Johannis archiepiſcopi Maurilii ſucceſſoris, annuente prædicto Nicolao ſancti Audoëni abbate, qui Radulfum e ſuis primum illius loci abbatem inſtituit, retenta ſancti Audoëni monaſterio inſtituendorum ibidem ſucceſſorum prærogativa. Actum Rotomagi in provinciali ſynodo anno M LXXXIV.

S. Audoëno data S. Victoris eccleſia.

b *Pommeraye p. 448.*

c *ibid. p. 449.*

LXIV. Widoni Remorum archiepiſcopo ſuccedit Gervaſius.

Hic annus extremus fuit Widonis Remorum archiepiſcopi, cujus obitus contigit kalendis Septembris, poſtquam eccleſiam Remenſem rexiſſet *bis undenos gemino cum menſe per annos*, ut in ejus epitaphio apud Marlotum [d] legitur. Sepultus eſt in baſilica ſancti Remigii, cui ante biennium altare Baſilicæ-curtis * contulerat. Id autem eo animo ſe feciſſe dicit, tum ut imitaretur anteceſſores ſuos, qui ſacrum illum locum beneficiis augere ſtuduerant: tum ut ejus anniverſarium agerent fratres illius baſilicæ, ubi ſepulturæ ſuæ locum delegerat. *Actum Remis anno incarnationis* M LIII. *indictione* VI. *regnante Heinrico rege Francorum anno* XXIIII. *archiepiſcopatus autem domini Widonis anno* XX. Subrogatus eſt in ejus locum Gervaſius Cenomannenſis epiſcopus idibus [e] Octobris, ſatagente, ut veri ſimile eſt, apud Heinricum regem Willelmo [f] Nortmannorum duce, apud quem tunc, ob vexationes Gaufridi Cenomannorum comitis verſabatur.

d *Marlot. to. 2. p. 111.*
* *Baſincourt.*

e *V. infra lib. 63. n. 4.*
f *Analect. to. 3. p*. 307.* Gervaſio apud Cenomannos Wlgrinus abbas.

In ejus locum, favente Gaufrido comite, Wlgrinus [g] ſancti Sergii apud Andecavos abbas, electus eſt in eccleſia Cenomannenſi, quam annis fere decem recte adminiſtravit. Inter alia opera, ordinationis ſuæ anno quinto novæ cathedralis eccleſiæ fundamenta jecit; aſt eam morte præventus abſolvere non potuit. Poſt obitum in capitulo ſancti Vincentii humatus eſt. Huic apud ſanctum Sergium ſucceſſit Dacbertus ſeu Daimbertus abbas, qui per annos viginti-ſeptem multa præclare geſſit, eccleſiam ab Euſebio epiſcopo dedicari curavit, remque familiarem [h] non parum auxit. Gervaſius jam factus archiepiſcopus ſua in ſancti Vincentii Cenomannenſe monaſterium benefacta commemorat in quodam inſtrumento, cujus hæc verba. *Innoteſcat ſanctæ matris eccleſiæ fidelibus & devotis cultoribus, tam futuris, quam præſentibus, quod ego Gervaſius, primo ſedis Cenomannicæ epiſcopus; deinde, illa mihi immerito ablata, Remenſe archiepiſcopium gratia Dei adeptus; eo tempore, quo Cenomannenſem pontifex regebam eccleſiam, reſtaurare laboravi, communi conſilio canonicorum atque caſatorum noſtrorum, monaſterium quoddam, ſub honore beatorum martyrum Vincentii atque Laurentii proxime ſuburbio civitatis Cenomannicæ fundatum antiquitus, & conſecratum; illic ex more conſtituens ordinem monachorum; res etiam, quæ eidem loco ablatæ fuerant, ab ipſis eas injuſte tenentium manibus, commutando ſeu redimendo, eripiens, inſtaurare curavi, de proprietatibus quoque patrimonii mei, pro Dei amore, necnon pro remedio animæ meæ & parentum meorum.* Deinde recenſet res, quæ pridem amiſſæ erant, eidem loco ab ipſo reſtitutas, ſcilicet eccleſias de Sarciaco * & de Colongiaco * cum ſuis altaribus, planum quoque & ſilvam cum ſuis colibertis. His addit præbendam ſancti Juliani, conſilio & aſſenſu canonicorum ſuorum ab ſe collatam ejuſdem loci monachis, pro eo quod epiſcoporum & canonicorum illic eſſet ſepultura; & multa alia, quæ hic enumerare ſuperfluum fuerit. tum ſubdit. *Poſui etiam in cœnobio ſupra dicto abbatem quemdam, conſanguineum meum, nomine Aveſgaudum, cujus ſtudio & labore, fratrumque inibi degentium hæc, quæ conſequuntur, Deo adjuvante ipſi loco acquiſita ſunt*, &c. Præter ea dedit huic ſanctuario Rotbertus grammaticus *unam bibliothecam per partes diviſam*, id eſt codices ſacrorum bibliorum, *Smaragdum*, *paſſionale*, & alia nonnulla. Hic Rotbertus grammaticus laudatur in actis [i] epiſcoporum Cenomannenſium, ubi Arnaldi epiſcopi præceptor fuiſſe dicitur.

g *V. lib. 57. n. 73.*

h *Gall. Chriſt. to. 4. p. 822.*

Gervaſius S. Vincentio beneficus.

* *Sarcé.*
* *Colongé.*

i *Analect. to. 3. p. 312.*

Exſtat in confinio Nortmanniæ & Britanniæ haud ignobile opidum, quod Fulgerias * vocant, in pago quondam dicto Vendellenſi poſitum, ubi Maino, *miles Redonenſis provinciæ*, cum Adela conjuge cellam erexit, eamque Alberto abbati & fratribus Majoris-monaſterii ſubjecit, eo pacto, ut ex illa capella, quæ tunc exigui reditus erat, duos denarios pro more ſolito Redonenſi epiſcopo quotannis perſolverent. Cum vero illius cellæ reditus munificentiâ conditoris multum creviſſet; Maino epiſcopus litem monachis movit, ut cenſum illum augerent: illis vero detrectantibus, divinum officium tribus annis illic fieri prohibuit. Querelæ hac de re delatæ per Albertum abbatem in concilio Turonenſi mox laudato ad Hildebrandum legatum, qui tres tantum ſolidos epiſcopo pro exactione prandii quotannis redhiberi mandavit. Teſtes hujus rei Juhel filius Mainonis de Fulgeriis, Adelais mater ejus, Radulfus puer, id eſt filius Mainonis & Adelaïdis, poſtea dominus Fulgeriarum tempore Bartholomæi abbatis, Alveredus frater Mainonis baſtardus, & Alveus nepos ejus, ſcilicet Mainonis.

ANN. CHR. 1055. LXV. Fulgerienſis cella.
* *Fougeres.*

Hic annus ſupremus fuit Friderici Salmurenſis abbatis, qui monaſterium eo in loco, ubi etiam nunc cernitur, condidit, monachis ab eccleſia ſancti Hilarii, modo parœciali, iſtuc tranſlatis. Obiit IV. kal. Octobris, præfecturæ anno XXXIII. Huic eximio viro ſucceſſit optimus abbas Sigo, liberalibus artibus omnibus apprime inſtructus, græce [a] & hebraïce, quod illis temporibus rariſſimum, legendi & ſcribendi peritiſſimus, qui bibliothecam, ornamenta eccleſiæ, remque familiarem multum auxit, in ſuos benignus, in exteros, & maxime in egentes liberalis. Totum ejus ſtudium in meditandis ſcripturis ſanctis fuiſſe dicitur, tanti ab omnibus habitus, ut domnus Hugo abbas Cluniacenſis, vir cum primis venerandus, eum *magiſtrum ſuum* diceret, & tamquam ſe *ſuperiorem* ſuſpiceret. Primo ejus præfecturæ tempore inſtauratum fuit Redonenſe ſancti Melanii monaſterium, eique commiſſum, cui Evenus e ſuis probatiſſimum monachum præfecit, ut fuſius poſtea exponemus. Eodem Sigone abbate Ademarus de opido, quod vocatur Roca-Fulcaldi *, ejuſque germanus Wido cum filiis ſuis Widone & Arnaldo, *cœnobitis ſanctiſſimi Florentii Salmurenſis, vitam juſtitiæ, id eſt communem ſecundum primitivam eccleſiam & regulam ſancti Benedicti, ut circumquaque fama ſpargit, ducentibus*, cellam prope prædictum caſtrum tribuit, *Philippo rege Galliæ, Sigone abbate.* quod in editis [b] male ad annum M XL. refertur. Id de monaſterio ſancti Benedicti de Nantogilo ſeu Nantolio, Rocæ-Fulcaldi proximo, intelligendum videtur. Hic mihi videtur eſſe Sigo, quem Adelmannus in rythmis alphabeticis laudat in hunc modum.

LXVI. Friderico abbati ſuccedit Sigo.

a *Martene coll. lect. part. 2. p. 257.*

* *la Rochefoucaut.*

b *Beſly comtes, p. 339.*

Karitate Sigo noſter plenus atque gratia,
Multa præbens ore, manu, advenis ſolatia,
Singularis organali regnabat in muſica.

Certe Sigo abbas caritate in omnes, & muſicæ ſcientia excelluiſſe traditur. Et forte idem ſit cum Sigone cantore [c] Carnutenſis eccleſiæ, Fulberti epiſcopi inſigni diſcipulo, ſapientia vitaque claro, qui ſancti ſui magiſtri tumulum exornavit. Huic conjecturæ illud favet, quod Sigo abbas ex clerico monachus factus dicitur.

c *Analect. to. 2. p. 555.*

LXVII. Hugonis abbatis in Æduenſi concilio factum.

Ad hunc annum vulgo refertur concilium Æduenſe, in quo Gaufredus Lugdunenſis, & Hugo Veſontionenſis archiepiſcopi, necnon Aichardus Cabilonenſis & Drogo Matiſcenſis epiſcopi conveniſſe perhibentur. In eo conqueſtus eſt Hagano Æduæ præſul, de vexatione Rotberti Burgundiæ ducis: qui magno cum faſtu Æduam ingreſſus, conventui adeſſe recuſavit. Rogatus a patribus venerabilis Hugo Cluniacenſis abbas, qui ad concilium invitatus fuerat, principem convenit, eumque dure increpitum tandem ad ſynodum, velut ovem mitiſſimam, ſecum adduxit. Ubi de pace differere cœpit abbas piiſſimus, mox diſcordiæ auctor in ſpecie hominis proceri facie truculenti e conventu egredi viſus eſt; ſtatimque candidiſſima columba capiti abbatis inſidere. quæ res ducem ad concordiam flexit, & ad condonandam filii ſui necem iis, qui ejus auctores fuerant. Hæc refert Hugo monachus in libello de vita ſancti Hugonis abbatis, ex quo reſtituendus videtur in indicibus archiepiſcoporum Lugdunenſium Gaufredus poſt Philippum quidquid in contrarium dicant Galliæ chriſtianæ auctores. Hoc concilium a Coſſartio differtur ad decem circiter annos ob Drogonem Matiſcenſem epiſcopum, qui anno M LXIII. ordinatus dicitur.

ANN. CHR. 1055.

Hic est Gaufredus archiepiscopus, cujus anniversarium Hugo abbas morti proximus commendavit. Eodem tempore Hildebrandus Cluniacum adiit, ubi capitulum ingressus, Christum Dominum Hugoni ea, quæ singulis conveniebant, suggerentem se conspexisse testatus est.

LXVIII. S. Romani abbatis delatio.

Consimilem vexationem per id tempus patiebatur sancti Remigii Senonense monasterium in villa, quæ Pontus * vocatur, ad Icaunæ fluvium * sita. Istuc delatum pro more illorum temporum corpus sancti Romani jussu Winemanni abbatis, qui plurimas monachis officinas exstruxisse dicitur: ut ad præsentiam sacri loculi rerum iniqui pervasores ab infestatione desisterent. Illic contractus sacri loculi contactu erectus, præsente Rainardo comite urbis Senonicæ, qui forte hujus vexationis auctor erat. Rainardi filius ac successor Frotmundus comes, una cum uxore sua Giberta, pro vitæ suæ dumtaxat tempore obtinuit a prædicto Winemanno abbate mediam partem Villæ-burrosæ *, remissis exactionibus, quas ab ejusdem loci incolis antea extorquebat. Hujus rei instrumento post Frotmundum & Gibertam subscripta sunt signa Rainardi filii ejus, Mainardi archiepiscopi Senonensis, & aliorum. Winemanno abbati successisse videtur Rannulfus *vir egregius*, liberalibus disciplinis apprime instructus, ut legitur in rythmico libello anonymi sancti Remigii monachi, qui sancti Romani miracula quædam retulit. Extremo Heinrici regis anno Odo abbas sancti Remigii monasterio præerat, cujus rogatu rex quasdam consuetudines apud Vallilias *, aliasque ejusdem cœnobii villas remisit, quod signis suis roborarunt rex ipse, Anna regina, rex Philippus, Rotbertus & Hugo fratres ipsius, Rodulfus comes, Mainardus archiepiscopus Senonensis, Rainaldus camerarius, Guillermus *fercularius* seu dapifer, Hugo buticularius, & alii.

* *Villebourenx.*

* *Vareilles.*

LXIX. S. Petri Viennense monasterium instauratur.

Instauratum est per id tempus Viennense sancti Petri monasterium, industria & labore Guitgerii seu Witgerii ejusdem cœnobii abbatis, quod *ultra portam meridianam Arelatensem urbis Viennæ* fundatum dicitur. Idem abbas ejusdem loci possessiones omnes ab Hildebrando Victoris II. legato, multisque aliis episcopis & abbatibus, qui forte Viennæ hoc anno convenerant, confirmari curavit: cujus rei litteris Hildebrandus, Victoris papæ, ut ipse ait, *Vicarius*, subscripsit, & post eum Humbertus archiepiscopus Lugdunensis, Leudegarius Viennensis, qui hoc privilegium fieri curavit; Bartholomæus Turonensis, & Aimo Bituricensis; ex episcopis Pontius Valentinensis, Artaldus Gratianopolitanus, Petrus Diensis, Girardus Vivariensis, Martinus Trecastensis, Rainaldus Alectensis, & Brunus seu Bruno, alio nomine Eusebius, Andecavensis. Ex abbatibus Hugo abbas Cluniensis, Suffredus sancti Petri Cabilonensis, Dalmatius Sapiniensis seu Saviniacensis, Hubertus Insulæ-Barbarensis, Gerardus Athanacensis, Barnardus incerti loci abbas, Raimundus *Dulensis* seu Dolensis apud Biturigas; Odo Flaviniacensis *, Richardus Jurensis, & Aimo Augustudunensis, id est sancti Martini Æduensis. Eodem fere tempore Ermengarda regina, conjux quondam Rodulfi regis, quasdam vineas eidem monasterio restituit. Forte in illo Viennensi conventu id accidit, quod de simoniaco episcopo superius [a] retulimus.

Abbates variorum monasteriorum.

* *al.* Flaviacensis. *V. sup. n.* 15.

[a] *num.* 62.

LXX. Athanacenses abbates.

Girardus Athanacensis abbas mox laudatus, Rainaldo seu Rainaudo successerat, eumque subsecuti sunt Wicardus, qui synodo Ansanæ anno M LXX. interfuit; Garnerius, dein Humbertus & Artaudus, qui monasterium instauravit. Hunc excepit Gaucerannus, factus demum archiepiscopus Lugdunensis, de quo alias. Per id tempus vixisse videtur nobilis matrona Gandalmodis, quæ duos in eodem monasterio filios monachos habuit, ibidemque suscepto prius monastico habitu sepulta est, uti nos docet ejus epitaphium, lapidi quadrato insculptum, quod nuper, dum basilica resarciretur, erutum est. Sic autem habet.

Gandalmodis matrona monacha.

Dedita sum tumulo quondam generosa virago
Gandelmodis ego, pulvis & ossa modo.
Pro Gualdemaro viduarum dedita voto,
Bis annis vitas quinque dedi miseras.
Quinque mihi nati fuerant, equites duo Christi,
Ordine dissimili tres equites alii.
Vos duo mi partus, vobis sine fine duobus
Membra soluta dedi: vota tenete mei.

Ablue

ANN. CHR. 1055.

Ablue me precibus prostrato corpore fusis
Qui mea facta legis, ablue me lacrymis.
Et dic quæso, Deus judex esto pius hujus,
Quæ moriens viduæ vota tulit monachæ.

LXXI. S. Verani monasterium Lerino tributum.

Vixit ad hunc usque annum Pontius abbas Cagnensis seu sancti Verani in comitatu Venciensi; jamque senio confectus, ut monasterii sui rebus consuleret, Adebertum seu Aldebertum Lerinensem abbatem accersivit, seque ac monasterium suum Lerinensibus subjecit, approbante Durando e nostris Venciensi episcopo, qui condendi [a] Cagnensis monasterii auctor fuerat. Hoc actum est in ipso monasterio sanctæ Mariæ & sancti Verani VIII. kalend. Maii, indictione VIII. anno ab incarnatione Domini M LV. Qui hic laudatur Aldebertus abbas, Amalrico, quem sanctus Odilo Lerini abbatem anno M XXVIII. instituerat, ab anno M XLVI. suffectus erat. quo anno Lerinense monasterium destructum fuisse legitur. quod Vincentius Barralis non probat. Aldebertum ejus nominis primum excepit Aldebertus II. cujus præfecturæ initium ob nominis communionem haud ita exploratum est in vetustis Lerini monumentis.

[a] *V. lib.* 54. *n.* 15. *& lib.* 57. *n.* 1.

Lerinenses abbates.

LXXII. S. Victori donationes factæ.

Tunc Provinciam regebat Godfredus seu Gaufredus comes, qui una cum uxore sua Stephania, filioque Bertranno, Massiliensi sancti Victoris monasterio vineas quasdam hoc anno donavit, sitas in comitatu Arelatensi, in territorio Tripontii, necnon terram seu condaminam unam in Rubiniano, quam avus suus Guillelmus marchio seu comes Provinciæ, & avia Adalax comitissa cuidam Hugoni dederant. Hæc facta sunt Petro [b] sancti Victoris abbate, qui ante annos quinque immunitatem sui monasterii a Leone IX. in concilio Vercellensi confirmari curaverat.

[b] *V. lib.* 59. *n.* 33.

Fructuariæ bona confirmata.

Mantuæ versabatur hoc anno Heinricus imperator, tumque ad eum accessit Suppo Fructuariæ abbas, rogaturus, ut omnia monasterii sui jura & bona imperiali auctoritate [c] roboraret. Annuit petenti imperator, resque omnes monasterii confirmavit; in his res omnes Anselmi de Vulpiano, qui divina inspiratione illic monachus factus fuerat. *Datum* XIV. *kal. Maias, anno dominicæ incarnationis* M LV. *indictione* VII. *anno imperii domini Heinrici* VIII. *Actum Mantuæ.* Idem abbas anno sequenti obtinuit a marchione Alberto confirmationem donationis olim monasterio suo factæ [d] de ecclesia sancti Stephani de Corficaria in diœcesi Ajacensi. Supponem excepit anno M LVIII. Albertus secundus, quo abbate Agnes imperatrix Fructuariam secessit.

[c] *Bibl. Sebus. p.* 379.

[d] *Chronol. Pedem. p.* 264.

LXXIII. Murenses præpositi.

Egimus superius [e] de primordiis Murensis apud Helvetos monasterii, cujus primus præpositus (hoc enim nomine duo primi illius loci rectores insigniti erant) Reginboldus hoc tempore mortem oppetiit idibus Julii, sepultus in ecclesia, in summa parte anguli dexteræ absidis. vir merito laudandus, quippe qui novum monasterium religione informavit, atque ædificiis instruxit. Post ejus obitum Wernharius Haspurgicus comes, Radebotonis loci conditoris filius, qui eumdem locum [f] sibi penitus vindicaverat, ad Cellam-eremitarum, unde primus præpositus assumtus fuerat, cum quibusdam Muræ fratribus perrexit, obtinuitque ab Hermanno abbate, qui Embricio ante biennium successerat, ut alius præpositus in defuncti locum sufficeretur. Electus ad id muneris Burkardus, religiosissimus vir, Goswa oriundus, apud Eremitas nutritus a puero, qui quidquid in monasterio imperfectum erat, omnino perfecit, novosque libros exarari curavit; ac demum ecclesiam dedicari. Hæc dedicatio V. idus Octobris anno M LXIV. a Rumoldo Constantiensi præsule in honorem sancti Martini Turonum episcopi facta est, adstante cum multis aliis Wernhario comite, qui prædia omnia Murensibus a patre suo attributa confirmavit. Tandem Burkardus, mutato præpositi nomine, primus ejus loci abbas factus est, ut postea dicturi sumus.

[e] *lib.* 56. *n.* 9.

[f] *Orig. Habsburg. p.* 41.

LXXIV. Theodericus fit abbas Andaginensis.

Inter ea, dum Theodericus Laubiensis monachus ad Fuldense [g] monasterium, ubi scholarum rector postulatus fuerat, iter parat, ad Theoduinum Leodicensem episcopum nuntius affertur de morte Adelardi abbatis Andaginensis seu sancti Hucberti, viri quidem nobilitate clari, sed de religionis cura non satis solliciti, sub quo regularis illic disciplina multum intepuerat. Cum igitur nullus ibi ad eam instaurandam idoneus haberetur, etsi multi, ut fit in laxioribus locis, præfecturam ambirent; convocata religiosorum abbatum & canonicorum concione, episcopus de

[g] *sup. n.* 47.

ANN. CHR. 1055.

subſtituendo ſucceſſore, qui collapſam religionem reformare valeret, tractare cœpit. Tum alii alium pro ſuo genio ac ſtudio ſuggerere; quidam, ut monachorum loco ſubſtituerentur canonici, ſuadere; in ſumma nullus hoc munere dignum proponebat. In his diſcidiis Anſelmus canonicus, jam alias [a] laudatus a nobis, Theodericum eligendum cenſuit, ab ineunte quippe ætate bonis moribus inſtitutum, qui certe dignus eſſet ampliori præfectura. Aſſenſere multi: at non pauci, quibus religio non ita cordi erat, contra ſentiebant, eum potius mittendum eſſe ad Fuldenſe monaſterium, ad quod ex imperatoris mandato deſtinatus erat. Inter varias illas altercantium ſententias, Stephanus abbas ſancti Laurentii in Publicomonte apud Leodicum, vir canitie reverendus & converſatione angelicus, de

» quo in ſuperioribus non ſemel actum eſt, imperato ſilentio, dixit, ſancti Hucberti monaſterium, ſub cura & providentia Leodicenſis epiſcopi poſitum, indigere ſtrenuiſſimo rectore ad reſtituendam inibi diſciplinam; nullumque ad id muneris aptiorem eſſe Theoderico, nec ei parem in aliis monaſteriis facile inveniri » poſſe. Denique præferendam loci domeſtici neceſſitatem extraneo, id eſt Fuldenſi » monaſterio, cujus cura nihil ad ſe, nihil ad Leodicenſem epiſcopum pertineret.

Dixerat: tumque converſis omnium ſtudiis ac ſuffragiis, vocatur ab epiſcopo Theodericus, qui illic aderat, jamque fugam meditabatur; vixque a Gunzone Florinenſi abbate religioſiſſimo, qui, uti & Stephanus mox laudatus, ex diſcipulis beati Richardi Virdunenſis abbatis erat, ad epiſcopum adductus eſt; ac demum, poſtquam diutius reluctatus fuiſſet, cedere coactus, feſto die purificationis beatæ Mariæ hoc anno, deducentibus ſeptem abbatibus, ordinatur.

LXXV. Monachorum mores reformat.

Ubi monaſterii regimen ſubiit, cum illud temporalibus & ſpiritualibus rebus omnino deſtitutum reperiſſet; longe amplius de ſpiritualibus angi cœpit, quam de temporalibus, quarum damnum magis tolerabile & reparabile videbatur. Ad ſpiritualia vero quod attinet, monachi illi deceſſoris ſui ſocordia ita corrupti erant, ut pro lege eis eſſet quidlibet agendi licentia, nec correptionis remedium ullo modo admitterent. Invigilabat nihilo minus ſollertiſſimus paſtor medendis eorum morbis ac vitiis, nec ulli ad hoc labori parcebat. Sed caſſus erat ejus labor Si exhortationes adhiberet, nonniſi cachinnos reportabat: ſi cenſuram, hæc rixarum & obſtinatioris voluntatis nova occaſio & materia erat. Horum anteſignanus erat Lambertus monachus, nobilitatis faſtu inflatus, qui beato viro privatim & publice convicia ingerebat, ejuſque dictis præ ceteris obſtrepebat. quæ omnia patienter ac modeſte biennio pertulit vir Dei, qua precibus, qua hortamentis, qua terroribus divinorum judiciorum inſiſtens, ut hominem ad reſipiſcentiam adduceret. Nec effectu caruit juſti deprecatio aſſidua. Cum enim Lambertus ad legendam in nocturnis vigiliis ſuo ordine lectionem, haud ſalutato abbate, nec petita ejus benedictione ex compoſito pergere conſtituiſſet animo; torvis ad abbatem converſis oculis conſpicere ſibi viſus eſt puerum, in ſinu abbatis blande requieſcentem, at ſibi graves intentantem minas. quo viſo ita conſternatus fuit, ut ſubito, feritate depoſita, mutatus ſit in virum alterum, & contra commune ſeditioſorum conſilium abbati humiliter ſe inclinaverit, & ad legendum in analogio, quod poſt tergum abbatis poſitum erat, modeſte proceſſerit, legeritque petita benedictione ſtupentibus ejus conjurationis ſociis ad tam ſubitam mutationem. Expletis porro matutinalibus canticis, ad pedes abbatis provolutus, peccata humiliter cum multis lacrymis confeſſus eſt, veniam rogavit, petiitque facultatem in aliud ſecedendi monaſterium, ut errata expiaret; dicens indignum ſe eſſe qui diutius remaneret in ſancto illo loco, quem tot tantiſque probris polluiſſet. Contra reponebat abbas ſatius eſſe eum ibidem remanere, ut alios, quos criminum ſocios habuerat, ad reſipiſcentiam exemplo ſuo pertraheret. At ille in propoſito conſtantior, obtenta abbatis venia diſceſſit. cumque ad Moſomenſe beatæ Mariæ monaſterium perveniſſet; a Rodolfo ejus loci abbate, ne ulterius progrederetur, perſuaſus illic perſtitit, ibique deinceps in arduis pœnitentiæ officiis, crura compedibus, brachia manicis ferreis, lumbos ferreo cingulo, membra denique omnia cilicio, ſacco, jejuniis ac vigiliis conterens, reliquum vitæ exegit. Poſt ejus diſceſſum multi alii, qui prius abbatis monita deſpiciebant, ad officium rediere: pauci, malo acti ſpiritu, e monaſterio aufugere. Sic reformata apud ſanctum Hucbertum regulari diſciplina, accrevit quoque temporalis cenſus. nam Arnulfus Warcenſis * comes

[a] *Ibid.*

* *de Vvare.*

ANN. CHR. 1055.

Theoderici colloquiis ad meliora converſus, ſancto Hucberto villam, quæ Piros vocatur, contulit, ubi cella conſtructa eſt, uti & apud Ervenei-curtem in eccleſia beatæ Mariæ, quam Elinandus Laudunenſis præſul itidem monaſterio conceſſit. Denique Gervaſius Remorum archiepiſcopus, epiſcopatu quidem ob doctrinam & bonos mores dignus, ſed pluſculum ferox, altare villæ ſancti Sulpicii, quod Pirenſi eccleſiæ vicinum eſt, ſancto Hucberto donavit, & utrumque altare ab omni epiſcopali ſervitio exemit.

LXXVI. S. Trudonis abbates & miracula.

Hoc anno exceſſit e vivis Guntramnus ſancti Trudonis abbas digniſſimus, de cujus pietate & præclare geſtis nonnulla ſuperius [a] retulimus. Ejus tempore illic ad ſancti Trudonis tumulum miracula frequentari cœpta, quorum occaſione cum exſultarent ac gloriarentur monachi, contra ingemuiſſe dicitur vir religioſiſſimus, eaque occultare ſategiſſe; perpendens animo, ſigna infidelibus dari ſolita, non fidelibus; verituſque ne ex his conſequeretur labefactatio diſciplinæ regularis, uti re ipſa contigit, ex concurſu fidelium ad tumulum ſancti Trudonis, ubi frequentia miracula in dies patrabantur. Horum rumor & fama circumquaque diffuſa, tantum numerum hominum adduxit, ut nec totus opidi locus capere eos poſſet, ſed ipſi in papilionibus caſtrorum more circum opidum conſiſtere cogerentur. Nec vacuis illi manibus accedebant. Innumera quippe eorum oblatio erat, pecuniarum, ceræ, panum, caſeorum, omniſque generis animalium: ex quo factum eſt, ut monaſterium opibus exuberaret, adeo ut oblationes ad altare factæ abbatiæ reditus annuos, immo complurium annorum ſuperarent. Hæc miracula, ut jam dixi, occultare ſatagebat abbas Guntramnus: at ubi hoc anno *confeſſus & unctus* obiiſſet; ſubſtituto Adelardo ejus nominis ſecundo, hæc miracula cœperunt haberi *non tam timori & reverentiæ, quam popularis gloriæ*. Vellent, nollent fratres, per omnes clauſtri partes, ubi puteus erat, irrumpebant peregrini. Hinc non modo templum, ſed etiam clauſtrum, ejuſque pratellum diebus ac noctibus a multitudine haud vacuum erat. Hæc oneri & impedimento ſenioribus erant, qui *Deo in quiete & ſilentio ſervire* cupiebant: *juniores vero, quibus tædio erat religio, & diſciplina odio*, gratulabantur primum quidem occulte, quaſi ſpecie neceſſitatis, ſe Regulæ præcepta præterire poſſe; demum porro inverecunda fronte cuncta pro libito agere, abbatis ac ſeniorum monita nihil pendere, peculiaritati ſtudere, & ſæcularium colloquia & conſuetudinem frequentare, multaque id genus alia impune committere. Acceſſit ad mali cumulum, quod ex hac vita ſubtrahebantur in dies piiſſimi quique ac religioſiores viri, qui ſub Guntramni abbatis diſciplina informati fuerant; quantoque amplius eorum imminuebatur numerus, tanto juniorum inverecundia atque effrenis licentia invaleſcebat. Denique quanto longius ferebatur ſancti Trudonis miraculorum celebritas, tanto monachorum fama ex eorum levitate ac intemperantia decreſcebat. quæ omnia Rodulfus ejuſdem monaſterii abbas graphice [b] deſcribit. Non ceſſit id impune Adelardo abbati, Guntramni ſucceſſori, qui tantam morum licentiam paſſus erat. Hic enim in amentiam verſus eſt: at delatus ad Leodicenſe ſancti Laurentii monaſterium, ibidem ad ſepulcrum Wolbodonis epiſcopi rediit ad ſanam mentem. Erat is liberis in Brabantia parentibus ortus in vico Lovinio juxta Lovanium, a puero in ſancti Trudonis monaſterio nutritus ſub Adelardo primo & Guntramno abbatibus, apprime imbutus litteris, ſculpendi ac pingendi haud ignarus: qui in abbatiæ præfectura magnæ auctoritatis exſtitit, tum ob divitiarum affluentiam, tum ob patrocinium Adalberonis Mettenſis epiſcopi eo nomine ſecundi, Friderici ducis fratris, a quo tota imperialis curia pendebat. Prædicta ſancti Trudonis miracula litteris mandavit Stepelinus ejuſdem loci cœnobita duobus libris, quos in Actis noſtris ad hunc annum retulimus.

[a] *V. lib. 58. n. 7.*

[b] *Spicil. to 7. p. 354. & ſeqq.*

LXXVII. Richerio Caſinati abbati ſuccedit Petrus.

Nunc ad Italiam nos revocat obitus Richerii Caſinatis abbatis, qui ad Victorem [c] papam Tranſmundi Teanenſis comitis cauſa, qui gravi morbo urgente monachus fieri cupierat, Anconam profectus, reditum Caſinum metu mortis ob diutinam febrem accelerabat; cum repente vi morbi apud Aternum * exſtinctus eſt III. idus Decembris. Nocte inſequente fratres, qui cum illo erant, corpus ejus efferentes ad monaſterium ſancti Liberatoris, ſitum in Teatino comitatu, ibidem illud recondunt in tumulo Theobaldi anteceſſoris ſui, qui eo loci humatus fuerat. Cum Anconæ verſaretur, ad eum acceſſerat Fridericus, ex cancellario Leonis papæ

[c] *Chron. Caſin. lib. 2. c. 91. & ſeq.*

* *Peſcara.*

ANN. CHR. 1055.

monachus, qui ad monasterium sancti Johannis in Venere paullo ante secesserat; petiitque, ut sibi Casinum reverti liceret, quod ubi impetravit, eo statim reversus est. Inter cetera opera Richerius sancti Benedicti ecclesiam plumbeis tabulis cooperuit, palatium ad orientalem monasterii partem inchoavit, ante ecclesiam in circuitu atrii deambulatorios arcus cum columnis lapideis fecit; &, quod magis arduum erat, terram Casinensem de Nortmannorum manibus liberavit. Electus in ejus locum Petrus decanus, religione uti & canicie venerabilis, vix adduci potuit ut acquiesceret, senectutem objectans huic officio minus idoneam: at parendum fuit Casinatium fere omnium constanti voluntati, qui eum sibi abbatem mox constituunt, paucis dissentientibus, qui Johannem, cognomento Marsicanum, præferebant. at Johannes hoc onus sibi imponi metuens, obfirmato animo super altare juravit, se numquam abbatiam accepturum. Sic tenuit ad tempus Petri electio, qui a pueritia monachus, optimisque præditus moribus, angelico vultu adeo venerabilis erat, ut Heinricus secundus imperator, cum montem Casinum adiisset, eum peculiari honore dignatus sit, testatus, se nusquam in toto regno honestiorem monachum vidisse. Ejus electioni assensum præbuit Pandulfus Capuanus princeps, quem convenit Basilius Casini ex-abbas, tunc Salernitanæ abbatiæ præfectus, postulans, ut in Casinensem abbatiam restitueretur. at princeps, quoniam Petri electioni assensum præbuerat, id facere detrectavit, & Basilium in Capuano sancti Benedicti monasterio, quæ Casinatium cella erat, præpositum constituit. quod Casinates ægre tulerunt. Sic fatuus homo & Salernitanam abbatiam perdidit, & Casinate frustratus est. Idem tamen paullo post resipuit, & Casinum reversus, virga abbatiali, quam ad id tempus retinuerat, Casinatibus restituta, ad Vallem-Luci præpositus factus est. Petri electioni accessit & aliud impedimentum ex parte Victoris summi pontificis, qui hanc electionem se inconsulto factam indigne se ferre litteris testatus est. Quam ob rem duo ad eum fratres missi sunt, aliique ad imperatorem, ut factum utrique approbarent. quæ res quem exitum habuerit, in consequentibus dicetur.

LXXVIII. Aversæ S. Laurentii monasterium & abbates.

Jam hoc tempore conditum erat Aversanum sancti Laurentii monasterium, cui Gualterius abbas tum præerat. Forte ejus conditor exstitit Richardus comes, qui hoc anno sancti Archangeli ecclesiam, in partibus Neapolitanis sitam, Gualterio abbati cœnobii sancti Laurentii contulit *Riccardus Dei gratia*, ut se ipse dicit, *Francorum comes. Hoc præceptum scriptum est ab incarnatione Domini anno millesimo quinquagesimo-quinto, Romani imperii monarchiam tenente tertio Henrico, post obitum domni Leonis papæ menses duos; residente me Riccardo comite Liguriæ, Campaniæ dominante, ejus dominatus anno quarto, sub pridie kalendas Junii, indictione septima.* Idem postmodum factus est princeps Capuanus, & post eum Jordanus filius, pater Richardi secundi, qui Aversano sancti Laurentii monasterio tribuerunt Capuanum itidem sancti Laurentii monasterium, de cujus origine in superioribus [a] a nobis actum est. Post Gualterium Aversano præfuit Rainaldus, cui Jordanus Capuanorum princeps cœnobium sancti Blasii, suburbium sancti Laurentii, & alia bona donavit. In ejus litteris Aversanum sancti Laurentii monasterium *ad-septimum* dicitur, forte quod septimo milliari ab urbe Capua positum esset. Rainaldum abbatem excepit Rotbertus, qui e monasterio Crucis in Nortmannia *ad gubernationem monasterii sancti Laurentii Aversensis auctoritate apostolica assumptus* est, ut Ivo Carnutensis episcopus testatur, uti & Guitmundus *ad episcopatum Aversensem*. Superstes erat ad annum M LXXIX. Rotbertus, cui suffectus Hugo Brandinellus, Hugoni Guarinus, de quo inferius.

a *lib.* 49. *n.* 91.

ANN. CHR. 1056. LXXIX. Heinrici imp. obitus.

POstero anno M LVI. Victor papa in Germaniam contendit, tum patriæ revisendæ studio, tum rerum cum cæsare tractandarum necessitate: quem imperator maximo cum honore Goslariæ in Saxonia excepit, ubi pontifex cum eo nativitatem beatæ Mariæ celebravit. Inde Botfeldiam, quæ villa [b] est diœcesis Patherbrunnensis, profectus imperator, in morbum incidit, ex quo ad extrema perductus, petita ab iis, quos durius habuisset, venia, bonisque alienis, quæ in fiscum redegerat, restitutis, III. nonas Octobris piissime decessit, Henrico filio septenni successore relicto, & Victori pontifici commendato, cujus tutelam pia mater Agnes in se susceperit. Hic est Heinricus eo nomine quartus, qui magnarum

b *V. Annal. Paderborn.*

turbarum in consequentibus auctor fuit. His actis, Victor papa, natali Domini cum rege puero Ratisponæ peracto, Italiam quadragesima ineunte repetiit.

ANN. CHR. 1056. LXXX. Victoris papæ litteræ pro Dervo.

Haud scio an illo in itinere Victorem adierit Bruno Dervensis abbas, qui, ut Theobaldum Campaniæ comitem sibi suoque monasterio artius devinciret, commendatitias a pontifice ad eum litteras obtinuit, quas ex archivo Dervensi hic proferre juvat.

Victor episcopus servus servorum Dei, Tebaldo comiti apostolicam benedictionem. Confidentes quod gloria se vestra in amicorum suorum solatiis devota semper exhibeat, eorum vobis quos diligitis causas commendare studemus: nosque bonorum hortatur dilectio filiorum, utilitatibus eorum studiose concurrere, & in quantum ratio suppetit, eos adjuvare. Et ideo salutantes petimus, ut filius noster Bruno abba ex sanctorum apostolorum Petri & Pauli & sancti Bercharii martyris monasterio, qualem vos hactenus habuit, talem invenire semper mereatur, & apud omnes, quocumque necesse fuerit, gloriæ vestræ solatia consequatur, ac magnam in vobis consolationem inveniat; & ne cuidam injuste possit afflictioni vel gravamini subjacere, magnificentiæ vestræ celsitudo disponat. Quantum præterea sollicitudinem circa monasteria exhibeatis, super religiosis inreligiosisque monachis; & quam omnipotens Deus apud homines inde vobis gloriam concessit, ut sub tuitione vestra religiosiora consistant cœnobia, quod misericors Deus, a quo cuncta bona procedunt multiplicet vobis usque in diem retributionis, prædicto filio nostro referente, cognovimus. Eidem quoque monasterio, cui præest, quantum profuit vestræ pietatis magnitudo, obsecrando & arguendo fratres, & in villas & ecclesias cum molendinis, cumque variis rebus reddendo, & etiam in reconstruendo pontes ad idem cœnobium pertinentes, super quibus plures lætantur, maxime maris insulas habitantes, scilicet Scoti & Angli, & qualiter vos injusti arguunt ut desistatis, cum lacrymans, tum gaudens nobis præsente multorum adtestatione narravit. Unde uberes gratias referentes petimus, quæque ammonentur vobis a bonis operibus præditis libenter audite, devote agite, in memoria reservate. quia si pro Deo loquentes auditis, pro vobis orantes Omnipotens idem exaudiet. Propter hoc omnipotens Deus bonos quosque ad populorum regimina perducit, ut per eos omnibus, quibus prælati fuerint, aona suæ potestatis impendat. Facite quod Dei est, & Deus faciet quod vestrum est. Omnipotens Deus sua vos protectione cum filiis & omni domo vestra ab omni adversitate tueatur atque custodiat, vobisque & præsentis vitæ prosperitatem, & lætitiam futuræ concedat.

Hic est Bruno abbas, quem Romæ ordinatum fuisse [a] diximus a Leone IX. qui suum, id est Brunonis, nomen ei indidit.

a *lib.* 59. *n.* 90. & *seq.*

Aliæ pro Vindocino.

Idem pontifex diploma edidit pro Vindocinensi monasterio, *Goffrido venerabili comiti Andegavorum & Agneti comitissæ conjugi ejus* inscriptum, quo illud monasterium *in alodium & patrimonium* beati Petri suscepit; decernitque, *ut inter primæ sedis pontificem & venerabilis loci Vindocinensis abbatem nulla, cujuscumque dignitatis vel ordinis persona sit, media habeatur:* ut legatus Romanæ ecclesiæ illic quidem suscipiatur, sed nullam ibi exerceat potestatem: si quid vero corrigendum vel « statuendum judicaverit, litteris insinuare possit papæ, *in cujus solius potestate ipsius monasterii ordinatio sive correctio universa consistit.* ut abbas, qui *alodiarius Romanæ* « *sedis* est, ad concilium ullum ire non cogatur, quod a Romano pontifice non fuerit celebratum: at singulis annis matrem suam Romanam ecclesiam per se, vel per « nuntium suum adeat, eique censum duodecim solidorum suæ monetæ offerat. Ad « hæc ut post mortem abbatis successor ex ipsa congregatione eligatur, si quidem « dignus prælatione illic inveniatur: alias a Cluniaco, vel Majori-monasterio, vel « quocumque alio eligatur: qua in electione fratres *trium abbatum consilio utantur, quos religiosiores in vicinis locis invenire potuerint.* Electus porro, ne pro consecratione Romam venire fatigetur, a Carnotensi præsule sine ulla subjectione vel exactione ordinetur, quod si prædictum episcopum sibi suspectum vel malevolum sentiat, ad sedem apostolicam pro consecratione recurrat. Insuper ut comes Andegavensis absque ulla exactione sit illius monasterii defensor. Denique omnes ejusdem loci possessiones confirmat pontifex, quas singillatim enumerat. Hoc diploma destitutum est chronicis notis in archivo Cluniacensi, ex quo illius copiam habuimus. Eadem iisdem fere verbis rata habuit Nicolaus II. in litteris Oderico abbati inscriptis anno pontificatus sui tertio, datis per manus Humberti Silvæ-candidæ episcopi & bibliothecarii sacri palatii.

ANN. CHR. 1056. LXXXI. Inobedientiæ monachorum variæ pœnæ.

Paullo ante obitum Heinrici imperatoris, Petræ-pertusæ eremitæ congregationis Avellanæ eum convenere, ut ipsos tutaretur adversus grassatores, qui eorum fruges diripiebant, & quas auferre non possent, concremabant. Verum adeo excreverat illorum prædonum audacia, ut imperatoris jussa insuper haberent. Multo amplius valuit Petri[a] Damiani admonitio, qui eis id accidisse ait, quod beatæ Mariæ officium intermisissent, aïentes, *satis superque sufficere, quod sanctus præcipit Benedictus; nec novæ adinventionis pondus debere superponi, nec nos esse antiquis patribus sanctiores.* Ast illi Petri monitis resipiscentes, beatissimæ Virginis patrocinium contra prædones illos statim experti sunt. Hac de re agit Petrus in epistola ad suos Gamugicenses eremitas, quos ob violata sua statuta graviter reprehendit. Principio scribit, virum quemdam Mediolanensem, qui ad eos diverterat profitendæ eorum vitæ animo, ab hoc proposito aversum fuisse, propterea quod aliquos ex illis *aniles nugas & otiosa deliramenta profundere, & cum laïcis scurriles jocos & ludibria urbana miscere* vidisset. Deinde eos arguit, quod pleraque capitula, quæ Petrus ipse eis constituerat, transgrederentur: videlicet, *ut vinum utroque quadragesimali tempore*, id est paschæ & natalis Domini, *non bibatur; non piscis edatur: ut, nisi præcipuis festivitatibus, molis legumina non terantur: ut vespertinæ refectioni pulmentarium non paretur: ut oleastræ frixuræ rarissime concedantur.* Ad hæc eos carpit, quod possessiones suas supra modum augere studeant, unde pugnandi cum sæcularibus occasio nascatur. ubi tamen improbari non vult eorum factum, qui *non a sceleratis*, sed *ab honestioribus viris* aliquid accipiunt, quo fratribus egentibus provideant, vel pio cuipiam operi expendant, vel denique pauperibus in egestate succurrant. Præter ea gulæ multa mala aperit, probatque aliquot exemplis. Unum est duorum Classensium monachorum, quorum unus juvenis, alter senex, in possessione quadam monasterii *ad custodiam morabantur.* Octava die ante nativitatem Domini, sexta scilicet feria, infit juvenis ad seniorem: Frater Leo, sic enim vocabatur senex, quomodo vivemus hodie? Ille vero, vegetus licet atque obesus: Vive, inquit, ut voles: ego enim & vinum bibam, & in solo, ut scriptum est, pane non vivam. Apposita mensa uterque discubuit: sed iste juvenis, pane contentus & aqua, regulare servavit jejunium: senex vero vinum sibi, & insuper, quidquid libuit, indulsit. at octava die, quæ natalis Domini erat, morte repentina gulæ pœnas luit. Alterum exemplum est cujusdam fratris monasterii non procul a monte, qui Petra-pertusa dicitur, positi; ubi constitutum erat, ut initio quadragesimæ per triduum nonnisi modicum panis cum aqua fratres omnes comederent; accuratum tenerent silentium; nudis pedibus lugentes ac mærentes incederent; ac demum, expleta psalterii modulatione, *mutua se scoparum* seu disciplinarum *castigatione purgarent.* quod cum strenue exsequerentur fratres, unus ex his hanc inediæ regulam violavit. At media quadragesima repente morbo correptus est obesus ille ac robustus monachus; admonitusque a Petro-Damiani, ut ob secreta quædam peccata, quæ ille confessione ac pœnitentia haud expiaverat, a celebrando missæ sacrificio abstineret; monenti parere detrectavit, nullius se ejusmodi criminis conscium esse inquiens, quod ipsum a sacrificando prohiberet. Verum altero die viaticum anxie flagitare cœpit, eoque allato, grave peccatum in aurem insusurravit uni e fratribus, qui ei quindecim pœnitentiæ annos indixit. Mox vero ut sacrosanctum viaticum de manu sacerdotis accepit, animam simul cum felle exhalavit, quod usque ad sepulturam ex ore ejus effluere non cessavit. Hujus rei testem se fuisse Petrus asserit, atque se idcirco hoc referre, *ut audiant & pertimescant non solum ii, qui indictam disciplinæ regulam per propriæ voluptatis impatientiam frangunt; sed & illi quoque, qui crimen admissum sub conscientiæ suæ ulceribus confoventes, confiteri ad obitum præstolantur. quia & isti rei sunt, qui servanda postponunt: & illi debitum peragendæ pœnitentiæ, quod hic non reddunt, auctio procul dubio fœnore in altera durius vita persolvunt.*

a *Petr. Dam. lib. 6. ep. 32.*

LXXXII. Abstinentium exempla.

His intemperantium monachorum exemplis alia longe plura abstinentium facta ex eodem auctore proferre licet. Unum ille refert in opusculo XXXIII. quod *reverentissimo fratri Hildeprando* inscriptum est, ei scilicet, qui postea Gregorius VII. dictus, eidemque Petro confessus est, ideo se prorsus a porrorum ac cæparum esu abstinere, quod *his acuminibus* nimium delectaretur. Aliud initio exemplum profert cujusdam servi Dei sibi noti, qui, præter duas quadragesimas a patribus insti-

tutas, sibi alias continuas imponebat, modo piscium, modo pomorum; tum peponum, ficuumve vel uvarum esu per quadraginta abstinens dies. quem cum fratres interrogarent, cur hoc vel illo cibo non uteretur; respondebat, eum sibi noxium esse. quod ille de animæ, non corporis incommodo intelligebat. Hanc autem vilium in speciem rerum abstinentiam magnopere probat Petrus. *In his* quippe *despicabilibus rebus & gravior abstinentia, & minor est gloria. Unde fit, ut quod minoris est honoris in publico, majoris gloriæ pondus habeat in occulto.*

ANN. CHR. 1056.

Per id tempus maxime invaluit spontanearum flagellationum usus, quas Petrus-Damiani *virgarum scopas*, vulgus *disciplinas* vocat. Earum auctores habiti sunt idem Petrus-Damiani & Dominicus cognomento Loricatus, quo nullus umquam in se flagellando durior & severior fuit. Rectius ambos ejusmodi flagellationum propagatores dixeris, quam auctores. nam paullo ante eos Guido Pomposianus & Poppo Stabulensis, eximiæ sanctitatis abbates, se ipsi propriis manibus non raro flagellabant: & ante omnes Regino[a] Prumiensis *plagas* seu *percussiones* pro redemtione pœnitentiarum non semel indicit. De Guidone quidem anno M XLVI. mortuo in libro de ejus vita legitur, duarum quadragesimarum tempore, cum in quadam silva solitarius degeret, tanta cibi potusque abstinentia, *tanta virgarum cæde* debile corpus divexasse, ut, excepta morte, nihil atrocius posset inferre nolenti quivis crudelis persecutor. Poppo vero corpus suum *jejuniis, flagellisque* sic atterebat, *ut quidquid vitiosum sua caro adversus spiritum concupisceret, ipse flagellis propria sibi manu clam illatis abstergeret.* Amborum porro Dominico-Loricato & Petro-Damiani ætate superiores erant: nec dubium, quin multa alia præcesserint ejusmodi exempla, idque multis in monasteriis ante sua tempora, tametsi non ita frequenter, usitatum fuisse Petrus ipse[b] testatur. At omnes longe superarunt Dominicus & Petrus, ex quibus hic *tria scoparum millia*[c] ad unius anni redemtionem cum modulatione psalmorum valere dixit; idemque, senio licet jam confectus, ac pluribus ferreis nexibus undique constrictus, insuper *disciplinarum, palmatarumque ictibus* corpus frequenter dilaniabat. denique cum pro abdicatione Ostiensis episcopatus centum annorum pœnitentia[d] ipsi injuncta fuisset ab Alexandro II. ipse huic pœnitentiæ intra breve temporis spatium fecit satis. quod qua ratione fieret, explicat ipse in libello de vita Dominici-Loricati, ubi in summa, *qui viginti psalteria cum disciplina decantat*, id est recitat, *centum annorum pœnitentiam peregisse* dicitur. Verum stupendum est potius, quam imitandum aut probandum, quod Dominicus[e] ipsi Petro de se confessus est, nimirum quod prædictam *centum annorum pœnitentiam facile sex diebus ex more consummaret.* Idem duodecim psalteria continenter scopis se flagellando absolvisse traditur. Hunc porro spontaneæ flagellationis usum cum aliis ritibus non modo suis, id est Avellanæ congregationis monachis, persuasit Petrus, verum etiam aliis Ordinis nostri monasteriis, adeoque Casinensi omnium principi & capiti. Audiendus hac de re Johannes, Petri ipsius discipulus, in ejus vita. *Hanc profecto voluntariæ observationis normam in nonnullis monasteriis, pia devotione amplectentibus, excitando instituit, quatenus præfato jejuniorum triduo*, primo scilicet utriusque quadragesimæ, quod Petrus ipse absque ullo cibo transigebat, *totus conventus fratrum pariter in claustro religionem silentii conservaret nec quispiam absque inevitabili necessitate calceamenta sibi indueret, donec communiter psalterium diebus singulis complevissent; scoparum quoque disciplinam in capitulo cuncti susciperent; & in pane solum & aqua pariter abstinerent. Sed & sextam omni tempore feriam, præter paschales vel ceteros dies sollemnes, sub eadem tam disciplinæ, quam abstinentiæ norma, ob reverentiam crucis illis observandam adhibuit.* Denique ejus exhortatio adeo prævaluit, *ut insigne illud quoque Casini montis cœnobium tanto eam fervore sumserit, quod præfata omnia inter regularia mandata conscribenda statuerit.* Ex quibus intelligitur, Petrum ejusmodi flagellationum, ut jam dixi, propagatorem fuisse: at se auctorem esse ipse negat. Id ex eo probat Petrus, quod *sacri canones nonnullos, qui delinquant, vapulare præcipiunt.* tum subdit. *Nam & ante nos omnibus fere sanctis monasteriis hæc disciplinæ regula nequaquam fuit incognita, etsi non adeo frequentata. unde & singulos annos pœnitentiæ millenis scopis redimere consueverunt.*

a *Regino lib. 2. capp. 442. & seqq.*

LXXXIII. Disciplinarum usus a quibus introductus.

b *Petr. Dam. lib. 6. ep. 27.*

c *idem opusc. 51. c. 8.*

d *id. opusc. 20. c. 1.*

e *opusc. 51. c. 8.*

Talem discruciandi corporis modum, veluti furorem & carnificinam quamdam, magnopere improbarunt nonnulli; adeoque universim flagellationum sponte assum-

LXXXIV. Contra eos asseritur.

ANN. CHR. 1056.

tarum usum damnarunt, uti rem novam & canonibus contrariam. *Ecce*, inquiebant [a] illi, *nova pœnitentia, & transactis tot sæculis hactenus inaudita. Si hoc admittitur, . . . omnes profecto sacri canones destruuntur, antiquorum patrum præcepta depereunt.* Ad quod Petrus reponit, id licere, quod Christus dominus, quod apostoli & martyres perpessi sunt. *An vero*, inquit, *eamdem, quam & ab invitis interdum Deus omnipotens exigit, ab ultro offerentibus suscipere pœnitentiam recusabit?* Reponebant censores illi, Christum & sanctos non a se, sed ab aliis cæsos fuisse. *At insanum & absurdum est credere*, ait Petrus, *illud pœnitentiæ genus Dominum in afflictione nostra despicere, quod in semetipso dignatus est pro salute nostra perferre.* Ad hæc, *sicut non temeritatis arguendus est, qui non modo sacerdotali præcepto, sed sponte jejunat: ita quoque non frustra laborare censendus est, qui se non alienis dumtaxat, sed & propriis manibus afficiendo castigat.* Quippe *nihil differt, quibus pœnis caro pœnitentis addicitur, dummodo voluptas præcedentis illecebræ vicaria repressi corporis afflictione multetur.* Denique, si sæcularibus divitibus peccata sua eleemosynis redimere licet, quæ redemtio in antiquis patrum canonibus minime reperitur: quidni iis, qui nihil proprium habent quo peccata redimant, spontanea corporis afflictatione ea redimere, etsi canonibus id præscriptum non sit, fas non erit? Hæc fere Petrus Damiani in epistola ad clericos Florentinos, apud quos monachi nonnulli, quibus ejusmodi flagellationes haudquaquam placebant, traducendi Petri occasionem sumserant.

a *id. lib. 5. ep. 8.*

LXXXV. Petri adversarii.

Ex his quos Petrus hac in re adversarios habuit, primas tenuit Petrus, cognomento Cerebrosus, qui hunc usum ob novitatem [b] arguebat, sed maxime ob excessum, *non tam disciplinæ regulam, quam longioris disciplinæ detestans insaniam; nec improbans cum disciplina dici psalmum, sed ut continuetur cum disciplina psalterium.* qua in re fortasse a vero non aberravit. Alter Petri adversarius fuit Stephanus, ex monacho Casinate cardinalis, qui hunc usum [d] deridendo fugillabat, effeceratque, ut eum abjicerent Casinates, qui antea, haud scio an auctore Petro, qualibet feria sexta corpus suum verberibus afflictabant. Stephanus vero carnem jejunio [e] atteri haud improbabat: at turpe nimis & inhonestum censebat, *ante tot fratrum intuentium oculos membra nudare.* Non multo post idem Stephanus repentina morte e vivis sublatus est. quod Petrus justo Dei omnipotentis judicio accidisse putat *propter ejus verbi piaculum:* tametsi eum eximiis virtutibus præditum fuisse nequaquam negat, & *piæ memoriæ* [e] virum dicat. Hinc Casinates, ut intermissam flagellandi corpus consuetudinem resumant, hortatur scripto ad eos opusculo XLIII. quod *sanctis fratribus, in Casini montis cælesti schola degentibus* nuncupatum est, incipitque in hunc modum. *Observatio sextæ feriæ, dilectissimi, cui vestra sancta devotio dedicavit & jejunii salutaris inediam, & apostolicorum verberum disciplinam, quot hominum multitudines ad exemplum salutis attraxerit, ... testes sunt non modo monasteria vestra, hoc est quæ suorum gaudent imitari vestigia magistrorum; sed & multitudines urbium atque villarum, quæ se communiter ingerentes atque lætantes, id ipsum plausibiliter arripiunt institutum. adeo ut plerique præ devotionis ardore concepto, nisi quantocius hujus observantiæ suscipiant regulam, non levem se reputent propriæ salutis perferre jacturam: nullatenus ambigentes, quia, dum die Crucis per corporalem alimentorum se continentiam mactant, passioni Redemtoris in veritate communicant.* Hactenus Petrus: ex quibus intelligitur, hunc flagellandi sui ipsius usum a monachis ad laïcos quoque propagatum fuisse. Tandem, sive adversantium querelis, seu experientia permotus Petrus, ejusmodi flagellationibus quemdam modum attulit, litteris [f] hac de re scriptis ad eremitas suæ congregationis, quos sic alloquitur. *Non ignoret sancta vestra devotio, dilectissimi, quoniam disciplina ista scoparum, cui tam ferventer insistitis, sicut poterat moderata prodesse, sic agnoscitur indiscreta nocere. Propterea scilicet corpora vestra viribus effeta deficiunt, & aliquando, sicut a quibusdam creditur, tot allisionibus tabefacta languescunt: nimirum cum nonnulli vestrum unum continuum, vel etiam duo psalteria quotidie cum disciplina decurrant. Huc accedit, quia plerique fratres, venire volentes ad eremum, cum hæc audiunt, perculsi formidine deterrentur... Quam ob rem adhibito discretionis moderamine constituimus, ut ad disciplinam sibimet ingerendam nullus in eremo compellatur: quem vero sanctus ad hanc fervor impellit, per quadraginta psalmos in unoquoque die disciplinam sibi facere liceat, ita dumtaxat, ut quadragenarium hunc psalmorum numerum non excedat.*

b *id. lib. 6. ep. 27.*

c *id. opusc. 43. c. 2.*

d *ibid. c. 1.*

e *V. Petr. opusc. 33. capp. 2. & 3.*

In

f *id. lib. 6. ep. 34.*

ANN. CHR. 1056.

In duabus autem quadragesimis, quæ videlicet natalem Domini, vel sacrosanctum pascha præcedunt, usque ad sexaginta psalmos cum disciplina procedere liceat: neque hanc mensuræ, quam præfigimus, regulam temerariæ, quod absit, quisquam præsumtione transscendat. Quis non obstupescat ad talem moderationem? quæ sane his temporibus pro maxima severitate haberetur.

LXXXVI. Tria nova abbatum instituta.

Idem Petrus tria suo tempore Italicis in monasteriis salubriter instituta [a] fuisse tradit: unum, ut abbas, præter cetera pietatis opera, *tres pauperes cum privata mensa juxta se semper habeat, eisque singulis mensuram cibi, quem quivis habet frater, apponat.* alterum, ut in monasteriis & eremis decimæ quorumdam proventuum in egenorum usus assignentur. quod in synodo Aquisgranensi patres nostri jam dudum constituerant. tertium, ut anniversariæ octavæ pro carioribus quibuscumque defunctis fiant. quod sanctus Odilo in Cluniacensibus monasteriis universim pro defunctis omnibus postridie festi Sanctorum omnium fieri præcepit.

a *id. opusc. 33. c. 7.*

LXXXVII. Bona unius ordinis monasteriorum non communia.

Tanta vero erat sub Petri regimine monasteriorum ejus omnium unanimitas, ut una videretur bonorum omnium communio. At metuens pius pater, ne refrigescente caritate, id sibi proprium usurparet cupiditas, quod caritas quodam modo commune reddebat, scripta ad universos congregationis suæ eremitas epistola sub excommunicationis pœna præcipit, ut, si quid ex alio monasterio ad illud, in quo eum mori contigerit, allatum deprehensuri essent, suo loco incunctanter restituerent. quæ epistola [b], quia brevis est nec parvi momenti, hoc loco integra videtur referenda. *Nostis, dilectissimi, quia loca ista nobis commissa, me vivente, quasi unum sunt; & res quæcumque sunt necessariæ, hinc ad vos indifferenter transeunt; a vobis etiam huc, prout fraterna exigit unanimitas, perferuntur. Et oro Spiritum-sanctum, ut eadem, me defuncto, inter vos concordia vigeat, quæ nunc in nobis cor unum, & animum unum per caritatis glutinum constat. Sed necesse est nunc me vobis cauta provisione consulere, ne, frigescente forsitan caritate, privatus amor de retentione rei cujuspiam inter vos scandalum valeat generare. Quapropter adjuramus vos, & per tribunal tremendi judicis obtestamur, ut quidquid post meum obitum, quod alterius loci sit, quisque apud se forte repererit, præsto restituat; &, remota omni machinatione vel callida argumentatione, pure & simpliciter quod alienum est reddat. Alienum autem dico, quidquid ego non pro munere habendum perpetualiter contuli; sed rem alterius loci in alio, quia noster erat uterque, manere permisi. Quisquis igitur hujus nostræ sententiæ temerator exstiterit, usque ad satisfactionem congruam excommunicationi subjaceat.* Audiant hæc ac perpendant nostri temporis nonnulli monachi, qui res aliorum monasteriorum sub eo prætextu, quod omnia ejusdem congregationis bona esse communia putant, in proprios usus absque scrupulo convertunt. quos quidem violatæ paupertatis reos esse constat. Etsi enim bona omnibus communia reddere possit caritas bene ordinata, eodem privilegio gaudere non debet cupiditas, quæ sibi rapit, quod caritas non concedit.

b *id. lib. 6. ep. 36.*

LXXXVIII. Petrus cupiditatis falso accusatus.

Forte aliquando divertit Petrus ad ædes Godefridi Tusciæ ducis, & apud eum missarum sollemnia celebravit. Huic cum assisterent *uxores principum, ducis scilicet & marchionis*, byzanteos obtulerunt: quos Paulus monachus, ejusdem Petri socius, expletis mysteriis reliquit ad altare. Unus autem clericorum eos furtim subripuit: sed, furto deprehenso, jussu Beatricis ducis, quæ Godefrido-Barbato nupserat, eosdem byzanteos Paulo clam attulit: at Petrus clerico eos reddi jussit. Institit nihilo minus altera die clericus, ut Paulus pecuniam reciperet, eamque illi clam dedit. Hinc Petrus a ducis capellanis avaritiæ insimulatus: qua ille se facile [c] purgavit, quippe qui toties oblatam pecuniam rejeciset, quam Paulus ad altare primum reliquerat, & furi dominæ suæ gratiam denuo conciliasset. Quæ hic laudatur marchionis uxor, videtur esse Mathildis, Beatricis ex priori marito Bonifacio filia, quæ septennis Godefrido-Gibboso, alio nomine Gozeloni, Godefridi-Barbati filio desponsata fuerat. Hanc epistolam scribebat Petrus, dum monasterii fabricam *in prærupti montis atque nivalis cacumine* constrüeret, & *cæmentariorum ac latomorum perstrepentium clamore* a studiis avocaretur.

c *id. lib. 5. ep. 13.*

LXXXIX. Luccæ S. Georgii monasterium conditur.

Per id tempus germani [d] duo fratres, nobiles Luccenses, Heinricus & Rolandus, de construendo intra suam civitatem monasterio consilium iniere. Hujus rei causa Casinatibus obtulêre sancti Georgii ecclesiam, quæ ad posterulam Guirigalæ in ipsorum patrimonio sita erat. Missus ad monasterium construendum ordinandum-

d *Chron. Casin. lib. 2. c. 93.*

ANN. CHR. 1056.

que Johannes genere ac cognomine Apulus, vir multis gratiæ dotibus, maxime dono compunctionis ac lacrymarum præditus, qui diu decani officio in Casinate monasterio functus erat. Hujus quædam miracula refert Leo Marsicanus, quæ ejus meritum ac sanctitatem probant. Rogatus ille aliquando ab illustri viro Luccensi, ut conjugi ejus jam pæne exanimi precibus succurreret; cum in canone missæ mulieris nomen recitasset, ei statim amissam vocem & incolumitatem cælitus impetravit; testataque est mulier, se ipsius Johannis, dum nomen suum in canone recitaret, vocem audivisse. Ejusdem meritis Anselmus Luccensis episcopus, postmodum summus pontifex sub nomine Alexandri II. hausta aqua, qua Johannes manus abluerat, acutissima febri, qua tenebatur, liberatus est.

X C. S. Sepulcri item cœnobium Placentiæ.

Ad hunc ipsum annum refertur origo Placentini sancti Sepulcri monasterii, cujus auctor Dionysius [a], ejusdem urbis episcopus, qui hoc monasterium ab omni jugo episcopali exemit, eo pacto, ut illius loci monachi pauperibus, in adjuncto xenodochio positis, obsequia exhiberent; & abbas eligeretur ex eadem congregatione, electusque virgam pastoralem, in altari positam, acciperet; & gratis ab episcopo » Placentino; sin minus, a quovis alio ordinaretur. Quod si hoc modo institutus abbas a recto tramite deflecteret, nec per ejusdem loci fratres, aliosque fideles emendari posset, demum cum prædictis fratribus, aliisque abbatibus ad præsentiam Placentini episcopi adductus, ejus judicium subiret. Ad hæc statutum est, ut abbas post » suam consecrationem cereum trium ceræ librarum, quarum unaquæque uncias duodecim; singulæ vero unciæ viginti-duos denarios Papienses penderent, ad altare » sanctæ Mariæ vel ad episcopum afferret; & ut in dedicatione suæ ecclesiæ canonicis matris ecclesiæ cum processione occurratur, ac ministris altaris refectio » monastica præbeatur. Postremo ad consecrationem altarium vel ecclesiarum episcopo dentur pro sua procuratione porci quatuor solidorum, pulli viginti, quatuor » vini congia, & libra piperis una. Actum anno dominicæ incarnationis M LVI. Dionysii episcopatus anno VII. indictione IX. tertio nonas Decembris. Idem præsul multa quoque beneficia contulit Placentino sancti Savini monasterio anno sui pontificatus primo ac sequenti, atque anno incarnationis M LXXII. quo anno Bichiso abbas, forte Richiso, eidem sancti Savini monasterio præerat. Verum hæc benefacta obscuravit ejusdem episcopi contumacia in defendendo pseudopontifice Cadaloo; effecitque, ut tum propter hanc causam, tum propter concubinatum sede sua deturbatus sit. Tandem monasterium sancti Sepulcri a Sixto IV. traditum est Oliveta-nis monachis, qui illud in meliorem formam restituerunt.

a *Ital. sac.* to. 2. p. 260.

XCI. Tolosanum concilium.

In Gallia habitum est hoc ipso anno Tolosæ concilium jussu Victoris papæ ad exstirpandam simoniacam hæresim, & ecclesiasticam disciplinam reformandam. Ex tredecim ejus canonibus tres præcipui ad monachos pertinent. Secundo statuitur, » ut episcopus & abbas ante annos triginta, diaconus vero ante viginti-quinque non » ordinentur, nisi ob sanctitatis vel sapientiæ meritum, ex providentia episcopi simul » & cleri citius promoveantur. Quinto, ut, si quis clericorum adipiscendæ abbatiæ » causa monachus factus fuerit, in abbatia quidem monachus permaneat, sed ad ipsum, quem ambiebat, honorem non perveniat. Sexto denique, ut abbates magnam » curam gerant monachorum & monasteriorum suorum, eisque victum & vestitum » præbeant secundum regulam sancti Benedicti, nec eos proprium habere permittant: » ipsi vero monachi præposituram ullam citra voluntatem abbatis non teneant.

XCII. Caritatis monasterium conditur.

Una ex præcipuis Cluniacensis abbatiæ cellis est monasterium Caritatis, ad Ligerim positum in diœcesi Autisiodorensi, quod sanctus Hugo *per virum mirabilis apud Deum & homines gratiæ Gerardum monachum suum*, qui primus illic præpositus seu prior fuit, exstruxit, positum juxta vetus castrum, quod Marchia * dicitur. Non improbabilis conjectura est nostri Georgii *Violles*, existimantis, hunc esse vicum Masuam pagi Autisiodorensis ad Ligerim, ubi Pippinus rex, ex pago Tricassino Autisiodorum, inde ad Ligerim cum exercitu progressus, *ad Masuam vicum in pago Autisiodorensi Ligerem fluvium transmeavit*, ex Fredegarii [b] continuatore. Hic locus partim pertinebat ad ecclesiam Autisiodorensem usque ad pontificatum Goffridi episcopi, filii Hugonis Nivernensis comitis, qui locum Hugoni Cluniacensi abbati concessit ad cellam construendam. Illius cellæ primordia referunt ad hunc annum chronica Fiscamnense & Vizeliacense apud Labbeum [c], fundum & suppetias ferente Goffrido episcopo mox laudato cum Guillelmo comite Nivernensi, aliis-

* *les Marches.*

b *Fredeg. nova edit. p.* 693.

c *Labbe to.* 1. *bibl. p.* 326. & 96.

ANN. CHR. 1056.

que, ad quos hic locus pertinebat. Ipsius Goffridi hac de re litteræ, quæ verbosiores sunt, & nihil notatu dignum continent, datæ sunt anno M LIX. Gerardus, primus illius cellæ prior, haud nobili genere natus erat in pago Nivernensi, non litteris multum instructus, sed maximæ in Deum fidei: censetque [a] Udalricus, nullum facile contingere posse majus miraculum, quam quod Deus per illum jugiter patrabat. Nempe cum usque ad centum fratrum numerus illic anno a primordiis loci tricesimo excrevisset, ille nihilo minus quosvis, per viam illam publicam transeuntes, hospitio excipiebat. quod ut faceret, *usque ad tria vel quatuor millia solidorum* mutuari non verebatur. Addit Udalricus, eo ipso anno, quo hæc scribebat, id est anno M LXXXVI. sanctum Hugonem uno die quinquaginta-quinque novitiis habitum & benedictionem illic dedisse. Idem istuc aliquando profectus, cum fratres omnes ad osculum admitteret, unius ex illis osculum declinavit. qua de re attonitis omnibus, vir Dei ex ejus colloquio elicuit, ipsum *mechanicum* seu præstigiatorem esse, & necromantiæ deditum. quam ob rem illum e monasterio abegit. Plura de Gerardo priore inferius ad annum M LXXXVI. quo decessisse traditur in chronico Vizeliacensi. Florentissimum est hodie quoque hoc monasterium sub reformata congregatione Cluniacensi, quod in honorem beatissimæ Virginis Deiparæ primitus constructum est, uti & aliud virginum in urbe Andecavorum, Caritatis itidem nomine insignitum, de quo superius actum est.

a *Spicil. to.* 4. *p.* 23.

XCIII. Willelmus abbas Trenorchiensis.

Trenorchiense monasterium regebat hoc tempore Guillelmus seu Willelmus abbas, successor sancti [b] Ardagni, cujus nomen sacris fastis III. idus Februarii consignatum est. Guillelmi frater Falco de Jaliniaco, miles, hoc anno Tresalium, aliaque prædia monasterio largitus est, consentiente Beatrice ipsius conjuge, ex cujus dote hæc bona Falconi provenerant. Huic donationi [c] ante ipsum Falconem ejusque conjugem & alios subscripta sunt signa Willelmi abbatis, *Armanni monachi*, *filii vicecomitis de Polognac*, aliorumque monachorum, qui tunc in propria causa testes esse consueverant. Hoc donum insuper confirmavit ad preces Falconis Stephanus episcopus, dum Bilomi *in sede sua* sacros ordines conferret: propterea quod hæc prædia in ejus diœcesi posita erant. Hoc instrumentum datum est hoc anno, Heinrici regis XXVI. Guillelmus iste, testante Falcone [d] ejusdem monasterii chronographo, cum *genere præclarus*, ac *bonis moribus adornatus* esset, usque adeo sordes in vestibus oderat, & cultum amabat, ut, cum ex opidanis suis quempiam vestibus incultum vidisset, eum statim inertiæ redargueret, nec ejusmodi habitu indutum in suam admitteret præsentiam: &, siquidem ejus inopiâ id contingebat, eam ipse relevare curabat. Trenorchiense monasterium quinquennio rexit Guillelmus, qui post annos abhinc tres coronationi Philippi regis interfuit.

b *V. lib.* 68.

c *Tournus p.* 310.

d *ibid. p.* 30.

XCIV. Aquariensis monasterii primordia.

Eodem tempore Gaufridus Martellus, Andecavorum comes, & Agnes comitissa ejus conjux, in suburbio Andecavorum monasterium construxerunt in honorem sanctissimæ Trinitatis & Salvatoris, illudque Vindocinensi sanctæ Trinitatis abbatiæ subjecerunt, ut eo in loco, qui bellorum & hostium injuriis minus opportunus erat, Vindocinenses monachi asylum & refugium haberent. Rem fusius explicant Gaufridus & Agnes in suis litteris, quas in Appendice referemus; adduntque, se apud regem Franciæ, aliasque præpotentes Galliæ personas obtinuisse, ut duo illa monasteria sub tutela *sanctissimi apostolorum principis*, id est beati Petri, consisteret. Actum anno ab incarnatione Domini M LVI. indictione IX. Tum subdit Gaufridus comes, se duo illa monasteria in patrocinium & ditionem beati apos- « tolorum principis Petri & sanctæ Romanæ matris ecclesiæ non tam donasse, quam « refudisse per manum & apostolicam auctoritatem domini Victoris papæ: eo pacto, « ut prædictæ congregationis monachi quotannis censum solidorum duodecim per- « solvere debeant in supplementum luminarium, quæ ad venerabile corpus beati Pe- « tri concinnari solent. quod additamentum si eodem anno, quo præmissum instru- « mentum, editum est; non dubium, quin præferenda sit chronica nota superius relata illius instrumenti, cujus quædam exempla præferunt annum M XL. qui convenire non potest pontificatui Victoris secundi, cujus mentionem facit prædictum additamentum. Ex his patet, Agnetem comitissam necdum tunc a Gaufrido comite repudiatam fuisse, neque Greciam ab eo superductam, quod etiam confirmat diploma Victoris secundi superius [e] relatum, quod Gaufrido comiti & Agneti comitissæ inscriptum est. Novi monasterii situm describit in aliis litteris idem Gaufridus

e *sup. n.* 80.

ANN. CHR. 1056.

comes, quod positum dicit ad australem urbis partem in acclivi colle molliter assurgente ad Meduanæ fluvium, *ante portam quæ nominatur Aquaria*, unde monasterium Aquariæ * nomen accepit. Hæc cella hodie quoque conventualis est sub congregatione sancti Mauri; ibidemque visitur subterranea ædicula beatæ Mariæ, a fidelibus multum frequentata, & *subterraneæ* celebrata nomine, cujus originem referunt ad Yolendem reginam, Ludovici II. Neapolitanorum regis Andiumque ducis uxorem. Porro cum Aquariæ monasterium conditum est, Vindocinensi adhuc præerat Odericus abbas, qui Romam profectus dicitur feria quinta septuagesimæ anno M LVI. ex quadam notitia chartacei codicis, in qua Vindocinenses dicunt, se plurima perdidisse *ex notitiarum scribendarum retardatione*.

* *l'Eviere.*

XCV. Monasteriolum Berlæi cella.

Si præmissum de Aquaria instrumentum hoc anno datum est, necdum Agnetem, ut dixi, repudiaverat Gaufridus comes, nec Greciam alteram uxorem duxerat. Hæc Grecia, Berlæi de Monasteriolo secundi primum conjux, cum jam Gaufrido nupta esset, apud Monasteriolum, quod Berlæi * dicitur, situm in pago Pictavensi ad Toëdum * amnem, sed in Andecavensi comitatu, cellam erexit in ecclesia sancti Petri, eamque Andecavensi sancti Nicolai monasterio subjecit, quod donum manu sua super altare sancti Nicolai posuit, assentientibus filiis suis, Giraldo atque Reginaldo; ejusque rei chartam domino suo excellentissimo comiti Gaufrido, atque domno Eusebio episcopo exhibuit confirmandam, qui ambo re vera his litteris subscripti sunt, relatis [a] in brevi sancti Nicolai historia; & post Eusebium Gauslinus decanus, Rainaldus cancellarius, Beringerius grammaticus, Rainaldus frater Greciæ, quæ se in illa charta comitissam dicit. *Data* XVIII. *kal. Octobris in curia comitis Gaufridi, Andegavensi civitate sollemniter.* Beringerius ille grammaticus, unus subscriptorum, alius mihi videtur a famoso illo Beringerio seu Berengario archidiacono Andecavensi, idemque subscriptus invenitur litteris Fulconis-Nerræ Andium comitis pro ecclesia sancti Martini ejusdem urbis. Prædictæ cellæ dotem, ita ut in ea duodecim monachi alerentur, auxit Berlæus Greciæ nepos, ut suo loco videbimus. De Monasteriolo castro seu opido plura leges apud Menagium in historia Sablolensi.

* *Montreüil-Bellay.*

* *Toüé.*

»

»

»

»

[a] *Epitome p. 16.*

XCVI. S. Albini abbas Theodericus.

Sub finem anni præcedentis, id est IV. kalendas Januarii, obiit Walterius sancti Albini apud Andecavos abbas, cujus loco Theodericus electus est auctoritate & consilio Alberti Majoris-monasterii abbatis, qui electioni præfuit, eumque comiti Gaufrido, dein Eusebio episcopo consecrandum obtulit. In brevi chronico sancti Albini Theodericus XIX. kal. Februarii ordinatus dicitur. Hanc electionem nonnihil turbavit Haimericus Toarcensium vicecomes, qui equum unum centum solidorum, aut centum solidos *pro abbatis mutatione & relevatione*, sibi deberi contendebat. Contra Theodericus rem injustam & hactenus inauditam esse asserebat, paratus *aut calidi ferri judicio secundum legem monachorum per suum hominem* id *probare; aut scuto & baculo juxta legem sæcularium defendere.* Cum duellum prætulisset vicecomes, *obtulit abbas hominem sancti Albini, qui & sacramento fidem faceret, & sacramento fidem brachio daret.* At demum vicecomes, quippe qui, licet juvenis, bene morigeratus & religiosus erat, consilio cum suis inito, remisit pugnam, remisit & consuetudinem, quam sibi deberi putabat, ea lege, ut abbas sibi, uxorique suæ & fratribus Gaufrido & Rodulfo, *societatem daret beneficii sancti Albini. Facta sunt hæc apud Toarcium in curia vicecomitis Haimerici.* Litteras hac de re integras retulit Sirmundus in notis [b] ad Goffridum Vindocinensem, ubi plura hujusmodi duelli exempla profert. Aliud insolitum inter monachos duelli exemplum nobis suppeditant Vindocinenses tabulæ occasione controversiæ, quæ inter Vindocinenses & Majoris-monasterii monachos pro decima parochiæ de Prosto agitata est *in curia comitis tunc capti*, ubi Agnes comitissa & Wulgrinus, forte sancti Sergii abbas, vices comitis gerens, & barones rem duello dirimendam censuere. Ob id Majoris-monasterii monachi hominem conduxere in negotiis ejusmodi *omnibus venalem*, quem Vindocinenses recusarunt, alium, *qui legalis* esset, adduci postulantes, qualem ipsi offerebant. Ita judicibus visum. At in procinctu certaminis Majoris-monasterii monachi, infecto duello, juri suo cessere. Optimo sane exemplo, quod utinam in similibus causis frequentius eveniret, ubi pro rebus levioris momenti turpiter litigatur, magno religionis scandalo, & ipsius sæpe rei familiaris detrimento.

Duella notabilia.

[b] *Sirm. p. 82. & seqq.*

Non integro quinquennio præfuit sancti Albini monasterio Theodericus, cujus tempore Agnes nobilis matrona, primo quidem uxor Hucberti militis egregii de

ANN. CHR. 1056.

Duristallo, tunc autem Rainaldi militis, sancto Albino ejusque monachis præter alia dona, ecclesias de Duristallo liberaliter contulit pro anima prioris sui mariti Hucberti, quem prædicti monachi honorifice sepelierant. quam donationem auctoritate Gaufridi comitis & Eusebii episcopi, atque assensu filiorum suorum Gaufridi & Hucberti roborari curavit. Huic dono annuit Guillelmus de Monte-Sorello, *de cujus casamento* seu clientela erant res monachis datæ; necnon Hugo ipsius Agnetis pater, cognomine Manducans-britonem, ejusdemque Agnetis frater Tebaldus. Testes Ivo episcopus *Savienſis* seu Sagiensis; Alanus Rufus, filius Hugonis comitis, Girardus de Monte-acuto, & alii.

XCVII. Majoris-monasterii societas cum ecclesia Carnutensi.

Carnutensem ecclesiam regebat hoc tempore Agobertus episcopus, a quo & a venerando ejus clero Albertus Majoris-monasterii abbas petiit, ut aliquam in eadem ecclesia præbendam cum ejusdem cleri societate sibi, suisque concederet. quod episcopus & canonici gratanter acceperunt. Monachi vero *præter consortium beneficii Majoris-monasterii*, quod canonicis contulêre, se peculiares pro illis preces post eorum obitum persolvturos polliciti sunt, eorumque nomina inscripturos in suo martyrologio; & post cujusque obitum post sonitum signorum & modulationem quinque psalmorum, unam in conventu missam celebraturos, in qua oblaturi sint omnes & singuli post evangelium pro absolutione animæ defuncti *mysticas oblationes, sicut monasticus ordo exigit. Ut autem hoc factum stabile fieret & indissolubile, regis Francorum Heinrici Magni confirmatum est auctoritate, & in capitulo beatæ Mariæ tam supra dicti præsulis, quam omnium canonicorum corroboratione in eorum generali conventu munitum*, necnon eminentiorum virorum, quorum nomina & signa post regem subscripta sunt, nempe Gaufridi comitis, filii Eudonis comitis Britanniæ, Rainardi camerarii regis, Ebraldi de Puteolo, Ivonis filii; Ivonis comitis, Castelini de Talniaco, Richardi regis capellani, Rainaldi custodis capellæ regiæ, Agoberti episcopi, Fulberti & Bernardi nepotum episcopi, & aliorum, inter quos signum est Hugonis filii vicedomini Herberti, nepotis Alberti abbatis.

XCVIII. Gemetico factæ donationes.

Hoc ipso anno Hugo Mellendis seu Mellenti * comes, Waleranni filius, ut Deus ipsi honorem terrenum conservaret, æternumque concederet, navibus Gemeticensium monachorum, quæ vinum eorum deferebant, liberum transitum indulget; cujus doni gratia a Rotberto abbate societatem suffragiorum obtinuit. Actum in Mellendis castro anno M LVI. mense Octobri. Idem Hugo eisdem relaxavit *scyphum*, quem de vineis eorum quotidie racemis plenum tempore vindemiæ habere consueverat. His litteris subscribit Rainaldus nepos comitis, aliique complures. Ex his intelligitur, Walerannum ejus nominis primum, prædicti Hugonis patrem, ante mensem Octobris hujus anni e vivis ereptum fuisse. Eodem Rotberto Gemetici abbate Willelmus, Talogiensis comes, Willelmi Nortmannorum comitis frater, sancto Petro ejusque monachis partem silvæ * Brotonensis, Gemetico proximæ, contulit, primum quidem pro Willelmi fratris sui salute; deinde pro animabus patris sui Richardi ac matris suæ; denique pro salute Hugonis Bajocassinæ urbis episcopi, a quo hanc silvam acceperat. Hujus donationis litteræ notis chronicis destitutæ sunt: at, cum eis subscripserit Malgerius archiepiscopus, qui paullo ante [a] episcopatu dejectus fuerat, ante hunc annum confectæ dicendæ sunt. His adscripta signa Malgerii archiepiscopi, Willelmi comitis Nortmannorum, Willelmi ejus magistri, Nigelli & Turstini vicecomitum, Willelmi Arcacensis comitis, Godefridi vicecomitis, Rodulfi Taxonis, Rogerii de Conchis, & aliorum. Idem Rotbertus abbas, assensu & consilio Gisleberti Crispini, *quoddam suum duellum de Veteri-Vernolio ad Tillerias adduxit*: ubi abbas *duellum in castello tenuit.* His nequaquam reclamavit Gislebertus Crispinus, immo has litteras signo & sigillo suo roboravit. Idem Gislebertus Alsvillam *, quam a Willelmo Nortmannorum principe obtinuerat, Gemeticensibus cessit, a quibus ducentas denariorum libras cum uno equo viginti librarum & duabus auri unciis accepit. Hujus rei litteris appositæ sunt signa ipsius Gisleberti Crispini & uxoris ejus, Willelmi Nortmannorum comitis, Willelmi Ebroïcensis episcopi, Willelmi filii Osberni, & aliorum. Prædictus Gislebertus Crispinus, ejusque uxor, atque eorumdem filius Gislebertus assensum præbuere donationi, quam de rebus suis apud Vernolium sitis Gemeticensi monasterio fecit quidam Richardus, cum habitum monasticum illic induit.

* *la forest de Brotonne.*

[a] *supra n. 63.*

* *Hauville.*

ANN. CHR. 1056.
XCIX. Criſpinorum genus & benefacta.

De hoc Giſleberto Criſpino, quia ſæpe recurret Criſpinorum mentio, hic quædam præmittenda videntur. Fuit is genere [a] ac nobilitate, nec minus pietate inſignis, a capillis criſpis ac ſurſum erectis primus Criſpini cognomen adeptus, ex quo Criſpinorum familia orta eſt. Huic erat uxor Fulconis *de Almoy* viri nobilis germana, nomine Gonnor, ex qua tres filios ſuſcepit, nempe Giſlebertum, Willelmum & Rotbertum; duaſque filias, Emmam Petri de Condeto genitricem, & Eſiliam, matrem Willelmi *Malet*, militis ſtrenui, qui ſub finem vitæ monachus Becci factus eſt, ubi pie vixit, ac divixit. Giſlebertus, trium filiorum natu-maximus, a Willelmo Nortmannorum duce caſtrum Tegularias * accepit, quod ejus poſteri retinuerunt. Rotbertus minimus ad exteras profectus regiones, cum apud imperatorem in honore haberetur, Conſtantinopoli ex invidia veneno periiſſe dicitur. Willelmus denique medius fratrum, inter omnes nominatiſſimus, & in re militari probatiſſimus, a Willelmo duce in caſtro Melfia * collocatus eſt, ut Vilcaſinum pagum adverſus Francos tutaretur, maxime contra Walterium-Vetulum Pontiſaræ comitem, qui totam regionem, quæ intra Ittam, Andelam, atque Sequanam jacet, ſuam eſſe contendebat, atque infeſtabat. Willelmus iſte filium habuit, dictum ex avi nomine Giſlebertum, quem Herluino abbati ſub regulari diſciplina nutriendum, & litteris informandum cum multis donis tradidit. Giſlebertus vero tantum in virtutum ac litterarum ſtudio profecit, ut proceſſu temporis abbas Weſtmonaſterii a Lanfranco archiepiſcopo inſtitutus ſit, & quoſdam libros compoſuerit. Willelmo ejus patri mos erat, ut idemtidem reviſeret Lexovienſem pagum, in quo quamdam terram poſſidebat, atque in tranſcurſu Herluinum abbatem adiret. Forte aliquando ab eo digreſſus, mox ad eum reverſus eſt, rogaturus, ut ſe beatiſſimæ Dei-genitrici Mariæ, cujus devotiſſimus cultor erat, ſtudioſe commendaret. Tum illi vir Dei imprecatur. quo præſidio munitus Giſlebertus, diſceſſit. quem Melfiam revertentem Franci in vicina ſilva adorti, ſociis fugatis, interimere properant: at ille invocato Dei numine, fuſiſque ad Deiparam precibus, conſcenſo trunco videre ſibi viſus eſt viraginem præclaram (Dei mater erat) quæ ipſum contra hoſtes protexit, eorumque oculis inconſpicuum reddidit. Sic ad ſuos reverſus, Melfienſibus gaudium retulit, quos ſocii in fugam acti de ipſius nece ſupra modum contriſtaverant. Ex eo tempore magnopere crevit beatæ Mariæ cultus, non modo in tota Criſpinorum gente, ſed etiam in circumpoſitis populis, qui ſanctam Mariam Becci, *quaſi ſolum Becci coleretur*, invocare deinceps ſoliti ſunt. Demum prædictus Willelmus-Criſpinus ad extrema veniens, accerſito Herluino, habitum monaſticum ab eo ſuſcepit, & poſt paucos mortuus dies, juxta eccleſiam, ubi clauſtrum ædificandum erat, humatus eſt, in cujus epitaphio [b] legitur eum obiiſſe *fani poſt nonas*, & *parvum* ſeu tenuem rebus Beccum ſumtibus ſuis extuliſſe ut potuit. Ejus uxor Eva, ex gente Francorum claris orta natalibus, mariti exemplo ſanctiſſimam Virginem & Beccenſem maxime dilexit eccleſiam, cui pretioſa quæque ornamenta, quæ habebat, contulit, ac poſt conjugis obitum divino cultui tota mancipata, poſt aliquot annos a Willelmo Rotomagenſi archiepiſcopo velata, uſque ad mortem perſtitit in ſubjectione Beccenſis monaſterii, ubi ad virum ſuum ſepultâ eſt. Horum nepos ex filio Willelmo tertius Willelmus-Criſpinus, acceptam a majoribus retinuit devotionem in Deiparam Virginem, cujus ope ex inimicorum manibus itidem ereptus, dum Jeroſolymam, uti voverat, iter pararet, morte interceptus eſt IV. kal. Octobris, & juxta parentes ſuos ſepultus in Beccenſi monaſterio, cui itidem addictiſſimus fuerat. Hæc de Criſpinorum genere præmittere viſum eſt ad Beccenſem hiſtoriam illuſtrandam.

C. Willelmi Geroïani obitus.

Per id tempus Uticenſi ſancti Ebrulfi monaſterio duplex accidit infortunium, ſcilicet mors Willelmi Geroïani ejus inſtauratoris, & diſſenſio Rodberti prioris cum Theoderico abbate. Willelmo filius [c] erat Willelmus de Monaſteriolo, Romani exercitus princeps militiæ factus, qui, ſancti Petri prælato vexillo, Italiæ Campaniam ſubjugavit. Hic, cum opibus affluereet, atque Uticenſes maxime diligeret, eis ſignificavit, ad ſe ut virum fidum mitterent, per quem munera eis deſtinata deferrentur. Id ubi reſcivit Willelmus ejus pater, ad hoc iter ſe obtulit, cui Gunfridum peritiſſimum monachum, & Rogerium Gemeticum, egregium ſcriptorem, alioſque duodecim ſocios adjunxerunt Uticenſes. Ille vero, tranſſcenſis cum illo comitatu alpibus, Roma obiter luſtrata, in Apuliam contendit: ubi a filio

a *Lanfr. op. append. p. 53. & ſeq.*

* *Tellieres.*

* *f.* Nelfia, *Neuſtr.*

b *ibid. p.* 55.

c *Orderic. li. 3. p. 473. & ſeq.*

ANN. CHR. 1056.

cum magno acceptus honore & gaudio, munera ampliſſima Uticenſibus perferenda recepit; atque ut Uticenſibus egenis quantocius ſubveniret, Gaufridum monachum cum magno cenſu remiſit. at ſpe ſua, Deo volente, fruſtratus eſt. nam ubi Romam venit Gaufridus, in ſancti Pauli monaſterio hiemem tranſigere volens, a Romanis auri avidis veneno infectus, ibidem in *confeſſione Chriſti* idibus Decembris interiit. Alii duodecim ſocii in illo itidem itinere periere. Non multo poſt Willelmus cum multo pecuniæ, aliarumque rerum theſauro reditum in patriam iniit: at Caïetæ letifero morbo interceptus, mori certus, hoc depoſitum Uticenſibus perferendum, nempe auri non modicam ſummam, pallia pretioſa, calicem argenteum, aliaſque pretioſas ſpecies, Anſchetillo ſub teſtimonio Theodelini conſignavit. Interim Willelmus, ingraveſcente morbo, Caïetæ deceſſit, & in epiſcopali ſancti Eraſmi eccleſia ſepultus eſt, dum Anſchetillus & Theodelinus in Gallias, tum ad ſua reverſi ſunt. Poſt aliquot dies Anſchetillus Uticum adiit, fratribuſque obitum Willelmi & ſociorum ejus nuntiavit: at de commiſſa ſibi pecunia, quam in uſus ſuos perfide diſtraxerat, omnino ſiluit. Paullo poſt Theodelinus & ipſe Uticum venit, & monachos, quid eis ex Apulia datum fuiſſet, percontatur. Cumque nil niſi triſtem de morte amicorum nuntium ſibi allatum fuiſſe reſpondiſſent; obſtupuit ille, remque totam eis enarravit. Accerſitus Anſchetillus, primo factum negare: at convictus, ſe pecuniæ ſibi commiſſæ partem in ſuos uſus expendiſſe confeſſus eſt, partem vero Remis conſilio domini ſui Rodulfi Malæ-coronæ apud Gervaſium archiepiſcopum depoſuiſſe. Miſſus iſtuc, qui depoſitum repeteret, Rainaldus de Sappo monachus; dein Fulco, qui Gervaſio, dum Cenomannorum epiſcopus eſſet, perquam familiaris fuerat; ex omnibus calicem tantum argenteum, & duas caſulas, cum aliis rebus minoris momenti, ægre recuperavit. De ceteris adductus in judicium Anſchetillus, errati ſui veniam petiit ſupplex, atque in damni qualemcumque compenſationem Uticenſis opiduli tertiam partem, quæ ex paterna hereditate ipſi provenerat, ſancto Ebrulfo ceſſit, atque in donationis teſſeram, unam palam ex ſerico, ex qua cantoris cappa facta eſt, ſuper altare poſuit.

CI. Theoderici Uticenſis abbatis cum priore diſcordia.

Ex hoc infortunio, quod Willelmi obitus Uticenſibus attulit, alterum haud minus exortum eſt, ſcilicet diſſenſio Rodberti prioris cum Theoderico abbate. Erat Rodbertus nobilis generis, Hugonis de Grentemaiſnilo frater, cui inſuper juvenilis ætas magnos ſpiritus inſpirabat, fervidus in agendo, promtus ad quidvis dicendum, &, quia ex patrimonio ſuo monaſterium ditaverat, ad dandum & accipiendum apertas habens manus, denique regulari diſciplinæ jugo refrenari impatiens. Ad hæc frequenter abbati clam detrahere, quod ſpiritualibus amplius quam temporalibus intenderet, nonnumquam aperte cum eo litigare, ejuſque ſtatuta improbare. Cum vero monendo nihil apud eum proficeret abbas, idemtidem ſecedebat ad Sagienſe ſancti Martini monaſterium, cujus præcipuus auctor erat, emendationem contumelioſi fratris exſpectaturus, daturuſque ſecundum præceptum Apoſtoli locum iræ. at poſtquam id nihil proficere, immo amplius rancorem & ſcandala augeri intellexit; Willelmo Nortmannorum duci paſtoralem baculum & dignitatem reſignavit. Verum dux prudenti uſus conſilio, rem indagandam & componendam injunxit Maurilio archiepiſcopo; qui hoc anno Uticum adiit, & cum eo Fulbertus ſophiſta ejus conſiliarius, Hugo Lexovienſis epiſcopus, Ansfridus Pratellenſis abbas, atque Lanfrancus Beccenſium præpoſitus, aliique, qui omnes illuc ad feſtivitatem ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli III. kalend. Julii convenêre. Tum, auditis ac diligenter diſcuſſis diſcidiorum cauſis ac fomentis, Theodericum abbatem in ſua præfectura confirmarunt; Rodbertum vero priorem, ut paupertatis votum exſequeretur, patrique humiliter in omnibus obtemperaret, adhortati ſunt. Sic pax & concordia utcumque ſarcita. Verum, ut erat Rodbertus turbulenti vir ingenii, pax monaſterii brevi ſoluta eſt. quæ res piiſſimi ac mitiſſimi patris animum tanto dolore affecit, ut loco prorſus cedere, & Jeroſolymam proficiſci ſtatuerit. Qui ſuperius laudatus eſt Fulbertus ſophiſta, is ipſe videtur, qui librum de miraculis ſancti Audoëni, rogatu Nicolai ejus monaſterii abbatis ſcripſit.

CII. S. Wlframi miracula.

Eodem tempore frequentia erant ſancti Wlframni epiſcopi miracula apud Fontanellam, quæ tunc anonymus quidam, haud dubie Fontanellenſis monachus, litteris [a] mandavit. In his narrat iſte auctor, anno incarnationis M·LVI. Babylo-

a *Bolland. to. 3. Martii p. 150. & ſeqq.*

ANN. CHR. 1056.

nium regem præcepisse, ut sanctum Christi Domini sepulcrum occluderetur, ac vetuisse, ne cuiquam christianorum in illud pateret aditus. quæ res ingentem luctum attulit christianis, qui ad loca sancta ex universis orbis partibus voti causa confluxerant, eosque propere ad propria reverti coëgit. Ex his trecenti, navi conscensa, oborta subito grandi tempestate, alius alium Sanctum inclamare; unus horum Neustrasius, Ansfridus nomine, sanctum Wlframnum cum beato Nicolao invocare cœpit, aliique ejus exemplo; moxque procella sedata. Ejusdem Sancti patrocinium sensere sanctimonialis quædam, Eulalia nomine, quæ Fontanellæ degebat; & Pratellensis abbatissa, religiosa & prudens, quæ sancti Wlframni meritis desperatam obtinuit sanitatem, Emma an Anfrida, quæ duæ primæ sunt ejus loci abbatissæ, quibus Cæcilia, Mathildis & Elizabeth succesſere. Ad hæc quidam puer ex castro Falesia, qui sabbato sancto in dolio, in quo pater ejus ob imminentem sollemnitatem de more laverat, incaute derelictus, aqua submersus, extinctusque est, at sancti Wlframni invocato nomine revixit. quod factum dicitur sabbato sancto anni insequentis, quo pascha in tertium kalendas Aprilis incidebat.

Pratellenses abbatissæ.

CIII. Corbeiensi advocati vexatio repressa.

Corbeiensi monasterio per id tempus Walterus advocatus eas renovabat injurias, quas superius [a] compositas vidimus. Hac de re conquestus est Fulco abbas apud Balduinum Flandriæ comitem, qui eam ita composuit, ut advocatus in toto vicecomitatu & præfectura, quam de monasterio sancti Petri tenebat, nullum *clamorem* seu judicium absque abbate vel ejus legato faceret. Quod si eum ad expeditionem comitis vel abbatis ire contingeret, non amplius quam octo equos ex tota acciperet præfectura. De his aliisque conventionibus *sacramento ligato* septem obsides dedit: ut, si eas aliquando violaret, eum invitaret abbas ad justitiam *per undecim pares suos*: si nollet venire, obsides moneret abbas ad rationem facti sui reddendam infra quadraginta dies. Si deforet, vel se ipsi obsides abbati traderent, eorumve heredes; vel triginta libras persolverent. Actum Corbeiæ anno M LVI. præsente comite Balduino, & conventionem sanciente. His litteris appositæ signa Balduini comitis, Rotgeri & Willelmi de Abbatis-villa comitum, Rorigonis & Balduini ejus filii, Drogonis Ambianensis, Ingeramni Montis-Desiderii, Fulconis abbatis, Gelonis decani, & aliorum. *Undecim pares* abbatis erant convasalli monasterii.

[a] *lib.* 54. *n.* 22.

CIV. S. Dionysii cella Ambianis.

Qui hic laudatur Rorigo, videtur esse conditor sancti Dionysii ecclesiæ apud Ambianos, quæ in cellam Majoris-monasterii erecta fuit. Id colligimus ex veteri breviario bibliothecæ Corbeiensis, ad usum illius monasterii, ut videtur, composito, cujus in kalendario ad tertium idus mensis Februarii obiisse dicitur *Rorgo, qui locum istum construxit*; & VI. kalend. Augusti, *Helisabeth uxor donni Rorgonis*; denique pridie idus ejusdem mensis fit *commemoratio pro animabus Roriconis & uxoris ejus Helisabeth, qui hunc locum construxerunt.* Certe tunc temporis hæc sancti Dionysii ecclesia condita seu restituta fuit, primitus quidem extra muros urbis in prato, ex quo sancti Dionysii de Prato vocabulum accepit. Id nos docet charta Roriconis Ambianensis episcopi, cujus tempore hæc ecclesia, quæ penitus inculta, neglectaque erat, reparata fuisse dicitur, & clericis sancti Nicolai subjecta, ea conditione, ut quotannis anniversarium Drogonis Tarvennensis episcopi celebrarent. Cum vero hujus ecclesiæ possessiones occuparent avidi rerum ecclesiasticarum pervasores, hanc ex eorum manibus eripuere Ambianenses episcopi, eamque Majoris-monasterii cœnobitis subdidere, ut testatur Godefridus Ambianorum præsul, qui contra ejusmodi prædones graviter invehitur; eamque dicit primo ab Ingutione sacerdote piissimo, in suburbio Ambianensi ædificatam fuisse, & tum dictam sancti Dionysii-ad-pratum. In ejusdem Godefridi vita, auctore [b] Nicolao, memoratur illud sancti Dionysii monasterium, processu temporis muris urbis inclusum, quod patribus societatis Jesu demum ad instituendum collegium cessit.

[b] *Nicol. lib.* 3. *c.* 13.

CV. Marianus monachus.

Antequam res hujus anni finiamus, paucis agendum est de Mariano Stotto; qui anno M XXVIII. natus, cum anno M LII. sæculum, id est patriam reliquisset, Coloniæ anno M LVI. factus est monachus, quod ipse testatur in chronico suo ad hunc annum his verbis: *Ego Marianus peregrinus factus pro regno cæleſti, patriam meam reliqui, & in Colonia, quinta feria, kalendis Augusti, monachus effectus sum.* nempe in sancti Martini [c] monasterio, de quo in superioribus actum est. Idem post biennium, id est anno M LVIII. postquam Paderbrunna civitas cum duobus monasteriis incendio

[c] *Gelen. p.* 377.

ANN. CHR. 1056.

incendio conflagrasset, illuc profectus est, inde Fuldam deductus a Sigfrido abbate, qui eum anno sequenti presbyterum ordinari curavit. Postea, ubi Fuldæ per annos decem inclusus vixisset, Moguntiam venit, ubi usque ad obitum, qui anno M LXXXVI. accidit, reclusus perseveravit. Scripsit chronicon ab exordio mundi ad annum M LXXXII. in quo Dionysianum cyclum correxit, apposito ad marginem duplici calculo, uno ad mentem Dionysii-Exigui, altero ad evangelicam veritatem, qui Dionysianum viginti-tribus annis excedit. Ejus chronicon continuavit Dodechinus abbas sancti Disibodi usque ad annum millesimum ducentesimum. Hæc de Mariano consequenter dicenda visa sunt, ut uno conspectu, quis qualisve fuerit, intelligatur.

CVI. Abdinchofensi monasterio prædium confirmatur.

Imadus Patherbrunnensis episcopus Eilberto Abdinchofensis monasterii tertio abbati litteras hoc anno indulsit, quibus prædium quoddam ab eo comparatum confirmavit. Imadi litteras a Schateno relatas hoc loco, ne pagella vacua remaneat, afferre non ab re fuerit.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Imadus Dei gratia Paderbornensis ecclesiæ episcopus. Quotiescumque religiosorum virorum in suis opportunitatibus preces exaudientes quieti & utilitati eorum paterno affectu providemus, ab omnipotente Deo, quem in suis membris honoramus, præmium laboris nos recepturos fideliter & veraciter speramus. Unde omnium Christi fidelium præsentium & futurorum noverit devotio, qualiter domnus Eilbertus venerabilis abbas ecclesiæ beatorum apostolorum Petri & Pauli, quam in occidentali parte suburbii civitatis nostræ domnus Meinwercus digne & laudabiliter memorandus episcopus avunculus noster devotissime construxit, nos suppliciter adiit, ut prædium quoddam in comitatu Bernhardi ducis, in villa, quæ Hallo dicitur, quod a quodam viro, Thancmaro nomine, suisque heredibus viginti marcis comparavit, episcopalis auctoritatis confirmatione corroboraremus, humiliter petiit. Cujus justis precibus gratuito annuentes, ipsum prædium cum universis ad hoc legaliter pertinentibus, suis suorumque fratrum præsentium atque futurorum usibus banni nostri munimine confirmavimus, & præsentis scripti paginam in monimentum & munimentum perpetuum sigilli nostri impressione insigniri mandavimus. Hujus rei testes sunt Adelbertus comes, &c. Acta sunt hæc Paderborn kal. Augusti, anno ab incarnatione Domini M LVI. *indictione* VIII **. regnante Heinrico rege IIII.*

* *l.* VIII. *vel* VIIII.

Imadus episcopus, *Immed* a Lamberto dictus, patrem habuit Ludgerum comitem, matrem Emmam, feminam sanctissimam, sororem beati Meinwerci Patherbrunnensis episcopi, quem ille proinde *avunculum* suum vocat. Eilbertus seu Egilbertus Wolfango ante triennium successerat, abbas loci tertius.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER SEXAGESIMUS-PRIMUS.

Ab anno Christi 1057. *ad annum* 1062.

ANN. CHR. 1057. I. Fridericus ablata recuperat.

POST celebratam Ratisponæ cum Heinrico minorenni rege nativitatem Domini, Victor papa quadrageſima ineunte Italiam repetiit, tranſſcenſiſque alpibus Florentiæ ſubſtitit. Interim Fridericus, Godefridi Tuſciæ ducis frater, tum Caſinas monachus, comperto imperatoris obitu, pontificem confidenter [a] adiit, effecitque, ut Tranſmundus, qui ipſum ex urbe Conſtantinopoli revertentem ſpoliaverat, ablata reſtitueret cum caſtello, nomine Friſa, quod uxor ejus olim ſancto Benedicto contulerat.

a *Chron. Caſin. lib. 2. c. 94.*

Petri loco ſit abbas Caſini.

Recordatus vero pontifex Petri Caſinenſis abbatis electionis, anno ſuperiori ſe inconſulto factæ, eumdem abbatem cum duodecim monachis ad ſe venire mandat, ut facti rationem redderent. Introducto ad ipſius præſentiam Petro, eoque audito, nonnihil commotus Victor, reverti eum ad monaſterium jubet, dum per ſe ipſe, vel per nuntios, rem canonice coram definiret. Abbate Caſinum reverſo, eo miſſus eſt Humbertus Silvæ-candidæ epiſcopus, dato ipſi mandato, ut, abbatis electione diligenter examinata, ſi quid vitii in ea eſſet, mox electum deponeret: ſi qui vero obſiſterent, omnes apoſtolica excommunicatione feriret. Ubi Caſinum advenit, ipſo die pentecoſtes capitulum ingreſſus, apoſtolicam fratribus benedictionem, ſi obedientiæ filii eſſe vellent, impertit. Secunda dehinc feria ſui adventus cauſam exponit, nempe ut de electionis factæ jure an injuria inquireret. Reſponſum a majoribus eſt, Caſinenſis abbatis electionem, & Regulæ auctoritate, & privilegio ſedis apoſtolicæ, nulli omnino mortalium, præterquam propriis loci monachis, competere: ceterum Petri electionem, nullo ambitu, ſed canonice, & quidem unanimi conſenſu factam; nullum ad id oneris Petro magis idoneum aut meliorem eſſe; denique ſe ſe nullius alterius imperio ſubdituros. Ad hæc ſiluit Humbertus; ſicque e capitulo diſceſſum eſt. Inter ea [b] quatuor monachi, epiſcopum eo veniſſe rati, ut abbatem deponeret; turbam incolarum armatorum clam in monaſterium inducunt, frementium, & quis abbatem deponere vellet, ad ejus perniciem inquirentium. Mox abbas illis occurrens, vix eorum furorem reprimere valuit; quantum ſibi nocumenti hac temeritate afferrent, cauſatus. De tanta injuria, pro eo ut par erat, graviter expoſtulatum ab Humberto, & in ejus auctores

b *ibid. c. 95.*

inquiſitum. De ea ſe ſe purgavere Caſinates, Petrum abbatem, tametſi facti innocentem, abjicere parati; profeſſi ſe nolle ſibi præeſſe abbatem, qui non per ipſos, ſed per illius terræ homines regnaret. Sed tandem quatuor illius facinoris architecti ac rei noxam confeſſi ſunt, & ad legati pedes abjecti veniam poſtularunt. Hac re commoti fratres, de clauſtro monaſterii protinus illos exturbant, & in hoſpitum domo recludi curant. Tot turbarum pertæſus abbas, conſulto prius Humberto, abbatiam abdicare conſtituit, & in eccleſiam ingreſſus, coram fratribus, virgam paſtoralem ſuper altare poſuit. Hinc fratres ſexta feria pentecoſtes in capitulum conveniunt, de eligendo abbate acturi; unoque conſenſu Fridericum, tum genere, tum ſapientia præcellentem, eligunt. quod Humberto ejus conterraneo maxime placuit. Erat quippe Fridericus, ut ille, natione Lotharingus, Tuſciæ ducis, ut jam ſæpe diximus, frater, liberalibus a puero ſtudiis imbutus, ex canonico Leodicenſi factus cancellarius Leonis IX. & poſt ejus obitum Caſini monachus. Mox electus, aſſumtis [a] octo fratribus, cum Humberto conſecrationis gratia Florentiam ad pontificem profectus, primum preſbyter cardinalis tituli ſancti Chryſogoni ab eo creatur ſabbato jejunii menſis Junii; & in nativitate ſancti Johannis abbas ordinatur. Florentiæ demoratus ad feſtum ſancti Apollinaris, id eſt ad decimum kal. Auguſti, confirmationem electionis ſuæ cum uſu ſandaliorum, & dalmaticæ, quem Leo IX. Richerio abbati conceſſerat, per manus Humberti obtinuit a pontifice, qui eidem, ejuſque ſucceſſoribus ſuperiorem ceteris abbatibus in quovis conventu epiſcoporum ac principum ſeſſionem impertiit. Præclaras Victoris papæ hac de re litteras in Appendice referemus ex authentico Caſinenſi cum typo bullæ pontificiæ. Eodem tempore Cantuarienſi ſancti [b] Auguſtini abbati Wlfrico indultum legitur, ut Caſinati proximus aſſideret. Ad hæc pontifex cavit, ne Caſinenſi abbate mortuo ſolitæ prædationes fierent. Dein, obtenta diſcedendi facultate, Fridericus Romam contendit: ubi ad titulum ſuum honorifice perductus eſt.

a *ibid. 96.*

b *Thomas p. 1784.*

II. Victori papæ ſuccedit.

Vix Florentia receſſerat Fridericus, cum Victor papa illic in gravem morbum incidit: ibique mortem oppetit v. kal. Auguſti. Mox ejus mortis nuntius Romam perlatus per Bonifacium Albanenſem epiſcopum, dum Fridericus Caſinum reditum pararet. Extemplo comitia [c] ſubrogando pontifici habita: in quibus alii Humbertum Silvæ-candidæ epiſcopum, alii alios proponebant: alii Hildebrandum Romanæ eccleſiæ tunc ſubdiaconum, qui cum Victore Florentiæ ſubſtiterat, exſpectandum cenſebant. aliis porro nullam comitiis moram interponendam cenſentibus, omnes demum uno conſenſu ipſum Fridericum cardinalem adeunt, eumque per vim ex hoſpitio eductum ad baſilicam ſancti-Petri-ad-Vincula trahunt, atque pontificem lectum Stephanum IX. appellant, propterea quod hæc electio III. nonas Auguſti, quo die memoria ſancti Stephani papæ & martyris colitur, facta eſſet. Inde eum plaudentibus omnibus ad Lateranum deducunt: poſtridie vero in Vaticano feſtive conſecrant. *Nec quiſquam ſane multis retro annis*, inquit Lambertus, *lætioribus ſuffragiis, majori omnium exſpectatione, ad regimen proceſſerat Romanæ eccleſiæ: ſed tantam ſpem heu fruſtrata eſt mors immatura.* Pontificatu inito, Stephanus ſtatim legatum ad Agnetem auguſtam Hildebrandum miſit, qui de rebus actis eam doceret; atque ad perſequendam, quæ jam inſtituta erat, reformationem eccleſiæ, in primis ad abolendam maxime in Germania ſimoniam ſe convertit. Apud Lambertum Heinricus germaniæ rex natalem Domini Merſeburgi celebraſſe dicitur, ibique inter alios regni principes Hildebrandus *abbas de ſancto Paulo*, adfuiſſe, mandata deferens ab ſede apoſtolica, *vir & eloquentia, & ſacrarum litterarum eruditione valde admirabilis.* Quatuor igitur menſes Romæ moratus Stephanus papa, novis conſtitutionibus has eccleſiarum nundinationes, clericorum conjugia & conſanguineorum nuptias interdixit.

c *ibid. c. 97.*

Inde pridie kal. Decembris Caſinum ad fratres reviſendos profectus, vitium proprietatis, quod prioribus annis paullatim illic irrepſerat, ex præſcripto regulæ maxima ex parte emendavit, & cantum Ambroſianum Romano [c], qui magis dulcis & ordinatus eſt, mutari præcepit. Illic menſe Januario verſabatur, cum Marinus comes una cum uxore ſua Oddolana, integram portionem ſuam, id eſt quartam partem, comitatus Trijectenſis [d] contulit cœnobio Caſinenſi, *ubi domnus Stephanus papa, qui & abbas, ejuſdem monaſterii regimen tenebat*, ut in ipſius donationis litteris legitur, in Appendice referendis. Ad hæc integrum monaſterium ſancti

c *v. Radulf. Tung. propoſ. 12.*

d *v. Chron. Caſin. lib. 2. c. 98.*

ANN. CHR. 1057.

Marini, quod in loco Cerciano ſitum erat, & quartam partem monaſterii ſancti Martini de Aqua-mundula (ſic diſtracta erant tunc monaſteria, uti & eccleſiæ) eidem Caſinati ſacro aſceterio tradit idem comes. Actum in civitate Trijectu, menſe Januario, indictione XI. Paullo poſt de novo eligendo abbate comitia habita, in quibus ſublectus eſt Deſiderius, quem mox pontifex legatum Conſtantinopolim ad ſchiſma componendum cum aliis miſit. His actis, cum ex febri, quam Romæ jam contraxerat, gravius ægrotaret, Romam revertit, aſſumto ſecum Alfano [a] Salernitanæ eccleſiæ electo, quem in jejunio Martii inſequentis preſbyterum, ſequenti dominica archiepiſcopum conſecravit, moxque Salernum dimiſit.

[a] *Chron. Caſin. lib. 2. c. 98.*

III. Deſiderius abbas Caſini quis & qualis.

Erat Deſiderius ex nobiliſſima [b] Beneventanorum principum progenie, a puero divinis lectionibus & eccleſiis frequentandis addictus: quem pater ſæcularibus negotiis præter ipſius votum, & conjugii vinculis implicare conſtituit. Verum patre a Nortmannis peremto, conceptum de petenda ſolitudine propoſitum cuidam prudenti & probo monacho, Jaquinto nomine, aperit. Ille vero auxilium pollicetur: ſed cavendum monet, ne forte hæc ſuggeſtio a malo ſit. Aſt ubi firmum adoleſcentis in propoſito animum cognovit, eum ad ſolitudinem perducere non dubitavit. Quadam itaque die ſub veſperam, conſcenſis una equis quaſi ſpatiandi gratia e civitate cum famulis egreſſi, ad proximam beati Petri-Majoris eccleſiam orationis obtentu divertunt, relictis ad oſtium famulis cum equis & armis, quæ tunc in eccleſiam inferre nefas erat. Inde ſub veſperam per poſterulam furtim egreſſi, de nocte ad quemdam ſolitarium, Sanctarium nomine, qui octo ab eo loco miliaribus aberat, iter inſtituunt, ad quem ob errorem viarum nonniſi alterius diei luce prima perveniunt. Huic cum Deſiderius conſilium ſuum patefeciſſet, ille non mediocriter obſtupuit, quod tam nobilis ac delicatus adoleſcens, ſpretis ſæculi illecebris, tam arduum ac rigidum vitæ inſtitutum arripere vellet: ſed tamen, cum id per Dei gratiam haud impoſſibile eſſe ſciret, ejus deſiderio aſſenſit, eumque monaſtico indutum habitu ſecum retinuit. Ubi furtivum filii diſceſſum ex famulis, rei minime conſciis, reſcivit mater, protinus in planctum & lamentum ſe dedit: propinqui vero ſe ſe ad eum perquirendum convertunt, eumque tandem in Sanctarii cella inveniunt: tum Sanctario graviter objurgato, Deſiderio veſtem monaſticam detrahunt, ac priorem denuo imponunt; atque invitum licet ac repugnantem triumphantium more in urbem reducunt. Illic annum integrum ſub arta cuſtodia in ædibus maternis retentus, numquam adduci potuit, ut de nuptiis cogitaret. Cum vero jam nulla de ipſius fuga ſuſpicio matrem teneret; quem conjugatum ſecum retinere non poterat, vel clericum habere tentavit; eumque ſæpe ad epiſcopum ejus rei cauſa ſolum ire ſinebat. Hac occaſione nanctus eſt copiam colloquendi cum Siconolfo, ſuburbani ſanctæ Sophiæ monaſterii præpoſito, qui eum cuculla indutum clam Salernum perduxit, atque inde pernici greſſu Beneventum rediit. Mox Deſiderius ad principem Salerni Guaimarium, conſanguineum ſuum, acceſſit, eumque rogavit, ut, quia in patria monachus vivere ob parentum moleſtias non poterat, apud illum quiete Deo ſervire ſibi liceret. Poſtulatis benigne annuit princeps, eumque ad Cavenſe ſanctæ Trinitatis monaſterium, uti petierat, tranſmiſit, pollicitus, ſe eum propinquis, qui illum repeterent, non conceſſurum. Illi monaſterio tunc præerat Alferius, cujus *religioſam & Deo amabilem vitam* ſe ex parte coram vidiſſe, & aliis referentibus cognoviſſe idem Deſiderius teſtatur. At ejus propinqui juvenem perſequentes, ubi ſuas preces nihil apud Guaimarium valere intelligunt, Landulfi ſeu Pandulfi Beneventani principis auctoritatem interponunt: qui matris, eorumque precibus fatigatus Salernum venit, effecitque, ut tandem eis Deſiderius redderetur, ea lege, ut in ſanctæ Sophiæ monaſterio ſub monaſtica profeſſione permaneret. Illic itaque manere permiſſus eſt ſub diſciplina Gregorii prudentiſſimi & ſtrenuiſſimi abbatis, qui eum, propterea quod univerſis *deſiderabilis* & acceptiſſimus erat, tunc primum mutato nomine, (nam uſque ad id tempus Dauferius vocabatur) Deſiderium appellari voluit. Poſtquam illic aliquot annos religioſiſſime verſatus eſſet; ægre annuente abbate perrexit ad Tremitenſe aſceterium, in Adriatici-maris inſula, Diomedis vocabulo, poſitum, cujus loci abbatem Beneventi familiariter noverat. Sed cum ab eo ſic amaretur, ut ille abbatiam ipſi reſignare vellet; eumdem locum ob id deſerere cogitavit, ſubeſſe malens quam præeſſe. Forte contigit, ut abbas ad Tranſmundi Teanenſis comitis cu-

[b] *Chron. Caſin. lib. 3. c. 1. & ſeqq.*

ANN. CHR. 1057.

riam ad res monaſterii ſui procurandas egreſſus, Deſiderium ſecum duceret. quæ occaſio Deſiderio maxime opportuna & jucunda fuit. Ejus adventu multum recreata comitis uxor, Deſiderii affinis, eum apud ſe retinere opravit. Aſſenſit ille haud illibenter, modo ut apud Magellæ eremitas, quorum in Aprutio tum celebre nomen erat, ſibi degere liceret. quod prædictus comes facile indulſit. Verum, cum tribus circiter menſibus in magna diſtrictione illic vixiſſet, præcepto apoſtolico per Jaquintum monachum ad ſanctam Sophiam revocatur. Illic verſabatur Deſiderius anno M LIII. cum Leo IX. contra Nortmannos dimicaturus, Beneventum petiit, comitante Humberto Silvæ-candidæ epiſcopo, cui Deſiderius jam dudum notus & carus erat; & Friderico tunc cancellario, per quos ad pontificis notitiam venit, adeo ut frequenter illi ad altare ſub officio diaconi miniſtraret.

IV. Alfanus ei familiaris.

Inter ea Deſiderius ob nimiam abſtinentiam, multaſque vigilias, non modico languore affectus, curationis gratia Salernum adiit, ubi magnam neceſſitudinem & familiaritatem contraxit cum Alfano tum clerico: quem frequentibus monitis ad ſæculi contemtum adhortans, ab eo demum obtinuit ut monachus fieret, poſtquam Jeroſolymitanum iter, quod mente conceperat, confeciſſet. Reverſus Beneventum Deſiderius, invitat Alfanum ad ſe ut veniat. Eo renuente, & Salernum egredi formidante ob metum inimicorum, id eſt Guaimarii principis affinium, cujus cædes Alfani fratribus imputabatur; eum tandem Salerni convenit Deſiderius, & cuculla ſua indutum noctu ex urbe eduxit, ſecumque Beneventum adduxit in monaſterium ſanctæ Sophiæ, ubi aliquantum temporis manſit Alfanus, tanto amore Deſiderio agglutinatus, ut numquam ab eo ſeparari ſe velle aſſereret. ſic adeundæ Jeroſolymæ propoſitum in ejus animo paullatim intepuit. Interim, cum rumor increbruiſſet, Victorem papam in partes Beneventanas brevi acceſſurum; veritus Alfanus, ne de cæde Guaimarii principis in ſuos fratres inquireret, prævenien-dum pontificem putavit, ac Deſiderium ſecum ire Florentiam, ubi tunc reſidebat Victor, poſtulavit. Ambo itaque illuc profecti, brevi ſe ſe inſinuarunt in pontificis familiaritatem, cui Alfanus in primis acceptus fuit, tum ob cantandi peritiam, tum ob ſcientiam medicinæ. Verum comperto Victorem in Beneventanam provinciam minime profecturum; ambo ſodales in patriam reverti conſtituunt. Cum id animo agitarent, contigit duos Caſinates monachos, a Petro abbate miſſos, pontifici ſupplicatum veniſſe, ut ejus electionem comprobaret. Hac opportunitate uſus Deſiderius, una cum Alfano pontificem rogavit, ut ſibi cum illis nuntiis Caſinum adire liceret. Annuit apoſtolicus: cujus gratia honorifice recepti a Caſinenſi abbate, fratribuſque adjuncti, *monaſticam ab eodem abbate conſecrationem*, quam eo uſque diſtulerant, adepti ſunt, Friderico in primis gratulante. Non multo poſt a Giſulfo principe Alfanus expoſtulatus, primo apud Salernum in monaſterio ſancti Benedicti factus abbas, demum hoc anno ejuſdem urbis archiepiſcopatum adeptus eſt. Deſiderius vero apud Capuam cellæ ſancti Benedicti præpoſitus; dehinc a Friderico Romano pontifice electo Romam menſe Auguſto cum duodecim fratribus nominatim vocatus, cum illic in febrim incidiſſet, Caſinum poſt quatuor circiter menſes revertit: ubi, præſente, ut jam diximus, pontifice, abbas electus eſt. Ejus electionem Stephanus IX. (id Friderico pontifici nomen) confirmavit, teſtatus, nullum ex multis religioſis ac ſpiritualibus, qui illic aderant, viris ad id muneris magis idoneum eſſe. Etſi porro Stephanus abbatiam retinere toto vitæ ſuæ tempore induxiſſet animum; ſtatuit nihilo minus, ut, ſi Deſiderius, quem Conſtantinopolim legatum mittere decreverat, ſe ſuperſtite reverteretur, abbatia illi cederet: ſi poſt obitum ſuum, ille ab univerſa congregatione abbas agnoſceretur.

V. Bellum Vindocinenſe.

In Gallia tunc temporis acre bellum erat inter Theobaldum Bleſenſem, & Gaufridum Andecavorum comites, uti nos docet charta Vindocinenſis archivi, in qua legitur, in illa *guerra*, ut loquuntur, quæ inter comitem Gaufridum, comitemque Tetbaldum diu duravit, multos neceſſitate & alimentorum inopia compulſos « ſua patrimonia vendidiſſe; duoſque ex ſervis Gaufridi, ob egeſtatem ad Bleſenſem « confugiſſe: poſtea vero a Vindocinenſibus captos, tempore Fulconis comitis ocu- « lis orbatos, demum ſe ſuaque, apud Hulſedum ſita, conſenſu Gaufridi & Fulco- « nis comitum monaſterio Vindocinenſi contuliſſe anno M LVIII. poſt natalem Do- « mini. Anno vero præcedente, cum Heinricus Francorum rex ad urbem Ande- «

S. Nicolai fundatio confirmata.

ANN. CHR. 1057. a *Epitome S. Nic. p. 9.*

gavam descendisset, fundationem confirmavit suburbani sancti Nicolai [a] monasterii, a Fulcone comite olim inchoati, & absoluti a Gaufrido ejus filio, cujus rogatu rex hoc privilegium concessit. *Actum apud Andegavam civitatem publice, anno ab incarnatione Verbi divini* M LVII. *indictione* X. *kalendis Martii, in monasterio sancti Albini, anno quoque regni Heinrici regis* XXVI. & quidem Aderaldo seu Arraldo abbate, cujus tempore Gaufridus comes eidem monasterio portionem de sancti Nicolai episcopi reliquiis, quas *Hainricus Alamanniæ imperator ob præclaram strenuitatis ejus famam, & servitia multa ab eo sibi honeste impensa, inter alia munera* ipsi dederat, concessit, ut scribit Johelus, sancti Petri ad Culturam apud Cenomannos monachus, in libello de miraculis sancti Nicolai, quem Natali abbati undecimo sæculo exeunte nuncupavit. Per id temporis Gaufridus comes jus [b] naviculæ absque portorio per Ligerim & Meduanam ad transportanda monachis sancti Nicolai necessaria concessit: cujus concessionis testes sunt Grecia comitissa, duoque ejus filii, Giraldus & Reginaldus, & alii. Grecia Gaufridi secunda uxor erat, ut jam diximus, Berlaïo primum nupta, quam Gaufridus, dimissa priori conjuge Agnete, sibi copulaverat.

b *ibid. p.* 14.

VI. Haimonis homiliarium carissime emtum.

De hoc divortio fit mentio in quadam epistola cujusdam monachi ad Odericum abbatem, qui monachum illum de homiliario percontatus fuerat. Hæc epistola, tametsi in speciem non magni momenti, hic referenda videtur, ex qua nimirum intelligitur, quanti tunc temporis constarent libri, quantique hoc homiliarium haberetur, sic autem habet illa epistola.

Domno suo abbati O. frater R. orationes in Christo. Pater carissime, scire vos volumus, quod codicem, de quo audivistis, pretio magno a Martino, qui est modo præsul, comitissa emit. Una vice libri causa centum oves illi dedit: altera vice causa ipsius libri unum modium frumenti, & alterum sigalis, & tertium de milio. Iterum hac eadem causa centum oves: altera vice quasdam pelles martirinas. Cumque separavit se a comite, quatuor libratas, ovium emendi causa, ab illa accepit. Postquam autem requisivit denarios, ille conqueri cœpit de libro. Illa statim dimisit illi, quod sibi debebat.

Martinus ille præsul capellanus fuerat Gaufridi comitis & Agnetis, postmodum episcopus Trecorensis, ut superius vidimus ex quadam charta eorumdem, quam *scripsit Martinus, tunc capellanus, postea Treguerensis episcopus.*

S. Albino Duristalli ecclesiæ datæ. * *Durtal.* c *Menage Sablé p. 225.*

Alia fuit Agnes, uxor primum Hucberti militis de Duristallo, postea Rainaldi militis, quæ *fragilitates primi viri* sui redimere cupiens, ut jam dixi, ecclesias Duristalli * apud Andecavos, unam parochialem, alteram canonicalem, & quædam alia monachis sancti Albini tradidit pro anima [c] Hucberti viri sui, quem iidem monachi honorificentissime sepelierant. Id factum nutu & auctoritate comitis Gaufridi & Eusebii episcopi Andegavensis, cum voluntate & assensu secundi mariti sui Rainaldi, necnon filiorum suorum Gaufridi & Hucberti, quos ex priori matrimonio genuerat. Annuere Guillelmus de Monte-sorello, de cujus casamento erant res donatæ; & Hugo ipsius Agnetis pater, de Campania dictus. Testes Gaufridus comes, Ivo episcopus Sagiensis, & alii. Has porro ecclesias Hucbertus ipse, adhuc vivens, Theoderico sancti Albini abbati prius se daturum promiserat, si canonicos, non canonice illic viventes, inde extrudere posset. Ejusdem Agnetis ex secundo marito filia erat Hersendis, prima præposita Fontis-Ebraldi.

VII. Gurloësius abbas obit. d *lib. 56. n. 62.* e *Balux. miscell. to. 1. p. 522.* f *ibid. p. 523.*

In superioribus [d] actum est de origine Kemperlegiensis in Armorica monasterii, cujus primus abbas Gurloësius, vir sanctus, hoc anno decessisse memoratur, postquam annis viginti-quinque monasterium rexisset. Ejus obitus in chronico [e] ejusdem loci consignatur ad annum M LVII. his verbis: *Transitus sancti Guorloësii abbatis monasterii sanctæ Crucis Kemperlegiensis.* Post annos sexdecim corpus [f] e tumulo levatum est, curante Benedicto abbate, Hoëlis comitis fratre, qui Gurloësii canonizationem ab Urbano II. efflagitavit, ut suo loco videbimus. Sancti Gurloësii cultus in Armoricanis ecclesiis receptus est, maxime in Kemperlegiensi monasterio, ubi ejus tumulus a terra eminens in sacello peculiari cernitur: reliquiæ vero in theca asservantur. Biennio ante eum e vita migraverat Elisæus abbas cœnobii *sancti Guengaloëi* [g] seu Winwaloëi, id est Landvenecensis, cui Rilla abbas suffectus est ad usque annum M LXXXV. quo vivere desiit. Ad Gurloësii successores quod attinet, proximus ejus successor fuit Johannes, quem sanctum vocat Gur-

Landvenecenses & Kemperlegii abbates. g *ibid.*

hedenus ejusdem loci sæculo XI. monachus, qui regiminis annos duodecim ei tribuit. Post hunc Vitalis abbas ad novem annos: cui successit Vingomarus, seu, ut alii legunt, Jungomarius ad tres annos: quem excepit Benedictus ex monacho Landvenecensi per annos quinquaginta-duos, qui factus postmodum episcopus Namnetensis, abbatiam simul cum episcopatu retinuit. De Kemperlegiensibus & Rothonensibus abbatibus legendum scriptum Gurhedeni monachi, referendum in Appendice tomi quinti.

ANN. CHR. 1057.

VIII. Theodericus abbas Uticensis Jerusalem pergit.

Non diu tenuit apud Uticenses pax & concordia, quam Maurilius Rotomagensis archipræsul una cum Hugone Lexoviensi episcopo, Ansfrido Pratellensi abbate & Lanfranco anno superiori reformaverat. nam Rodbertus prior, ut erat turbulenti & procacis ingenii, Theodericum abbatem exagitare, fratrumque animos perturbare perseveravit. Quapropter videns piissimus abbas se nihil proficere sive apud Uticum, sive apud Sagium, ubi cellam sancti Martini exstruere cœperat; sepulcrum Domini pro more illorum temporum adire decrevit. Itaque ex urbe Sagio Uticum IV. kal. Septembris reversus, consilium hac de re suum fratribus exposuit, atque, impertita omnibus absolutione & benedictione, eos Deo commendavit. Inde Lexovium petiit, & Hugoni episcopo, cui acceptissimus erat, pastoralem curam resignavit. Mox iter illud aggreditur, comitantibus Herberto Uticensi monacho, & Willelmo, cognomine Bona-anima: quibus quidam Bajoariæ episcopus se adjunxit. Cum ad Cyprum insulam perveniissent, excepto Herberto, qui Laodiciæ remanserat, sancti Nicolai abbatiam, quæ in litore maris posita erat, adiere; ubi, oratione facta cum alii recessissent, solus in ecclesia remansit Theodericus, ibique mortuus est anno sequenti.

IX. Lescelinæ comitissæ obitus.

Obiit hoc anno vel insequenti Lescelina comitissa, Willelmi Augensis conjux, quæ, viro suo mortuo, Divense sanctæ Mariæ cœnobium exstruxerat: ubi honorifice sepulta est, appositoque a posteris ad ejus tumulum hoc epitaphio: *Hic jacet illustris & potens domina Lescelina, quondam sancti Petri supra Divam comitissa, hujusce venerabilis monasterii fundatrix devotissima, quæ obiit anno Domini* M LVII. *Ejus animæ det solamen cæli conditor, amen.* In necrologio monasterii notatur ejus obitus VII. kal. Februarii, qui pro duplici calculo ad annum M LVII. vel insequentem referri potest. Eidem comitissæ superstes fuit Ainardus primus illius loci abbas.

X. Heinrici diploma pro S. Maria Suessionensi.

Suessionicam urbem obsidebat tunc temporis Heinricus rex Francorum, seditiosos debellaturus, qui multas vexationes ecclesiis & incolis inferebant. Id vero discimus ex diplomate ab eodem rege concesso beatæ Mariæ Suessionensi parthenoni, cui tunc Ermengardis de Mortuo-mari, filia Gaufridi de Acëio, præsidebat. Jam quintus annus erat, ex quo illius urbis ecclesiam regebat Heddo episcopus, qui rogatu Ermengardis abbatissæ sex altaria seu parochias rusticanas eidem parthenoni impertiit, ita ut, mortuo earum rectore vel deposito, successori a sanctimonialibus nominato episcopus *personaticum* seu locum vacantem gratis & absque ulla pecunia traderet: idque a rege confirmari curavit in ecclesia sancti Michaëlis, dominica quinta post pascha. Actum V. nonas Maii Suessionis, anno incarnati Verbi M LVII. Heinrici regis anno XXVII. episcopatus autem Heddonis anno quinto, *mortuis eodem anno Rainaldo comite, & ejus filio Widone, & obsessa turre Suessionensi ab Henrico rege.* Id factum ab Heddone episcopo in præsentia coëpiscoporum suorum, Balduini scilicet Noviomensis, & Elinandi Laudunensis, atque Gerardi abbatis sancti Medardi, & multorum clericorum & monachorum; necnon Roberti filii comitis Ingelramni, Hugonis pincernæ regum, Balduini fratris ejusdem, Gosfridi comitis de Britannia, Valterii pincernæ regis, & aliorum, qui signa sua his litteris apposuerunt, editis ad calcem historiæ beatæ Mariæ Suessionensis. Non diu supervixit Ermengardis abbatissa, cujus obitus signatur XII. kal. Junii. Huic successit Ogiva, de qua inferius. Gerardus sancti Medardi abbas, hic laudatus, suffectus erat in locum Rainaldi abbatis paullo ante [a] exauctorati; idemque coronationi Philippi primi post biennium interfuit.

a *V. lib. 59. n. 67.*

XI. Walcranno abbati montis S. Q. succedit Godefridus. b *V. lib. 58. n. 100.*

Hic annus supremus fuit Waleranni [b] abbatis Montis-sancti-Quintini prope Peronam, eo nomine secundi, qui Romam pergens, in itinere obiit, & in Romano sepultus est monasterio, eo scilicet, quod sanctus Romanus, Lupicini frater, in pago Waldensi, diœcesi Aventicensi seu Lausanensi, olim exstruxerat. De hoc Wale-

ranno ita rubeis ſcriptum litteris in necrologio legitur kalendis Decembris : *Obiit domnus abbas Walerannus, hujus eccleſiæ ſapientiſſimus ordinator, & a fundamentis ædificator. Ordinatus eſt milleſimo quadrageſimo Chriſti anno,* v. *idus Februarii : qui, dum Romam peteret, obiit, & apud Romanum monaſterium ſepelitur anno ſuæ prælationis decimo-octavo.* tum additur :

ANN. CHR. 1057.

Tertius hic intus abbas fuit hic Gualerannus.

Ei ſucceſſit vir pius Godefridus, ſancti Agerici apud Virdunum monachus, & morum integritate, & generis nobilitate clarus, patruus Idæ, filiæ Alberti nobilis comitis Namucenſis, quæ Euſtachio Bolonienſi comiti nupta, Godefridum & Balduinum, itineris Jeroſolymitani duces, procreavit, ut Nicolaus [a] monachus tradit in libro primo de vita ſancti Godefridi Ambianenſis epiſcopi : quem ejus parentibus Godefridus abbas precibus ſuis apud Deum obtinuit, eique ſacro fonte abluto nomen ſuum impoſuit, & monaſticæ vitæ rudimenta tradidit. Ea tempeſtate ſancti Quintini-de-Monte cœnobium religione quam maxime florebat, in primis Godefrido abbate, cujus tempore monachorum cœtus merito & numero valde auctus eſt, teſte [b] eodem Nicolao. Inter omnes ille optimus pater, quodam modo ſuæ dignitatis oblitus, ſe ut minimum omnium exhibebat, eos admonere ſolitus, ut ſæpe in memoriam revocarent, cujus rei cauſa ad monaſterium veniſſent, quo tenderent, & qua irent. Ad hæc ut nihil peculii retinerent, voluntatem propriam frangerent ; puritati cordis, oris veritati, corporis munditiæ ſemper ſtuderent ; denique ut caritatis vinculo colligati, adverſus dæmonis inſidias & artes conjunctis viribus ſtrenue decertarent. Ægrotos incredibili animi commiſeratione proſequebatur, ita ut propemodum eadem cum illis pati videretur. Eorum ſalutis & ſanitatis inſtaurandæ cauſa nullis parcebat ſumtibus, immo nec ſibi ipſi, ubi exigeret neceſſitas. Denique omnibus omnia factus erat, ut omnes Chriſto lucrifaceret. Nihilo minus tamen ut bonis benignum, ita improbis ſeverum & rigidum ſe exhibebat. Noverat enim quid naturæ, quid vitiis deberetur.

[a] *Nicol. lib. 1. c. 2.*

[b] *ibid. c. 22.*

ANN. CHR. 1058.

XII. Stephanus papa Caſino theſaurum reſtituit.

CUm Stephanus papa Romam reverſus eſſet, Caſinenſi præpoſito [c] mandavit, ut ad ſe univerſum illius eccleſiæ theſaurum ipſe deferret, pollicitus, ſe longe plura & potiora illuc remiſſurum. Hoc mandato mæſti Caſinates, viſo cujuſdam bonæ converſationis novitii, Leonis nomine, tantiſper recreati ſunt, qui, cum poſt nocturnam ſynaxim orandi gratia in eccleſia reſtitiſſet, ſomno correptus, ſibi viſus eſt quemdam venerabili canitie monachum, (ſanctus Benedictus is erat) qui theſauri reſtitutionem brevi faciendam prænuntiavit. quod novitius ille, *accepta a priore loquendi licentia*, fratribus retulit. Mox obtemperatum pontifici, & ad eum theſaurus Romam perlatus : qui, audita novitii viſione, theſaurum Caſinatibus reſtitui juſſit, una excepta icone, quam ipſe Conſtantinopoli attulerat.

[c] *Chron. Caſin. lib. 3. c. 99.*

XIII. Florentiæ moritur.

Poſt hæc Stephanus, antequam Roma diſcederet, Florentiam profecturus, quaſi mortem proximam præſagiret, epiſcopos, clerum, populumque convocavit, eiſque ſub gravi interminatione præcepit, ut, ſi antequam Hildebrandus ab imperatrice legatus rediret, ſe mori contingeret, in ejus uſque adventum comitia differrentur, atque ex ejus demum conſilio eccleſia ordinaretur. Dehinc in Tuſciam pergens, non multo poſt Florentiæ ſubito languore correptus occubuit IV. kal. Aprilis, ubi honorifice ſepultus eſt in eccleſia cathedrali, non Luccæ, ut fallit Hugo Flaviniacenſis ; ejuſque ſepulcrum multis miraculorum ſignis illuſtratum fuiſſe tradunt Leo & Lambertus Scafnaburgenſis. Morienti adfuit Hugo Cluniacenſis abbas, cujus præſentia dæmonis infeſtationes repreſſit ; idemque furius ejus curavit. Paullo ante obitum pontifex Johannem Gualbertum Vallumbroſæ abbatem ad ſe accerſierat ; qui cum adverſam valetudinem obtendiſſet, quaſi id modeſtiæ cauſa faceret, denuo vocatus, oborta ſubito tempeſtate cum multo imbre, in ſua ſolitudine remanere permiſſus eſt.

[d] *ibid. c. 100.*

XIV. Turbæ in electione ſucceſſoris.

Stephani morte comperta, extemplo comitia, contra quam ei promiſſum fuerat, ſucceſſori ſubrogando habita ; & Tuſculanorum comitum factione intruſus Johannes epiſcopus Veliternus, Benedictus Decimus vocatus, epiſcopis & cardinalibus reclamantibus, in primis Petro-Damiani, quem Stephanus paullo ante obitum ex eremo

eremo abſtractum, Oſtienſem epiſcopum invitum creaverat ; & Humberto Silvæcandidæ epiſcopo, qui nequaquam Romæ remorandum ratus, cum Petro Tuſculano Beneventum iter arripuit, paſcha illic celebraturus. quod tamen Caſini, a fratribus invitatus, celebravit. Inter ea Hildebrandus in Italiam reverſus, ubi comitia contra Stephani decretum ſe inconſulto habita comperit, Florentiæ ſubſtitit, & facto per nuntios ac litteras acriter reprehenſo, Romanorum per eoſdem voluntatem ac judicium exploravit. Ubi vero comitiis pecuniam & vim interfuiſſe cognovit, legitimum pontificem adulterino quam primum opponendum eſſe non dubitavit. Itaque, annuente ipſo etiam Godefrido duce, Gerardum Burgundionem tertio nonas Januarias anni inſequentis epiſcopum Florentinum nominavit, eumdemque non multo poſt Romanum pontificem ſub Nicolai ſecundi nomine eligendum curavit.

[a] ANN. CHR. 1058.

XV. Deſiderius abbas Caſinenſis confirmatur.

Interim Deſiderius, Caſinenſis abbas deſignatus, injunctam ſibi aliiſque a Stephano papa legationem [a] ad regiam urbem exſecuturus, tempus navigationi aptum apud Barim opperiebatur : cum nuntium de morte pontificis per ſuos Caſinates, ipſo Palmarum die accepit. Itaque, ſalvo conductu a Rotberto Wiſcardo, Nortmannorum in Apulia duce, impetrato, ſalvus & incolumis ſabbato-ſancto ſub veſperam cum ſociis ſuis, Stephano cardinale & Mainardo, ad opidum ſancti Germani pervenit, & prima luce ſequentis paſchalis ſollemnitatis ad monaſterium aſcendit, ubi Humbertum Silvæ-candidæ & Petrum Tuſculi epiſcopos, uti diximus, remoratos invenit. Omnibus in capitulum fratrum ingreſſis, poſt feſtivum de tanta ſollemnitate ſermonem Humbertus, factæ olim electionis optime conſcius, Deſiderium advocat, eique ab omnibus fratribus, prout a Stephano papa ſuperiori anno præceptum fuerat, obedientiam exhiberi curat. quod omnes propenſis animis præſtitere : moxque Deſiderium in eccleſiam deportatum in ſede abbatiali, univerſis applaudentibus, collocarunt. Inſtitutus itaque abbas Deſiderius quot & quanta in Caſinenſi monaſterio præſtiterit, in conſequentibus, ſaltem ex aliqua parte, referemus.

[a] *ibid. lib. 3. c. 10.*

XVI. Petri Damiani monita ad cardinales.

Inter ea Petrus Damiani, qui ex eremo ſua a Stephano papa per vim abſtractus, & ſub pœna excommunicationis, ſi reſiſtere pergeret, epiſcopus Oſtienſis creatus fuerat, graves ad ſuos collegas ſcripſit litteras, quibus eos ad reformandos, cum ſuos ipſorum, tum univerſæ eccleſiæ mores adhortabatur. In hac epiſtola, quæ [b] venerabilibus ac ſanctis epiſcopis Lateranenſis eccleſiæ cardinalibus, Romani ſcilicet pontificis ſuffraganeis, inſcripta eſt, quales fuerint ſæculi ſui mores deſcribit his verbis. *Videtis itaque, dilectiſſimi, quia totus mundus pronus in malum per lubrica vitiorum in præceps ruit ; & quanto fini ſuo jam jam vicinus appropinquat, tanto graviorum ſuper ſe quotidie criminum moles exaggerat. Eccleſiaſtici ſiquidem genii ubique pæne diſciplina negligitur : debita ſacerdotibus reverentia non præbetur : canonicæ ſanctionis inſtituta calcantur : & ſoli terrenæ [cupiditati] inhianter explendæ, digna Deo cura, ſervitur. In federandis porro conjugiis legitimus ordo confunditur, &, ô nefas ! ab eis in veritate judaïce vivitur, qui ſuperficie tenus chriſtiano vocabulo palliantur.* Et infra : *Jam dudum plane virtutum ſtudiis repudium dedimus, omniumque perverſitatum peſtes, velut impetu facto, fraliter emerſerunt.* In conſequentibus ſimoniacos in primis exagitat, refellitque eorum excuſationem, qui ſe ſola obſequia, non pecuniam *pro ſuſcipiendis honoribus* impendiſſe aiebant. *Sed dic mihi*, inquit, *ô clerice quiſquis es, ſi redemto quolibet aureo vaſe, vel prædio, diſtractor exigeret, ut, retenti apud te vice pretii, hujuſmodi ſibi ſedulitatis impendium exhiberes ; numquid non poſtmodum conſtanter aſſereres, te, quod acceptum eſt, juſto pretio comparaſſe ? non videlicet quia pecuniam perſolviſti, ſed quia ſervitium præbuiſti. Nequaquam ergo ſibi innocentiam ſpondeant, & a ſimoniacæ hæreſeos maculis ſe mundos eſſe confidant, qui licet metalla vibrantia non appendunt, pretium tamen pro ſuſcipiendis honoribus per ſubjectionis & obſequii quædam quaſi talenta perſolvunt.* Hæc & plura alia Petrus ad ſeptem epiſcopos cardinales eccleſiæ Lateranenſis.

[b] *Petr. Dam. lib. 2. ep. 1.*

XVII. Ad Deſiderium Caſini abbatem.

Idem ſaluberrimis inſtruit monitis Deſiderium Caſinenſem abbatem, quem recens inſtitutum pungit [c] ac ſtimulat ad munus ſtrenue & gnaviter exſequendum. In primis eum monet, ut ſua ipſius errata ſemper ob oculos habeat, virtutes poſt tergum ; ut non diſſimulet ſubditorum culpas, ſed, mox ut emerſerint, adhibeat diſciplinam : abſentibus numquam detrahat, ſed eos in faciem, prout res poſtula-

[c] *id. ibid. ep. 11.*

„ verit, objurget. Amet jejunium ; ſacrificii ſalutaris hoſtiam frequenter offerat : ut
AN. CHR. „ dum ora ejus dæmon perſpexerit Chriſti cruore rubentia, territus contremiſcat, ac
1058. „ præſto diffugiat. In alia epiſtola [a] eumdem hortatur, ut *præſtantiſſimi monaſterii* ſibi
[a] *ibid. ep.* 12. „ commiſſi curam indefeſſe gerat : aſſentationes fugiat ; orationi & contemplationi
Euchariſtiæ „ duo miracula, „ vacare ſtudeat. Idem Petrus [b] miracula duo in ſacroſancto miſſæ ſacrificio facta
[b] *id. opuſc.* 34. *initio.* commemorat : unum de muliere zelotypa, in cujus manu particula dominici corporis media ex parte in carnem converſa viſa eſt : alterum, quod piæ recordationis Amalfitanus epiſcopus Stephano Romano pontifici, ipſo Petro præſente, retulit de ſe ipſo, quod cum aliquando inter ſacrificandum de veritate dominici corporis hæſitaret, *in ipſa confractione ſalutaris hoſtiæ rubra prorſus ac perfecta caro inter ejus manus apparuit, ita ut digitos illius cruentaret ; ſicque ſacerdoti omnem ſcrupulum dubietatis auferret.* Eumdem Deſiderium *archangelum monachorum* vocat in aliis epiſtolis ſeu
[c] *id. opuſc.* 33. opuſculis, quæ ei nuncupavit. Unum eſt [c] de utilitate ſuffragiorum pro mortuis : in cujus præfatione ait, Deſiderium abbatem ipſi comminatum fuiſſe, ni quantocius Caſinum veniret, eum ſuis, ſuorumque ſuffragiis poſt mortem privatum iri. Ad hoc timere ſe ait Petrus, ne Caſinum adeundo, morte interceptus extra monaſterium moreretur. Eum tamen iſtuc poſtea profectum fuiſſe inferius videbimus. In hoc opuſculo mentionem facit Petrus fratris ſui Damiani, ex archipreſbytero facti monachi ; necnon Marini alterius ejus fratris, qui aliquando, *depoſitis nudatus exuviis*, corrigia collo injecta, altari ſe beatæ Dei genitricis, velut ſervile mancipium, tradidit ; moxque ſe, quaſi ſervum malum, & violatæ caſtitatis reum, verberibus affici fecit ; inſuperque quamdam pecuniæ ſummam in altaris crepidine poſuit, ut Deiparam ſibi propitiam redderet. In ſequenti ad eumdem opuſculo notantur duo monachi, qui completorium in lecto recitaverant, ubi laudatur non ſemel Adraldus abbas Bremetenſis. In alio ad eumdem opuſculo
[d] *id. opuſc.* 35. [d] cauſam affert Petrus, cur ſanctus Paulus ad dexteram, ſanctus Petrus ad ſiniſtram pingi ſolitus ſit. De ſequenti opuſculo alias.

XVIII. S. Nicaſii abbatia Remis. Apud Remos in Gallia inſignis eſt ſancti Nicaſii baſilica, quam hoc tempore Gervaſius pontifex, a Cenomannenſi ad Remenſem eccleſiam paullo ante tranſlatus, in monaſterium convertit. Hæc, extra muros urbis olim poſita, primitus auctorem habuit Jovinum, Romanæ militiæ ſub Conſtantini M. filiis præfectum, qui eam ſanctis martyribus Agricolæ & Vitali nuncupavit. Is eſt Jovinus, cujus præclarum monumentum ibidem etiam nunc viſitur. Sepulti ſunt in eadem baſilica ſex Remorum archiepiſcopi ſanctitate conſpicui, ſcilicet Aper, Maternianus, Donatianus, Viventius, Severus, & Nicaſius martyr, qui nomen poſtmodum baſilicæ dedit. Eccleſiam *Jovinianam* vocat beatus Remigius in ſuo teſtamento, eique ſolidos tres legat. Abbatiam dixere poſteri, cui miniſtrabant aliquot clerici ſæculares : at proceſſu temporis hæc a primigenio ſtatu & ſplendore ita deflexerat, ut ruinæ proxima videretur, cum Gervaſius thronum Remenſis eccleſiæ conſcendit. Hic ſuburbanas luſtrans eccleſias, celebris baſilicæ imminentem caſum miſeratus, ejus ſarta-tecta inſtaurare, &, ſicubi corruerat, a fundamentis reſtruere cœpit anno M LVI. ut habet vetus codex, idque demum feliciter perfecit, ſancti Nicaſii reliquiis ex urbe Tornaco poſtliminio relatis, & in nova baſilica repoſitis, quam v. kal. Octobris in honorem ſanctorum Agricolæ & Nicaſii dedicavit. Principio illic quoſdam clericos collocaſſe dicitur, quos paullo poſt in ſancti Dionyſii eccleſiam, ab ſe ſimiliter inſtauratam, tranſtulerit. At breviſſimo tempore clericos illic exſtitiſſe „ conſtat ex diplomate Philippi primi, dato anno M LXVI. in quo Gervaſius refecto„ rium, dormitorium, & cetera habitacula, ſervorum Dei uſibus neceſſaria, illi ec„ cleſiæ ſuperaddidiſſe dicitur, *fratreſque, ſub abbate & regula ſancti Benedicti Do„ mino militantes*, ibidem congregaſſe, & congruis reditibus dotaſſe. Quinam vero loci illius primi rectores fuerint, poſtea inquiremus. Non ingratum lectori fore puto, ſi hoc loco Joviniani monumenti iconem appoſuero, præmiſſo ectypo arcæ lapideæ, ſuper tumulum ſancti Nicaſii quatuor columnis in pronao antiquitus impoſitæ ad continendas ſancti Nicaſii, ejuſque ſociorum reliquias : cujus antica pars, quam hic exhibemus, antiquam ſculpturam præfert, poſtica recentiorem.

neroſa propago ſuperbum non reddebat ; dein Amandus & Haimericus, quem Teudulfus compatriotam ſuum dicit. De Odone dubitat, utrum inter pueros numerandus ſit, an inter juvenes. Omnes vero ad caſtitatem ſtudioſe ſervandam hortatur ; ac demum ita concludit. ANN. CHR. 1058. LXV.

O Foſſatenſes, ſint vobis mille ſalutes.
Hos vobis verſus ego veſter mitto Teulfus ;
Hos mitto vobis in veri fœdus amoris

XXI. Bellum cum Normanis, * *Tilliers.* * *l'Aure.* Ad hunc etiam annum perſeverabat bellum inter Heinricum Francorum regem, & Willelmum ducem Nortmannorum, cujus caſtrum Tanerias (ſic enim habet vetus codex) hoc ipſo anno rex obſedit. Editi habent *Tillerias* *. quod caſtrum ſitum eſt ad Arvam * fluvium, in Franciæ Nortmanniæque confinio, comitivivæ titulo inſigne, quod jam ante Heinricus ſibi dedi, ac everti juſſerat, ſed Willelmus denuo reſtauraverat. In ea obſidione conſtitutum regem juſſu Adraldi abbatis adiere duo [a] Pratenſes monachi, rogaturi, ut ſibi Drocarum * eccleſia, ſancto Martino ſacra, ad ſupplementum victus concederetur. quod caſtrum eſt in finibus Carnutenis. Petentibus annuit rex, conceſſitque eccleſiam prædicti caſtri *cum omnibus conſuetudinibus & juſtitiis illius terræ*, quæ regii juris erant, in perpetuum poſſidendam, cum prato, quod vulgo Pratum-epiſcopi vocitabatur. *Actum publice in obſidione caſtri, quod vocatur Tanerias, regnante Heinrico, anno* XXIX *. regni ejus.* Poſt regem appoſita ſunt ſigna Imberti præſulis, Adeverti, (ſic vetus codex) Mainardi, & Fulconis itidem præſulum, Theobaudi, Radulfi, Rotoldi, Willelmi, & Galeranni comitum, Ingenulfi pincernæ, & aliorum. *Actum anno dominicæ incarnationis* M LVIII. In illa ſancti Martini Drocenſi eccleſia facta eſt cella monaſterii Pratenſis, nunc fere ad nihilum redacta. S. Germano Drocarum eccleſia data. * *Dreux.* [a] *Hiſt. Pariſ. to. 1. p. 656.* * *f.* XXVII. *vel* XXVIII.

XXII. Fiſcamni ordinationes factæ. Tunc id contigiſſe puto, quod in quodam codice cellæ ſancti Gabrielis Fiſcamno ſubjectæ legimus, duos epiſcopos, ſcilicet Letzelinum Pariſienſem, & Fulconem Ambianenſem, ab Heinrico rege miſſos fuiſſe ad Willelmum tunc comitem, poſtea ad pacem inter eos componendam. *Tuncque in ipſo ſacratiſſimæ reſurrectionis* [illegible] *dictus Letzelinus epiſcopus, volente & petente Johanne abbate Fiſcamni, pu*[illegible] *fecit, atque inter ſacra miſſarum ſollemnia quoſdam ex monachis presby*[illegible] *Et forte tunc Maurilius archiepiſcopus aberat : neque tamen ſuper his* [illegible] *nuſitus fuerat.* Conſimilia ordinationum ibidem factarum exempla [illegible] codice retulimus. Idem eſt hic Letzelinus epiſcopus cum Im[illegible] emiſſis litteris cum Fulcone Ambianenſi ſubſcripſit, Hezelinus, [illegible] us [b] alias dictus, ut jam in ſuperioribus vidimus. In prædicto [illegible] ilii diebus Willelmus Ebroïcenſis epiſcopus Fiſcamnum [illegible] Johanne abbate invitatus, & in ipſo paſchali ſabbato [illegible] feciſſe, inter quos ordinati fuerunt Hugo, poſtea prior [illegible] edus ſanctæ Mariæ de Vatto. Tempore vero Johan[illegible] n Ebroïcas miſſi dicuntur a Johanne abbate mona[illegible] pus, inconſulto Rotomagenſi archiepiſcopo ordi[illegible] rpus ſancti Taurini Ebroïcenſis epiſcopi Fiſcam- [b] *ibid. p.* 642.

XXIII. Theodericus Uticenſis abbas obit. [illegible] Uticenſis abbas Jeroſolymitanum iter aggreſ[illegible] veniſſet, ibique in litore maris ſancti Nico[illegible] veniſſet ; in ejus eccleſiam ingreſſus, fer[illegible] vacavit. tumque ſenio ac tædio maris, [illegible] ia reſedit. Cauſam rei percontanti epiſ[illegible] p, reſpondit, terreſtrem Jeruſalem ſe [illegible] ſecus ordinante, ut certe corporis [illegible] m brevi ſibi adeundam. Ad hæc [illegible] , dum illic tantiſper quieſceret. [illegible] s, Theodericus ad altare acce[illegible] honeſte compoſitis, reclinato [illegible] uſti feliciter obdormivit in [illegible] olvit, eique ſepulturam [c] *ſup. n.* 7.

Inde
dit, ibi
capite ſupe
Domino. Pra.

ante portas ecclesiæ parari jussit. Verum cum corpus eo deferre voluerunt, illud ita aggravatum est, ut a loco, ubi obierat, moveri non potuerit. quod nutu Dei factum ratus episcopus ad manifestandam viri Dei sanctitatem, sepulcrum ei juxta altare aperiri præcepit: nulloque negotio cadaver eo illatum est. Illic multi, febribus, aliisque incommodis divexati, sanitatem recepisse memorantur. Ejus epitaphium Ordericus Uticensis monachus composuit, in quo ait, Theodericum annis tricenis monasticæ vitæ rigorem toleravisse, octo annis patris seu abbatis gessisse officium, complura volumina propria manu scripsisse; ac demum, cum Jerosolymam pergeret, in Cypro insula vitæ finem tumulumque recepisse. Legimus anonymi monachi rythmum de eo lugubrem, in quo nihil observatu dignum deprehenditur.

ANN. CHR. 1058.

Rodulfus item S. Michaëlis abbas.

In eodem itinere Radulfus seu Rodulfus abbas sancti-Michaëlis-de-Monte Jerosolymis obiisse dicitur XII. kal. Augusti, dum reditum in patriam pararet, ibique in porticu ecclesiæ sepultus fuisse. Ei post biennium suffectus Ranulfus, qui eo absente monasterium rexerat.

XXIV. Vindocino factæ donationes.

Post mortem Willelmi Aquitaniæ ducis & Pictavorum comitis, eo nomine sexti, successit in fratris honores Guido, tunc primum dictus Gaufridus, qui cum matre sua Agnete Vindocinensibus donavit, quidquid juris in terra Avalliæ habebat. Sic enim legimus in veteri notitia monasterii. *Comes Pictavis Guido, primum tunc temporis dictus Gaufridus, & ejus mater comitissa Agnes, dederunt sanctæ Trinitati, quidquid juris vel consuetudinis habebant in terra Avalliæ. Unde testes sunt Gaufridus de Leziaco*, &c. Alii alia in eodem loco Vindocinensibus contulere. Non prætermittenda una, tametsi minoris momenti, donatio, hoc anno eisdem facta ab Archimbaldo Vindocini præposito, scilicet cujusdam *masuræ*, ut vocant, proximæ rivo aquæ, quæ vulgo *Coturnosa* vocatur. quæ donatio *primum facta est in locutorio, quod est juxta præscriptorum capitulum monachorum*: unde ipse Archimbaldus donum ab se factum *super altare sanctæ Trinitatis portavit, præsentibus fidelibus personis, Landrico scilicet ipsius Archimbaldi milite, & domno abbate Odrico, cum domno Vitali monacho. Secundo autem fecit hanc ipsam donationem jam dictus Archimbaldus in curia Fulconis Vindocinensis comitis, in Galliis regnante Heinrico, Roberti regis filio, an regni sui* XXVII. *& Gaufrido Fulconis filio Andegavensibus præsidente, Guillelmo Pictavorum comite noviter defuncto, fratreque suo Guidone, jam in comitatu [illegible]*

a *Besly comtes. p.* 441.

Idem Guido Burgulienſi [a] monasterio injustas quasdam consuetudines re
ipsius frater quibusdam illius monasterii villis imposuerat. Ejus litteris
signa ipsius Widonis, Agnetis comitissæ suæ matris, Mathildæ cor
Isemberti episcopi Pictavensis, Gauderamni Malliacensis abbatis
batis Burgulienſis.

XXV. Emma vicecomitissa sepulta apud S. Sergium.

In veteri codice Sergiano Emma Cenomannensium vicecor
comitis conjux, neptis Hucberti Andecavensis quondam epi
die idus Septembris obiisse dicitur, atque apud Andecav
rum Sergii & Bacchi per domnum Gervasium Cenomanr
rabilem religiosumque virum domnum Fredericum, ab
rentii Salmurensis, & domnum Wlgrinum abbatem
pum Cenomannensem, sepulta fuisse ob amorem
Adebergæ, qui & ipsi in cœmeterio prædicti mona
Et ita quidem legitur in veteri codice Sergiano, at
locum, siquidem ante annos ferme tres Gervasi
rat, Wlgrinus vero ad Cenomannensem. Ar
nendus sit, aliis examinandum relinquo. Rad
pultura conjugis suæ dimidiam curtem & di
Metallico, quam Rainaldus episcopus o
Eusebii episcopi restituisse traditur, testi
lardo de Castro-Gunterii, Tescelino d

[b] *Martene Miscell. to.* 1. *part.* 2. *p.* 27.

XXVI. S. Lewinæ translatio Bergas.

Ad res Belgicas quod attinet, s
insula Britannia, & quidem ex qu
Winnoci monasterium a Balger
vectæ VI. kalendas Julii, Bald
nensi episcopo, Bergensi mon
episcopo, ætate & moribus

ad-
aruan-
te Bovone
is tunc forte

morabatur. De hac sanctæ Lewinæ translatione, atque consecutis subinde miraculis libros duos scripsit Drogo presbyter & monachus, eosque Rumoldo abbati nuncupavit. Idem libellum de miraculis sancti Winnoci composuit, in quo mentionem facit de prædicto Bovone episcopo, qui *e Saxonia* Bergas venerat, secumque retulerat sancti Winnoci quasdam reliquias ad urbem Hammaburgum, ubi ejus hospitium erat. Eo cum aliquando divertisset Drogo monachus ejus rei scriptor, ex Danemarchia revertens, perhumane exceptus est. Falluntur qui hunc Drogonem monachum cum Drogone Taruannensi episcopo confundunt. Rumoldo abbati post annos decem successit Ermengerus, qui ab æmulis injuste ejectus, locum fecit Manassæ, Roberti Frisonis Flandriæ comitis cognato, cui Gregorius VII. episcopalia insignia concessit. Hunc excepit Ingelbertus, Balduini-Barbati Flandriæ comitis nepos: cui suffectus ad biennium prædictus Ermengerus, antea immerito expulsus, successorem sortitus Hermetem, instauratorem disciplinæ regularis. Hoc ipso anno e vivis abiit kalendis Aprilis Wichardus Gandæ seu sancti Bavonis abbas, cujus epitaphium Sanderus refert. Post eum Everlinus locum rexit, & post annos decem Folcardus.

ANN. CHR. 1058.

Winnoci & Gandæ abbates.

XXVII. Aldredi episcopi Wigorniæ facta.

In Anglia Aldredus Wigorniæ episcopus Wolstanum ejusdem urbis monachum præfecit Gloucestrensi monasterio, cujus novam ecclesiam a fundamentis exstruxit, & in honorem beati Petri apostolorum principis hoc anno [a] consecravit. Idem monastico habitu induit Oddonem Agelwinum comitem in extremis, ecclesiarum & pauperum amatorem, virginitatis custodem, qui in Persorensi monasterio honorifice sepultus est, testante Rogerio Hovedeno. Longe diversum fuit factum Siwardi eodem tempore comitis, qui, cum ex profluvio ventris mortem sibi imminere sentiret: Quantus pudor, inquit, me tot in bellis mori non potuisse, ut vaccarum morti cum dedecore reservarer! Tum se lorica indui, gladio præcingi, & galea caput contegi jussit, scutum in læva, securim auratam in dextra accepit: sicque armatus militariter spiritum exhalavit, ut ex Henrico Huntindonensi discimus, qui ejus obitum ad annum regis Edwardi quartum-decimum refert. Postmodum Aldredus, Wiltoniensis ecclesiæ dimisso præsulatu, qui ipsi commissus fuerat, per Hungariam profectus est Jerosolymam, in reditu creatus archiepiscopus Cantuarensis. Wolstanus abbas idem iter aggressus, in illa peregrinatione pie decessit.

[a] *Monast. Anglic. to.* 1. *p.* 342.

Anglicani episcopi e nostris.

Hoc eodem anno Siwardus [b] Certeseiæ abbas in Roffensi ecclesia episcopus consecratur: cujus tempore maxime inops & pæne vacua illa ecclesia, vix quatuor canonicos sustentare valebat. Siwardo post annos septem subrogatus a Lanfranco Arnustus Becci monachus, post dimidium annum successorem habuit Gundulfum itidem monachum, sub quo res ecclesiæ plurimum auctæ, & monachi facti amplius quinquaginta, regulæ amantes, & omnibus affatim instructi, testante Willelmo Malmesburiensi. Eodem tempore Egelricus Cantuarensis monachus orientalium Saxonum ecclesiam post Heccam regendam suscepit ab anno M LVII.

[b] *Angl. Sac. to.* 1. *p.* 342.

XXVIII. Paternus monachus igne combustus.

In Saxonia, urbs Patherbrunna incendio consumta est *cum duobus monasteriis*, ut loquitur Marianus, id est ecclesia cathedrali & monasterio Abdinchofensi, quod a sancto Meinwerco episcopo conditum diximus. Erat in illo monasterio reclusus quidam, Paternus nomine, genere Scottus, qui, flamma per omnes officinas grassante, rogatus ut e cella reclusionis egrederetur; martyrii desiderio obstinate in ea perstitit, & communi incendio, quod ipse prædixerat, involvi maluit, quam exire. Horum testis est Marianus, & ipse Scottus, qui feria secunda post pascha insequente ex urbe Colonia Fuldam proficiscens, ubi recludi statuerat, Patherbrunnam adiit, & super mattam, super quam Paternus combustus fuerat, preces fudit, certus de ejus martyrio & sanctitate, cui necdum ecclesia suffragium dedit. Factum illud excusare potest sola concepti de perpetua reclusione voti religio: an vero probabile, Deus novit. Simile quid accidit in parthenone Marciniacensi, ut suo loco [c] videbimus. Patherbrunnense hoc incendium accidisse ait Marianus feria sexta ante Palmas, id est IV. idus Aprilis: at Vaticanus codex præfert *idibus Aprilis*; quo die Paterni obitus notatur in necrologio Abdinchofensi. Forte hoc incendium quatriduo perseveravit. Rem narrat tacito Paterni nomine Petrus [d] Damiani, aitque, se eam resciviſse a religioso quodam Pisanæ diœcesis abbate, qui singularia quædam retulit. nempe opidanos ab illo servo Dei, sanctæ conversationis viro, qui futurum

[c] *inf. n.* 89.

[d] *Petr. Dam. opusc.* 20. *c.* 6.

ANN. CHR. 1058.

incendium prævideratt, ante dies triginta admonitos, ut pœnitentia Deum flecterent, servi Dei oraculum, quasi anilia deliria, nihili feciſſe; at monachos ejus perſuaſione ſua omnia in tutum locum comportaſſe. In his Petro-Damiani permirum videtur, quod is, qui perituræ urbis excidium cælitus prænoſcere meruit, ſemetipſum flammis ſimul atrocibus exurendum ignoraverit. Erat tunc illius urbis epiſcopus Imadus, qui ſuæ eccleſiæ inſtaurationem ingentibus animis aggreſſus, intra decennium abſolvit; idemque Abdinchofenſium monachorum, quibus tunc Eilbertus abbas præerat, inopiam liberaliter de ſuo ſupplevit. Litteris [a] v. nonas Octobris ea de re hoc anno datis ſubſcripſit Tammo abbas cœnobii Halmwardeshuſenſis.

a *Annal. Paderborn.*

XXIX. Hildebrandus legatus in Germania.

Eodem anno in feſto ſancti Johannis apoſtoli conſecratus eſt Gundekarus Eiſtetenſis epiſcopus in loco Turingiæ dicto Poleda, cui Hildebrandus ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubdiaconus cum Heinrico imperatore & Agnete auguſta interfuiſſe dicitur. Lambertus ſuffragatur, teſtatus, regem Merſeburgi natalem Domini celebraſſe, ibique adfuiſſe, inter alios regni principes, etiam Hildebrandum abbatem de ſancto Paulo, mandata deferentem ab ſede apoſtolica, virum & eloquentia, & ſacrarum litterarum eruditione valde admirandum. quænam fuerint illa ſedis apoſtolicæ mandata, incertum eſt.

XXX. Lambertus Hersfeldiæ monachus.

Idem Lambertus hoc anno ſubiit Hersfeldenſe monaſterium, adductus fama & religione Meginheri abbatis, a quo monaſticam veſtem ſuſcepit. ſic enim de ſe ipſe teſtatum reliquit. *Ego Lambertus, vulgatam toto orbe abbatis Meginheri placitam Deo converſationem æmulatus, rei familiaris curam, ne in via Dei prægravarer, abjeci, ſanctamque veſtem ab ejus ſanctiſſimis manibus idibus Martiis, heu nimium impar tali armaturæ, ſuſcepi.* Jam tum adultus erat, cum illuc ſe recepit: ut ex eo intelligimus, quod ipſomet anno ad ſacerdotium promotus eſt in jejunio autumnali a Liutpoldo Moguntino archiepiſcopo apud Scafnaburgum ſive Aſchaffenburgum, ut Serarius ex veteri codice emendat; forte patriam ſuam, unde Scafnaburgenſis cognomen ipſi inditum; ſtatimque iter Jeroſolymitanum aggreſſus eſt zelo Dei, ſed utinam, ait ille, ſecundum ſcientiam, nempe quod id ſuſceptum abſque permiſſu & benedictione abbatis.

XXXI. Fuldæ & Corbeiæ abbates.

Idem ſubdit, Ecbertum, qui & Eppo, abbatem Fuldenſem XV. kalendas Decembris obiiſſe, eique Sigefridum ejuſdem cœnobii monachum ſucceſſiſſe, qui anno inſequenti Liutpoldo archiepiſcopo in ſede Moguntina ſuffectus eſt. Tunc etiam Arnoldus Spirenſis epiſcopus & abbas Corbeiæ novæ & Laureshami, Corbeiæ regimen abdicavit: cujus loco electus Saracho ſeu Saricho abbas, ejuſdem loci cœnobita, collapſa & combuſta monaſterii ædificia inſtauravit, multa ſubinde paſſus ab Adelberto Hammaburgenſi archiepiſcopo, cui rex monaſterium cum omnibus rebus ſuis tradidit. Ejuſdem tempore Albertus Homborgenſis Corbeiæ bibliothecam auxit & ornavit, ut nos docent ejus loci annales.

Bantium monaſterium & Ahuſium. * *Bantz.*

Inter monaſteria Fuldenſi abbatiæ ſubjecta cenſetur à Browero Bantium * ſancti Dionyſii, in Francia orientali poſitum ad Mœni fluvii dextram ripam, cujus primordia Bruſchius non male tribuit Alberadæ, Hermanni marchionis Vohenburgenſis matronæ; ſed in eo fallitur, & cum eo Stengelius, quod ejus originem ad annum M LXXI. ſummovent. nam ante annos ſaltem tredecim illud exſtitiſſe probat vetus ſcriptura a Browero [b] relata, ubi agitur de conventu principum, qui hoc anno, indictione XI. menſe Julio in orientali Francia, in comitatu Gerwini comitis factus eſt *de pace facienda, & ſedanda latronum tyrannide:* ubi *convenere etiam venerabilis abbas Fuldenſis, Ecbertus nomine, & quædam matrona comitiſſa Albrat, & quamplures nobiles, comites ac judices: in quo conventu, in conſpectu omnium qui aderant, eadem matrona tradidit Deo & ſancto Bonifacio martyri quoddam monaſterium in Banze conſtructum, pro remedio animæ ſuæ, & defuncti mariti ſui ac filiorum requie. Hoc tantum a prædicto abbate præfata matrona expetiit, ut in eodem monaſterio ſecundum regulam ſancti Benedicti monachos inſtitueret, ceteraque regulæ congruentia aptaret* &c. Ex quibus intelligitur, incertum eſſe, quod Stengelius ſcribit, Bantium initio utriuſque ſexus fuiſſe. Saltem id certum, illud monaſterium, poſtea vaſtatum & collapſum, tandemque a ſancto Ottone Babenbergenſi epiſcopo octavo inſtauratum, ſolis monachis ceſſiſſe, uti etiam perſtat etiam nunc. Eadem Alberada aliud cœnobium puellarum ſupra Herbipolim in ſiniſtra Alteni ripa ædificavit,

b *Antiq Fuld.* p. 144.

ædificavit, Heydinsfeldenſe dictum, ubi filius ejus Conradus & filia, a quodam nobili viro rapta, quieſcere dicuntur.

ANN. CHR. 1058. Ahuſium monaſterium.

Sub idem tempus conditum legitur Ahuſium Ordinis noſtri cœnobium ad Wernicum amnem in Rhieſa: cujus auctores fuere Erneſtus comes, ejuſque ſororius Hartmannus. Non confundendum hoc monaſterium cum alio cognomini, quod ſæculo inſequente in Suevia exſtructum eſt.

ANN. CHR. 1059. XXXII. Nicolai papæ II. geſta.

INeunte anno poſt milleſimum quinquageſimo-nono, Hildebrandus, ut jam dixi Gerardum Burgundionem Florentiæ epiſcopum creari curavit, moxque cum eo Romam perrexit. Illic Gerardus a clero & populo in ſede apoſtolica, eodem Hildebrando in primis agente, conſtitutus, Nicolai ſecundi nomen aſſumſit, quem primum e Francis pontificem Ordericus [a] falſo opinatus eſt. Tum Sutrii concilium celebratum, in quo Benedictus pſeudo-pontifex exauctoratus. Inde ad Picenum agrum profecturus Nicolaus, Deſiderio Caſinati injunxit, ut ſibi quam primum occurreret. Ille vero dominica prima [b] quadrageſimæ Caſino progreſſus, in Farfenſi monaſterio papæ ſe ſe adjunxit, ſimulque cum eo Auximum profectus, ibidem ſecundo quadrageſimæ ſabbato, id eſt pridie nonas Martii, cardinalis preſbyter tituli ſanctæ Cæciliæ trans Tiberim creatur, & ſequenti dominica abbas conſecratur ab ipſo pontifice, qui vices ei ſuas per totam Campaniam, Picenum, Apuliam & Calabriam commiſit. Romam dein profectus Deſiderius, tituli ſui poſſeſſionem iniit, indeque Caſinum rediit. Paullo poſt in Urbem reverſus juſſu pontificis, paſcha ibidem cum eo celebravit, interfuitque concilio Romano menſe Aprili habito, in quo decretum de electione pontificis ſancitum; damnatuſque Berengarii error, qui fidem catholicam ſollemni formula, quam Humbertus Silvæ-candidæ epiſcopus compoſuit, coram centum ac tredecim epiſcopis profeſſus eſt, ſed poſtea non ſemel perfide violavit. Peracto concilio, pontifex Caſinum adiit in nativitate beati Johannis, & Deſiderio ſecum aſſumto in Apuliam profectus, alterum Melphiæ habuit concilium ad componendas res Nortmannorum: ubi Richardus princeps Capuanus, monente pontifice, Deſiderio abbati abbatiam ſanctæ Mariæ in Calena, ſitam in finibus Apuliæ inter montem Garganum & mare Adriaticum juxta caſtellum Beſti, contulit, præceptione data kal. Septembris, anno principatus ejuſdem Richardi ſecundo.

a *Orderic.* p. 456. Deſiderius fit cardinalis.

b *Chron. Caſin. lib.* 3. *c.* 13.

XXXIII. Canonicorum regula examinata.

In prædicto Romano concilio actum eſt de canonicis & canonicabus, viventibus ad illius normam inſtituti, quod in ſynodo Aquiſgranenſi anni DCCC XVII. præſcriptum, atque ad id tempus in quibuſdam eccleſiis in uſu fuerat. Rem ſuggeſſit Hildebrandus, tunc primum creatus a pontifice archidiaconus Romanæ eccleſiæ; iſque utrorumque, id eſt canonicorum & canonicarum, regulas in illa ſynodo conditas, Romano concilio examinandas propoſuit, uti diſcimus ex veteri codice Romano, cujus hoc exordium. *Anno ab incarnatione Domini* M LIX. *indictione* XI. *kal. Maii, præſidente domno & venerabili papa Nicolao, anno primo pontificatus ſui, cum cardinalibus ſuis, epiſcopis & presbyteris, conſidentibus quoque Dominico Gradenſi patriarcha & Widone Mediolanenſi, & Odelrico Beneventano, & Petro Amalfitano, & Odelrico Papienſi metropolitanis & archiepiſcopis, cum ſuffraganeis eorum, & nonnullis aliis epiſcopis Tuſciæ & Campaniæ, Aprutii, Apuliæ, & Marchiæ Firmanæ, aſtantibus quoque diaconibus in baſilica ſacri palatii Lateranenſis, quæ agnominatur Leonina, præſtantiſſimus vir Hildebrandus, apoſtolicæ ſedis archidiaconi auctoritate functus, ait: Nonnulli ex clericali ordine, per Spiritum-ſanctum perfectæ caritatis igne inflammati, jam dudum in hac Romana urbe & in provinciis atque parochiis eidem ſpecialius pertinentibus ſeu cohærentibus, noſcuntur communem vitam exemplo primitivæ eccleſiæ amplexi ſimul & profeſſi, in tantum quod nihil ſibi reſervaſſent proprii, facultate ſua vel diſtributa egenis, aut relicta propinquis, vel certe oblata Chriſti eccleſiis: quos ſicut amor perfectionis artiorem vitam aggredi, & per anguſtam portam ingredi ſancta contentione conjunxit: ſic & abundantia iniquitatis ſuo frigore paulatim disjungere quærit, ut poſt ſe recedant, atque propoſiti ſemel arrepti apoſtatæ fiant: dum ſint in eis, quos incauta adoleſcentia aut ſuſpecta ſenectus revocat & retrahit ad præſumptionem peculiaritatis, quam ſuo vel parentum ſuorum voto reliquerant. Qui etiam ad maximam ſuæ prævaricationis defenſionem aſſumunt aliquot capitula ex Regula illa, quæ dicitur canonicis hortatu Ludovici imperatoris a quo neſ-*

AN. CHR. 1059.

» *citur compilata .. quæ capitula, quia in-præsentiarum habentur, placeat huic sancto*
» *vestro conventui, ut considerentur, ac demum necessaria & congrua sententia super*
» *his proferatur.... Simul quoque placeat sanctitati vestræ, ut recitetur professio illa, qua*
» *usque nunc in hac Romana urbe clerici, instar primitivæ ecclesiæ communiter victuri, se*
» *ipsos obligare sunt soliti; &, si confirmanda est, auctoritate vestra confirmetur; vel,*
» *si corrigenda, vestro judicio corrigatur.*

XXXIV. Canonicarum maxime regula improbata.

His auditis, Nicolaus papa Hildebrandi consilium probavit, jussitque proferri & examinari duos libellos, in quibus duæ illæ regulæ, canonicorum nempe & canonicarum, continebantur. Utraque ab institutione apostolica & canonica visa est aberrare, in eo maxime, quod utraque rem propriam & peculiarem utrisque indulgeat: & quod quatuor libras panis & sex potus singulis concedat. Primo quidem reprehenditur auctor prioris regulæ canonicorum, quod sententias sanctorum patrum,
» quæ clericis peculium denegant, ad alienum detorqueat sensum: at regula cano-
» nicarum amplius improbatur: propterea quod a tempore apostolorum usque ad
» prædictum Ludovicum imperatorem, nulli professioni sanctimonialium virginum
» vel viduarum peculium permissum sit; & quod stipendia ecclesiastica his solum-
» modo virginibus vel viduis debeantur, quæ facultates proprias aut non habuerint,
» aut reliquerint. *Et certe*, ut in illius concilii actis legitur, *hujusmodi sanctimonialium institutionem usque nunc tota Asia, Africa, simul & Europa, excepto uno minimo angulo Germaniæ, nec scivit, nec recepit: quam quotquot receperunt, a tempore præfati Ludovici recepisse comprobantur. Unde constat, ante illum sanctimoniales ubivis terrarum habuisse quam sequerentur regulam, a sanctis patribus sibi conscriptam, velut in Latina lingua a beato patre Benedicto, aliquibus dictionibus a virili sexu ad femineum translatis: quam utique in sui regni provinciis inventam nec Ludowicus mutare qualibet ratione debuit aut potuit, sine auctoritate & consensu sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis: quia, quamvis imperator & devotus, tamen erat laicus. Sed nec monachorum quisquam: quia non est illorum novam in ecclesia proprio suo magisterio vel arbitrio regulam introducere; insuperque illi contrariam, quam beatus Gregorius testatur discretione præcipuam & sermone luculentam.*

[a] *Baluz. Miscell. to. 5. p. 123.* [b] *Ibid. p. 95.*

Hujus decreti fragmentum [a] refert Gerohus præpositus Reicherspergensis ex ordine canonicorum regularium sancti Augustini in libro de corrupto ecclesiæ statu ad Eugenium III. cujus etiam decretum [b] adducit, in concilio Remensi editum contra sanctimoniales illas solutiores, quas sepultura privari jubet, *nisi vitam suam in congregationibus secundum regulam B. Benedicti, vel sancti Augustini emendent, & relictis propriis, communiter vivant.* Dein sibi objicit Gerohus ejusmodi feminas hac de re conquerentes in hunc modum. *Quid est rationis, quod nobis feminis, in claustro quolibet stabilitis & nutritis, neque tamen regulæ alicujus voto adhuc obligatis, quia votum Regulæ solemus differre usque ad lassitudinem senectutis, nunc imponitur invitis observantia regularis?* Ad quod Gerohus: *Respondeo*, inquit, *quia estis in monasterio, & utimini stipendio regulariter viventibus constituto.* Plura hac de re vide sis apud eumdem auctorem.

Ex his manifestum est, quam graviter ii allucinentur, qui canonicarum sæcularium recentius institutum a sede apostolica approbatum fuisse comminiscuntur: quando nec ipsa canonicarum regula, quæ in synodo Aquisgranensi condita est, a pontificibus Romanis umquam approbata sit, immo a Nicolao secundo in concilio Romano maxime improbata, tametsi recentiori illo instituto longe probabilior, in quo non modo peculium canonicabus illis omnino permittitur, sed etiam facultas ineundi conjugia, quod prioribus illis non licebat. Unde non mirum, quod probi quique auctores in recentius hoc institutum tantopere invecti sint, in primis Jacobus [c] a Vitriaco, qui eas in partibus Hannoniæ & Brabantiæ, & in quibusdam Teutonicorum & Alemannorum partibus degere testatur. Ceterum quæ mox ex actis Romani concilii retulimus, innuere videntur, auctorem prædictæ regulæ canonicarum fuisse monachum.

[c] *Jacob. a Vitr. hist. occid. c. 31.*

XXXV. Canonicorum regularium regulæ & origo.

Ad regulam canonicorum quod attinet, Aquisgranensis illa regula, quæ Amalarium diaconum auctorem habet, diu in Gallicanis ecclesiis, etiam cathedralibus, observata fuit, in plerisque usque ad sæculum undecimum, de quo nunc agimus; in quibusdam ad sæculum duodecimum, ut in Remensi, in qua deficere cœpit tempore Stephani Tornacensis, qui ad communis illius vitæ observationem contiDe Stephano Tornacensi.

[d] *Steph. Torn. ep. 41.*

nuandam Remenses canonicos adhortatur. Qui illam regulam sæculo undecimo & sequenti profitebantur, id sub certa formula faciebant, cujus exemplum habemus in codice nostro Corbeiensi post illam regulam Aquisgranensem in hæc verba. *Ego frater N. sacerdos, aut clericus, vel conversus, stabilitatem corporis mei ecclesiæ beati N. promitto coram Deo & sanctis reliquiis ejusdem ecclesiæ in præsentia prælatorum domni N. & N. & ceterorum fratrum, & emendationem morum meorum, præcipue in castitate, in communione, in obedientia, secundum gratiam mihi collatam a Deo, & facultatem virium mearum.* Hæc professio communionis seu communis vitæ fiebat præmissis iisdem ferme precibus [a] ac ritibus, ut monastica, ad cujus normam fiebat etiam oblatio puerorum in illis ecclesiis. Hanc regulam profitebantur post medium sæculum undecimum canonici sancti Saturnini apud Tolosam, ut patet tum ex litteris Arnaldi Petrocoriorum episcopi, qui ecclesiam sancti Cypriani ejusdem diœcesis, præposito & clericis Tolosanæ sancti Sarurnini ecclesiæ subjicit, eo pacto, ut ibi vivant *secundum institutiones beati Augustini, Gregorii & Hieronymi*, ex quorum sententiis Aquisgranensis illa regula conflata erat: tum ex charta Geraldi Cadurcensis episcopi, eisdem sancti Saturnini clericis committentis Viganensem ecclesiam, ut illic viveretur *secundum patrum decreta, id est Augustini, Hieronymi & ceterorum.* Actum *sub papa Gregorio, regnante Philippo, mense Junio, in festivitate beati Johannis:* quo die Hugo *Oriol*, aliique Viganenses clerici, *ante altare beatæ Mariæ de Vigano, præposito beati Saturnini professionem fecerunt, & obedientiam promiserunt.* Hæc ex archivo sancti Saturnini.

[a] *V. Append.*

In ecclesia Mettensi diu servata fuit Chrodegangi episcopi regula, ex Benedictina majori ex parte conflata, cujus observatio etiam in Exoniensem Angliæ ecclesiam derivata est per Lefricum episcopum, qui apud Lotharingos alitus & edoctus, ejectis sanctimonialibus e sancti Petri monasterio, episcopatum, qui Cridiæ antea fuerat, & canonicos illic statuit, *qui, contra morem Anglorum, ad formam Lotharingorum uno triclinio comederent, uno cubiculo cubitarent*, ut ex Willelmo [b] Malmesburiensi discimus. *Transmissa est hujusmodi regula ad posteros, quamvis pro luxu temporum nonnulla jam ex parte*, inquit ille, *deciderit: habentque clerici œconomum ab episcopo constitutum, qui eis diatim necessaria victui, annuatim amictui commoda suggerat.* Itaque, excepta illa Exoniensi ecclesia, vita communis in Anglicanis ecclesiis, quæ monachorum non erant, nequaquam servabatur.

[b] *Malmesb. lib. 2. de pontif. c. 6.*

Verum in Romanis ecclesiis *jam dudum*, ut Hildebrandus testis est, vita illa communis in usu erat, cum prædictum Romanum concilium habitum est; & clerici, qui eam profitebantur, nihil sibi proprii reservabant, contra quam illi canonici, qui ad normam regulæ Aquisgranensis vivebant. Idem Hildebrandus mentionem facit illius professionis, qua Romani clerici ad communem illam vitam se se obligare tunc soliti erant. Formulam hujusce professionis, ex codice Ottoboniano, qui nobis illius Romani concilii acta suppeditavit, hic referre visum est. *Sicut regulariter sancitum tenetur, ego ill. trado atque offero me ipsum catholicæ ecclesiæ ill. vel sanctæ ill. & domno ill. præposito, secundum regulam canonicam fideliter serviturum; pallâ altaris manibus involutis cum oblatione; mearumque rerum portionem ad usum & sumptum fratrum canonicorum, istic pro tempore instar primitivæ ecclesiæ Deo deservientium: ita ut ab hac die non liceat mihi collum excutere de sub jugo regulæ; sed magis eamdem regulam fideliter secundum instituta sanctorum patrum servare, & Domino cum ceteris grato animo militare. Et ut hæc promissio firma permaneat, manu mea firmavi, & testibus roboravi.* Hæc illa est professionis formula, quam Hildebrandus in concilio recitari postulat, atque examinari; ea scilicet, quam Romani nonnulli clerici in usum induxerant *jam dudum*, id est, si bene conjicio, a tempore Ottonum, quorum instinctu Romana ecclesia in meliorem formam restaurari cœpit. quo tempore erant in urbe abbatiæ viginti-duæ, quarum nomina Baronius [c] recitat. Non multum absimilis est forma professionis, quam eodem tempore faciebant Luccenses canonici, edita in observationibus præviis ad vitam sancti Anselmi Luccensis episcopi, quo in primis auctore vita communis in illa ecclesia instituta est. In veteri codice ejusdem ecclesiæ habentur regula sancti Austini, tum sancti Benedicti cum ejus vita Gregorio Magno auctore. Ad hanc vivendi formam Petrus Damiani adhortatur Fanenses [d] canonicos, quorum nonnulli

[c] *Baron. an. 1057.*

[d] *Petr. Dam. opusc. 27.*

ANN. CHR. 1059.

vitam regularem aggressi, peculium tamen retinere volebant. Exstat & alia [a] ejusdem auctoris & argumenti epistola ad Alexandrum II.

a *id. lib. 1. ep. 18.*

In hoc fere statu erant canonici, cum nova canonicorum regularium congregatio exorta est, qui vulgatam sancti Augustini regulam profiteri cœperunt. Id sub medium sæculum undecimum contigisse videtur, primum quidem in abbatia sancti Rufi apud Avenionem, quam Benedictus illius urbis præsul, eo nomine primus, quatuor suæ ecclesiæ canonicis anno M XXXVIII. donavit, ut eo in loco erigerent novam canonicorum regularium congregationem. Nulla tamen sancti Augustini regulæ adhuc mentio in ejus litteris; neque in diplomate Heinrici regis, qui anno M LX. ecclesiam sancti Martini a Campis confert canonicis, *regulari conversatione* Deo famulantibus. At Gervasius Remorum archipræsul in charta, qua suburbanam S. Dionysii ecclesiam regularibus canonicis tradit, ait, se illam ecclesiam suo sumtu & labore ad integrum restituisse, & canonicos ibidem constituisse, *beati Augustini regulam, ordinemque professentes.* Hæc institutio sensim ad alias Galliæ ecclesias propagata est, auctore in primis Ivone, qui in ecclesia sancti Quintini apud Bellovacos hanc vivendi formam instituit anno M LXXVIII. Ante Ivonem in Gallia tam nova censebatur hæc institutio, ut ejus primus auctor, saltem in Gallia, censeatur in primariis Quintinianæ apud Bellovacos abbatiæ Statutis, in quibus hæc leguntur. *In primis igitur non ignorandum est, quoniam antequam felicis memoriæ, & singularis suo tempore doctrinæ dominus Ivo, primus abbas ecclesiæ nostræ, postea Carnotensis episcopus, vitæ regularis ordinem in ecclesia nostra constituisset, nullius aut momenti, vel mentionis hujusmodi professio intra Galliæ fines habebatur, excepto quod in ecclesia beati Martini de Campis apud Parisius, antequam primum ordo monasticus introduceretur, hujusmodi viri religionis habitasse ferebantur.* Sane non multum ante hoc tempus Augustinianos illos canonicos exstitisse diserte probat Abaëlardus in epistola ad canonicos regulares, qui *noviter appellati & noviter exorti* ab eo dicuntur. Hæc dicta sint occasione Romani concilii sub Nicolao II. cujus concilii acta, non tamen omnino integra, ex Ottoboniano codice in appendice nostra referemus.

XXXVI. Petrus-Damiani scribit contra episcopum apostatis faventem.

In eodem, ut videtur, concilio conquestus est Petrus-Damiani apud pontificem de quodam episcopo, qui monachis, post susceptum in extremis religiosum habitum, ad sæculum reversis favebat, idque ipsis licere contendebat. Guidonem Cumanum episcopum, qui concilio aderat, hac de re suspectum habuit Petrus; increpuitque ut nocentem. at ille hujus facti se minime conscium esse probavit. Rem haud ferendam putavit pontifex; & quia forte in Piceno residebat episcopus ille apostatarum fautor, auctor fuit, ut ad Gislerium Auximi episcopum, cujus religio ipsi probata erat, ad illum episcopum revincendum scriberetur. Ea cura Petro Damiani demandata: qui opusculum hujus argumenti, in editis sextum-decimum, composuit, illudque Gislerio Auximano episcopo nuncupavit. In illo Petrus » opusculo ait, monachum fieri idem esse ac converti. Cum itaque quocumque tem» pore & quavis hora converti liceat; inde consequi, monachum fieri ægrotantibus » licere. Atqui hoc concedebant illi monachorum censores: at infirmis illis, siquidem convaluissent, ad pristinæ conversationis habitum reverti fas esse contendebant: propterea quod ante susceptum habitum legitime probati non fuissent. At » Petrus id sacris canonibus, statutisque conciliorum contrarium esse reponit; nec » probationem illis esse necessariam, quippe quos spiritu Dei ad hoc animatos fuisse » constet. quippe annuam probationem ideo tantum institutam, ut probentur novi» tiorum animi; & probationem istam magis suscipientibus, quam venientibus esse » necessariam: videlicet ut suscipientes discernere valeant, quo impulsi spiritu susb *Ughell. to. 1. p. 559.* » cipiendi accedant. Cum itaque minime dubium sit, quo spiritu infirmi ad portum » monastici ordinis accedant; eis susceptum semel monasticum habitum nec abji» cere, nec ad sæcularia vota reverti licere. Hæc fere summa illius opusculi ad Gisle» rium Auximanum episcopum, cujus nomen sola prima littera [b] designatum est apud Ughellum: apud quem etiam deest suo loco Guido Cumanus seu Comensis episcopus, a Petro Damiani hoc in opusculo laudatus, ut *vir dignæ humilitatis & patientiæ; & non solum sacris eloquiis, sed etiam liberalium artium studiis eruditus;* distinguendus utique ab alio [c] cognomine, qui Urbani II. pontificatu illam ecclesiam rexit.

c *id. to. 5. p. 282.*

XXXVII. Idem legatus ad Mediolanenses.

In illo item Romano concilio decreta edita contra Simoniacos & incontinentes

ANN. CHR. 1059.

clericos; tumque Petrus Damiani cum Anselmo Luccensi episcopo missus est ad Mediolanenses, apud quos hæc vitia maxime vigebant. Post multos tumultus demum Wido archiepiscopus, qui hoc reatu in primis tenebatur, culpam confessus, nimirum se hactenus pro subdiaconatu nummos duodecim, pro diaconatu octodecim, pro presbyteratu viginti-quatuor accepisse; pollicitus est se nihil in posterum exacturum; neminemque, præter monachos, ad hos ordines admissurum, quem sollemni sacramento servandæ castitatis non obligaret. Eadem quoque clerici jurarunt. His ita gestis, archiepiscopus humi prostratus, piaculum sibi injungi petiit. Legatus centum annorum piaculum imposuit; idque redimi posse certa in singulos annos soluta pecunia permisit: clerici certis jejuniis obligati. Hic ejus legationis exitus fuit, at fructus nullus. nam statim a discessu legati archiepiscopus, asperis clericorum conviciis laceratus, quasi Mediolanensis ecclesiæ libertatem, quam ne quidem Romanæ ecclesiæ subjectam esse volebant, prodidisset; sacramento castitatis non stetit, sed promiscuos clericis mulierum concubitus indulsit. qua de re Petrus-Damiani graves subinde litteras [a] scripsit. Idem acta quoque suæ legationis posteris mandavit in opusculo IV. quod *Hildebrando venerabili archidiacono* nuncupavit.

a *Petr. Dam. lib. 5. ep. 14. & seq.*

XXXVIII. Munera abhorret.

In hac legatione contigit, ut abbas sancti Simpliciani, quod celebre monasterium est nostri Ordinis apud Mediolanum, vasculum argenteum Petro legato pro munere offerret. Percontanti legato, ecquid causæ vel negotii ipsum ad id impelleret; respondit abbas, non aliam ob causam id a se factum, quam ut legati benevolentiam sibi conciliaret. Atqui non mercenaria, inquit ille, ut apud sæculares; sed omnino gratuita, ut inter fratres, amicitia nostra esse debet. proinde munus tuum tibi recipe. Renuit ille omnino; vimque sibi fieri ut retineret, haud ægre passus est Petrus. At cum is reversus domum meditandis de nocte psalmis vacaret, cœpit eum facti conscientia remordere, ac prima luce ad abbatem retulit munus acceptum. Verum illud constanter recipere detrectavit abbas. Tandem, post varias hinc inde concertationes, hunc finem apposuit legatus: ut vasculum istud mitteretur ad perficiendum unum e suis monasteriis, quod imperfectum erat. Post reditum in patriam cum ad illud monasterium Petrus accessisset, tanto hujus facti dolore atque horrore correptus est, ut vasculum ad abbatem remiserit. qua de re ita ille scribit in opusculo LIII. ad Dominicum-Loricatum, ubi hoc factum refert. *Rixam mentis meæ ultra non perferens, sancto fratri munus suum remittere studui. deinde, Deo auxiliante, dum vixero, contra sordes munerum jam cautius vigilabo. Ecce quod superius dixi, quia servus Dei tunc debet timere, cum temporale quid percipit; tunc gaudere, cum perdit. Amodo itaque neque pro specie monasterii construendi, neque pro necessitate servorum Dei, tenebo quasi materiam honestatis, ubi valeam vires exercere cupidinis.* Heu quam hæc distant a moribus nostri temporis! Quotusquisque hoc ævo talibus scrupulis ab accipiendo vel retinendo munere averteretur! Idem Petrus ejusdem argumenti epistolam eodem animo scripsit ad Widonem seu Guidonem [b] Mediolanensem archiepiscopum, a quo duas stolas acceperat: cujus facti magnopere se pœnituisse ait. Egregium porro hac de re monitum dat cuidam [c] episcopo idem auctor. *Noli frater,* inquit, *noli patere muneribus: non omnibus quæ præbentur, liber apud te pateat aditus: sed quædam admittantur, ut in necessitatibus sublevent; quædam repellantur, ne reatus alieni nos ponderibus gravent. Dum igitur oblata suscipimus, de offerentium meritis prius necesse est disputemus.* In fine subdit id, quod sibi ipsi accidit. quippe primarius cujusdam monasterii trium colorum pallium, quod *triblathon* vocant, obtulerat Petro, qui illud ad fratres suos detulit. Illi vero adeo munus haud gratum aut acceptum habuere, ut contra Petro indignati sint, quod illud accepisset; nec ante quieverint, quam munus incaute susceptum ad donatorem remitteretur.

b *Petr. Dam. lib. 3. ep. 7.* c *id. lib. 4. ep. 7.*

XXXIX. Episcopatum abdicat.

Post illam legationem Petrus insigne modestiæ dedit exemplum, abdicato Ostiensi episcopatu, quem Stephanus IX. invito ac repugnanti contulerat, agente Hildebrando: quorum alterum Petrus ob id [d] *persecutorem* suum; alterum [e] *hostilem amicum* vocat. Huic abdicationi illud occasionem præbuit, quod Nicolaus papa eum beneficiis suis, id est duobus monasteriis sibi collatis, & episcopali ornatu, incertum qua causa, spoliasset. Huc spectat ejus epistola [f] ad ipsum pontificem. *Benedictus omnipotens Deus,* inquit, *quia, dum quidquid mihi pro beneficio datum fuerat, dum ipse quoque sacerdotalis ornatus aufertur, certa mihi signa clarescunt, quod episcopalis*

d *id. opusc. 19. initio.* e *id. lib. 1. ep. 11.* f *ibid. ep. 8.*

ANN. CHR. 1059.

in proximo dignitas adimatur. & in fine : *Præter ea monasterium hospitando & confiscando muntribus abstuliſtis, de episcopatu quoque, quidquid proventus invenire poterat, consumsiſtis. Quid ergo restat, nisi ut miles emeritus abjiciat cum chlamyde cingulum, qui militaris stipendii perdidit donativum ?* Hinc conjicere licet, pontificem certas pensiones a Petri episcopatu & monasteriis ei collatis exegisse ; ac resistenti Petro proventus & quædam episcopalis dignitatis abstulisse insignia, virgam scilicet pastoralem, ut in sequenti epistola [a] explicat, in qua Nicolaum obsecrat, ut ipsi onus episcopale deponere liceat, quod sibi licere multis exemplis probat. Sic autem incipit. *Sacrarium Spiritus-sancti vestrum pectus agnoscit ; quia, nisi me tunc necessitas apostolicæ sedis impelleret, & antiquæ, quam jamdudum circa vos habueram, caritas invitaret ; post sanctæ memoriæ domni Stephani, vestri quidem decessoris, mei autem persecutoris obtum, ego a me protinus episcopatum, non canonice traditum, sed violenter injectum, funditus abscidissem. Meminisiis enim, domine mi, quot querelas coram vobis sæpe deposui ; quot gemitus, quot denique profunda suspiria ex imis visceribus traxi ; quoties etiam uberibus lacrymis tristia ora rigavi. Verumtamen apud vos tunc non obtinui missionem, quia Romanæ ecclesiæ, quæ ruinam minari videbatur, id utilitas non poscebat. Nunc autem, te in sagena Petri clavum regente, sub tranquilla pace totæ Christi gratulatur ecclesia. Cum igitur sub tanto pontificatu vestro jucunda pace universalis ecclesia potiatur, canis meis & grandævæ jam jam senectuti, quæso, requies non negetur. Quapropter ob remissionem omnium peccatorum meorum, quæ nequiter perpetravi, cedo jure episcopatus, & per hunc anulum (virgam enim tulisiis) desperata deinceps omni repetendi querela, renuntio. Utrumque etiam vobis monasterium reddo ; &, ut quiescendi municipium veterano & emerito militi permittatur, imploro.* In consequentibus [b] aliam affert causam, nimirum devotionis dispendium, quod ex episcopali dignitate ipsi acciderat. Quippe ante episcopatum ita se divini amoris igne succensum fuisse, ut e claustris carnis & carceralibus tenebris quantocius eximi anhelaret. *Erat enim mihi tunc*, inquit, *sicut per prophetam Dominus pollicetur, cor carneum, sive, ut mihi videtur, cereum. Horrebam audire, quanto magis ore proferre, quidquid non provocabat ad Christum... Nunc autem durus & saxeus, dum negotiis jugiter exterioribus atteror, in compunctionis internæ lacrymas non resolvor, &c.* In fine denuo a pontifice missionem postulat, longe satius ac tutius sibi esse contestans, ut se ipse potius sponte deponeret, quam ut ante tribunal tremendi Judicis, in conspectu sanctorum angelorum & hominum, depositionis sententiam sibi æterna damnatione subiret. Annuit tandem pontifex missionem flagitanti, eique pro hac refutatione [c] *centum annorum pœnitentia est consequenter injuncta, per illa nimirum remedia, quæ monasticis sunt regulis instituta*, id est per corporis flagellationes. Qui vero viginti psalteria cum disciplina recitabat, centum annorum pœnitentiæ satisfaciebat, ut ipse Petrus scribit in vita Dominici-Loricati, quam ille pœnitentiam brevi tempore absolvit. *Quod si parum videtur*, inquit, *vos etiam superaddite*, Stephanum & Hildebrandum cardinales alloquitur ; *ultro etiam & carcerali, si placet, custodiæ mancipate. Post tot quippe vagationis & noxiæ libertatis excessus, quid restat, nisi ut me religationis atque silentii censura coërceat?* Verum episcopatum passim deserere non licere concedit, nisi id fieri necessitas magna compellat. Ceterum hanc abdicationem hoc anno factam fuisse, satis ipse innuit [d] Petrus, cum ait, *proxima hac æstate transacta* contigisse Patherbrunnense incendium, quod anno superiori accidisse constat. Baronius, aliique post eum, hanc Petri abdicationem ad biennium differunt. Nihilo minus Ostiensis episcopus posthac dictus est Petrus in litteris, quas Alexander II. de ejus legatione in Gallias scripsit. Suffectus in Petri locum Gerardus monachus ac prior Cluniacensis, de quo in consequentibus [e] agendum.

[a] *ibid. ep. 9. al. opusc. 19.*

[b] *ibid. c. 3.*

[c] *id. opusc. 20. c. 1.*

[d] *id. opusc. 20. c. 6.*

[e] *lib. 63. n. 8.*

XL. Reversus ad eremum durissime vivit.

Reversus inde ad suam eremum vir Dei, mirum est quanta districtione vitam instituerit, quanta severitate corpus suum, jam senio & laboribus attritum, diverxaverit. Primo quidem capitulum ingressus, de suis erratis se ipse accusavit, & pro piaculo *geminis verberibus* se vapulari jussit. Tum cellulæ recluſus ergastulo, assiduis præter festos dies jejuniis carnem suam, ferreis undique nexibus constrictam, & frequenti flagellatione macerabat, solo pane furfureo & aqua contentus. Visus est non semel per totos quadraginta dies, nil nisi poma crudasque herbas, vel infusa legumina in cibum sumere. Somnum vero super nudum psyatium, & quidem parce capiebat. Ubi tamen vires deficerent, nonnihil remissionis admittebat, effa-

tus, non vitio, sed virtuti potius adscribendum, si quis fessa brachia tantisper remitteret : ut post validior ac vegetior ad certamen rediret. Ad hæc in quadragesima triduo penitus abstinebat a cibo, eamdemque observationem quibusdam monasteriis persuasit, in quibus fratres rigidum in claustro silentium toto illo triduo servabant ; nec ante calceamentis pedes induebant, quam psalterium diebus singulis communiter recitassent, adjecta insuper verberum disciplina, quam normam in Casinensi monasterio, ejusdem Petri hortatu, receptam fuisse ejus vitæ scriptor tradit. Denique Petri discipuli eum rogarunt, ut, si quid apud ipsos superfluum deprehenderet, ocius resecaret ; si quid correctione dignum, emendaret. Unde factum est inter cetera, *ut projicerent cofulas*, seu pileolos, quibus capita contegebant, solis caputiis monachorum more contenti ; statuerintque, ut, peregrinis pannis grandioris pretii deinceps rejectis, nonnisi viles & rusticanæ texturæ vestes induerent. Hactenus de Petro-Damiani.

ANN. CHR. 1059.

XLI. Philippi regis coronatio.

Mos erat tertiæ stirpis Franciæ regibus, quod etiam a Carolinis nonnullis actitatum, ut unum e filiis suis, adhuc viventes, sibi substituerent. unde rex Heinricus, patris avique sui exemplum imitaturus, etsi annos ætatis quinquaginta-tres vixdum attigisset, Philippum filium suum natu-majorem in regni solium consortiumque sublimare statuit, eumque in urbe Remorum, ipso die pentecostes, a Gervasio archiepiscopo in majori beatæ Mariæ ecclesia, cum magna fecit ambitione regem consecrari. Gervasius hac occasione usus, accepto in manum sancti Remigii baculo, totius Galliæ primatum, & consecrandi Francorum reges facultatem, sibi suisque successoribus deberi protestatus est cum summo cancellariatu, quem antecessores sui obtinuerant, sibique restitui postulavit. quod facile pro sua auctoritate impetravit. Memoriæ prodita sunt, editaque in lucem [a] illius coronationis acta, quæ forma & exemplar fuere subsequentium regum inaugurationum. Inchoata missa, fide catholica a pontifice lecta, Philippus se eam credere & defendere velle asseruit. tum se omnibus & singulis privilegia, leges & justitiam, necnon episcopis & ecclesiæ sua jura conservaturum pollicitus est. Interfuere huic celebritati Hugo Bisonticensis archiepiscopus papæ legatus, & cum eo Ermenfredus episcopus Sedunensis ; dein archiepiscopi duo, Mainardus scilicet Senonensis, & Bartholomæus Turonensis ; ad hæc episcopi numero viginti ; abbates unde-triginta ; duces & comites, milites non pauci, populi, tam majores, quam minores : qui omnes consona voce & unanimi consensu novum regem proclamarunt. Abbates illi fuere Herimarus sancti Remigii Remensis, Rainerus sancti Benedicti Floriacensis, Hugo sancti Dionysii in agro Parisiaco, Adroldus seu Adraldus sancti-Germani-de-Pratis, Gervinus sancti Richarii, Guntho * sancti Walerici, [Rilla [b]] sancti Wingualoëi seu Landvenecensis, Warinus sancti Judoci, Fulco de Foresti-monasterio, Gerardus [c] sancti Medardi, Heinricus Humolariensis, Gonzo Florinensis, Fulco sancti Michaëlis in Teorascia, Archenreus sancti Vincentii Laudunensis, Guido Marcianensis, Rodulfus Mosomensis, Albertus sancti Theoderici prope Remos, Warinus Altovillarensis, Wenricus sancti Basoli, Hugo Orbacensis, Odilardus Catalaunensis, Wandalgerus Dervensis, alio nomine Bruno dictus ; Walerannus Virdunensis, Adalbero Divionensis, Arnoldus Pultarensis, Guillelmus Trenorchiensis, Hugo Carrofensis, Avesgaudus Cenomannensis, id est sancti Petri de Cultura, & Hugo Crispinensis.

[a] *Chron. to. 4. p. 161. & seq.*

Abbates variorum monasteriorum.

* *al.* Guatho-

[b] *V. to. 1. Miscel. Baluz. p. 513.*

[c] *V. sup. n. 10.*

XLII. Rainerius Floriaci abbas.

Secundus ex illis abbatibus Rainerus seu Rainerius, Floriacensis abbas, Theobaldo ante aliquot annos successerat ex Diaci * in Burgundia priore, uti & ejus decessor, qui locus sancti Mauri martyris quasdam reliquias Floriaco allatas possidebat, testante Rodulfo Tortario, qui ejusdem Rainerii abbatis mentionem facit [d] non semel. Ejus tempore accidit, ut quidam rusticus agelli Vinoïli, ob violatum festum sancti Benedicti, quod mense Julio feriabatur, utraque manu debilitatus, facti demum pœnitens, voto facto sanatus sit. Ad hæc Albericus, vir nobilis ex primoribus castri Castellionis, quod super Lupam * fluviolum in Wastinensi * pago situm est, cum Curtis-Matriniaci * prædia, quæ sancti Benedicti erant, devastare non cessaret ; a Rainerio abbate excommunicatus, cum nec sic resipisceret, immo Theobaldi comitis dux exercitus factus, graviora minaretur, repentina morte interiit. Pro ejus absolutione Floriacum venit Seguinus ejus frater, malitia non impar : qua absolutione impetrata, fratris interitu nequaquam factus cautior, eadem

* *Die.*

[d] *Tortar. capp. 12. 15. & 22.*

* *Loin.*
* *le Gastinois.*
* *la Contr-Marigny.*

ANN. CHR. 1059.

prædia deprædari cœpit : sed non multo post e domus solario lapsus, fractis cervicibus exspiravit. Aliud exemplum solutæ post mortem excommunicationis idem auctor in consequentibus [a] refert, posito in defuncti manus calice aureo, in quo sacrificium Deo pro eo Floriacenses obtulerunt.

a *id. c.* 36.

Novigenti alcare liberum.

Decimum ætatis annum attigerat Philippus, cum rex a patre dictus est. Id discimus ex litteris Elinandi Laudunensis episcopi, in quibus Albricus de Cociaco seu » Codiciaco castro ipsum adiisse dicitur cum uxore Adela & matre sua Mathilde, & » aliquot optimatibus suis, *pro confirmatione & libertate altaris in villa, qua Novian*» *tus dicitur vulgi appellatione.* quam Elinandus ratam habet, institutione ejus loci » presbyteri & emendatione sibi reservata. Quod si Deo præstante, inquit, res pu» blica ipsius loci ita profecerit, ut ordo monachicus ibi observari possit, & abbas » haberi; primo eligatur a fratribus ejusdem cœnobii, ac postmodum ab episcopo » Laudunensi confirmetur ac stabiliatur, & benedictionem ab eodem gratis accipiat. quæ omnia Albricus ab Heinrico rege laudari obtinuit, & regiæ auctoritatis sigillo, & filii ejus Philippi favore confirmari. *Actum est hoc* III. *nonas Decembris, regnante rege Francorum Heinrico anno tricesimo-nono, Philippi quoque ejus filii anno ætatis decimo, ab incarnatione autem Domini anno* M LVIIII. *indictione* XIII. a Septembri inchoata. His litteris apposita sunt signa glorioſi Francorum regis Heinrici, Elinandi episcopi, ejusque canonicorum; dein Heinrici & Reineri abbatum, aliorumque. Rainerius seu Raginerius abbas erat sancti Vincentii apud Laudunum: Heinricus abbas erat Humolariensis, qui coronationi Philippi regis interfuit. Balduinus regis Heinrici cancellarius subscripsit, eoque jubente regium sigillum litteris appositum.

b *V. lib.* 65. *n.* 10.

Post annos triginta-sex, id est anno MXCV. rex Philippus, cum Novigenti abbatia [b] jam facta esset, meminit villæ Noujandi, *quam pater meus*, inquit, *bonæ memoriæ Heinricus rex anno ætatis meæ* X°. *liberam faciens, etiam sigillo regiæ imaginis confir*» *maverat:* & rogatu domni Ingelranni & optimatum prædicti castri decernit, ut » quidquid idem Ingelrannus, aut ipsius castri milites eidem abbatiæ de beneficio » ejusdem castri, *quod regio fisco adtinet*, dare voluerint, liberam habeant facultatem, ut suo loco fusius dicturi sumus. De primis Codiciaci dominis [c] inferius.

c *lib.* 64. *n.* 129.

XLIII. S. Petro Carnutensi factæ donationes.

Hoc tempore confectum [d] est diuturnum bellum, quod inter Heinricum Francorum regem & Willelmum ducem Nortmannorum [e] intercesserat. Ad id tempus referenda videtur donatio, Carnutensi sancti Petri monasterio facta a quodam milite clari generis, nomine Richardo, qui possessionem suam in Gausberti-villa S. Petro contulit *in anno, quo finitum est intestinum bellum, quod inter Heinricum regem & Willelmum comitem diu duraverat.* Ista autem donatio hac occasione facta est. Cum prædictus miles Richardus a Willelmo comite cum aliis Nortmannis custodiæ castri Tedinarum [f], quod cum habitatoribus suis tunc *anathematum* seu diris suppositum erat, deputatus esset; ibidem letali morbo, quo & exstinctus est, correptus, per Nigellum sororium suum effecit apud Gaufridum sancti Petri monachum, qui tunc forte aderat, *ut ad episcopum civitatis* curreret, & tam ipsum, quam alios absolvi curaret, corpusque suum ad cœnobium sancti Petri sepeliendum deferret, eo pacto, ut monachi ab illo die tertiam partem Gausberti-villæ possiderent. Id re ipsa effectum a Gaufrido monacho; idemque Richardus, absolutione impetrata, in sancti Petri monasterio inter primores civitatis humatus. Hanc donationem dux Willelmus confirmavit in villa Curtis-dominicæ, non longe a castro Drocarum, præsentibus optimatibus suis; Willelmo scilicet Osberni filio, Walterio-Gifardo, Fulcone de Alno, & aliis; eamdemque ejusdem defuncti fratres, Willelmus atque Balduinus, ratam habuere pridie nonas Augusti, *ipsa die, qua mortuus est Heinricus rex Franciæ*, id est anno sequenti, ut legitur in notitia hac de re facta per Landricum sancti Petri abbatem.

d *Gemet. li.* 7. *c.* 28.

e *sup. n* 21.

f *V. inf. n.* 46.

Eodem tempore Walterius comes, Drogonis Ambianensium comitis filius, superiorem ecclesiam Ledonis-curiæ fratribus cœnobii sancti Petri concessit, necnon *terram intra vallem, sicut olim castrum fuisse videtur*, cum decima pecudum, candela & pane, atque sepultura hominum ibidem habitantium, & alia. Actum dominica septuagesimæ *anno vicesimo-nono Heinrici regis*; ejusque donationis instrumentum super altare cellæ Gesiaci posuit. Testes Teduinus vicecomes Mellentis castri, Gualo vicecomes castri Calidi-montis, Nivardus de Monte-forti, Drogo de Conflante, & alii. qui Drogo hanc donationem auxit *deprecatione Landrici abbatis.* Drogo vero

ANN. CHR. 1059.

vero, Ambianensium comes mox laudatus, cellæ Gesiaci quædam relaxavit, datis litteris, quibus apposita sunt signa Ehtdæ comitissæ ejus conjugis, Fulconis Drogonis fratris, ejusque Drogonis filiorum, Rodulfi & Walterii, de quo mox agebamus. Nec omittenda donatio cujusdam Odonis, Guasonis filii, qui ecclesiam villæ Villonis pæne destructam, cum terra unius aratri, sancto Petro atque Landrico abbati, ejusque monachis restituendam ac possidendam, donavit annuente Agoberto Carnutum venerabili episcopo, *necnon nobilissima domina Mahilde atque ejus filio Willelmo*, a quibus hanc ecclesiam tenebat idem Odo, qui quinquaginta solidos nummorum pro caritatis dono a monachis accepit. Actum eodem anno, quo Heinricus filium suum sibi in regno substituit. Hoc proinde anno Carnutensem ecclesiam regebat Agobertus episcopus, quo annuente Albertus [a] quidam, filius Ribaldi nobilissimi viri, ecclesiam vici Brueroliensis, in honorem sancti Germani Autisiodorensis episcopi constructam, eidem loco largitus est, confirmante Heinrico rege, a quo Ribaldus Alberti pater eam acceperat. Post mortem vero Heinrici regis Philippus rex anno regni sui secundo, una cum Anna matre sua, *Drocis in sua camera*, hanc chartam, eodem Alberto exorante, manu propria firmavit, suorumque manibus subscribendam & corroborandam tradidit. Hi sunt *Balduinus Flandrensis comes*, juvenculi regis custos ac tutor, *Simon Radulfi comitis filius, Tedbaldus de Monte-Morentiæ, Hugo butillarius* seu buticularius, *Adelarius cubicularius, Ingelrannus pædagogus regis, Hugo Dublellus, Rodbertus Rufus.* In prædicta ecclesia erecta fuit cella, in qua miles quidam, Rainerius nomine, cognomento Finemundus, habitum monasticum in extremis suscepit.

a *Gall. chr. to.* 2. *p.* 487.

XLIV. Præbendæ Cluniacensibus datæ.

Agoberto Carnutensi episcopo mox laudato non multo post successit Arraldus, qui Hugoni abbati & fratribus Cluniacensibus præbendam in sua ecclesia concessit ad obtinendam ejus loci suffragiorum communionem. In litteris hac de re scriptis ita ipse loquitur. *Ego Arraldus, ecclesiæ Carnotensis indignus episcopus, & ejusdem ecclesiæ canonica fraternitas, notum fieri volumus omnibus orthodoxæ ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, quod nos pariter bona fama virtutum Cluniacensis monasterii, tamquam florentis hortuli suavissimo liliorum atque rosarum odore perflati, & idcirco habendæ fraternitatis ejusdem monasterii desiderio inspirati, præbendam quam habebat Fulcherius, filius Nivelonis, sic fratribus prædicti monasterii, rogatu ejusdem Fulcherii in perpetuos usus concedimus, & canonica auctoritate firmamus habendam: ut ab hac die in posterum usum-fructum ejusdem præbendæ percipiant, nullumque hebdomadale servitium in nostra ecclesia pro eadem præbenda faciant.* His litteris triginta subscripsere canonici cum Arraldo episcopo, qui eas regia manu, ac Richerii metropolitani sui roborari curavit. Arraldus seu Adraldus episcopus ante episcopatum abbas fuerat Bremetensis [b] in Italia, & quidem ex monacho Vindocinensi, ut testantur sancti Albini monachi in epistola ad nepotem papæ in causa ecclesiæ Credonensis. Consimilem cum Cluniacensibus societatem, data itidem præbenda, inierunt Isembardus episcopus [c] & canonici Aurelianenses, ea conditione, ut duos pauperes quotidie pascerent Cluniacenses, unum sub persona episcopi, alterum sub persona canonicorum; ex quibus qui vellent fieri monachi, gratis reciperentur. Post Isembardum episcopum apposita sunt signa Rodulfi abbatis Miciacensis, Hugonis episcopi Nivernensis & Aurelianensis ecclesiæ abbatis & canonici, Gunonis præcentoris, & aliorum. Denique sancti Aniani ejusdem urbis canonici eisdem Cluniacensibus unam ecclesiæ suæ præbendam assignant, velut *cementum sanctæ quam contrahunt societatis.*

b *Spicil. to* 6. *p.* 452.

c *Analect. meorum to.* 2. *p.* 258.

XLV. Majori-monasterio facta restitutio.

Jam dudum Gaufredus Andecavensium comes *terram Montis-Hudulfi*, quam de Semita * vocant, Majoris-monasterii monachis abstulerat, eamque retinebat. Hoc prædium situm erat in pago Vindocinensi, silvæ Guastinensi a latere meridiano adjacens, inter fluviolos Glandessam & Guberneſſam. Hoc sæpius repetierant monachi, primum quidem in placito curiæ ejusdem comitis, deinde *in concilio generali*, scilicet Turonensi, *cui præsidebat Hildebrannus vicarius papæ Romani*, id est legatus Victoris II. Sed tandem juris evidentia victus comes, illud prædium sancto Martino restituit una cum duabus ecclesiis, quæ ibidem antiquitus constructæ erant. quam restitutionem primum quidem fecit in castro Salmurensi; postea in capitulo Majoris-monasterii denuo ratam habuit, præsentibus Bartholomæo Turonensi archiepiscopo, Eusebio Andecavensi pontifice, Theoderico sancti Albini, & Wlgrino

* le Senior.

ANN. CRH. 1059.

sancti Sergii abbatibus; ejusque restitutionis chartam super altare sancti Martini posuit, assentientibus nepotibus suis, *Fulcone Vindocinensium comite naturali*, Gaufredo, & altero Fulcone; eamque Heinrici Francorum regis auctoritate roborari curavit. Horum omnium apposita sunt signa, multorumque aliorum, tam clericorum, quam laïcorum, in his *Landrici archidiaconi Andegavensis*, qui in locum Berengarii forte suffectus erat. Post has omnes subscriptiones ita subditur. *Hæc omnia ut firmius roborarentur, suo postea Francorum rex auctoramento Henricus, ut præmissum est, firmavit, eo videlicet anno, quo filium suum fecit regem ordinari Philippum, paucis ante illam ordinationem diebus, quando obsidebat castrum, Teodemerense nuncupatum, in pago Carnoteno, noviter a quodam Guazone constructum; cartamque istam proprio, ut cernitur, sigillo munivit.* Ex quo intelligitur, reges Francorum subditorum suorum instrumentis nonnumquam sigilla sua apposuisse. In quadam charta sancti Petri Carnutensis, Guazo iste bellum habuisse dicitur cum Alberto nobilissimo viro, qui multa sancto Petro beneficia contulit. Odo Guazonis filius quædam etiam eidem loco donavit, ut paullo [a] ante vidimus,

a *sup. n.* 43.

Fontis-Melandi cella.

Hoc ipso tempore condi cœpit cella Fontis-Melandi, fundum suppeditante Stephano Blesensi comite, cum consensu filii sui Heinrici, rege autem Heinrico approbante, paullo ante quam filius ejus Philippus rex inauguraretur. Locus iste positus est, Blesas inter & Ambasiam, a ripa Ligeris non multum submotus, & quidem in silva Blimartii, cujus partem ad construendam hanc cellam antea sancto Martino contulerat Odo comes, Campanensis dictus, pater Stephani mox laudati, qui patris donationem auxit.

XLVI. Rodbertus Uticensis abbas.

b *sup. n.* 23.

c *Orderic. li.* 3. *p.* 477.

Post mortem Theoderici [b] abbatis, Uticenses pastore orbati, Rodbertum de Grentesmaisnilio, ejus quondam æmulum, sed nobilitate & rerum gerendarum peritia insignem, elegerunt, eumque confirmandum adduxerunt ad Willelmum ducem. Hic vero *per cambutam* [c] *Ivonis episcopi Sagiensis* electo *exteriorem abbatiæ potestatem tradidit: Willelmus vero Ebroicensis episcopus interiorem animarum curam per pontificalem benedictionem* XI. *kal. Julii spiritualiter commendavit.* Mox institutus novus abbas, res monasterii strenue procurare cœpit, easque ex propinquorum suorum opibus augeri curavit: sic temporalibus intentus, ut spiritualia nequaquam negligeret. Institutiones quippe decessoris sui non modo non imminuit, sed e contrario perfecit majorum ac vicinorum exemplo, maxime Cluniacensium, apud quos, cum adhuc neophytus esset, permissu Theoderici abbatis sui, aliquamdiu conversatus fuerat sub disciplina venerabilis Hugonis abbatis: quo ex loco reversus cum Bernefrido illustri monacho, ipsi ab Hugone associato, *qui postmodum episcopus factus est*, Cluniacensium mores Uticensibus insinuavit. Eo abbate, multi Uticum ad conversionem venerunt, in his Mainerius, Gunscelini de Escalfoïo filius, qui post aliquot annos ejusdem cœnobii regimen iniit.

d *V. lib. 59. n. 96.*

Tunc etiam Rodulfus, cognomento [d] Mala-corona, ex Majori-monasterio, ubi septem annis sub Alberto abbate egerat, Uticum accessit, cum Rodberto abbate, suo videlicet nepote, habitaturus; vir liberalibus artibus apprime eruditus, præsertim medicinæ, adeo ut in urbe Salernitana, ubi ab antiquis temporibus maxime ars illa semper viguit, nullum sibi parem, præter quamdam matronam, haberet. Hic ad expianda flagitia, quæ in sæculari militia perpetraverat, lepræ morbo, uti a Deo multis precibus petierat, percussus, in proximam sancti Ebrulfi capellam secessit cum Goscelino monacho, quem ad Dei servitium, suique solatium abbas ei concesserat: ubi longo tempore versatus est, multisque, qui ad eum pro sapientia & nobilitate sua confluebant, *consilio pietatis* profuisse traditur. Hujus frater Rodbertus, Geroii, ut ille, filius, adversus Willelmum ducem [e] rebellis, cum ad ignem hieme sederet una cum Adelaïde conjuge, ducis consobrina, quæ quatuor mala, veneno infecta, manu gestabat; duo ex illis rapuit, & nesciens quod venenata essent, uxore contradicente comedit, & post quinque dies exstinctus est, sepultusque in castro sancti Serenici ab se munito, unde postmodum a Rodberto nepote suo Uticum translatus, in claustro honorifice humatur. Successit in ejus honorem Ernaldus ipsius frater, cujus ope Rodbertus abbas vicinos quosdam subditos sibi rebelles ad officium redegit: ex quibus Baldricus de Balgenzaïco Rodberto abbati *junctis manibus* fidelitatem & subjectionem promisit. Intra breve triennii tempus, quo Rodbertus Uticensibus præfuit, numerus monachorum ad quadraginta auctus est,

e *Orderic. p.* 478.

ANN. CHR. 1059.

novaque basilica, eaque ampliſſima, in honorem sanctæ Dei-genitricis Mariæ inchoata, quam ille ob varias vexationum procellas perficere non potuit.

XLVII. Durandus Troarni abbas.

Jam novem [a] anni erant, ex quo Troarnensis abbatia condi cœpta fuerat, cum ecclesia ab Odone Bajocensi episcopo dedicata est, scilicet III. idus Maii, & loci regimen Duranno seu Durando abbati commissum. Durandus assumtus est ex Fontanellensi monasterio, Gerardi abbatis nepos, auditor Ilsemberti [b] abbatis Montis-sanctæ Catharinæ. Monachorum prima colonia deducta est a Gisleberto Castellionensi abbate, qui Gerberto novi monasterii ordinationem commisit. Hinc Ordericus ejusdem loci eruditos [c] patres commemorans, Gerberto, Durando & Arnulfo prima loca tribuit. In editis tamen & in vetustis Troarni monumentis Durandus primus abbas ponitur, nimirum quod primus post ecclesiæ dedicationem rexerit illum locum, cujus ædificia Gerbertus forte ordinaverat. Durandus *ab infantia* [d] *monachus* fuisse dicitur, *religione & sapientia præcipuus, ecclesiastici cantus & divini dogmatis doctor peritissimus*; sibi durus, aliis mitis. In primis commendatur ob scriptum opusculum de corpore & sanguine Domini, quod Ansfrido Pratellensi abbati nuncupavit. Gerbertus Fontinellensis, Ainardus Divensis, & Durandus Troarnensis, *quasi tres stellæ* [e] fuisse dicuntur, in firmamento cæli refulgentes, religione, caritate, multiplicique peritia pollentes, qui studio divinæ laudis jugiter inhiabant.

a *V. lib. 59. n. 97.*

b *V. lib. 60. n. 13.*

c *Orderic li. 3. p. 462.*

d *id. lib. 8. p. 676.*

e *id. lib. 4. p. 530.*

XLVIII. Anselmus fit Becci monachus.

Postea quam Anselmus aliquantum temporis apud Abrincas [f] demoratus fuisset, in Beccense monasterium accessit, adductus fama & eruditione Lanfranci magistri, qui illic frequentes discipulos habebat. Agnita ejus sapientia, Anselmus ejus magisterio statim se subdidit, eique post paullum præ ceteris familiaris exstitit. Occupatus noctu & interdiu litterarum studio, non tantum sibi, sed etiam aliis proficiebat. At recogitans, quam frustra se torqueret, nihilque meriti forte apud Deum haberet; visum est ei, quod, si monachus fieret, omnia ipsi cederent in spiritualem profectum. Concepto itaque vitæ monasticæ voto, hæsit quo in loco, Cluniaci an Becci, id exsequeretur. Principio neuter ei locus arridebat, ratus se utrobique obscurum fore, quod & Cluniacensis ordinis florens disciplina, & Lanfranci apud Beccum supereminens scientia nihil reliqui ipsi faceret, quo aliis aut prodesse, aut præcellere valeret. Satius proinde esse, ut locum illum præferret, ubi & scientiam ostentare, & virtutem aliis in exemplum exhibere posset. Sic ille de se ludens referre solitus erat. Postmodum autem in se reversus: Quid, inquit, somnior? Itane « monachum fieri licet, ut aliis præponaris, ut præ ceteris honoreris? Immo vero hic « monachus fias, ubi cunctis propter Deum postponaris, cunctis obscurior habearis & « abjectior. Itaque Lanfrancum præ ceteris sibi consulendum statuit, eique se in seligendo vitæ instituto ad tria fluctuare exposuit, videlicet monachusne, an eremi cultor, an sæcularis vitæ sectator fieret. Rem sibi visam difficilem ad Maurilium Rotomagi archiepiscopum referendam censuit Lanfrancus. Monasticum propositum aliis præferendum pontifex edixit. Mox acquievit Anselmus, tumque Becci monachus factus est sub Herluino abbate & Lanfranco priore, annos natus viginti-septem. Mox ita se religioni in omnibus addixit novus tiro, ut omnium religiosius viventium mores æmularetur, brevi factus aliorum speculum & exemplar; post triennium factus loci prior post Lanfrancum, quod officium cum post tres vitæ privatæ annos inierit anno M LXIII. eum non serius hoc anno monachum factum fuisse dicendum est.

f *V. lib. 57. n. 47.*

XLIX. S. Michaëlis de Ulteriori-portu monasterium conditur.

* *la ville d'Eu.*

Sub idem tempus monasterium sancti Michaëlis de Ulteriori-portu infra Augum * opidum ad oram oceani construxit Rotbertus Augensis seu Aucensis comes, eo nomine primus, consilio Maurilii archiepiscopi Rotomagensis, Willelmi Nortmannorum ducis, aliorumque Nortmanniæ optimatum, monitu & instinctu Beatricis comitissæ uxoris suæ; illudque liberaliter dotavit, unde monachi illic alerentur, qui pro sua, suorumque salute, Beatrice uxore, filiisque suis Radulfo, Willelmo atque Rotberto, Deum assidue exorarent. In litteris hac de re vulgatis mendum irrepsit in annum incarnationis, qui annus M XXXVI. in editis notatur. quod erratum ex eo refellitur, quod Maurilius Rotomagensis archiepiscopus, cujus consilio hæc abbatia condita dicitur, non ante annum M LV. illam iniit sedem. Ob similem rationem hæc constructio anno M XXXVI. fieri non potuit consilio Willelmi Nortmannorum ducis, qui tunc vix unius anni erat. Nulla in his litteris mentio de Lescelina Rotberti comitis matre, quæ anno M LVII. decesserat. adeoque post illum annum condita est hæc abbatia, sed ante annum M LXVI. quo Willelmus dux

ANN. CHR. 1059. a *Gall. chr. to. 4. Acherius, Neustria pia.*

Nortmannorum regnum Angliæ adeptus est, qui dux tantum appellatur in illis litteris [a] non semel editis. Denique in chartaceo codice monasterium istud anno M LIX. conditum fuisse legitur. Primi ejus loci monachi e Monte sanctæ Trinitatis & sanctæ Catharinæ prope Rotomagum assumti, duce Herberto, quem Rainerius abbas excepit. Is *sanctæ recordationis* pastor primus dicitur in necrologio ad XIV. kal. Maias. Huic successisse dicitur *piæ memoriæ* domnus Drogo abbas secundus, laudatus ad tertium nonas Martii; & ad XI. kal. Aprilis *reverentissimus vir* domnus abbas Aluredus, *istius loci gubernator tertius.* Attamen apud Robertum de Monte primus Ulterioris-portus abbas fuisse dicitur Herbertus monachus sanctæ Trinitatis de Monte Rotomagensi; secundus Alveredus seu Aluredus, tertius Osbernus monachus ejusdem loci: quartus Fulcherius monachus Cluniaci, cujus idem Robertus æqualis erat. at præferenda videtur necrologii auctoritas. Hæc tamen discrepantia sic forte conciliari potest, ut Rainerius, qui Montis sanctæ Catharinæ tunc abbas erat, primus abbas creditus sit, sub quo Herbertus pastoris officium gesserit. In prædictis litteris Rotbertus comes ad dotem monasterii inter alia donat *sanctum-Martinum-de-Silva*, liberum & quietum, *ubi quondam domnus Gervinus abbas sancti Richarii eremiticam vitam duxit.* qua de re nihil in ejus vita legitur.

L. Moisiaco concessum Lectorense monasterium.

Regebat tunc Moisiacense apud Cadurcos monasterium Durannus seu Durandus episcopus & abbas, cujus tempore multæ huic loco accessiones factæ sunt. In his Lectorensis sancti Genii ecclesia, quæ pro matre ecclesia in illis partibus habebatur, ab indigenis Moisiaco subjecta fuit. quippe hoc anno, dominicæ incarnationis M LIX. immanissima clades in Limaniæ vicecomitatu accidit ob cædem cujusdam militis Galterii *de Tudel*, ob quam multæ villæ & ecclesiæ occulto Dei judicio combustæ, ipsumque sancti Genii Lectorense monasterium in favillas redactum est, multi etiam ejus loci incolæ cremati. Qui superstites erant, consilio cum primoribus illarum partium habito, monasterii parietes ambustos sancto Petro Moisiacensi & domno Duranno episcopo & abbati cum omnibus decimis & primitiis, necnon ecclesiæ sanctæ Genovefæ tradiderunt. Facta sollemniter hæc donatio mense Junio, die dominica, *in præsentia & manu Otgerii prioris, & aliorum multorum fratrum.* Prædictus Durannus, ex monacho Cluniacensi abbas & Tolosanus episcopus, laudatur ab Hildeberto in libello de vita sancti Hugonis abbatis, tenebatque hanc abbatiam sub comite Tolosano, qui eam a rege Francorum in beneficium obtinuerat; & sub Gausberto principe, qui eamdem a comite emerat, ut inferius videbimus.

LI. S. Agerici abbates, & viri illustres.

Virdunense sancti Agerici monasterium ad hunc usque annum per viginti annos administravit Baldericus [b] abbas primus, cujus tempore ibidem disciplina regularis maxime floruit. Illinc assumtus est vir eximiæ nobilitatis & virtutis Godefridus [c] ad præfecturam monasterii sancti Quintini prope Perronam, ut ex sancti Agerici necrologio discimus. Tunc etiam inclusæ seu reclusæ ibidem degebant. qualis fuit Walburgis abbatissa sanctæ Scholasticæ de Juviniaco, *quæ quondam exstitit inclusa S. Agerici*, ex eodem necrologio ad VIII. idus Martias. Ibidem IV. idus Decembris laudatur Fulgentius abbas S. Petri Haffligeniensis, *monachus S. Agerici.* quæ omnia loci celebritatem probant, cujus prima laus Balderico abbati debetur. Hic vero ibidem hoc anno decessit VI. idus Aprilis. Ejus successor Encelinus Teutonicus triennio tantum locum rexit, mortuus XII. kal. Aprilis. Sub tribus ejus successoribus, Stephano Leodicensi, qui anno M LXXXIV. obiit; Bosone, qui bibliothecam auxit, decessitque anno M C VI. & Rotfrido, perseveravit integra disciplina regularis.

b *lib. 57. n. 27.*
c *supra n. 11.*

LII. Epternacenses festum reliquiarum instituunt.

Eadem etiam tunc vigebat in Epternacensi monasterio sub Regimberto abbate. Is, ut erat contemplationi in primis deditus, viso cælitus admonitus est, ut omnium sanctorum, quorum reliquiæ illic habebantur, festum institueret, tamquam opportunum inter illius temporis ærumnas præsidium & suffragium. *Anno* itaque *incarnati Verbi* M LIX. *indictione* XII. *anno vero regni Henrici quarti regis, tertii imperatoris quarto, suæ autem ordinationis nono*, Regimbertus abbas, habito cum senioribus ejus loci consilio, decrevit, ut in posterum hoc festum XIII. kal. Decembris celebraretur. quod ut majori cum devotione peragereturr, Thiotfridus ejus successor quatuor libris sanctorum reliquias celebravit, quos *Flores epitaphii sanctorum* inscribi voluit, & in fine libri quarti institutionis ejusdem festi meminit.

LIII. Meginherus abbas Hersfeldensis obit.

Hersfeldensi monasterio infestus & luctuosus fuit hic annus obitu Meginheri

ANN. CHR. 1059. a *Lambert. hoc anno.*

abbatis, qui *vir magnarum in Christo virtutum, & unicum sua ætate in Teutonicis regionibus recte ac monastice vivendi exemplar* fuisse [a] traditur. Hic paullo ante obitum a Burchardo Halberstadensi episcopo ob decimationes vexatus, ad Nicolaum pontificem hac de re scripsit. Mox pontifex litteras & mandata direxit eidem episcopo, *ne statutos patrum terminos transgrederetur, neve monasterium Herveldense superfluis concertationibus* perturbaret. alioquin, si pergeret ei molestus esse, se *apostolicæ auctoritatis virga usurum adversus ejus inobedientiam*: præsertim cum monasterium illud sub jurisdictione esse Romani pontificis tot suorum prædecessorum privilegia testarentur. Abbati quoque epistolam consolatoriam scripsit, testante Lamberto ejusdem loci tunc monacho: qui interim ex Jerosolymitana peregrinatione, quam inconsulto abbate aggressus erat, ad monasterium suum reversus XV. kal. Octobris, abbatem suum, uti multis a Deo precibus postulaverat, superstitem & incolumem reperit, eumque facile placavit, &, quasi ab inferis redivivus emersisset, sic obviis, ut aiunt, manibus cum magna animi gratulatione ab eo exceptus est. Verum breve illud gaudium fuit. nam eodem die, quo Lambertum culpa absolverat piissimus abbas, quasi ejus absolutioni ipsius vita reservata fuisset, febre correptus, per octo dies gravi morbo decoctus, VI. kal. Octobris feliciter cursum consummavit, appellato ad Dei tribunal ob ejus vexationes Burchardo episcopo: qui paucis post abbatis obitum diebus, cum synodum ad illam de decimis litem dirimendam indixisset, & ad locum indictum pergere vellet; repente divina, ut creditur, animadversione ictus corruit, reportatusque ad cubiculum, adscitis ocius presbyteris suis per Deum obtestatus est, ut decimas suas Hersfeldensibus restituerent Cumque Magdeburgensis & Hildensheimensis episcopi eum visitaturi adveniissent. cum magno ejulatu fatebatur, se juxta prædictionem eximii abbatis ad tribunal Dei jam jam abripi, & pro rerum alienarum invasione rationem exigi; rogabatque obnixe, ut, missis Hersfeldiam nuntiis, veniam sibi pro commisso supplices precarentur. Nec multo post, disruptis ex morbi violentia visceribus, exspiravit. Uto quoque ejus archipresbyter, ac litis incentor, eodem anno subita morte, sine confessione, sine sacra communione, interiit. Hæc ex Lamberto, qui addit, Meginhero abbati VI. idus Novembris substitutum fuisse Ruothardum seu Ruthardum *Corbeiensis disciplinæ* monachum, qui in Corbeiensi monasterio quondam abbas ordinatus fuerat: sed quorumdam criminum falso, ut creditur, insimulatus, abbatia omissa, aliquot annos per diversa monasteria privatus exegerat.

Lambertus Jerosolymis rediit.

LIV. Sigefridus Fuldæ abbas fit archiepiscopus.

Sub finem quoque hujus anni, id est VII. idus Decembris, Lupoldus archiepiscopus Moguntinus obiit, relicto in sui monumentum monasterio sancti Jacobi, quod propriis impensis extra muros Moguntiæ in monte Speciosо exstruxerat. Lupoldo successit Sigefridus abbas Fuldensis: abbatiam autem obtinuit Wideradus ejusdem cœnobii monachus, ejusdemque generis ac familiæ. Dubia, immo & sinistra fama fuit Sigefridi archiepiscopi, qui licet e Fuldensi ascaterio, uti & ipsius decessor, assumtus, multas tamen injurias Fuldensibus ob decimas concivit, Heinrico turbulentissimo imperatori præter jus & æquum addictus, ut in consequentibus videbimus. In eo tamen de Ordine suo, id est Benedictino, bene meruit, quod Erfordense [b] apud Turingos sanctorum Petri & Pauli monasterium, quod ad canonicos deflexerat, monachis nostris restituit. Cum vero paucis post annis ædificia partim flammis consumta, partim vetustate collapsa fuissent, ea Burchardus sub duodecimi sæculi initia instauravit. Ruthardus archiepiscopus Moguntinus anno M LXXXIII. creatus est ex abbate illius monasterii, quod hactenus sub ordine Benedictino subsistit.

Erfordiæ monasterium instauratum.
b *V. lib. 57. n. 68.*

ANN. CHR. 1060. LV. S. Martini de Campis instaurata basilica.

NOn diu post coronatum regem Philippum superstes fuit Heinricus ejus parens, quippe qui anno insequente M LX. exstinctus est. Sed antequam hac de re dicamus, basilicæ sancti Martini de Campis ab eo instauratæ, quod postremum ejus opus fuit, commemoratio præmittenda. Hæc basilica extra muros urbis Parisiacæ, olim posita in campis, a quibus cognomen accepit, retinetque etiam nunc, longe ante hæc tempora steterat, ut constat in primis ex placito [c] Childeberti regis, eo nomine tertii, de mercato sancti Dionysii, quod ob clades illius temporis ad civitatem Parisiacam, *inter sancti Martini & sancti Laurentii basilicas* translatum fuisse legitur. Eamdem illius basilicæ antiquitatem probat Heinrici regis [d] diploma, in quo *ante Parisiacæ urbis portam in honore confessoris Christi Martini*

c *Diplom. p. 483.*
d *Hist. S. Martini p. 4.*

ANN. CHR. 1060.

abbatia (sic eam vocat) fuisse dicitur. *quam tyrannica rabie*, forte Nortmannorum, *quasi non fuerit, omnino deletam*, ex integro ampliorem restituit idem rex; & ecclesiam, *quæ diu sterilis, amissa prole, fleverat, canonicis regulari conversatione ibidem* Deo famulaturis concessit; quibus Ingelardum abbatem præfecit. Atque ut illi sine sollicitudine divinis rebus vacare possent, idem princeps eamdem ecclesiam liberalissime dotavit, assignatis multis prædiis ac villis, quæ in eodem diplomate, sæpe jam edito, enumerantur. Vitiosæ sunt in editis illius diplomatis chronicæ notæ, quod datum dicitur *anno supra dicti regis* XXVII. *anno ab incarnatione Domini* M LX *. *indictione* XV. *Parisius publice*. ubi corrigendus annus regni Heinrici, qui anno M LX. annum regni sui vicesimum-nonum agebat; corrigenda item indictio, quæ tertia-decima illo anno erat. Regiis litteris appositæ sunt post Heinricum signa Philippi regis, Annæ reginæ, archiepiscoporum Mainardi Senonensis & Gervasii Remensis; episcoporum Imberti Parisiensis, Widonis Ambianensis, Walteri Meldensis, Elinandi Laudunensis, Frollandi Silvanectensis, & Trecensis, forte Hugonis; totiusque regni optimatum. Quod attinet ad canonicos *regulari conversatione* viventes, qui in illa basilica ab Heinrico instituti sunt, non dicuntur fuisse regulæ sancti Augustini addicti. Forma eorum habitus exhibetur in Martiniana historia: sed nullo modo convenit cum pictura chartacei codicis, ex quo desumta est, ideoque nullius momenti habenda. certe nec pictura ista, ex qua, utpote rudissima & fere derrita, nihil certi elici potest. Patris institutionem ac donationes confirmavit auxitque Philippus rex, qui hanc basilicam dedicari curavit, eamque demum nostris Cluniacensibus in manu Hugonis abbatis tradidit, ut inferius dicturi sumus. Tempore canonicorum quidam recluſus, Johannes nomine, ad sancti Martini basilicam degebat. Ejus rogatu Philippus stipendia pauperibus & peregrinis eo confluentibus largitus est, uti petierat bonus ille *frater Johannes incluſus sancti Martini, vir bonæ memoriæ*, (sic in diplomate [a]) de sustentatione pauperum perquam sollicitus.

[a] *ibid. p. 18.*

LVI. Heinricus rex obit.

Non multo post instauratam sancti Martini basilicam Heinricus rex, multis pie & glorioſe in regno gestis, ex venefica potione, quam [b] Johannes medicus Carnutensis, cognomento Surdus, ipsi præbuerat, hausta ante purgationem aqua, cum magno suorum mærore ac luctu exstinctus est pridie nonas Augusti, anno ætatis circiter quinquagesimo-tertio, relictis ex Anna conjuge tribus filiis, Philippo, Rotberto & Hugone: ex quibus Philippus, rex anno superiore coronatus, septennis [c], immo decennis ex dictis [d], manum sceptro jam admoverat sub custodia & tutela Balduini vere Pii Flandriæ comitis, qui Adelam, Heinrici regis sororem, in conjugium habebat. Locum, ubi mortuus est Heinricus, *Victriacum castrum in Bieria* vocat Clarius monachus, quem locum frustra in Briegio ponunt recentiores. Bieria silva nunc Fontis-Blaudi vocatur, ubi ædes regiæ saltem a tempore Ludovici Junioris. Illic inter illas ædes & opidum ad viam, quæ fert Moretum, visitur Crux Vitriaci hactenus dicta: quo in loco forte olim castrum cognomine fuerit, ubi mortuus Heinricus, qui in fano sancti Dionysii ad patrem avumque humatus est. Philippus rex Silvanectis hoc ipso anno versabatur, cum Bellovacensi sancti Luciani monasterio remisit omnes consuetudines, quæ ab anteceſſoribus suis quibusdam illius monasterii villis impositæ fuerant; eidemque gratuitum indulsit transcursum super Alteïam * fluvium, ita ut nemo tam extra, quam intra Monasteriolum * castrum, quidquam ex sancti Luciani carris aut summariis exigere ausit. *Actum Silvanectis anno Dominicæ incarnationis* M LX. *& regis Philippi primo*. His litteris adscripta sunt signa Annæ reginæ, Rotberti regis fratris, Frollandi episcopi Silvanectensis, Willelmi & Rodulfi comitum, aliorumque. *Balduinus cancellarius dictavit, & Eustachius subscripsit*. Tunc sancti Luciani monasterio præerat Hucbertus, Theobaldum sortitus successorem: cujus tempore ecclesias de Bubulis *, quas Hugo comes de Domno-Martino injuste invaserat, favente Widone Bellovacensi episcopo, recuperavit.

[b] *Orderic. lib. 3. p. 480.*

[c] *Tortar. cap. 24.*

[d] *supra n. 42.*

Philippi diploma pro S. Luciano.

* *la riviere d'Autie.*

* *Montreüil.*

* *Bulles.*

LVII. Flaviacenſes cellæ.

Jam biennium erat, ex quo in locum [e] Gunterii Flaviacensis abbatis successerat Garnerius, cum cella sancti-Sepulcri-de-Villaribus in pago Belvacensi condita est. Ejus auctor Lanscelinus senior [e], Fulconis Belvacensis filius, vir magnæ nobilitatis & potentiæ, qui ex Jerosolymitana peregrinatione reversus, ecclesiam in honorem sepulcri dominici exstruxit, collaborante Garnerio abbate; eamque Fla-

[e] *Guibert. p. 603. Louvet. Antiq. p. 449.*

viacensi monasterio subjectam esse voluit. Hoc opus cœptum est menſe Martio, anno M LX. ut fusius legitur in primario hac de re instrumento, in quo Petrus sancti Luciani abbas hujus cellæ dotationi favisse dicitur. Eodem fere tempore cella beatæ Mariæ de Alleria prope & extra muros Calvi-montis in pago Vilcassino erecta fuit, & Flaviaco subdita, haud dubie a Rotberto ejusdem opidi domino, cujus cadaver apud Alleriam [a] Mainerius abbas Uticensis in capitulo fratrum non multo post sepelivit. Certe Gallo de Calvi-monte, fundatorum heres, huic cellæ dotem assignavit tempore Rotberti archiepiscopi Rotomagensis, eo nomine primi, cum illius loci ecclesia dedicaretur.

ANN. CHR. 1060.

[a] *Orderic. lib. 3. p. 496.*

LVIII. Cormelienſe monasterium.

In Neustria eodem tempore novæ monachorum coloniæ institutæ. Præcipua fuit apud Cormelias; qui locus est diœcesis Lexoviensis, Lexovium inter & Pontem-Audomari ad Calonnam fluviolum situs: ubi Guillelmus Osberni filius, a quo Lyrense monasterium conditum fuisse diximus, insigne suæ pietatis monumentum erexit, exstructo in honorem sancti Petri, dotatoque [b] cœnobio, in quo ipse post mortem humatus fuit, vir magnæ apud Willelmum Conquæstorem auctoritatis, a quo Herfordiæ comitatum, & Nortmanniæ præfecturam obtinuit. Novi monasterii constructioni præfuit Osbernus, monachus sanctæ Trinitatis seu sanctæ Catharinæ de Monte Rotomagensi, qui, nondum perfecto forte opere, anno M LXIII. Uticensis abbas electus, locum fecit Gisleberto Cormeliarum primo abbati. Hunc statim excepit Guillelmus, quem inter viros sanctitate & sapientia præcipuos Ordericus [c] numerat. Nunc, prô dolor! prope interitum est haud ignobile monasterium: basilica igne cælesti jam dudum pæne consumta: ædes regulares situ ac senio deformatæ: exiguus omnino numerus monachorum, tametsi cum censu adhuc sufficienti. denique omnia ruinæ proxima, nisi illic brevi excitetur religio, qua languente deficiunt omnia, uti ea stante ac vigente omnia consistunt, eademque restituta denuo reflorescunt.

[b] *Gemetic. lib. 7. cap. 22. & 25. & Orderic. lib. 3.*

[c] *Orderic. lib. 11. p. 839.*

Belli-montis & Rodonii cellæ.

Sub idem tempus cellam Belli-montis in Algia sub patrocinio Deiparæ construxit Rotbertus-Bertrannus, Ronchevillæ toparcha, cum uxore sua Susanna, approbantibus Willelmo duce & Mathilde comitissa, eamque sancti Audoëni abbatiæ subjecit. Posita est hæc cella in eadem Lexoviensi diœcesi, haud ita procul a Ponte-episcopi, nuper a nostris restituta, & locis regularibus insignita: ubi schola puerorum indigenarum habetur, qui ab uno e nostris non minus ad pietatem, quam ad litteras efformantur. Eidem sanctissimæ Deiparæ nuncupata est cella Rodonii, *, prope Meduntam * opidum diœcesis Carnutensis, Fontanellæ subjecta, cujus primi conditores ignorantur; at benefactores præcipui Malavicinæ familiæ nobiles Meduntenses. Illic caput sancti Quirini presbyteri & martyris insigni fidelium pietate colitur, ut in Neustria pia [d] videre licet, ubi quædam ejusdem sancti miracula referuntur.

* *Rôny.*

* *Mante.*

[d] *Neustria pia p. 605.*

LIX. Gaufridus comes obit monachus.

Heinrico regi non diu superstes fuit Gaufridus Martellus Andium comes. Is letali morbo correptus, monasticum habitum petiit ab Adraldo sancti Nicolai apud Andecavos abbate, eoque indutus e vivis excessit. De ejus obitu ita scribit [e] Fulco ejus nepos, cognomento Rechinus, quem ille extremo vitæ suæ anno, in festivitate pentecostes militem ordinaverat. *In eodem porro anno*, inquit Fulco, *rex Heinricus obiit in nativitate sancti Johannis*. immo IV. nonas Augusti; *& avunculus meus Gaufridus tertio die post festivitatem beati Martini bono fine quievit. Nocte siquidem illa, quæ præcessit diem finis ejus, deponens omnem curam militiæ rerumque sæcularium, monachus factus est in monasterio sancti Nicolai, quod pater ejus & ipse multa devotione construxerant, & rebus suis suppleverant.* Tempus modumque ejus obitus signantius exprimit anonymus in brevi chronico Andegavensi, ubi Gaufridus comes obiisse [f] dicitur XVIII. *kal. Decembris, feria tertia, hora diei primâ, monachali habitu prius suscepto a domno Adraldo abbate sancti Nicolai*. Sepultus fuit in capitulo ejusdem monasterii, inde in ecclesiam translatus, cum eam Urbanus II. dedicasset, ut tradit idem Fulco, ejus ex sorore nepos, tunc Vindocinensis comes, ac demum Andegavensis post fratrem suum Gaufridum-Barbatum, qui multas molestias injuriasque Majori-monasterio facessivit.

[e] *Spicil. to. 10. p. 395.*

[f] *Labbe to. 1. bibl. p. 287.*

LX. Fulco Vindocinenſibus infeſtus.

Non minus infestus Vindocinensibus fuit Fulco, cognomento Rechinus. Hic enim contra fidem avunculo suo datam, se in istud monasterium nihil moliturum, nihil de ejus rebus detracturum, immo illius tutorem ac defensorem futurum; statim post obi-

tum Gaufridi mala omnia, quæ potuit, monasterio intulit, ipsamque sanctæ Tri-
ANN. CHR. 1060. nitatis ecclesiam invasit. cujus metu exterriti abbas & monachi, pretiosa ejus ornamenta subduxere in tutum locum. Ille vero interim, ut furens prædo, monasterii possessiones deprædari, servos & collibertos vexare, villas comessationibus pæne quotidianis exhaurire; in summa nihil prætermittere, quo monachos affligeret, adeo ut in unius viscera, qui ejus convicia & injurias verbo reprimere tentaverat, cultellum immerserit. De his omnibus conqueruntur Vindocinenses in epistola ad Agnetem comitissam, Gaufrido olim conjunctam, sed ab eo repudiatam, quæ tunc vestem mutaverat. Hujus epistolæ fragmentum in Appendice referemus. Tandem vero Fulco anno M LXIV. factorum pœnitens, post pascha in capitulum cum conjuge venit, & Oderico abbati satisfecit, ei fidem obstringens manu in illius manum, ut sæcularibus mos est, immissa, se donationes monasterio factas deinceps conservaturum.

Lis de capella.

Interim Odericus abbas capellam intra muros cœnobii, *ut moris est in ordinatis monasteriis*, ædificare cœpit. Interceſſit Frodo opidanus *de burgo sancti Martini*, veritus ne quid detrimenti ex hac capella parochiæ sancti Martini accideret, litemque hac de re movit. Cumque diu altercatio procederet, in id demum conventum est, ut ei decem libras darent monachi; sicque ipse cum uxore ac filiis suis constructioni capellæ assentiret; & insuper ipse ac Fulco filius ejus natu-major, homines abbatis fierent. Non multo post idem Frodo graviter infirmari cœpit: cumque mortem sibi imminere sentiret, Odericum abbatem rogavit, *ut ei succurreret*, (hinc dicti monachi ad succurrendum) & habitu monastico ipsum indueret. Ejus rei causa quoddam alodium suum, prædium scilicet de Arenis, monasterio contulit; sicque monasticam ei vestem dedit Odericus abbas, ejusque filio Fulconi ac matri ipsius Fulconis Hildegardi decem libras denariorum cum societate monasterii largitus est. Actum in capitulo Vindocinensi anno ab incarnatione Domini M LX. feria tertia post pentecosten.

LXI. Oricasæ cella & Croti.

Eodem anno Albertus Majoris-monasterii abbas Agobertum Carnutensem episcopum adiit, petiitque, ut in quodam loco ejus diœceseos, Oricasa dicto, qui „ ad Sciscіæ amnis ripam ad ingressum silvæ Blimartii in pago Blesensi positus est, „ ecclesiam in honorem sancti Bartholomæi ædificare sibi liceret, maxime quod jam „ partem illius silvæ a Tetbaldo comite acceperat in commutationem villæ Juvi„ niaci, sitæ in pago Tricassino, quam cum omnibus ei adjacentibus, post mortem „ Odonis comitis, filii ejus Tedbaldus ac Stephanus comites, eorumque mater Er„ mengardis ipsi donaverant. Petenti annuit Agobertus præsul ob suæ ac clerico„ rum suorum, quorum consilio & voluntate id factum est, necnon dominorum piis„ simorum regum Philippi & matris ejus Agnetis animarum redemtionem. Huic chartæ appositum est signum seu monogramma Philippi glorioſissimi regis cum ejus sigillo. *Eustachius notarius ad vicem Balduini recognovit & subscripsit. Data* VII. *kal. Decembris. anno primo Philippi glorioſissimi regis. Actum in Stampensi castro, indictione* XIIII. a Septembri inchoata. Pridie easdem kalendas ejusdem anni & indictionis, Philippus rex signum suum apposuit litteris cujusdam Guazonis militis, qui villam Crotum, in Nortmannia, id est in territorio Ebroicarum, ad fluvium Aduræ * sitam, Alberto abbati Majoris-monasterii concessit, eo pacto, ut fratres quosdam ibi constitueret ad sedulum officium omnipotenti Deo exhibendum.

* *l'Eure.*

LXII. S. Juliani & S. Albini abbates.

Tunc temporis Turonensi sancti Juliani monasterio præerat Rotbertus abbas Guillelmi successor, vir nobilis, patria Redonensis: qui, quamdiu rector fuit, prudenter hanc abbatiam rexit: sed non diu eam tenuit. nam comperto, homines sancti Juliani pro sua ordinatione pecuniam promisisse; maluit abbatiam deserere, quam promissam dare pecuniam. Ejus tempore monasterio collata est Ronceivilla, posita haud procul ab ostio Divæ minoris fluvii in oceanum, assentientibus Willelmo Nortmannorum duce, Odone Bajocensi episcopo, & Rotberto Moritonii comite. Ejus successor Girbertus seu Gerbertus, quem alii Gilbertum vocant, basilicam sancti Juliani renovavit. Habitum hoc anno Turonis concilium, præsidente Stephano cardinale & sedis apostolicæ legato: quo in concilio statutum canone decimo, ut desertores vitæ monasticæ anathemate feriantur, donec resipiscant: pœnitentes autem recipiantur. Qui vero eos recipere noluerint, tertio admoniti a communione fratrum suspendantur, sive sit abbas, sive abbatissa, donec acquiescant.

Concilii Turonensis canon de apostatis.

In

In monasterio sancti Albini apud Andecavos mortuo sub finem anni præceden-
ANN. CHR. 1060. tis, id est VII. kalend. Januarias, Theoderico abbati subrogatur hoc anno ex priore Otbrannus abbas, post trium fere mensium vacationem, assensu Eusebii episcopi & Gaufridi comitis electus, ut in litteris de ejus electione legimus, quibus monachi LXXVIII. subscribunt XII. kal. Apriles [a].

a *Labbe bibl. to. 1. p. 276.*

LXIII. Beliardis abbatissa Caritatis.

Tunc Caritatis seu Roncereii parthenoni præsidebat Beliardis, tertia [b] loci abbatissa. Tunc Gaufridus-Barbatus Andium comes vineam monasterio proximam, quam Hildegardis comitissa Jerosolymam profectura sanctimonialibus dederat, eisdem restituit. Hanc vineam Bertrada abbatissa, quæ Beliardem præcessit, Ermengardi Gaufridi-Barbati matri usu-fructuario cesserat: sed, cum hæc fratris sui Martelli iram incurrisset, ille vineam ei abstulit, quam concubinis seu conjugibus suis dedit. Verum, eo defuncto, Barbatus nepos Salmurum castrum ab Adelaïde Theotisca, quæ postrema ejus uxor fuerat, gravi pecunia redemit cum illa vinea, quam sanctimonialibus restituit ad firmitatem perpetuam donationis aviæ suæ Hildegardis, atque emendationem injustitiæ avunculi sui Gaufridi-Martelli. Sub eadem Beliarde abbatissa necdum canonici erant, sed monachi, qui sacra illic celebrabant. Certe tunc temporis illic factus est monachus quidam vir conjugatus, nomine Constantinus-Rufus, *per licentiam domnæ abbatissæ Beliardis, & reliquarum sororum beatæ Mariæ*; & uxor ejus Gisberga ibidem *vidualis professionis velamen sumsit*. Beliardi abbatissæ successit Richeldis.

b *V. lib. 58. n. 82.*

LXIV. Goderannus abbas Malliacensis.

Inter monachos Herimari abbatis sancti Remigii apud Remos censetur Goderannus, qui, relicto sancti Remigii monasterio, artioris disciplinæ gratia Cluniacum demigravit: dein meritorum titulis & prærogativa Malliacensis abbas factus, demum Santonensis ecclesiæ adeptus est dignitatem, ut tradit Hildebertus in libello de vita sancti Hugonis abbatis Cluniacensis. Humbertus Goderanni decessor, postquam quindecim annis Malliacense monasterium modeste rexisset, relicto filiis suis *patientiæ & longanimitatis* præclaro specimine, anno M LX. finem vivendi fecit. In ejus locum assumtus est Goderannus, natione Gallus, *alterius quidem monasterii*, id est Remigiani, dein Cluniacensis *monachus*, sed necessario, ut multis visum est, illic subrogatus. quæ verba [c] sunt Petri Malliacensis monachi, qui duos libros de constructione ejusdem cœnobii composuit Goderanni jussu, cum ille necdum Santonensis episcopus esset. Ejus facta silentio pressit Petrus ad vitandam adulationem. *Sed quoniam, dum hæc scribimus*, inquit, *adhuc humanis interest rebus, ejus ex actibus silentium nobis indicimus, ne adulatoris notam incurramus. Utrum autem amore Domini, an odio dignus sit, posteris judicandum servemus.* Santonensem episcopatum adeptus est sub initia pontificatus Alexandri II. videturque retinuisse Malliacensem abbatiam usque ad suum obitum, qui anno M LXXIV. contigit.

c *Labbe to. 1. bibl. p. 237.*

LXV. Angeriaci monachæ & monachi ad succurrendum.

Dum Angeriacense monasterium administraret Gaufridus abbas, Senegundis domina castri Matevallis quædam eidem loco donavit, ibidemque [d] *religionis habitum suscepit*, & *mutata veste* diu permanens, *de stipendiis monachorum assidue vixit*, atque post decessum suum inter illos sepulta fuit. Ita in plerisque locis, ut jam sæpius observatum, mulieres monastica veste accepta prope monasteria virorum degebant. Aimericus Senegundis filius, genitricis suæ donationem sæpe invasit: sed tandem apud Nobiliacum morbo gravatus, Odonem Angeriaci abbatem accersivit, & invasionis pœnitens, ilico factus monachus inter monachos humatur. Ejus filius Hugo patris exemplum secutus est.

d *Besly Comtes, p. 445.*

LXVI. Pontius Simorræ abbas & episcopus.

Simorrense beatæ Dei-genitricis Mariæ cœnobium jam inde a pontificatu Victoris II. procurabat Pontius abbas, qui hoc circiter anno litem habuit cum Raimundo-Arnaldi *Dantin* pro quadam decima villæ, quam Mazeras vocant, sitæ prope flumen Baisæ. Habitum hac de re placitum, in quo Pontius hanc decimam a Raimundo requirebat. Cum vero ille eam dare detrectaret, ambo *fecerunt judicium Dei, in quo Raimundus Arnaldi victus fuit*. Illud autem judicium Dei fiebat aliquando per duellum, aliquando per ferrum candens. Hæc aliaque facta sunt *tempore Nicolai papæ & Austindi archiepiscopi*, scilicet Auscitani, *regnante Sancio comite* Astaracensi. Idem Pontius factus episcopus Bigorritanus, Simorræ abbatiam nihilo minus retinuit, quo tempore Barterienses milites, qui bona monasterii depopulabantur, ad officium redegit. Superstes fuit usque ad initia pontificatus Gregorii VII. In illo monasterio sanctus Ceratius colitur.

ANN. CHR. 1060.

Hoc circiter anno in Catalonia conditum est Agerense monasterium in castro Agerensi * seu Aggerensi, quod Arnaldus-Mironis *de Tost* nuper Sarracenis eripuerat. Hujus beneficii cælitus accepti memor Arnaldus, una cum uxore Arsinde hoc cœnobium in illo castro construxit in honorem beati Petri apostolorum principis: *ut locus* [a] *ille Deo semper redderet debitæ confessionis laudem, qui antea plenam blasphemiis dabat horibili præconi vocem.* In hujus abbatiæ dotem conditores assignant ipsum castrum cum omnibus juribus suis & adjunctis, & omnia castella circum posita cum universis ecclesiis, quæ omnia juxta comitatum Urgelli, inter Nogueram & Noguerolam fluvios sita esse dicuntur: quorum tamen usum-fructum illi retinent. Hoc porro monasterium & omnia ad illud pertinentia Romanæ ecclesiæ subjiciunt, & tutelæ summi pontificis committunt, ita ut Romana ecclesia quinto quoque anno decem solidos aureos Valentiæ in censum percipiat. Atque ut hanc tutelam demereretur Arnaldus, quinquies-mille solidos aureos Valentiæ Nicolao papæ donavit; » Alexandro vero ejus successori ter-mille solidos aureos Valentiæ, & decem captivos nigros. Guillelmus ejus loci primus abbas exstitit. Nicolaus papa [b] hoc monasterium suscepit sub patrocinio sedis apostolicæ, diplomate dato Romæ XVIII. kal. Maii anno ab incarnatione M LX. pontificatus domni Nicolai papæ secundi anno secundo. Subscribunt Bruno Prænestinus, Arnaldus Aretinus, Cunibertus Taurinensis, Anselmus Luccensis, Dodo Rosellanus, Anselmus Castrensis, & Godofredus Perusinus episcopi. Datum per manus Umberti seu Humberti sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis bibliothecarii, & sanctæ ecclesiæ Silvæ-candidæ episcopi. Litteræ [c] donationis, quarum summam mox retulimus, octavo post anno datæ sunt, in quibus Guillelmus ejus loci primus abbas nominatur. Post annos sex idem monasterium Cluniacensi abbatiæ unitum est.

* *Ager.*
a *Marca Hisp. p. 1141.*
b *ibid. p. 1145.*
c *ibid. p. 1141. & seq.*

LXVII. Moisiacensis basilicæ dedicatio.

Moisiacensem abbatiam cum Tolosano episcopatu, ut jam [d] vidimus, retinebat Durannus seu Durandus, qui hoc tempore novam illius monasterii basilicam cum septem aliis episcopis consecravit. Diem VIII. idus Decembris, annum obscure designat vetus inscriptio a Catello [e] relata in hunc modum.

d *sup. n. 50.*
e *Catel Hist. de Languedoc. p. 865.*

Idibus octonis domus ista dicata Decembris,
Gaudet pontifices hos convenisse celebres.
Auxius Austindum, Lactora dedit Raymundum,
Convena Guillelmum, direxit Aginna Wilelmum
Jussit & Heracleum non deesse Beorra benignum;
Etloreus Stephanum concessit, & Adura Petrum;
Te, Durarne, tuum nostrumque Tolosa patronum.
Respuitur Fulco Simonis dans jura Cadurco.
Myrriades lustris apponens tres duodenis,
Virgineum partum dabat orbi tunc venerandum.
Hanc tibi, Christe Deus, rex instituit Clodoveus:
Auxit magnificus post hunc donis Ludovicus.

Catellus hoc loco *trium myriadum* nomine annum millesimum vult intelligi, & per ter duodena lustra annum sexagesimum, qui calculus huic anno respondet. Petrus de Marca [f] id ad triennium differt; atque hinc putat, Durannum eo anno M LXIII. Tolosæ episcopum creatum fuisse. Verum hanc dignitatem longe ante obtinebat, ut superius [g] vidimus.

f *Hist. de Bearn. p. 305.*
g *sup. n. 50.*

LXVIII. Durannus abbas & episcopus ob scurrilitates punitus.

Hic est Durannus Cluniacensis monachus, scurrilia verba proferre solitus, qui tamen ob vitæ meritum & doctrinam ad abbatialem, tum ad episcopalem dignitatem provehi meruit. Is ob linguæ intemperantiam sæpius increpitus ab Hugone abbate: cum indocilis insitam deponere levitatem, nequaquam a ludicris & otiosis verbis temperaret; eidem prædixit sanctus abbas fore, ut post mortem pœnas lueret, nisi prius condignam egisset pœnitentiam. quod re vera contigit. nam ille post obitum Seguino religioso sacerdoti spumantibus labiis fœtidus apparuit, ejus precibus se juvari postulans, cujus monita vivens contemserat. quod cum resciisset abbas piissimus, electis septem fratribus silentium unius indixit septimanæ, ut linguæ intemperantia indicto silentio purgaretur. Paruêre omnes præter unum, qui, dum mandato defuit, aliorum suffragia irrita reddidit. Id vero per Durannum

ANN. CHR. 1060.

denuo innotuit Siguino: qui cum rem ad patrem retulisset, iterato septem dierum silentio, defectum violatæ inobedientiæ supplevit. Unde factum est, ut Durannus, jam nihil sordidum præferens, Hugoni abbati gratias ageret ob oris absterſam maculam & sententiam judicis immutatam. Hæc ex Hildeberto in libello de vita sancti Hugonis abbatis.

Beatæ Mariæ Deauratæ ecclesia.

Eidem Duranno tribuitur, quod ecclesiam beatæ Mariæ-Deauratæ, quam veteres *fabricatam* [a] appellabant, a Tolosana ecclesia abstraxit, renitentibus canonicis, & in eam Moisiacenses monachos induxit, favente Guillelmo comite Tolosano. quod cum ægre ferrent Tolosani clerici, tempore Isarni episcopi, qui Duranno successerat, die natalis Domini illam ecclesiam recuperare tentarunt. sed a monachis repulsi, vestes sacras & libros asportarunt. Querelæ hac de re sæpius iteratæ a clericis, sed demum ad Innocentium II. causa delata in concilio Claromontano, ut suo loco videbimus. Hujus ecclesiæ meminit [b] Gregorius episcopus Turonensis, quam nostri modo occupant, adeo amplificatam, ut pro insigni illius provinciæ monasterio habeatur.

a *V. lib. 33. n. 5. & Catel p. 864.*
b *Greg. Tur. lib. 7. c. 10.*

LXIX. Lis de Columbariensi ecclesia inter Conchenses & Resbacenses.

Per id tempus Theobaldus Campaniæ comes, Odonis comitis filius, Columbariensem * in Briegio ecclesiam [c] Conchensi sanctæ Fidis apud Rutenos monasterio contulit, atque in suæ donationis testeram calicem argenteum per suos nuntios Conchas misit. Quin etiam ipse eo profectus, scypho aureo Columbariensis ecclesiæ concessionem denuo confirmavit. Verum ad suos reversus, quæ humana inconstantia est, mutato animo mutavit & donum. Columbariensem quippe illam ecclesiam Resbacenses monachi, qui propinquiores erant, non sine suspicione simoniæ a comite obtinuerunt. Conchensibus multum reclamantibus, res est in multis conciliis, & apud Lugdunensem archiepiscopum, Romanæ sedis legatum, sæpius ventilata; sed tamen vivente Theobaldo comite nequaquam definita. Eo mortuo, sub Henrico* ejus filio itidem indiscussa remansit, usque dum Henricus ipse Jerosolymam profecturus, Adelæ conjugi suæ, Willelmi regis Anglorum filiæ, injunxit, ut hanc causam advocatis partibus coram se tractari præciperet, & earum dissensioni supremam imponeret manum. Statuto igitur die Resbacensis abbas cum suis monachis, & frater Arnaldus ex Conchensibus ante comitissam convenere, Waltero Meldensi & Milone Trecensi episcopis, necnon Arnulfo Latiniaci abbate præsentibus; auditisque partibus, Columbariensis ecclesia Conchensibus adjudicata est, quæ sanctam Fidem, uti & Conchensis, patronam habet, estque cella etiam nunc haud ignobilis.

c *Theodori penit. to. 2. p. 558.*
* *al.* Stephano.

LXX. Conchenses & Resbacenses abbates.

Quinam Conchensis monasterii, quive Resbacensis abbates tunc fuerint, hoc loco inquirendum. Figiacensem abbatiam principatu Heinrici regis procurabat Lautardus [d] abbas nobilissimus, idemque per triennium Conchensem administravit. Hic apud Conchas diem clausit extremum, ibidemque sepultus est. Lautardo apud Figiacum successit Willelmus: quo ob simoniam amoto, Figiacenses venerabilem Hugonem Cluniaci abbatem postularunt, monueruntque monachos Conchenses, ut, abjecto suo simoniaco, more solito ipsorum abbati legitimo se se subderent. At illi contra, Airardum Figiacensem abbatem, Hugonis indubie protoabbatis vicarium, cui apostolica auctoritate subditi fuerant, a se projecerunt. Sic desinit chronicon Figiacense, ex quo hæc accepimus. Conchense porro monasterium eo tempore, quo prædicta lis de Columbariensi ecclesia ventilata est, administrabat Odolricus abbas, ut inferius [e] videbimus.

d *Balux. Miscell. to. 2. p. 302.*
e *inf. n. 119.*

Ad Resbacenses abbates [f] quod attinet, in libro primo de miraculis sancti Agili abbatis tempore Rotberti regis laudatur Ragenardus seu Rainardus vir prudentissimus, dein Solion abbas, qui cælestem harmoniam audisse fertur, *pater monachorum* dictus in necrologio ad quartum idus Julii, quo die ejus obitus ponitur. Post hos Rotbertus abbas memoratur in prædicto libro & in necrologio x. kalend. Februarii; ac demum Philippus abbas tempore Philippi regis, & Balduini Flandrensis comitis, ac proinde ante annum M LXX. quo Balduinus-Pius seu Insulanus, ejusque filius æquivocus, cognomento Montensis, decesserant. Philippo abbate Balduinus comes, pater an filius, palatinus comes, copias in auxilium Philippi regis contra quosdam rebelles adduxisse traditur, & apud Resbacum substitisse. Is, cum pavonem super tectum monasterii residentem sagitta petiisset, subitaneo morbo correptus, fune collo circumdato pergit ad altare, errati veniam petit, spondetque se terram sancti

f *V. lib. 51. n. 109.*

ANN. CHR. 1060.

Petri deinceps illæsam, inviolatamque servaturum; atque insuper patenam auream cum decem vaccis, totidemque caseis offert pro piaculo; sicque sanus & incolumis discessit. Si Rotbertus abbas Philippum præcessit, ut prædicti libri series innuit, alter ejusdem loci abbas Rotbertus post Philippum admittendus est, is scilicet, quem post mortem Walteri Meldensis præsulis episcopum in eadem urbe ordinavit Hugo, Diensis Romanæ sedis legatus, absque consensu Richerii episcopi, qui ob id Rotbertum excommunicavit. De Briccio abbate inferius agemus.

LXXI. S. Laurentii ad Nigellam monasterium. * *la Nielle.*

Perstabat ad id tempus in pago Narbonensi vetus monasterium sancti Laurentii adNigellam *, vulgo de Cabrereſſa dictum, cujus tunc abbas erat Raimundus Ebrinus. Obscura illius asceterii origo. Incertum an sit illud sancti Laurentii monasterium, quod numeratur in constituto Ludovici Pii inter ea Septimaniæ monasteria, quæ nec dona, nec militiam debebant; an potius sancti Laurentii ad Vernodubrum ejusdem pagi, quod nunc sancti Aniani * dicitur. Certe primum illud monasterium sancti Laurentii ad Nigellam jam exstabat principatu Ludovici-Pii, cujus præceptum immunitatis ac tutelæ eidem monasterio confirmavit Carolus-Calvus[a] regni sui anno quarto, ut suo loco vidimus, ecclesiæ Narbonensi postea subjectum. Ad hoc cœnobium pertinebat dominium loci beatæ Mariæ de Palatio, itidem pagi Narbonensis, cujus loci aliquot prædia prædictus Raimundus abbas, accepta una auri uncia, Guillelmo-Bernardo *ad fevum* donat pro annuo censu triginta-trium denariorum Melgorienſium, ea insuper lege, ut Raimundus *faciat servitium per unumquemque annum ad quatuor milites, & sextarium unum de cevata* seu avena. Facta charta VIII. idus Decembris, anno dominicæ incarnationis M LX. regnante Philippo rege. Non multo post istud monasterium subjectum fuit Crassensi abbatiæ, uti & Palatium *, itidem ad Nigellam situm: ubi sanctimonialium cœnobium sæculo insequenti conditum est sub patrocinio sanctæ Mariæ & sancti Randolini, cujus tumulus olim cum reliquiis ibidem colebatur. Id factum assensu Arnaldi abbatis & Crassensium monachorum, qui domnæ Ermengardi priori & fratri Johanni de Alcantis, cunctisque fratribus & sororibus ibidem permanentibus locum illum ad inhabitandum & instaurandum concesserunt. Nunc excisum est hoc parthenium, locusque pertinet ad Crassensem abbatiam, uti & sancti Laurentii monasterium ad Nigellam, modo cella abbatiæ Crassensis. Eodem sæculo duodecimo exstabat & aliud sancti Laurentii cœnobium in territorio Narbonensi ad lacum Bagesii, de Casulis dictum, quod beatæ Mariæ de Monachia ac Deodato priori anno M C XXIX. concessum legitur.

* *S. Chignan.*

[a] *V. lib. 33. n. 4.*

S. Mariæ de Palatio cœnobium. * *Espalais seu Paladols.*

LXXII. S. Victori datur ecclesia S. Martini de Canonica.

Petro adhuc abbate sancti Victoris Massilienſis Eldebertus Mimatensis episcopus, ecclesiam sancti Martini de Canonica, sitam in pago Bannacensi, e manibus laïcorum, qui eam simoniace obtinuerant, eripere cupiens, assensu & consilio Berengarii-Richardi vicecomitis, Deusdet ecclesiæ Mimatensis decani, & aliorum, contulit cœnobio sanctæ Mariæ & sancti Victoris Massilienſis, ubi *quinque millium monachorum inibi habitantium abbas beatus Cassianus, doctor præclarissimus, in eo nunc corpore requiescens*, antiquitus exstitisse traditur: & unde *ceterorum monasteriorum in tota Gallia* positorum, potiores rivuli sapientiæ & regularis disciplinæ ordo processit; & ubi *nunc etiam*, ait Eldebertus, *si non sicut antiquitus, tamen in tantum viget, ut de quacumque patria eo causa religionis venientes, & actiones in eo habitantium cognoscere volentes accesserint, dicant, cum recesserint, hoc potius regulariter degere, quam cetera monasteria totius Galliæ.* Hanc itaque ecclesiam, quam alii monasterium, alii canoniam olim fuisse dicunt, sancti Victoris abbati atque monachis tradit Eldebertus, ut monachos eo mittant ad divinum officium illic celebrandum, *ita tamen, ut quem miserint, non sit natus a fluvio, qui vocatur Turnus, usque ad fluvium, qui vocatur Iberius.* Actum *ab incarnatione Domini* M LX. *die mensis Julii quarta, in cimiterio sancti Fredaldi, regnante in sæcula sæculorum Domino Deo, indictione* XIII. Non diu superstes fuit Petrus abbas, mortuus[b] anno sequenti: cui successit Durandus ad triennium. Ejus tempore Vabrense monasterium cœnobio sancti Victoris, ejusque abbati Durando, necnon Rayambaudo archiepiscopo Narbonensi, qui ex monacho sancti Victoris ad illam dignitatem assumtus fuerat, reformandum subjicitur, probantibus Nicolao II. summo pontifice, tum Rotberto Arvernorum comite atque Berta ejus conjuge. Longe plura Victorino monasteria subinde accesserunt, ex quo præmissum Eldeberti episcopi de illo monasterio elogium confirmatur.

[b] *Labbe to. 1. bibl. p. 340.*

ANN. CHR. 1060.

LXXIII. Theobaldi comitis & aliorum benefacta in Dervenſes.

Revertor ad Franciam, ubi Dervense monasterium strenue admiristrabat Bruno abbas, de quo jam multoties egimus. Illuc tum accessit Theodebaldus seu Theobaldus *comes palatinus*, cum venerabili sua conjuge Adelaïde, ejusque loci monachorum, qui maxime vini aliunde comportandi penuria laborabant, inopiæ compassus, exemplo antecessorum suorum, Odonis scilicet comitis patris sui & Heriberti comitis senioris, qui res Dervensium beneficiis suis plurimum auxerant, eidem indulsit, ut, quoties Sparnaci confinium ad vinum comparandum adirent, a quovis teloneo essent immunes. Insuper idem comes consimilem donationem confirmavit, quam comes Rodulfus antecessor ac propinquus suus in Barrensi territorio fecerat. Hæc ex notitia seu litteris Brunonis abbatis. Hujus cognata Hawidis, *genere non ignobilis*, dum aliquando gravi morbo urgeretur, animæ suæ ægritudinem timens, convocato Brunone abbate *patruele* suo cum aliquot monachis, *optimo medicorum Deo* & gloriosis ejus apostolis Petro & Paulo atque beato Berchario pratum quoddam, ex nomine cujusdam antecessoris sui Richardi nuncupatum, donavit, ut ipsius patrisque sui Amalrici memoriam haberent monachi, & post mortem apud eos sepulturam obtineret. *Actum est hoc assensu viri sui Richeri, qui in prædicto monasterio cum proposito monachi vitam finivit*, atque adeo aliquanto post hanc donationem instrumentum ea de re conscriptum est. *Itaque*, subdit illa, *me Deo gratias agentem, & sanitati pristinæ restitutam Richerus vir meus, & Warinus clericus filius meus jam præcesserunt ante Deum.* His litteris appositæ sunt signa ipsius Hawidis, triumque ejus filiorum, Hugonis, Amalrici, & Mauri.

LXXIV. Waleranni abbatis S. Vitoni iter Romam & obitus. [a] *Labbe to. 1. bibl. p. 193.*

Per id tempus Nicolaum papam adiit Walerannus S. Vitoni abbas, querimoniam facturus super Rotberto comite Rutenensi consanguineo suo, qui res sancti Vitoni, in illo comitatu sitas, in his abbatiam sancti Amantii usurpaverat. Litteras[a] papa Rohac de re comiti scripsit, præmissa apostolica salutatione, in hæc verba. *Cognoscentes tui animi propositum, & quod propter regnum Dei & justitiam ejus volueris renuntiare temporali fastigio sæcularium occupationum, confidenter tibi denuntiamus, ut, secundum quod tibi injunximus, cum ore ad os loqueremur, ecclesiis Dei & pauperibus defensorem te apponas, justitiamque eis acquirendo in conspectu Dei excusatus exsistas, quod non sine causa gladium portas. Et quia nostrum est te admonere, si qua non negligenda te cognoverimus negligere; orando simul & præcipiendo auctoritate apostolica monemus, ut monasterio sancti Petri sito Virduni, quod venerabilis vir, consanguineus tuus Walerannus abbas regit, curtes, quas in terra possessionis tuæ habere dinoscitur, restituas, ne, quod absit, ad perditionis animæ, eas diutius retinendo, excommunicationem ab antecessoribus nostris comprecatam invasoribus earum incurras.* Hic acceptis litteris, cum Virdunum reverteretur Walerannus, apud Adremari seu Arremari monasterium veneno periit, ibidemque sepultus est. Et quia eo defuncto, inquit Hugo Flaviniaci abbas, non fuit qui litteras missas comiti Rutenensi perferret; adhuc abbatia, scilicet sancti Amantii, cum fundis retenta est. Obiit Walerannus VI. kal. Julii, & quidem anno M LX. ut in fastis sancti Vitoni legitur. tametsi Hugo ejus obitum anno sequenti reponit, in eo falsus, quod Nicolaum papam prædicto anno M LX. mortuum dicit, forte etiam in eo quod addit, Walerannum anno sequenti decessisse. De eo ita scriptum in necrologio VI. kal. Julii, *anno Domini* M LX. *obiit domnus Walerannus abbas hujus loci, ex comite conversus.* Idem annus assignatur in indice abbatum, immo & in brevi chronico Virdunensi, edito[b] apud Labbeum, rectius quam in Divionensi[c] apud eumdem. Sancti Vitoni monasterium rexit annis sexdecim Walerannus: cui Grimoldus successit.

[b] *ibid. p. 401.*

[c] *ibid. p. 294.*

Britolii & Morolii abbates. [d] *V. lib. 56. n. 57.*

Mortuus est quoque hoc anno Guillelmus, Britolienſis in pago Belvacensi monasterii[d] abbas tertius, ante abbas Morolienſis, quod in pago Ambianensi sub patrocinio sancti Vedasti nuper conditum fuerat. Obiit Guillelmus pridie nonas Octobris, *pia memoriæ* dictus in necrologio, qui anno præcedente Hucberto successerat. Eodem anno decessit Gilduinus comes, monasterii instaurator, notatus in necrologio XV. kal. Julii. Guillelmum excepit Olricus, qui vitæ privatæ studio post quatuor annos regimen abdicavit, in necrologio memoratus IX. kal. Februarii. Rotbertus, ejus successor, filius erat Evrardi, tertii filii Gilduini comitis, qui Britolienſe monasterium fundavit. Rotberti abbatis frater Ebrardus comes spontaneum pro Dei amore subiit exsilium, ut superius[e] vidimus. Rotberto abbati anno M LXVII. kal. Novembris mortuo suffectus Radulfus in annos octo & viginti.

[e] *V. lib. 60. n. 39.*

ANN. CHR. 1060.

LXXV. Heinrici comitis dirum facinus.

Ad hunc annum refertur dirum facinus Heinrici comitis palatini, qui e monasterio, quo specie religionis intraverat, egressus, conjugem suam, bipenni in caput impacta interemit. Nem non uno modo referunt veteres. Auctor appendicis ad Hermannum editionis Pistorianæ factum paucis ita commemorat. *Henricus palatinus comes, in amentiam versus, cum specie religionis, quasi sæculum derelinquens, in monasterium Ephtirnacha* seu Epternacum *se contulisset, inde abstractus conjugem suam occidit.* Id longe fusius & paullo aliter refert scriptor vitæ sancti Annonis Colonienſis archiepiscopi ejus æqualis, aitque eum, non in Epternacense, sed in Gorziense monasterium secessisse. Primi ejus insaniæ, immo furoris impetus fuere in sanctum Annonem & Colonienſem ecclesiam, cujus prædia & villas rapinis & incendiis devastavit. Ob id anathematis sententia merito a sancto præsule percussus, erratorum veniam petiit, & pro piaculo montem Sigebergensem, ubi postmodum Sigebergense monasterium conditum est, Annoni archiepiscopo donavit. Non multo post in Gorziense monasterium, ficto an sincero animo, se recepit, ibique palatinas vestes monasticis mutavit. At non diu propositum tenuit. Mox enim, quæ contemsisse visus erat, dignitas, honores & conjux, in ejus animum denuo se insinuarunt, effeceruntque, ut e monasterio egressus, in vetera denuo flagitia præceps rueret. Tum quippe cunctis, maxime Dei servis, quos refuga exosos habebat, bella & seditiones concitare, Annonem pontificem in primis insectari, Colonienſem urbem igne ac ferro appetere cœpit. Interim Anno ad aras cilicio tectus confugit, dum cives tyrannum armis reprimere accelerant. Ille vero ad castrum suum, cui Cocomo nomen, se recepit: ubi a civibus frementibus obsessus, dum hi obsidionem urgent, in amentiam versus, arrepta bipenni, dilectæ conjugis Adelheïdis cervicem amputavit. Mox inde foras prosiliens, quasi præclarum aliquod facinus patrasset, plausu manuum & cachinno factum sibi gratulabatur. Ad tam dirum facinus exhorruere omnes, tumque tyrannus in vincula conjectus est, ne ulterius nocendi potestatem haberet. Browerus addit, quod Annonis vitæ scriptor non dicit, eum in Epternacense monasterium perductum fuisse, ubi domestica ærumna & calamitate contentus, reliquum vitæ confecerit.

LXXVI. Sanctimonialis superbiæ pœna.

Dum Coloniæ sumus, non omittendum videtur quoddam exemplum, quod sanctus Anno ad omnium, maxime virginum cautelam referre solitus erat. Erat in Colonienſi sanctæ Mariæ cœnobio quædam sanctimonialis, morum integritate ac sanctimonia inter consodales insignis, cui Deus singulare virginitatis donum tribuerat. Sed cum ex eo se se efferret, præferretque ceteris sororibus, easque dedignaretur; virorum autem consortia, tamquam sui secura, incautius admitteret; demum in corruptelæ foveam prô dolor! lapsa est. Crimine perpetrato, ubi in se rediit, velut ictu fulminis in corde perculsa, ingentis mœroris fluctibus pæne in amentiam versa est, recogitans, quali e statu decidisset. Sed tandem, divinæ misericordiæ respectu, alte ingemiscens, quod *professæ castitatis* votum violasset; in luctum & lacrymas resoluta, omnium conspectum devitabat. quod omnium in se admirationem auxit, ignorantium quid ipsi accidisset. Verum cum illa uterum sibi intumescere sentiret, in templo sanctæ Dei genitricis coram Christi imagine prostrata, erratum sibi condonari, promissa in posterum continentia & pœnitentia, multis precibus & lacrymis flagitavit. Vix preces finierat, cum uterus ejus, res mira! detumuit: & ipsa præ gaudio largius flens, promissæ conversionis votum implere non distulit. Non parvo siquidem tempore in pœnitentiæ luctu perseverans, corpus vigiliis, prolixisque extenuatum orationibus, (nam præter alias preces, psalterium ter unoquoque die percurrebat) panis & aquæ tantum sustentabat edulio. Hinc facies macie & pallore obducta, inediæ ac vigiliarum diuturnitas, miraculum ceteris sororibus ingerebat, nihil tale suspicantibus, immo credentibus, eam cœlestis Sponsi amore ac desiderio sic tabescere. Cum in his pœnitentiæ officiis aliquot annos perstitisset; jam quasi de spe veniæ confisa, superbiæ peste denuo tentari cœpit. At illa, hanc esse causam ruinæ prioris probe conscia, malignæ suggestionis initia, non, ut ante, negligenda duxit: sed confestim beatum Annonem adiens, ei conscientiæ suæ reatum & statum penitus patefecit. quo audito, sanctus pontifex, secundum datam sibi sapientiam, eam consolari cœpit, non suis viribus, sed Deo confidere monens, præ omnibus humilia de se sentire; denique, cum sciret in elationis tela verti, quidquid illa præ ceteris peculiare faceret; salutarem tutioremque dixit esse viam, ut

ANN. CHR. 1060.

communis vitæ limites non excederet, cum edentibus sororibus comederet, cum dormientibus dormiret; itemque cum abstinentibus abstineret, & cum vigilantibus vigilaret. Hanc prorsus regiam esse viam, qua tuto ad æternæ salutis patriam tenditur. His monitis instructa sanctimonialis, ad monasterium rediit, & communis vitæ exercitiis deinceps contenta, totius honestatis & religionis specimen edidit, nullique virtutibus inferior piissime decessit. Ad res Italicas venio.

LXXVII. S. Felicitatis parthenon Florentiæ.

Ineunte hoc anno M LX. Florentiæ versabatur Nicolaus pontifex, cum Thetbergæ abbatissæ monasterii sanctæ Felicitatis, juxta Florentiam tunc siti, nunc intra urbem, privilegium [a] concessit, quo monasterium illud, antecessorum suorum negligentia destructum, ab se vero, dum Florentinus episcopus esset, *coaptato nobilium sanctimonialium plurimarum collegio*, ex integro instauratum, & a se ipso jam summo pontifice dedicatum, confirmavit, resque dictas eidem restitui mandavit, cuivis potestati, præterquam Florentino episcopo, dominio in illud interdicto. *Datum Florentiæ* VI. *idus januarii anno ab incarnatione* M LIX. secundum veterem calculum, *per manus Humberti sanctæ ecclesiæ Silvæ-candidæ episcopi, & apostolicæ sedis bibliothecarii, anno primo pontificatus domni papæ Nicolai secundi, indictione* XIII. Subscribunt Bonifacius Albanensis episcopus, Johannes Portuensis, Petrus Lavicanensis, & Brunus Prænestinus; & post eos *Petrus peccator monachus*, quæ propria subscriptio est Petri-Damiani. Thetberga abbatissa hic laudata non alia esse creditur a Thetberga, filia bonæ memoriæ Athi, Alberti vocati, & conjuge quondam Rolandi, tunc *veste sanctæ religionis induta*, quæ Florentinæ ecclesiæ multa [b] bona contulit. Fuere olim in eodem parthenone non modo conversæ, sed etiam conversi, qui abbatissæ *obedientiam, honestatem vitæ & castitatem* promittebant, ut legimus in statutis ejusdem loci: quo ex numero Maffæus quidam, & Bona-donna ejus uxor anno M CC LXX. se ipsos prædicto monasterio obtulerunt *pro conversis oblatis & subditis, & flexis genibus & manibus tensis*, abbatissæ obedientiam promiserunt, relervato sibi usufructu bonorum suorum. In statutis anni M CC XXII. quæ fratres Johannes & Parisius de ordine Prædicatorum, visitatores, rectores & reformatores monasteriorum exemtorum & non exemtorum fecerunt, statuitur, quod nulla mulier ex pacto, vel conventione habita de pecunia vel rebus, recipiatur in « communionem vel conversam. Quod non fiant sollemnes invitationes & epulæ in « velatione sanctimonialium. Quod omnes abstineant ab esu carnium, nisi sint mul- « tum debiles & infirmæ; & quod laneis vestibus utantur. Denique quod abbatissa « singulis mensibus reddat rationem coram conventu. In statutis anni M CCC XXVIII. « nonnihil de abstinentia remissum est, scilicet quod abbatissæ non liceat dispensare « in esu carnium, nisi duabus vel tribus ad summum in hebdomada diebus. Tunc « etiam statutum est, ut nulla bestiola vel avis domestica, nisi sint aquaticæ, in dicto « monasterio habeatur, nisi generis fuerit feminini. quod alibi quoque statutum legimus. Illic sanctitate claruit Berta de Bardis, quæ aliquot Benedictinarum per Etruriam cœnobia ad primariam vivendi formam reduxit. Celebre est etiam nunc hoc sanctæ Felicitatis monasterium.

[a] *Ital. sac. to. 3. p. 91. & seqq.*

[b] *ibid. p. 90.*

LXXVIII. Blanca ex comitissa monacha.

Haud scio cujus parthenonis monacha fuerit Blanca illustris illa comitissa, quæ primo adolescentiæ flore orbata viro, rejectis mortalium procorum votis, se ipsam immortali Sponso consecravit. Huic recens conversæ salutaria dat monita Petrus Damiani in opusculo L. quod *Blancæ olim comitissæ, nunc cælesti Sponso conjunctæ* inscriptum est. Principio eidem gratulatur, quod, abjecto mundo muliebri ob Christi amorem, *pro carbasinis lanea, pro purpureis atque nitidulis pulla, ac despicabilia elegisset indumenta.* Deinde quod *siligineas pollines, ac fercula dapibus referta* postposuisset, ut se *ad libræ pensilem mensuram panis cibarii* redigeret. ubi Petrus spectat *libram panis propensam*, in regula sancti Benedicti præscriptam. In consequentibus eam hortatur ad paupertatem, afflictiones & ærumnas, quæ Deo militantibus perferendæ sunt, fortiter excipiendas; ad Deum toto corde amandum, ad præcavendas dæmonis insidias contemplatione mortis, divini judicii, atque æternæ felicitatis. Ut vero eam ad Christi amorem ac debellandum dæmonem instruat & accendat, ipsam monet, ut *Christi corpus & sanguinem etiam ore carnis crebrius suscipiat. Terretur enim*, inquit, *adversarius, cum christiani labia Christi videt cruore rubentia. Agnoscit enim præsto sua perditionis judicium; & divinæ victoriæ, qua captivatus est, non tolerat instrumentum. Christus ergo per mysterium suum tibi videatur in ore; &*

Communio frequens commendatur.

ANN. CHR. 1060.

Christus per sui amoris incendium tibi vivat semper in corde. In consequentibus ut eam ad corporeas asperitates tolerandas animet, exemplum proponit Sophetæ marchionissæ, Rainerii marchionis filiæ, quæ, cum delicatius corpus suum tractasset, post mortem in claustro sancti Christophori monachorum sepulta, uti petierat, in gypseo tumulo, accurate cæmento obducto, intolerabilem exhalabat fœtorem, *ut luce clarius innotesceret*, inquit Petrus, *quoniam humana caro quanto tenerius ac mollius educatur, tanto deterius in putredinem ac nauseam vertitur.*

LXXIX. Dominici Loricati vitæ primordia & progressus.

Sub finem eidem Blancæ Petrus proponit exemplum Dominici cognomento Loricati adhuc viventis, qui a tribus jam circiter annorum lustris lorica ferrea indutus erat ad carnem, duobus autem ferreis circulis in corpore cinctus; duobus item per brachiorum armos constrictus. Hinc dictus Loricatus. Ejus acta litteris mandavit idem Petrus, ex quo percelebris viri specimen hic exhibere juvat. Dominicus in sæculo clericus, quo tempore simoniaca vigebat hæresis; ut ad sacerdotium promoveretur, a parentibus ejus episcopo hircinæ pellis aluta data est. quod cum ille animadvertisset, pœnitentiæ causa monachum induit; moxque eremiticæ vitæ arduum arripuit institutum sub disciplina sancti Johannis de Monte-Feretri: nec umquam, quoad vixit, sacerdotale ministerium usurpare sustinuit, tametsi tanta corporis & animæ integritate præditus esset, ut virgo usque ad obitum permansisse credatur. In illa eremo, ubi degebat Dominicus, in Umbria sita, in regione quæ dicitur Luceoli, decem & octo cellulæ erant, singulæ singulis fratribus deputatæ. Horum ea vivendi forma erat, ut numquam vinum biberent, numquam adipe alimenta condirent. Unum dominicis diebus & feriis quintis pulmentum ad mensam habebant: ceteris diebus solo pane, & aqua refecti; uni orationi addicti. Nulla eis opera manuum, nulla agricultura, nulla prædia vel substantia, præter asellum vel equum, qui ad omnia eis inserviebat. Juge eis silentium, præterquam dominica die post vesperam & refectionem usque ad completorium. Ad hæc per omnes canonicas horas se se mutuo scoparum ictibus flagellabant, & nudis pedibus ac cruribus in cellulis morabantur. Erat inter illos quidam frater vagabundus, qui sæpe e cella egredi tentaverat. quem Johannes prior eremi prius austere corripuit, deinde in sua præsentia nudatum vapulare præcepit. Cum autem resumtis vestibus superbe locutus esset, eum denuo nudari ac flagellari jussit magister. Sed cum sexies flagellis cæsus, nec sic arrogantiam deponeret; septima tandem vice exclamavit, e corde suo aufugisse superbiæ principem, seque posthac magistro obsequentissimum fore; sicque sub humilitatis custodia in cellula jugiter perseverans, deinceps absque reprehensione vixit.

LXXX. Mira ejus austeritas.

Post aliquot annos Dominicus, consentiente magistro, Petri Damiani disciplinæ se mancipavit, quem tamen ob ejus virtutum præstantiam Petrus *doctorem* [a] *ac dominum* suum vocat. Mira & stupenda erat ejus in omnibus, sed præcipue in flagellando corpore severitas. Nulla fere erat dies, quin duo psalteria modulando, manu scopis armata, se se continue cæderet. Quadragesimæ tempore tertium addebat. Centum annorum pœnitentiam sibi non raro imponebat viginti psalteria cum disciplina recitando, eamque intra sex dies sæpe visus est implere. Quin etiam mille annorum ejusmodi pœnitentiam intra unius quadragesimæ spatium absolvit. Ad hæc sub illo ferreæ vestis pondere mille *metanœas* seu genuflexiones, unum psalterium absque disciplina recitando non raro faciebat; eoque modo semel aliquando una die octo psalteria explevit. Nonnumquam per quinquagenos psalmos brachia extensa ad breve dumtaxat momentum deponebat. Cum aliquando remotus a Petro majoris solitudinis causa habitasset, ab eo interrogatus, quî vixisset; respondit se carnaliter vixisse, & quintis sæpe feriis ac dominicis solitum abstinentiæ rigorem relaxasse. Quid? ait Petrus, ova vel caseum, aliudve pulmentum comedisti; an pisces, an denique poma, vel quid ejusmodi obsonii? Neganti reposuit Petrus: Unde ergo carnaliter vixisti, qui nihil ex his seu coctum, seu crudum edisti? Ad hæc ille: Fœniculo cum pane libenter vescor. Hæc illa erat Dominici relaxatio, hæ dapes, hæc illa vita, quam ille carnalem censebat! Heu quali nomine nos remissi homines vitam nostram appellabimus! Id autem agebat in Dominici pectore divinus ignis jugiter exæstuans; ut vix somnum caperet, vix a spirituali exercitio vel tantisper corpus & animum relaxaret. Talis ac tantus cum esset vir Dei, tanto perversorum ac violentorum hominum livore infestatus est, ut pæne locum

[a] *Petr. Dam. opusc.* 21.

cum eremi suæ desereret. Verum ne id fieret, occurrit Petrus-Damiani, scripto ad eum ejusque consodales opusculo LIII. ubi ait, auditis eorum querelis, se amplius eorum pusillanimitate, quam hostili adversitate contristatum fuisse. *Nam cum assidue*, inquit, *videamini divinis insistere paginis, mirum est quomodo vobis adhuc ignota sit patientia regina virtutum, cui nimirum cuncta deserviunt volumina scripturarum.* Huc multa congerit testimonia ex libris sacris, & exempla, in primis Christi Domini; demumque ita librum concludit: *Quisquis recte vivens flagellis atteritur, sicut Christi nunc in utroque vestigia sequitur, ita postmodum ejus consortio non privabitur.* ANN. CHR. 1060.

LXXXI. Farfæ damna reparata.

Per id tempus Crescentiani multas injurias, multaque damna Farfensi monasterio intulerunt. Prima mali labes orta est a Crescentio Octaviani filio, qui castellum monasterii, Trebuccum nomine, invaserat, & monacho ibi invento nares absciderat. Ejus filii ac successores, reclamantibus nequiquam monachis, prædictum castellum retinere haud dubitarunt. neque hoc contenti, armata manu obvia quæque monasterii prædia rapinis & incendiis devastarunt; insuper quemdam monachum ab se comprehensum lingua, naribus & auriculis atrociter mutilarunt. His a pontificatu Leonis IX. ita se habentibus, demum Berardus abbas rem ad Nicolaum II. retulit, qui tum Florentiæ morabatur. Princeps horum facinorum Johannes de Crescentio, jussu pontificis per Sinebaldum comitem & Farulfum ad papæ audientiam Romam citatur. Adfuit ille ad condictum diem cum Berardo abbate: at inducias ad petendum consilium popposcit. Decem dierum datis induciis, alias nihilo minus postulavit, quas ægre ad vicesimum diem obtinuit sub pœna trecentarum librarum denariorum, si defuisset. Cum vero finito termino haud compareret, sententia in eum dicta est, ut damna monachis illata restitueret. Actum *anno secundo Nicolai secundi papæ, indictione* XIII. *mense Aprili, die* XXVIII. Huic judicio Nicolaus ipse præfuit, subscripsitque, & post eum Dominicus Gradensis patriarcha, Hildebrandus S. R. E. archidiaconus, Bonifacius Albanensis, Petrus Gabinensis, & Humbertus Silvæ-candidæ episcopi; Stephanus cardinalis presbyter tit. sancti Chrysogoni, Gaudentius cardinalis presbyter, multique alii, tum clerici, tum laïci.

LXXXII. Dedicatio a pontifice facta, & privilegia confirmata.

Non multo post, id est mense Julio insequente, & quidem die sexta, idem pontifex, invitatus a Berardo abbate, Farfam adiit, nova ejusdem loci altaria consecraturus. quo facto, inter missarum sollemnia *omnibus pœnitentibus, qui ibi convenerant & aderant, remissionem trium annorum fecit; & constituit, ut hæc remissio annualiter fiat omnibus, qui in ipsa die cum votis & donis venerint.* Ad hæc in raptores & invasores bonorum monasterii sententiam anathematis protulit, ejusque privilegia & immunitates confirmavit; agnovitque *hoc monasterium nullatenus sub jure & dominatione præfatæ Romanæ ecclesiæ, vel sub tributo & pensione esse debere, nullumque dominium in jure ipsius monasterii se habere, exceptæ consecratione.* Quin etiam idem pontifex Romam reversus, antiquam ejusdem loci libertatem denuo asseruit, missis eo legatis, Humberto *archiepiscopo*, Agilardo * episcopo & abbate sancti Pauli, atque Petro Agubino, ex quibus Humbertus XVII. Kal. Octobris, inter celebrandum sacra missarum sollemnia, perlecto evangelio sententiam excommunicationis in eos protulit, qui hanc libertatem infringerent, vel monasterii possessiones invaderent, aut diriperent.

* *al.* Airardo.

LXXXIII. Westmonasterium instauratur.

Dum hæc in Italia geruntur, Edwardus rex Anglorum legationem ad Nicolaum papam direxit, litteris ad eum scriptis, quibus pontificem rogat, ut quæ ab ipsius præcessore, nempe Leone IX. obtinuerat, privilegia confirmaret, videlicet, ut quod Leo sibi *sub nomine obedientiæ & pœnitentiæ* ad redimendum Romanæ peregrinationis votum de construendo monachorum cœnobio injunxerat, Nicolaus ratum haberet, & privilegia ejusdem loci possessionum & dignitatum renovaret: « prout ipse donationes & concessiones pecuniarum, quæ sancto Petro in Anglia « conferri solebant, regia auctoritate roborabat. His litteris acceptis, pontifex regis « votis facilis annuit, conceditque, ut in loco, quem sub nomine pœnitentiæ con- « stituendum & amplificandum rex susceperat, *quoniam, ut fertur, primo antiquitus* « *consecrationem a beato Petro accepit, & quia regia antiquitus sedes est*; concedit, inquam, *ut amplius in perpetuum regiæ constitutionis locus sit, atque repositorium regalium insignium, & habitatio perpetua monachorum; qui nulli omnino personæ, nisi regi subdantur; habeantque potestatem secundum regulam sancti Benedicti per successiones*

AN CHR. 1060.

» *eligendi ex ſe idoneos abbates.* Denique hunc locum abſolvit ab omni ſervitio &
» epiſcopali dominatione, ita ut nullus epiſcopus illuc ingrediatur, niſi ex petitione
[a] *Monaſt. Anglic. to. 1. p. 59. & ſeq.*
» & conſenſu abbatis & monachorum. Exſtat[a] hac de re ipſius regis Edwardi diplo-
» ma, in quo ait, ſe ob accepta cælitus beneficia votum Romanæ peregrinationis
» concepiſſe: at ſubditos ſuos ejus exſecutioni interceſſiſſe, veritos ſcilicet, ne, ipſo
» abſente aut deficiente, cum nullum haberet filium, regni ſtatus perturbaretur.
» Cum vero nec ſic rex a cœpto deſiſteret, miſſos fuiſſe duos ex utraque parte le-
» gatos, id eſt epiſcopos duos, totidemque abbates, qui Leonem papam hac de re
» conſulerent: eum vero votum regis eo quo dictum eſt modo commutaſſe, eo ſci-
» licet pacto, ut expenſas ad hoc iter paratas egenis erogaret, & cœnobium mona-
» chorum in honorem ſancti Petri, aut novum exſtrueret, aut vetus inſtauraret. quo
» reſponſo accepto, a beato Petro revelatum fuiſſe cuidam probabilis vitæ monacho
» incluſo, nomine Wlfino, ſe velle, ut rex locum reſtrueret, qui dicitur Weſtmonaſte-
» rium, a tempore ſancti Auguſtini, primi Anglorum apoſtoli, inſtitutum, multa-
» que regum munificentia honoratum; ſed propter vetuſtatem ac frequentes bello-
» rum tumultus pæne deſtructum. quod ipſe exſecutus ſit, deſtructa veteri eccleſia,
» & nova a fundamentis erecta, quam v. kal. Januarii fecerit dedicari, in qua
» multas ſacras reliquias collocaverit, ad cujus dotem totius ſubſtantiæ ſuæ tam in
» auro & argento, quam in pecudibus, ceteriſque poſſeſſionibus decimam attribuerit.
Hoc diploma anno M LXVI. datum eſt; cui multi ſubſcripſere epiſcopi, quinque abbates, multique proceres. Ex abbatibus tertius eſt Eadwinus, qui primus Weſtmonaſterio ab inſtauratione præfuit. Hoc monaſterium, ut omnes norunt, regum Anglicanorum ſepultura nobilitatum eſt.

Burchardus comes apud S. Remigium ſepultus.

Qui Edwardi regis litteras ad pontificem detulit legatus, Burchardus fuit, Algari comitis filius, qui in Romano itinere morbo correptus, Auguſtæ ad alpium radices deceſſit, corpuſque ſuum ad ſancti Remigii cœnobium deportari præcepit, ubi eundo exceptus hoſpitio fuerat, ibidemque ſepultus fuit in ſuperiori chori parte ad latus epiſtolæ, appoſito hoc epitaphio.

Anglica quem genuit, hunc tellus Gallica condit:
Clara ſtirpe cluit, Anglica quem genuit.
Prô dolor exul obit, dum Romam puſio tendit:
Dum te, Petre, petit, prô dolor exul obit:
Se petiit revehi Remis ſub limine læti,
Aulæ Remigii ſe petiit revehi.
Dulcis ephebe, tuis heu primi gratia floris,
Heu lugende nimis, dulcis ephebe, tuis.
Altera lux aderat, quataurus ſole flagrabat,
*Dum pubeda * meat, altera lux aderat.*
Quem tegit hoc taphium, Burchardi nomen adeptum,
Grande decus procerum, quem tegit hoc taphium.
Lector habes titulum; pete, Petre, pandere regnum.
Anglus adibat eum: lector habes titulum.
Obiit Auguſtæ.

* pubes *ſen* adoleſcens.

Ita in fine epitaphii, quæ duo ultima verba Marlotus omiſit. In necrologio Remigiano notatur XIV. kal. Maii obitus *Burchardi comitis Anglorum, qui dedit nobis quidquid habemus in Anglia*, id eſt prædia apud Lapeïam, ubi cella erecta fuit. Idem etiam Burchardus, vel potius Algarus ipſius parens, egregium evangeliorum codicem ſancto Remigio dedit, aureo tectum operculo, cujus in circuitu hi verſus leguntur, mendoſe a Marloto relati.

Hic codex venie lapſis, legatio vite,
Te, pie, Burchardi memorari, magne Remigi,
Poſtulat, ut celis tecum, ceu commanet arvis,
Alegar dux Anglis, ſimul & conſors lateralis
Alegiea, pontificum ſummo dant munus amicum.

Hoc grati animi teſtimonium illuſtribus viris debebatur: reliqua perſequor.

ANN. CHR. 1061.

DEfuncto ſub finem anni, id eſt VII. idus Decembris, Rainerio Floriaci abbate, electus eſt in ejus locum Hugo ejuſdem loci monachus. Is juveniles adhuc agens annos, cum magnificus haberi vellet, multa juveniliter [a] geſſiſſe traditur: & quia ex præclara Francorum ſtirpe ortus erat, degenerem ſe reputaſſet, ni ea gereret quæ vulgus inſanum probat. Unde inter cetera apud Germiniacum monaſterii ſui villam magnum pavonum agmen alebat: ex quibus unus, dum in loci eccleſiam Salvatori ſacram volat, mox ad altare debilitatus corruiſſe dicitur. Vix ſeria loquor: tanto ejus caſus mærore affectus eſt abbas, ut cereum ad ejus menſuram ad aram accendi juſſerit: quo necdum conſumto, avis ſoſpitatem recepiſſe fertur. Ubi Tortarius, qui id referre non erubuit, affert illud Auguſtini: *Qui ſalvat te, ſalvat & gallinam tuam.* Ejuſdem abbatis tempore, id eſt anno M LXV. Gauzbertus miles ſancto Benedicto contulit eccleſiam ſanctæ Mariæ de Kadelata, ſitam ſuper fluvium Lupæ * in pago Waſtinenſi, conſentiente domino ſuo Rodulfo comite; ejuſque donationis chartam Philippo regi, & Balduino comiti obtulit ſubſcribendam: cui etiam appoſita ſunt ſigna Annæ reginæ, Mainardi Senonenſis archiepiſcopi, & aliorum.

LXXXIV. Hugo abbas Floriacenſis.

[a] *Tortar. c. 5. V. cap. 11. & 36.*

* *le Loin.*

LXXXV. Nicolao papæ Alexander II. ſuccedit.

Longe funeſtior fuit eccleſiæ mors Nicolai papæ, quæ XII. kal. Junii hujus anni M LXI. Florentiæ contigit, cum paullo amplius quam duos annos in pontificatu exegiſſet. Audita ejus morte, clerus populuſque Romanus de ſubrogando ſucceſſore egerunt; cumque ad hanc dignitatem nullus ex Romana eccleſia probaretur; cardinales Hildebrando auctore ex aliena eligendum cenſuere. Hic fuit Anſelmus Luccæ epiſcopus, vir ſingulari probitate & doctrina præditus, qui paullo ante legationis munere in Germania perfunctus fuerat. Is pridie kal. Octobris creatus abſens, a Godefrido Etruriæ duce Romam perducitur; atque imminente Romanorum ſeditione, ſtatim ſine Heinrici regis auctoritate conſecratur, Alexander II. appellatus. Id ubi reſcivit Heinricus, factum indigne tulit; tum frequenti Baſileæ conventu habito, Placentino & Vercellenſi ex Italia epiſcopis aſſentientibus, Cadaloum Parmenſem epiſcopum, ad ſe profectum, pontificem v. kal. Novembris renuntiavit, eique Honorii II. nomen impoſuit. quæ res funeſti ſchiſmatis materia fuit. Alexandro legitimo pontifici favit in primis Godefridus Tuſciæ dux cum Mathilde comitiſſa: at Gibertus Lombardiæ præfectus, Mediolanenſes & pleræque Lombardiæ civitates Cadaloo, quem Petrus Damiani ſcriptis acerrimis exagitavit. Verum hæc fuſius perſequi noſtri non eſt inſtituti.

LXXXVI. Hildebrandus cancellarius.

Alexander a ſua ſtatim creatione Hildebrandum jam archidiaconum inſtituit cancellarium, quo ex officio univerſa Romanæ eccleſiæ adminiſtratio pendebat. Pollebat Hildebrandus ad ea rite explenda magnis ingenii viribus, &, quod pluris æſtimandum, ſpiritualium chariſmatum ubertate, adeo ut divinum quippiam præ ſe ferret. In exſequendo cancellarii munere non modo univerſorum ad ſe confluentium cauſas audiebat, ſed etiam pro ſui officii debito provincias circumibat, ut perperam acta corrigeret. Forte in ejus comitatu aderat venerabilis Hugo Cluniaci abbas, atque in extremo agmine cum monachis ſuis ſenſim progrediebatur, dum Hildebrandus omnium ordinum turma ſtipatus procederet. Viſo eminus tanto honore, qui exilis ſtaturæ & infimæ conditionis homini tribuebatur, exiſtimavit abbas, eum tanto comitantium faſtu haud dubie ſuperbire. Hæc eo cogitante, Hildebrandus reflexo equo, ad eum eminus clamavit: Male, inquiens, cogitas de homine, hujuſce duntaxat rei innocente. Non enim hunc honorem mihi, ſed beatis apoſtolis tributum exiſtimo. Suffuſus pudore abbas, ipſum percontatur, quo pacto cogitationem reſciſſet ſuam. Hæc, inquit, ex animo tuo, quaſi per fiſtulam, ad aures meas deducta eſt. Hæc Willelmus [b] Malmeſburienſis a quodam ſe accepiſſe dicit, qui ea ex ore ipſius Hugonis abbatis ſe audiſſe affirmabat. De iiſdem etiam idem memoriæ prodidit, quod, cum ambo in quadam eccleſia preces in multam horam protraherent, archidiaconus indignanter viſus eſt reſpexiſſe abbatem. cui cauſam poſcenti reſpondit archidiaconus, Dominum Jeſum-Chriſtum, qui ſibi precanti primum aderat, poſtmodum, ſe deſerto, ad abbatis preces, quippe qui ferventius oraret, totum converſum fuiſſe.

[b] *Willelm. Malm. de geſt. regum Angl. lib. 3.*

LXXXVII. Humbertus Cardinalis obit.

Paullo ante Nicolai pontificis obitum deceſſerat Humbertus cardinalis Silvæcandidæ ſeu ſanctæ Rufinæ epiſcopus, ſcriptis & legationibus clarus, a quo diploma

pro parthenone ſanctæ Felicitatis anno ſuperiore ſcriptum fuiſſe diximus. Hunc
ANN. CHR. 1061. Johannes de Bayone v. idus Aprilis hujus anni obiiſſe ſcribit, eumque a Nicolao papa in baſilica Conſtantiniana ſeu Lateranenſi, prope corpora ſanctarum virginum Rufinæ & Secundæ, honorifice ſepultum fuiſſe. Scripta ejus pleraque exſtant ex tomo ſexto Caniſii in bibliotheca ſanctorum patrum, nempe liber unus contra Michaëlem Cerularium, alter contra Nicetam-Pectoratum; relatio eorum quæ Conſtantinopoli in ſua legatione geſta ſunt; & epiſtola ad omnes catholicos: quibus addenda formula confeſſionis, quæ Berengario in ſynodo Romana anno M LIX. facienda præſcripta eſt. Præter hæc omnia editi ſunt ab eodem Humberto libri tres contra ſimoniacos, necdum vulgati, quos præ manibus habemus.

LXXXVIII. Goſlinus item abbas S. Solutoris. Ad hunc annum pervenit Goſlinus abbas piiſſimus Taurinenſis ſancti Solutoris monaſterii, quod anno M XXXI. Olricus marchio & Berta ejus conjux liberaliter dotarunt. Huic Gezo epiſcopus primum abbatem præfecit, nomine Romanum, cui Goſlinus ſucceſſit. Fuit is, ut perhibent, ex clariſſima Avarorum ſeu Hunnorum familia oriundus; nomenque ſancto Benedicto adhuc adoleſcens dediſſe traditur, omnique virtutum genere excelluiſſe. Dum Georgius de Lucerna, ejus loci abbas, ſub medium ſæculum quintum-decimum ſancti Solutoris eccleſiam inſtauraret, duo inventa ſunt corpora, ſcilicet Goſlini abbatis, & Anaſtaſii monachi, qui ſub eo vixiſſe creditur. Ambo pro ſanctis habiti, ſacriſque inſcripti faſtis, tametſi quibus præciſe diebus deceſſerint ignoratur. Libellum de ſancti Goſlini miraculis ſcripſit anonymus poſt eorum inventionem in eodem monaſterio factam, quod anno M D XXXVI. capta urbe a Franciſco primo Francorum rege, penitus everſum eſt, ſacris reliquiis in urbem tranſlatis, & in cella ſancti Andreæ repoſitis, quæ una cum opima parte bonorum patribus Societatis Jeſu a Vincentio Parpalia ſæculari abbate traditæ ſunt.

LXXXIX. Marciniaci monaſterium conditur. Ut erat de omnium ſalute ſollicitus ſanctus Hugo Cluniacenſis abbas, etiam ſequiori ſexui, non tantum virili, conſulere officii ſui eſſe duxit. Quare Marciniaci ad Ligerim in diœceſi Æduenſi, in fundo paterno cœnobium exſtruxit, ubi feminæ provectiores, quæ ſe ſe Deo conſecrare cuperent, admitterentur, non tamen ante
» annum ætatis viceſimum, ne laſcivientis adhuc fervor ætatis vel loco infamiam, vel
» inter ſorores ſcandalum generaret. Principio paucæ erant: ſed brevi numerus pluri-
» mum auctus. Earum duo erant ordines, clauſtralium & incluſarum. Omnibus hæc
» erat præſcripta regula, ut earum nulla, vel rei neceſſitate familiaris, vel pro quo-
» libet negotio, in virorum conſpectum veniret: *ne, quibus votum indixerat continentiam, intuitus ſollicitaret ad culpam.* Res earum procurabant religioſi ac pru-
» dentes monachi, ſub quorum cuſtodia nec poſſeſſio diſtractionem, nec honeſtas
» diſpendium formidabat. Earum eruditioni Hugo ſenem quemdam deputavit, Renchonem nomine, conſummati monachum teſtimonii, qui miſericordiæ cenſuram miſcere probe noverat. Præter ea, ne ancillis Chriſti neceſſaria deeſſent, uberes eis reditus & ſufficientia prædia aſſignavit, ſic earum neceſſitati conſulens, ne vel exceſſum ſuperfluitas induceret, vel egeſtas querelam extorqueret. Denique baſilicam congruis decoravit ornamentis, ubi, præter alias reliquias, brachium ſanctæ Agnetis virginis & martyris repoſuit. Ejus dedicatio facta eſt ad laudem ſanctæ & individuæ Trinitatis, ſub patrocinio beatæ Mariæ ſemper virginis & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli. Porro hunc locum condidit dotavitque vir ſanctus, non ex propriis ſumtibus aut facultatibus, quippe qui, ut Chriſti pauperes, nihil proprium haberet: ſed ex his tantum, quæ divina munificentia ipſi impertiri dignata fuerat, ut ipſe loquitur in commonitorio, quod cum epiſtola Marciniacenſibus ſororibus paullo ante obitum ſuum ſcripſit. Suppetias quoque contulit Gaufridus de Sinemuro, Hugonis frater. Tanta vero diſtrictione recluſionem olim ſervarunt illæ ſanctimoniales, ut oborto illic incendio, ne quidem Hugonis Lugdunenſis archiepiſcopi juſſu, ut inde egrederentur, adduci potuerint, quemadmodum Petrus Venerabilis [a] tradit. Hujus piiſſima parens ibidem ſecundos caſtitatis fructus tulit, & ſanctiſſime deceſſit. Quænam locum illum initio præpoſitæ rexerint, nobis incompertum. Marciniacenſium ſororum poſt Renchonem, qui primus hoc munere functus eſt, curam geſſit Udalricus monachus eximiæ ſanctitatis, ut in ipſius vita legitur. quo Cluniacum ob oculi infirmitatem reverſo, alter in ejus locum ſubſtitutus eſt; & poſt eum Turquillus, quem illic priorem ab ſe inſtitutum Petrus [b] Venerabilis laudat.

[a] *Petr. Vener. lib. 1 de miracc. c. 22.*

[b] *ibid. c. 21.*

Inſtaurata ſancti Nicaſii apud Remos, ut ſuperius [a] diximus, a Gervaſio archi- ANN. CHR.
præſule baſilica, Philippus rex conſilio [b] dilectiſſimæ matris ſuæ, & ipſius Gerva- « 1061.
ſii, aliorumque fidelium rogatu, pro anima patris ſui Heinrici, & pro ſalute animæ « X C.
ſuæ, in uſus Deo in illa baſilica militantium, *in qua prædictus archiepiſcopus divino* « Monachi
inſtinctu abbatiam, ſuorum prædeceſſorum negligentia deſtructam, inſtauraverat, villam « apud S. Ni-
Hundilicurtem donat, & omnia ad illam pertinentia; eaque confirmat, quæ idem « caſium inſti-
Gervaſius eidem eccleſiæ jam dederat, & daturus erat. *Actum Remis anno incar-* « tuti.
nati Verbi M LXI. *Philippi regis ſecundo, Gervaſii archiepiſcopi ſexto, in eccleſia ſanctorum Agricolæ & Nicaſii martyrum, pridie idus Maii, indictione* XIV. Huic diplomati appoſita ſunt ſigna poſt Philippum Annæ reginæ, Elinandi Laudunenſis, & Quiriaci Namnetenſis epiſcoporum, Roberti fratris regis, Rodulfi comitis, & Manaſſæ comitis. *Balduinus cancellarius ad vicem Gervaſii archiepiſcopi ſubſcripſit.* Incertum eſt an tunc monachi illic fuerint: at eos ante annum M LXVI. ibidem exſtitiſſe conſtat ex altero [c] ejuſdem Philippi diplomate, in quo fratres *ſub abbate & regula ſancti Benedicti* illic a Gervaſio collocatos legimus.

[a] *ſup. n. 18.*

[b] *Marlot to. 1. p. 619.*

[c] *ibid. p. 620.*

Quinam fuerint primi illius cœnobii abbates, res valde implexa eſt, ſi Marloto Remigius ab-
credimus. Hic ex veteri [d] codice probare nititur, Gervaſium principio coactum « bas primus.
fuiſſe hanc eccleſiam, propriis filiis carentem, extraneis procuratoribus ſive præ- « [d] *ibid. p. 619.*
poſitis committere, retenta ſibi abbatiali dignitate, ut tenelli gregis vix adunati «
paternam gereret ſollicitudinem. at poſt ejus obitum, oves proprium non habentes «
paſtorem ad propria rediiſſe, & abbatiæ poſſeſſiones a perverſis hominibus occu- «
patas; eamque ſub Manaſſe in lugubrem adeo ſtatum redactam fuiſſe, ut a con- «
ductitiis ſacerdotibus divina myſteria celebrarentur, & horæ canonicæ a quodam «
juvene, nomine Joranno, ibidem a teneris enutrito, qui poſtea cardinalis factus «
eſt, recitarentur potius quam cantarentur. Poſt Manaſſen, Rainaldum ad Arver- «
nos profectum, Caſam-Dei adiiſſe, & a Seguino abbate, ſancti Rotberti ſucceſſore, «
duodecim obtinuiſſe monachos cum experto duce, qui vix inchoatum apud Nica- «
ſianos monaſticum ordinem poſtliminio revocaverint. Hinc Marlotus primum ſancti «
Nicaſii abbatem ponit Seguinum, ſeu quemvis alium ejus vice Caſæ-Dei monachum. Verum conſtat primum illic abbatem fuiſſe Remigium, e proximo ſancti Remigii archimonaſterio accitum a Gervaſio, eique Johannem abbatem ſucceſſiſſe ante Jorannum abbatem, quem Marlotus primum præpoſitum conſtituit, rejectis Remigio, & prædicto Johanne abbate, ex veteri æmulatione, quæ inter Remigianos & Nicaſianos monachos dudum interceſſit, ne videlicet ſancti Nicaſii monaſterium Remigiano ſubjectum quoquo pacto, aut obnoxium eſſe videretur. Verum in vetuſtis libris, non tantum Remigianis, ſed etiam Nicaſianis, puta in necrologio & veteri indice abbatum, Remigius primum inter abbates locum habet, qui hoc ordine recenſentur in veteri codice, qui tempore Gerardi abbatis, id eſt poſt medium ſæculum tertium-decimum, ſcriptus eſt. Sic autem habet codex. *Nomina abbatum, qui in prædicta eccleſia fuerunt a tempore fundationis, uſque ad tempus Gerardi prædicti ſunt hæc.*

Remigius abbas	*I.*	*Pontius abbas*	*VIII.*
Johannes abbas	*II.*	*Renaldus abbas*	*IX.*
Jorannus abbas	*III.*	*Galterus abbas*	*X.*
Nicolaus abbas	*IV.*	*Haidericus abbas*	*XI.*
Guillelmus abbas	*V.*	*Drogo abbas*	*XII.*
Johannes abbas	*VI.*	*Simon abbas*	*XIII.*
Guido abbas	*VII.*		

Simon abbas XIV. & rexit eccleſiam XVII. *annis.*
Simon abbas XV. & rexit eccleſiam XIV. *annis.*
Gerardus abbas XVI. & rexit eccleſiam XI. *annis.*

In eodem codice præmittitur *numerus monachorum, qui in eccleſia prædicta fuerunt a fundatione eccleſiæ uſque ad adventum Gerardi abbatis, exceptis illis, quos invenit in adventu ſuo, eſt circa* CCCC *&* XIV. *monachi.* De his alias Deo dante.

ANN. CHR. 1061.

XCI. S. Germani crux a Philippo rege intacta.

Servabatur ad id tempus in Parisiensi sancti Germani cœnobio pretiosissima crux, quam Childebertus rex Francorum, ex Hispaniis reversus, eidem ecclesiæ dono dederat. Erat *ipsa crux operis ac ponderis incomparabilis*, inquit vetus anonymus, cujus tempore adhuc supererat, *gemmis exquisitissimis* ornata: *cujus pretiosissimi donarii laudem*, ut idem ait, *ipsa res adhuc testatur; & dum superstes erit, ipsum opus mirificum, & auri pondus immensum testabitur.* Hanc crucem cum vidisset rex Philippus, instinctu Stephani urbis Parisiorum præfecti, eam concupivit; eoque jubente, deposita est crux de columna, cui superposita erat, & super tapetum in ecclesiæ pavimento collocata, monachis interim lugentibus, qui pretiosissimum donarium sibi auferri magnopere dolebant. At, nebula subito in sanctuario oborta, rex a proposito destitisse dicitur, pravique consilii pœnas dedisse Stephanus, oculorum lumine statim multatus, ut refert vetus [a] anonymus, qui se ab iis, qui aderant, id accepisse scribit. Hæc crux, incertum quo casu, jam dudum amissa est.

a *Sec. 3. part. 2. p. 122.*

Permutatio villæ de Cumbis.

Haud scio an hujus rei occasione rex Philippus villam Briegii tractus, Cumbas dictam, sancto Germano restituere voluit. quod hoc modo factum [b] legitur. Hanc villam, a Dagoberto rege datam sancto Germano, cujus corpus tempestate Nortmannorum istuc, tamquam in asylum, deportatum fuerat; Hugo Francorum dux, cognomento Magnus, invaserat, eamque Hilduino comiti de Monte-Desiderii in beneficium cesserat, & post ejus obitum denuo usurpaverat. Eo mortuo, Hugo rex ejus filius eamdem villam retinuerat, & post eum rex Rotbertus: qui, cum sororem suam Hadwigem Rainerio Montensium comiti nuptum daret; quasdam villas sancti Germani, super Mosam positas, videlicet Cuvinum, Fraxinam, Nimam, Evam & Bons, in sororis suæ dotem eidem comiti assignavit; & pro earum qualicumque commutatione Cumbas sancto Germano restituit. Verum, mortuo Rotberto, cum Heinricus ejus filius ac successor multis bellorum incommodis ab Odone comite, aliisque quamplurimis urgeretur; ratus Manasses, prædicti Hilduini comitis nepos, qui a regis partibus stabat, adesse tempus opportunum ad recuperandam villam, quam Hilduinus tenuerat, eam a rege sibi restitui flagitavit. Rex autem veritus, ne ille a suo obsequio cum aliis deficeret, flagitanti villam denegare non potuit. Verum non diu eam tenuit Manasses; quo post triennium mortuo, Heinricus illam sancto Germano reddidit. Ast post obitum Heinrici regis, Odo comes, prædicti Manassæ filius, eamdem, tamquam hereditario jure, extorsit a Philippo juvenculo rege, qui ad damnum sarciendum sancto Germano villam sui juris Banniolas *, a muris urbis Parisiacæ non admodum remotam, largitus est, eo pacto, ut post mortem Odonis superior illa villa ad pristinum sancti Germani dominium rediret. *Actum Philippo rege, anno incarnati Verbi* M LXI. *regni vero ejus primo.*

b *Lable misc. p. 579.*

* *Bagnolet.*

XCII. Longi-pontis cella conditur.

In pago Parisiaco juxta viam, qua ex urbe Lutecia Aurelianos itur, mons exsurgit haud incelebris, qui deinde a Letherico illius loci domino Mons-Letherici * dictus est. Illic principatu Rotberti regis Theobaldus, cognomine Filans-stupas, regis forestarius, turrim cum muris construxisse traditur. Hujus castelli sub Heinrico rege dominus erat Guido, qui una cum uxore sua, Hodierna nomine, ecclesiam Longi-pontis, eidem castello proximam, quæ in honorem sanctæ Dei-genitricis Mariæ dedicata erat, Hugoni abbati & Cluniacensibus monachis contulit, assentiente Gaufrido Parisiorum episcopo, salvis juribus ecclesiæ Parisiensis. Gaufridi chartam, chronicis destitutam notis, retulit Gerardus a Bosco in tomo primo historiæ ecclesiæ Parisiensis, ubi prædicti Guidonis progeniem recenset. Huic cellæ primus præfuit Rotbertus: cui Bernardus prior jam anno M LXVI. successerat. Hunc excepit Stephanus, sub quo Guido de Monte-Letherici in ipso, quod condiderat, monasterio monachum induit.

* *Mont-Lery.*

XCIII. S. Michaëlis abbas cum episcopo Abrincensi paciscitur.

Tunc temporis Ranulfus, Montis-sancti-Michaëlis abbas, conquestus est [c] apud Johannem Abrincarum episcopum super quibusdam gravaminibus, quæ ab ejus ministris sæpe fiebant in clerum & populum Montis, qui Abrincas pergere cogebantur ad quaslibet citationes; nec excusare eos poterat vel mare insurgens, vel Britonum insidiæ; &, si citationibus deforent, multis obnoxii erant. Abbatis querelas benigne excepit præsul; itaque inter eos convenit, ut abbas archidiaconi officio in Monte fungeretur; & minores causas ecclesiastico judicio definiret: majores vero, quales sunt matrimonii dissolutio, judicium ferri igniti, & quædam similia, ad

c *Theod. pœnit. p. 664.*

ANN. CHR. 1061.

episcopum referret. Sic facta compositio ea lege, ut abbas singulis annis vestem episcopo convenientem offerret, tresque libras incensi, totidemque piperis, & sex tabulas ceræ cum tribus cereis. quæ omnia reciperet episcopus die purificationis beatæ Mariæ. Ad hæc, ut monachi quotannis Abrincas procederent cum capite sancti Autberti in cathedralem sancti Andreæ ecclesiam, unde consilium & chrisma accipiunt *ad christianitatem faciendam*, id est ad baptizandos infantes.

XCIV. Anselmus Becci clarere incipit.

Etsi privatam hoc tempore vitam [a] Becci ageret Anselmus, ex his tamen latebris sensim erumpebat ejus fama virtutis & eruditionis, eique complures amicos & discipulos conciliabat. Ex amicis unus erat Avesgotus seu Avesgaudus, sancti Petri de Cultura apud Cenomannos monachus, qui ab eo flagitavit, ut nepotem suum erudiendum admittere ne gravaretur. Exstat [b] ejusdem Avesgaudi hac de re epistola, cujus hæc inscriptio: *Avesgotus, cœnobii sancti Petri Culturæ monachus, Anselmo salutem.* ubi cum nullum Anselmo titulum addat, inde colligitur, eum necdum priorem fuisse renuntiatum. quod anno sequenti factum est. In hac epistola Avesgaudus « ait, se hactenus amicos atque familiares solummodo fuisse locutione; at necdum « expertos, an amici essent etiam operatione. Quod ad ipsum attinet, se ad Anselmi « mandata, cum per se, tum per propinquos, exsequenda paratum: at velle ipsius « Anselmi in se voluntatem experiri. Habere se nepotem quemdam juvenem, sibi « maxime carum, quem in humanioribus litteris ab eo potius, quam a quoquam « alio, erudiri cupiat. Ceterum se omnino securum fore, si cum illo Becci demora- « retur. Non dubitare, quin ipse facile annuat voluntati suæ. at rogare sibi significari, « quo pacto id ab ipsius abbate ac congregatione Beccensi impetrare possit. In eadem « epistola quærit ab Anselmo Avesgaudus: *Cur fama Lanfranci atque Guitmundi volat per orbem plus tuâ? cur tam diu lucernam recondis sub modio? Quid non recordaris poëtæ dicentis:*

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

a *V. supra n. 48.*

b *Baluz. misc. tom. 4. p. 477.*

Ad hanc epistolam respondet [c] Anselmus, se quidem cupere Avesgaudi voluntati respondere; sed dolere, quod eam exsequi non possit. *Non enim*, inquit, *ejusmodi studii, in quo possit proficere dilectus ille vester, de quo scripsistis, est mihi nunc licentia, nec intentio, vel opportunitas, sicut fuit olim*, ante scilicet quam monachum induisset. Et infra: *Denique ad id, quod mihi dicitur in epistola vestra:*

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter,

quamquam id Persius dixerit, non ut ostentationem reprimeret, sed exprimeret; respondeo:

Scire meum nihil est, si quale sit hoc sciat alter.

Quod vero quæritis, cur fama Lanfranci atque Guitmundi plus meâ per orbem volet? utique quia non quilibet flos pari rosæ fragrat odore, etiamsi non dispari fallat rubore. Ita vir modestissimus ad epistolam Avesgaudi, qui postmodum monasterii sui, id est sancti Petri de Cultura, abbas exstitit. Ex his intelligitur, Guitmundum, qui Crucis-sancti-Audoëni seu sancti Leutfredi in pago Ebroïcensi monachus erat, atque Lanfranci discipulus, jam tum celebrem fuisse, tametsi postea longe celebrior evasit, ut inferius dicturi sumus.

c *Anselm. lib. 1. ep. 16.*

XCV. Glonnensis ecclesiæ dedicatio & restitutio ei facta.

Cum instauratum utcumque fuisset Glonnense seu sancti Florentii monasterium, quod Vetus appellant, ejus ecclesia hoc anno [d] dedicata fuit ab Eusebio Andecavorum episcopo in honorem Salvatoris & sancti Florentii confessoris XVIII. kalend. Julii, qui antiquæ dedicationis dies erat. Eodem tempore Gaufredus Junior Andecavorum comes, qui forte dedicationi interfuerat, monachis restituit castellum seu arcem monasterio proximam, quam olim Fulco [e] Niger, annuente Friderico abbate, ad monasterii & regionis asylum exstruxerat, & monachis custodiendam concesserat. Verum non multo post res longe aliter cessit. nam Martellus eam omnino sibi vindicavit, suisque militibus tuendam tradidit, qui res monasterii deprædabantur. Verum, eo mortuo, prædictus Gaufridus Junior, alias dictus Barbatus, ejus ex sorore nepos, agente Sigone abbate, qui tunc utrique sancti Florentii monasterio, Veteri ac Novo, præerat, illam arcem monachis restituit, ea conditione, ut semper custodiretur ab hominibus monachorum. His litteris sub-

d *Martene collect. to. 1. part. 2. p. 251.*

e *V. lib. 56. n. 82.*

ANN. CHR. 1061.

scripsere Rotbertus Burgundio, Reginaldus de Castello-Guntherii, aliique. Superstes fuit ad annos novem Sigo abbas, qui cum aliquando Glonnam navigio devectus fuisset; nauta intempesta nocte recedens in undas Ligeris lapsus, cælitus servatus fuisse dicitur, viso Sigonis baculo, facto in morem eorum, quo peregrini uti solent, quo abbas utebatur ob dolorem calculi, quo sæpe afflictabatur. Idem aliquando in acie visus est adfuisse Rodulfo vicecomiti Montis-rebellis-majoris adversus Normannum de Monte-rebellis-minoris, qui loca illa infestabat. quæ omnia innuunt, Sigonem notæ sanctitatis virum fuisse.

XCVI. Tomeriis & S. Petro Curtensi factæ donationes.

In Occitania Raingardis comitissa, & gener ejus Raymundus cum uxore sua Ermengarde & Adalayde hujus sorore, alodium suum, vocabulo Tonneum, conferunt sancto Pontio Tomeriensis monasterii, necnon Frotardo abbati ejusque monachis. Facta charta cessionis ineunte hoc anno, scilicet III. nonas Januarii, in præsentia Frotarii Nemausensis episcopi, Guillelmi abbatis Caunensis, & aliorum.

Sub finem ejusdem anni, id est VIII. idus Decembris, Raymundus-Arnaldi, ejusque filius Arnaldus, favente conjuge sua, sancto Petro Curtensis monasterii, abbatique Raymundo & monachis ejusdem loci, conferunt prædium suum, cui vocabulum Gaïa, situm in pago Tolosano, cum ecclesia beatæ Mariæ, sub testimonio Raymundi Lactorensis episcopi, & W. Bernardi Savensis principis, quo anno Isarnus Tolosanæ urbis episcopatum adeptus est, nimirum post Durannum seu Durandum episcopum & abbatem Moisiacensem, qui anno superiore [a] adhuc superstes erat.

a *V. sup. n. 67.*

XCVII. S. Apro item alia.

Exstat in Tullensi sancti Apri monasterio inter alia præclara venerandæ antiquitatis monumenta chirographum cujusdam nobilis matronæ, nomine Holdierdis, quæ una cum unico filio suo Odelrico *cœnobio sancti Apri, in manu Widrici ejusdem loci abbatis*, donat quidquid a progenitoribus hereditario jure possidebat in Badini-
» villa, *mansionile* quoque cum servis & ancillis; ea lege, ut filius suus toto vitæ suæ
» tempore prædictum mansionile retineret, hereseque ejus, si ex legitima uxore ei
» nasceretur: Holdierdi vero abbas & monachi quotannis impenderent modios XXIV.
» frumenti, ac vini totidem; necnon XL. solidos, aliaque nonnulla; & pro calceamentis VII. denarios, vestem de tertio in tertium annum; pellicias duas, festivam
» scilicet, cujus *cassus* esset de squirionibus & manicæ *de grisiis*; septimanalem quo-
» que, cujus *cassus* esset de cattis, & manicæ de vulpibus, cum pellibus vulpelinis
» uno anno nudas, duobus reliquis coopertas. *Acta anno nono domni Udonis Leuchorum pontificis, Tulli in publica strata, anno ab incarnatione Domini* M LXI. *indictione* XIIII. *regnante Heinrico Romanorum rege anno ejus* I*. *Lothariensium duce Gerardo.* His litteris apponuntur signa *Arnulfi comitis-advocati Leuchorum urbis, Haymonis comitis*, & aliorum. Iste est Arnulfus comes, qui comitatus honore ob facinora privatus est ab Udone episcopo, cujus hac de re litteras Vignerius [b] retulit in probationibus ad originem domus Lotharingicæ. In prædicta Bainivilla jam inde a pontificatu Gauslini Tullensis episcopi, id est sæculo præcedente, cellam erexerat quidam famulus Dei, nomine Arnustus, & quidem, ut ipse ait in charta [c] sua, *in pago Segintise* * seu Segintensi, eamque sancto Apro subjecerat, ea lege, ut si episcopus aut abbas monasticam religionem illic aliquando destruerent, tunc omnia ejus bona ad suos heredes reverterentur. Locus est diœcesis Tullensis ad Mosellam, vulgo Bainivilla-ad-Specula dictus. Quam diu superstes fuerit Widricus abbas, incertum. Obiit VI. idus Martii, quo die notatur in necrologio, dictus *compositor vitæ sancti Gerardi*, quam Brunoni Tullensi episcopo, postmodum summo pontifici, nuncupavit. Sepultus fuit in capitulo monasterii sub hoc epitaphio.

* lege v.

b *Vignier p. 227.*

c *V. lib. 57. n. 75.*

* *le Saintois.*

Hac tegitur tumba monachorum lucida gemma,
Exemplum vitæ, maxima lux patriæ,
Abbas officio Widricus, germine claro,
Eximius mundo, egregius Domino.
Dum revehit cursus per senas Martius idus,
Tale decus terris livida mors rapuit.
Nos petimus vidui misera sub morte relicti,
Sit dignus tecto vivere, Christe, tuo.

Huic successit Wido, de quo inferius.

Non

ANN. CHR. 1061.

Non videtur excessisse hunc annum Stephanus venerabilis abbas monasterii sancti Laurentii Leodicensis, qui post annos præfecturæ triginta-tres, secundum notionem sui nominis, laborum suorum coronam a Christo percepit *anno episcopatus Deoduini tertio-decimo*, qui anno M XLVIII. episcopatum [a] subiisse traditur. Sepultus est Stephanus in crypta ecclesiæ ante altare sanctæ Dei-genitricis Mariæ ad pedes Wolbodonis episcopi. Erat is ex discipulis beati Richardi Virdunensis abbatis, superius laudatus [b] non semel. Hunc excepit Lambertus, patria Colonienſis, magna litterarum cognitione, editisque scriptis inclytus, testante Fiseno, qui sequentium abbatum [c] catalogum refert.

XCVIII. Stephanus abbas Leodicensis obit.

a *Labbe bibl. to. 1. p. 338.*

b *lib. 56. n. 6. &c.*

c *Flores Leod. p. 55.*

In chronico Saxonico Albuinus abbas Nienburgensis hoc ipso anno obiisse traditur; eique Folcmarus successisse. Hoc monasterium positum fuisse videtur in urbe Turingiæ Neoburgo: cui vicinum erat Gozecense monasterium, in finibus Turingiæ constructum a quodam comite, fratre episcopi Magdeburgensis. Hujus loci primus abbas Benno ex Corbeiæ-novæ cœnobio cum aliquot monachis accitus fuisse a Trithemio [d] dicitur, tametsi nihil hac de re legitur in chronico Corbeiensi, neque Bennonis mentio inter illius cœnobii monachos, qui omnes sub unoquoque abbate recensentur. Haud scio an certiora sint quæ de eodem Bennone subdit idem Trithemius, eum scilicet stupri falso insimulatum, ob idque monasterii præfectura expulsum, in eremitorium Goslariæ proximum secessisse; indeque ad Misnensem episcopatum promotum, Heinrico IV. pro Gregorio VII. restituisse, ac demum pie mortuum *stupendis miraculis* claruisse, quamvis necdum Sanctorum catalogo inscriptus habeatur. Idem auctor in consequentibus laudat Lampertum Hersfeldensem monachum, aitque eum scripsisse monasterii sui breve chronicon, & unum volumen historiarum a tempore Caroli Magni, immo ob orbe condito. His adde quæ idem Trithemius de Ruthardo Corbeiæ-novæ monacho tradit, quem ait inter alia duos scripsisse libros de sacramento altaris contra Berengarium. quod mihi valde suspectum est.

XCIX. Nienburgense, Gozecense & Scafhusense monasteria.

d *Trithem. Chron. Hirsaug. an. 1057.*

Idem ad hæc tempora refert originem monasterii Scafhusani, quod Eberhardus Sueviæ comes una cum uxore sua Ida condidit, multisque prædiis & latifundiis locupletavit. De hoc monasterio plura inferius.

C. Abzellani olim S. Gallo subjecti.

Ad hoc usque tempus fere incultus fuerat ager, qui hodie Abzellanæ ditionis est, unius est ex tredecim Helveticis pagis, & ad paucos redactus colonos, qui omnes monasterio sancti Galli obnoxii erant, unde & Abba-cellæ inditum nomen. Auctis tantisper incolis, Nortpertus abbas in illo *novali loco*, qui *Abba-cella* ab eo nuncupatur, basilicam exstruxit, dotavitque. Hæc basilica prima est ex omnibus illius pagi ecclesiis, quam Nortpertus a Thietmaro Curiensi episcopo, consensu & rogatu Rumaldi Constantiensis episcopi, dedicari curavit. Nortperti hac de re charta [e] facta est anno ab incarnatione Domini M LXI. indictione XIIII. (in editis male VIIII.) anno quarto Heinrici regis, seu Romanorum imperatoris. Processu temporis illius agri incolæ monachorum jugum primum quidem armati detrectarunt; dein ab iisdem sub certis conditionibus magna ex parte liberati, demum anno M CCCC LII. finitimis populis in societatem conductis, in pagum Helveticum coïerunt.

e *Gold. rer. Alem. to. 2. p. 74.*

ANN. CHR. 1062.

JAm annus sextus erat, ex quo Heinricus rex juvenculus Germaniæ regnum post mortem patris, sub moderamine Agnetis genitricis suæ inierat, cum regni quidam proceres muliebris regiminis imbecillitatem causati, sed, quod res est, regem regnumque in sua potestate habere cupientes, puerum a matre abstraxerunt, & ex sancti Swiberti insula Coloniam vel repugnantem traduxerunt. Tum administratio regni, ac juvenculi regis custodia demandata fuit Annoni Colonienſi archiepiscopo, qui hujus facti particeps erat, ob probabiles sine dubio causas. quod quidem suadet optimi præsulis sanctitas, & epistola ad ipsum scripta [f] a Petro-Damiani, qui eum hac de re laudat.

C I. Germanicæ turbæ.

f *Petr. Dam. lib. 3. ep. 6.*

Regni administrationem nullo negotio, nullo animi rancore abjecit pientissima imperatrix; & religioni totam se mancipans, ad Fructuariense monasterium se contulit; indeque Romam profecta, ibidem piis actibus exercitam vitam absolvit. An Fructuariæ monasticum habitum induerit Agnes, non ita exploratum. Lambertus scribit, eam sæculo renuntiare cogitasse, hocque propositum exsecuturam

C II. Agnes augusta religiose vivit.

ANN. CHR. 1062.

fuisse, nisi hunc impetum animi maturioribus consiliis amici inhibuissent. Illud tamen propositum ab ea impletum fuisse non levia suadent argumenta: nempe quod imperialem coronam velo, aurea & purpurea ornamenta pulla veste, linea indumenta laneis mutaverit. Testis hac de re Petrus-Damiani in epistola [a] ad eam scripta, in qua habitum, quo Romam ingressa est Agnes, describit in hunc modum. *Vestis pulla & lanea: is, cui insidebas, non dicam equus, sed potius burdo vel burricus, vix mensuram desidis excedebat asselli. Mutaveras enim coronam velo, purpuram sacco; & manus, quæ in modum columbæ gestare consueverat sceptrum, attrita jam erat portare psalterium. Delicatam porro cervicem illam, ex qua cum bracteolis aureis rutilantibus margaritis dudum murena pendebat, nunc margo laneæ vestis exasperat.* Quin etiam in monasterio cum sanctimonialibus versabatur, cum ei libellum precum direxit [b] Johannes abbas, ex sanctorum patrum scriptis defloratum, in cujus prologo auctor ait se alium addidisse sermonem de vita & moribus virginum, *ad instruendas sanctimoniales, quæ in tuo*, inquit, *monasterio congregatæ sunt.* Id videtur intelligendum de Romano sanctæ Petronillæ parthenone, ubi Agnes supremos vitæ dies exegit. Prius tamen quam illic consisteret, varia Italiæ lustravit loca, variasque ecclesias, quibus magnifica donaria contulit. quod præter Petrum [c] Damiani testatur prædictus Johannes abbas, de ea scribens [d] in hunc modum. *Nonne mulier hæc totius venerationis digna est, quæ divitiis & honoribus prætulit Christi amorem? Igitur cum esset domina regnorum, humiliavit se, & facta est serva pauperum. Taceam quod totam fere peragravit Italiam, devotissime visitans Sanctorum reliquias, & offerens eis pretiosa donaria, plurimasque faciens eleemosynas in urbibus & vicis, & in omnibus locis, ad quæ orationis gratia properavit.* Addit idem auctor, *quod in Galliarum partes regressa, similiter pauperes & ecclesias Dei larga consolata est manu.* quod alibi legere non memini. Forte Galliam revisit, ut conveniret Agnetem matrem, Pictavorum comitissam, quæ & ipsa Fructuariam se recepisse dicitur.

[a] *Petr. Dam. opusc. 56. c. 3.*

[b] *Analect. to. 1. p. 135.*

[c] *Petr. Dam. opusc. 56. c. 4.*

[d] *Analect. to. 1. p. 136.*

Casinum adit.

Ex his omnibus locis, quæ religiosa lustravit augusta, Casinense adiit monasterium, ubi *per medium fere annum* [e] commorata est, contestata, se longe majora de insigni illo sanctuario vidisse, quam quæ aliorum relatu acceperat. Illic obtulit sancto Benedicto magnifica, prout augustam decebat, donaria, in his planetam auro contextam, albam pretiosissimam, pluvialia duo purpurea, aureis listis ornata, pallium magnum, quod dorsale vocant, evangelii librum argentea tabula tectum, & duo candelabra argentea.

[e] *Chron. Casin. lib. 3. c. 32.*

CIII. Confessio ejus generalis & pia facta.

Romæ cum degeret, conscientiæ suæ statum aperuit Petro [f] Damiani, *sub arcana beati Petri confessione, ante sacrum altare* sedenti; ac *per lugubres gemitus & amara suspiria* quidquid *ab ipsa quinquennis infantiæ tenera levitate*, sive cogitationibus, sive sermone & facto deliquerat, eidem confessa est. Ille vero nihil aliud pœnitentiæ imposuit, quam ut agere pergeret, quod agere cœperat. *Nam, Deo teste*, ait Petrus, *ne unum quidem jejunii vel cujuslibet afflictionis indidi: sed ut in cœptis solummodo sanctis perseveraret operibus imperavi.* quod sane mirabitur nemo, qui attenderit tum ad Agnetis incorruptos in sæculo mores, tum ad illius temperantiam, quæ inter congestas renidentium [g] carnium epulas, ne ipsam quidem pinguedinem deguſtabat, immo ipsum panem, vel quævis incultioris apparatus edulia, non sine timore & lacrymis delibabat: tum denique quia jejunii loco censeri debebant rerum omnium, quem professa erat, contemtus. Unde sic eam idem Petrus compellat. *Jejunium tuum, regina, multiplex est. Nos enim aliquando jejunamus a cibis: sed tu jejunas a purpura, jejunas a corona, atque a tot & tam magnificis imperialis gloriæ pompis. His enim abstinere non immerito jejunium nuncupatur, quibus utique mens quæque carnalis delectabiliter pascitur. Nam si simplex aqua a Davide projecta, scriptura teste, in sacrificium vertitur: tot rerum, honorumque contemtus quantam apud Deum gloriam promeretur?* Ea porro erat piissimæ imperatricis in Deum animi intentio, ut ne ad breve quidem punctum a divinis laudibus & meditationibus cessaret. Hinc est, quod sæpe laudatum Petrum [h] Damiani per Rainaldum Comanum episcopum scisitata est, utrum liceret homini inter ipsa naturæ necessaria aliquid meditari psalmorum. Ad quod respondet Petrus id licere, siquidem Deus Jobum in sterquilinio orantem exaudivit; & Paulus præcipit viros precari in omni loco. tametsi hæc eo loci potius in corde versanda esse monet, quam explicanda sermone. quod quidem silentio premendum, & nequaquam per multorum ora vulgandum esse dicit.

[f] *Petr. Dam. opusc. 56. c. 5.*

[g] *ibid. c. 5.*

[h] *ibid.*

ANN. CHR. 1062.

Quamquam magnus ecclesiæ doctor Augustinus [a] non erubuit quid simile referre de Licentio, qui cum post cænam ad requisita naturæ exisset, versum illum psalmi, *Deus virtutum converte nos, &c.* paullo clarius cecinit, quam ut sancta Monica ferre posset, *quod illo loco talia continuo repetita canterentur.* Tum *objurgavit eum religiosissima femina ob hoc ipsum, quod inconveniens loco canticum esset.* Ad quod Licentius jocando: *Quasi vero*, inquit, *si quis hic me inimicus includeret, non erat Deus exauditurus vocem meam.* Postridie vero scisitatus ab Augustino, quid ea de re sentiret; factum probavit sanctus doctor, utpote ex animo sincere converso profectum. quo responso gavisus est Licentius, ex hoc certior factus, sibi *scrupulum superstitionis* injectum fuisse, quod tali loco talia cantitasset. Et Augustinus: *Mihi, inquam, neque hoc displicet, & ad illum ordinem puto pertinere, ut etiam hinc aliquid diceremus.* Ex hoc diverticulo ego quoque ad ordinem redeo.

[a] *August. de ord. lib. 1. n. 22.*

CIV. Germaniæ abbatiæ direptæ.

Interim cum studia partium in Romana ecclesia pro electione duorum pontificum usque ad sanguinis effusionem crescerent; missi sunt ex latere Heinrici regis ad reformandam ecclesiæ pacem Anno Colonienſis archiepiscopus & dux Godefridus; atque indicto Mantuæ conventu, utriusque partis rationibus auditis, ambobus electis præsentibus, Alexander in sede apostolica confirmatus, ut in chronico Laureshamensi legimus. Annone absente, Adelbertus Bremensis archiepiscopus, hac occasione usus, juvenculi regis curam ad se traxit, causatus Annonem severioris esse frontis, se vero mitioris ingenii; ceterum regem, jam maturæ ætatis, suæ potestatis esse debere, nec alieno, sed proprio regi arbitrio. Hac arte captato regis favore, cupiditati suæ satisfacere cupiens Adelbertus, duas mox regales abbatias, Laureshamensem & Corbeiensem, ab eo petiit, obtinuitque. Veritus autem, ne id ceteris regni principibus invidiam moveret; Annoni archiepiscopo tres alias abbatias, Indensem scilicet, ac Malmundariensem virorum, necnon Filikensem, forte Eilikensem; Sigefrido Moguntino archiepiscopo Seligenstadensem; Ottoni Bajoariorum duci Altahensem; Rudolfo denique Suevorum duci Kempetensem seu Campidonensem donari curavit. Ut vero Corbeiensem facilius invaderet, finxit quemdam Italiæ civitatis, scilicet Polæ, episcopum decessisse, cui Corbeiensem abbatem (Sarichoni nomen erat) specie honoris subrogare molitus est. qua detecta versutia, omnium in se odia concitavit; factumque est Ottonis ducis fide & constantia, ut & abbati sua dignitas, & monasterio Corbeiensi sua libertas conservaretur.

CV. Laureshamenſis procella.

Ast ut Laureshamensem abbatiam sibi retineret, nihil non molitur archiepiscopus; primum per se Udalricum abbatem subdolis tentans officiis, dein per quemdam Judæum monachorum erga se studia explorans; atque ubi nihil hac arte promotum videt, abbatem alia via aggreditur. Regi suggessit petendum ab Udalrico in gratiam regii militis quoddam monasterii prædium in beneficium, ex quo plurima fratribus proveniebat utilitas, eo animo, ut abbas, si jussis morem non gereret, regis offensam incurreret. Diu multumque restitit abbas: sed tandem, ut præsulis laqueos evaderet, imperata exsequitur, accepta regis fide, quod numquam se vel monasterium suum simili vel prece, vel præcepto gravaret. Verum nec sic cœpto destitit Adelbertus. nam post hæc cum rege in Saxoniam reversus, voti compos efficitur, & in privato cum rege colloquio abbatiam adeptus est. Sed tamen, ut quamdam justitiæ speciem servaret, abbatem ad regem, qui Goslariæ tum erat, per Babenbergensem episcopum evocavit. Gravi tunc morbo detentus abbas, exsequendi regii mandati impotentiam excusare per nuntios suos conatur: sed regiis adactus litteris, itineri se committit. Conscenso itaque equo, ut jussa exsequeretur; non procul a monasterio ex equo lapsus, gravissime corruit, indeque ad monasterium semianimis reportatur. His animadversis, monasterii clientes, tantam non ferentes barbariem, in monte proximo arcem cum turribus & propugnaculis construunt, abbatem ferro capitisque periculo defendere parati. Hæc ubi per fautores episcopi ad regis aures insonuere, scriptis litteris abbatem monasterio interdicit, & monachis, ne illi obediant, vetat. Abbas locum iræ dandum ratus, Moguntiam ad sanctum Albanum se recipit. Ast monasterii milites seu clientes, ejus absentiam non ferentes, statim eum revocant, & Alberto comiti de Calevia, qui loci protector erat, commendant. Albertus autem, rege Triburim reducto, prædictam arcem obsedit. quæ obsidio cum tardius procederet, conspirantibus in

ANN. CHR. 1062.

eum principum odiis, insidiis undique conclusus, fuga turpiter elapsus est. Tum faventibus Sigefrido Moguntino & Annone Colonienſi archiepiſcopis, Rodulfo quoque & Godefrido ducibus, ceteriſque regni primoribus, abbas ad regis præſentiam cum multo ſtipatu adductus, in ejus gratiam rediit, & reſciſſis omnibus, quæ contra ipſum geſta fuerant, plaudentibus cunctis in gradum reſtitutus est IV. nonas Februarias anni inſequentis, privilegio inſuper libertatis & immunitatis a rege donatus. Ad hæc Romam profectus, omnia Bremenſis archiepiſcopi acta abrogari ſategit ab Alexandro pontifice, in editis male Adriano, qui privilegium priſcæ libertatis denuo confirmavit.

CVI. S. Emmerammi monaſteriũ vaſtatum.

Eadem fere procella multa qnoque alia Germaniæ afflavit monaſteria, in his Ratiſponenſe ſancti Emmerammi: qua de re anonymus ejus loci monachus agit in libro de ſuis ipſius tentationibus & varia fortuna, a me edito in tomo quarto Analectorum. Hunc librum qua occaſione ſcripſerit, idem auctor prodit in hunc modum. *Cum* [a] *monaſterium noſtrum*, inquit, *in urbe Ratiſpona conſtitutum, varia epiſcoporum perſecutione deſtrui vidcrem, ibique per triginta annos meliora ſperans ſubſiſterem; occulto Dei judicio longe aliter, quam ſperaveram, evenit. Qualiter autem deſtructio tanta evenerit, quia nec breviter proferri valet, nec ineptias tantas hic exponere libet, aliis proferenda relinquo: hoc ſolum enarrans, quia cum exteriora & interiora monaſterii noſtri commoda penitus deſtrui ſenſiſſem, & contra hæc nihil prævaluiſſem; quin immo a fratribus quibuſdam juvenibus, quibus diſplicebam, apud epiſcopum accuſatus, varias mihi minas ab illo, illiuſque familiaribus agi ſæpius audiſſem: tunc, petita ab abbate licentia, ad monaſterium Fuldenſe, quaſi cito reverſurus, perrexi. Verumtamen non dubito, quin tantam deſtructionem nemo in nos agere poſſet, niſi juſto Dei judicio, peccatiſque noſtris exigentibus permiſſus. quod ſcilicet exinde palam datur intelligi, quia in ipſo diſceſſionis meæ anno, qui erat ab incarnatione Domini* M LXII. *miſerando, ſemperque lugendo igne combuſtum eſt cœnobium noſtrum.* In Fuldenſi itaque monaſterio poſitus, & optata tranquillitate per quatuor annos ibidem fruitus ille anonymus, a quibuſdam ejus loci fratribus interpellatus est, ut ſancti Bonifacii vitam, ſtilo difficili & inculto editam, expoliret. quod quidem præſtitit, alioſque ibidem libellos compoſuit. Poſtmodum a ſuis revocatus, prius experiri voluit, quo pacto res illic ſe haberent. Hac de cauſa profectus eſt ad monaſterium Amerbacenſe: ubi rogatus ab ejuſdem loci abbate, in paſchalibus feſtis ſermonem fecit ad populum. Hunc auctorem non alium eſſe quam Othlonum, qui vitam ſancti Bonifacii alio ſtilo reddidit atque auxit, ex eo conjiciebam, quod Othlonus ipſe eodem tempore ſcribebat, iſque non ex Fuldenſi, ſed ex alio grege monachus erat. unde mirari ſe ait, quod ſe ad hanc vitam ſcribendam Fuldenſes impulerint, *tot patribus peritis tam inter vos*, inquit eos alloquens, *quam circumquaque commorantibus huc uſque relictis.*

a *Analect. to.* 4. *p.* 441. *& ſeq.*

Anonymus, forte Othlonus, Fuldam ſe recipit.

CVII. Varia ejus fortuna & ſcripta.

Quiſquis ille ſit, multa de ſe refert ille auctor, varias tentationes, ſcripta, variamque fortunam. Fuit ille clericus [b] ante profeſſionem monaſticam. Is puer artem ſcribendi per ſe didicit abſque magiſtro, quam perfectius excoluit [c] in cœnobio Tegernſenſi: ubi multos libros exaravit. In Franciam, & quidem, ut puto orientalem, tranſlatus adhuc puer, tam multa ſcripſit, ut pæne videndi facultatem amiſerit. Illic verſabatur, quando cæſar Heinricus obiit, eique Conradus ſucceſſit, id eſt anno M XXIV. Reverſus e Francia, ſancti Emmerammi cœnobium adiit converſionis gratia; ibique tanto ſcribendi ſtudio occupatus eſt, ut raro, niſi feſtivis diebus, & quibuſdam incompetentibus horis, ab hoc opere ceſſaret. Illic plurimos diverſi ingenii [d] homines invenit; quoſdam quidem librorum gentilium, quoſdam vero ſacræ ſcripturæ lectioni addictos. Poſterioris generis monachos imitandos ſibi propoſuit. Hinc novus ei impoſitus labor, & ſcholaſticorum cura commiſſa: quæ adeo eum detinebat, ut vix ſomno capiendo tempus ſupereſſet. Cum vero magno *dictandi*, id eſt libros componendi, ſtudio teneretur; huic non aliud tempus ſupperebat, quam feſtivi dies, aut noctes. Is erat ille anonymus, quando Fuldam abbatis ſui permiſſu adiit.

b *ibid. p.* 404.

c *ibid. p.* 448. *& ſeq.*

d *ibid. p.* 404.

Varias idem ſuſtinuit tentationes. Harum una moleſtiſſima, qua ſe circa fidei myſteria & ſcripturæ ſacræ difficultates pulſatum, ſed tamen numquam a fide avulſum fuiſſe dicit. In illis anguſtiis ſolo proſtratus, in hanc vocem [e] erupit. *O ſi quis es omnipotens, & ſi ſis undique præſens, ſicut & in libris legi ſæpiſſime multis, jam*

e *ibid. p.* 410.

ANN. CHR. 1062.

precor oſtende quis ſis, & quid poſſis, eripiens citius me a periculis imminentibus. nam ſufferre magis nequeo diſcrimina tanta. His dictis, *nulla dehinc mora*, inquit, *& ablata eſt per Dei gratiam non ſolum omnis illa dubitationis ſupra dictæ nebula: ſed etiam ſcientiæ lux tanta in corde meo emicuit, ut & numquam poſtmodum tales dubitationis mortiferæ tenebras ſuſtinerem, & ea, quæ minus antea cognovi, intelligere cœpiſſem. cujus etiam intelligentiæ gratia in tantum per idem tempus mihi augebatur, ut non eam facile poſſem occultare. Inſtinctu enim quodam ineffabili & fervore inſolito ſuccenſus, aliquam laudis divinæ operam pro gratia collata aſſumere incitabar.* Dehinc, carnalibus tentationibus [a] urgentibus, ſcribendo animum occupavit, quod ſæpe expertus eſſet, *mentem laſcivam nullo poſſe magis conſtringi, quam ſtudio dictandi.* Idem ſancto Hieronymo, aliiſque contigit.

a *ibid. p.* 440.

Multa vero ille non modo compoſuit, ſed etiam propria manu exaravit. Poſt libellum metricum *de ſpirituali doctrina*, varias ſpiritualis doctrinæ ſententias continentem, prima ejus lucubratio *de tribus quæſtionibus* inſcripta eſt, id eſt *de divinæ pietatis agnitione, judiciorumque divinorum diverſitate*, & *de varia bene agendi facultate*, quam lucubrationem aggreſſus eſt hortatu Heinrici [b] Augienſis monachi, *nobiliſſima Alemannorum ſtirpe orti*, qui, cum Jeroſolymis reverteretur, apud ſanctum Emmerammum aliquamdiu hoſpitatus eſt. Altera ejus ſcriptio eſt de vita ſancti Bonifacii archiepiſcopi, mox laudata. Tertius eſt libellus *Manualis*, ad eruditionem clericorum & laïcorum ab eo compoſitus. Ad hæc vitæ ſancti Nicolai, ſancti Wolfgangi, & ſancti Altonis ab ipſo emendatæ. Inſuper vitam ſancti Magni ſcripſit rogatu Willelmi ex cœnobio ſuo, & alterius, qui ad Emmerammenſes ex monaſterio ſancti Magni diſcendi cauſa venerat. Poſt hæc, cum videret chriſtianæ religionis deſtructionem, rectorumque ac principum negligentiam in ſubditos, operum ſuorum noviſſimum edidit *de curſu ſpirituali*, præter aliquot ſermones & epiſtolas, & librum *de confeſſione actuum* ſuorum: quem ideo ſe ſcripſiſſe dicit, ut, ſi qua infirmitas vel ſubitanea mors eum impediret a facienda confeſſione, ſaltem ſcripto pateſaceret, quis, qualiſve ex ſemetipſo, qualiſve ex gratia Dei eſſet. His omnibus addendus liber de ipſius tentationibus & varia fortuna, ex quo prædicta omnia deſumſimus, quem ſpiritualis vitæ ſtudioſos legere non pigebit.

b *ibid. p.* 444. *& ſeq.*

Ad codices manu ejus exaratos quod attinet, quam artem nullo magiſtro docente per ſe didicerat, ſcripſit libros miſſales novem-decim, tres libros evangeliorum, duos lectionarios cum epiſtolis & evangeliis, & quatuor matutinales, præter alios plures, quos variis monaſteriis & perſonis diſtribuit. Monaſteria illa ſunt præter ſancti Emmerammi Herveldenſe, Amerbacenſe, Laureshamenſe, Eberſpergenſe, Tegernſenſe, & Pryelenſe virorum, necnon virginum monaſteria duo Ratiſponæ, Superius & Inferius. Nota ex dictis hæc omnia, ſi forte Eberſpergenſe ac Pryelenſe ſeu Pruelenſe exceperis.

CVIII. Eberſpergenſe & Pryelenſe monaſteria.

Eberſpergenſe monaſterium, ſic dictum a caſtro cognomine, haud longe Monachio in Bajoaria ſitum inter Anum & Sennonas ſeu Semptam amnes, Adalbero comes, aſſentiente conjuge Richlinda, in proprio fundo ſub regula ſancti Benedicti, conſtruxit, & in honorem ſancti Sebaſtiani dedicari curavit, ut patet ex diplomate [c] Heinrici ſecundi imperatoris, dato anno M XL. quo jus advocati illius monaſterii eidem Adalberoni, & poſt eum Eberhardo ejus fratri impertit: poſt illorum autem deceſſum, eligendi advocati abbati & monachis, toti vero congregationi poſt abbatis obitum eligendi ſucceſſoris facultatem concedit. Verumtamen plerique recentiores illius monaſterii originem referunt ad ſæculi decimi initia, illudque primum clericis ſeu canonicis regularibus paruiſſe volunt; poſtea vero Benedictinis, quos Adalbero comes, ejus nominis tertius, renovato monaſterio impoſuerit. Nunc parum noſtra refert id diſcutere, quando hoc monaſterium cum aliis devenit in manus patrum ſocietatis Jeſu collegii Monachienſis, agente Guillelmo duce, qui diploma [d] hac de re a Clemente VIII. obtinuit.

c *Hund. to.* 2. *p.* 275.

d *ibid. p.* 285.

Eamdem fere fortitum eſt fortunam Pryelenſe ſeu Pruelenſe noſtri Ordinis monaſterium, a Gebehardo [e] Ratiſponæ epiſcopo prope eamdem urbem conſtructum, quod Cartuſianis pontificatu Sixti IV. tributum eſt. Hæc occaſione prædicti anonymi dixerim, fuſius fortaſſe perſecutus, ad res illius temporis illuſtrandas.

e *Hund. to.* 3. *p.* 119.

CIX. Willelmus Ratiſponæ monachus.

Tunc Ratiſponenſem eccleſiam regebat Otto, ex Babenbergenſi canonico creatus epiſcopus: cui haud ſcio an tribuenda ſit mala illa fortuna cœnobii ſancti Em-

ANN. CHR. 1062.

merammi. Huic tum præerat Reginbaldus, cujus tempore illic floruit Willelmus monachus, post annos septem assumtus ad præfecturam monasterii Hirsaugiensis, ex quo rediviva Benedictinæ regulæ observatio, ipso Willelmo auctore, ad pleraque Germaniæ monasteria propagata est. Willelmum hunc laudat non semel prædictus anonymus, qui ejus rogatu vitam sancti Magni se scripsisse dicit. Erat Willelmus religiosis apud Bajoarios ortus parentibus, a quibus in puerili ætate Deo oblatus est in monasterio sancti Emmerammi: ubi, quamvis monasticæ religionis vigor aliquantulum tepesceret, ipse tamen, adspirante Dei gratia, semper in melius proficiebat. Hinc ab imperfectis & negligentibus oppido timebatur: a probis vero & perfectioribus ob vitæ ac morum sinceritatem magnopere diligebatur. Huic ad discendas liberales artes sollertia erat non impar, præsertim ad computandi & canendi peritiam, ut probant relicta ab eo ingenii monumenta, scilicet naturale horologium, ad exemplum cælestis hemisphærii ab eo excogitatum, quæstiones de computo, & musicæ correctiones. Plura de eo in consequentibus.

CX. Corbeiæ libertas vexata ab episcopo Ambianensi.

Non multo magis Corbeiæ-veteris, quam Corbeiæ-novæ per id tempus tranquillæ res fuere. Ambianensem ecclesiam post Fulconem fratrem jam ab annis fere quinque regebat Wido episcopus, qui, quod per fratrem suum efficere non potuerat, Corbeiæ monasterium sibi subjugare modis omnibus molitur. Et primo quidem Fulconem abbatem, virum præstantissimum, scriptis ad eum litteris, ad synodum cum Balduino monacho ad tertium nonas Julii venire mandat: si desit, anathemate incunctanter vinciendum minatur. Ne mandato pareat, modeste excusat abbas: nec mora a Widone anathemati subjicitur. Tum supplicem libellum Alexandro papæ submittit Fulco, quo in libello, exposita monasterii sui immunitate, a Bertefrido Ambianorum episcopo primum, dein a Parisiensis synodi patribus
„ concessa, atque a Romanis pontificibus confirmata, qua per quingentos fere annos
„ gavisa sit Corbeïa; eam primum impetitam fuisse dicit a Fulcone episcopo instinctu
„ fratris sui Widonis: at eum cito cœptis destitisse auctoritate Leonis papæ, qui in
„ synodo Remis habita, cum beati Remigii ecclesiam consecraret, visis sui monaste-
„ rii privilegiis, Fulconis episcopi iniquam molitionem, assensu synodi sub anathema-
„ tis pœna compescuit; seque, quia tunc tantum diaconus erat, Romam adire jussit,
„ ut presbyter ordinaretur. Tum ille: *Veni*, inquit abbas; *ordinatus redii, privilegium suum hoc super negotio detuli. Ecce autem idem qui nunc episcopus cum coarchidiacono suo Johanne Romam venit, multis criminibus falso me denotans apud dominum papam, insuper de accepta benedictione * apostolica. Absens eram: ideo uterque, ille & ego, jussi sumus adesse Vercellis, ut synodaliter res ageretur. Ad diem statutum adfui: accusatores autem nulli. Papa litteras domno archipræsuli, ut nostris privilegiis adstipularetur, misit, & episcopo Ambianensi, ne quid impii ageret in nos, indixit. Quoad vixit deinceps episcopus Fulco, integra libertas fuit loco. Fulconi successit præsens Wido, qui summopere nititur irritare, quod ratum est tot apostolicorum sancta auctoritate. Hinc labor: multi conventus: inter quæ omnia aliquis mihi mandavit, ut de bono ecclesiæ darem: & episcopus ita altaria illarum, in quibus olim ministraverunt monachi, quieta nobis faceret, gratiam suam redintegraret, privilegiis auditis ex toto consentiret. Dedi quadraginta libras valens; vidente comite Balduino, suisque tot principibus, prædictæ rei pactum firmatum. Sed ecce minus servat. Pecuniam quidem accepit: altaria non dedit, nec paci consensit. Clericos nostros Ambianis convocavit: si ire differrent, excommunicavit. Hanc illatam injuriam non æque ferentes, testem conventionis nostræ Balduinum adhibuimus. Uterque, ego scilicet & episcopus, Curtracum venimus: multus etiam abbatum vel clericorum conventus. Privilegiis in tanto cœtu lectis episcopus refragari non valuit. Post hæc omnia nondum obdormierat ira animi ejus: & ecce synodum habens me jussit interesse, cujus rei potestatem in nullo sibi dant privilegia, nec ullus prædecessor noster exsecutus est. Infirmabar: fratrem in negotio nostræ defensionis, laïcum etiam, qui probaret interesse me non posse, misi. Excusationem neglexit; excommunicationem vero non amplius septem dies distulit. Recitata tam injusta ligatione, ad archiepiscopi auditorium uterque nos invitamus. Ipse statuto non adfuit: ego tamen adfui; & audita nostra rei serie, archipræsul attendens injuste prolatam excommunicationis censuram, iterum monuit ut solveret. Monenti non adquievit, sed rursus excommunicavit. Ecce, pater præcipue, pastor egregie, tantus est cumulus calamitatis nostræ. Ad te spes nostra, in te defensio nostra. Patiente membro, compati debet & caput. Te Deus*

Fulconis abbatis querelæ ad Papam.

* i sacerdotio.

ANN. CHR. 1062.

præfecit ecclesiæ, quam acceptam justum est defensare. Desolatus locus sancti Petri, cui dignum est adstipulari, quia specialiter defensor es sancti Petri. Hactenus Fulco abbas.

CXI. Papæ hac de re epistola ad episcopum Ambianensem.

Ad has querelas respondit Alexander, scriptis hac de re litteris, tum ad Widonem Ambianorum episcopum, tum ad Gervasium metropolitanum. Priores litteræ, etsi jam editæ, hic exhibendæ videntur, ad rei seriem melius explicandam. Sic autem habent.

Alexander Guidoni salutem & apostolicam benedictionem, si obedierit. Miramur fraternitatem tuam, neglectis sanctorum canonum auctoritatibus, postposita quoque sanctæ apostolicæ sedis reverentia; injuste & sine ulla ratione monasterium Corbeiense inquietare, & abbatem, a prædecessore nostro piæ memoriæ Leone ordinatum, excommunicasse; altaria quoque, juri ipsius monasterii pertinentia, contra sanctorum canonum instituta aliis, unde maxime indignamur, collata, dato ab ejusdem monasterii abbate pretio, non reddidisse: ita videlicet, ut in his supra dictis omnibus privilegia, ab antecessoribus nostris canonica & apostolica auctoritate confirmata, pro nihilo duceres, & sanctæ universali ecclesiæ nullius obedientiæ debitam reverentiam exhiberes. Unde monemus, & apostolica auctoritate præcipimus, ut ab istiusmodi præsumptionibus manum retrahas, & injuriam præfato monasterio & abbati ulterius inferre non præsumas. Quod si huic nostræ admonitioni aurem debitæ obedientiæ non inclinaveris, & supra memoratum monasterium ulterius inquietare tentaveris; apostolica auctoritate sancimus, ut idem chrisma & ordinationes, & cetera, quæ a te solitum est recipere, ab archiepiscopo Remensi, vel a quolibet alio, quem sibi opportunius præviderit, deinceps recipiat. Si autem superbia elatus his nostris præceptionibus obviaveris, & supra dicto monasterio injuriam amplius inferre præsumpseris; omni episcopali officio & sacerdotali scias te privatum esse, donec tumorem superbiæ debitam per humilitatem dimiseris, & nobis & sanctæ apostolicæ sedi per condignam obedientiam satisfacere studueris. Si autem secundum duritiam & impœnitens cor tuum iram tibi apostolicæ sedis, spreta hac nostra admonitione, thesaurizaveris; omnino tibi sacrosanctam communionem interdicimus, nisi cum in periculo fueris constitutus, donec ante præsentiam fratris nostri Remensis archiepiscopi, cujus judicio hanc omnem causam committimus, supra dicto abbati satisfacias.

Alia ad Remensem archiepiscopum.

Idem pontifex aliam quoque ejusdem argumenti epistolam scripsit Gervasio Remorum archipræsuli, cui hanc causam dijudicandam committit, qua in epistola refellit exceptionem, quam Wido episcopus Corbeiensibus privilegiis obtendebat. Epistola sic habet.

Alexander Gervasio. Clamor ad aures nostras perlatus est super Ambianensi episcopo Guidone, quod contra decreta sedis apostolicæ monasterium Corbeiense frequenter inquietet, habens, prout sibi videtur, ad sui defensionem decreti verbum, NISI QUANTUM CANONICUS ORDO PERMITTIT. *Quod si bene perpendat, inveniet privilegii auctorem hoc dicto præcedentia, sequentiaque minime infirmasse. Esset quippe ridiculosum, si quæ prius corroboraverat, ipse etiam violanda mandaret. Unde tibi apostolica mandamus auctoritate, ut, quia illud monasterium specialiter sub protectione sedis apostolicæ fovetur, tuæ fraternitatis diligentia defensetur. Nam, sicut te specialiter ulnis caritatis amplectimur, sic te, quæ nostri juris specialiter esse videntur, diligere mandamus. Igitur episcopus & ablata altaria loco restituat, & ab omni inquietudine monasterii desistat. Quod si noluerit, & decretum apostolicæ sanctionis irrumpere tentaverit, fretus apostolica auctoritate ei episcopale officium interdicas. Abbati vero, quem suspendit, officium suum restituas, & in omnibus negotiis suis auxilium tuæ protectionis exhibeas. Vale.*

Cum vero episcopus obstinate cœptis insisteret, alteras Gervasio litteras scripsit, ut illi demum contentioni finem imponat, quod si per se præstare non valuerit, rem totam ad sedem apostolicam [a] referat. Tandem vero episcopus concordiam cum abbate iniit, ea lege, ut quædam villa monasterii sibi ad vitam concederetur.

a *Alexand. ep. 18.*

CXII. S. Dionysii libertas asserta.

Eodem quoque fere tempore Gaufridus Parisiorum antistes, qui nuper Imberto successerat, sancti Dionysii monachos super libertate ac privilegiis monasterii sui exagitavit. Querelas hac de re ad Alexandrum papam detulit Rainerius abbas, qui hoc fere anno Hugonem ejus nominis quartum exceperat. His auditis, utrumque, episcopum scilicet abbatemque, ad sedem apostolicam citavit pontifex. Ambo mandatis paruere, causamque uterque suam in frequenti judicum consessu coram pon-

AN. CHR. 1062.

» tifice peroravit. Post longam discussionem, justitiam prædicto monasterio favere » perspicuum visum est, nec tot ac tantorum pontificum auctoritati, qui hanc liber- » tatem concesserant, *absque horrendo anathemate* quemquam posse obviare. Unde » Alexander *consilio totius sancti conventus*, quæ a sanctis antecessoribus suis instituta » fuerant, confirmavit atque corroboravit. Quia vero episcopus chrisma, ceteraque ex episcopali officio necessaria tribuendo, jus sibi in Dionysianos arrogabat; Ger-

a *id. epist.* 20. vasium Remorum archiepiscopum scriptis litteris [a] rogat pontifex, ut prædicta illis tribuat, suisque suffraganeis, ut idem præstent, præcipiat. quod quidem Romani pontificis decretum Philippus rex postea regio diplomate [b] confirmavit.

b *Doublet*, p. 838.

CXIII. S. Faronis abbates.

Post ea, quæ de Meldensi sanctæ Crucis seu sancti Faronis monasterio scripsimus in Annalium nostrorum tribus prioribus tomis, maxime in secundo, ubi Otgerii ducis [c] & Benedicti ejus socii acta & mausoleum exhibuimus; nihil fere nobis ad

c *lib.* 29. *n.* 50. *V. lib.* 34. *n.* 7. hoc tempus de eodem monasterio, alias haud incelebri, dicendum occurrit, amissis quippe Normannico incendio [d] vetustis monumentis, quæ rerum antehac gestarum memoriam continebant. Neque vero quæ deinceps dicturi sumus ea sunt, quæ loci antiquæ & recenti dignitati respondeant: at qualescumque ejus reliquias omittere nobis religio fuerit. In primis nobis occurrit Galfridus abbas, qui ejus loci armarii seu bibliothecæ, sane pertenuis, libros recensuit post medium sæculum undecimum sub hoc titulo: *Breviarium librorum, quos invenit abbas Galfridus in cœnobio sanctæ Crucis seu sancti Faronis.* quod breviarium adscriptum est ad calcem codicis, in quo habetur vita sancti Faronis, cum vita prædictorum Otgerii & Benedicti prosa oratione, quam Fulcoius Meldensis subdiaconus eodem tempore metrice reddidit. Carmen quoque de vita sancti Faronis, hortatu ejusdem Galfridi abbatis, composuit idem poëta, qui Alexandri II. & Gregorii VII. pontificatu scribebat.

d *lib.* 35. *n.* 94.

Otgerius Carmentriacensis illic monachus. * *Charmentré.*

Galfrido abbati successit Fulcoudus, cujus tempore Otgerius Carmentriaci * dynasta, adhortante Gibelina sorore sua piissima, quæ prope monasterium recluса erat, monasticum habitum in eodem cœnobio induit cum duobus filiis, Walone atque Johanne, eidemque loco Carmentriaci nobile prædium contulit. Ibidem quasdam consuetudines habebat comes Theobaldus tertius, quas ille una cum Adelaïde conjuge & filio Stephano tunc remisit; eoque petente Walterus episcopus, cognomento Sapiens, cunctos ejus donationis violatores anathemate damnavit, ut fusius legitur in litteris Fulcoudi abbatis, quas in elogio senioris Otgerii &

e *V. Sac.* 4. *part.* 1. *p.* 659. Benedicti alias [e] retulimus: ubi refellimus commentum eorum, qui Otgerium seniorem cum Carmentriacensi confundunt.

Non ab re erit observare hoc loco, novissime inventum esse fragmentum privilegii monasterio sanctæ Crucis a Romano pontifice concessi, rogatu sancti Faronis ejus conditoris & regis Francorum, & a plerisque Galliarum episcopis subscripti: quod fragmentum affixum erat operculo cujusdam codicis ecclesiæ Silvanectensis, quem vir religiosus & humanissimus Nicolaus *Sarbourse*, sanctæ Genovefæ canonicus regularis & bibliothecarius, recens comparavit. Hoc fragmentum, tametsi valde mutilum & imperfectum, in Appendice referre visum est ad supplendam utcumque veteris illius privilegii jacturam.

CXIV. S. Johannis Laudunensis abbatissa ejecta.

Hoc tempore abbatissa parthenonis sancti Johannis Laudunensis, *sine canonica audientia & judicio episcopi sui*, regimine ejecta fuerat. Quare Elinandum episcopum admonuit Alexander, ut hanc causam discuteret, & canonice definiret, abbatissa prius suo regimini restituta. Idem Gervasium archiepiscopum [f] hortatur, ut se

f *Alexand. ep.* 17. Elinando hoc in negotio adjungat, eumque ad id peragendum inciter. Abbatissæ nomen reticet pontifex, nec supplent vulgati indices, in quibus Rainsendis ineunte sæculo duodecimo abbatissa ponitur. Ex his omnibus, aliisque inferius commemorandis patet, quam bene affectus fuerit Alexander secundus in Ordinem Benedictinum.

CXV. Guillelmus Floriaci abbas.

In Floriacensi monasterio Hugonem abbatem excepit Guillelmus, qui principem beatæ Mariæ basilicam partim [g] vetustate, partim incendio vitiatam non ferens, novam ejus fabricam, connitente Odilone probo ejusdem basilicæ ædituo, aggressus est. Idem novum loculum, quo sancti Benedicti ossa reeluderentur, fabricari curavit, quæ antea in arca lignea, scrinio æneo intrinsecus ambiente, recondita erant. Ex ipsa vero lignea capsa decerptæ a multis particulæ, variis morborum generibus medelam attulerunt. Ejusdem Guillelmi tempore duellum factum est occasione

g *Tortar.* c. 25.

cujusdam

cujusdam servi, ex familia Floriacensi, quem Hugo abbas, Guillelmi decessor, cuidam suorum militum, nomine Ingranno, jure beneficii donaverat: eumdemque Ingrannus filio suo Isembardo possidendum reliquerat. Interim Letardus (id servo nomen) filium procreavit, Rotbertum nomine, quem Isembardus, ut proprium vernaculum, aluit domi. Rotbertus vero grandiusculus factus, intellecto se esse de familia sancti Benedicti, Guillelmum abbatem adiit, petiitque, ut ipse in servum sancti Benedicti reciperetur. Annuit abbas, atque Isembardum, ut sibi debitum servum restitueret, admonuit. Statutus dies ad controversiam finiendam. Die condicto, plurimis nobilium & sagacium viris ab utraque parte aggregatis, altercatio longe processit, nec finita est. Post multa conventicula, rem duello terminari inter partes convenit. Indicto ad singularem pugnam die, Airicus quidam, fortis robore, miles officio, pro Isembardo pugnaturus sistitur: Rotbertus, viribus & arte longe impar, solo sancti Benedicti patrocinio confisus, in medium procedit. Airicus primos ictus intorquet: hos illæsus excipit Rotbertus. tum, vibrato in adversarii clypeum ictu, eum penetrat, nudamque hoc foramine Airici manum ictu repetito percutit. Ille vero doloris impatiens, clypeum deponit, seque victum fatetur. Sic Rotberto cessit victoria, ope, ut ipse confessus est, sancti Benedicti, cujus servus deinceps factus est. Tantine erat unius vernaculi possessio, ut pro ea dimicaretur contra divinas leges! At nimirum id obtinuerat illorum temporum consuetudo, qua licitum esse vulgo creditur, quod publicum est. Quamquam in causa monachorum prævalere consueverat ferri-calidi judicium, ut in superioribus [a] observatum, paullo minus probabili, sed tamen recepto per illa tempora exemplo.

ANN. CHR. 1062.

a *V. lib.* 57. *n.* 74.

CXVI. Tonsura per abbates.

Hoc anno Albertus Majoris-monasterii abbas assensu fratrum quemdam sancti Martini servum liberum fecit, & *clericavit*, id est tonsura clericali donavit, ea lege, ut numquam se a sancti Martini servitio ad alios transferret; sed, sicut prius, monachis ejus subjectus remaneret: alias, ut fugitivus revocaretur. Ad hæc ut caste se ageret, & pudicitiam servaret, &, si ad ordines ecclesiasticos promotus fuisset, numquam ausu illicito mulieribus sociaretur; sicut nonnullis contigit, qui publicis fronte perdita nuptiis contra jus fasque uxoribus copulantur. Si vero clericus tantum manens uxorem duxerit, ejus liberi cum omni progenie sancti Martini servituti obnoxii censerentur. Iisdem fere conditionibus Bernardus ejus loci abbas anno M XCI. die festo assumtionis beatæ Mariæ, intra missarum sollemnia, *clericavit* quemdam Rotbertum, filium Odonis Scoti, quem ipso die a jugo servitutis in capitulo, annuentibus senioribus, liberaverat, tali pacto, ut caste viveret, monachos semper honoraret. quod quam diu faceret, hereditatem suam habere sibi liceret: sic tamen, ut nulli eam possit vendere, vel dare, quippe quæ monasterii esset. Si vero secus vixisset, hereditas ejus ad monachos reverteretur, & ipse pristinæ servitutis jugo submitteretur. Itaque ejusmodi servi clerici facti, non integra libertate potiebantur, nisi ad sacerdotium promoverentur. qui tamen hoc in statu monachis in ecclesiis, quæ eis subjectæ erant, obsequi debebant.

« Clericorum « ex servis con- « ditio.

Cella de Alverris.

Tunc temporis gravis contentio exorta est inter Majoris-monasterii & sancti Petri de Cultura monachos super burgo castri Vallis-Lito, contendentibus sancti Petri monachis, hoc ad cellam suam de Alverris spectare, ex dono Guidonis prædicti castri domini, quod Guido jurejurando probare paratus erat: alii vero ferri-calidi judicio definiendum dicebant. Tandem post diutinam contentionem Willelmus dux Nortmannorum, atque etiam tunc comes Cenomannorum, ubi hæ res sitæ erant, sententiam protulit secundum Martinianos, his testibus, Willelmo ipso comite Nortmannensi, Odone fratre ejus episcopo Bajocensi, Johanne episcopo Abrincatensi, Hugone abbate de Longoledo *, Lanfranno monacho, Johanne monacho Majoris-monasterii, & aliis.

* *Lonlay.*

CXVII. Hamelinus, miles sepultus apud S. Albinum.

Hoc ipso anno sepultus est in monasterio sancti Albini apud Andecavos Hamelinus *militaris vir* & vasvassor illustris, seu cliens feudatarius, qui ab occursantibus de improviso inimicis crudeliter occisus fuerat. Conjux vero ejus Hildeburgis, filiique eorum Hebertus atque Geraldus, dolore confecti, & de Hamelini salute solliciti, ipso die, quo hic in cœmeterio fratrum humatus est, id est pridie kal. Junii, Goslenum quemdam colibertum suum in libertatem asseruerunt. Testes Eusebius episcopus, Otbrannus sancti Albini, & Adraldus sancti Nicolai abbates, Ansierus

ANN. CHR. 1062.

decanus ſancti Mauricii, Rainaldus archidiaconus, qui forte Berengario ſucceſſerat, aliique. Hæc ex archivo ſancti Mauricii. Otbrannus ſancti Albini abbas, cujus ſuperius jam mentio facta eſt, laudatur in libro de miraculis ſancti Albini, ubi Fulco quidam, filius Theoderici militis de caſtro Camilliaci *, qui ob juramentum temere factum mutus factus fuerat, ad tumulum ſancti Albini vocem recepiſſe perhibetur.

* *Chemillé.*

CXVIII. Nucarienſes abbates. a *V. hic lib. 56. n. 83.*

Ad hoc tempus pervenit Andreas [a] ſecundus abbas Nucarienſis, Evrardo ſuffectus; quem Aimericus, filius Aimerici, Lauſduni Philippi regis anno ſecundo, primo autem Gaufredi-Barbati Andium comitis, extremo correptus morbo, ad ſe accerſivit, eique peccata ſua confeſſus eſt. Dumque ab eo fuiſſet abſolutus, ſe ad monaſterium deferri rogavit; ibique Griſaïci terræ partem, inter Vigennam & Marmandam ſitæ, juſſu patris ſui Aimerici & matris Alſendis, Nucarienſibus, probante Gaufrido comite, dono dedit. Andreæ hoc anno ſucceſſit Gaufridus abbas, religione & morum candore inſignis, qui regularis diſciplinæ vigorem illibatum ſervaſſe traditur, ad annum illius ſæculi circiter ſeptuageſimum ſuperſtes.

CXIX. S. Martialis abbatia Cluniaco ſubjicitur.

Hoc anno Ademarus vicecomes Lemovicenſis ſancti Martialis monaſterium ad regularem diſciplinam reformare volens, illud ſancto Hugoni Cluniacenſi, ejuſque ſucceſſoribus ſubjicit cum conſenſu Iterii epiſcopi, & Umbergæ conjugis ſuæ, *ob indulgentiam peccatorum* ſuorum, ſuorumque *parentum, & maxime eorum, quæ de eadem abbatia*, inquit, *contraximus, conſentientes monachos ibidem degentes, non ſecundum regulam ſancti Benedicti vivere, & animarum regimen ſimoniace ementibus abbatibus vendentes. Pœnitens igitur præteritorum exceſſuum meorum, & confidens ejuſdem abbatis, ſucceſſorumque ejus induſtria, eamdem abbatiam ſancti Martialis ad regularem tramitem poſſe reduci, & deteſtabilem hæreſim ſimoniacam, Deo juvante, funditus poſſe expelli; dono & trado eamdem abbatiam prædicto Hugoni abbati, omnibuſque ejus ſucceſſoribus abbatibus regulariter viventibus, deinceps perpetuo poſſidendam; & abbates, quos eidem loco tam ipſe, quam ſucceſſores ejus præfecerint.*

» Ad hæc idem vicecomes nihil ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus in eadem abbatia retinet,
» exceptis ducentis ſolidis ad vindemiam colligendam, in feſtivitate ſancti Aredii
» reddendis; *& ſagmario* ſeu equo onerifero *in hoſtem*, id eſt exercitum, præſtando
» cum famulo, poſt bellum reſtituendo; & *uno recepto* ſeu hoſpitio comitis Pictaven-
» ſis ad juſſum vicecomitis; necnon *juſtitia* ſeu præbenda panis & vini, cum ille ad
» hanc urbem venerit, Actum anno M LXII. indictione XV. Philippi regis anno ſe-
» cundo. Quo pacto illuc introducti ſint Cluniacenſes, anno ſequenti videbimus.

CXX. Item Moiſiacum.

Idem factum in Moiſiacenſi ſeu Muſciacenſi ſancti Petri monaſterio, agente in primis Pontio Toloſano comite, cujus verba notatu digna huc affero. *Pontius Toloſanæ urbis comes, ne in numero male regnantium a juſto arbitro Deo diſtricte, quaſi non ab eo agnitus, dijudicer; communi ac ſalubri conſilio uxoris meæ Adalmodis comitiſſæ, ac principum mihi ſubditorum, venerabilis ſcilicet Bernardi Caturcenſis epiſcopi, necnon Gausberti abbatis nominati, Willelmi quoque ac Fulconis fratris ejus conſultu, decrevi, ut abbatia ſancti Petri Moiſiacenſis cœnobii, quam ego hactenus, & parentes ſeu prædeceſſores mei comites Toloſani de manibus regum Francorum viſi ſumus in fevi jure habere & poſſidere, deinceps in Dei ſervitio rectius, diligentiuſque cuſtodiatur. Quapropter volo, ut cunctis meis ſucceſſoribus pateſcat, quod ego prænominatam abbatiam ſancti Petri Moiſiacenſis cœnobii omnipotenti Deo, & ſanctis apoſtolis Petro & Paulo dimitto, necnon & ſeniori cariſſimo domno Hugoni abbati Cluniacenſi, ſive cunctis ſucceſſoribus ſuis in loco Cluniacenſi futuris, ſecundum regulam ſancti Benedicti ordinandam in perpetuum trado coram teſtibus. Si quis autem parentum vel ſucceſſorum meorum, aut quicumque hominum poſt finem meum, ſive poſt diſceſſum Gausberti principis illius, qui ſecundus a me in abbatia illa nunc eſſe videtur, & abbas vocatur, hanc meam ceſſionem diſrumpere quoquo modo attentaverit, quod fieri omnimodis ſub obteſtatione judicii Dei prohibeo; omnipotentis Dei virtute examinandum, & papæ Romano, necnon & Francorum regi, ad quorum tuitionem locus præfatus Moiſiacus pertinet, diſtringendum relinquo. Ego vero hanc inſcriptionem ceſſionis in manu jam dicti abbatis domni Hugonis, adſtante omni conventu ejuſdem monaſterii, cui præeſt, in ea electione, & prænominati Bernardi Caturcenſis epiſcopi, ad cujus diœceſim attinet locus iſte, conſecratione, Durannus abbas & monachus Cluniacenſis in die ſollemnitatis ſanctorum principum apoſtolorum Petri & Pauli, manu, ore & corde confirmo atque corroboro.*

ANN. CHR. 1062.

Idem confirmant Bernardus epiſcopus Caturcenſis, Adalmodis comitiſſa, Gauſbertus abbas, & alii. Datum ſub die tertio kal. Junii.

Tres illius loci abbates.

Hic obſervare decet, tres fuiſſe tunc temporis illius monaſterii quodam modo abbates: nempe comitem Toloſanum, qui hanc abbatiam a rege Francorum in beneficium tenebat: alterum Gauſbertum ſæcularem principem, qui eamdem abbatiam *magno pretio*, ut mox videbimus, hoc eſt triginta millium ſolidorum, a comite emerat: & Durannum [a] ex monacho Cluniacenſi Toloſanum epiſcopum, cui hæc abbatia a comite commiſſa fuerat. Hic forte Pontio comiti & Gauſberto ſcrupulum commiſſæ ſimoniæ injecit. quod peccati genus, tunc certe frequentiſſimum, jam multis in conciliis a pontificatu Leonis IX. damnatum fuerat. quæ cauſa Pontium comitem & Gauſbertum perpulit, ut hanc abbatiam venerabili Hugoni Cluniacenſi abbati cederent, ac reformandam committerent, & pro ſimoniæ piaculo omnem in ea ditionem ſibi, ſuiſque poſteris interdicerent. Gauſberti refutatio, etſi anno ſequenti ab eo facta, hoc loco ipſis ejus verbis referenda viſa eſt.

a *V. ſupra nam. 50. & 68.*

Satis omnibus, ut opinor, notum eſt, qualiter ego Gausbertus, Abbas nominatus, olim a Willelmo comite Toloſano emptione magni pretii, XXX. *ſcilicet millia ſolidorum, abbatiam Moyſiacenſis cœnobii comparaverim. Nunc vero & deinceps omnes poſteros meos ac quoſcumque, quorum in manibus hæc guerpitionis meæ annotatio advenerit; ſcire volo, quod ego poſtea ſeniori meo Pontio & filio ejus Willelmo totam prædictam dederim abbatiam poſt finem meum, hac de cauſa, pro amore videlicet Dei & pro ſalute animæ meæ, ſeu pro ſtabilitate ac reſtauratione ejuſdem abbatiæ: ut non deinceps poſt diſceſſum meum ipſe meus ſenior Pontius, neque filius ejus Willelmus, nec ullus ſucceſſorum meorum comitum licentiam habeat, aut vendere, aut dare, aut commendare præfatam abbatiam ſancti Petri Moyſiacenſis cœnobii cuiquam clericorum vel laicorum, nec etiam ulli meorum parentum, ita ad poſſidendum, ut hactenus ego & prædeceſſores mei male & ſæculariter viſi ſumus poſſidere; ſed perpetuo Willelmus filius Pontii, & filii ejus poſt eum, & omnis poſteritas genealogiæ ejus tenendo poſſideant, & juſte ac viriliter regant, & abbati regulari a fratribus ejuſdem congregationis, voluntate & conſenſu abbatis & totius congregationis Cluniacenſis monaſterii regulariter electo, regendam tradant. Sed etſi de Willelmo Pontii filio legales non apparuerint filii, fratribus ſuis Raimundo & Hugoni filiis Pontii ſimiliter per conventionem ſupra ſcriptam ipſis & filiis eorum, qui legales ex eis prodierint, habituram trado. Quod etſi caſu evenerit, ut omnium iſtorum comitum palatinorum abolendo progenies evaneſcat, illi tamen qui ſorte poſt eos arcem ac regimen Toloſani comitatus acceperit, & qui ſecundum Deum & ſecundum ſæculi dignitatem prædictam abbatiam poſſidere voluerit, ſimiliter habendam cedo, ſalva in omnibus fide abbatum futurorum Clunienſium. Hoc autem ut omnibus, tam præſentibus ſcilicet ac futuris, pateat volo, quod prædicti mei ſeniores ac palatini comites, Pontius & ejus filius Willelmus, ante hanc meæ donationis guirpitionem mihi dextras, & propriorum inſuper corporum fidem dederunt, numquam ſe daturos cuiquam hominum viventium ſancti Petri Moyſiacenſis monaſterii abbatiam, niſi Abbati regulari regulariter, ut dictum eſt, a fratribus ejuſdem cœnobii, juſſu & voluntate abbatis & congregationis [Cluniacenſis] electo. Et ut hæc meæ dimiſſionis annotatio ſemper firma ſtabiliſque permaneat, in manibus prædictorum meorum ſeniorum comitum, Pontii & filii ejus Willelmi, coram nobilibus propriis meis manibus ſubnixa ſtipulatione firmavi. Hujus autem rei teſtium vocabula ſubter habentur inſerta. Ego Gausbertus Abbas nominatus edictum edidi ſtabilitate firma; Gaubertus de Lauragenſi-caſtro firmavit; Bernardus Petri de eodem caſtro firmavit; Bernardus Rainonis de Vuandalorum-caſtro firmavit, Raimundus Emelu firmavit. Facta donatio hæc in manu Willelmi comitis Toloſani anno ab incarnatione Domini milleſimo* LXIII. *regnante rege Philippo. Data* V. *idus Junii.*

Hactenus inſtrumentum ceſſionis Gauſberti principis & abbatis, quod ſinceram ejus pœnitentiam ac pietatem probat.

CXXI. Hunaldus illic monachus, tum abbas.

Hoc ipſo anno vir quidam nobilis, idemque *eloquentiſſimus*, Hunaldus nomine, coma capitis detonſa & monaſtico habitu Moiſiaci ſuſcepto; inſignem donationem multarum eccleſiarum fecit Domino Deo, & ſanctis apoſtolis ejus Petro & Paulo, ac loco Cluniaco, & domno Hugoni abbati, ejuſque fratribus præſentibus ac futuris, *quibus me*, inquit, *perpetua ſubjectione convertens ſubjicio.* Hanc tamen donationem, quam facit pro redemtione animæ ſuæ, patriſque ſui Rogerii ac matris

AN. CHR. 1062. *f. Adelaiz.*

» Aladeiz *, necnon fratris sui Hugonis & avunculi Saxetonis ; vult cedere in usus » Moisiacensium monachorum, ita ut ab eis quolibet anno, in festivitate sancti Mar- » tini, ex illis ecclesiis decem solidi argentei pro tributo deferantur ad capitulum » Cluniacense in signum subjectionis harum ecclesiarum, & quotannis patris sui an- » niversaria dies Cluniaci celebretur. Subscribit cum eo ipsius mater Aladeiz, » Hugo vicecomes frater ejusdem Hunaldi, qui alterum habuit fratrem comitem Bigorrensem [a], & pro parte hereditatis suæ fortitus est vicecomitatum Brulen- sem *, ex quo monasterium de Leyraco ædificasse traditur. De hoc Hunaldo jam monacho agitur in libello Hildeberti de vita sancti Hugonis abbatis : qui cum duobus monachis suis, Duranno, qui Tolosanus fuit episcopus, & Hunaldo, *qui fuit abbas Moysiacensis & vir eloquentissimus*, in Wasconiam profectus, ad pauperem ulcerosum ac leprosum divertisse dicitur, eumque *agnina tunica* sua induisse, qua ille indutus statim lepram exuerit. Idem fusius narratur in libro de miraculis sancti Hugonis.

a *Marca Hist. de Bearn. p. 304.*
* *de Brulois.*

CXXII. Sancti-montis abbatia instaurata.

Exstabat per id tempus In diœcesi Ausciensi, comitatu Armaniacensi, monasterium sancti Johannis de Sancto-monte, quod miles quidam, Raimundus nomine, principatu Heinrici regis ædificasse traditur, ibidemque abbatis officium gessisse. Aliquanto post Bernardus comes, cognomento Tumbapalerius, ut in veteri nostro exemplo legitur, aliis Tumpalerius, in gravem morbum incidit, vovitque se monasticam vitam professurum, si ex illo morbo divina ope convalesceret. Verum, cum illius loci monachi numero duodecim laxius viverent, nec uspiam in tota Wasconia monastica religio vigeret ; monasterium Sancti-montis consilio Raimundi abbatis, suorumque optimatum instauravit, illudque Hugoni Cluniacensi informandum commisit, assentiente tandem Austindo Auscorum archiepiscopo post multas rixas, quas in actis ipsius Austindi tomo I. Galliæ-christianæ legere licet : cui in compensationem jurium, quæ in Sancto-monte sibi competere contendebat, alodus Nogarioli a comite concessus est. In eodem instrumento prædictam permutationem confirmavit Centullus comes, Bernardi nepos ; eamque laudarunt pontifices, scilicet Gregorius *Viennensis* seu Bearnensis, Stephanus Elleronensis, Petrus Aurensis, Willelmus Convenientensis, & Durannus Tolosanus. at vitiosissimæ sunt chronicæ notæ, tum in Gallia-christiana, tum in veteri nostro exemplo ; minus vitiosæ in litteris Austindi archiepiscopi, datis *anno incarnationis dominicæ* M LXII. *indictione* XV. *præsidente in Romana sede Nicolao papa, gubernacula regni Francorum tenente Philippo ; anno secundo regni ejus.* Ubi illustrissimus Petrus de Marca [b] recte monet, Nicolaum papam anno superiore defunctum fuisse, at quod annum secundum Philippi regis itidem mendosum esse vult, id quidem verum est, si anni regni ejus initium sumatur ab anno M C LIX. quo vivente patre coronatus est : secus si a morte patris, quæ quarto die mensis Augusti anni sequentis accidit. Itaque retinendum puto annum secundum Philippi regis cum anno incarnationis M LXII. qui in aliis quoque litteris assignatur. at pro Nicolao Alexandri II. nomen reponendum. Non ab re forsan erit in illis Bernardi comitis litteris observare hæc verba, quæ sic habent in antiqui nostri exempli chronicis notis : *Duce Willelmo Pictavensi Aquitaniam & nostram Wasconiam regente ac gubernante post commutationem venditionis nostræ, scilicet Wasconiæ ; ille mihi dando* XV. *millia solidorum, a me denique recipiendo potestatem totius Wasconiæ.* qua de re legendus Petrus de Marca in loco mox citato. Hæc omnia diversis temporibus approbarunt Hugo-Albus cardinalis & apostolicæ sedis legatus, Amatus itidem S. R. E. legatus, Geraldus cardinalis & legatus *transiens Hispanias*, & Bernardus Toletanæ sedis archiepiscopus & legatus. Porro hæc abbatia Sancti-montis redacta fuit in cellam monasterii Cluniacensis, in qua sæculo quinto-decimo monachi tantum septem erant.

b *Hist. Beam. lib. 4. c. 7.*

CXXIII. S. Petri de Clara-valle monasterium.

In diœcesi Rutenensi antiquitus conditum fuerat monasterium in honorem sancti Petri, *inter castra Panatensium & Cassanensium*, incerto auctore ac tempore, atque Conchensi abbatiæ subjectum : quod sæculo undecimo pæne omnino destructum & eversum jacebat. Illuc cum advenisset Anglus quidam peregrinus, Albodenus seu Alboinus nomine, quem Haroldi regis filium fuisse tradunt, sacri loci ruinam miseratus, ejus instaurandi consilium cepit, idemque castrorum illorum principibus persuasit. Ut id exsequeretur, convenit Amblardum Brantosmensis cœ-

nobii abbatem, apud quem in transcursu hospitatus fuerat, eumque in pii operis consortium adduxit. Sed, quia id citra Conchensium assensum fieri non poterat, Amblardus cum Odolrico [a] eorum abbate pactus est, ut locus Brantosmensibus cederet. Assensere quoque Rotbertus comes & Berta ejus conjux cum Petro episcopo Rutenensi ; necnon Hugo & Rigaldus fratres Cassaniæ domini, atque Panati itidem domini, qui decimas quasdam eidem loco ad sepulturam suam contulerunt. Restructo monasterio, dedicata fuit ecclesia in honorem sepulcri Domini, sancti Petri, sanctique Thomæ & sancti Sicharii ; tributumque Brantosmensi abbatiæ, cujus hactenus cella est, sed monachis destituta, sub titulo sancti Petri de Clara-valle seu de Claris-vallibus. Litteræ hac de re confectæ variant in anno, quo hæc instauratio facta est, aliis annum M LX. aliis M LXII. præferentibus. Odolrico abbati in præfectura Conchensi forte successit Bego abbas, cujus tempore quidam Deusdet Terondellus Petrum filium [b] suum Deo & sanctæ Fidi commendavit, atque Arnaldo monacho tenendum & nutriendum usque ad decem annos, quoad presbyter fiat, si aptus ad sacrum ordinem visus fuerit, aut monachus. Actum mense Augusto, regnante Philippo rege Francorum.

ANN. CHR. 1062.
a *V. supra n. 70.*

b *Capitul. to. 2. p. 1553.*

Exstabat tunc temporis in eodem Rutenensi pago Vabrensis abbatia, quæ hoc anno Hugoni itidem Cluniacensi abbati commissa est, cujus rei litteræ in chronico Moisiacensi referuntur in hunc modum.

CXXIV. Vabrensis abbatia Cluniaco data.

Noverint universi Christi fideles, tam præsentis temporis quam futuri, quod Deusdet abbas Rothenensis cum auctoritate & consensu clericorum jam dictæ civitatis & Roberti comitis Alvernensis & domni Petri Berengarii tunc Ruthenensis episcopi & Petri abbatis, itemque cum voluntate & consensu Ricardæ & Bertæ comitissarum, sancto Petro Cluniacensis cœnobii dedit dono perpetuo abbatiam Vabrensem, sitam in episcopatu & comitatu Ruthenensi, in manu & dispositione domni Hugonis prædicti Cluniacensis cœnobii abbatis, omniumque successorum ejus jure perpetuo in proprium possidendam, & pro suo arbitrio ordinandam, scilicet ob absolutionem suorum antecessorum, propriorumque peccatorum, quæ præcipue de ejusdem abbatiæ Vabrensis mala tractatione, abbates simoniaca emptione constituendo, contraxerunt. Igitur priorum excessuum pœnitentiam agens, beato Petro Cluniacensis monasterii, ut prædictum est, in proprietate eamdem abbatiam in manu Hugonis abbatis contradidit : ut eam videlicet domnus Durandus, monachus præfati domni Hugonis abbatis, idemque abbas Moysiacensis cœnobii, atque etiam Tolosæ civitatis episcopus, ex præcepto ejusdem patris Hugonis regulariter gubernaret & regeret, & ad laudem cultumque divinum paterno regimine ad Cluniacensis ordinis observantiam Domino opitulante proveheret. Facta est autem donatio hæc anno incarnationis Domini M LXII. *indictione decima-quarta* *, *regnum Francorum regente Philippo anno* II. *in Lemovicensi civitate, præsidente præfato patre Hugone in communi conventu capituli sancti Martialis,* II. *idus Novembris.*

* *l.* decima-quinta.

Hactenus instrumentum illius donationis, quod retulit Aymericus de Peyrato abbas Moisiacensis, qui gesta Romanorum pontificum & imperatorum & chronicon monasterii sui sub finem sæculi quarti-decimi composuit. Actum est in superioribus tomis de monasterio Vabrensi, quod a Johanne XXII. in episcopalem ecclesiam conversum est. Post præmissum instrumentum Aymericus laudat sanctum Hugonem abbatem, quod *religionem nostram sanctissimam, tunc pene lapsam, & ad nihilum in diversis partibus redactam*, instauraverit ; & quod floccos vilioris pretii, qui e longinquo videbantur sericei, sed e proximo contemtibiles ; & calceos cum corrigiis invexerit ad reprimendum superiorum monachorum fastum, qui pretiosis pannis & deauratis calceis utebantur.

CXXV. Gellonensibus jus sepulturæ datum.

Quo tempore Gellonensi monasterio præerat Petrus [c] abbas, eodem Lutevensem ecclesiam administrabat Rostagnus episcopus, qui Romam pontificatu Alexandri II. profectus, id ab eo obtinuit, ut diœcesaneorum suorum corpora ad extraneam diœcesim absque suo permissu humanda non deferrentur : sed tamen Gellonensibus hanc facultatem concedit. Epistolam eisdem hac de re scripsit in hæc verba.

c *V. hic lib. 58. n. 92.*

Fratribus Gellonicis Rostagnus præsul Lutevensis æternæ munus benedictionis. Noveritis, fratres carissimi, per totam hanc quadragesimam, ut vobis coram positis retuli, apud summum universalis ecclesiæ Romanum pontificem, domnum videlicet Alexandrum papam, me mansisse Romæ ; ac secundum ei, quæ, favente Dei gratia, fami-

ANN. CHR. 1062.

liaribus colloquiis noſtra, veſtraque, quidquid potui, admodum ſuggeſſiſſe proſperitatis, ejuſque animum inclinare ſtuduiſſe ad communis commoda utilitatis. Qui ſuas clementer, annuente Domino noſtro Jeſu-Chriſto, accommodans aures mihi, meaſque petitiones ſuis non renuens firmare privilegiis, in calce unius interdixit, nullatenus defunctorum ſepelire corpora, niſi in proprie cimiterio civitatis, aut in monaſteriis ad ipſam diœceſim pertinentibus; nec ullo modo ad ullum epiſcopium transferri ſine juſſu proprii epiſcopi. Quo agnito, vos importunis precibus me cogitis vobis permittere, mei epiſcopatus mortuorum teſtata ſepelire corpora. Unde ego annuens tantis veſtris obſecrationibus, concedo & permitto, condere eorum, quæ vobis fuerint corpora adlata, aut vos ipſi attuleritis. Eos autem, qui ſepulti fuerint veſtro in cimiterio, de quibus pœnitentiam egerunt, abſolvo a peccatis, eorumque participatio ſit cum choro angelico.

Ex quibus intelligitur, Gellonenſe monaſterium a Roſtagno epiſcopo intra fines Lutevenſis diœceſeos non comprehendi.

CXXVI. Medianenſes & Senonienſes abbates.

In Mediano-monaſterio Lambertus bonæ memoriæ abbas, anno regiminis ſui viceſimo-quarto, e vita migravit XIII. kal. Aprilis, qui in ſuis moribus ſæculi vanitatem plurimum exhorruiſſe dicitur, & baſilicam variis ornamentis decoraſſe, remque monaſterii auxiſſe. Horum omnium recenſionem ultimo vitæ ſuæ anno fieri curavit *in præſentia Liethfridi & Bercheri abbatum*: ex quibus Bercherus Senonienſis abbas erat. In hac recenſione habentur *calices tres, quorum unus eſt cum anſis*. Ceteram ſupellectilem prætereo. Idem complures etiam codices ad ſexaginta-ſeptem recenſet: in quibus deſcribi curavit librum bibliorum veteris ac novi teſtamenti ad uſum fratrum, qui codex a quinque monachis intra quinque menſium ſpatium exaratus fuit, ut fidem faciunt verſus ei adſcripti, & a Johanne de Bayone relati, ex quibus hos tantum ad propoſitum profero, illius codicis errata, ſi qua erant, excuſantes ob celeritatem.

In quo non mirum, ſi quid minus exſtitit actum:
Sed mage mirandum per menſes quinque peractum
A monachis totidem.

Idem Lambertus corpora ſanctorum Lazari & Azæ e veteri oratorio ſancti Petri, ubi diu latuerant, in ſanctæ Mariæ baſilicam tranſtulit. Benedictus ei ſucceſſit ævo jam maturus, vir humilitatis & caſtitatis eximiæ, vanæ gloriæ & injuriarum contemtu inſignis, qui anno M LXXVI. Bertricum habuit ſucceſſorem.

Eodem tempore florebat Senonienſis monaſterii abbas Rambertus vir religioſiſſimus, qui regularem illic diſciplinam ad priſtinum ſtatum reduxit. Obiit ante hunc annum, ſiquidem Bercherus ejus ſucceſſor hoc ipſo anno recenſioni Medianimonaſterii interfuit. Hic deceſſoris ſui veſtigiis inſiſtens, commiſſam ſibi provinciam ſtrenue adminiſtravit, ſucceſſorem ſortitus Antonium, qui anteceſſorum ſuorum pia facta æquavit, & tantum non ſuperavit. In necrologio Senonienſi notatur v. nonas Martii Rambertus abbas hujus loci. Hoc tempore Stephanus ſancti Agerici abbas libellum ſcripſit de vita ſancti Agerici Virdunenſis epiſcopi fundatoris ſui.

CXXVII. Wolſtani facta ante epiſcopatum.

Tunc Anglicanam eccleſiam eximium Ordinis noſtri ſidus illuſtrabat, ſcilicet ſanctus Wolſtanus ſen Wlſtanus, qui hoc anno ad ſedem Wigornienſem provectus eſt. Is in vico pagi Warwicenſis, Icentuna dicto, apud Mercios natus eſt. Ejus parentes, Ethelſtanus & Wlfgeva, nec cenſu tenues, nec natalibus mediocres fuere. Primis litterarum elementis in Eveshamenſi monaſterio initiatus, humaniores in Burgenſi litteras addidicit. Interim moriuntur ambo parentes: pater ante obitum Wigorniæ monaſticum induit habitum: mater in eadem urbe ſanctimonialis velum ſuſcepit. Wlſtanus vero ſe curæ Brithegi epiſcopi commiſit, qui ex abbate Perſcorenſi ad ejuſdem urbis pontificatum promotus fuerat. Admiſit eum libens in ſuam familiaritatem pius antiſtes, atque optimis moribus ac ſcientia eccleſiaſtica imbutum ſacerdotio initiavit. Paullo poſt idem præſul ſuburbanam ei eccleſiam pinguiſſimi reditus conferre voluit. Hæſit ille diu anceps, an acciperet: ſed tandem ſollicitatus quid animi ageret, monachum ſe fieri velle reſpondit, totamque vitam ſuam Deo, non per partes libare. Aſſenſit antiſtes, eoque favente Wigorniæ monaſticam vitam profeſſus eſt. In monaſterio porro ita ſe geſſit, ut dignus

habitus ſit, qui omnes variorum officiorum partes impleret. Secretarius ſeu cuſtos eccleſiæ factus, noctes fere pervigil in precibus agebat: at ſomno cedere coactus, non in lecto, ſed ſuper ſcamnum eccleſiæ, libro, in quo legebat, pro cervicali capiti ſuppoſito, tantiſper quieſcebat. Præpoſitus ſeu prior factus poſt Agelwinum [a] ab Aldredo epiſcopo conſtitutus, res exteriores, anteceſſorum incuria peſſum datas, in ſolidum reſtituit, & interiores freno regulari conſtrinxit. Hinc univerſis acceptus, facile gratiam obtinuit apud Aldredum, qui ex monacho Wintonienſi Wigornienſem cathedram poſt Brithegum conſcenderat. Hic populum ſibi creditum ex penuria prædicationis a bonis moribus diffluere animadvertens, evangelii in ſua diœceſi prædicandi provinciam Wlſtano commiſit. Movit aliorum invidiam novus ille honos; unuſque inter omnes viro Dei inſultare cœpit tranſmarinus quidam monachus, Winricus nomine, vir alioqui moribus & ſcientia ſpectabilis; cavillari ſolitus, contra regulas eſſe, quod Wlſtanus munus præriperet epiſcopi, cui « ſoli competeret prædicandi officium. Pauca reponebat vir modeſtiſſimus, nihil Deo « magis gratum eſſe inquiens, quam populum peſſum euntem in viam veritatis re- « vocare. Sed tandem ſomnio, quale ſancto Hieronymo contigit, deterritus Winricus, Wolſtani pedibus advolutus offenſam deprecatur.

ANN. CHR. 1062.

a *Roger. Hoveden ad hunc ann.*

Inter ea Kynegiſus archiepiſcopus Eboracenſis diem clauſit extremum; viſumque eſt Edwardo regi, ut Aldredus Wigornienſis epiſcopus ad vacantem ſedem promoveretur. Pergit Aldredus Romam accipiendi pallii cauſa, quod Nicolaus papa recuſat dare, niſi ille Wigornienſem epiſcopatum abdicet. Ægre demum conditionem admiſit Aldredus, qui legatis apoſtolicis dux itineris adjunctus, ad Wigornienſe monaſterium cum eis divertit. Rogerius Hovedenus unum ex his legatis nominat Armenfredum epiſcopum Sedunenſem; Lanfrancus in epiſtola ad Alexandrum papam, utrumque, ſcilicet Hermenfredum Sedunenſem epiſcopum atque Hucbertum cardinalem. Quadrageſimæ tempus erat, quo tempore Wlſtanus, ejus loci præpoſitus, rigidiſſime vivebat, tribus qualibet hebdomada diebus a quolibet cibo abſtinere ſolitus: cæteris diebus porros, cauleſve coctos vel elixos ſumere; de cetero ſilentio continuo, precibus & vigiliis præter morem addictus. Hic nihilo minus humaniſſime excepit legatos, qui in ejus admirationem adducti, dum Wigornienſis ventilaretur electio, nomen ejus tulerunt in medium; eorumque ſuffragiis effectum eſt, ut is eligeretur præ Ethelwino abbate Eveshamenſi, quem Aldredus itidem plurimi faciebat. Ille contra obniti, reclamare: ſed tamen, urgentibus legatis & epiſcopis, conſulente inſuper Wlſio incluſo, aſſenſus eſt electioni, mærens, invitus, ac propemodum coactus. Non multo poſt Eboraci conſecratus eſt menſe Septembri epiſcopus ab Aldredo archiepiſcopo vice Stigandi Cantuarienſis primatis, quem Romanus pontifex officio interdixerat. Ipſe porro onus epiſcopatus adeo gravate tulit, ut auditus ſit dicere, maluiſſe ſe capite multari, quam illud onus pati. In epiſcopatu monachi ſic inſtituta retinuit, ut nullas epiſcopalis officii partes omitteret. Altero ſuæ ordinationis die ſub beati Bedæ invocatione dedicavit eccleſiam. In prædicando aſſiduus, Chriſtum ſemper ſonabat, Chriſtum auditoribus imitandum proponebat. Diœceſim ſedulo perluſtrare ſolitus, nullum oratorium ſibi obvium inſalutatum præteribat. Cetera ſuis locis.

CXXVIII. Wigorniæ epiſcopus fit.

Mediolani poſt mortem Landulfi [b] abbatis, Ambroſianæ baſilicæ abbatiam pretio coëmit quidam clericus, Ariprandus nomine, quem Mediolanenſis eccleſiæ cancellarium fuiſſe dicunt. Mox eum adortus vir Dei Arialdus, quem Deus ſimoniacis hoſtem infenſiſſimum oppoſuerat: Quid iſtuc eſt? inquit; heri clericus, hodie abbas! Egregium ſane ſaltum! Cur vero id facere auſus es contra jusjurandum a te præſtitum, quo ſimoniam abjuraveras? Ad hæc ille: Hoc, ut vides, actum eſt; retro abire non licet. Immo vero, ait vir Dei, licet ac decet; idque ut quantocius facias, ex parte Dei, ſanctæque Romanæ eccleſiæ te commoneo. At ille: Adjuro te & ego, ut te modo tuis veſtibus exuas, teque virgis cædi facias. Mox fecit vir Dei quod adjuratus erat: at falſus abbas non habens quid reponeret; demiſſo capite aliorſum declinavit, abbatiamque male partam retinuit. Porro hic Arialdus, ſimoniacorum conſtantiſſimus cenſor, Widonis ſimoniaci ac ſchiſmatici archiepiſcopi juſſu a duobus clericis crudeliſſime mutilatur ac necatur, pro martyre merito habitus. Librum de ejus geſtis & martyrio ſcripſit An-

CXXIX. Ambroſianæ baſilicæ pſeudo-abbas.

b *V. lib. 60. n. 50.*

ANN. CHR. 1062. CXXX. Dominicus Loricatus obit. a *V. supra num. 79. & seq.*

dreas monachus Vallumbrosanus. Apud Puricellum Ambrosianæ abbas anno M LXXVII. occurrit Adelardus, & anno M C. Guillelmus, de quo alias.

Dominicus, cognomento Loricatus, cujus stupendam in se rigiditatem superius [a] exposuimus, aliquantis ante obitum annis, novum supplicii genus adinvenit, & *virgarum scopas in corrigiarum scuticas* vertit. Circulis quoque ferreis quatuor alios quatuor superadidit, quibus coxas & crura constringebat. Vestes ejus, plerumque luridæ ac detritæ, ad tibias vix medias descendebant, cum alii ad præmuniendos a frigore pedes vestimenta ad terram defluentia gestarent. Totus in vigiliis dicere solebat, quod somnum somnus foveat ac provocet, & vigilias vigiliæ pariant. Vini usu, quod antea per intervalla parcissime bibebat, longe ante obitum omnino abstinuit. Hinc minime mirum videri debet, quod gravitatem stomachi & crebros capitis dolores in fine passus est. Et quoniam sæpe alterum ex altero procedit, proposuit antidoto quodam stomachum purgare. Nihilo minus sexta feria per totum diem vix a modulandis psalmis & scuticarum ictibus cessavit. Nocte, sopore deposito, antidotum accepit: quo accepto, stomachi dolore gravius laborare cœpit. Decurso nocturnarum vigiliarum officio cum laudibus matutinis, cum primæ jam horæ officium coram ipso a fratribus recitaretur, spiritum pœnitentia durissima expurgatum Deo reddidit pridie idus Octobris. Tunc Petrus-Damiani, qui res ab eo gestas scripsit, Romæ versabatur; de quo quidam frater somniavit, ipsum lumine oculorum orbatum esse. quod ille interpretatus est de morte beati Dominici, quem lumine ipso cariorem habebat. Dominici corpus fratres, quod duplici lorica ferrea indutum invenerunt, ne a vicinis monachis raperetur, in ipsa, qua mortuus est, cellula defossa humo celeriter obruerunt, quod Petrus-Damiani paullo post in Fontis-Avellani capitulum transferri curavit. Eant » nunc, ait Petrus, qui carnis suæ delectantur illecebris: medullas absorbeant vo- » luptatum, & tamquam victimæ ad æternum nutriantur incendium. Quanto ma- » gis præferenda Dominici vita! qui postquam stigmata Jesu-Christi jugiter porta- » vit in corpore, nunc cum Christo lætatur. Hic cum Gregorio Nazianzeno dicere » nobis liceat: Parce, Christe, piis animis, ultra modum rigidis & in se ipsos sæ- » vientibus, quos animi fervor sic abripit, ut eos intra curriculum freni vis retinere » nequeat. Ita fere Gregorius in carmine ad Julianum, in quo monachorum quorumdam immodicos excessus commemorat. At quam pauci sunt, qui de cavendis piis ejusmodi excessibus admoneri opus habeant! De anno, quo mortuus est Dominicus, non levis est difficultas. Petrus ait eum *ante annum* defunctum esse, quam ipse vitam Rodulfi Eugubini episcopi scriberet, quem anno M LXIII. decessisse paullo post videbimus. Atqui Dominicus, ex eodem Petro, e vita migravit pridie idus Octobris, & quidem, ut ex eodem intelligitur, die sabbati, cum primæ horæ officium recitaretur. quod nonnisi anno M LX. vel M LXVI. convenire potest. Certe hoc anno M LXII. dies pridianus iduum Octobris in feriam secundam incidebat.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER SEXAGESIMUS-SECUNDUS.

Ab anno Christi 1063. *ad annum* 1067.

QUANTUMVIS Petrus-Damiani solitudinis studio teneretur, ejusque amore Ostiensem episcopatum, repugnante incassum Romano pontifice, abdicasset; non tamen optata quiete frui potuit, urgentibus nimirum ecclesiæ negotiis, quibus procurandis opera ejus necessaria esse non immerito credebatur. Hinc est quod Alexander papa, qui eum in reprimendo Cadaloi schismate strenuum adjutorem habuerat, eumdem in urbem Florentiam, indeque in Galliam ad componendas ferventes controversias mittendum curavit. Verum antequam hanc legationem obiret Petrus, Casinense monasterium adire constituit, ut desiderio ac votis Casinatium faceret satis, maxime Desiderii abbatis, qui suffragia ei promissa ac debita mortuo denegaturum comminatus est, nisi quantocius se inviseret. Ivit itaque Casinum vir Dei anno [a] Desiderii abbatis quinto, nec otiosus fuit, immo Casinatibus multum fructuosus ille accessus. Effecit enim apud eos, ut sexta feria per totum annum pane & aqua contenti essent, & *disciplinam*, ut vocant, singuli prævia confessione acciperent; atque insuper triduanum in capite quadragesimæ jejunium quotannis peragerent: sive illud ante id tempus pro veteri more ac regulæ instituto non observaverint: sive, quod censet Baronius, eo modo illud receperint, quem exponit Petrus ipse in epistola ad fratres [b] Gamugnenses, nempe ut per illud triduum nonnisi modicum panis cum aqua omnes fratres comederent; nulla, *nisi lectionum & ordinum*, verba proferrent; ac nudis pedibus mœrentes incederent; demumque recitato in commune toto psalterio, mutuis se scoparum flagellationibus castigarent.

ANN. CHR. 1063. I. Petri-Damiani iter Casinum & Florentiam.

a *Chron. Casin. lib. 3. c. 22.*

b *Petr. Dam. op. 32.*

Post suum e monte Casino discessum Petrus opusculum scripsit *domno Desiderio, Casinensis monasterii reverendissimo rectori, & universo sancto ejus conventui:* cujus initio se de marini fluctus procellis post dimissum episcopatum, & velut arenis expositum gaudet; Desiderio vero compatitur, quod ventis & turbinibus atteratur, atque inter hiantes pelagi fluctus & voragines versetur. Tum eumdem monet, quantum sit periculi, monachum sæcularibus rebus & consortiis implicari, idque probat com-

II. Ejus opusculum ad Desiderium abbatem.

ANN. CHR. 1063.

paratione piſcis, qui aquis erutus ſanus eſt, non ut ſibi vivat, ſed ut alios paſcat. *Vocamur*, inquit, *attrahimur : ſed ut aliis vivamus, moriamur nobis. Amat venator cervum, ſed ut ſibi faciat cibum. . . Amant & homines nos, ſed non nobis. Sibimet diligunt ; in ſuas nos vertere delicias concupiſcunt. quos nimirum dum in exteriora proſequimur, quid aliud quam monacho noſtro, qui latebat intrinſecus, repudium damus ? Mox enim ad ſumma tendentis vitæ ſtatus evertitur, rigor enervatur diſciplinæ, & ad effluendum, quidquid libido ſuggeſſerit, ora laxantur.* In fine Petrus ſuum in Caſinates ſtudium & affectum prodit, teſtaturque, quam ægre ab eis avulſus ſit, viſa » eorum religione : in qua illud maxime probat, quod ibi ſcholas puerorum, qui » ſæpe rigorem ſanctitatis enervant, non invenerit : ſed omnes, aut ſenes, aut juve- » nili vivendi decore fulgentes. Quamquam, cum ſanctus pater Benedictus puerorum ſcholas habuerit, idque ab ipſo Ordinis principio ad noſtram ætatem uſu receptum ſit ; non improbandum, immo probandum eſt hoc inſtitutum, modo ut cum debita cautione fiat a viris prudentibus & circumſpectis.

III. Florentiæ turbæ ob ſimoniacum epiſcopū.

Ubi Florentiam advenit Petrus, ingentes deprehendit turbas, ortas ex intruſione Petri Papienſis ſimoniaci in illius urbis epiſcopatum, quæ ſuperiori anno facta erat. Id ubi reſcivit monachus quidam, Teuzo nomine, qui in abbatia ſanctæ Mariæ cellula incluſus degebat, occultum ſcelus protulit in vulgus. Tum ſciſſa eſt civitas duas in partes, aliis epiſcopo faventibus, aliis in eum zelo inflammatis. Utroſque conciliare ſtuduit Petrus, ex eo redarguens monachum illum, ejuſque ſequaces, quod indemnatum epiſcopum vitandum dicerent, ut ſimoniacum & hæreticum ; ejuſque benedictiones & ſacramentorum actiones omnino irritas eſſe proclamarent. Cum vero verbis nihil proficeret, acrem ad Florentinos ſcripſit epiſtolam [a] contra illos monachos, qui turbas illas excitabant ; aitque conſulendam hac de re apoſtolicam ſedem. Verum neque his monitis ſedata eſt procella ; immo vero eo uſque perducta eſt ſeditio, ut diverſi uſque ad ſanguinis effuſionem dimicaverint.

a *Petr. Dam. opuſc.* 30.

IV. Johannes rem ignis probatione dirimendā cenſet.

Interim factum pernegabat epiſcopus, ſeque ſacramento purgare nitebatur. In tanto rerum conflictu, advocatur e Wallumbroſano monaſterio Johannes abbas, eximia ſanctitate prædituſ. Venit ille ad hunc conflictum cum ſuis monachis. Urget epiſcopum, ut crimen agnoſcat, ne ſcelus occultum vertat in totius populi detrimentum. Cum vero ille factum negare perſeveraret, Johannes rem ignis probatione dirimendam cenſuit. Baronius id hoc anno factum putavit, retulitque ad hunc annum epiſtolam, quam Florentini hac de re ad Alexandrum papam ſcripſerunt. Verum hæc epiſtola poſt quatuor annos ſcripta eſt, ut inferius videbimus. Ex his emendandus vitæ ſancti Johannis Gualberti ſcriptor, ut alias [b] diximus, qui hoc factum ejus ſeceſſui occaſionem præbuiſſe falſo opinatus eſt.

b *lib. 56. n. 53. & lib. 57. n. 15.*

V. Teuzo monachus quis & qualis.

Teuzo monachus in Florentina ſanctæ Mariæ abbatia recluſus, cujus ſuperius [c] facta mentio, idem ſine dubio eſt cum illo Teuzone eremita, ad quem Petrus Damiani opuſculum LI. ſcripſit de vita eremitica, probatiſque eremitis. Etſi enim eremita vocatur, ex illo tamen opuſculo eum in monaſterio. & quidem in populoſa urbe vixiſſe manifeſte intelligitur. Erat inter illum, abbatemque ſui monaſterii inveterata diſcordia. Abbas, ut vir mitis erat ac ſimplicis animi, Petrum-Damiani ſequeſtrum conciliandæ pacis & arbitrum interpoſuit. Ejus rei gratia Petrus per longiora ignotarum regionum loca, per præcipitia montium, per alpium præruptа, cum Albizone eremita Florentiam adiit. Cum ad Teuzonis januam cellulæ pulſaſſet, vix demum, tamquam importuni capitis homines, admiſſi : &, qui conciliandæ pacis gratia venerant, in jurgia inciderunt. Poſt amara hinc inde colloquia, & quidem de ſimoniacorum, ut puto, ordinationibus, cum Teuzo auctoritati ſanctorum Leonis & Gregorii non cederet ; Petrus de concilianda cum abbate pace agere cœpit. Verum, dum alienis amicitiis farciendis conſulerent, Teuzonis implacabile odium incurrunt, tandemque per ſemicinctia correpti, violenter e cellula excluduntur. Tantæ arrogantiæ originem ex eo repetit Petrus, quod Teuzo in ipſo novæ converſionis tirocinio, nulla probatione facta, ſibi ipſi permiſſus, recluſi propoſitum arripuiſſet, & eremiticam vitam, non in eremo, ſed intra populoſæ urbis mœnia ducere decreviſſet. De ejuſmodi hominibus, *qui, tanquam deficientibus ſilvis, ſolitudinem in urbibus quærunt ; quid aliud credendum eſt, niſi quod ſolitariæ vitæ, non perfectionem, ſed favorem potius & gloriam aucupantur ? Vinum namque in urbe neſcire prodigium eſt : in eremo bibere, ſatis ignobile. Cilicium in eremo veſtimen-*

c *lib. 57. n. 96.*

tum ; in urbe ſpectaculum. In eremo ſtratum molle juncus eſt vel papyrus : inter cives applauditur centone contentus. Hæc Petrus, aliaque plura. Denique Teuzo non tantum cum abbate ſuo non concordabat, ſed nec cum fratribus, & maxime cum monaſterii ſacerdotibus, a quibus ſacramenta ſuſcipere detrectabat, hoc ſcilicet prætextu, quod neſcire ſe diceret, an ab epiſcopo catholico, id eſt ſimoniæ experte, ordinati fuiſſent. In fine magna cum animi demiſſione Petrus ab ipſo veniam petit ſupplex, quod tam libere ad eum locutus ſit, eumque dominum & patrem ſuum vocat.

ANN. CHR. 1063.

VI. Piorum eremitarum exempla.

Atque ut eum ad ſtrictiorem vivendi normam inducat, quædam ei proponit exempla piorum eremitarum, qui duriſſimam agebant vitam. Primum eſt Martini Storacis, cujus tanta diſtrictio erat, ut tribus per hebdomadam diebus nihil penitus comederet, tribus autem ſolum panem cum aqua ſumeret ; dominicis vero & feſtivis diebus, non pulmentum, ſed quamdam cibi frixuram, quam deguſtaſſe, immo vel olfeciſſe quoddam pœnitentiæ genus erat. Omnibus porro diebus non ante ſolis occaſum capiebat cibum, ſervata tamen dominicis reverentia, in quibus circa ſextam horam, *unam ex his, quæ pro ſacramentis*, id eſt miſſis, *fiunt, oblationculam percipiebat* ; & ſic *propter regulam* jejunium ſolvebat. Non omittendum, id, quod de eo addit Petrus, nempe cum Martinus aliquando ab ipſo conſuleretur, an pro neceſſitatibus vel utilitatibus publicis in publicum procedere deberet, eum reſpondiſſe : *Quid*, inquit, *candelæ prodeſt, ſi aliis luceat, dum ſe interim edax flamma conſumat ?* quod reſponſum Petrus, tamquam divinitus ſibi datum, lætus arripuit, &, ſalva tantum caritate & obedientia, ſervare decrevit.

Martino ſubjungit Petrus Leonem Sitriæ eremitam conſimilis abſtinentiæ, cujus ſermo ſolabatur mæſtos, rudes inſtruebat, conciliabat diſcordes & iratos ; deinde Lupum, qui ſe perpetua recluſione ad obtinendam veram libertatem damnaverat ; tum Petrum & Leonem eremitas, quorum ille quovis tempore nudam humum pro lecto habebat ; hic lumbos ferrea ſemper catena domabat. Sed illud mirabile, quod idem auctor ſubdit de Leone eremita Prezenſi, qui poſt duriſſimam vitam, centum quadraginta ætatis annos tunc attigerat, & nihilo minus corpus ſuum flagellationibus quotidie atterebat, & tantum circa veſperam, exceptis celebrioribus feſtis, jejunium ſolvebat : qui numquam ſanguinem minuerat, numquam ullo medicinæ remedio uſus erat ; de cetero ſemper lætus & hilaris. Mitto quod additur de Dominico-Loricato, cujus ſtupendam auſteritatem ſuperius expoſui. Hæc ſatis ex illo opuſculo ad Teuzonem monachum, cujus commentarium in regulam ſancti Benedicti in Florentina beatæ Mariæ abbatia vidimus, cum prævia epiſtola ad Odelricum epiſcopum. Exſtant apud Puccinellum in appendice ad prædictæ abbatiæ Florentinæ hiſtoriam litteræ Petri abbatis, eo nomine ſecundi, pro reſtitutione xenodochii ad portam monaſterii, quibus litteris poſt Petrum primus ſubſcribit Teuzo monachus & ſacerdos, dein viginti-tres alii monachi, ex quibus quinque ultimi converſi dicuntur. His litteris ſuccedit Alexandri II. diploma, Petro abbati inſcriptum, quo ejuſdem abbatiæ poſſeſſiones confirmat interventu Petri-Damiani epiſcopi & cardinalis Oſtienſis.

VII. Rodulfi epiſcopi acta & obitus.

Priuſquam Florentia Petrus diſcederet, nuntium ſibi valde ingratum accepit de morte Rodulfi Eugubini epiſcopi, ſui quondam diſcipuli, de cujus converſatione & obitu epiſtolam mox ad Alexandrum papam ſcripſit. Hic ante ſeptennium cum matre, duobuſque fratribus, caſtrum ſuum, totamque ſubſtantiam Petro contulerat, exceptis ſervis libertate donatis ; atque ad eremum profectus, *habitum monaſticæ profeſſionis* cum Petro fratre ſuo induerat, matre & altero fratre, qui infirmior erat, in monaſterio relictis, quod in ſuo caſtello conſtruxerant. Petrus ejus frater natu-major, eremiticæ vitæ dura inſtituta, uti & Rodulfus, diſtrictiſſime ſervavit : de quo illud e multis refert Petrus, quod cum aliquando ex ſæculari conſuetudine quoddam inordinatum vocabulum protuliſſet, a Petro graviter increpitus, per quadraginta dies vino abſtinere juſſus eſt, eo quidem animo, ut alii a ſimilibus ſermonibus deterrerentur, ſed tamen ut aliquid ex illa pœnitentia relaxaretur. Verum hanc ille integram, Petro ad alia intento, humiliter abſolvit. Promotus ad epiſcopatum Rodulfus, nihil de eremiticæ vitæ aſperitate remiſit. Eadem illi indumenta, eadem cilicia, iidemque cibi. Panis illi ex puro hordeo, vel ex cantabro ſeu furfure. Numquam adipe, numquam ovis caſeove utebatur. In nuda ligni tabula nudus,

ANN. CHR. 1063.

sola indutus interula, cubabat. Ferreo circa pectus cingulo jugiter cinctus erat, flagellationibus adeo attritus, ut sæpe centum annorum pœnitentiam intra viginti dies confecerit. Inter hæc episcopalia munia strenue obibat, in prædicatione assiduus, annuas synodos congregare solitus, in quibus nihil a clericis exigebat; nihil etiam a lapsis præter pœnitentiam. Vix annos triginta ætatis attigerat, cum ad veræ lucis Auctorem ex hac infelici luce migravit. Exstat Petri Damiani [a] ad Theodosium Senogalliensem & Rodulfum Eugubinum antistites epistola, in qua eos rogat, ut scripta sua diligenter perlegant, & emendent, si qua in eis non catholice dicta sibi, ut ille sentiebat, imperito irrepsissent: quæ quidem scripta ille se composuisse dicit, ut, *qui operibus manuum utiliter insudare non poterat, cor vagum atque lascivum quodam meditationis loro restringeret.* quæ sane epistola insignem Petri modestiam prodit.

a *Petr. Dam. lib. 4. ep. 11.*

VIII. Synodi Romanæ canon in abbatiarum cupidos.

Interim Alexander papa synodum Romæ habuit, in qua simoniaci denuo damnati, ac duodecim conditi canones, quorum duodecimus est, *ut nullus habitum monachalem suscipiat, spem aut promissionem habens, ut abbas fiat.* quod decretum nostro quoque tempori non minus opportunum ac necessarium foret, in illis scilicet monasteriis, quibus præsunt regulares abbates. Immo etiam in aliis, ubi non viget observantia regularis, paucos videre licet, qui non sola spe obtinendæ præbendæ monasticæ monachos profiteantur. Ex utraque labe quanta mala oriantur, experientia probat. Non multo minus malum oritur ex illis, qui monachi recta intentione facti, abbatias demum ambiunt; fitque ut abbates creati, statim monachi ac monasticæ disciplinæ velut importabile jugum abjiciant; &, ne apostatæ videantur, sub fucato se regiminis colore pallient, ut Petrus Damiani loquitur, cujus hac de re opusculum XXI. omnino legendum est, in quo ejusmodi abbatum mores & vitia merito notat ac sugillat. *Unum autem in his*, inquit, *novellis abbatibus video, quod vehementer admiror. Qui enim per decem annos, vel eo amplius, sub alterius regimine constitutus, numquam ad hanc potuit pervenire scientiam, ut perfecte monachus videretur: nunc ipso die, quo in prælatione constituitur, ita præsidentis induit specimen, ita dominantis exprimit majestatem, ut non nuper electum, sed natum dicas abbatem. Fit repente severus in vultu, imperiosus in voce, ad corripiendum acer, ad judicandum promtus.* Sed hæc nullo fructu abbas. *Qua* enim *fronte aliis silere præcipiat, cujus garrula lingua continua verbositate declamat?* Idem pro portione de mensa, deque aliis monasticis institutis dicendum. Quin etiam accidit non raro, ut legitime electi & creati abbates ad mores ac studia se fingant subditorum, qui hos tantum abbates probant, si apud potentes sæculi auctoritate valeant; si diserti sint & eloquentes ad causas suas tuendas; si de temporalibus perquam solliciti sint. Si quis vero abbas ab exterioribus ad spiritualia se studia conferat, illi domum sanctam destrui queruntur, possessiones monasterii minui, & per unius incuriam tot virorum commoda redigi ad nihilum. Hæc, aliaque plura Petrus Damiani in illo opusculo ad quemdam abbatem, cui gratulatur, quod abbatiam abdicasset.

IX. Petri-Damiani legatio in Galliam.

Egressus Florentia Petrus, in Galliam accessit, missus ab Alexandro papa rogatu venerabilis Hugonis abbatis Cluniacensis, qui in synodo Romana de Drogone Matisconensi episcopo, quod jura & privilegia monasterii sui violaret, conquestus fuerat, munitusque litteris pontificiis ad Remensem, Senonensem, Turonensem, Bituricensem, & Burdegalensem archiepiscopos, quibus pontifex commendabat Petrum-Damiani Ostiensem episcopum, *qui & noster est*, inquit, *oculus, & apostolicæ sedis immobile firmamentum.* Ubi primum Galliam attigit legatus, synodum episcoporum Cabilonem indixit, in qua, lectis Cluniacensis monasterii privilegiis, atque episcoporum sententia denuo approbatis, Drogo episcopus eadem agnovit, & veniam errati petiit cum clericis suis, qui ei auctores fuerant, ut Cluniacensium privilegia vexaret. His accessit novum Alexandri diploma, vetera eorum privilegia confirmantis, novaque adjicientis. Itaque pax episcopum inter & Cluniacenses reformata, qua de re postea uberius. Quædam etiam in illa synodo sancita ad mores emendandos.

X. Rainaldus abbatiæ S. Medardi invasor damnatus.

In his damnatus est denuo Reginaldus seu Rainaldus, abbatiæ sancti Medardi apud Suessionas invasor, qui jam longe ante [b] in concilio Remensi exauctoratus fuerat. Legati sententiam comprobarunt episcopi: sed tamen nec Gervasius Remorum archipræsul, nec Suessionensis, aliive comprovinciales episcopi eum a cœnobii re-

b *V. lib. 59. n. 67.*

ANN. CHR. 1063.

gimine eliminarunt. Hinc dispersi monachi, alii litteras ad pontificem scripsere, alii ipsummet adiere, flentes & ejulantes, quod ille invasor impune regnaret. Qua re commotus pontifex, litteras [a] direxit Gervasio archiepiscopo, ejusque suffraganeis, quos arguit, quod synodi sententiam vel causa cupiditatis, vel timore, aut amore alicujus potentis personæ, exsecutioni demandare supersederint, & nullum dispersis monachis regrediendi solatium præbuerint. idcirco confirmata synodi sententia, eumdem Rainaldum, ejusque consentaneos anathemati subjicit; ipsumque cœnobium, quamdiu pseudo-abbas in eo manserit, interdicto supponit; idemque a Gervasio, ejusque suffraganeis fieri mandat. Nihilo minus Rainaldus, quorumdam præpotentium favore fultus & auctoritate, abbatiam per fas nefasque retinuit; idemtidem ejectus, tum restitutus, usque ad annum circiter M LXXVI. quo fere tempore moriens locum fecit Pontio, qui illo deterior erat. Gerardus [b] per illa intervalla præfecturam administravit.

a *Alexand. epist. 22.*

b *V. lib. 61. n. 10.*

XI. Arnulfus S. Medardi monachus.

Non tamen apud sanctum Medardum per illos turbines defecit religio & disciplina regularis. Rainaldo siquidem abbate istic floruit magnum ejus loci ornamentum Arnulfus, nobilissimis in Brabantia parentibus ortus, Folberto & Meinsinde. Hujus propinquus erat Arnulfus Aldenardensis *, divitiis, potentia, & nobilitate præcellens, qui eum ex sacro fonte suscepit, & Arnulfum nominari voluit; mater vero Arnulfum-Christophorum, quod cognomen quodam vaticinio ipsi præsignatum fuerat. Militiam ex amicorum consilio amplexus adolescens, miræ fortitudinis specimina edidit, ob id Fortis vocabulum consecutus. Hinc oblata ipsi ab imperatore, a rege Anglorum, & a propinquis suis illustrissima & ampliſſima matrimonia: at ille hæc omnia pro Christo recusavit, meliori militiæ se ipsum mancipaturus. Tum ad curiam Philippi Francorum regis ire se velle simulans, matri salute data ac recepta, (nam antea pater obierat) duobus comitatus armigeris, versus Franciam iter arripit: at, neglecta Philippi regis aula, festinus adit sancti Medardi cœnobium; ubi tum *præclara monachorum congregatio* erat sub abbate Rainaldo, apud quos *honesta institutio refulgebat*, ut in ipsius actis legitur. Nobilem adolescentem cum multo gaudio excipiunt fratres, & in societatem suam tonsum & monastico indutum habitu admittunt. Post annuam probationem, cura pauperum ei committitur: quo munere optime perfunctus est. Tunc necessitudinem contraxit cum quodam Flandrensi monacho, Erlemboldo nomine, qui ibidem ob amorem Dei reclusus, duram & austeram vitam ducebat, divinæ contemplationi omnino addictus. Huic ægrotanti Arnulfus modicum lactis cum uno pane ex his, qui egenis deputati erant, petenti porrexit, ex quo vix tantillum ægrotus delibavit. Mortuus Arnulfo ex condicto apparens, ait, se aliquid pœnarum sustinuisse, quod parumper ex substantia pauperum percepisset. Hoc viso animatus Arnulfus, in eamdem cellulam recludi voluit, in qua tribus annis & mensibus sex continuum silentium servasse dicitur. Jejunia ejus pæne quotidiana: panis ex hordeo semitrito; non aliud in potum quam aqua. Hæc summa ejus exercitiorum, quoad abbas factus est. Non omittendum hoc loco id, quod legitur in diplomate [c] Philippi regis, hoc anno confirmantis fundationem Harlebecensis collegiatæ ecclesiæ ab Adela Flandriæ comitissa factam, quo in diplomate rex statuit, *ut, sicut Aquensis abbatia, Caroli Magni institutione & largitione fundata, a dominatione Leodicensis episcopi est libera; & sicut sancti Medardi abbatia ab episcopo Suessionensi manet quieta; necnon sancti Martini ab archiepiscopo Turonensi: ita & ista*, scilicet Harlebecensis, *ab episcopo Noviomensi.*

S. Medardi immunitas.

c *Miræi cod. donat. p. 166.*

XII. Cluniacensium privilegia asserta contra episcopum Matisconensem.

Redeo ad Drogonem Matisconensem episcopum, qui, ut modo aiebam, Cluniacensis monasterii privilegia & libertatem vexare molitus, armatorum manu comitatus eo accessisse dicitur; sed repulsam passus, nihilo minus in proposito perstitisse. Ejus molitionibus ut occurreret Hugo abbas, ad synodum Romanam confugit, in qua Drogonis machinationes exposuit. Hoc intellecto, patres de perinsignis loci discrimine solliciti fuere: quos inter Petrus-Damiani, quibus Cluniacensium libertas magis cordi erat, se se ad eis subveniendum, & in Galliam hujus rei causa proficiscendum obtulit. Cum huc pervenisset, synodo apud Cabilonem indicta, causam monasterii discussit, & Guillelmi ducis ejus fundatoris privilegium legi præcepit. Eo lecto, cum omnes ei assensissent, Drogo & ipse manus dare compulsus est, præstito sacramento in hæc verba. *Audiat domnus Petrus Ostiensis episcopus & omnis*

ANN. CHR. 1063.

ſancta ſynodus, quia eo die, quo Cluniacum commotus adveni, nec in contemptu ſive deſpectu ſedis apoſtolicæ, vel domini Alexandri Romani pontificis hoc egi, & privilegiorum tenorem ac ſeriem, qua modo in noſtris auribus lecta ſunt, tunc ad liquidum non cognovi. Sic me Deus adjuvet, & iſta ſancta evangelia. Idem ſacramentum a quatuor ejuſdem eccleſiæ clericis præſtitum, & pœnitenti epiſcopo ſeptem dierum pœnitentia in pane & aqua injuncta; decretumque editum, quo monaſterii libertas denuo aſſerta eſt. Poſt hæc Alexander II. ejuſdem loci libertatem & poſſeſſiones, necnon » facultatem eligendi abbatis monachis confirmavit, edixitque, ut ne cujuſquam » epiſcopi interdicto, aut excommunicationi ſubjacerent, utpote ſedis apoſtolicæ filii, » citra Romani pontificis judicium. Ad hæc ſancit pontifex, ut idem locus omnibus, » ad ſe ad ſalutem animæ confugientibus, ſit miſericordiæ ſinus, ſit totius pietatis & » ſalutis portus; obtineatque in eo locum juſtus, nec repellatur pœnitere volens ini- » quus. *Data in ſacro Lateranenſi palatio* VI. *idus Maii per manus Petri S. R. E. ſubdiaconi & cancellarii vice domni Annonis Colonienſis archiepiſcopi, anno ſecundo domni Alexandri papæ, & ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti* M LXIII. *indictione* I. quæ chronicæ notæ deſunt in bibliotheca Cluniacenſi. Mirum eſt archicancellarii munus in hoc Alexandri diplomate, & in alio inferius [a] referendo pro Vindocino, tribui Annoni Colonienſi archiepiſcopo, homini extraneo, & qui Alexandro papæ his initiis non favebat. Sed forte hac illecebra pontifex eum ad ſuas partes allicere tentavit. quod ei optime ſucceſſit.

a *infra n.* 32.

XIII. Cluniacum adit Petrus-Damiani.

Poſt ſynodum Cabilonenſem, de qua mox ante egimus, Petrus-Damiani, qui tam prolixum & arduum iter jam ſenio & ærumnis confectus ob Cluniacenſes ſuſceperat, ad ſacrum illud aſceterium acceſſit, ut ſuo eorumque deſiderio faceret ſatis. Quantum ædificationis ex illuſtri illo conventu retulerit, teſtes ſunt litteræ, quas reverſus in Italiam ad Hugonem abbatem, ejuſque fratres ſcripſit. Prima [b] ex his *domno Hugoni venerandæ ſanctitatis abbati* inſcripta eſt, quem in altera *archangelum monachorum* vocat. Alia dirigitur *vere ſanctis, & angelica veneratione colendis Cluniacenſis monaſterii fratribus*, quos, uti & Hugonem abbatem, monet promiſſæ ſibi ſuffragiorum communionis, quæ ſibi maxime poſt obitum ſuum reddi poſtulat, non ſolum Cluniaci, ſed in omnibus etiam monaſteriis ei ſubjectis. In ultima hac epiſtola ait, ſe ad Fontem-Avellani, unde proceſſerat, trimeſtri ſpatio ſerius, quam putaverat, nempe vix v. ante kal. Novembris, rediiſſe, tum ob difficultates itineris, tum ob Cadaloi pſeudopapæ inſidias. Deinde Cluniacenſium religionem laudat his omnino verbis, quæ tanto pluris habenda ſunt, quanto amplius conſtat, Petrum ab adulandi ſtudio fuiſſe alienum. *Porro autem*, inquit, *dum tam diſtrictum, tamque frequentem ſanctæ veſtræ converſationis ordinem recolo, non adinventionis humanæ ſtudium, ſed ſancti Spiritus magiſterium ineſſe perpendo. Nam tanta erat in ſervandi ordinis continua jugitate prolixitas, tanta præſertim in eccleſiaſticis officiis protelabatur inſtantia; ut in ipſo cancri ſive leonis æſtu, cum longiores ſunt dies, vix per totum diem unius ſaltem vacaret horæ dimidium, quo fratribus in clauſtro licuiſſet miſcere colloquium. Hoc autem tam continui laboris exercitium ad hoc eſt, ut reor, ſollerti ſatis ac provida magiſterii arte proviſum, ut levium atque infirmorum fratrum fragilitatem reprimat, & delinquendi propemodum occaſionem tollat, quatenus etiamſi velint, prater cogitationem, peccare vix poſſint. Fragilium igitur imbecillitati conſulitur, dum in perſolvendo continui ordinis penſo totum, non modo diurni, ſed & nocturni temporis ſpatium profligatur.* Hactenus Petrus, qui tantam divinorum aſſiduitatem apud Cluniacenſes inſtitutam fuiſſe dicit, ut otioſitas vitaretur. Sed experientia poſtea compertum fuit, tanta pſalmodiæ jugitate mentem gravari & obrui, nec hoc modo otioſitati occurri, ſed locum dari, dum animus tot divinis officiis recitandis non modo non paſcitur, ſed jejunus & vacuus redditur. Unde poſteris conſultius viſum eſt, ut divina officia minuerentur, quo aliis lectionis, laboris & meditationis exercitiis recreatus animus, promtior & velocior ad divina rediret officia.

b *Petr. Dam. lib. 6. epiſt. 2. & ſeq.*

XIV. Cluniacenſium cibos an notaverit.

Cum Petrus-Damiani apud Cluniacenſes verſaretur, nonnihil offendiculi paſſus fuiſſe dicitur, tum ex tot tantiſque monaſterii opibus; tum ex variis ferculis, quæ monachis ad menſam apponebantur; ac cœpiſſe hærere, quo pacto ſancti eſſe, aut ſanctos inſtitutores habere poſſent, qui tantis affluerent bonis; & e converſo, quo modo non ſancti eſſent, qui tantum pondus laboris ac monaſticæ diſciplinæ tam patienter ſuſtinerent. Sed tamen majorem in eis parſimoniam ciborum deſiderabat;

poſtulabatque ab Hugone abbate, ut duabus ſaltem feriis *a ſagimine* abſtinerent. Ad quod Hugo repoſuiſſe fertur: Si noſtram, inquit, coronam additamento jejunii & abſtinentiæ augere cupis; tenta prius, quæſo, nobiſcum per octo dies laboris noſtri pondus; tumque quid noſtris cibariis detrahendum ſit perſpicies. Quod cum ille experiri voluiſſet, confiteri coactus fuiſſe dicitur, tantum pondus ſibi eſſe importabile; ac proinde non eſſe ingravandum. Hæc ex anonymo in libro de miraculis ſancti Hugonis. At mirum fuerit, ſi Petrus, qui tot pſalteria in dies recitabat, tot vigilias totque jejunia in tanta veſtis aſperitate ſuſtinere poterat, divinorum officiorum aſſiduitatem illam per octo dierum ſpatium tolerare non valuerit.

ANN. CHR. 1063.

XV. Scribit contra ſedentes in officiis divinis.

In illo item Gallicano itinere Petrus Veſontionem adiit, diverſatuſque eſt apud Hugonem archiepiſcopum, ad quem opuſculum XXXI. ſcripſit, cum ad propria rediiſſet. Principio commendat diſciplinam, quam idem præſul in ſua eccleſia inſtituerat; probatque quod ſibi adhuc vivens tumulum paraviſſet. Unum tamen correctione dignum in ejus eccleſia ſe animadvertiſſe dicit, quod plerique ibi clericorum ſederent, dum vel canonica celebrantur officia, vel etiam ipſa miſſarum terribilia offeruntur ſacramenta. *Cujus torporis ignaviam*, inquit, *per Galliarum partes nonnullis ineſſe etiam monachis deprehendi. quod profecto prava conſuetudinis vitium & correctione dignum, & de ſtadio militantis eccleſiæ in his, qui incolumes ſunt, conſtat penitus eradendum.* Immo etiam laïcis utriuſque ſexus perſuadendum monet, ut non ſedeant, dum divinis interſunt officiis, niſi ob infirmitatem, vel tempore lectionum. Sane, ad noſtros quod attinet, eos tantum eo tempore ſedere permittit ſanctiſſimus legiſlator, dum lectiones leguntur. Excepti ſunt nihilo minus ab hac lege ſenes & infirmi: quam indulgentiam cum tollere vellet Ratgarius Fuldenſis abbas, hac de re conqueſti ſunt monachi [a] in libello ſupplici, quem Carolo Magno imperatori porrexerunt. Sane ipſi Petro-Damiani, ut in ejus vita legitur, mos erat, *ut inter divina, tam nocturna, quam diurna officia, nulli podio* ſeu fulcimento *pſallens hæreret.* In editis prædictum opuſculum inſcriptum legitur, *domno V. reverendiſſimo archiepiſcopo*, nomine ejus proprio prima dumtaxat littera expreſſo pro more Italorum, qui Ugonis nomen abſque adſpirata littera ſcribere amant.

a *Annal. to. 2. li. 27. n.* 83.

XVI. Uticenſes novæ turbæ.

Per id tempus in Neuſtria gravis diſſenſio [b] inter Willelmum ducem, ejuſque proceres exorta eſt, inſtinctu in primis Rogerii de Monte-Gomerici & Mabiliæ ejus conjugis, qui blandis aſſentationibus ducem ſibi conciliare, & alios ei ſuſpectos reddere ſtudebant. qua in re faciliorem principis animum invenerunt. Tunc etiam in ejus offenſam incidit Rodbertus Uticenſis abbas, quem Rainerius Caſtellionenſis monachus de quibuſdam improvidis dicteriis, duci derogantibus, apud eum accuſaverat. Accitus in curiam abbas, Hugonis Lexovienſis epiſcopi conſilio ducis furorem declinare conſtituit, & Romanum pontificem adire. Hoc comperto, Willelmus, conſultu Ansfridi Pratellenſis abbatis & Lanfranci Beccenſium prioris, Oſbernum Cormelienſis monaſterii priorem a Rainerio abbate ſanctæ Trinitatis de monte-Rotomagi, cujus olim monachus fuerat, poſtulavit, eique nihil tale ſuſpicanti *per cambutam* Maurilii archiepiſcopi in ſynodo Rotomagenſi curam Uticenſis abbatiæ commiſit. Deinde Hugo Lexovienſis epiſcopus juſſu ducis eum ad Pratellenſe monaſterium adduxit, ibique ſtatim neſcientibus Uticenſibus monachis, abbatem conſecravit, indeque Uticum perduxit, ac mœſtis fratribus ex imperio ducis impoſuit.

b *Orderic. lib. 3. p. 481. & ſeqq.*

Inter ea Rodbertus abbas Romanum pontificem adiit, Nicolaum ſcilicet, teſtantibus Willelmo Gemeticenſi & Orderico; adeoque id ſaltem biennio citius accidit, proindeque ad annum M LX. aut inſequentem referendum eſt. Rodberti querimoniam benigne audivit pontifex, miſſiſque cum eo duobus cardinalibus clericis cum litteris apoſtolicis, Rodbertum reſtitui flagitavit. Tunc temporis curiam ſuam apud Juliam-bonam * tenebat Willelmus: qui, audito Rodbertum cum duobus legatis brevi adfuturum abbatiæ repetendæ cauſa, vehementer iratus dixit, ſe quidem legatos papæ, ubi de fide & chriſtiana religione ageretur, libenter auditurum; ſed, ſi quis monachorum ſibi de abbatia Uticenſi litem moveret, ſe eum ad altiorem quercum vicinæ ſilvæ per capitium ſuſpenſurum. Id ubi reſcivit Rodbertus, iræ cedendum ratus, in pagum Pariſienſem ad Hugonem S. Dionyſii abbatem ſe recepit, a quo perhumaniter, ejus quippe cognatus erat, acceptus eſt. Inde Oſberno abbati ſignificavit, ut coram Romanis cardinalibus in pago Carnutenſi ad certum diem

* *Lillebonne.*

ANN. CHR. 1063.

adesset. at cum ille tempori & loco defuisset, eum Rodbertus ex auctoritate papæ, tamquam Uticensis abbatiæ invasorem, excommunicavit, omnesque Uticenses monachos, ut se sequerentur, præcepit. Hac sententia perculsi Uticenses, alii Rodberto se adjunxerunt, & cum eo sedem apostolicam expetierunt: alii monasterium deseruerunt, solis pueris & infirmis illic relictis. Mainerius vero prior claustralis, qui primus cum Lanfranco de substituendo alio abbate egerat, Rodberti minis territus, Cluniacum secessit, ibique per unum annum Cluniacensium rigorem sub venerando Hugone abbate expertus est. Rodulfus vero Mala-corona, Rodberti abbatis avunculus, qui Utici cum eo morabatur, reversus est ad Majus-monasterium, ubi professionem emiserat; ibique non multo post expletis in monastico ordine septem annis, XIV. kal. Februarii pie decessit.

XVII. Rodbertus abbas monasteria in Calabria condit.

Interim Rodbertus abbas cum undecim monachis suis confugit ad Alexandrum papam, qui eis sancti Pauli apostoli ecclesiam concessit, *ut illic ordinem suum tenerent*, donec eis congruam habitationem provideret. Verum Rodbertus Willelmum de Mosterolo, consanguineum suum, qui Campaniam obtinuerat, adiit, qui ei monachisque ejus mediam partem Aquinæ urbis concessit. Postmodum ad Rodbertum-Wiscardum Calabriæ ducem se contulit idem abbas, ab eoque cum monachis suis honorifice exceptus, ecclesiam sanctæ Euphemiæ, ad litus Adriatici maris, ubi ruinæ antiquæ urbis, quam Brixiam seu Brixam vocabant, positam, accepit, ut eo loci in honorem sanctæ Dei-genitricis Mariæ construeret cœnobium, cui dux ipse aliique Normannorum proceres multas possessiones contulerunt. Illic Fredesensis, uxor Tancredi de Alta-villa, sepulta: pro qua Wiscardus ejus filius magnum eidem ecclesiæ *feudum* seu prædium largitus est. Idem cœnobium sanctæ Trinitatis in urbe Venusia eidem abbati commendavit. Illic præpositus Berengarius, filius Ernaldi, Uticensis monachus, qui ab Alexandro pontifice abbatialem benedictionem percepit, postmodum factus Venusinæ ecclesiæ episcopus Urbani secundi pontificatu, ab Ughello [a] in Venusinis episcopis omissus. Insuper idem Wiscardus tertium cœnobium, in honorem sancti Michaëlis in urbe Mellito exstructum, tradidit prædicto Rodberto abbati, qui illud Willelmo Ingramni filio, apud Uticum nato & clerico ordinato, sed apud sanctam Euphemiam facto monacho, commendavit. *In his itaque tribus monasteriis Italiæ, Uticensis cantus canitur; & monasticus ordo usque hodie*, inquit Ordericus, *prout opportunitas illius regionis, & amor habitantium permittit, observatur:* Sed nunc longe alia horum monasteriorum fortuna.

a *Ital. sac. to. 7. p. 202.*

XVIII. Monasteriorum illorum status.

De sanctæ Euphemiæ monasterio agit Willelmus [b] Gemeticensis monachus, aitque, Wiscardum quamdam parvam sanctæ Euphemiæ ecclesiam, supra litus Calabrici maris sitam, Rodberto abbati contulisse. *At ille*, scilicet Rodbertus abbas, *ut erat magnanimus, ingens cœnobium ibi condidit, & magnam multitudinem monachorum ad militandum Deo ibidem congregavit.* Addit idem auctor, episcopos & nobiles viros illarum partium prædictum Rodbertum impense coluisse, eique fuisse adjutores. *Curam quippe corporis sui*, ait ille, *parvi pendebat: sed sibi subjectos victu & vestitu sufficienter alebat, & regulari disciplina coërcens componebat.* Eumdem, cum aliquando in Galliam reversus esset, Philippus rex Carnutensem episcopum constituere voluit: at ille oblatam sibi dignitatem recusavit, ut suo loco dicturi sumus. Denique prædictum cœnobium annis fere septemdecim rexit, idibusque Decembris feliciter ad Dominum migravit. Huic successit [c] Willelmus abbas, Unfridi de Telliolo filius, cum quo Rainaldus Geroïanus, Rodberti abbatis ex fratre nepos, Uticensis monachus, tribus fere annis mansit. Hoc monasterium videtur fuisse illud sanctæ Euphemiæ cœnobium, diœcesis Neocastrensis in Calabria ulteriori, quod a Sarracenis destructum est, paucis tantum ejus vestigiis [d] relictis. Illius loci monachus quidam, Petrus nomine, Strungulensis episcopus sæculo XIII. creatus est.

b *Willelm. lib. 7. c. 30.*

c *Orderic. lib. 3. p. 490.*

d *Ital. sac. to. 9. p. 490.*

Monasterium sanctæ Trinitatis apud Venusium, ubi olim cathedralis ecclesia erat, jam exstabat anno M LIII. quo anno Drogo [e] dux & magister Italiæ, comesque Normannorum totius Apuliæ atque Calabriæ, ob remedium animæ suæ fratrisque sui Willelmi, monasterio sanctæ Trinitatis, cui tum Gaufridus abbas præerat, confert tertiam partem Venusiæ civitatis; eique duo alia monasteria sancti Georgii donavit. Hoc monasterium a Bonifacio VIII. militibus [f] hospitalis sancti Johannis

e *Ital. sac. to. 8 p. 219.*

f *Ital. sac. to. 7. p. 219.*

Johannis traditum est. Denique monasterium sancti Michaëlis in urbe Mellito videtur esse illud, quod sancti Angeli dicitur, translatum ad monachos Basilianos.

ANN. CHR. 1063.

Rodberto abbati duæ sorores uterinæ erant, Judith & Emma, quæ apud Uticum in capella sancti Ebrulfi demorabantur, & susceptо sacro velamine sæculo nuntium remisisse, Deoque soli adhærere velle videbantur. Hæ, cum fratrem suum in Apulia florere accepissent, se seque apud Nortmannos jam esse despicabiles, & omnis adjutorii expertes; Italiam adiere, ac, depositо velamine, nuptias contraxere, Juditha quidem cum Rogerio Siciliæ comite; Emma vero cum altero comite, ignorantibus maritis, eas Deo dicatas fuisse. Sed quia primam fidem irritam fecerant, ambæ sine liberis non multo post decesserunt, Christum judicem habituræ, quem sponsum rejecerant.

XIX. Rodberti abbatis duæ sorores.

Inter ea Osbernus, Uticensis monasterii rector, magnis curarum tumultibus & conscientiæ stimulis percellebatur ob sedis apostolicæ anathema, a Rodberto sibi impactum; censuitque quam primum absolutionem a Romano pontifice expetendam. Witmundo itaque monacho, quem ex suo apud Rotomagum monasterio secum adduxerat, viro cum primis litterarum, ut tempora illa ferebant, perito, supplices ad Alexandrum papam litteras suo nomine scribere præcepit: quarum hæc summa erat. Sancti Ebrulfi abbatiam, quam ipse tunc tenebat, dominum Rodbertum abbatem, Willelmi Nortmanni militis filium, ante se tenuisse, sed eam certis ex causis reliquisse; principem vero provinciæ cum episcopis sibi hoc onus imposuisse, quod ipse solo obedientiæ præcepto subierit. Hinc Rodbertum abbatem, qui in Calabria cujusdam monasterii erat pater, sibi magnopere offensum esse, comminari ac dicere, se locum ipsius invasisse contra Deum. Ex hac dissensione animas periclitari, seque inter utramque partem valde dubium fluctuare, prælatis suis abbatiam retinere jubentibus; Rodberto autem ex adverso reclamante. Se prostratum ad pedes suæ sanctitatis efflagitare, utrasque ut partes coram idoneis judicibus convenire faciat, qui se vel in abbatia persistere, vel ab ea recedere decernant. Hanc epistolam quidam presbyter Romam detulit ad Alexandrum papam: qui, causa diligenter discussa, Rodberti abbatis, qui præsens aderat, rogatu, Osbernum absolvit, eumque in abbatia quietum & tranquillum remanere jussit, Rodberto in Nortmanniam propter ferocitatem Willelmi ducis redire nolente, & a Wiscardo, aliisque Nortmannis honorifice retento.

XX. Osbernus Uticensis abbas absolvitur.

Securior itaque Osbernus curam abbatiæ, quam susceperat, intus & extus strenue gerere, & novitios diligenter in pietate & sanctis artibus erudire & exercere cœpit. Erat is Erfasti filius, apud Caletos ortus, a puero litteris apprime eruditus, primum canonicus Lexoviensis sub Herberto antistite, ac demum in monasterio sanctæ Trinitatis sub Isemberto venerabili abbate factus monachus. Hunc Rainerius abbas, Isemberti successor, ad informandum novum Cormeliense monasterium miserat: unde nesciens & invitus ad regimen Uticensis cœnobii, ut diximus, assumtus est. Hic *in ordine* seu regulari disciplina fervidus fuisse dicitur, fratribus subsidia, cum corporalia, tum spiritualia, providere sollicitus; at in juvenes tantisper rigidior, quos ad bene legendum, scribendum, & psallendum verbis & verberibus compellebat. Ipse propriis manibus *scriptoria* pueris & indoctis fabricabat, operisque modum singulis constitutum ab eis quotidie exigebat. Sic otia depellens, juvenum animos continebat in officio, & ad majores altioresque scientias præparabat.

XXI. Abbatiam optime regit.

Ad Witmundum quod attinet, quo interprete usus est Osbernus ad scribendam papæ epistolam, alius fuit a Witmundo seu Guitmundo, qui in Italiam profectus, demum factus est Aversanus episcopus, &, ut Ordericus censet, cardinalis. Hic enim Crucis-sancti-Leutfredi monachus erat; ille Montis-sanctæ-Trinitatis prope Rotomagum, grammaticæ artis & musicæ, teste [a] Orderico, peritissimus, qui multa sanctorum divina officia composuit, & cantu illustravit. De hujus obitu legimus rythmicos versus cujusdam anonymi, in quibus nihil singulare occurrit: nisi quod doctor cunctis amabilis fuisse dicitur, & sophiæ triplicis fons uberrimus. Mortuus est in Uticensi monasterio, ibidemque in claustro humatus: cujus ossa in capitulum [b] cum ossibus Osberni abbatis amici translata sunt. De altero Witmundo inferius.

XXII. Witmundi monachi duo.

a *Orderic. lib. 3. p. 485.*

b *idem. p. 491.*

Sub hunc annum monasterium beatæ Mariæ [c] de Prato, quod recentiores de

XXIII. Cella B. Mariæ de Prato.

c *V. Neustr. pium p. 611.*

ANN. CHR. 1063.

Bono-nuntio appellant, construi cœpit ab illustrissima heroïna Mathilde, uxore Willelmi Nortmannorum ducis, juxta Ermentrudis-villam in suburbio Rotomagensi, quæ possessio erat Beccensis monasterii ex patrimonio Herluini abbatis. Unde Beccensi abbatiæ attributa fuit hæc cella, quam Heinricus primus Angliæ rex, Willelmi & prædictæ Mathildis filius, libertate donavit, ac liberalissime dotavit, monachosque Beccenses illic instituit. Ejus viscera ibidem condita fuere. Hactenus perstat hæc cella conventualis sub nostra congregatione. Falluntur qui Mathildem imperatricem, prædicti regis Heinrici filiam, istius cellæ conditricem existimant.

XXIV. Girbertus Fontanellæ abbas.

Si certæ sunt, ut quidem videntur, chronicæ notæ diplomatis Willelmi ducis pro Fontanella, in quo Girberti abbatis annus duodecimus [a] cum anno Christi M LXXIV. componitur; non serius hoc anno Girbertus ad Fontanellæ regimen admotus est, scilicet post Rotbertum abbatem, qui tunc ad Pratense sancti Germani monasterium translatus est mortuo Hucberto ejus loci abbate: cujus tamen obitus in brevibus annalibus ad cyclos paschales differtur ad annum M LXV. ab Aimoini vero interpolatore ad annum sequentem. Erat Girbertus Moguntiæ nobilissimo genere ortus, idemque pro tempore cum primis eruditus, sed maxime pietate præcellens, qui inter Neustriæ lumina cum Guntardo Gemeticensi, Ainardo Divensi, & Durando Troarnensi præcipuus censebatur. Hic eremiticam in Italia vitam cum Maurilio, postmodum Rotomagensi archiepiscopo, sectatus, inde Fiscamnum cum eo se recepit: quo ex loco ad regimen Fontanellensis monasterii assumtus est. Id ab ipso duce Willelmo præstitum fuisse scribit Willelmus Pictavensis in libro de gestis ipsius Willelmi, qui Girbertum, eximiæ pietatis fama inclytum, cœnobio sancti Wandregisili præfeciſse dicitur, *ordinem dilapsum restituere intendens per abbatem spiritualem.* qua in re spem principis minime fefellit. Tanti porro eum faciebat sanctus Anselmus, ut eum *patrem* suum appellaret, eumdemque de quadam quæstione ad se relata consulendum præ ipso dixerit. Ita enim ille epistola [b] ad Gualterum, forte monachum Fontanellensem. *Habetis vobiscum dominum & patrem nostrum reverendum abbatem Gerbertum, qui vobis de ea, quam scripsistis, quæstione, & de aliis, pro quibus vos velle meam adire parvitatem significastis, melius potest præsens colloquendo, quam ego vel loquendo, vel scribendo satisfacere.* Idem ejus caritatem alibi commendat.

[a] *ibid. p. 168. & seq.*

[b] *Anselm. lib. 1. epist. 76.*

Rotbertus abbas S. Germani.

De Rotberto abbate, quem e Fontanellensi ad Pratense sancti Germani monasterium translatum mox dicebamus, id unum legimus, quod anno Philippi regis undecimo impetravit a Gaufrido Parisiorum antistite, ut duo altaria sive duæ ecclesiæ, Surisnarum * videlicet atque Evrini-villæ *, consecrarentur, & ad sancti Germani monasterium perpetuo spectarent. Vicissim autem Rotbertus abbas, totusque ejus loci conventus mediam partem prædii Garsiarchi * ac molendinum in fluviolo Savaræ * concesserunt.

* *Suresnes.*
* *Avrinville.*

XXV. Cadomi duo monasteria constructa.

Paullo ante hoc tempus Willelmus dux Nortmannorum in conjugium duxerat Mathildem, filiam Balduini Flandriæ comitis, cognomento Pii seu Insulani, Heinrici Francorum regis ex sorore Adela neptem; adeoque ipsius Willelmi cognatam. Ob id hoc matrimonium a religiosis viris, maxime a Lanfranco improbatum. qua de re dux Nicolaum Romanum pontificem consulendum censuit. Missus ille tus negotii causa Lanfrancus, interfuit concilio Romano, quod anno M LIX. in causa Berengarii habitum est. Re mature considerata, pontifex veritus, ne ex illius [c] matrimonii dissolutione materia belli Flandrenses inter & Nortmannos emergeret; ambos conjuges a reatu absolvit, eisque pro piaculo injunxit, ut duo monasteria, virorum unum, alterum puellarum, construerent, in quibus pro ipsis ab utroque sexu Deo assidue preces offerrentur. quod illi grataner acceperunt, & statim opere, & quidem magnifice compleverunt. Primum cœnobium virorum in honorem sancti Stephani in suburbio Cadomensi ad Olinam fluviolum, ubi antiquitus ejusdem protomartyris oratorium erat, conditum est, ea sane magnificentia, nulli ut totius Galliæ monasterio cederet, immo forte nullum tunc non superaret. Basilica amplissima quadrato lapide elegantissime constructa, ac plumbo tecta. Nec impares monachorum regulares ædes: quibus adjunctum insigne principis palatium, integrum adhuc perstans post furorem Calvinistarum, qui basilicam & monastica ædificia subruerunt, integris tantum parietibus relictis, qui primæ illius fabricæ majestatem spirant. Post tantam cladem abbas sæcularis, aliique non pauci

[c] *Gemetic. lib. 7. c. 26.*

basilicam funditus evertendam censebant, ut minori sumtu alia in ejus locum substitueretur, desperantibus plerisque facultates suppetere posse ad veterem illam ecclesiam instaurandam; sed tandem vicit sanioris partis religio & pietas, Senatus Rotomagensis decreto firmata, qui abbatiæ redituum certam portionem ad hoc opus seponendam sanxit. quod re ipsa exsecutioni demandatum est. Nunc solæ monachorum ædes & officinæ restituendæ restant: quod a nostris jam fieri cœptum est. Tantæ principis in condendo cœnobio magnificentiæ, in ipso dotando accessit munificentia haud impar. Tantæ enim opes & possessiones eidem collatæ sunt, quantæ centum ac viginti monachis alendis sufficerent. Mitto alia non modo basilicæ, sed totius monasterii decora & ornamenta; sacram supellectilem, reliquias sacras, in primis sancti Stephani protomartyris, quibus ornata est sacra illa domus. Atque ut nihil ad ejus amplitudinem deesset, eam privilegiis, cum apostolicis, tum regiis, piissimus princeps muniri curavit, ut in consequentibus videbimus, quantum propositi nostri ratio ferre poterit.

ANN. CHR. 1063.

XXVI. Lanfrancus S. Stephani abbas.

Ad instruendum, informandumque monasticis institutis novum hoc monasterium non alius aptior visus est, quam Lanfrancus, Beccensis tum prior & scholarum magister, cujus consiliis Willelmus princeps regebatur. Verum quo minus ille hanc curam subiret, obstabat non tantum ipsius Lanfranci voluntas, ab omni dignitatum cupiditate prorsus aliena; sed etiam Herluini abbatis interc ssio, cui Lanfranci consilia & opera necessaria erant. Hic quippe ante triennium, eodem Lanfranco impellente, monasterium e loco humido & male-sano ad salubriorem transferre cœperat. Necdum tunc completa erat sola nova basilica, ad cujus fabricam Lanfrancus ea, quæ accipiebat a scholaribus, abbati ad hoc opus conferebat. At vicit demum utriusque animum ducis auctoritas, qui Lanfrancum surgenti apud Cadomum novo cœnobio præfici voluit. Becco itaque egrediens Lanfrancus, unum illinc secum eduxit, Radulfum nomine, monastico nuper habitu indutum, sed necdum professum: qui processu temporis apud Cadomum, ubi professionem emiserat, factus prior, postremo abbas in Anglia monasterii de Bello exstitit, quod Willelmus parto regno exstruxit eo in loco, ubi Heraldum regni invasorem devicerat. Statim atque Cadomum advenit Lanfrancus, mox eo ad conversionem accedere cœperunt complures viri nobiles & optimi clerici: quos inter Willelmus, cognomento Bona-anima, Radbodi postea Sagiensis episcopi filius, canonicus & archidiaconus Rotomagensis, qui post Lanfrancum Cadomensi monasterio præfuit, postmodum Rotomagensis archiepiscopus creatus, cum habitum monasticum Cadomi induisset, missus est Beccum, ut *ordinem* seu disciplinæ regularis normam illic addisceret, propterea quod novella illa colonia necdum novitiis instituendis par esset. Illius Willelmi cum primis amicus & familiaris in sæculo fuerat Gundulfus, nobilis Vilcassinus, & ipse monachus Beccensis, ac demum Roffensis episcopus, quem Lanfrancus in Cadomensi regimine adjutorem habuit.

XXVII. Alexandri papæ ad eum litteræ.

Ubi Lanfrancum Cadomensi monasterio præesse intellexit Alexander papa, ejus olim discipulus, litteris ei gratulatus est, simulque locum illum ejus rogatu sub patrocinio & tutela sedis apostolicæ admisit. Literæ pontificiæ sunt ejusmodi.

Carissime fili Lanfranc abbas, quia in tantam te excrevisse religionem cognoscimus, ut non solum de propria salute studiosus exsisteres, verum etiam communem vitam eligentibus monasterium construeres, ac formam religionis provideres; inclinati precibus tuis, monasterium tuum, quod Cadomi construitur, sub tutela & defensione apostolicæ sedis recipimus, & omne jus ipsius monasterii ad sollicitudinis tuæ, tuorumque successorum studium decernimus pertinere.

Hoc primum est Cadomensis illius monasterii privilegium, quod Alexander ipse, aliique subsequentes pontifices confirmarunt, & amplificarunt.

XXVIII. Anselmus Becci prior.

Lanfranco itaque ad illam præfecturam assumto, in locum prioris ab Herluino abbate apud Beccum suffectus est Anselmus, post tres scilicet annos, quam habitum monasticum induerat: quo in munere totum se spiritualibus studiis, orationi, lectioni, jejuniis, & instituendis tironibus addixit. Movit nova hæc dignitas nonnullorum invidiam, qui eum sibi præponi ægre ferebant, quem secundum conversionis ordinem postponendum esse existimabant. Præ ceteris unus fuit Osbernus, alias bonæ spei juvenis, ingenio sagax, & ad varias artes idoneus, qui suum in Anselmum rancorem dissimulare non poterat. At sic eum blanditiis ac piis officiis demulsit

ANN. CHR. 1063.

Anſelmus, ut eum non modo a ſua ferocitate revocaret, verum etiam totum ſibi addictum, ad quodcumque vellet, pro nutu flecteret. Jam ad res optime gerendas comparatus erat Oſbernus, cum letali morbo corripitur. Videres tunc pium patrem ſedulo ei aſſiſtere, omnia caritatis officia exhibere. Conſimilia eidem quoque mortuo ſtudioſe impendit, quippe qui miſſam integrum annum pro ejus anima celebravit, & miſſis circumquaque litteris pro ejus animæ refrigerio preces fieri curavit. Ex eo tempore omnes & ſinguli Anſelmo ex animo ſe ſubdidere, in ejus benevolentiam Oſberno ſuccedere cupientes. Etſi vero ejus cura & ſollicitudo ad omnes extenderetur, junioribus tamen & adoleſcentibus majorem diligentiam adhibebat, ut in eis ſuccreſcentem vitiorum ſobolem exſtirparet, eorumque teneris animis virtutum ſemina inſereret. Comparabat quippe ceræ adoleſcentis ætatem, » quæ ad informandum ſigillum aptiſſime temperata eſt. Nam ſi cera, inquiebat, » nimis dura vel mollis fuerit, quod pueris ac ſenibus aptabat, ſigillo impreſſa ejus » figuram in ſe nequaquam ad plenum recipit: ſi vero duritie ac mollitie temperata, quod adoleſcentibus convenit, tunc ſigilli formam integram exprimet. Sic ille plura in hunc modum diſſerebat.

XXIX. S. Trinitatis monaſterium Cadomi.

Jam vero Cadomum nos revocat Mathildis Willelmi ducis conjux, quæ illo non minus liberalis fuit in condendo virginum monaſterio, prout a Nicolao pontifice ipſi injunctum fuerat. Hoc in opere adjutorem habuit ipſum Willelmum, atque ambo inſigne illud ſanctimonialium Benedictinarum cœnobium conſtruxerunt, quod in altero Cadomi ſuburbio hactenus floret, ſanctiſſimæ Trinitati ſacrum. Perfectum fuiſſe videtur iſtud ante ſancti Stephani monaſterium, cujus baſilicæ dedicatio longe ſerius facta eſt, anno ſcilicet M LXXVII. cum alterius anno M LXVI. facta memoretur. Eadem utrique monaſterio libertas, eademque privilegia conceſſa, annuente Odone Bajocenſi epiſcopo, ad cujus diœceſim hic locus pertinebat. Prima illius parthenonis abbatiſſa fuit Mathildis virgo illuſtris, quæ per quadraginta & octo annos monaſterium laudabiliter rexit. Quo ex monaſterio aſſumta ſit, incertum. Multas nobiles puellas ſub ſua diſciplina habuit, in his Cæciliam Willelmi ducis & Mathildis filiam, a parentibus Deo conſecratam, quæ Mathildi in monaſterii regimine ſucceſſit.

XXX. Guiberti mater Flaviacum ſecedit.

Apud Bellovacos Guiberti mater, poſt mariti ſui obitum anno fere duodecimo, apud Caſtanetum * villam ex indulgentia [a] Guidonis epiſcopi, ad quem hæc villa pertinebat, demorabatur. Verum quibuſdam viſis admonita, ad Flaviacenſe ſancti Geremari monaſterium ſecedere conſtituit, auctore in primis quodam clerico, domus ſuæ œconomo & Guiberti pædagogo, qui & ipſe monaſticam illic vitam amplexus eſt. Exſtructis itaque inibi prope eccleſiam ædiculis, pia illa matrona Caſtaneto diſceſſit, quæ villa duobus tantum millibus diſtabat ab opido Clarimontis, ubi Guibertus ſub propinquorum tutela degebat: qui etſi nullum victualium & indumentorum defectum pateretur, ſubinde tamen inopia vexabatur aliarum rerum, quæ ſine feminis adminiſtrati non poſſunt. Hæc reſciebat pia mater, dumque adeundo Flaviacum ſub opido illo tranſiret, tantis cordis lancinata eſt doloribus, ut opidum ipſum vel reſpicere intolerabile ipſi tormentum eſſet, recogitanti, quale illic pignus, quove in ſtatu filium ſibi cariſſimum illic relinqueret. Verum maternum pectus, *ne eſſet contra ſe pium*, caritate ſua Deus penetraverat; vicitque filii amorem dilectio Dei, ut ne contra ſalutem ſuam pia mater molleſcerer. Venit igitur ad Flaviacenſe monaſterium: ubi anum quamdam *ſanctimoniali habitu* indutam reperit. Ejus amicitiam, quia plurimum religionis præ ſe ferebat, ſibi conciliare ſtuduit, atque ut ſub ejus diſciplina ſimul cum illa habitaret, obtinuit. Cœpit itaque pedetentim ſenioris illius feminæ inſtitutum imitari; victus parſimoniam, cibi pauperem ac ſimplicem apparatum amplecti; linteolo & ſtramine frumentario pro molli culcitra contenta eſſe; &, cum multa adhuc niteret ſpecie, nullumque prætenderet ſenectæ indicium, ad hoc ipſa contendere, ut rugis anilibus faciem deformaret. Ad hæc defluentes crines, quos mulieres pro magno ornamento habere ſolent, crebro forcipe præcidi curabat; pullam veſtem, innumeris aſſumentis ſegmentatam, cum pallio nativi coloris gerere ſolita, & calceos præ vetuſtate pertuſos. Interim ante-actæ vitæ errata ſæpius revolvens animo, quæcumque virgo, conjugata & vidua commiſerat, *ad ſacerdotis, immo ad Dei per ipſum cognitionem examinata deducere* voluit. Poſt hæc nihilo minus peccatorum ſuorum,

* *Chatenoy.*

a *Guibert. lib. 1. de vita ſua c. 13.*

ANN. CHR. 1063.

quæ ſane haud gravia fuerant, ſemper memor, ſeptem pſalmos pœnitentiales interdiu noctuque cum gemitu ac lacrymis repetebat. Si quando vero exterorum hominum, maxime nobilium, qui ejus ſermonibus delectabantur, colloquiis intereſſe coacta fuiſſet; poſt eorum diſceſſum multa ſeveritate diſcutiebat, ſi quid futile vel otioſum in verbis admiſiſſet; vixque dici poteſt, quantas animo patiebatur anguſtias, *donec ſolitas*, ut cum Guiberto loquar, *aut compunctionis, ſeu confeſſionis attingeret undas.* Idem teſtatur ſe numquam deprehendiſſe, quantum ejus animi ſtatum attingere ſibi licuit, ejus animum in timore ſupplicii & amore Dei umquam tepuiſſe.

XXXI. Guibertus liberius vivens reſipiſcit.

Longe aliter res de Guiberto [a] tunc ſe habebat. Is enim ſui juris quodam modo factus, ſibique permiſſus, ſine patre, quippe qui diu ante obierat; ſine matre, ſine pædagogo & magiſtro, (qui enim ipſum erudierat, Flaviaci jam monachus erat) tanto diſſolutius vivere cœpit, quanto artius & caſtigatius antea vixerat. Hinc eccleſias & clericatus inſignia ridere, ſcholas horrere, conſobrinorum ſuorum laïcorum, qui equeſtribus ſtudiis imbuebantur, conſortia frequentare, ſomno denique ac nugis ita indulgere, ut ex inſolito exceſſu tabeſceret. Id ubi reſcivit pia mater, pæne exanimata defecit; idque unum remedii excogitavit, ut ejus præceptor denuo ipſum in ſuam curam ſuſciperet. quod facile a Flaviaci abbate, fratribuſque impetravit. Tunc loco præerat Garnerius abbas, ſuperius [b] laudatus, quem Guibertus avi ſui alumnum fuiſſe dicit. Is Guibertum ad ſe venientem complexus, benigne ſuſceptum benigniori deinceps ſtudio fovit. Quam ſubito mutatus ſit adoleſcens, teſtatur ipſe his verbis. *Teſtor te, horum pie diſpoſitor Deus, quia ex quo baſilicam monaſterii ipſius intravi, & monachos conſidentes pariter vidi; ex eorum contuitu tantum monachiæ concepi deſiderium, ut nullatenus deferveſceret, nec ſub quiete animus ageret, donec ſui voti ſortiretur effectum. Cum igitur ſub eodem eis clauſtro cohabitans, totum eſſe ipſorum habitudineſque conſiderans; &, ſicut ſolet a vento flamma ſuccreſcere, ita ex contemplatione eorum ſemper mens mea conformationi illorum inhians, non poterat non ardere.* Hinc abbatem flagitare cœpit, ut ſe in monachum reciperet. quod ille ad probandum adoleſcentis animum & propoſitum facere aliquamdiu diſtulit. Ex his intelligitur, diſciplinam regularem apud Flaviacenſes tunc viguiſſe.

a *id. ibid. c. 14.*

b *ſup. lib. 61. n. 67.*

XXXII. Vindocinenſis abbas cardinalis S. Priſcæ.

Hoc anno Alexander papa ſingulari privilegio Odericum Vindocinenſem abbatem decoravit, cum ei, ejuſque ſucceſſoribus ſanctæ Priſcæ eccleſiam, titulum preſbyteri cardinalis, in monte Aventino ſitam, cum dignitate cardinali, inuſitati exempli prærogativa conceſſit: ita ut quicumque legitimi Vindocini abbates eſſent, iidem Romanæ eccleſiæ hujus tituli cardinales cenſerentur. Alexandri hæc verba ſunt in diplomate ad Odericum abbatem, quod integrum in Appendice referemus. *Concedimus etiam omnibus hujus loci abbatibus eccleſiam beatæ Priſcæ cum dignitate cardinali; ſancti Spiritus judicio decernentes, ut nulla deinceps eccleſiaſtica ſæculariſve perſona prædictam beatæ Priſcæ eccleſiam ſeu eccleſiæ dignitatem eis auferre qualibet occaſione præſumat.* Eodem diplomate pontifex confirmat libertatem, privilegia, & poſſeſſiones ejuſdem monaſterii. *Datum Laterani per manus Petri ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubdiaconi atque cancellarii, vice domni Annonis Colonienſis archiepiſcopi,* VIII. *idus Maii, anno ſecundo Alexandri ſecundi papæ, ab incarnatione Domini* M LXIII. *indictione prima.* Eamdem eccleſiam cum dignitate cardinali eidem Oderico Gregorius VII. confirmavit. Tempore ſchiſmatis Guibertini, eccleſia hæc Vindocinenſibus, quod partes illas averſarentur, ademta, atque ad alios tranſlata eſt. Goffrido abbati eam reſtituit Urbanus II. Sed cum forte res effectu caruiſſet, idem Goffridus apud Paſchalem & Calliſtum ſatis egit, ut hic titulus ſibi reſtitueretur. Id præſtitit re vera Calliſtus, quod Honorius II. confirmavit. Poſtmodum, cum illa eccleſia Vindocinenſibus iterum ademta fuiſſet, Hamelino abbati ab Innocentio III. denuo reſtituta eſt, ſed cum hac exceptione, ut ipſe quidem, ejuſque ſucceſſores abbates priſtinam cardinalis dignitatem, ejuſque inſignia cum ſanctæ Priſcæ eccleſia perpetuo retinerent: at, ſi quando alii ejuſce tituli cardinales crearentur, his parerent, quartamque proventuum partem penderent ii, qui illam eccleſiam pro Vindocinenſibus adminiſtrarent. Hæc fere Sirmundus in notis ad Goffridum, quæ pro nata occaſione in progreſſu horum Annalium fuſius exponentur. Porro prædictæ eccleſiæ adjunctum erat monaſterium, abbatiæ ſancti Pauli ſubjectum, quod Hildebrandus ejus rector Vindocinenſibus itidem attribuit, ut paullo poſt videbimus.

ANN. CHR. 1063. XXXIII. Bairiacensis cella Majori-monasterio asserta.

Hoc ipso anno gravis controversia ventilata est inter monachos Majoris-monasterii & Rothonenses de cella Bairiacensi *, quam utrique sui juris esse contendebant. Sita est hæc cella in Britannia, & quidem in diœcesi Namnetensi, inter Clenam & Semenonem fluvios, ejusque ecclesia Salvatori dicata. Citatus hac de re a Rothonensibus Albertus Majoris-monasterii abbas ad placitum Quiriaci episcopi Namnetensis, obtendit imbecillam senectutem, ne tam longe progrederetur. Ejus itaque ætati condescendens episcopus, urbem Andecavorum ad causam agitandam indixit. Illic adfuit Albertus, moxque placitum in principe ecclesia habitum v. *idus Februarii, anno ab inc. Domini* M LXII. *indictione* I. adeoque M LXIII. secundum novum calculum; præsidente Quiriaco episcopo, præsente quoque Otbrando S. Albini abbate, cum multis clericis & monachis. Principio questus est Almodius Rothonensis abbas de Alberto abbate, quod Bairiacensem invasisset ecclesiam, quam antecessori suo abbati Cavallonio ac Rothonensibus monachis a nobili quadam femina, Innoguendi nomine, ejusque filio Brieno jam defuncto, primo donatam fuisse asserebat: at nullas ejus rei litteras proferebat. Interrogata hac de re Innoguendis, » quæ illic aderat, respondit, nulli se umquam, ejusve filium, quam sancto Martino ac » Majori-monasterio hanc donationem fecisse. Se quidem, cum abbatiolam illic construere vellet, a Cavallonio abbate, utpote viciniore, postulasse unum e suis monachis, qui operi præesset; sed, cum ad id inutilis videretur, ad suum monasterium » remissum fuisse; eoque sic amoto substitutum Johannem quemdam sancti Melanii » monachum, qui pariter ob imperitiam dimissus sit; ac demum saniori consilio se » decrevisse, ut ibidem cellam Majoris-monasterii faceret, quam quidem Alberto « abbati, ejusque monachis donatione legitima se tradidisse asserebat. quod sollemni » sacramento, vel etiam ferri-candentis judicio probare parata esset. Accepta conditione, dies ad tertium kal. Julii ad id præstandum in curia Namnetensis episcopi præfixus est, ut Rothonensibus spatium ad perquirenda suæ causæ subsidia daretur. Præsto adfuit mulier ad præfixum diem, parata ad rem, ut pollicita erat, asserendam. Nulli pro Rothonensibus testes, nulla causæ adjumenta. Itaque hi victi, victores exstitere Majoris-monasterii monachi: sed tamen huic sententiæ non acquievere Rothonenses; immo eamdem causam denuo sub tribus Alberti abbatis successoribus, tum in variis synodis, tum apud Stephanum cardinalem & legatum, tum apud ipsos Romanos pontifices sæpius persecuti sunt, at semper victi Rothonenses: sed tandem pacis firmandæ causa, Majoris-monasterii abbas Herveus Rothonensibus quamdam terram cessit coram Gerardo Engolismensi episcopo & apostolicæ sedis legato. Ubi advertere licet, quam inflexibilis sit contentionis pertinacia, ubi semel indociles animos invaserit. Prædictum placitum apud Namnetas habitum est præsente Quiriaco Namnetensi episcopo, Rainaldo episcopo *de sancto Maxloo* seu Maclovio, Debidanono abbate sancti Gildasii, multisque clericis & laïcis. Prædicta Innoguendis seu Ingoguendis mater erat Brientii militis, domini castri Bairiaco proximi, quod ab ejus nomine Castrum-Brientii * appellatum est. Hic a matre sua impulsus, Majoris-monasterii monachis Bairiacum cessit, ea conditione, ut ipsius pater Tennarius, uti & mater, atque conjux Adeleudis, eorum precibus adjuvarentur. Hic prioratus ad nostrum usque tempus conventualis fuit.

* *Chateau-Briant.*

Dolenses & Navenses abbates.

Per id tempus discidium fuit inter episcopum Namnetensem & Dolenses pagi Bituricensis monachos, multumque damni ab episcopo passi sunt Dolenses. Re ad Alexandrum II. relata, definitum est a pontifice in concilio, ut episcopus abbati Raimundo & monachis prius redintegraret damnum omne, quam causa ipsa expenderetur. Id factum videretur anno superiori, si certum esset Raimundum abbatem ejus loci tertium-decimum obiisse hoc anno [a], ut legitur apud Labbeum [b] in brevi chronico Dolensi. at serius eum devixisse patebit ex iis, quæ inferius [c] dicturi sumus.

a *V. lib. 52. n. 43.*
b *Labbe to. 1. bibl. p. 316.*
c *lib. 63. n. 12.*

Humberto Navensi [d] apud Biturigas abbati successit Odo, cujus tempore, id est Philippi regis anno quarto, Navensibus Capella-Gillonis cum suis adjunctis restituta est ab Humbaldo & Gilone Borboniis, eorumque matre Agnete, pro anima patris sui Archembaldi majorumque suorum, qui hanc ecclesiam diu injuste tenuerant, servato sibi jure sepulturæ in prædicta ecclesia, vel in Navensi seu sancti Sulpicii basilica, modo intra leucas triginta obiissent. Hujus restitutionis causa Odo abbas & monachi anniversaria illorum Borboniorum se facturos promiserunt, eo

d *V. lib. 58. n. 24.*

ANN. CHR. 1063.

pacto, ut corpus seu reliquias sancti Jacobi confessoris & eremitæ, qui hunc locum olim incoluerat, inde non auferrent. Odone abbate, & quidem anno tertio-decimo Philippi regis, Rogerius de Coldredo filium suum obtulit Deo in illo monasterio, cui prædia quædam contulit retento sibi ibidem jure sepulturæ, si intra triginta leucas obiisset. Leviusculum est, sed tamen haud omittendum, quod, lite suborta inter Odonem abbatem & Theobaldum militem, qui homines seu subditos sancti Sulpicii apud Munetum dire vexabat, in id tandem conventum est, ut aliquis ex parte sancti Sulpicii cum forti balista a capite & aditu ecclesiæ ejus loci, tum a latere « dextro ac sinistro sagittam emitteret; & eo loco, quo sagitta emissa caderet, crux « defigeretur in signum illius ecclesiæ *salvationis* seu immunitatis: ut quicumque intra « terminos præsignatos habitaret, liber & immunis esset ab omni servitio & exactione Theobaldi. Actum tempore Philippi regis, mense quo cepit Rodulfus castrum de Eritione, qui Rodulfus alibi vocatur dominus castri Exoldunensis.

XXXIV. S. Stephani ecclesia Nivernensis, olim puellare monasterium.

Apud Nivernum olim sanctus Columbanus Luxovienses abbas monasterium sanctimonialium in honorem sancti Stephani exstruxerat, ubi marmoreum altare [a] consecrasse dicitur, ipsamque ecclesiam marmorearum pyramidum compositione decorasse. Verum processu temporis, partim vetustate, partim incendio, aliisque cladibus hæc ecclesia in eum statum redacta erat, ut vix parietes superessent. Tam miserabili ejus statu tactus Hugo episcopus, eo nomine secundus, agente in primis Hugone nepote suo, Nivernensis ecclesiæ decano, qui illius ecclesiæ mediam partem a Willelmo comite in beneficium tenebat; favente etiam eodem Willelmo, regali genere orto, *qui hujus loci altaria episcopali dignitate tenebat*; hanc ecclesiam canonicis, *beati Silvestri papæ Romani regulam tenentibus*, concessit, ut eam instaurarent, & divinum illic cultum restituerent. quod ratum habuit Willelmus, laude Hugonis episcopi, & domni Goffridi Autisiodorensis præsulis, necnon matris uxorisque suæ, & filii sui Raginaldi, & aliorum, qui omnes his litteris hoc anno datis subscribunt post Richerium archiepiscopum Senonensem. Quænam sit illa sancti Silvestri papæ regula, incompertum. Nec certior habetur notitia regulæ sancti Urbani papæ & martyris, quam se sectari profitebantur primi canonici regulares, qui demum vulgatam sancti Augustini regulam prætulerunt. Prædictum sancti Stephani monasterium post annos quatuor & viginti Cluniacensibus concessum est.

a *Spicil. to 6. p. 438.*

XXXV. Cluniacenses ad S. Martialem inducti.

Etsi Ademarus Lemovicensis vicecomes monasterium sancti Martialis Hugoni abbati Cluniacensi anno superiori subjicere decrevisset, idque litteris suis contestatus fuisset; non tamen ante hunc annum illuc introducti sunt Cluniacenses. quod quemadmodum factum sit, discimus ex veteri membrana, quam scriptam reliquit anonymus quidam ejus loci monachus, non bene affectus in Cluniacenses. Sic autem rem narrat. Apud Lemovicas erat quidam miles, nomine Petrus-Escauserius, Hugoni Cluniacensi abbati valde familiaris & amicus, qui Ademaro vicecomiti persuasit, ut Cluniacensibus traderet sancti Martialis monasterium, quod hactenus nulli subjectum fuerat, sed omnino liberum & absolutum a quavis ditione, ex privilegiis regum, & maxime Romanorum pontificum. Verum ea res Ademaro difficilis visa est, ob Mainardum abbatem, quem huic negotio nequaquam assensurum esse prævidebat. Dum res aliquamdiu protrahitur, contigit Mainardum abbatem ex hac vita migrare. Tum vero Petrus negotium urgere instituit apud Vicecomitem, quem ad id exsequendum facilem & promtum invenit, promisso scilicet ei equo præstantissimo, quem *Milisint* vocabant, cum multo auri pondere, si illi anonymo credimus. His promissis obcæcatus vicecomes, Hugonem abbatem cum multis ejus monachis Cluniaco clanculum evocat, eosque, ubi venerunt, in ecclesiam sancti Michaëlis, quæ juxta turrim ipsius sita erat, furtim inducit. Post ea vero, id est III. nonas Augusti, quo die sancti Stephani celebratur inventio, vicecomes sancti Martialis monachos convenit, & cum eis capitulum ingressus, amice eos de facienda novi abbatis electione admonet. Tres illi ex suis eligunt, viros genere, litteris & pietate insignes, ex quibus unum cum vicecomitis consilio sibi præfici petunt. Paullisper ad hæc subticuit vicecomes, longe alia revolvens animo. Tunc unus ex electis monachis, Gaufredus scilicet de Niolio, qui Cluniacensium adventum subodoratus erat: Non ignoramus, inquit, Cluniacenses huc adveniisse, ut nos de nostro monasterio ejiciant. verum utrum id futurum sit, mox videbimus. Tum vicecomes ira percitus, Gaufredum per vestes arripit, eumque extra claustrum

ANN. CHR. 1063. ejicere nititur. Mox diffugere omnes præter juniores, & per varia monasteria dissipati sunt; sicque introducti sunt Cluniacenses. Hi mox abbatem loco imposuerunt, Ademarum nomine, qui annis quinquaginta cum sex mensibus præfuisse dicitur, & monasterium præ omnibus aliis abbatibus nobilitasse & amplificasse, ipsumque ædificiis, ornamentis, ac libris decorasse. In his claustrum marmoreum, armarium librorum, dormitorium, infirmitorium, quod antea deerat, ceterasque officinas construxit, multasque possessiones & cellas, quas obedientias vocant, revindicavit, in quibus abbatias Vosiensem & Terracinensem sancto Martiali denuo subjecit.

Cluniaco facta donatio. * *Avignon.*

Eodem anno Berengarius & Gerberga ejus conjux, eorumque filii Rostagnus episcopus Avennicæ * urbis, Beringerius, Raymundus, & quatuor alii, sancto Petro Cluniacensi conferunt ecclesiam sanctæ Trinitatis castri Pontis-Sorgiæ cum decimis, aliisque prædiis in territorio Avennicensi, quod Willelmus comes *Provincialis*, ejusque frater Josfredus confirmarunt.

XXXVI. Pontius abbas Andaonensis. a *Velib. 59. n. 105.*

Rostagni episcopi mox laudati fit mentio in actis sancti Pontii abbatis Andaonensis monasterii apud Avenionem, qui hoc anno successit [a] Rotlando abbati, cujus depositio pridie kalendas Maii in necrologio consignatur. Pontii pater, cujus nomen uti & matris reticet vitæ scriptor, duos filios habuit, Pontium scilicet atque alterum haud nominatum. Utrumque pater, sæculum deserens, secum ad prædictum monasterium adduxit. Illic Pontius ita se gessit, ut mortuo post brevissimam præfecturam Rotlando abbati dignus visus sit qui succederet. Ejus virtus in liberandis energumenis maxime refulsit. In magna aëris siccitate, quæ omnium fructuum sterilitatem portendebat, confluente ad ejus patrocinium populo cum Rostagno episcopo, dicta missa copiosissimum imbrem, indeque fructuum ubertatem cælitus impetravit. Monachum loquacem, qui die sancto parasceves cum aliis fratribus silentium assiduum observare nolebat, increpando mutum reddidit, eidemque postera die, cum sabbato sancto missam celebraret vir Dei, dicto *Dominus vobiscum*, linguam ad respondendum resolvit. Hæc in specimen ejus virtutis sufficiant.

XXXVII. Pontius comes offert filium suum in monasterio Rodensi. b *Capitul. to. 2. p. 1552.*

Dum Petrus abbas præesset Rodensi sancti Petri monasterio, quod est situm in pago Petralatensi, ad montem, quem Rodas vocant, subtus castrum Verdariæ ad mare mediterraneum; Pontius comes [b] & uxor ejus Adalez filium suum, Petrum nomine, Deo in illo monasterio obtulerunt, facta donatione silvæ sancti Romani, cujus usum-fructum retinuerunt sub annuo censu, scilicet *receptione* seu refectione una monachorum *in die sanctæ Margaritæ*. Facta hæc donatio & traditio III. idus Julii, anno ab incarnatione sexagesimo-tertio post millesimum, Philippi regis quarto. Aldebrandus presbyter & monachus hanc chartam scripsit. Hæc ex tomo secundo capitularium.

Alia oblatio in Conchensi.

Sequitur ibidem alia oblatio alterius Petri, quem Deusdet-Terondellus tradit & commendat Deo & sanctæ Fidi, necnon Petro-Arnaldo monacho, *ut teneat & nutriat illum usque ad decem annos*; idemque ob hoc donat monachis ad decem annos » sextarium unum de quolibet modio, quem percipere debebat a monacho, qui quin- » que *condaminas* vinearum apud Clauniacum procurabat. Post illos autem decem » annos donat absolute censum illum duarum *condaminarum*, ut prædictus Clauniaci » monachus filium suum apud se retineat, ut illi semper serviat, faciendus presbyter » vel monachus, si voluerit. Tunc Bego abbas erat monasterii Conchensis.

XXXVIII. Alexander papa scribit ad Rivipullenses. c *Marca Hisp. p. 1122.*

Eodem anno Alexander papa gravem epistolam [c] scripsit ad monachos Rivipullenses, qui apostolicæ sedis protectionem ab eo petierant. Justæ eorum petitioni » annuit pontifex, eosque monet, ut professionis sanctæ propositum, quod Deo ad- » spirante susceperant, pro viribus semper custodiant, nec ab eo in alterutram partem » ullo modo deflectant. Tum vicinos episcopos, comites, principes, & magistratus » hortatur, ut Rivipullensium in omnibus adjutores ac defensores se præbeant, & » quoscumque eorum adversarios coërceant. Ad hæc ceteros monet, qui monasterii » prædia & possessiones, sive dono abbatum non satis digne præsidentium, seu inva- » sione ac violentia retinebant, quantocius restituere satagant; alias excommunica- » tioni subjiciendos. Denique districte vetat, ne ulius in posterum abbas per simo- » niam illuc introducatur. Tunc abbatia vacasse videtur.

XXXIX. S. Isidori monasterium Legionense. * *de Leon.*

Exstat Legionense * in Hispania regale sancti Isidori monasterium, quod Alfonsus V. in loco, ubi antea sancti Johannis-Baptistæ & sancti Pelagii martyris monasterium

monasterium fuerat, sed destructum, rudi opere ædificavit: at Ferdinandus Castellæ rex cum Sancia regina luteam ejus fabricam in lapideam convertit, illudque sancti Isidori episcopi reliquiis Hispali allatis, aliisque hoc anno exornarunt. Idem rex ibidem sepultus est cum multis aliis regibus, reginis ac principibus, quorum nomina & epitaphia Yepesius [a] ex Sandovallio refert. Quam magnifice ornaverit, dotaveritque hoc monasterium Ferdinandus, docet ejusdem regis diploma, ab Yepesio [b] relatum, in quo eidem loco altarium varia ornamenta contulisse dicitur, *frontale*, seu tabulam altaris superiorem, ex auro puro cum variis lapillis; item singulis altaribus tabulas ejusmodi argenteas; coronas tres aureas, quarum tertia « erat ipsius regis diadema; crucem auream, calicem & patenam ex auro, turibula « duo aurea, & aliud argenteum, & multa alia pretiosissima ornamenta. Eidem mo- « nasterio rex subjicit monasteria duo, unum sancti Juliani ad flumen Torium, « cui præerat Froila abbas; alterum sancti Felicis in Cepeda ad rivulum Samariæ. « Addit & tertium, scilicet sancti Michaëlis, quod ipse exstruxerat cum ponte in flu- « vio Estolæ in valle Ardon, in villa, quæ dicitur Vecela, quod monasterium duplex « erat, *clericorum* scilicet seu monachorum cum suo abbate, & sororum cum sua abbatissa. Facta scriptura ipso die dedicationis basilicæ prædicti monasterii sancti Isidori, id est XII. kal. Januarii, postridie quam ejus reliquiarum translatio facta fuerat, æra M CI. Subscribunt post Ferdinandum regem & Sanciam reginam Uraca eorum filia, Sancius eorum filius, & post aliquot proceres Gundisalvus abbas, Emigus abbas Oniensis, Garsias abbas sancti Petri de Arlança, Sisebutus abbas de Cardena, Dominicus abbas de Silos, Fagildus abbas Ante-altare, Brandinelus abbas Samanensis, & Froilanus abbas Compostellanus. Hoc monasterium principio excoluere monachi, dein sanctimoniales Benedictinæ: quibus ineunte sæculo tertio-decimo successere canonici regulares, translatis sanctimonialibus ad Caramvallem, ubi antea canonici illi regulares degebant.

ANN. CHR. 1063.

a *Yepes ann. 963.*

b *id. to. 5. script. 16.*

XL. Dervensibus factæ donationes.

Sigebertus auctor est, hoc anno exercitum multum ex Galliis in Hispanias ad debellandos Sarracenos profectum fuisse; sed tota regione a Sarracenis vastata, urgente fame, nulla re insigni facta revertisse. Barbastrum tamen Aragoniæ urbem ab eis expugnatam fuisse alii tradunt. De hac expeditione sine dubio intelligenda est charta Dervensis monasterii, qua Hugo quidam, *liberis parentibus progenitus, ipso tempore, quo exercitus Francorum ad obtinendas Hispanias proficiscebatur*, Brunoni abbati alodium suum apud Viridiolas *in convadium* seu pignus dedit, ea conditione, ut post curriculum sex annorum liceret illud redimere; &, si forte in Hispaniis morte deficeret, media pars alodii monasterio cederet, altera heredibus suis proveniret. « Reversus autem ille ab hac expeditione, a monachis postulavit, ut alodium suum, « quamdiu viveret, ex integro possideret: & post suum decessum, mediam ejus par- « tem eis relinqueret; alteram vero nulli, excepto sancto Petro monasterii patrono, « vendere sibi liceret. Quod si, inspirante Deo, monasticum habitum vellet susci- « pere, se ipsum cum toto alodio sanctis Dervensis monasterii traderet. Subscripta « sunt nomina Brunonis abbatis, Haimonis monachi, Odelrici monachi, & multo- « rum aliorum.

Hic Odelricus prior dicitur in alia charta, qua Witerus miles Mediolanensis castri, vir famosissimus, cum Jerosolymis reversus esset, multa bona, quibus affluentissimus erat, Dervensi contulit monasterio, ubi & monachum induit. Exstat in pago Catalaunensi juxta prædictum castrum ecclesia sancti Sepulcri, sanctique « Stephani protomartyris, quam sanctus Lupentius eremita olim condidit, incoluit- « que, antequam Brunechildis [c] reginæ jussu impie capite plexus fuisset, quamque Ro- « gerus Catalaunensis episcopus Dervensibus donavit. Illic prædictus Witerus partem « sui patrimonii, priusquam monasticum habitum indueret, Dervensi monasterio con- « cessit assensu filiorum suorum, Hugonis archidiaconi, Tetbaudi militis, & aliorum. « Ad hæc quidquid alodii apud Summos-Puteos habebat, eisdem donavit. Mediola- « nense * castrum mox laudatum nunc appendix est parœciæ de Houricuria diœcesis « Catalaunensis, de jure monasterii Cellensis apud Trecas. Eodem Brunone abbate Gaufridus miles, religione tactus, quod altare Wasciaci hactenus contra præscripta canonum tenuisset, illud Dervensibus tradit cum assensu Rogeri episcopi Catalaunensis.

c *V. lib. 7. n. 28.*

* *Molain.*

XLI. Sigiberti regis translatio.

Ex multis monasteriis, quæ Sigibertus Austrasiorum rex, Dagoberti senioris fi-

ANN. CHR. 1063.

lius, exstruxit, unum erat percelebre apud urbem Mediomatricum, sancti Martini titulo insignitum, ubi idem rex piissimus sepultus est. Illic tumulo inclusum ejus corpus jacuit ad hunc annum M LXIII. quo anno e terra levatum est, & ad dextram partem altaris beati Martini repositum. Ex eo tempore pro Sancto haberi cœpit, ejusque nomen litaniis insertum. quod cum delevisset monachus quidam, Hugo nomine, quem Sigebertus hujus translationis scriptor se vidisse dicit, incensum oblaturus diriguisse traditur, nec ante membrorum usum recepisse, quam sancti Sigiberti nomen litaniis restituisset. Quædam alia miracula refert Sigebertus: in his fratricida, ferreis de more vinculis constrictus, postquam multa Sanctorum loca frequentasset, demum ad S. Sigiberti loculum liberatus perhibetur. Hæc fusius in tomo I. Februarii apud Bollandum, ubi aliæ ejusdem regis translationes referuntur.

XLII. Einhamense monasterium conditur. a *Balderic. lib. 2. c. 45. V. Notas.*

Est locus in Belgio ad Scaldim fluvium prope Aldenardum opidum, *Iham*[a] seu *Eiham* antiquitus, vulgo *Einham* appellatus, ubi Godefridus filius Godefridi Ardennensis, ab eo loco Eihamensis dictus, cum uxore sua Mathilde, filia Herimanni Saxonum ducis, collegium canonicorum ineunte sæculo undecimo constituxit. quod postea bellis emergentibus destructum Balduinus-Pius Flandriæ comes hoc anno instauravit, & monachis Benedictinis concessit, præposito Waltero abbate ex cœnobio sancti Vedasti. Hoc monasterium hactenus supereſt sub ordine Benedictino.

XLIII. Wolfelmus abbas floret.

Florebat per id tempus Wolfelmus, apud Ripuarios agri Colonienſis & Juliacenſis populos nobili loco natus. Pater ejus Frumoldus nomine, mater Eveza, ex stirpe Sicconis illustrissimi comitis orta erat. Puer Coloniæ in majori sancti Petri ecclesia sub Heriberti archiepiscopi disciplina educatus, litterisque informatus, ubi adolevit, Treviris monasticen amplexus est in percelebri monasterio sancti Maximini, cui tunc Bernardus abbas, sancti Popponis discipulus, præerat. Ubi fama ejus Colonienſibus innotuit, eum ad se revocare tentarunt, agente Herimanno archiepiscopo, qui Pelegrino post Heribertum successerat. Tunc sancti Pantaleonis in illa urbe monasterium regebat Heinricus abbas, ipsius Wolfelmi avunculus, qui archipræsuli auctor fuit, ut litteris ad Bernardum abbatem scriptis, Wolfelmum sibi restitui postularet. Tantæ auctoritati cedere coactus abbas, Wolfelmum dimisit: quem reducem complexus Herimannus, Heinrici abbatis providentiæ commisit. Is videns nepotem suum, solitudinis amantem, urbis frequentiam aversari; eum præfecit Gladbacensi monasterio, cujus regimen ad se pertinebat. Mortuo Herimanno archiepiscopo suffectus Anno, Wolfelmum Sigebergensi monasterio ab se condito præponere voluit. at eum activæ vitæ, quæ novæ coloniæ perneceſſaria erat, expertem esse intelligens, aptiorem judicavit, qui proximæ Brunwilarensi abbatiæ, utpote solitariæ, præesset. Sed de his postea.

XLIV. Fuldenſis abbatis rixa cum episcopo Hildensheimenſi.

Dum Goslariæ natale Domini anno superiore celebraret Heinricus rex, cum ad vesperam sellæ episcoporum collocarentur, gravis contentio inter camerarios Hezelonis Hildensheimensis episcopi, & camerarios Wideradi Fuldensis abbatis oborta est. Et primo jurgiis, dein pugnis res gesta; citoque ad gladios ventum esset, nisi Ottonis ducis Bajoariorum, qui causam abbatis tuebatur, auctoritas interceſſiſſet. Talis contentionis causam ex Lamberto accipe. Consuetudo in regno erat, a multis retro temporibus apud majores observata, ut semper in conventu episcoporum abbas Fuldensis archiepiscopo Moguntino proximus assideret. Ast episcopus causabatur, neminem sibi intra suam diœceſim, in qua Goslaria sita erat, debere præferri; animatus ad hoc & opum gloria, qua præceſſores suos longe supergrediebatur; & temporis opportunitate, quod, rege adhuc puero, id se impune facturum speraret. Repressa ab Ottone duce hæc rixa, sequenti pentecoste vehementior fuit. Cum enim Goslariæ itidem festum rex celebraret, convenientibus ad vespertinalem synaxim episcopis, rursus de positione sellarum episcopalium tumultus exoritur, non fortuita, ut prius, occasione, sed præcogitata diu machinatione. Episcopus enim Hildensheimensis, acceptæ prius, ut sibi videbatur, contumeliæ memor, Ecbertum comitem cum expeditis militibus pone altare occuluerat. Hi, audito tumultuantium camerariorum strepitu, ocius advolant, Fuldenſium alios pugnis, alios fustibus cædunt, prosternunt, & de sacrario ecclesiæ inopinato periculo attonitos facile proturbant. quibus ilico ad arma conclamantibus, Fuldenses, quibus arma in promtu erant, facto grege ecclesiam

ANN. CHR. 1063.

irrumpunt; in medio chori psallentiumque fratrum manus conserunt; rem jam non fustibus, sed gladiis gerunt. Pugna atrox committitur, atque per totam ecclesiam pro hymnis & canticis sacris vociferatio adhortantium, & morientium ululatus exauditur. Episcopus Hildensheimensis, conscenso editiori loco, tamquam militari quodam classico, suos, ut fortiter præliarentur, hortabatur; &, ne loci religione ab armis deterrerentur, securos facit. Multi utrimque vulnerati, multi occisi sunt: quos inter præcipui erant Regenbodo signifer Fuldenſis, & Bero, Ecberto comiti carissimus miles. Rex inter hæc vociferans, ut cessarent nomine regiæ majestatis præliantes adjurabat. at surdis fabulam narrare videbatur. Tandem monitus a suis, ut vitæ suæ consuleret; vix inter constipatam artius multitudinem eluctatus, in palatium se recepit. Hildensheimenses, qui instructi præmeditato ad pugnam venerant, superiores efficiuntur: Fuldenses, utpote quos inermes, inopinatosque subito exortæ seditionis procella contraxerat, fusi, fugatique, atque de ecclesia expulsi sunt. Fores ilico obserantur. Fuldenses, qui primo tumultu ad arma tollenda paullo longius discurrerant, frequentes armatique adsunt: atrium ecclesiæ occupant, aciem instruunt, ut de ecclesia progressos statim adoriantur: sed nox concertationem diremit. Postera die, severissime habita quæstione coram rege, Ecbertus comes facile crimen a se removit, non tam juris & legum patrocinio, quam favore & indulgentia regis, cujus patruelis erat. Totum accusationis pondus in abbatem versum est. Hunc inquiunt omnium, quæ acciderant, caput incentoremque fuisse: hunc ad disturbandam regii conventus quietem præmeditato venisse. argumento rei esse, quod tanta copia hominum, tanta bellici apparatus pompa instructus, nullo periculi urgente metu, eo venisset. Ad hæc episcopus, qui prius in corpora ferro debacchatus fuerat, in animas gladio spiritus fulminat, tam defunctos, quam superstites, a corpore ecclesiæ præcidens. Denique abbatem, præter acerbitatem rei, quæ acciderat, odium quoque gravabat nominis monachici, quod inveteratâ malitiâ homines sæculi semper offuscare atque opprimere conabantur. Sic undique impetitus, oppugnatus, oppressus, post tot tantasque contumelias, privatus abscessisset, nisi quem lex & innocentia tueri non poterant, pecunia tutata fuisset. nam distractis ac dilapidatis rebus Fuldenſis monasterii, se suosque redemit. Quantum regi, quantum auricullariis, quantum episcopo datum sit, incompertum. Illud constat, sic ea tempestate exhaustas atque attritas, quæ florentissimæ erant, illius monasterii opes, ut prioris opulentiæ vix monimenta supereſſent. Quanto rectius illum primæ sessionis honorem litassent episcopus & abbas, quam in sacro loco interfectorum corpora suæ ambitioni sacrificassent!

XLV. Seditio monachorum in abbatem.

Abbas post hæc, accepta venia, Fuldam remeavit, super tantis calamitatibus animo fractus & pæne confectus. Sed ecce illic acerbiori propemodum rerum asperitate excipitur. Fratres Fuldenses a principio austerum ejus, & minus, quam decuit, « populare ingenium offenderant. Auxit ipse invidiam, & facem non minimam æmu- » lationis subdidit, prædia ecclesiæ militibus improbe erogando, & victualia fratrum, « priorum abbatum liberalitate statuta, minuendo. Murmurabant de his quotidie fra- « tres, & intestinis simultatibus quatiebatur monasterium. Tolerabantur tamen ti- « more magis quam amore, ne scilicet immature vulgata querimonia, favor regis & « principum eum tuerentur. At ubi nuntius acceptæ in Goslaria cladis Fuldam ve- « nit, tum vero & recentis vulneris dolore, & præteritorum memoria accensi, fre- « mere omnes, & se vicissim hortari, ut tantam temporis commoditatem divinitus « oblatam non negligerent; agendo negotio nihil præter operam industriamque suam « deesse; urgeri hominem propriis iniquitatibus ad interitum; agerent nunc singuli « pro virili portione, & se suumque monasterium liberarent acerrimo, non patre, « sed hoste, qui Fuldense nomen, cælo prius æquatum, probro nunc ludibrioque « cunctis exposuisset. Sic inflammatæ seditioni, tamquam oleum igni, additur injuria « recentior. Reginbodo, qui in illa Goslariensi congressione occubuerat, equum unum « magni pretii fratribus Fuldensibus ob recordationem animæ suæ dederat, quem « protinus abbas, ipsis inconsultis, laïco cuidam dedit. Hunc efferatis animis, in- « temperantissimis clamoribus, fratres repetunt: diu se tyrannidem ejus magis quam « dominatum servili patientia tulisse, non ultra lauros fore; redderet ocius per vim « erepta sibi alienæ liberalitatis beneficia; si cunctaretur, non jam clandestinis mussi- « tationibus se acturos, sed palam aditis tribunalibus divinam & humanam opem con- «

AN. CHR. 1063.

» tra violentiam ejus imploraturos. Abbati pondus malorum primo consilium respon-
» dendi ademerat: dein totus ad preces lacrymasque versus, orare & obtestari per
» Deum, ne, juxta vetus proverbium, ignem gladio scrutarentur, ne Goslarienſis
» contumeliæ vulnus recens adhuc, & necdum in cicatricem obductum, novis do-
» loribus exulcerarent. Memorarentur calamum conquassatum non conterendum,
» nec linum fumigans in favillas cinereſque redigendum; parcerent, si minus existi-
» mationi propriæ, at calamitati ejus & miseriæ, quæ tanta esset, ut hostibus quoque
» suis lacrymas excutere posset. se si angelus Domini persequens eum paullulum remi-
» sisset, si a tantis malis vita comite umquam respirasset, non modo ademta reddi-
» turum, sed duplicatis quoque muneribus cumulaturum.

» His, qui ætate & sensu maturiores erant, cito hæc verba satisfecerant. Sed ju-
» ventus more suo, nihil veniæ, nihil laxamenti admittebat; diu simplicitati suæ per
» mollia verba insultatum fuisse; fidem ejus, tanto tempore, tot rebus spectatam
» ultra fallere non posse; eos mores, eam improbitatem hominis esse, quicquid ur-
» gentibus in-præsentiarum malis non feciſſet, id, nisi iterum vis adhiberetur, perpe-
» tuo infectum fore. propterea se a jure suo non cessuros esse, donec ad expugnan-
» dam animi ejus duritiam, omnia divinæ, omnia humanæ opis suffragia pertentas-
» sent. Abbas diu immoratus, ubi se videt nihil supplicando agere, nec copiam sibi
» esse ad reddenda quæ exigebantur, præsertim exhaustis pæne cunctis opibus monas-
» terii, nec sufficientibus tamen ad exsaturandam ingluviem avaritiæ eorum, qui in
» Goslarienſi tumultu læsi fuerant; tandem regis jussione accersitus, ad curtim regiam
» proficiscitur, dato necessariis suis negotio, ut terroribus & blandimentis, quaqua
» via possent, efferatæ juventutis animos mitigarent: sed hoc in irritum cessit. De-
» nique post abscessum ejus, principes juventutis, quibus potissimum incensoribus
» tantum malum exarserat, totam adeunt congregationem; indicant animo sibi fixum
» esse, ut eruptione facta de monasterio, regem, ubicumque gentium reperiatur,
» perquirant, contra sævitiam abbatis ejus potentiæ patrocinium exposcant; orant-
» que, ut quibus valetudo non obsistat, secum proficiscantur: qui vero ætate vel
» morbo prægravante id non possint, scripti sui adstipulatione factum eorum corro-
» borent. Res fœda & dictu quoque horrenda visa est senioribus, fusique in terram
» per Deum precabantur, ne se & ipsum Fuldenſis spei exiguum, quod restabat,
» perditum irent; turbatam graviter Goslarienſi clade rem Fuldensem: si ipsi monas-
» terii limen ea mente excessissent, non turbandam modo, sed omnino in præceps
» ituram. Nihil illi his sermonibus moti (jam enim pertinacia in amentiam atque in
» rabiem se verterant) concite per monasterium discurrunt: invicem se ad audendum
» facinus adhortantur; & sic tandem adulta conspiratione, sedecim numero, crucem
» sibi præferentes, antiphona imposita claustris monasterii erumpunt. Sequebantur
» eos eminus majores-natu, qui sanum aliquid sapiebant, cum tanto luctu atque eju-
» latu, ac si eos ad sepulturam funebris pompa ultimum vale audituros efferret. Ita-
» que ne rei tam atrocis novitas repente nuntiata regi stuporem incuteret, unum ex
» numero suo citato, quantum poterat, equo præmittunt, qui litteras ad regem tantæ
» calamitatis indices perferat, & qua vi, qua necessitate ad hæc extrema experienda
» coacti sint, edoceat. Ipsi paullatim pedestres subsequuntur.

» Postquam nuntius eo pervenit, lectæque sunt litteræ; horror quidam perculit
» omnes, qui in palatio erant, super tam procaci facto; mirabanturque inter eximios
» & apostolicæ conversationis viros tantum flagitii potuisse reperiri, ut privatas inju-
» rias tam pessimo exemplo ulciscerentur, nec filii patris in ea potissimum calamitate
» misererentur, in qua hostes quamquam suos ad miserationem & ad lacrymas pro-
» vocare potuisset. Placuit itaque omnibus insigne hoc facinus insigni aliquo exem-
» plo vindicari. Tum rex concilio usus Colonienſis archiepiscopi & Ottonis ducis Ba-
» joariorum, quorum tunc arbitrio respublica administrabatur, præcepit, ut ipse
» bajulus litterarum cum aliis tribus, qui auctores seditionis fuerant, per diversa mo-
» nasteria in custodia habendi mitterentur. Ad compescendam vero ceteram multi-
» tudinem, quoniam nec spiritu lenitatis, nec virga monasticæ correptionis sanari
» potuissent, abbas militari manu uteretur. Tunc abbas missis obviam militibus, sine
» vi & tumultu eos Fuldam reduci jussit, & extra monasterium, custodibus adhibi-
» tis, suum præstolari reditum. Ipse quoque regi vale facto, eos e vestigio est subsecu-
» tus. Ibi collectos fratres, & primos militum Fuldensium diu ea consultatio tenuit,

laïcorum an monachorum judicio in eos animadverti oporteret. Vicit ea sententia « AN. CHR.
quæ censebat eos, qui excusso jugo regulæ, contemto abbate, per contumaciam « 1063.
egressi, & necdum in monasterium recepti essent, laïcorum potius lege judican- «
dos fore. Ita abbas laïcorum jurisdictionem secutus, duos ex eis, alterum presby- «
teratus, alterum diaconii honore insignes, jussit publice virgis cæsos & attonsos «
expelli: reliquos multis plagis maceratos, per vicina monasteria alium alio trans- «
misit. De singulis tamen non pro modo culpæ, sed pro natalium suorum claritate «
vel obscuritate mitius vel atrocius sumtum supplicium est. Viderit abbas, an vi do- «
loris impulsus injurias suas acerbius, quam decuit, vindicando modum forte excес- «
serit. Id constat, inustam esse ea tempestate maculam Fuldensi monasterio, quæ «
longa forsitan succedentium temporum serie ablui & extergi non possit. Hæc ipsis «
Lamberti verbis referre visum est quoddam operæ pretium, ut omnes intelligant,
quantas in angustias se conjecerit, qui tanto fragore, tantoque sumtu honorem
sibi competentem propugnaverit; & quousque proruperit male-sanum ac temera-
rium juvenum consilium, qui seniorum sententiæ acquiescere, eorumque modera-
tionem sequi, sed in suum caput, præfracte detrectaverint.

XLVI. Abbas Cantuariensis mitra donatus.

In Anglia Cantuariense sancti Augustini monasterium regebat Egelsinus, qui Wlfrico ante quatuor annos successerat. Hic Egelsinus [a] ad papam Alexandrum hoc anno missus, primus inter illius monasterii abbates ab eodem pontifice mitra & sandaliis donatus est, ob ipsius Romanorum alumni & Anglorum apostoli Augustini dignitatem. Hac prærogativa ipse Egelsinus in Auguſtinensi ecclesia aliquamdiu usus est: sed præ timore novi regis Willelmi Conquæstoris abbatia cedere coactus, successori jura sua reliquit. Successores tamen ejus, tum propter simplicitatem suam, tum propter archiepiscoporum infestationem, his pontificalibus insignibus usi non sunt usque ad tempora Rogerii abbatis eo nomine primi, ut suo loco dicetur.

a *Script. x. p. 1785.*

XLVII. Fructuariæ abbates.

Post Supponem abbatem, de quo superius [b] non semel actum est, Fructuariense monasterium hoc tempore administrabat Albertus, eo nomine secundus, qui cum Alberto Eporediæ episcopo [c] quasdam decimas & possessiones atque jura permutavit. Ejusdem gratia Heinricus IV. castra Gamundi & Marengi in diœcesi tunc Aquensi, nunc vero Alexandriæ, ac locum Rivi-torti eidem abbatiæ largitus est. Eidem Arduinus comes Castrimontis, alterius Arduini comitis filius, Arduinique regis pronepos, quædam etiam prædia donavit. Denique Alexander II. rogatu Agnetis imperatricis, quæ monasterium illud invisserat, & Annonis Colonienſis archiepiscopi, privilegia illius abbatiæ comprobavit. Ipse porro Albertus abbas ecclesiam sancti Secundi in Ripa-rubea in prioratum erexit, ibique duodecim monachos sub priore constituit. Idem ab Adalasia comitissa, filia Manfredi marchionis Secusini, tertiam partem castri Brandisii comparavit. Alberto abbati successit Ubertus seu Guibertus, factus postmodum episcopus Eporedienſis, cujus rogatu Urbanus II. dum Astæ versaretur, ampla eidem loco privilegia indulsit. Conradus, Uberti ex fratre nepos, ejusdemque in abbatia successor, Almeo abbati locum fecit exeunte sæculo undecimo.

b *V. lib. 59. n. 43.*
c *Chronol. Pedem. p. 264.*

ANN. CHR. 1064. XLVIII. Alexander papa confirmatur.

INsequente anno M LXIV. cum dissensio inter Romanos de pontificatu perseveraret, causantibus Romanis, quod rex eis inconsultis Cadaloum Parmensem in Romana sede constituisset, & ob eam injuriam defectionem molientibus; placuit Annonem Colonienſem archiepiscopum Romam mitti ad illam seditionem compescendam. Is eo adveniens, non aliud turbatis rebus opportunius remedium invenit, quam ut ordinationem, quæ inscio senatu Romano facta erat, irritam declararet, & Anselmum Luccensem episcopum seu Alexandrum II. pro legitimo pontifice haberet. Hæc compendio retulit Lambertus, quæ in synodo Mantuæ hoc anno habita consummata fuisse ex aliis constat. Sic exclusus fuit pontificatu Parmensis, tametsi usque ad finem vitæ, quæ hominis obstinata ambitio erat, papæ nomen & auctoritatem sibi retinere conatus est. Ad illud concilium invitatus ab Alexandro Petrus-Damiani, adesse supersedit, ut intelligitur ex ejus opusculo XXIII. de brevitate vitæ Romanorum pontificum, Alexandro ipsi nuncupato, quem a Mantuano concilio revertentem, & finitimis Avellani monasterii finibus propinquantem cum hoc opusculo convenit, ut eum, quod invitatus concilio defuisset, placare conaretur.

ANN. CHR. 1064.

Causam vero brevioris vitæ plerorumque pontificum, de qua olim ipsum interrogaverat pontifex, hanc esse putat, ut humano generi metum incutiat Deus, & quam despicienda sit temporalis vitæ gloria, in ipso gloriæ principatu evidenter ostendat: *quatenus, dum præcipuus hominum tam angusti temporis compendio moritur, tremefactus quisque ad præstolandi sui obitus custodiam provocetur; & arbor humani generis, dum cacumen ac vertícem suum tam facile corruisse considerat, flatu concussa formidinis in suis undique ramusculis contremiscat.* Alias eodem anno ad diversos epistolas scripsit Petrus, quas a Baronio partim relatas invenies.

XLIX. Ejus epistola pro Corbeiensi immunitate. a *Alexand. epist. 19.*

Hoc ipso, ut videtur, anno Alexander papa epistolam scripsit [a] Gervasio Remorum archiepiscopo, cui significat, se privilegia cœnobii Corbeiensis, ab antecessoribus suis antiquitus instituta, confirmasse, suoque edicto roborasse, quod ab
» ipso Gervasio observari, atque executioni demandari postulat. Ceterum se mirari,
» Gervasio videri prædicta privilegia dissentire ecclesiastico canoni: cum constet apud eum, *alias esse leges ecclesiarum, quæ sunt generales; & alias esse eas, quæ specialiter in privilegiis quibusdam prærogantur ecclesiis ad immunitatem, ne quorumlibet importunitate patiantur inquietudines.* Denique se causam, quæ summa & principalis erat inter episcopum & abbatem, canonice in concilio discussisse, ac terminasse; eumdemque episcopum sibi & sanctæ sedi apostolicæ coram episcopis satis fecisse. Insuper mandat pontifex, ut cetera, de quibus conqueritur abbas, audiat Gervasius; &, si episcopus ordinationes & chrisma Corbeiensi deneget monasterio, ei archiepiscopus concedat. Huc revocanda sunt, quæ superius [b] de illa controversia diximus.

b *supra lib. 61. num. 110.*

L. Concordia cum episcopo Ambianensi.

Post hæc episcopus concordiam iniit cum Corbeiensibus, accepta a Fulcone abbate pro vitæ suæ tempore possessione quadam Corbeiensis monasterii, quæ vocatur *Nawis*, ejusque appendicibus, ut patet ex chirographo, quod Fulco abbas hac de re confecit. In hoc chirographo notum facit, Widonem Ambianensem episcopum ad Corbeienses veniisse, eorumque expetiisse amicitiam: suam vero gratiam eis prærogasse, & in omnibus consilium & auxilium, quantum in ipso esset,
» pollicitum fuisse. Postulasse porro sibi prædictam possessionem sub annuo censu ad
» vitam concedi; quæ post ipsius obitum cum emolumentis augmentisque ad eos re-
» verteretur, cum altari ejusdem villæ, ut cella esset, sicut antiquitus. Hanc au-
» tem conventionem se bis per annum in duabus synodis renovaturum. *Actum Corbeiæ* VI. *kal. Septembris, indictione* I. *epacta* XI. *concurrente quarta, anno ab incarnatione Domini* M LXIV. Huic chirographo subscribunt post Fulconem abbatem Corbeienses monachi, numero XLVII. necnon testes clerici & laïci quamplures. *Odolricus cogente abbate scripsit.* Hoc unum est ex antiquioribus chirographis, cujus duo exempla in eadem membrana, *chirographi* interposito vocabulo, descripta sunt, ut suum cuique parti exemplum, secto per medium *chirographi* nomine, traderetur. Paullo post idem Wido, postulante Fulcone abbate, altare Ciriaci * Corbei-
» ensibus *ob indulgentiam* suæ *transgressionis* concessit assensu Rotberti archidiaconi
» & canonicorum suæ ecclesiæ, ita tamen, ut illud altare duo semper clerici perso-
» naliter susciperent, quorum alteruter bis per annos singulos ad synodos iret, &
» synodales consuetudines persolveret.

* *Ceriss.*

LI. S. Sepulcri cœnobium Cameraci conditur.

Apud Cameracum sancti Sepulcri monasterium hoc tempore conditum est a Lietberto episcopo. Occasio nata est ex devotione, qua pius ille antistes affectus erat in loca sancta, & maxime in sepulcrum Domini, quod in Palæstinam profectus, lustrare non potuit ob regem Babylonis, qui christianos ab aditu ecclesiæ sancti sepulcri arcebat. Reversus in patriam, monasterium in honorem sepulcri dominici exstruere constituit extra muros Cameraci eo in loco, ubi decessor ejus & propinquus Gerardus episcopus oratorium cum cœmeterio pauperum paullo ante ædificaverat. Illic monasterium construere cœpit Lietbertus, cui operi exsequendo cooperatores ac ministros adhibuit viros pios & industrios, Walcherum archidiaconum, & Erleboldum judicem civitatis, quos in Jerosolymitano itinere comites habuerat. Ædificato monasterio, ecclesiæ dedicatio facta VIII. kal. Novembris anno M LXIV. ibique constituti abbas & monachi, qui instar sanctarum mulierum ad sepulcrum Domini excubantes, non jam mortuo, sed in cælis regnanti mystica orationum unguenta exhiberent. Huic consecrationi ut testaretur Christus Dominus se favere, per totum noctis, quæ dedicationem præcessit, spatium, sphæra

lucis in modum coronæ cælitus emissæ super monasterium conspicua fuisse traditur. Sed ne monasterium extra urbis ambitum remaneret, producta sunt ad illum locum mœnia, ut illud urbi ornamento esset, & monachi tutiores. Primus loco præfectus est Walterus abbas, qui vetus illud oratorium, quod a Gerardo episcopo exstructum diximus, instauravit, auxitque, & in memoriam sancti Nicolai dedicari curavit. Idem Lietbertus Novum-castellum & abbatiam sancti Andreæ, atque cœnobium sancti Humberti, quod Maricolas vocant, beneficiis suis fovisse, & extulisse perhibetur. Sane in reditu ex itinere Jerosolymitano, prius quam Cameracum veniret, ad Novum-castellum venit, tum ad sancti Andreæ monasterium una cum Fulchero, qui meritis sancti Andreæ Laodiciæ ab imminenti interitu ereptus, se ipsum ad altare sancti Andreæ servum consecravit cum duabus unciis auri purissimi; atque in perennis servitutis monumentum, filium suum Fulconem Deo ibidem obtulit; eoque monacho facto, magna eidem loco donaria contulit. Hæc ex libro de vita Lietberti, auctore Rodulfo monacho, dein abbate sancti Trudonis, edito in Spicilegii tomo nono.

ANN. CHR. 1064.

LII. Celebris peregrinatio ad loca sancta.

Mirum est quantus fuerit eo tempore christianorum ardor ac studium adeundi sacra illa loca, quæ Christi Domini passione consecrata sunt. Exemplo sit ingens illa multitudo, non modo laïcorum, sed etiam episcoporum, maxime ex Germania, qui *ad septem-millia* simul iter illud hoc anno aggressi sunt. Horum principes ac duces fuere Sigefridus Moguntinus archiepiscopus e nostris, Willelmus Trajecti ad Rhenum, Guntherus Babenbergensis, atque Otto Ratisponensis episcopi. His adjuncti sunt ex Nortmannia homines, numero triginta: quorum unus erat Ingulfus, Anglus natione, domo Londonensis, tunc scriba Willelmi ducis Nortmannorum, postea Fontanellæ monachus, ac demum Crulandæ abbas, qui historiam sui monasterii scripsit, in qua istius peregrinationis meminit. Omnes autumnali tempore ad illud iter se se accinxere majori pompa & apparatu, quam decuisset. quod illis maxima pericula attulit, attulissetque extremam perniciem, nisi rem, humana temeritate prolapsam, divina protectio restituisset. Longum esset omnia illius itineris discrimina singillatim percensere. Hæc videre licet apud Lambertum, qui omnia diserte refert. Cum in fines Sarracenorum, paullum ultra urbem Ramulum progressi essent, proxima parasceve ante pascha incursionem passi sunt ab Arabicis, qui, comperto tam insignium virorum adventu, undique ad spolia diripienda frequentes, armatique confluxerant. Primo congressu multi e nostris prostrati, plagisque confecti; in his Willelmus Trajectensis episcopus brachio pæne debilitato, seminudus relictus est. Ceteri declinant ad proximam villam: ubi domum inveniunt cum cænaculo satis edito, fragili maceria sæptam. Superiora Moguntinus & Babenbergensis cum clericis; alii episcopi inferiora occupant: laïci omnes ad arcendam vim hostium impigre ac strenue discurrunt. Horum impetum cum Arabes sustinere non valerent, eos obsidere, & inedia conficere statuunt. Et quoniam ad duodecim circiter millia istuc conglobati erant, alii aliis ad oppugnationem succedentes, nullam obsessis respirandi copiam faciebant. Denique nostri, die tertio labore & inedia exhausti, se se barbaris dedere constituunt, Deo sortem suam committentes. Hoc intellecto, dux Arabum cum septemdecim e suis honoratissimis in illam domum admittitur. Rogatus a Babenbergensi, ut, omnibus rebus suis sublatis, nudos se abire sineret, respondit, se suosque non sine grandi damno jam triduo exercitos, eorum spoliis contentos non esse, nisi eorum quoque carnes ederent, & sanguinem biberent. Nec mora, injecto linteo in collum episcopi involat. Ille, pugno graviter inflicto, hominem ad pavimentum prosternit. Protinus alii clerici & laïci in ducem, ejusque socios irruunt, eosque non sine sanguinis effusione loris constringunt, sublato clamore, vocatoque in auxilium omnipotente Deo. Tanto strepitu perculsi Arabes, suspicati, quod res erat, de suis principibus sumtum supplicium; infestissimis animis prœlium redintegrant, & confertim in domum perrumpere connituntur. Et quidem res acta foret, nisi nostri, mature concepto consilio, vinctos principes obsidentium sagittis & armis objecissent, speculatore super capita eorum gladium vibratum tenente, ac vociferante per interpretem, nisi ab oppugnatione abstinerent barbari, non armis se adversus eos, sed principum capitibus dimicaturos. Tum principes ipsi suos rogare & obtestari, ut ne adversarios in suum exitium

ANN. CHR. 1064.

ulterius lacesserent. Interim nuntius Ramulo ad christianos accurrit, propere adfuturum illius urbis rectorem cum multis copiis ad ipsos liberandos. quo audito, diffugêre Arabes; moxque rector ipse adfuit, qui, licet paganus, nostros benigne accepit, actisque eisdem gratiis, quod prædones illos tam belle excepissent, horum principes ad Soldanum puniendos misit; acceptaque a christianis moderata pecunia, dato eis expeditorum juvenum præsidio, ne quid molestiæ deinceps paterentur, eos Jerosolymam usque perduci jussit. Illic a Sophronio patriarcha sollemni pompa excepti, postquam sacra loca devote perlustrassent, tandem ad propria quique, Roma obiter lustrata, reversi sunt, sed numero longe pauciores, quam e patria discesserant. nam ex numero septem millium amplius virorum, vix bis mille superstites rediere; & ex triginta equitibus Normannis, vix viginti pedites, macie confecti, reversi sunt.

LIII. Theodericus abbas Romam adit nudipes.

Haud impar fuit hominum piorum fervor pro peregrinatione ad limina Apostolorum. Hoc desiderio pulsatus Theodericus Andaginensis abbas, Romam nudipes adire constituit. Virduni a Theoderico episcopo & a majoribus urbis, maxime ab Ermenfrido piissimo canonico acceptus multo caritatis affectu, eorum hortatu calceatus paullo longius ab urbe processit: at, detractis postea calceamentis, Romam perrexit, comitibus suis, qui neglectum tantorum virorum præceptum causabantur, respondens, non fuisse definitum tempus & locum, quousque calceatus iret. Non eum præacutæ & incidentes petræ, non alpinæ nives, non aspera montium juga, non denique ullæ temporum injuriæ aut difficultates, nedum comitum preces, propositum ejus convertere potuerunt. Ubi devotioni suæ, lustrandis Romanæ urbis basilicis fecit satis, ab Alexandro pontifice paterne exceptus, & familiari colloquio usus est: postremo benedictione apostolica munitus, ejus jussu calceatus, & equo domum reversus est, non sine gravi incommodo. nam cum ad alpes Julias venisset, ex concepto pridem frigore resolutæ pedum ejus ungulæ ceciderunt. Suis denique redditus, de instaurando, ornandoque monasterio cogitavit, quod a tempore Walcandi Leodicensis episcopi rudi ac tumultuario opere constructum fuerat. Cœpit itaque vetustate corrupta resarcire, angusta amplificare; & cooperantibus sibi monasterii præpositis, Theoderico, qui ejus successor nominis ac dignitatis esse meruit; Lamberto quoque ejus familiari atque individuo comite; dejecto veteri & parvissimo claustro, novum & magnum construxit. Ad hæc oratorium in memoriam sepulcri Domini ad australem monasterii plagam; necnon alia duo ad aquilonarem, nempe sancti Andreæ inferius, & sancti Nicolai superius, ædificavit. Insuper cryptam ad orientem basilicæ adjunxit, quam postea Heinricus Leodicensis, & Franco Bellegradensis episcopi *in honorem nominis Jesu* & sanctæ Mariæ semper virginis, ejus rogatu consecrarunt. Denique aliud claustrum pro foribus basilicæ ad occidentem a fundamentis exstruxit. Non longe vero a porta exterioris atrii amplissima ecclesia ædificata erat, quam in honorem sancti Ægidii dedicare cupiens, ad sancti Ægidii monasterium, quod in Septimania situm est, reliquias ejus petiturus perrexit: quo in itinere mulieres duæ, una febre, altera paralysi affectæ, epota aqua, quæ lavandis ejus manibus inservierat, sanitatem recuperarunt. Idem accidit alii mulieri apud Juliacum, cum ad Annonem archiepiscopum pro utilitate monasterii sui adiret. De altero Theoderici Romam itinere inferius dicendum.

Monasterium renovat.

LIV. S. Michaëli ad Mosam factæ donationes.

Jam ab annis minimum duodecim [a] monasterium sancti Michaëlis ad Mosam regebat Albertus abbas, eo nomine secundus, cum Walafridus quidam sancto Michaëli donat, quidquid hereditario jure possidebat apud Nanceiacum & apud Saponarias, cum consensu uxoris suæ & filii sui Walteri, traditione facta per manum domini sui Ludovici comitis, ejusque conjugis Sophiæ in præsentia domni Alberti abbatis & monachorum sancti Michaëlis. *Acta in atrio sancti Michaëlis, anno ab incarnatione* M LXIV. *indictione* V. * *imperante Heinrico tertio, in Francia autem Philippo, nobis autem Jesu-Christo.* quæ posterior clausula adhibita videtur post mortem Friderici ducis Lotharingiæ Mosanæ, cum necdum Godefridus, cognomento Barbatus, ad occupandum ducatum reversus esset ex Italia, ubi Beatri-
» cem, Bonifacii marchionis viduam, desponsaverat. Proximo anno Wilannus vir
» nobilis, metuens criminum suorum magnitudinem, & sæculi istius insatiabilem am-
» bitionem præscindere cupiens, a domno Alberto abbate sanctæ religionis habitum petiit,

a *V. lib. 60. num. 9.*

* *lege* X.

petiit, & sancto Michaëli quædam prædia dedit. Hujus rei testes nobilissimi fuere, « ANN. CHR.
Fulco filius ejus, Widricus Grossus, aliique. Actum anno ab incarnatione Domini « 1064.
M LXV. in præsentia domni Alberti abbatis, residente in cathedra Tullensi domno « Udone, ex cujus scilicet parochia prædictus Wilennus erat. Idem Albertus abbas « eccleſiam sancti Michaëlis renovavit, ut postea videbimus. «

LV. Rotbertus eremitis præficitur.

Cum Rotbertus, is qui postea Molismensis monasterii auctor & primus abbas fuit, Pruvinensi [a] cellæ sancti Aigulfi præesset; fama ejus sanctitatis pervenit ad aures quorumdam eremitarum, qui apud Colanum * simul conversabantur. Hic locus positus est in pago Tornodorensi, medio fere itinere Tornodorum * inter & Capleiam *, hactenus cellâ Molismo subjectâ insignis. His eremitis, perfectioris vitæ amore afflatis, venit in mentem, ut Rotbertum sibi præficerent. Quam ob rem inito consilio, duos e suis Romam ad Alexandrum pontificem mittunt, ut ejus auctoritate voti sui compotes esse possent. Annuit eorum desiderio pontifex, scriptisque ad Cellensem abbatem litteris, præcepit, ut eremitarum votis suffragaretur. Id tametsi gravate tulerit abbas, Guarinus is tum erat, Rotbertum flagitantibus concessit. Rotbertus vero impositam sibi pastoralis officii curam haud illibenter suscepit, propterea quod laborem suum non sine fructu futurum speravit ex fervore illorum eremitarum, qui nonnisi cælestia quærere & sectari videbantur, & dictis ejus obedientes esse percuperent. Nec vana viri Dei exspectatio fuit. Illi enim in fame & siti, in frigore & nuditate Domino servientes, pondus diei & æstus æquanimiter tolerabant. Hinc factum est, ut eorum numerus ad tredecim augeretur; qui unanimes in honestate morum, & pietate optime concordabant. Verum cum aliquamdiu eis præfuisset Rotbertus, secessit ad locum, vocabulo Molismum, ubi novi monasterii percelebris fundamenta jecit.

a *V. supra lib. 57. n. 20.*

* *Colan.*

* *Tonnerre.*

* *Chably.*

LVI. Guibertus fit monachus.

Inter ea Guiberto adolescenti apud Flaviacum [b] crescebat in dies vitæ monasticæ desiderium. Ille consilium hac de re suum matri [c] aperit, quæ puerilem veritus levitatem, ejus propositum longe rejecit. Idem etiam præstitit ejus magister. Gemina hac repulsa irritatus adolescens, rem cœpit dissimulare, atque ita se gerere, quasi propositum mutasset, tametsi ad id votis ardentissimis adspiraret. sic dissimulatio ejus processit ab octavis pentecostes ad natale Domini. Sed tandem voti impatiens, ad pedes abbatis provolutus, ut se peccatorem admitteret, multis cum lacrymis exoravit. Ille petenti ex animo assentiens, veste monastica postridie illum induit, matre procul adspectante ac flente, atque eleemosynas ipso die fieri præcepit. Mox ut habitum suscepit adolescens, nubem quamdam ab ejus corde amotam fuisse fatetur, & ea affulgere, in quibus antea cæcutiebat.

b *V. supra num. 30.*

c *Guibert. vita lib. 1. c. 14.*

Ejus studium in litteras.

Inter ea ille ejus quondam magister, tunc monachus, qui *districtioris causa regulæ*, eum ulterius docere non poterat, ipsum instigare ad ea, quæ legebat, divina volumina discutienda non cessabat. Tanto vero discendi affectu repente se animatum fuisse dicit Guibertus, ut huic uni rei inhiaret, & incassum se vivere æstimaret, si vel unum diem absque ullo fructu transegisset. *O quotiens*, inquit ille, *dormire putabar, & corpus sub pannulo fovere tenellulum; & spiritus meus aut dictaturiens artabatur, aut quippiam, objecta lodice, dum judicia vereor aliena, legebam!* Verum qua intentione id faceret, ingemiscit, *conquirendæ utique gratia laudis, & ut præsentis sæculi honorificentia major occurreret.* Ad id ipsum accendebant eum amici parum commodi, qui etsi bona ei suadebant, crebro tamen laudes & opes ex litteris ei proventuras ingerebant. Spes igitur omni aspidum ovo deteriores cordi improvido afferebant; eique gratulabantur crescentem in dies scientiam, & bonos ad sæculum natales, & corporis formam. *Sed non recordabantur*, inquit Deum alloquens, *quia per hos gradus vetuisti ascendi ad altare tuum, quod sic soleat turpitudo revelari.*

Devotio & tentationes.

Inter hæc nihilo minus divinum judicium sic expaveſcebat, ut minima, & prope nulla peccata eo modo horreret, quo provectior ætate maxima horrere percupiebat. Æmulabatur eorum lacrymas, quos sua videbat commissa deflere; & ex lectione scripturarum fletus & doloris causas exigebat; nihil se legisse ratus, quoties ex ipsa lectione nihil, quod contemplationi aut compunctioni conduceret, eliciebat. At hostis antiquus eum visis nocturnis adeo vexabat, vix ut dormire sineret. Sic nempe recens conversis molestias faceſſit, cujus rei exemplum affert

ANN. CHR. 1064.

Guibertus de quodam familiari Guidonis Belvacensis episcopi, scelerum suorum magnopere pœnitente; ubi testis laudatur *religiosus admodum vir, Ivo nomine, Sancti-Quintinensis indigena, litteris clarissimus, facundia pollens, Cluniacensis monachus, qui sub benedictæ memoriæ abbate hujus loci Hugone diu egit prioratus officium.* Interim Guibertus perseverabat [a] in studiis, excellebatque præ ceteris: quod sodalium suorum invidentiam in illum provocavit. Verum eo amplius accendebatur ad studium ejus animus, quemadmodum oleum igni additum flammam auget. Attamen cum se videret ab æmulis sollicitari, mutandi monasterii consilium cepit. sed ab eo revocatur viso cujusdam insignis dominæ, quam esse beatam Dei-genitricem intellexit, *cujus nomen & pignora* apud Carnutas *totius pene latini orbis veneratione coluntur.* Permansit itaque in suo monasterio: sed aliam tentationem passus est ex nimio poëseos studio, ut postea videbimus.

a *ibid. c. 15.*

LVII. Donjolii cella.

Pervenit ad hunc annum, sed eum non excessit Albertus Majoris-monasterii abbas: quo adhuc vivente, Herlebaldus de Donjolio *, qui locus est agri Carnutensis, ad mortem vulneratus monachum induit, deditque sancto Martino & monachis, *sub regimine tunc agentibus domni abbatis Alberti anno ab incarnatione Domini* M LXIIII. dimidiam ecclesiam ejusdem castri, & quidquid dominii in ea habebat, ita ut, *quamvis alii ex illa sint fevati*, eorum *sit tamen totus in eadem ecclesia senioratus* seu dominatus, sicut erat Herlebaldi; eorum sint etiam reliquiæ & libri. Ubi vides, quo pacto tunc temporis divisæ fuerint inter laïcos ecclesiæ, non modo possessiones, quæ in feodum tenebantur, sed etiam reliquiæ & libri. Annuit porro huic donationi Odo frater ipsius Herlebaldi, & cuidam monacho Majoris-monasterii ecclesiam ipsam *per chordam signi* seu campanæ tradidit, monachusque chordam acceptam traxit, & signum insonuit. *quod parrechia omnis audivit, & vidit.* Paullo post vulnere accepto idem Odo petiit sibi dari habitum monasticum ab Herberto & Hugone monachis, quibus terram suam dominicam donavit. Erecta est apud Donjolium seu Domniolum cella, cujus sola rudera modo restant.

* *Dangeau.*

LVIII. Alberti abbatis Majoris-monasterii obitus.

Sub medium hujus anni fato functus est ipse Albertus Majoris-monasterii abbas post annos regiminis circiter triginta. Floruit sub eo, uti & sub præcessoribus suis, disciplina regularis, & sub successoribus ad multum tempus perseveravit. Ejus depositio in necrologiis sancti Germani a Pratis notatur XIII. kal. Junii: annum M LXIV. assignat breve chronicon [b] apud Labbeum, eumque colligere licet, tum ex charta superiori, tum ex alia Heinrici, filii Tetbaldi comitis Blesensis, qua Heinricus auctoramento suo confirmat judicium de duabus *leugatis* terræ in silva Blumarti, Majori-monasterio ante triennium assertis contra Wicherium de Castro-Raginaldi, data ipso anno, *quo domnus Albertus abbas beatum sortitus est finem, nobisque*, inquiunt monachi, *jam præsidere cœperat domnus abba Bartholomæus, mense Januario*, VII. *kal. Februarii*, id est anno M LXV. ut intelligitur ex alio instrumento, in quo Bartholomæi ejus successoris annus quintus cum anno Christi M LXIX. componitur; uti & in alio ejusdem annus quintus-decimus cum anno M LXXIX. Denique id confirmatur ex eo quod Bartholomæus, postquam annis viginti monasterium rexisset, anno M LXXXIV. decessit. Unum tamen obstare videtur, nempe quod Gaufredus *de Gomet* miles, vivente adhuc Alberto abbate, ecclesiam Bassenivillæ cum omnibus ad eam pertinentibus, necnon omnimodam ejus loci justitiam; ad hæc tres præbendas apud Versalias *, aliaque non pauca Majori-monasterio donat cum assensu & auctoritate suæ conjugis Ermengardis, filiorumque suorum, atque Ursi fratris sui, necnon *seniorum* seu dominorum suorum Milonis & Guidonis de Caprosis *, de quorum beneficio hæc erant. quam donationem Philippus rex sua auctoritate confirmavit, & sigillo suo munivit. *Actum publice Parisius regnante Philippo rege anno* VI. quod ad annum M LXV. referendum est; nisi forte annus Philippi regis sextus ab anno M LIX. quo vivente patre rex coronatus est, desumatur: secus Alberti abbatis obitus ad annum sequentem differendus esset. Humatus est in dextra parte ecclesiæ ad altare sancti Mauricii.

b *Labbe bibl. to. 1. p. 288.*

† *Versailles.*

* *de Chevreuse.*

Bartholomæus ejus successor.

Bartholomæi abbatis vitam *signis virtutibus & miraculis plenam*, in armario Majoris-monasterii reperiri legitur in libello de actibus episcoporum Turonensium & abbatum. Hæc vita non amplius exstat in illa bibliotheca; sed forte ejus aliqua pars est libellus de miraculis, ejus tempore in Majori-monasterio editis, quem

librum, ex Villarensi Brabantiæ monasterio acceptum, in ipsius Bartholomæi Elogio vulgavimus. Ejus benedictionem interturbavit Goffridus Turonensium comes, cognomento Barbatus, qui abbatiam Majoris-monasterii sibi subjicere molitus, novi abbatis benedictioni assentiri noluit, nisi de manu ipsius abbas baculum pastoralem acciperet. Hac novitate perculsus monachorum cœtus, comiti obtendebat monasterii libertatem & immunitatem, pontificiis & regiis diplomatibus assertam: quæ ita a tempore beati Martini, qui illic Gualbertum abbatem instituerat, inviolata permanserat, ut monasterium nulli alteri, quam regi & abbati subjectus esset. Verum his rationibus nequaquam cessit comes, nec insignium virorum auctoritati, qui eum hac de re interpellabant. Immo vero locum ipsius, ejusque possessiones vastare cœpit, personas vexare, & in monachos ipsos sævire. Monachi vero cum hæc omnia diu patientissime pertulissent, tandem preces, quas pro persecutoribus fundere consueverant, augere statuerunt. Hinc nudatis pedibus ad corpus beati Martini procedunt, assumtis secum debilibus & leprosis, quos ex substantia monasterii sustentabant, & quorum preces apud Dominum plurimum valere confidebant. Insuper venerabilem Hugonem Cluniacensem abbatem rogant, ut suas suorumque preces adjungat, suaque præsentia mærentes & afflictos consolari ne gravetur. Adfuit statim vir Dei, & cum fratribus Majoris-monasterii comitem adiit, obtestatusque est, ut iræ suæ moderaretur. At nihil apud eum sanctissimi abbatis, & fratrum evicere preces. Hugo itaque reversus Cluniacum est, & cum eo Bartholomæus, qui illic sacro sacerdotii ordine (nam diaconus tantum erat, cum electus est) insignitus fuit, antequam Cluniaco rediret. Tam atrocis & contumacis sævitiæ non multo post Goffridus meritas dedit pœnas, auctore Fulcone, qui in ipsum insurrexit, captumque per multos annos in vincula conjecit: in quibus per triginta ferme annos detentus, in amentiam demum versus est, ut tradit Johannes monachus in libro [a] de gestis consulum Andegavensium. Hildebertus in libro de vita sancti Hugonis idem factum commemorat, scribitque Hugonem, cum ad emolliendum tyrannum chlamydem ejus teneret, illum rupta chlamydis fibula, contemtis viri Dei eloquiis, abscessisse, tumque virum sanctum illud Samuelis dictum vaticinando dixisse: *Scissum est regnum tuum a te hodie.* quod vaticinium rei exitus comprobavit. Goffrido comprehenso, Bartholomæus ad suos rediit, multaque præclare gessit in Majori-monasterio, ex quibus nonnulla, quæ insigniora videbuntur, in consequentibus referemus. Bartholomæi abbatis primis annis Odo prioris officium gessit.

ANN. CHR. 1064.

a *Spicil. to. 10. p. 484.*

LIX. Majoris-monasterii religio erga mortuos.

Per id tempus ea erat fratrum Majoris-monasterii religio & pietas, ut nulla provincia esset, quæ illius instituti monachos habere non percuperet. Hinc conditæ passim ubique cellæ, eidem loco attributæ, in quibus monachorum cœtus pro cujusque facultate institutus erat. Inter alia vero pietatis exercitia illic maxime vigebat pietas erga morientes & defunctos: qua de re libellum in elogio Bartholomæi abbatis retulimus. Principio testatur auctor anonymus, morem fuisse ipsius cœnobii, ut a prima aurora usque ad horam prandii, *propter sacerdotum copiam*, continua missarum celebratio protraheretur. Ad hæc, cum aliquis fratrum recens obiisset, *confessor ejus in communi super indicta pœnitentia inquirebatur. qua audita, mira compassione videres certatim a fratribus fratris onus susceipi: hic psalmos, ille missas, alius jejunia, aliusque disciplinas verberum sibi rapiebat.* In his eminebat Bartholomæus abbas, qui privatis orationibus frequentius insistebat, & fratres ejus rei negligentes arguebat. Illud vero inter cetera laudat ille auctor, quod, cum quis fratrum in extremis ageret, mox ad eum omnes, quibusvis negotiis intermissis, concurrerent, nulla somni, vel cibi habita ratione. Ubi vero adveniissent, statim symbolum catholicæ fidei omnes nomine morientis recitabant; ejusque lectum semper quidam fratres circumstabant, precibus exitum ejus munientes. Inter alia monachorum pia morientium exempla laudatur quidam frater idiota, qui per annos quinquaginta in ipso monasterio religiose conversatus, numquam in cellis exterioribus manere voluit: in ecclesia jacere solitus, luminaria concinnare, verrere pavimenta, parietes extergere, & aliis ejusmodi sacris ministeriis semper insistere; psalterium quotidie recitare, post matutinos numquam quieti indulgere. Huic in somnis revelatum est, ipsum postera die moriturum. Mane abbatem rogat se inungi Id pro somnio habet abbas: sed tamen jubet, ut ille inungatur. quo facto,

ANN. CHR. 1064.

dominicis etiam munitus mysteriis, sanus & incolumis cum ceteris in conventu versatus, nocte insequente, viribus corporis cœpit repente destitui; nec jam valens subsistere, ad cellam infirmorum deducitur. Die illucescente, *pro bona iterum devotione dominici corporis & sanguinis sacramenta percepit: ubi, cum post sanguinem vinum ebibisset, inter manus se se bajulantium exspiravit.* Hic communionem sub duplici specie habes, & viaticum duobus consequentibus diebus eidem ministratum.

Viaticum sub duplici specie.

LX. Vindocinenſia.

Hoc anno Fulco Vindocinensis comes, qui monasterio sanctæ Trinitatis, contra fidem datam, multa mala intulerat, post pascha venit cum conjuge sua in capitulum, & abbati Oderico satis fecit; manuque sua, *sicut sæcularibus mos est*, in ejus manum immissa, fidem dedit, se omnia monasterio data conservaturum.

Præerat tum Malliacensi monasterio Goderannus abbas superius [a] laudatus: qui hoc anno Vindocinensibus *ob custodiam mutuæ caritatis*, id est domno abbati Oderico ejusque monachis, locum in suo portu concessit ad domum construendam, eo pacto, ut quatuor denarios annui census persolverent. Id factum est in capitulo coram omnibus monachis, *annuente etiam domno Hugone præcellentissimo abbate Cluniacensis monasterii*, ubi antea conversatus fuerat Goderannus, postmodum factus episcopus Santonensis.

a *lib. 61. num. 64.*

LXI. Exaquium conditur.

Hoc circiter anno conditum Exaquium * monasterium in pago Constantiensi. Ejus auctores fuere nobiles ac præpotentes viri Turstinus, cognomento *Holduc*, cum Emma uxore sua, & Eudo filius eorum; qui Willelmi Nortmannorum ducis dapifer exstitit, Cum-capello cognominatus. In litteris primariis [b] Turstinus ait, se cum Amia seu Emma uxore sua & filio Eudone, in honorem summæ & individuæ Trinitatis & sanctæ Mariæ semper virginis ecclesiam construxisse consilio Gaufridi Constantiensis episcopi, ac Willelmi Nortmanniæ principis permissu, in Constantiensi pago, in villa, quæ dicitur sancta Opportuna: in qua regulariter viverent monachi, nulli alteri subjecti abbatiæ. Ejus rei instrumentum caret chronicis notis. Rogerius Beccensis monachus, Exaquii primus abbas, Herluino Becci abbati morienti adfuit, vixitque usque ad annum M XCV. quo anno Emma Turstini filia, quæ, mortuo marito Ernaldo de Escalfoio, Willelmi Geroïani filio, apud fratrem suum Eudonem per triginta fere annos honestissime vixerat, imminente obitu sæcularem habitum deposuit, *& a domno Rogerio abbate Exaquii sacrum velamen cum devotione accepit*, teste Orderico [c]. In necrologio ad tertium kal. Julii notatur *Rogerius abbas hujus loci Exaquii primus.* Perstat etiam nunc hoc monasterium, de quo plura in Neustria-pia legere licet.

* *Lessay.*
b *Neustria pia p. 617.*

c *Orderic. lib. 3. p. 489.*

LXII. Blesenſes abbates.

Blesense sancti Launomari monasterium regere cœpit hoc tempore Isembardus, Richerii superius laudati successor. Is Jerosolymam pro more illorum temporum profectus, substituendo in ejus locum alteri abbati, nomine Guidoni, occasionem dedit. quæ res magnarum turbarum causa postea exstitit, ut suo loco videbimus.

Magenciaci cella.

Blesensi abbatiæ subjectum erat apud Arvernos Magenciacum [d] monasterium, beato Launomaro itidem nuncupatum, cui Willelmus-Guido dux Aquitanorum & Pictavorum comes quædam prædia in villa [e] Bozeto, aliisque hoc anno contulit. Hujus rei testes Hildebertus comes de Marchia, Willelmus episcopus Engolismensis, Bertrandus de Duno, & alii. Actum Silviniaci anno dominicæ incarnationis M LXIV. Facta hac donatione, litem super illis prædiis moverunt Rorgonus de Vertezione, Theotardus de Bullione, ejusque frater Geraldus de Buxiolo: cui liti componendæ Magenciacenses monachi centum solidos, necnon societatem, ut vocabant, & beneficium omnium locorum suorum concesserunt. Tunc Magenciaci prior erat Theotardus. Ejus successori Mauricio multas molestias intulit Robertus de Mageneiaco in prædicto Bozeti prædio: sed concordiam inter eos composuere Rotbertus comes & Durandus episcopus Claromontensis ex monacho Casæ-Dei, qui Stephano episcopo inferius memorando successerat.

d *V. lib. 41. n. 77.*
e *Sac. 4. parte 2. p. 255.*

LXIII. S. Laurentii in Tarracia dedicatio.

Haud scio an longe ante hoc tempus conditum fuerit S. Laurentii monasterium, super montem Tarraciam in Barcinonensi diœcesi positum, cujus loci ecclesiam [f] Berengarius episcopus Barcinonensis IX. kal. Julii hoc anno consecravit, eidemque monasterio possessiones suas confirmavit, domno Raimundo-Berengarii principe cum venerabili conjuge domna Almode Barcinonensem marchiam regente, id ipsum postulante. Jam exstabat hoc monasterium anno M IV. si quidem ejus loci abbas erat Abbo abbas [g] sancti Laurentii, qui judicato pro ecclesia Urgellensi eo

f *Marca Hisp. p. 1123.*
g *ibid. p. 960.*

anno subscripsit. Forte etiam ejusdem monasterii rector erat Tassio, abbas sancti Laurentii, nominatus inter eos, in quorum præsentia lectum est testamentum Bernardi [a] comitis Bisuldunensis anno M XX.

ANN. CHR. 1064.
a *ibid. p. 1027.*

LXIV. Bernardus abbas S. Victoris.

Massiliæ in monasterio sancti Victoris mortuus est hoc anno Durandus abbas, ut in brevi chronico [b] Massilienſi legitur. Hunc excepit Bernardus, rebus præclare gestis insignis, maxime legationibus, quas tum in Germania, tum in Hispania, jussu Gregorii septimi obivit, ut in consequentibus videbimus. Mitto varias donationes, quæ ejus tempore sancto Victori factæ sunt, cui loco Raimundus, filius Gofredi Massiliæ vicecomitis, anno sequenti dedit ecclesiam sancti Victoris, quæ est in castello, quod dicitur Porcilis, & omnes ejusdem territorii ecclesias *cum sponsalitiis suis*, & omnibus rebus ad easdem pertinentibus.

b *Labbe bibl. to. 1. p. 340.*

LXV. SS. Felicis & Licerii cœnobium Cluniaco datum.

Exstabat antiquitus in Bigorrensi pago monasterium sanctorum Felicis & Licerii, quod fere destructum ac destitutum monachis in laïcorum manus devenerat. Id graviter ferentes Heraclius Bigorrensis præsul & Bernardus comes, quibus iste locus obtigerat, hunc venerabili Hugoni abbati Cluniacensi committere in animum induxerunt. In litteris hac de re confectis ita de illo monasterio loquuntur. *In hoc ex multo tempore congregatio fuit monachorum: sed pro peccatis nostris, per incuriam nostram & aliarum personarum, ad quarum curam & dispositionem idem monasterium pertinuit, non ita valebat ibi regularis disciplina & ordo monasticus, ut vel Deo placeret, vel nobis ad salutem animarum nostrarum expediret. Visum est ergo nobis quærere consilium & auxilium domni Hugonis reverendi abbatis, & regentis illud reverendum collegium monachorum Cluniaco congregatorum, per cujus loci abbates cum pleraque monasteria restaurata sint & meliorata; per caritatem, quæ, ut Apostolus ait, omnia sperat, affectavimus nos quoque simile beneficium prædicti monasterii, traditionem eorum sanctitatis obtinere. Hujus rei gratia, pro salute animarum nostrarum & parentum nostrorum, facimus ipsius prædicti monasterii traditionem, & omnium rerum ad hoc quolibet modo pertinentium, Domino Deo & sanctis apostolis ejus Petro & Paulo ad locum, cujus supra meminimus, Cluniacum, eo tenore, ut Cluniacensis congregatio perpetuo jure illud habeat & possideat; & hujus congregationis abbas, videlicet Cluniacensis, secundo loco post se committat, cui velit, & quomodo velit, curam monasterii; & hoc semper fiat sine omnium mortalium contradictione. Volumus quoque, ut liberum sit & absolutum ab omni servitio*, &c. *Hæc autem carta scripta est in ipso Bigorrensi castro*, & data XI. kal. Decembris, anno dominicæ incarnationis M LXIV. regni autem « Philippi regis Francorum quarto, indictione secunda. Apposita sunt signa domni « Heraclii Bigorrensis episcopi, domni Bernardi Bigorrensis comitis, qui hanc tradi- « tionem fecerunt; domni Stephani Oloronensis episcopi, domni Durandi Tolosani « episcopi, Gregorii Lacurrensis, Petri Aturrensis episcoporum, & domni Bernardi « Dormaniacensis comitis. «

Cluniaci dedicatio.

Ad Cluniacum quod attinet, hoc anno nonis Decembris facta dicitur *dedicatio hujus loci ecclesiæ Cluniaci in honorem beatæ Mariæ, sanctorum martyrum, ac piissimi & dulcissimi patris beati Odilonis, quam egit pia memoriæ dominus Achardus episcopus Cabilonensis, cum venerabili cœtu venerabilium clericorum.* Id intelligendum non est de ecclesia, quam sanctus Hugo abbas recens postea exstruxit, quæ sanctis apostolis Petro & Paulo nuncupata est, sed de adjuncta ecclesia beatæ Mariæ. Verum quod in illo fragmento additur, hanc dedicationem factam esse *feria sexta*; id non quadrat cum nonis Decembris, quæ anno M LXIV. in dominicam incidebant.

LXVI. Lerino factæ donationes.

Lerinense monasterium jam ab annis octodecim administrabat Aldebertus abbas, cum Rotbertus [c] Claromontensis comes, & Stephanus de Vetusta-Brivate Lerinensibus contulerunt ecclesiam sancti Justi apud Luciacum villam territorii Brivatensis. quo etiam tempore Stephanus episcopus Claromontensis, ejusque nepos Guillelmus canonicus Brivatensis id confirmarunt in manu Gisberni Lerinensis monachi, tradentes *corpora sua & animas suas* ad monasticum habitum suscipiendum in prædicto monasterio Lerinensi.

c *Chron. Lerin. part. 2. p. 153.*

Marciaci parthenonis origo.

Dalmatio abbate Saviniacensi, quidam Falco cum uxore sua Adalasia donat *sacrosanctæ Savinienſi ecclesiæ beati Martini* res quasdam proprietatis suæ, sitas in pago Lugdunensi, in villa agri Ansensis, quæ vocatur Marciacus, hoc est tertiam partem ecclesiæ sancti Boniti ipsius villæ, cum decimis, aliisque ad se pertinentibus, & tertia parte silvæ Ardennæ. Hinc origo parthenonis beatæ Mariæ * Marciaci,

* *N. Dame d'Halés de Marsi.*

sub regimine prioris & prioriſſæ, quæ hactenus ſubeſt abbatiæ Saviniacenſi.

ANN. CHR. 1064.

LXVII. Pinarolii cœnobium conditur.

In Galliæ ciſalpinæ Pedemontana regione, non longe a radicibus Genebri montis, ad ripam Pellicis fluvii, exſtat inſigne opidum Pinariolum ſeu Pinerolium, a pinuum ibi circum naſcentium copia ſic dictum: in cujus territorio Adalaſia comitiſſa Seguſiana, filia Manfredi marchionis, Odonis autem Italiæ marchionis conjux, cœnobium in honorem beatæ Dei-genitricis Mariæ exſtruxit in loco, ſancti Verani olim dicto; illudque ampliſſimis latifundiis dotavit pro animabus [a] parentum ſuorum Manfredi marchionis & Bertæ genitricis ſuæ, necnon Oddonis ſeu Ottonis viri ſui, & Adalrici epiſcopi barbani, id eſt patrui ſui. Inter alia huic cœnobio tradit *monaſterium unum conſtructum infra mare, in inſula, quæ dicitur Gallinaria, conſecratum in honore ſancti Martini*, qui in illa inſula quondam habitaverat. Hæc autem omnia eidem abbatiæ confert, ut monachi illic inſtituti illa teneant ad ſuum uſum, & ex eis faciant quidquid voluerint *ſecundum regulam ſancti Benedicti beati abbatis*. Primus ejus loci abbas memoratur Aginulfus, aliis Arnulfus, qui a Gregorio VII. confirmationem erectionis prædicti monaſterii obtinuiſſe traditur.

[a] *Chron. Pedem. c. 24.*

Villarium inſtauratur.

Eadem Adalaſia inſtauravit Villarienſe [b] monaſterium, ſitum ad radices alpium in diœceſi Salutienſi, quod olim Aripertus Langobardorum rex fundaſſe dicitur, poſtmodum a Sarracenis deſtructum; modo redactum ad unum ſacerdotem, qui ſub abbate ſæculari monachorum locum occupat.

[b] *ibid. c. 30.*

LXVIII. S. Juſtinæ Johannes abbas.

Jam ab annis quatuor Johanni abbati piiſſimo in regimine Patavienſis ſanctæ Juſtinæ monaſterii ſucceſſerat Johannes alter, pietate non impar, cujus gratia Uldericus epiſcopus hoc anno rata [c] perpetuo eſſe juſſit dona ſuperiorum antiſtitum, quibus cœnobium illud excreverat. Idem majora adjecit, poſtquam corpus ſancti Danielis martyris & levitæ inventum e tumulo extulit. Rem fuſe narrat Jacobus Cavacius in libro ſecundo hiſtoriarum cœnobii ſanctæ Juſtinæ, ubi ait, ſancti martyris reliquias in ſacello ſancti Proſdocimi inventas fuiſſe indicio cujuſdam cæci, e Tuſcia in urbem Patavium cæleſti admonitu profecti, quæ in peculiari ſacello multis annis extra muros urbis aſſervatæ, demum in cathedralem eccleſiam tranſlatæ ſunt.

[c] *S. Juſtina hiſt. p. 52.*

LXIX. Theobaldi eremitæ extrema facta.

Ante biennium, quam Theobaldus eremita Gallus in agro Vicentino e vivis excederet, ita membrorum uſu deſtitutus fuit, ut neque greſſum movere, neque manum ad os ducere valeret, Deo ita ordinante, ut vas electionis ſibi aptum igne tribulationis & doloris lima omnino purgaret. Illud vero prorſus mirandum, quod in tanta corporis infirmitate nequaquam a propoſiti rigore jejunii deflexit. Inter hæc Motinæ ſeu Mutinæ * civitatis antiſtes, forte Herebertus, principibus & parochianis ſuis, prætentis neſcio quibus occaſionibus, ita exoſus eſſe cœpit, ut de eo expellendo conſilium agitarent. In his anguſtiis præſul ſororem ſuam ſanctimonialem monet, Theobaldum adeat, obteſtatura, ut Deum pro ipſo exoraret, qui domeſticos pro inimicis haberet. Fecit ille, ut rogatus erat. Prima quippe die miſſam pro ejus reconciliatione celebravit. Altera, cum idem ſacrificium iteraſſet, ſorori antiſtitis bono animo eſſe juſſit; diceret fratri ſuo, eum in ſede pontificali, ſedata omni diſſenſione, brevi quietum fore. quod re vera contigit.

* *Modene.*

AN. CHR. 1065.

LXX. Corbeiæ comitia regni.

ANno ab incarnatione M LXV. Corbeiæ in Gallia celebris conventus habitus eſt, cui rex Heinricus, regnique optimates interfuere, ſcilicet Gervaſius Remorum archiepiſcopus; ex epiſcopis Balduinus Noviomenſis, Wido Ambianenſis, item Wido Belvacenſis, Fulco abbas Corbeienſis; deinde regis primarii miniſtri, Walerannus camerarius, Radulfus dapifer, Wido Buticularius, Baldricus comeſtabuli; tum Balduinus comes Flandrenſis, Balduinus ejus filius, reparator Haſnonienſis monaſterii, cujus gratia hæc comitia habita ſunt; Radulfus comes, Walterus & Simon ejus filii, Willelmus comes Sueſſionenſis, Wido de Monte-Lietherici, Tetbaldus de Monte-Maurenciaco, aliique complures primæ nobilitatis viri. Cauſa horum comitiorum, ut jam monui, hæc fuit, ut Haſnonienſis monaſterii, quod Balduinus junior inſtauraverat, immunitates & poſſeſſiones confirmarentur. ſic enim legitur in codice Haſnonienſi, ex quo hæc diſcimus: *Nomina epiſcoporum & regni primatum, virorumque nobilium, qui Corbeiæ adfuerunt, cum Philippus primus Francorum rex cœnobii Haſnonienſis antiquas immunitates & poſſeſſiones, a Balduino*

Haſnoniénſe monaſterium inſtauratur.

filio Balduini comitis Flandriæ datas, confirmavit, & jure fiſci & caduci exemit, rogatu utriuſque Balduini. Deinde ſequuntur ſigna Gervaſii archiepiſcopi, aliorumque epiſcoporum, optimatum, & nobilium, quorum omnium nomina habes in Appendice. *Actum Corbeiæ in baſilica beati Petri apoſtoli, anno ab incarnatione Domini* M LXV. *indictione tertia, epacta* II. *regnante Philippo anno ſexto, epiſcopante Lietberto Cameracenſi anno* XVII. in cujus diœceſi hoc monaſterium ſitum erat. Haſnonienſe monaſterium ab origine duplex, virorum ac puellarum, ſæculo ſeptimo jam adulto ad Scarpum amnem conſtruxerant Johannes & Eulalia ejus ſoror. Poſt ſæculum nonum, quo tempore Ermentrudis regina, Caroli-Calvi uxor, illic abbatiſſa facta eſt, locum occuparunt ſæculares clerici: quibus amotis, Balduinus junior monachos Benedictinos reſtituit. quod hac occaſione factum tradit Iperius. Letali morbo correptus Balduinus junior, cum animam agere videretur, reſumtis pauliſper animis, patrem rogavit dari ſibi locum Haſnonienſem, ut illic, ſi convaleſceret, monaſterium renovaret. Si id concederet, ſpem ſibi certam factam eſſe recuperandæ valetudinis per ſanctos Marcellinum & Petrum martyres. Annuit pater, moxque filius ſanus factus eſt. Tum, ſubverſo Haſnonii caſtro, quod prædonum latibulum erat, ibidem monaſterium ædificavit in honorem ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, & ſanctorum martyrum Marcellini & Petri; & propter hoc vocatus eſt Balduinus Haſnonienſis. Dictus eſt quoque Balduinus-Pius, qui patri ſucceſſit, tribuſque tantum annis ei ſupervixit, mortuus anno M LXX. humatuſque in eodem monaſterio, quod exſtruxerat. Eodem anno veteris templi ab ipſo reparati dedicatio facta dicitur III. nonas Junias a Lietberto Cameracenſi, Ratbodo Noviomenſi, & Rainero Aurelianenſi epiſcopis.

ANN. CHR. 1065.

LXXI. Fulcardus abbas S. Amandi.

Elnonenſe ſancti Amandi proximum monaſterium tunc regebat Fulcardus abbas, alio nomine Lambertus dictus, ſucceſſor Malbodi ſeu Malbaldi, qui anno M LXI. adhuc in vivis erat. Id patet ex litteris Walcheri viri nobilis, qui quoddam alodium ſuum ſancto Amando dedit ipſo anno, cum filius ejus Engelbertus illuc ad converſionem venit, quod alodium Malbaldus in uſus pauperum aſſignavit. Fulcaldus vero ejus ſucceſſor ab Elinando epiſcopo altare ſancti Remigii apud Bariſiacum obtinuit, eo pacto, ut preces pro ſe, ſuiſque ſucceſſoribus Elnonenſes Deo funderent, & unus monachus apud eos accreſceret; & ut annuatim *per vicarios eorum ſacerdotes, qui curam animarum ſuſciperent*, exactionem ſolitam ſeu circadam, ſcilicet ſolidum unum & dimidium, Laudunenſi eccleſiæ perſolverent. Subſcribit inter alios teſtes Fulco abbas ſancti Michaëlis, nimirum in Teoraſcia. *Actum Lauduno idus Februarii, anno incarnationis dominicæ* I. LXV. id eſt M LXV. *indictione tertia, epacta* XI. *regnante Philippo anno* IIII. *præſulante Elinando epiſcopo anno* XIII. qui id ratum poſtea habuit III. nonas Novembris coram omni clero.

LXXII. Bovoni abbati ſuccedit Heribertus.

Cum Sithienſe ſancti Bertini monaſterium annis quatuor & viginti rite adminiſtraſſet Bovo abbas, hominem exuit decima die Decembris, ut in ejus epitaphio apud Iperium legitur. Ejus tempore Hermannus, Wiltoniæ provinciæ in Anglia præſul, offenſus quod ipſi ſedem epiſcopalem transferre de villa Kamneburgo ad abbatiam Malmeſburienſem per regem non liceret, epiſcopatum dimiſit, marique transfretato, apud ſanctum Bertinum monaſticum habitum induit, teſte Rogerio Hovedeno, ibique in ipſo monaſterio tribus annis manſit.

Bovoni mortuo ſucceſſit Heribertus, illius loci abbas triceſimus-octavus, vir genere & morum probitate inſignis, qui, cum in ſæculari habitu res monaſterii aliquamdiu recte procuraſſet, multis precibus a Bovone abbate obtinuit, ut monachus fieret. Eidem tunc rerum publicarum cura commiſſa: quam cum exſequeretur, miraculum illud de multato divinitus Bodara quodam, qui homines villæ Calvomontis opprimebat, accidiſſe traditur. Is caſtitatis ſeverus in ſe exactor, cum aliquando gravi tentatione carnis pulſaretur, ſe veſtibus exuit, & ſolo ſtramineo tectus, ſub dio ſe nocturnis frigoribus caſtigavit. Idem baſilicam, a Bovone deceſſore ſuo inchoatam, perfecit.

LXXIII. S. Germani Autiſiodori abbates.

Eidem Heriberto Autiſiodorenſe ſancti Germani monaſterium regendum a Philippo rege commiſſum fuiſſe dicitur apud Iperium. Nihil tamen hac de re legitur in libro [a] de geſtis ejus loci abbatum, ubi poſt Odonem, qui annis duodecim abbatis functus eſt officio, non tamen abbas, ſed prior; anno Domini M LXIV. electus dicitur Galterus ſancti Benedicti Floriacenſis monachus, eodem anno benedictus

[a] *Labbe to. 1. bibl. p. 574.*

ANN. CHR. 1065.

nonis Julii a Gaufrido episcopo. Erit fortasse qui dicat, Heribertum abbatis gessisse officium apud sanctum Germanum tempore Odonis prioris. Verum id ad posterius tempus referre videtur Iperius, cum ait, Rotbertum Frisonem pascua villæ sancti Audomari Sithiensibus abstulisse sub annum M LXX. dum non esset qui contradiceret, absente scilicet Heriberto abbate. Ipso anno, quo Galterus creatus est abbas, totum castrum sancti Germani cum monasterio & monasticis officinis omnino combustum est. Ejus tempore conditum fuit Selebiense in Anglia monasterium, de quo inferius.

LXXIV. Resbaci facta miracula.

a *V. lib.* 61. *n.* 70.

De prædicto Balduino Flandrensi comite in libro de miraculis sancti Agili abbatis legitur, ut jam superius [a] notatum, quod profectus ad militarem expeditionem pro Philippo rege, *utpote palatinus comes*, ad retundendam superbiam quorumdam, qui in partibus Galliæ & Burgundiæ in regem rebellare volebant; cum ad villam Resbacum cum suis copiis venisset, sagittam jecerit in pavonem, qui super tegulas monasterii residebat; sagitta vero vehementi flatu venti retorta, comitem repentino morbo prostratum, sanguinis spumas ore emisisse, certum id sibi accidisse, quod rebus monasterii non pepercisset. Quare, fune propriis manibus collo imposito, ad altare progreditur, beati Agili meritum invocat, seque graviter peccasse, quæ illorum temporum religio erat, confitetur; spondetque se deinceps terram sancti Petri illæsam inviolatamque strenue tuiturum; insuper patenam auream, decemque vaccas ac totidem caseos offert pro sui facinoris piaculo. Hæc contigere Philippo abbate, quo tempore Hugo Crispeiensis abbas ex monacho Resbacensi, cum ad festum sancti Agili Resbacum venisset, eumdem Sanctum precatus est, ut, si eo anno moriturus esset, ante discessum illic mortem obiret, ubi habitum religionis monasticæ pridem induerat. quod & obtinuit, mortuus III. nonas Septembris. Ibidem etiam Adela Blesensis comitissa, Stephani Heinrici conjux, Theobaldi comitis mater, febrium diutino languore, quibus sanandis frustra quorumvis medicorum opera adhibita fuerat, Resbacum ad sancti Agili oratorium se deportari fecit: ubi duabus noctibus sub ejus capsa pernox, integram sanitatem recuperavit, ob cujus beneficii memoriam super altare obtulit pretiosissimum pallium, quod auctoris anonymi, qui hæc refert, tempore præcipuis quibusque festis pone *lignum dominicæ crucis* apponi consueverat.

LXXV. Messinis parthenon.

b *Miræi notit. p.* 184.

Altera Adela, Balduini Insulani Flandriæ comitis conjux, Rotberti regis filia, ante aliquot annos Messinis in Flandria prope Ipras puellare inchoaverat monasterium, beatæ Mariæ sacrum, cui hoc anno Drogo [b] Teruannensis episcopus talem concessit libertatem, qualem Bertefridus Ambianorum præsul Corbeiensi olim abbatiæ indulserat. *Actum est hoc Taruanæ* V. *kalend. Junii, anno incarnationis Domini*

ibid p. 185.

M LXV. *indictione tertia, regnante rege Francorum Philippo*: qui anno sequenti * prædia, ab eodem Balduino, ejusque conjuge Adela eidem monasterio, & adjuncto canonicorum collegio concessa, regio diplomate confirmavit. *Actum Furnis anno ab incarnatione Domini* M LXVI. *indictione quarta, regnante rege Philippo, anno post obitum patris sui Heinrici sexto.* Gofridus seu Gaufridus Parisiorum episcopus, & eodem tempore regis cancellarius, relegit & subscripsit. Testes Baldewinus comes de Montibus, filius Baldewini comitis; Ingelramnus magister regis, Hugo *de Bloïs*, & alii. In illo parthenone Adela triginta virgines Benedictinas instituit, quibus Frisildis prima abbatissa præfecta: in adjuncto vero templo canonicos duodecim, utrisque dote congrua assignata. Ipsa vero post mariti obitum Romam profecta, ab Alexandro pontifice vidualem accepit habitum; indeque domum reversa, in suo Messinensi parthenone reliquum vitæ humillime exegit, ibique plena piis operibus decessit.

LXXVI. Hienvillæ cella.

* *Inville.*

d *Hist. S. Martini p.* 16. *&* 371.

Hoc ipso anno Philippus rex, faventibus matre Agnete, ac Balduino comite, *regiæ domus curam gerente*, duo altaria in pago Blesensi, scilicet Novæ-cellæ atque Hienvillæ *, quæ pater[n]e suus Heinricus ecclesiæ sancti Martini [d] de-Campis ab ipso exstructæ contulerat, eidem confirmavit in perpetuum possidenda. *Actum Parisius* III. *idus Novembris, anno regni regis Philippi quinto.* His litteris apposita sunt signa Balduini comitis, Hugonis & Radulfi comitum, Widonis comitis Pontivensis, Widonis Ambianensis episcopi, Engenulfi buticularii, Amalrici dapiferi reginæ, Baldrici comestabularii, & post omnes Balduini cancellarii. Apud Hienvillam erecta fuit cella, sancti Martini abbatiæ subjecta, ubi, priore computato, quatuor monachi esse debebant.

Alexander

ANN. CHR. 1065. LXXVII. Alexandri papæ litteræ pro Dervo.

Alexander papa optime affectus erat erga Dervense monasterium & Brunonem abbatem, cujus nomen Leo nonus, cum eum benediceret, mutaverat (nam antea Wandalgerus vocabatur) dato ei nomine, quod ante summum pontificatum habuerat. Affectum in eum suum litteris testatus est in primis Alexander, quibus Brunonem, ejusque monasterium vicinis episcopis commendavit. Has litteras, utpote necdum vulgatas, hoc loco in lucem edere visum. En earum tenor.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, coepiscopis Richerio Senonensi, Hugoni Trecassino, Rogero Catalaunensi, salutem & apostolicam benedictionem. Quoniam quidem omnium ecclesiarum sollicitudinem nobis commisit dignatio divina, instantius, ut nostis, procurare debet provisio nostra, ne quid detrimenti seu inquietudinis quælibet earum incurrat nostra sub custodia. Unde jam annis anterioribus fraternitati vestræ præcepisse meminimus super adversis ecclesiæ Dervensis, quæ sibi inferuntur a nonnullis minus Deum timentibus, auctoritate apostolica præcipientes vobis, ut ex adverso assenderetis, & murum pro defensione ejusdem ecclesiæ opponeretis. quod aliquamdiu diligenter executi estis: verum nunc aliquantulum intepescit fervor zeli prioris. Proinde iterato dirigimus apices hujus nostræ commonitionis, ut virga ecclesiasticæ animadversionis eorum impudentiam, qui adversus eam insurgunt, coërcere curetis, ne quam post hac querimoniam infundere quærat auribus nostris. Et quoniam abbatem ecclesiæ ipsius virum virtutis novimus esse, nobisque jam pridem devinctum familiari dilectione, quem prædecessor noster bonæ memoriæ Leo papa tanto suæ caritatis dignum duxit amore, ut eum sui nominis dicti Brunonis, quod ante apostolicatum in baptismate sortitus fuerat, donaret honore; nolumus quemquam sibi, suisque in aliquo molestum esse. Quod si fiat a quibuscumque, concedimus ei apostolica auctoritate, & omnibus successoribus ecclesiæ ipsius, quoscumque insurgentes contra eam frangere anathematis ultione, ut cum securiori quiete Deo valeant liberius vacare. Valete.

Plures alias litteras idem pontifex in gratiam Brunonis abbatis, ejusque monasterii scripsit, quas referri tanti non est.

Tullenses abbates.

Non omittenda videtur charta Udonis Tullensis episcopi pro instauratione basilicæ sancti Gengulfi martyris, a beato Gerardo episcopo quondam exstructæ, sed tunc incendio consumtæ, adeoque officiis divinis omnino destitutæ: quam Udo in pristinum statum restituit, multis prædiis eidem basilicæ ad stipendia canonicorum attributis. In litteris hac de re ab eo editis obsecrat, ut quolibet sabbato commemoratio sanctæ Dei-genitricis Mariæ *cum omni integritate nocturni & diurni cursus & missa* in altari ejusdem basilicæ ab eodem Udone consecrato celebretur, & *festum sancti Benedicti in quadragesima* cum novem lectionibus ad ejus altare. *Acta anno ab incarnatione Domini* M LXV. *indictione tertia, in præsentia domni & serenissimi regis Heinrici IV. anno regni ejus* IX. *ordinationis vero* XI. *nostræque*, ait Udo, *ordinationis* XIII. *in majori ecclesia hujus sedis.* His litteris apposita sunt signa *domni Widrici abbatis sancti Apri, domni Gumbaldi abbatis sancti Mansueti, domni Leytfridi abbatis sancti Salvatoris, domni Benedicti abbatis Mediani-monasterii, & domni Bercharii abbatis Senonienſis.* In præmissis litteris Udo memorat commutationem quarumdam rerum ab se factam pro basilica sancti Gengulfi *contra Verfridum abbatem cœnobii sancti Salvatoris*, haud dubie antecessoris Leytfridi mox laudati. Anno M. LXXXV. Pibo episcopus quamdam capellam, in territorio sancti Salvatoris constructam, in honorem sancti Bartholomæi, Sigiberto abbate, benedixit, ea conditione, ut decimas ex omnibus domibus, quæ intra & extra ejusdem capellæ atrium exsisterent, abbas perciperet. Pibonis litteræ inscriptæ sunt *Sigiberto abbati ecclesiæ sancti Salvatoris & sanctæ Mariæ cum ceteris fratribus ejusdem ecclesiæ, sitæ in silva Vasagon.* Abbatia hæc sita erat una fere leuca ab urbe Leucorum prope Fagum * opidulum, modo excisa, cujus reditus cathedrali ecclesiæ tributi sunt.

* *Fon.*

LXXVIII. Anselmus in prioris officio confirmatus, ut se gerit.

a *Anselm. lib. I. epist.* 42.

Inter ea temporis Anselmus Becci prior, variis officii sui pulsatus negotiis, quibus Herluinus jam senior vacare non valebat, se ab otio sancto & animi quiete abstrahi gravate ferens, de abdicando munere cogitabat. quæ certe negotia ea erant, ut fere nec scribendi, nec legendi, orandive spatium haberet, ita ut crederet misericordiam [a] Dei a se amotam. Verum ne id temere feciſſe videretur, Maurilium Rotomagensem archiepiscopum hac de re consulendum censuit. Ille vero, ut erat eximiæ prudentiæ & sanctitatis: Noli, inquit, fili, a profectu aliorum tui « unius cura te retrahere. Multorum quippe experientia compertum habeo, qui, «

AN. CHR. 1065.

» quoniam ſuæ quietis cauſa proximorum utilitati paſtoralem curam impendere de-
» trectarunt, per deſidiam de malo in malum defecerint. Quapropter ne tibi, quod
» abſit, hoc idem contingat; per ſanctam obedientiam tibi præcipio, ut injunctum
» tibi officium retineas, nec illud, niſi jubente abbate, deponas: immo ſi ad majora
» vocatus fueris, ne repugnes. Prævidebat enim vir Dei, eum brevi ad majorem
prælationem provehendum. His auditis, Anſelmus ingemuit, quod, qui in eo quod gerebat deficiens, gravius ſubire, ſi imponeretur, onus juberetur. At nequaquam his cedens præſul, juſſa repetit, eaque præteriri vetat. Reverſus ad monaſterium Anſelmus, totum ſe in fratrum uſus impendit. Ipſe enim mores omnium æquanimiter ferebat, & unicuique, prout expedire ſciebat, neceſſaria ſuggerebat. Magna in primis ei cura erat de infirmis, quibus ipſe propria manu paſſim cibos & potum miniſtrabat. Sic ſanis pater, & infirmis mater, immo omnibus pater & mater erat. Unde tanta in eum omnium fiducia exſtitit, ut arcana ſua ſinguli, velut matri, revelare non dubitarent.

LXXIX. Ejus ſententia de informatione junioru.

Conquerenti aliquando cuidam abbati, quod protervi & nullius frugi eſſent ſui monachi juniores, qui modis omnibus conſtricti, ac verberibus die noctuque pulſati, nihilo minus deteriores fiebant in dies; reſpondit Anſelmus: Tales, inquit,
» eos ſuſtinetis, quales fingitis; habituri eos hebetes & brutos, cum adulti fuerint.
» Dic enim, quæſo, venerabilis abbas, ſi arbuſculam in horto ſereres tuo, & mox
» eam undique ita concluderes, ut ramos ſuos extendere non poſſet, qualem inde
» arborem produturam ſperares? certe nonniſi infructuoſam & inutilem, incurvis ramis & perplexis. Idem ſit de junioribus veſtris, quos minis, terroribus, verberibuſque ita coartatis & exaſperatis, ut oppreſſi & irritati, nonniſi pravas &, ſpinarum more, perplexas, rancoris, murmuris & odii cogitationes foveant, nutriant,
» atque ita fulciant, ut omnia correctionis remedia obſtinate rejiciant; ſitque ut ſimul ætate creſcunt, ſimul etiam in eis odium & in majores irreverentia creſcat.
» Fruſtra ergo eos flagellis ac terroribus ad bonos mores informare contenditis:
» ſed, ſi id vultis efficere, imitari vos decet artificem, qui ex lamina auri vel argenti formaturus imaginem, non ſolis eam percuſſionibus conficit, ſed nunc
» eam ſuo inſtrumento leniter premit & percutit; nunc lenius expolit & efformat.
His, aliiſque auditis, ingemuit abbas, ſeque graviter hac in re deliquiſſe confeſſus eſt.

LXXX. Monachis data monita.

Præclara quoque monita in epiſtolis ſuis, quas prior ſcripſit, monachis dedit Anſelmus. In his Lanzonem, Cluniaci factum monachum, hortatur [a] ad ſtabilitatem in uno loco figendam. nam quemadmodum arbuſcula, ſi ſæpius tranſplantetur, cito areſcit, nullumque fructum profert: ita monachus, irrequieto animo de loco in locum migrare ſolitus, ad omne ſpiritale exercitium ſenſim langueſcit, &
» in bonis operibus nequaquam proficit; idque non ſuo vitio, ſed eorum, quibuſcum
» degit, culpæ imputare ſolet. *Quapropter quicumque cœnobitarum forte propoſitum aggreditur, expedit ei, ut in quocumque monaſterio profeſſus fuerit, niſi tale fuerit, ut ibi malum facere invitus cogatur; tota mentis intentione amoris radicibus ibi radicare ſtudeat, atque aliorum mores aut loci conſuetudines, ſi contra divina præcepta non ſunt, etiam ſi inutiles videantur, dijudicare refugiat... Quod ſi ſibi videtur majora quædam ac utiliora ſpirituali fervore appetere, quam illi præſentis monaſterii inſtitutionibus liceat; æſtimet aut ſe falli, ſive præferendo paria paribus, vel majora minoribus; ſive præſumendo ſe poſſe quod non poſſit; aut certe credat, ſe non meruiſſe* » *quod deſiderat.* Idem in alia epiſtola [b] eumdem monet, ut ſollicite diſcutiat, quid
» quotidie proficiendo acquirat; & præteritos profectus pro nihilo reputet. Studeat
» vivere ut pauci, quia pauci electi. Neque vero, ſi hoc modo vivat, non ſtatim de
» ſecuritate electionis confidat: incertus quippe an jam ſit inter paucos electos, li» cet jam paucorum ſit ſimilis inter vocatos. Proinde non attendat, quam multos
» in via cæleſtis patriæ præcedat; ſed jugiter in anteriora, & ſollicite ſe extendat.
Præclara etiam ſcribit Heinrico [c] monacho, qui de Anglia in Italiam pergere volebat ad ſororem ſuam jugo ſervitutis liberandam, id monacho non expedire probans.

a *Anſelm. apud Eadm. lib. 1. ep. 29.*

b *id. ibid. epiſt. 2.*

c *ibid. ep. 15.*

LXXXI. Oſbernus abbas Uticenſis obit.

Hoc anno Oſbernus Uticenſis abbas, poſtquam cœnobio ſancti Ebrulfi quinque annis & duobus menſibus præfuiſſet, vir bonus, & de ſibi ſubjectis perquam ſollicitus, VI. kal. Junii obiit. Ita Willelmus [d] Gemeticenſis, quod Ordericus, domeſticus

d *Willelm. Gemet. lib. 7. c. 32.*

auctor, ſignantius [a] refert, ſcribens, Oſbernum Franciam, id eſt pagum Wilcaſſinum, rogatu Richardi de Heldrici-corte militis adiiſſe, & Rodbertum *eloquentem*, alioſque milites & plebeios Wilcaſſinenſes ſibi conciliaſſe, fundumque Heldrici ab eis recepiſſe. Inde reverſus, ut ſubdit idem auctor, lecto decubuit, & poſt aliquot dies, morbo ingraveſcente, in capitulum deductus venit: ubi epiſtolam ſuperius [b] memoratam, quam Alexandro papæ miſerat, palam recitari juſſit: ut cunctis manifeſtum fieret, ſe abbatiam Rodberto abbati non ſurripuiſſe, ſed invitum & quodam modo coactum ejus regimen ſubiiſſe. Dein fratres obteſtatus eſt, ut ſibi errata condonarent, ſuique memores eſſent. tum, *data confeſſione, ac ſacroſancta dominici corporis percepta communione*, poſtquam Uticenſis abbatiæ regimen quinque annis & tribus menſibus tenuiſſet, ſexto kal. Junii, inter manus fratrum litanias pro eo pie canentium, ſpiritum Deo reddidit. Poſtera die Vitalis Bernaicenſium abbas ad humandum amicum ſuum acceſſit, & in clauſtro juxta eccleſiam ſancti Petri eum ſepelivit: quo ex loco Mainerius ejus ſucceſſor ipſum poſt annos ſeptemdecim cum oſſibus Witmundi ejus ſocii, ſuperius laudati, in novum capitulum tranſtulit.

ANN. CHR. 1065.

a *Orderic. lib. 3. p. 491.*

b *ſup. n. 20.*

LXXXII. Diſcipuli ejus.

Primus inter ejus diſcipulos commemorandus venit Rainaldus, minimus filiorum Ernaldi de Eſcalfoio, Rodberti abbatis nepos, qui tribus [c] ante patris obitum menſibus Oſberno abbati traditus eſt, & ab eo ſub regulari diſciplina ſollicite educatus, cognominatuſque Benedictus. Quinquennis erat cum monaſticum ſubiit jugum, illudque quinquaginta-duobus annis ſub quatuor abbatibus per adverſa & proſpera fortiter portavit. Legendi & canendi peritiſſimus, pſalmodiæ maxime addictus, junioribus & bene morigeratis benigniſſimus; ſuperbis vero, & hypocritis, atque novitatum amatoribus in primis contrarius erat, quorum infeſtationes ſæpe ſuſtinuit. Bis in Apuliam, permiſſu Rogerii abbatis, propter utilitatem monaſterii profectus, illic Willermum fratrem ſuum, multoſque alios ex ſtirpe ſua, qui opibus abundabant, invenit. Tunc monaſterii ſanctæ Euphemiæ in Calabria abbas erat Willelmus, filius Unfridi de Telliolo, conſanguineus ſuus, cum quo tribus annis manſit, ejuſque dono cappam *ex * alba purpurea* ſancto Ebrulfo retulit. Denique ex ruptura inteſtinorum, quam ſibi ob fortes labores attulerat, per ſeptem annos conflictatus interiit. Duæ illi ſorores erant, Petronilla & Geva, ambæ virginitate Deo dicata factæ ſanctimoniales: quarum altera, ſcilicet Petronilla, in cœnobio ſanctæ Mariæ apud Andecavos, quod de Roncereio vocant, velum ſuſcepit, diuque ſecundum morem aliarum virginum *ſacrum ordinem* ſervavit; ac deinde per multos annos incluſa, fama virtutis & ſanctitatis longe lateque innotuit: altera, nempe Geva, in cœnobio ſanctæ Trinitatis, quod Mathildis comitiſſa, Willelmi Nortmannorum ducis conjux, Cadomi exſtruxerat, ſub Beatrice abbatiſſa regularem diſciplinam diu ſervando, aliaſque docendo, ſibi & aliis multum profuit.

c *Orderic. lib. 3. p. 490.*

* *f.* cum alba.

Alius Oſberni diſcipulus fuit Richardus de Heldrici-corte, miles Wilcaſſinenſis, qui in prœlio ad Eptam fluvium graviter vulneratus, monaſticæ profeſſioni ſe ſe devovit, & apud Uticenſes Oſberni abbatis ſe magiſterio mancipavit: ubi aliquantulum convaleſcens, ſeptem annis in ordine fervidus vixit, multiſque modis cœnobio profuit, patrimonio ſuo eidem collato. Ejus rogatu Oſbernus abbas, ut diximus, pagum Wilcaſſinum adiit, indeque reverſus, paullo poſt defunctus eſt. Mainerius abbas, ejus loci prior, conſilio Hugonis Lexovienſis epiſcopi ſubſtitutus eſt a Willelmo duce, qui ei per paſtoralem baculum tradidit curam exteriorem; ſpiritualem vero Hugo, qui eum XVII. kalend. Auguſti benedixit. Ordinatus porro quoſdam e fratribus electioni ſuæ repugnantes humanitatis officiis ſibi devinxit, multiſque modis monaſterium intus & exterius emendavit. Ad hæc novam eccleſiam, & ædificia omnia monachis congrua conſtruxit, rexitque monaſterium annis XXII. Hæc fuſius apud Ordericum [d], qui ait, Lanfranco commiſſam fuiſſe a Willelmo Cadomenſem ſancti Stephani abbatiam eodem die, quo Mainerii abbatis electio facta eſt.

Mainerius ejus ſucceſſor.

d *Orderic. p. 494.*

Idem annus Landrici, ſancti Petri Carnutenſis abbatis, ſupremus fuit, poſt annos præfecturæ triginta-ſex. In necrologio ejus loci pridie idus Martii obiiſſe dicitur *Landricus abbas hujus monaſterii*, cujus tempore multum accrevit res familiaris, ut patet ex variis inſtrumentis donationum, & ex ejus epitaphio, quod in veteri membrana ſic habetur.

LXXXIII. Landrici abbatis Carnutenſis obitus.

ANN. CHR. 1065.

Huc flectens oculos paullum subsiste viator,
Discque quis fuerit, quem tumulus tegit hic.
Hæc corpus parva Landrici continet urna,
Nostri pastoris & patris eximii.
Vivere dum quivit, subjectos qui bene rexit,
Ostendens factis, quod docuit monitis.
Mitibus exstitit hic clemens, pius atque benignus;
Inflatos spernens, fortiter hos reprimens.
Vir bonus & prudens ad grandem vexit honorem
Hanc sibi commissam digniter ecclesiam:
Ter-denis & ter-binis cui præfuit annis.
Tunc caput extulit hæc, post similis viduæ.
Exiit hic hominem, sanctus sicut Leobinus,
Cujus Mars festum monstrat adesse diem.
Pax tibi sit, Landrice pater, requiesque perennis:
Cunctis cum sanctis gaudia jam tibi sint. Amen.

Hucbertus ejus successor.

In locum Landrici Rotbertus, Carnutensium præsul, Hucbertum Majoris-monasterii monachum, quem Berengarii discipulum fuisse tradunt, substituere conatus est; obsistentes vero monachos anathemate perculit, quod post tres menses a summo pontifice solutum est. Sed tandem, urgente scilicet episcopo, Hucbertus electus, a legato pontificio benedicitur. Hic decessoris sui vestigia strenue pressit, ab optimatibus plurimi factus, quorum non paucos ad monasticam professionem admisit, multis prædiis ab ipsis donatus. Is est, qui Gelduinum Dolensem levitam, & electum episcopum, sed a Romano pontifice haud probatum, in reditu ex urbe Roma excepit, ut postea videbimus. Qui Hucberti electionem promovit Rotbertus episcopus, Agoberto successerat, superioribus annis non semel laudato, quem Sancta-Marthani Rotberto perperam postponunt. In necrologio sancti Petri v. idus Decembris Agobertus episcopus Carnutensis obiisse dicitur. Certe in vetustis indicibus postponitur Rotbertus, qui legatus sedis apostolicæ in Aquitania fuisse dicitur, & quidem *bonus*, quippe qui *totam Aquitaniam propriis sumtibus visitavit*, ut in veteri indice legitur. Is est sine dubio pontificius ille legatus, qui Hucbertum abbatem benedixit. Rotberti episcopi successor Adraldus seu Arraldus Hucberto abbati tam infestus fuit, quam favorabilis Rotbertus.

LXXXIV. Gordiniacum datur Cluniacensibus.

Hoc quoque anno Raimundus comes, ut puto, Rutenensis *, Gordiniacensem abbatiam, in pago Uzetico sitam, Hugoni abbati & Cluniacensi monasterio subjecit, ut eam Cluniacenses regant & ordinent secundum Deum & regulam sancti Benedicti, & sit semper sub moderamine sancti Saturnini, quæ Cluniaci cella erat in eodem pago. Facta est hæc charta anno ab incarnatione Domini M LXV. indictione tertia, mense Augusto, in cœnobio sancti Saturnini, scripta a Willelmo monacho & sacerdote Teutonico. Huic instrumento subscripta sunt signa ipsius Raimundi comitis, Willelmi *Sabran*, Rostagni *Carinian.*

a *V. infra n.* 103.

* *Semur.*

Sinemuri cella beatæ Mariæ.

Sub idem tempus Sinemuri * in pago Alexiensi condita est a Rotberto Burgundiæ duce insignis basilica in honorem beatæ Mariæ, cum cella, Flaviniacensi abbatiæ subjecta. Hujus cellæ prior fuit doctissimus Genebrardus, scriptis celeberrimus, cujus tumulus ibidem in basilica beatæ Mariæ conspicitur.

LXXXV. S. Rigaldi monasterii primordia & abbates.

* *d'Avoise.*

Exstat in diœcesi Matisconensi sancti Rigaldi seu Rigaltii monasterium, in silva Avesa * positum haud procul ab opido Roana ad Ligerim, primitus in honorem sanctissimæ Trinitatis, beatæ Mariæ semper Virginis & sancti Rigaldi martyris consecratum, quod ab Eustorgio, Iciodorensi apud Arvernos monacho, originem accepit. Primum ejus loci quod nobis occurrit instrumentum, est cujusdam Artaldi filii Bosonis, datum anno ab incarnatione Domini M LXV. quo idem Artaldus instante obitu suo confert ejusdem loci monachis *totam terram, prata, silvam, culta & inculta, a rivo Simploïone* * *usque ad rivum Auseriæ* *, prout totum sibi ex paterna hereditate obtigerat, laudante uxore sua Stephana, quæ juxta virum suum se sepeliri velle testata est. Hæc mortuo viro suo, cum Roanæ ad mortem infirmaretur, convocavit monachos, Eustorgium scilicet priorem & Hugonem,

* *Supleon.*
* *Oziere.*

ANN. CHR. 1065.

rogavitque, ut Drogonem Matisconensem episcopum ad se invisendam invitarent. Huic peccata sua confessa est, & mariti sui donationem confirmavit, quibusdam aliis de suo additis, in his ecclesia Laniaci *. quæ omnia Drogo episcopus rata esse voluit. In alio instrumento, quod Johannes a Mura [a] edidit, legitur, exiguum hoc monasterium Alexandri II. papæ præcepto & Gregorii VII. auctoritate munitum, ab Artaldo viro præponente & locuplete ortum habuisse, qui partem terræ suæ ad ejus constructionem contulerit, favente Drogone Matisconensi episcopo cum Humberto archiepiscopo Lugdunensi, necnon Humberto Burbunensi comite, Hugone Cabilonensi, Widone Matisconensi, Willelmo Forensi comitibus, aliisque, quorum nomina in prædicto instrumento recensentur.

* *Ligny.*
a *La Mure* p. 295. *& seq.*

Primus ejus loci abbas fuit Eustorgius, *prior* tantum superius dictus, cui Alexander II. litteras apostolicæ tutelæ concessit, inscriptas *congregationi de monasterio sancti Rigaldi de Avesa*, in quibus *venerabilis frater Eustorgius, monasterii sancti Austremonii de Arvernio monachus*, desertum hunc locum adiisse, & inhabitasse dicitur, ibique monasterii & *aliquantulæ congregationis* initia posuisse, atque interventu Aganonis Augustodunensis episcopi postulasse, ut idem monasterium *in apostolicæ jura* reciperet pontifex, & *privilegio apostolicæ tuitionis muniret.* Cujus postulatis ille annuit, statuitque ut nullus in eodem monasterio, nisi per electionem fratrum, juxta regulam sancti Benedicti, abbas constituatur. *Datum Laterani* XVI. *kal. Aprilis per manus Petri S. R. E. presbyteri cardinalis, anno* X. *pontificatus domni Alexandri II. papæ, anno dominicæ incarnationis* M LXXI. *indictione* VIIII. Eustorgio abbati successit Hugo, quem Humbertus Lugdunensis archiepiscopus anno sequenti, vacante post Drogonis obitum episcopatu Matisconensi, abbatem ordinavit. Aliorum abbatum nomina recensentur initio historiæ monasterii Insulæ-Barbarensis, ubi *Artaudus miles de Neyronda*, sancti Rigaltii monasterii fundator dicitur. Quis sit sanctus iste Rigaltius seu Rigaldus, incertum. Nulla ejus mentio in Martyrologiis, ne quidem Gallicano. Ejus festum sub titulo martyris colitur nonis Octobris in ipsius monasterio, quod adhuc supereſt, ad paucos monachos redactum, direptum a Calviniſtis, qui monachos ejus loci occiderunt. De Drogone episcopo mox laudato hæc legi ad marginem veteris martyrologii Matisconensis: *Pridie nonas Martii Drogo Matisconsis episcopus, vir misericordia ac bonis operibus plenus, ab hac ærumnosa & mortali vita feliciter migravit ad Dominum. Corpus ejus requiescit Aurelianis in ecclesia sancti Evurtii.*

LXXXVI. Fructuariæ facta donatio.

Fructuariensi monasterio tum præerat Albertus [b] abbas ejus nominis secundus, cum Heinricus Germaniæ rex, interventu matris suæ Agnetis, quæ tunc in Germania versabatur, & in Fructuarienses optime affecta erat, quemdam locum, Rivum-tortum * [c] vocabulo, in Aquensi comitatu situm, eidem monasterio contulit. *Data kal. Aprilis, anno dominicæ incarnationis* M LXV. *indictione* III. *anno autem ordinationis Heinrici* IV. *regis* XII. *regni vero* IX. *Actum Wormatiæ.* Gregorius cancellarius vice Annonis archicancellarii recognovit. Hic est Anno Colonienſis archiepiscopus, cui Heinricum valde infestum reddiderat Adalbertus Bremensis archiepiscopus, ut regis gratiam sibi uni attraheret; eoque regis animum accenderat, ut in virum sanctum animadvertisset, nisi Agnes imperatrix, opportune in Germaniam profecta, regis furorem repressisset. Rem gestam narrat Lambertus ad hunc annum, ubi ait, regem hoc anno pascha Wormatiæ celebrasse; quod cum prædicto diplomate convenit; & inter missarum sollemnia, quæ Adalbertus archiepiscopus celebravit, dum ille sermonem ad populum faceret, hominem quemdam ab infestatione dæmonis purgatum fuisse, stupentibus cunctis, quod vir nulla virtute præditus, ejusmodi signum fecisset: quod ejus æmuli populi precibus potius tribuendum aïebant. Dum Agnes in Germania moraretur, epistolam [d] ad eam scripsit Petrus-Damiani, ejus absentiam gravate ferens; dolensque, quod ejus in Germaniam profectioni non se opposuisset. In ejus absentia Romam mærere ait, immo totam lamentari Italiam. Redeat proinde Romam quam primum; illic *cum Petronilla* habitura sepulturam. Agnes quippe Romæ in parthenone beatæ Petronillæ demorabatur, ubi & mortua est.

b *V. lib.* 60. *n.* 72.
* *Rivatorta.*
c *Bibl. Sebus.* p. 384.

d *Petr. Dam. lib.* 7. *epist.* 3.

LXXXVII. S. Maximini privilegia.

Wormatia digressus Heinricus, urbem Trevirorum adiit, ubi rogatu Adalberti & Eberhardi archiepiscoporum, atque etiam Annonis, quem in gratiam receperat, cœnobii sancti Maximini privilegia confirmavit, eidemque [e] advocati jura,

c *Du Chesne Luxembourg* p. 28.

ANN. CHR. 1065. Corbeiæ novæ abbatia distracta.

rogatu Theoderici abbatis, definivit. Verum in Saxoniam retractus Heinricus ab Adalberto archiepiscopo, qui omnes illorum locorum ecclesias & abbatias in suam potestatem redigere moliebatur, Corbeiæ novæ abbatiam eidem tradidit : cujus rei diploma Schatenus [a] refert, datum Goslariæ hoc anno, XIV. kal. Novembris. Simili diplomate apud Maderum relato Lauresheimensem abbatiam eidem helluoni dedit. Sigehardus cancellarius vice Sigefridi archicancellarii recognovit, qui Sigefridus erat archiepiscopus Moguntinus. Duo itaque erant eodem tempore pro diversis locis archicancellarii, Anno & Sigefridus. Tunc dispersa fuit Corbeiæ congregatio, gementibus & palabundis monachis, qui Deum bonorum vindicem implorabant. Factum est ut illi optabant, rejectusque ab Heinrico Adalbertus post biennium, unde, teste ejus loci chronographo, Adalberti facinus omnis populus damnat ; damnabit sera posteritas. De his quæ Lauresheimio contigere, superius actum est.

a *Annal. Paderborn.*

Adalbero episcopus Wormatiæ.

Eodem anno decessit Arnolfus Wormatiæ episcopus, vir insignis modestiæ & pietatis. Huic successit Adalbero monachus ex monasterio sancti Galli, frater Rudolfi ducis, uno pede omnino debilis, vir omnino dignus spectaculo, teste Lamberto, utpote vir fortitudinis ingentis, edacitatis nimiæ, adeoque crassitudinis tantæ, ut videntibus horrorem incuteret : qua crassitudine, ut fertur præfocatus, post annos quinque interiit. Hæc fere Lambertus. Aliam tamen de eo sententiam ingerit ipsius Adalberonis epitaphium, in quo fervens & sincero pectore fuisse dicitur, & Wangiones rectam fidem tenere docuisse ; atque ita vixisse, ut astra mortuus adire meruerit.

LXXXVIII. Ansuerus monachus martyr, aliique.

Chronographus Saxonicus nondum editus ad hunc annum scribit, gravem in Saxones persecutionem excitatam fuisse a Sclavis, a quibus primum cæsus est Leontiæ VII. idus Junii optimus princeps Godescalcus, qui Sclavoniæ magnam partem ad christianam fidem converterat. Dein Ansuerus monachus apud Raziſburgum cum multis obruitur lapidibus, qui, cum ad passionem duceretur, paganos rogasse dicitur, ut prius socii, quos deficere timebat, lapidarentur, quibus martyrio coronatis, ipse gaudens, exemplo sancti Stephani, genibus flexis occubuit. Passio illorum idibus Julii contigit. Ansuerus Raziſburgi in monasterio sancti Georgii humatus fuisse dicitur. Non multo post Johannes Magnopolitanus episcopus senex cum multis aliis christianis, primo fustibus cæsus ; dein per singulas Sclavorum civitates ad ludibrium ductus ; demum, cum a Christi fide flecti non posset, truncatis pedibus manibusque, truncum cadaver in platea projectum ; caput vero defectum pagani conto præfixum *in titulum victoriæ Deo suo Redegosti immolaverunt*. Hæc in metropoli Sclavorum Rethre gesta sunt IIII. idus Novembris. Hac victoria insolentes Sclavi, Hammaburgensem provinciam ferro & igne depopulati sunt. Hujus cladis auctor fuisse dicitur Blusso, qui Godescalci sororem conjugem habuit ; domumque reversus & ipse obtruncatus est. Hæc tertia est Sclavorum a fide christiana defectio : qui primo ad fidem adducti sunt a Carolo Magno ; dein ab Ottone tertio ; tertio autem a Godescalco mox laudato.

LXXXIX. Einsidlæ & Muri abbates.

Einsidlæ hoc anno vita functus est Hermannus abbas VII. idus Aprilis, cum illi loco annos tredecim cum duobus fere mensibus præfuisset. Hunc excepit Heinricus ejus nominis primus ex comitibus Lupoduni, Stulingorum Landgraviis. Hermanno mortuo, veriti Murenses, qui Burchardum ab eo secundum præpositum acceperant, ne ex eo jus sibi aliquod in Murense monasterium vindicarent Einsidlenses, communi suffragio eumdem Burchardum abbatem elegerunt. Hic itaque primus ejus loci factus abbas, eum ornare, in regulari disciplina confirmare, & augere pergit. Mortuus post annos septem idibus Januarii, sepultus fuit, uti petierat, ad fores monasterii, ut dominicis diebus fratres cum processione ipsius tumulum circumirent.

Hirsaugiæ restitutio.

Interim restituto Hirsaugiensi monasterio Adelbertus comes a Calwe novam monachorum coloniam ab Einsidla expetiit. Missi inde monachi duodecim cum Friderico venerabili viro, ex gente Suevorum a teneris Einsidlæ educato, quem sibi abbatem præfecerunt, omnesque Hirsaugiam hoc anno appulerunt, excepti humanissime ab Adelberto comite & Viltrude ejus conjuge, qui eis necessaria quæque affatim suppeditarunt, & basilicam quam primum absolvi & dedicari curarunt. Quanta vero paullo post a monachis ipsis Fridericus passus sit, inferius videbimus.

Alberto secundo sancti Michaëlis ad Mosam abbate, cujus superius [*] meminimus, vir quidam prænobilis, Willelmus nomine, metuens criminum suorum gravitatem, & sæculi hujus insatiabili cupiditati & ambitioni nuntium remittere cupiens, a domno Alberto abbate sancti Michaëlis *sacræ religionis habitum petiit*, obtinuitque ; & in ejus præsentia, multorumque nobilium, partem alodii sui apud villam *Mareis* eidem monasterio concessit, aliaque nonnulla postea superaddidit. Testes nobilissimi Fulco ejus filius, Widricus Grossus, aliique. Ejusdem Alberti tempore nova sancti Michaëlis basilica post aliquot annos dedicata est.

ANN. CHR. 1065. Willelmi virinobilis apud S. Michaëlem conversio.

a *lib. 60. n. 9.*

XCI. S. Trudonis advocati jura explicata & cœnobium instauratum.

Ex superioribus libris manifestum est, Sarcinense sancti Trudonis monasterium ab ipso conditore suo Trudone subjectum fuisse Mettensi ecclesiæ. Hanc regebat eo tempore Adalbero, Heinrici Bajoariæ ducis & Frederici Mosanæ Lotharingiæ ducis germanus frater, qui Frederico advocati officium in illo monasterio concesserat. Mortuo Frederico successit in ducatu & advocati munere Udo, qui forte advocati jura præter morem augere studebat. Ideo hæc explicare volens Adalbero, majores-natu illorum locorum hac de re consuluit ; eisque auditis, advocati & subadvocati jura explicavit. Actum hoc anno in castello Salemburga, ut fusius legitur in litteris a Miræo [b] vulgatis, quibus multi cum Adalberone episcopo subscripserunt, in his Adalbero primicerius, Theodericus nepos ejus, Odelricus frater Gerardi ducis Lotharingiæ Mosellanæ, aliique. Regebat tunc temporis illud monasterium Adelardus abbas, eo nomine secundus, cujus magna erat apud Adalberonem auctoritas, ut Rodulfus [c] chronographus tradit. Eo abbate, cum crebra fierent ad tumulum sancti Trudonis miracula, multum crevere monasterii opes ex oblationibus fidelium, quæ per hebdomadam *centum libris* [d] æstimari poterant. Hinc Adelardus monasterium, vetustate jam ruinæ proximum, subjectasque ecclesias instaurare cœpit : qua in re mira fuit hominum undequaque concurrentium devotio, qui ad illud opus incredibili studio lapides, calcem, sabulum, ligna, immo & columnas e longinquo convehebant.

b *Mir. cod. donat. p. 176.*

c *Spicil. to. 7. p. 355.*

d *ibid. p. 358.*

XCII. Ferdinandi regis mors pia.

In Hispania Ferdinandus Magnus, rex Castellæ & Legionis, Mauris sæpe devictis, vivendi ac regnandi finem fecit. De instante obitu a sancto Isidoro episcopo, quem peculiari devotione colebat, & cujus reliquias paullo ante Legionem transferri curaverat, in somnis admonitus, in illam urbem lectica militari se deferri jussit, eoque pervenit IX. kal. Januarias. Illic sancti Isidori corpus pie veneratus, etsi morbo jam ingravescente, nocturnis precibus vigiliæ natalis Domini interfuit. Sequenti luce, celebratis sacris mysteriis, corpore & sanguine Domini reficitur. Die altero, vocatis ad se episcopis & abbatibus, aliisque religiosis viris, ut exitum suum precibus munirent ; regio cultu ornatus, ad ecclesiam defertur : ubi regnum & animam Deo commendat : positisque diademate & insignibus regiis, ab episcopis pœnitentiæ & sacræ unctionis, quam extremam vocant, sacramentis expiatus ; ad hæc indutus cilicio, ac cinere consperſus caput, die tertio, qui sancti Johannis-Evangelistæ memoriæ sacer est, animam Deo reddidit, honorifice humatus ad Sancium patrem suum in ecclesia sancti Isidori, quam cum adjuncto monasterio condiderat. Neque illud solum ejus beneficium est in Ordinem nostrum, nam sanctorum Facundi & Primitivi cœnobium, aliaque reformari curavit per nostros Cluniacenses, quibus mille aureos quotannis ex regiis vectigalibus pendi jussit : quem censum Sancius ejus filius ac successor duplo auxit. Sancia regina, Ferdinandi uxor, biennio tantum superstes, prope viri sepulcrum posita est.

ANN. CHR. 1066. XCIII. Edwardus rex sepultus in Westmonasterio.

INeunte anno M LXVI. Edwardus, Anglorum rex piissimus, cælesti regno terrenum commutavit, mortuus nonis Januarii, sepultusque Londini in novo monasterio, quod ipse in occidentali urbis parte, ob id Westmonasterium dictum, in honorem sancti Petri de novo [e] construxerat, & præcedente hebdomada dedicari curaverat. Paullo ante obitum Willelmo Normannorum duci, consanguineo suo, regnum resignaverat, misso ad eum Haroldo, qui, contra fidem Willelmo datam, statim ab Edwardi obitu regnum usurpavit : sed non diu tenuit, victus cæsusque a Willelmo, qui deinceps regno Angliæ cum suo ducatu potitus est ; exstruxitque monasterium de Bello nuncupatum eo [f] in loco, ubi victoriam obtinuit. Exstat Edwardi insigne diploma, datum ipso die, quo Westmonasterii basilica dedicata est, scilicet V. kal. Januarii, die festo sanctorum Innocentium. In illo diplomate rex testatur, se decimam totius substantiæ suæ, tam in auro & argento, quam in

e *V. lib. 59. n. 70.*

f *Monast. Anglic. to. 1. p. 59. & seqq.*

AN. CHR. 1066. „ pecudibus & omni poſſeſſionis genere, contuliſſe ad inſtaurandam illam baſilicam, & in ea collocaſſe reliquias, quas Martinus & Leo Romani pontifices olim „ Alfredo regi dederant; & quas idem Alfredus a Carlomanno rege Francorum „ obtinuerat, cujus filiam pater ejus Ethelwlfus rex, poſt mortem primæ conjugis, „ uxorem duxerat: ſcilicet duas partes crucis Domini, & partem unius clavi, *par-* „ *temque tunicæ ejus inconſutilis*, & alias reliquias. ubi quod de Carlomanno rege Francorum dicitur, intelligendum eſt de Carolo Calvo, cujus filiam Ethelwlfus ſecundis nuptiis duxerat. Præter ea Edwardus ſtatuit, ut quicumque reus majeſtatis regiæ, vel cujuſlibet alterius offenſæ, ad illam baſilicam confugerit, membrorum ac vitæ impunitatem conſequatur. Denique omnes donationes eidem loco factas confirmat cum libera facultate eligendi abbatis ſecundum regulam ſancti Benedicti. Huic diplomati ſubſcribunt poſt Edwardum regem & Eadgitham reginam Stigandus archiepiſcopus Cantuarienſis, tametſi ab Alexandro papa ſuſpenſus, & Ealdredus Eboracenſis, aliique octo epiſcopi, ac ſeptem abbates, qui omnes haud nominant eccleſias, quibus præerant. Inter illos epiſcopos quintus eſt Wolſtanus Wigornienſis, de quo id ſcribitur in ejus vita, quod in perverſos illius temporis mores ſtrenue invectus ſit, in primis in eos, qui crines promiſſos gerebant, quos parato ad hoc cultello reſecare conſueverat. ſi qui vero repugnarent, eis mollitiem palam exprobrare ſolebat, dictitans fore, ut *qui æmularentur capillorum flexu feminas, non plus quam feminæ valerent ad defenſandam patriam contra gentes tranſmarinas*, id eſt Nortmannos, qui paullo poſt re vera Anglos in poteſtatem redegerunt. Ex ſeptem illis abbatibus, qui diplomati ſubſcripſere, Ægelſius ſeu Egelſinus abbas erat Cantuarienſis, Leofricus ſancti Albani, Baldewinus ſancti Eadmundi, aliorum ſedes mihi incompertæ. Baldewinus ſeu Balduinus, ex monacho [a] ſancti Dionyſii in Francia, de quo ſuperius, anno præcedente ſucceſſerat Leofſtano ſancti Eadmundi abbati, vir magnæ religionis, teſte Orderico, illudque monaſterium triginta-duobus annis rexit.

[a] *ibid. p. 295.*

Willelmus in Angliam trajecturus, cum valido exercitu venit ad ſanctum Walericum, cujus corpus *pro vento deprecando ſub divo juſſit exponi.* quod pro voto ſtatim obtinuit, teſtante Guidone apud Albericum. In Angliam appulſus, nocte prœlium antecedente, dum Haroldus cum ſuis, cantibus potibuſque indulgeret, Willelmus contra ſuique confeſſioni peccatorum vacabant. qui omnes prima luce ſacra communione refecti, inſignem de adverſariis victoriam cum Haroldi cæde reportarunt.

Willelmus rex coronatur.

Haroldus a Willelmo interfectus eſt die feſto ſancti Calliſti, id eſt pridie idus Octobris: Willelmus vero ipſe in nativitate Domini, quæ illo anno in feriam ſecundam incidebat, apud Weſtmonaſterium rex coronatus eſt ab Aldredo Eboracenſi epiſcopo, propterea quod Stigando archiepiſcopo Cantuarienſi, cujus id erat officium, epiſcopalia munia interdicta erant. Unde idem Stigandus a facie Willelmi fugiens, ad Elienſem inſulam ſe recepit, ejuſque juſſu Egfridus, quem paullo ante ſancti Albani abbatem conſtituerat, cum theſauris eccleſiæ & reliquiis ejuſdem ſancti eodem confugit, uti & multi alii nobiles Angli, qui loci præſidio muniti, contra novum regem rebellarunt. qua re Willelmus graviter commotus, cunctas Elienſis eccleſiæ poſſeſſiones diripi juſſit; quæ vero extra inſulam poſitæ erant, militibus ſuis diſtribuit. Tunc Elienſi monaſterio præerat Turſtanus [b] abbas, qui cum ſuis ad inopiam redactus, Willelmum apud Warwicum adiit, qui regis gratiam, bonorumque ſuorum redintegrationem mille argenti marcis redemit, ex ſacra eccleſiæ ſupellectile conflatis. Hæc omnia diſcimus ex Thoma [c] Elienſi.

Elienſis monaſterii ſtatus.

[b] *Vr. lib. 58. n. 71.*

[c] *Angl. Sac. to. 1. p. 609. & ſeq.*

XCIV. S. Albani abbates & varii ſucceſſus.

Qui hic Egfridus ſancti Albani abbas dicitur, Alfricus vocatur a Matthæo Pariſio, a quo is undecimus ejus loci abbas recenſetur. De hujus monaſterii percelebris origine paucis actum eſt in ſecundo [d] tomo, ubi monaſterium illud ab Offa rege conditum diximus, eique primum abbatem Willegodum præfuiſſe. Hic ſupplenda ſunt ea, quæ ſuis locis omiſimus, utpote non ſatis temporum ſerie diſtincta, repetenda ex Matthæo Pariſio, qui acta viginti-trium ſancti Albani abbatum compoſuit. Rex Offa Willegodi abbatis totiuſque conventus aſſenſu feſtum ſancti Albani tranſtulit in craſtinum ſancti Petri, ne principis apoſtolorum feſtivitas aliquo modo mutilaretur. Ad hoc idem rex, imminente obitu ſuo, donationis ſuæ chartas ſuper altare beati Albani poſuit anno DCC XCV. & non multo poſt deceſſit, atque etiam Willegodus abbas anno ſequenti.

[d] *lib. 26. n. 10.*

Huic

ANN. CHR. 1066.

Huic ſucceſſit Eadricus abbas eximius, Offæ regi ſanguine propinquus. qui eccleſiam ſibi commiſſam ſtrenue rexit, defenditque contra præpotentes homines, qui de regis Offæ in ſanctum Albanum munificentia conquerebantur.

Wlſigus ſeu Wlſinus tertius abbas, regio itidem ſanguine procreatus, ab anteceſſorum modeſtia degeneravit. nam regiæ ſtirpis origine inflatus, habitum ſuum tam forma, quam colore mutavit, ſericis uſus veſtimentis; inſuper venationi addictus & poculis, nobiles mulieres ad menſam adhibere ſolitus; denique rei familiaris dilapidator, quam ad maritandas conſanguineas ſuas inſumebat. Hinc exſpirante odore bonæ famæ, quo ab initio illic fragravit religio, caritatis & devotionis igniculus refrixit. His offenſi viri graves & potentes e monachis, eo mortuo inſurrexerunt in ejus conſanguineos, quos demum bonis obtentis ſpoliarunt.

Wlnothus quartus abbas, duobus vel tribus primis annis ſuæ præfecturæ, errores anteceſſoris emendare ſollicitus, poſtea eo pejor factus, tam formam cucullæ & frocci, quam colorem mutavit. Sed tandem paralyſi percuſſus, poſt undecim annos reſipuit. Hic ſanctimoniales, quas ejus anteceſſor una in domo prope monaſterium collocaverat, paullo longius, ut infamiæ ſuſpicionem purgaret, removit, eiſque ſilentium & alia regularia exercitia præſcripſit; ſtatuitque, ut horas matutinas ac diurnas in eccleſia ſancti Albani audirent, & ab eſu carnium abſtinerent.

Eadfridus quintus abbas, ex Saxonum magnatibus originem ducens, rigore clauſtri poſtpoſito, in comeſſationibus & otio tempus contrivit; in camera hoſpitum aſſiduus, in clauſtro rarus, in choro rarior. De eo id unum laudatur, quod *ſcyphum quemdam*, materia & artificio pretioſum, acquiſivit, beatoque Albano obtulit *ad corpus dominicum reponendum*. Ejus tempore baſilica in honorem ſancti Germani epiſcopi Autiſiodorenſis conſtructa eſt eo in loco, ubi ſanctus præſul corpus beati Albani e terra levaverat. In illa eccleſia Ulfo monachus eximiæ ſanctitatis, Dacus origine & abbatis propinquus, diutiſſime vitam ſolitariam duxit. Poſt ejus obitum Eadfridus tandem ad ſanam mentem reverſus, depoſito omni faſtu cum abbatiali præfectura, ibidem Ulfonis exemplo ſolitarius vixit, & priſtina errata deflevit.

Magnam ei reverentiam exhibuit Wlſigus ſeu Wlſinus ejus ſucceſſor, eo nomine ſecundus, ſancti Albani abbas ſextus, qui in rebus ſpiritualibus & temporalibus recte ſe geſſit, plenuſque dierum feliciter ad Dominum migravit.

Alfricus abbas ſeptimus, tametſi a Matthæo valde laudatus, hoc unum feciſſe dicitur, quod quamdam piſcinam ſeu piſcariam, monaſterio magnopere noxiam, multa pecunia, necnon pretioſo illo *ſcypho*, in quo corpus Domini reponebatur, a rege comparavit.

Ealdredus abbas octavus vetera exciſæ Verolamiæ civitatis rudera perſcrutatus, infinita rerum antiquarum monumenta, uti & materias novæ ædificandæ baſilicæ aptas eruit; anchoras quoque, conchylia & alia id genus, quæ magnum illic quondam flumen exſtitiſſe arguebant, tametſi nonniſi exiguus rivulus ſupereſſet.

Idem opus proſecutus ejus ſucceſſor Eadmarus abbas nonus, ſacris litteris inſtructus & morum honeſtate præditus. Hic Verolamiæ ruinas dum rimaretur; illic veteris palatii reliquias invenit, & in quodam veluti armariolo cum nonnullis minoribus libris cujuſdam codicis volumen ignotæ ſcripturæ, cujus epigrammata & tituli aureis litteris exarati erant: quæ omnia quidam ſacerdos, nomine Unwona, explicavit, & antiquo Britonum idiomate ſcripta eſſe dixit. In his erat vita ſancti Albani martyris, inſuper quædam commenta diabolica, quæ igne combuſta ſunt.

Eadmaro ſucceſſit Leofricus abbas decimus, comitis Cantiæ filius, qui prædicto Eadmundi regis diplomati ſubſcripſit. Hic veſtibus *purpureis*, ſed tamen *nigris*, uſus fuiſſe perhibetur, & nonniſi nobiles in monachos admiſiſſe. Falſus videtur Matthæus, cum eum ad Cantuarienſem pontificatum promotum fuiſſe dicit.

Huic ſucceſſit Alfricus ejus uterinus frater, ſancti Albani abbas undecimus, qui vitæ inculpatæ fuiſſe videtur. Hic Egfridus vocatur a Thoma Elienſi, idemque a facie regis Willelmi fugiens, cum theſauris eccleſiæ ſuæ & ſancti Albani reliquiis, ut ſupra dicebamus, ad Elienſe monaſterium ſe recepit. Matthæus Pariſius tradit, Alfricum ſeu Egfridum abbatem veras ſancti Albani reliquias cum loculo in ſuæ eccleſiæ loco ſecreto recondidiſſe, & cujuſdam ſancti monachi reliquias *in capſide pretioſa* repoſitas, quas ſancti Albani eſſe dicebat, Elienſibus commi-

ANN. CHR. 1066.

sisse: ne, si veras sancti Albani reliquias eis commisisset, eas repetentibus non redderent. quæ cautela opportuna fuit, ut probavit eventus. nam post unum annum, cum prædictas reliquias ab Elienſibus ſibi reſtitui poſtularet Egfridus, eas illi reddere noluerunt: ſed tamen metu papæ & regis commoti, reliquias neſcio quas Albanienſibus reſtituerunt, qui demum pacatis rebus e loco illo ſecreto ſancti Albani veras reliquias extulerunt. Horum fides ſit penes Matthæum.

Alfrico ſucceſſit Leofſtanus duodecimus abbas, qui regi Edwardo a confeſſionibus & conſiliis fuiſſe dicitur: quem excepit Frethericus, ex antiquis Saxonum proceribus ortus, ad abbatiam promotus ipſo anno, quo Willelmus dux Angliam conquiſivit. Cui cum Frethericus adverſatus eſſet, eo tandem in regno ſtabilito ad Elienſem inſulam confugere coactus eſt abbas, ubi & deceſſit; ejuſque in locum Paulus abbas ſuffectus, de quo alias.

XCV. Cadomenſis parthenonis dedicatio.

Antequam in Angliam transfretaret Willelmus, Cadomenſis parthenonis eccleſiam, quam antea cum Mathilde uxore conſtruxerat, dedicari curavit. Hæc dedicatio XIV. kal. Julii facta eſt: quo die Willelmus ipſe & Mathildis complures villas & eccleſias in dotem novæ baſilicæ contulerunt. Ad hæc idem Willelmus, ex communi conſenſu Maurilii archiepiſcopi & Odonis epiſcopi diœceſani, id eſt Bajocenſis, necnon epiſcoporum Hugonis Lexovienſis ac Johannis Abrincenſis, multorumque nobilium, qui præſentes aderant, in primis Willelmi Oſbernidæ, Rotgerii de Monte-Gomerio, Hugonis de Monte-forti, & Radulfi camerarii, hanc eccleſiam liberam eſſe voluit, *tam in clericis, quam in abbatiſſa & ſanctimonialibus, & ejuſdem eccleſiæ cibo ſuſtentatis ab omni pecuniæ debito, hoc excepto, quod divinæ ſubjacet correptioni.* Præter ea Odo epiſcopus liberam ibidem Cadomenſium conceſſit ſepulturam, abſque ulla preſbyteri eorum exactione. His peractis, Willelmus & Mathildis filiam ſuam, nomine Cæciliam, Deo ipſo die obtulerunt, ut in eodem loco Deo perenniter deſerviret. Horum omnium litteris ſubſcribunt cum prævio ſigno crucis Willelmus comes, Mathildis comitiſſa, Rotbertus, Richardus & Guillelmus filii comitis, Hugo de Monte-forti, Rannulfus & Richardus vicecomites, Rotbertus *Bertran*, Radulfus camerarius; Gauffridus de *Calmunt*, Radulfus Taxo; tum Maurilius archipræſul, Hugo Luxovienſis ſeu Lexovienſis præſul, Odo Bajocenſis, Johannes Abrincenſis, Balduinus Ebroïcenſis; dein Guillelmus Oſberni filius, Robertus de Monte-Gomerio, & alii; poſtremo abbates Nicolaus ſancti Audoëni, Johannes Fiſcamnenſis, Rannulfus ſancti Michaëlis, Gerbertus ſancti Wandregiſili, Warinus ſancti Vigoris, Guillelmus Ebroïcenſis, Hugo de *Lonlers*, & Herluinus Beccenſis.

XCVI. S. Vigoris monaſterium. a *Orderic lib. 8. p. 665.*

Si Warinus modo memoratus fuerit abbas ſancti Vigoris prope Bajocas, dicendum eſt jam tunc monachos illic exſtitiſſe, & Warinum ibidem primum abbatem fuiſſe. Verum Ordericus [a] his non omnino conſentit, cum ait, Odonem epiſcopum ad eccleſiam ſancti Vigoris epiſcopi Bajocenſis, quæ ſita eſt juxta murum urbis, monachos poſuiſſe, eiſque religioſum & ſapientem Robertum de Tumbalenia patrem præpoſuiſſe; ac tandem prædictum monaſterium Grentoni ſeu Jarentoni abbati Divionenſi commiſiſſe; & ab eo tempore cellam fuiſſe Divionenſium monachorum. At forte Warinus Rotbertum præceſſit, quod ſi ita eſt, Odo jam ante hunc annum monachos poſuerat in eccleſia ſancti Vigoris, quæ ſita eſt in monte urbi proximo, Chriſmatum olim dicto, propterea quod illic ab antiquo eccleſia baptiſmalis eſſet, ubi olim gentilium fanum exſtiterat. Huic monaſterio Odo epiſcopus *plenam decimam* totius villæ, cum omnibus ad eamdem eccleſiam pertinentibus conceſſit. quod Urbanus II. litteris ſuis confirmavit.

XCVII. S. Georgii de Baucheri-villa cœnobii initia.

Qui ſuperioribus litteris inter proceres ſubſcripſit Radulfus Willelmi camerarius, idem ejus magiſter dicitur in diplomate, quo Willelmus necdum rex, conditam a Radulfo ſancti Georgii de Baucheri-villa eccleſiam cum rebus ſuis confirmat, ſitam in pago Rotomagenſi ad Sequanam. ſic enim Willelmus in illo diplomate loquitur. *Radulfus meus magiſter, aulæque & cameræ meæ princeps, inſtinctu divino tactus, eccleſiam ſupra dicti martyris Georgii, quæ erat parva, reædificare a fundamentis inchoavit, & ex proprio in modum crucis conſummavit, officinaſque ibidem Chriſto famulantibus neceſſarias fabricare fecit. qui, ut ſe ipſum templum ſanctum Domino conſecraret, eamdem eccleſiam dedicare fecit, & hæc in dedicatione, uxore ejus & filiis ejus Radulfo & Rabello coram adſtantibus, ad ſtipendium eccle-*

ANN. CHR. 1066.

ſiæ atque canonicorum habendæ aſſignavit, ſcilicet in villa, quæ dicitur Abetot, *eccleſiam cum tota decima* &c. Caret notis chronicis hoc diploma, cui appoſita ſunt ſigna Willelmi ducis Normannorum, Mathildis uxoris ejus, Radulfi camerarii, Giroldi dapiferi, Willelmi filii Oſberni, Rogeri de Bello-monte, & Rainaldi capellani. Hæc itaque eccleſia, primo quidem canonicorum fuit, ſed poſtmodum id eſt anno M C XIV. in abbatiam noſtri Ordinis converſa, agente Willelmo comite Tancardi-villæ, filio ejuſdem Radulfi camerarii, ut ſuo loco dicturi ſumus.

XCVIII. Guibertus poëtriæ nimis addictus.

Inter ea Guibertus Flaviacenſis monachus, cujus amorem in litteras & pietatem ſuperius [a] vidimus, poëſeos ſtudio abreptus, & in poëtarum immerſus lectionem, grave pietatis ſubiit damnum; & oblitus [b] priſtini fervoris, *& profeſſionis monaſticæ pudore rejecto*, eorum lenociniis ac laſciviis delectari cœpit; nequaquam penſitans, *quantopere ſacri ordinis propoſitum* ejuſmodi profana lectione *læderetur.* Inde factum eſt, ut ex frequenti inhoneſtorum carminum lectione *ad obſcænulæ verba* ſenſim devolveretur, & quaſdam litterulas minus pudicas ſcribere eum non puderet. Hæc cum ad magiſtri ſui notitiam veniſſent, ille ægerrime tulit, & præ triſtitia in ſoporem incidit, in quo ſeniorem quemdam ſibi videre viſus eſt, qui factum diſcipuli ſibi imputabat. quod cum ille ad Guibertum retuliſſet; nec ſic tamen diſcipulus correctus eſt, ſed furtim carmina ſcurrilia cudere pergebat: quæ cum vix ſodalibus ſuis prodere non auderet, ea tamen nonnumquam mentito auctore, quibus poterat, recitabat, ut ab eis ſub ficto nomine laudaretur.

a *ſupra num.* 76.
b *Guibert. lib. 1. de vita ſua c. 16.*

Ad ſacræ ſcripturæ ſtudium converſus.

Verum dum ejuſmodi ſtudiis inſiſteret incautus adoleſcens, laſcivientem corporis infirmitate repreſſit pia Dei miſerentis manus, quæ vexatio ad reſipiſcentiam eum adduxit. Tunc enim demum inutilis, immo & letiferi ſtudii marceſcente amore, cum tamen otii impatiens eſſet animus, quaſi ex neceſſitate, rejectis ſpurcis imaginibus, ad ſpiritualia denuo ſe convertit, & ad ſacrarum ſcripturarum ſtudium, cujus amor a multis bonis doctoribus ei ſæpe inſtillatus fuerat, anhelare cœpit, earumque commentationibus appellere animum, maxime Gregorianis, in quibus moralium ac myſticorum ſenſuum claves reperiuntur. In his ſtudiis præcipuum incentorem habuit Anſelmum, tunc Beccenſis cœnobii præpoſitum ſeu priorem, *virum incomparabilem*, ut ipſe ait, *documentis, & vita ſanctiſſimum*, qui Guibertum in ſuam familiaritatem admiſit, ejuſque cauſa idemtidem, & prior, & abbas, Flaviacum ventitabat.

XCIX. Giſortii cella.

Haud procul Flaviaco abeſt Giſortium Vilcaſſini opidum ad Eptam fluvium, qui Franciam a Nortmannia ſeparat, ubi cella eſt Majoris-monaſterii ſancto Audoëno ſacra. Hujus eccleſiam Hugo miles hoc anno, cum conſenſu uxoris ſuæ Mathildis, filiorumque ſuorum Tetboldi, Drogonis, Hugonis & Lamberti, & nonnulla prædia Majori-monaſterio contulit, inſuper eccleſiam ſanctorum Gervaſii & Protaſii de Giſortiis, cum decima annonæ & minutarum rerum, necnon ſepulturam & oblationes, atque diſpoſitionem preſbyteri cum omni immunitate: eo pacto, ut Bartholomæus abbas, ejuſque ſucceſſores, tot illic monachos conſtituant, quot voluerint. quod Willelmus rex Anglorum anno primo regni ſui, cum Mathilde conjuge ſua ratum habuit apud villam *Leons*, quæ Giſortio proxima eſt. Poſt triennium Philippus rex Francorum, cum Piſciaci verſaretur, illius cellæ monachis conceſſit jura nundinarum, quas quotannis in feſto ſancti Audoëni, & per duos conſequentes dies haberi permiſit, etſi Giſortium ditionis eſſet ducis Nortmannorum. Non multo poſt Odilo Crucis-ſancti-Leutfredi abbas litem de hac cella adverſus Majoris-monaſterii cœnobitas movit.

Placitum pro S. Medardo.
c *Diplom. p. 585.*

Dum rex Philippus ſub tutore Balduino Flandriæ comite adhuc degeret, Compendii *colloquium publicum* [c] habuit, cui prædictus Balduinus interfuit cum Gervaſio Remenſi archipræſule, multiſque epiſcopis, ſcilicet Adelardo Sueſſionenſi, Widone Ambianenſi, altero Widone Belvacenſi, Balduino Noviomenſi, & Drogone Taruannenſi. Hæc convocatio in primis facta eſt ob varias querelas & proclamationes, quas Rainoldus abbas ſancti Medardi faciebat adverſus Albricum Cociacenſem ſeu Codiciacenſem, qui advocatiæ prætextu multa eidem loco gravamina inferebat in villis ei ſubjectis, in quibus procurationes exigebat; ita ut a cœnobio ſancti Medardi & Vico-caſtro, media via de ſuo caſtello, ruſticos & incolas ad ſuam juſtitiam pertraheret, & ad bellum profecturus, equos ex prædictis villis, quotcumque vellet, exigeret. quæ cum nullo juris fundamento niterentur, *communi*

ANN. CHR. 1066.

censura totius conventus episcoporum atque laïcorum, damna illata emendare coactus est. His litteris præsenti anno datis subscripta sunt signa Rodulfi comitis, Willelmi Suessionum comitis, Widonis comitis Pontivensis, & aliorum. Similis causa contra Rotbertum Codiciacensem [a] ante annos fere viginti jam agitata fuerat.

[a] *supra lib. 59. n. 9.*

C. S. Priscæ monasterium Vindocino datum.

Etsi ecclesia sanctæ Priscæ in urbe Roma cum titulo cardinalis Oderico Vindocinensi abbati, ejusque successoribus ab Alexandro papa jam concessa [b] esset ante annos tres; restabat tamen adhuc monasterium eidem ecclesiæ adjunctum, quod basilicæ sancti Pauli subjectum erat. Tunc illius basilicæ rector & œconomus erat Hildebrandus sanctæ Romanæ ecclesiæ archidiaconus: qui rogatu prædicti Oderici abbatis, cum sancti Pauli monachorum consensu, illud sanctæ Priscæ monasterium Vindocinensibus largitus est, ea lege, ut semper duodecim monachi, numquam vero minus octo, illic Deo deservirent. quod Alexander papa suo diplomate, in appendice referendo, confirmavit. *Datum Laterani kalendis Julii, per manus Petri sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi atque cancellarii, vice domni Annonis Colonienſis archiepiscopi, anno quinto pontificatus domni Alexandri papæ II. indictione* IIII. Ab eo tempore in possessionem illius monasterii, non tantum ecclesiæ, inducti sunt Vindocinenses, qui utrumque per multos annos cum dignitate cardinalatus tenuerunt, ut in consequentibus videbimus. In illa ecclesia, petente Alexandro papa, mansit aliquamdiu Arnulfus monachus, Vindocino ortus, ibidemque monasticen professus, qui Odericum abbatem, Romam adeuntem, comitatus fuerat. Ejus moribus & ingenio adeo captus est pontifex, ut eum apud se manere optaverit. Ubi cum versaretur Arnulfus, dejecto ob simoniæ labem Riperto Vapincensi pseudepiscopo, in ejus locum ab Alexandro suffectus est. Hanc ecclesiam tam pie & sapienter administravit, ut in sanctorum ejus episcoporum numerum referri meruerit. Annus ejus obitus incertus; dies vero assignatur XIII. kal. Octobris, quo die colitur Vindocini & in ecclesia Vapincensi. Sepultus fuit in æde sancti Johannis, Rotunda dicta: quo ex loco Armandus ipsius successor, vir pius *& habitu monachus*, post annos triginta ejus corpus in decentiorem locum transtulit. De eo memoriæ proditum est, quod statim post suam promotionem ad episcopatum Vindocinum accesserit, Vindocinenses suos revisurus: ubi cum quemdam puerum, aquis præfocatum, nudum inveniſſet, ejus corpus operuerit injecto pallio suo, ex quo postea cappa facta est, Vindocinensi monasterio concessa. Ejus vitam paucis delibavit anonymus, canonicus, ut puto, Vapincensis.

Arnulfus episcopus Vapincensis.

CI. Fulco Vindocinensis comes obit.

Mortuus est hoc anno Fulco Vindocinensis comes, cognomento Anserinus, XI. kal. Decembris. Instante obitu apud Ferrariam visitatus est a Bartholomæo [c] Majoris-monasterii abbate, cui omnes consuetudines in villis de *Loiri* & de Forgetis ab se percipi solitas concessit, annuente Petronilla ipsius conjuge, quæ hanc donationem postmodum Vindocini supra tumulum viri sui confirmavit. Sic damna, quæ ille vivens Vindocinensibus intulerat, quodam modo expiare voluit.

[c] *Besly comtes. p. 398.*

Calmæ monasterium conditur.

Sub idem tempus in pago Namnetensi conditum est monasterium beatæ Mariæ de Calma * seu de Calmaria, quod vir nobilis Harcoidus, Justini filius, opidi sanctæ Crucis toparcha, hortante Quiriaco Namnetensium episcopo, in prospectu prædicti opidi seu castri haud procul ab oceano, & quidem in ducatu Ratiatensi * construxit. Ad hanc autem constructionem novo illi monasterio tertiam partem Calmariæ, Ulgardis conjugis suæ assensu, aliaque prædia tradidit in manus Pereneſii abbatis Rothonensis monasterii, cui Calmarienſe subjectum esse voluit, eo pacto, ut, si aliquando hic locus in abbatiam erigeretur, abbas non aliunde quam ex ipso Rothonensi monasterio, & quidem electione ejus abbatis & conventus, assumeretur, ejusque semper tamquam proprius monachus censeretur. Electus porro abbas singulis annis Rothonensem ecclesiam visitare teneretur, in natali scilicet sancti Marcellini papæ & martyris, & die translationis ejusdem in Rothonense monasterium, de qua alias [d] egimus. Denique si quis novitius causa necessitatis extremæ apud Calmariam monastico habitu indueretur, a Rothonensi abbate *benedictionem* professionis acciperet. Ejusdem loci monachis Quiriacus episcopus duo oratoria, scilicet beatæ Dei-genitricis & sancti Johannis-Baptistæ cum cœmeterio concessit. Hujus rei instrumentum editum est in tomo IV. [e] Galliæ Christianæ, ubi vitiati sunt anni ab incarnatione. *Patrata sunt hæc feria quinta in basilica, beatæ Mariæ nomini dicata, pridie nonas Julii, monarchiam regni Francorum Philippo gubernante, præsulatum vero*

* *la Chaume.*
[a] *de Reis.*

[d] *Annal. to. 2. & 3.*

[e] *Gall. Chr. to. 4. p. 211.*

Nannetica sedis Quiriaco providentia gubernante, & tam donum, quam conventionem sigillo propriæ auctoritatis gubernante. quæ notæ chronicæ non ad annum M LV. ut in editis, quo Philippus necdum rex erat, sed ad annum M LXVI. referendæ sunt, quo anno feria quinta in secundum nonas Julii incidebat. quod a morte Heinrici regis Philippi fratris usque ad annum M LXXV. quo decessit Quiriacus episcopus, nonnisi semel, scilicet prædicto anno M LXVI. contigit. Processu temporis hoc monasterium erectum est in abbatiam, cujus abbas Philippus subscriptus occurrit in quadam charta pro Roncereio, *data in capitulo sanctæ Mariæ de Calma secundo die natalis Domini* M° C° VIII° IIII. id est M C LXXXIV. Supereſt hactenus hoc monasterium sub congregatione sancti Mauri.

ANN. CHR. 1066.

CII. S. Benigni immunitas qualis.

Divionensis sancti Benigni abbatiæ ex privilegiis Romanorum pontificum & regum ea immunitas erat, ut ejus bannum & districtus, ut vocant, a torrente Susione *, qui utrumque burgum [a] dividit, extenderetur, ita ut qui auferre ab eodem burgo vel claustro quidquam tentasset, excommunicationi subjiceretur. Hanc immunitatem cum violasset quidam ex ministris ducis, a monasterii ministris prohibitus est, resque eo devenit, ut ad mutuam cædem utrimque proruperint. Ea re dux commotus, Adalberonem abbatem citavit, & ab eo hujus facti emendationem exigere cœpit. Ille vero sancti Benigni juri quidquam detrahere detrectans, Lingonensem episcopum adiit, (is erat Rainaudus, cognomento Hugo) eique rem gestam exposuit. Ille hanc infractionem graviter tulit, diemque causæ ventilandæ in cœnobio Besuensi indixit. Eo convocati Hugo Vesontionensis archipræsul, Hagano Æduensis antistes, atque Willelmus comes cum magna virorum nobilium turma. Lectis sancti Benigni privilegiis idem pontifex, scilicet Lingonensis, monasterii jus asserùit: quod dux ipse confirmavit. Actum Besuæ anno ab incarnatione Domini M LXVI. Philippi regis VII. Subscribunt episcopi, multique clerici ac laïci; abbates vero Odo Flaviniacensis & Helmuinus sancti Sequani. Vivebat adhuc Adalbero [b] sancti Benigni abbas anno M LXX.

* *de Suzon.*
[a] *Perard. pag. 191.*

[b] *V. lib. 60. n. 22.*

CIII. Cluniaco subjiciuntur Agerense, S. Ægidii, S. Antonini & S. Orientii monasteria.

Monasteria non pauca hoc anno Hugoni abbati commissa, & Cluniacensi monasterio subjecta fuere. Unum est Agerense seu Aggerense, de cujus origine superius [c] egimus, quod Arnaldus, ejusque conjux Arsindis, pro anima carissimi filii sui Willelmi, suorumque parentum, Cluniaco tradidere, eo pacto, ut illic fieret *monasterium regulare, & ut perenniter sit alodium sancti Petri, abbatis, monachorumque Cluniacensium*, tali conditione, ut castrum Aggerem & res ad illud pertinentes, de manu abbatis Cluniacensis & de manu prioris Aggerensis, teneant prædicti donatores, & monachi singulis quinquenniis quinque solidos aureos Romano pontifici persolvant. Actum hoc anno, VII. kal. Decembris, scriptumque ab Heinrico monacho, qui hanc conventionem fecit, & Hugoni abbati detulit.

[c] *lib. 61. num. 66.*

Mense insequente, id est XVIII. kal. Januarii, Almodis comitissa, ejusque filius Raimundus comes Rutenensis, necnon Nemausensis & Narbonensis, *pro domni Pontii comitis remedio*, & pro remissione peccatorum suorum, abbatiam sancti Ægidii cum omnibus ad eam pertinentibus, *domno Hugoni præsenti abbati*, ejusque successoribus tradunt, retenta tamen ejus *indominicatura*, excepto quod in abbatem & monachos nullam auctoritatem habituri sint. Et quia prædictus locus sancti Petri alodium est, censum decem solidorum singulis annis Romanæ ecclesiæ monachi persolvant. Actum anno & die prædictis *juxta Nemausum* * *civitatem secus ecclesiam sancti Baudilii, videntibus atque laudantibus episcopis, Raimbaldo episcopo Arelatensi, Romanæque ecclesiæ vicario; domno Durando Tolosano, Hugone Uzetiensi, Rostagno Avinionensi, & Bertranno Magalonensi; abbatibus Bernardo Massiliensi, Frotardo Tomeriensi, & Bernardo Vabrensi*, multisque aliis clericis & militibus.

* *Nismes.*

Sub idem tempus Rotgerius Fuxensis comes cum uxore sua litteras scripsit ad venerabilem Hugonem abbatem, significans se locum sancti Antonini, qui locus *Fredoleiz* dicitur, ei committere ad monasticum ordinem illic instituendum. Litteræ illæ eximiam continent Hugonis commendationem, in quibus venerabilis abbas, adhuc vivens, *sanctus & famosissimus per orbem abbas* appellatur. Epistolæ verba ipsa hic adscribo, in qua Rotgerius, uxorque ejus ita loquuntur. *Consilio inito inter nos, ad remedium & nostrarum salutem animarum, remissionemque eorum quæ egimus peccatorum, ex hereditate quam in præsentiarum possidere videmur transi-*

ANN. CHR. 1066.

toria, dare vobis partem jam disposuimus, ut perpetuam mereamur cum Domino mercedem, quæ, post corporum finem nostrorum, in cælesti feliciter vivamus requie; quod quoque vestri ordinis meritis & precibus credimus acquirere ... Committimus Domino Deo, creatori ac redemtori nostro Jesu-Christo, genitricique ipsius sanctæ virgini Mariæ, & apostolis sanctis Cluniacensis cœnobii Petro & Paulo, necnon tibi, HUGO SANCTE, VIVENTI FAMOSISSIMO PER ORBEM CLUNIACENSI ABBATI, *ego Rotgerius & uxor mea concedimus, cum assensu & ultroneo consilio comitis Tolosani, locum sancti Antonini, qui vulgo vocatur Fredoleiz: quatenus ibi monastici habitus, te statuente, regularis inseratur ordo, ad provectum profectumque nostrarum omniumque fidelium animarum.* Sic desinit epistola sine chronicis notis. Rotgerii uxor vocatur Sicardis, uti nos docent alia instrumenta donationum, quas iidem conjuges Cluniaco fecerunt.

His adde monasterium sancti Orientii, quod Aimericus Ausciensis comes, ejusque frater Bernardus, pro remedio animarum suarum & Willelmi patris sui, Hugoni abbati & monasterio Cluniacensi concedunt. quam donationem simul cum eis fecerunt domnus Raimundus eorum *avunculus, dictus abbas ejusdem loci*; & alter avunculus Arnaldus præpositus ejusdem sedis. qui omnes in societatem Cluniacensium admissi sunt. *Facta est hac charta mense Novembri in claustro ejusdem monasterii sancti Orientii, in præsentia domni Hugonis abbatis Clunicnsis, & domni Duranni Tolosani episcopi, & Willelmi episcopi Convenarum, Raimundi episcopi Lacturiensis; domni abbatis sancti Genii, Willelmi abbatis sancti Martini, regente apostolicam sedem domno Alexandro summo pontifice, Philippo rege regnum Francorum gubernante; & desuper regnante, cujus regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum.* Hoc monasterium situm est in ipsa urbe Auscíorum *, nunc collegiata ecclesia. Huic subest aliud cognomine monasterium in Levitania, positum in declivio montis Aribattensis, ad ripam torrentis Isauri seu Isauriæ, haud procul a spelunca, quam olim sanctus Orientius incoluit, sex fere leucis a Balneis-regiis*. Prioris monasterii prior fuit Willelmus-Bernardi de Monte-alto, qui postea factus est archiepiscopus Auscíensis.

* *d'Auches.*

* *Bareges.*

CIV. Hugo abbas ad Odonem comitem baptizandum invitatus.

Non infimum de beati Hugonis, dum viveret, opinione sanctitatis argumentum est, quod Tetbaldus Trecensium comes, eo nomine tertius, & Adelaydis ejus conjux, eum ad Oddonem filium suum sacro fonte abluendum invitarunt, eidemque Cossiacum villam contulerunt, scripta [a] ad ipsum epistola, cujus hæc inscriptio: *Hugoni venerabili abbati & Cluniaco monasterio atque Cosseiensi, domnoque Gozechino, reverendissimo ejus loci præposito, eorumque successoribus, Tetbaldus Dei gratia Francorum comes, & uxor ejus Adelaydis cum filiis suis in perpetuum.* Tum, relatis quibusdam sacræ Scripturæ testimoniis, quibus se ad faciendam eleemosynam impulsos fuisse testantur, hæc subdunt, quæ maxime faciunt ad commendandam cum beati Hugonis, tum ejus discipulorum sanctimoniam & religionem. *Ego Tetbaldus, & uxor mea Adelaydis, sanctitatis & religionis, qua penes sanctum vestrum collegium nostris temporibus, divina gratia largiente, potior celebriorque habetur, fide & devotione permoti, immo Dei inspiratione commoti, Odonem filium nostrum sacræ regenerationis mysteriis innovandum a vestra paternitate destinavimus, rati, dispensante superna clementia, sibi non inane futurum, religiosiores quam ditiores in Christo habuisse parentes.* Post hæc subjungunt, se monasterio Cluniaco sollemni traditione conferre quamdam in suo alodio villam, quæ Cossiacus dicitur, cum omnibus ad eam pertinentibus, ab omni quorumvis hominum servitute immunem: ut Deo inibi militantes omni pace & tranquillitate fruantur: quibus insuper suam in omnibus protectionem pollicentur. Cossiacus videtur esse locus diœcesis Suessionensis, cella seu prioratu conventuali insignis, Consiacus dictus a Lisiardo Suessionensi episcopo, vulgo Coinciacus, in quo triginta [b] sex monachi olim esse debebant. Alia cella est itidem Cluniacensis apud Conziacum * prope urbem Bellicensem sub titulo sancti Petri. Quod attinet ad Odonem filium Tetbaldi comitis, is absque liberis decessisse creditur: cujus frater Stephanus, cognomento Heinricus, paternam dignitatem ad suos posteros transmisit.

[a] *Spicil. to. 6. p. 449.*

Cossiaci cella.

[b] *Bibl. Clun. p. 1712. a*

* *Conzieu.*

CV. Anianæ Gellonense monasterium asseritur.

Anianensi in Septimania monasterio tunc præerat Emmeno abbas, antea Gellonensis monachus, dein cœnobii sancti Petri de Salve; quod Gelloni suberat, in pago Nemausensi prior; ac demum ante quinque circiter annos Pontio Anianæ

ANN. CHR. 1066.

abbati subrogatus. Ejus tempore Gellonenses, qui ab origine Anianæ subjecti fuerant, Anianensium jugum excutere moliebantur, & proprios, inconsultis Anianensibus, sibi præficere abbates. Id non passus Emmeno, tametsi olim Gellonensis monachus, hac de re expostulavit apud Alexandrum papam. Ad ejus querelas breve apostolicum rescripsit Alexander, vetuitque, ne quivis episcopus in loco Gellonensi abbatem benedicere præsumat; statuens, ut tota ordinatio & dispositio illius cellæ in manu abbatis & congregationis Anianensis consistat. *Datum Lateranis* VII. *idus Novembris per manus Petri S. R. E. subdiaconi atque bibliothecarii, anno ab incarnatione Domini* M LXVI. *anno quoque pontificatus Alexandri papæ secundi* IV. *indictione* IV. Verum his litteris nequaquam deterriti Gellonenses, proprios sibi abbates nihilo secius adsciverunt. qua de re querelas apud Gregorium VII. Emmeno iteravit.

CVI. S. Juliani abbatia Viennæ canonicis data.

Non omittenda hoc loco est Leodegarii Viennensis archiepiscopi [a] epistola, qua significat, se de instaurandis, reformandisque suæ diœceseos ecclesiis sollicitum, lecta sancti Clari abbatis vita, in qua monachi quadringenti in cœnobio sancti Juliani habitasse memorantur, institisse, ut divina illic officia restituerentur. Ejus rei causa, cum sancti Victoris Massilienses monasterii laudabilem famam accepissent, adsciviisse illius loci fratres, instinctu Isarni eorum abbatis, qui prædictam sancti Juliani ecclesiam optime ordinaverit: non sic vero Petrus ejus successor, qui eam penitus neglexit. Quam ob rem se advocasse Brivatenses canonicos, ut eis prædictum locum traderet. Inter ea habitum fuisse Viennæ concilium, præsidente Stephano Nicolai papæ secundi legato, in quo duobus diebus hæc causa ventilata est, & culpata negligentia monachorum. Tertia die omnium judicio, & præcipue Hugonis abbatis Cluniacensis, decretum fuisse, ut sancti Ferreoli bona cum bonis sancti Juliani unirentur. Durandum sancti Victoris abbatem, qui synodo aderat, privilegium ab ipso Leodegario concessum obtendisse: quod Stephanus cardinalis acceptum particulatim disruperit. sicque Brivatensibus canonicis illam ecclesiam cessisse. Hac de re postmodum litteris consignatum est a Leodegario archiepiscopo privilegium, cujus notæ chronicæ vitiatæ sunt. Datum quippe dicitur III. *kalend. Martii, feria* VII. *anno ab incarnatione* M LXVI. *&* XXXVI. *Leodegarii archiepiscopi.* quo anno feria septima seu sabbatum in quintam kal. Martii incidebat. Non convenit etiam annus Leodegarii pontificatus, qui Burchardo successit anno M XXVI. Vitiosæ sunt etiam subscriptiones nonnullæ, sic restituendæ: Stephanus Romanæ sedis presbyter cardinalis, Leodegarius Viennensis archiepiscopus, Umbertus Lugdunensis archiepiscopus, Agano Æduensis episcopus, Hugo Dinienſis *, Aicardus Cabilonensis, Gaucerandus Belicensis.

[a] *Theod. panit. to. 2. p. 606.*

* *f.* Diensis.

CVII. Elnonense incendium, & S. Amandi delatio.

Elnonensis sancti Amandi in Belgio basilica igne correpta est hoc anno, & quidem III. idus Februarii, ex incendio, quo proximæ domus arserunt. Inde in ipsam sancti Amandi basilicam, quæ plumbo tecta erat, prorumpens ignis, eam totam devastavit cum oratoriis sancti Petri & sancti Andreæ. Hoc incendio campanæ resolutæ sunt, ecclesiæ ornamenta redacta in cineres, columnæ ex Pario lapide consumtæ. Instaurandæ basilicæ non aliud magis opportunum consilium Balduino comiti & episcopis, necnon Fulcardo abbati visum est, quam ut sancti Amandi corpus per Galliam deferretur ad suppetias obtinendas. Delatum primo Cameracum, ubi a Lietberto episcopo & universo clero honorifice receptum est. Inde ad opidum Codiciacum, vulgo Coceium; postea Laudunum, eadem veneratione ab Elinando episcopo acceptum. Dein, reflexo itinere ventum est Calniacum * ad Isaram, indeque Noviomum, ubi effusi obviam clerici cum monachis, sacrum loculum in majorem beatæ Mariæ ecclesiam intulerunt; tum sub papilionem, quem in platea urbis Elnonenses tetenderant. Adfuit huic sollemni pompæ Baldewinus seu Balduinus episcopus, nec dubium quin etiam Remigius [b] abbas, qui tunc sancti Eligii monasterium administrabat. Ex urbe Noviomo sancti Amandi corpus Duacum, postremo Elnonem revectum est. Edita passim ab eo miracula, quæ Gisslebertus Elnonensis monachus, testis oculatus, in litteras retulit.

* *Chauny.*

[b] *V. lib. 59. n. 68.*

CVIII. Fidemiense cœnobium conditur.

Fidemiense * Ordinis nostri cœnobium in finibus agri Cameracensis, prope Landrecium opidum, hodie quoque perstat, cujus originem Miræus in Annalibus ad hunc annum revocat, secus quam in altero libello, ubi origines cœnobiorum Benedictinorum in Belgio antea exposuerat. Huic monasterio initium dedisse per-

* *Femy.*

ANN. CHR. 1066.

hibentur nobiles Angli duo, qui patriis sedibus egressi, ut Deo incogniti viverent; Romam profecti dicuntur, ubi summus pontifex Benedictinam eis regulam præscripsit. Alter eorum, Stephanus nomine, primus istius loci abbas exstitit, qui ejus loci ecclesiam in honorem sancti Stephani protomartyris dedicari curavit. Monasterii possessiones a fidelibus collatas Odo Cameracensis episcopus confirmavit; Nicolaus episcopus, ejus nominis primus, cum suo capitulo easdem auxit.

CIX. Sigebergense item monasterium.

Paullo ante hoc tempus venerabilis Anno Colonienſis archiepiſcopus exſtruere cœperat Sigebergenſe monaſterium, quod hoc ipſo anno conſecraſſe memoratur. Poſitus eſt hic locus in diœceſi Colonienſi, a præterfluente Siga amne, & monte incumbente *Sigeberg* appellatus, tribus fere milliaribus a Bunna oppido diſtans. Quid huic conſtruendo monaſterio occaſionem præbuerit, diſcimus ex gravi ſcriptore vitæ beati Annonis. Quippe intempeſta nocte piiſſimus pontifex cœnobium ſancti Martini Colonienſe pertranſiens, monachos nocturnis vigiliis occupatos audivit. tum ad preſbyterum, qui ſe comitabatur, converſus: Annon cor tuum pulſat, inquit, quod, urbe tota ſomno ſopita, hi ſoli ad divinas laudes excitati vigilant? & addidit, ſe prorſus honore ſuo indignum, qui monachis hactenus inutilis vixiſſet. Hæc cum animo agitaret, quemdam ſenem ſibi in eccleſia ſancti Petri adſtantem conſpexit, ſeque monentem, ut monaſterium conſtrueret apud Sigebergum, quem locum Heinricus palatinus comes, ob injurias Colonienſi eccleſiæ illatas, ipſi tradiderat. Acceſſerunt alia quoque ſuperna indicia, quæ virum Dei ad condendum illic cœnobium impulerunt. Conſummato baſilicæ ædificio, ſanctus pontifex eam hoc anno conſecravit x. kal. Octobris, ſancti Michaëlis archangeli nomine eamdem nuncupans, ſub patrocinio ſancti Mauricii, ejuſque ſociorum. Cum vero in omnibus Teutonicis monaſteriis antiquum illum regularis diſciplinæ fervorem admodum refrixiſſe cerneret, & monachos a vita communi ad rem peculiarem curam omnem, ſtudiumque convertiſſe; gravi tædio angebatur ejus animus, quod ingentibus expenſis nihil Deo dignum facturus videretur. Advocati nihilo minus e vicinis locis quidam ad locum incolendum monachi, quibus Wolfelmum, Brunwillarenſis [a] cœnobii piiſſimum abbatem, præficere cogitaverat. at cum rebus quidem ſpiritualibus rite inſtructum, ſed tractandis temporalibus minus idoneum comperiſſet, ſententiam mutavit.

a *V. ſupra n. 43.*

CX. Illic floret religio per Fructuarienſes. b *V. ſupra n. 86.*

Inter ea contigit, ut cauſa rei publicæ in Italiam proficiſceretur. In reditu ad Fructuarienſe monaſterium, cui tunc Albertus [b] abbas præerat, cauſa orationis divertit: ubi monachorum ſtrictiſſimam & ad regulæ inſtituta optime compoſitam vitam admiratus, duodecim ex eis probatiſſimos ſecum adduxit, eoſque in Sigebergenſi monaſterio conſtituit, prioribus monachis, quos aliunde adſciverat, honorifice in locum ſuum remiſſis. Annonis votis optime reſpondit effectus. Monachi quippe novæ illius coloniæ artiſſimam illic inſtituere diſciplinam, adeo ut, ſanctæ eorum converſationis opinione longe, lateque vulgata, multi ad ſæculi contemtum accenderentur, & ſe ſe illis informandos traderent; immo alia etiam monaſteria ad eorum normam componerentur. qua de re ſanctus archipræſul magnas Deo referebat gratias, quod non confudiſſet eum ab exſpectatione ſua. Unde omnem adhibebat diligentiam, ne ullam earum rerum, quibus corporis imbecillitati conſulendum ſit, penuriam ſuſtinerent. Honorabat ac venerabatur eos, inquit vitæ ſcriptor, ut dominos ſuos; nec ſolum abbati, ſed decanis etiam monaſterii ita ſubditus, dictoque obtemperans erat, ut ad primum eorum nutum, quantumlibet gravibus publicæ ſeu privatæ rei negotiis implicitus teneretur, ilico exoccupatis manibus, quidquid ipſi voluiſſent, inſtar vilis mancipii exſequeretur; idem cibos eis inferre & apponere ſolitus; ipſe potum *miſcere*, & quolibet famulo ad omne obſequium paratior adeſſe; de cetero in humili ſella ſedere intentus ad lectionem, cum omne miniſterium peregiſſet. Silentium quoque ac ceteras monaſterii conſuetudines, dum inter eos verſaretur, ita ſollicite ſervabat, quaſi de iis in capitulo rationem cum aliis redditurus, & ſententiam pro erratis accepturus. Denique nullus umquam pater tali erga liberos ducitur affectu; nulla mater, qualem ille omnibus illis monachis exhibebat, non modo in Sigebergenſi, ſed etiam in aliis duobus monaſteriis, quæ ipſe conſtruxit, ut mox videbimus. Itaque poſtquam voti ſui compos monachos ſuos ad omnium imitationem florere perſpexit, omnem pro eis ſollicitudinem in futurum extendens, ſub excommunicationis interminatione, ne quis eos

Annonis in eos ſtudium.

eos læderet, eorumve inſtituta mutaret, interdixit, eoſque litteris apoſtolicis ac regiis, quas vitæ ſcriptor refert, munire decrevit. Primus Sigebergenſi monaſterio præfuit Erpho, ſanctæ memoriæ abbas, cui ſucceſſit Reginhardus, cujus hortatu anonymus monachus Sigebergenſis, auctor gravis, res ab Annone geſtas litteris mandavit. ANN. CHR. 1066.

CXI. Anno duo alia cœnobia condit.

Præter Sigebergenſe alia duo virorum noſtri Ordinis monaſteria idem ſanctus pontifex ædificavit: unum in honorem ſancti Alexandri martyris & ſex ejus fratrum, in regione Weſtfalorum, loco, qui dicitur *Graſcaf*: alterum ſub patrocinio ſancti Petri apoſtolorum principis in confinio Turingorum, in loco, cui vocabulum *Salevelt*. quem locum acceperat a regina Polonorum Teutonica, quæ ad eum inviſendum ex Polonia acceſſerat. Utrumque congruis ædificiis & prædiis inſtruxit, curavitque informari ad normam Sigebergenſium, ex quibus monachos ad id operis adduxit. Mitto duas alias clericorum eccleſias, ſcilicet ſanctæ Mariæ Ad-gradus, ubi & ſepultus eſt, & ſancti Georgii martyris extra muros urbis Coloniæ, quas pariter exſtruxit. Ad Saleveldenſe monaſterium, tumultum Coloniæ declinaturus, idemtidem ſecedebat: ubi ſpiritualibus ſtudiis occupatus, quædam divinæ laudis carmina ſeu hymnos compoſuit.

CXII. Conradus archiepiſcopus Theolegii ſepultus.

Eberardus Trevirenſis archiepiſcopus hoc anno deceſſit ſabbato ſancto paſchæ, cum divina myſteria celebraſſet. Suffectus a rege in ejus locum, inconſulto clero & populo, Conradus majoris eccleſiæ præpoſitus, quem Lambertus truncato, ut fit, vocabulo Cunonem vocat. Hunc Theodericus comes carnificibus traditum ex altiſſima rupe præcipitari juſſit. Ejus corpus Lonſeti [a] primum ab agricolis humatum, inde in Theolegienſe monaſterium Theoderici Virdunenſis epiſcopi, & Abbonis Theolegienſis abbatis ſtudio ſollemni pompa traductum, ibidem VII. kal. Auguſti decentiore tumulo reconditum fuit: ubi miraculis illuſtratum fuiſſe traditur, quæ Theodericus [b] monachus, illorum temporum æqualis, litteris conſignavit. Ejus cædem ad triennium differendam eſſe, ex conſequentibus patebit. De Conradi nece gravem ad Alexandrum pontificem epiſtolam ſcripſit in primis Sigefridus Moguntinus contra Theodericum comitem, qui pœnitentia ductus, Jeroſolymitanam peregrinationem ultro aggreſſus, maris fluctibus hauſtus miſere interiit. Electus Conradi loco Udo, vir nobiliſſimæ ſtirpis, Eberhardo ſeu Everardo comite, & Ida parentibus natus, qui Scafuſii in Suevia, diœceſi Conſtantienſi, nobile Ordinis noſtri monaſterium in honorem Salvatoris conſtruxerunt, & ſedi apoſtolicæ ſubjecerunt ſub annuo cenſu duodecim aureorum. Id Alexander II. auctoritate ſua roboravit, Everardo comiti, ejuſque poſteris ejus loci advocatia commiſſa. quod Gregorius VII. poſtmodum improbavit, ut ſuo loco [c] dicturi ſumus.

a *Brouver. to. 1. p. 544.*

b *Bolland to. 1. Jun p. 116.*

Scafuſianum monaſterium.

c *V. lib. 65. num. 109.*

CXIII. Theobaldus eremita obit.

In Italia Theobaldus, eremita Gallus eximiæ ſanctitatis, vulneribus corporis undique obſitus, mortis præſcius, in loco Salaniga prope Vicentiam ad immortalem vitam migravit ſecundo kalendas Julii in ipſas kalendas deſinente, novem annis in ſolitudine exactis. Ubi ad extrema ſe urgeri ſenſit, accerſito Petro Vangadiciæ abbate, qui eodem anno monaſtico eum habitu induerat, ſumto viatico, matrem ſuam Willam, quæ prope eum degebat, ſocioſque eremitas ei commendavit; ſeque in propria cellula, ad matris ſolatium, ſepeliri velle ſignificavit. Verum, comperto ejus obitu, Vicentini ad ejus cellam concurrunt, ſacrumque ejus corpus rapiunt, ad beatæ Mariæ principem eccleſiam deferendum: quod paullo poſt furtim ſublatum, Vangadiciam illatum eſt; poſtremo ſub finem illius ſæculi in Galliam tranſlatum, ubi multis in eccleſiis prima die Julii præcipuo cultu honoratur. Librum de ejus vita & miraculis compoſuit mox laudatus Petrus Vangadiciæ abbas, ejus amicus: quod monaſterium ad Atheſim fluvium in diœceſi nunc Adienſi poſitum eſt, auctoremque habet, ut alias diximus, Anſelmum Nonantulenſem abbatem; poſtmodum Camaldulenſibus attributum. Forte is eſt Petrus reverentiſſimus ille abbas Vicentinus, cujus fratrem Raimbaldum Pompoſianum monachum laudat Petrus-Damiani in opuſculo XIII. tametſi hoc monaſterium extra ſolum Vicentinum ſitum eſt, qua in urbe perſtat hodie quoque ſanctorum Felicis & Fortunati monaſterium e noſtris, cui an potius tribui debeat abbas ille Petrus, aliis examinandum relinquo.

d *Petr. Dam. opuſc. 13. c. 21.*

CXIV. Silentium quanti faciendum.

Sed quando de Raimbaldo mentio incidit, non omittendum id, quod de eo Petrus-Damiani ibidem commemorat. Huic injunctum erat officium, ut cuidam

ANN. CHR. 1066.

Teutonico incluso ministraret, qui effossis oculis, & abscissa dextera, juxta ecclesiam positus arduam ducebat vitam. Ea autem monasterii regula erat, ut *nemo claustrensium* egressus loqueretur. Id gravate admodum in suo ministerio ferens Raimbaldus, in capitulo questus est, *se nequaquam posse pueris imperitis per signa præcipere, ut servo Dei vestes abluerent, & præsertim quæ ipsi edulia præpararent*; denique injunctum sibi officium exsequi non posse, nisi loquendo. At silentium solvi vetuit Guido abbas, vir sanctus; jussitque Raimbaldum ab illo ministerio cessare. Vix dum dimidia hora elapsa erat, cum Raimbaldus tanto gutturis dolore percussus fuit, ut post diem tertium, satisfactione prius facta, & abbatis percepta benedictione, decesserit. Id tametsi ante sancti Guidonis abbatis obitum, qui anno M XLVI. defunctus est, contigerit, ex occasione hic referre visum est ad commendandam silentii religionem. Ad ordinem revertor.

CXV. Casinates illustres.

Ad hunc annum Baronius refert complures Casinensis monasterii viros insignes, quos Alexander [a] papa pro suo in illud monasterium monasticumque ordinem studio, suggerente Hildebrando archidiacono, ad dignitates ecclesiasticas promovit, vel suo lateri ad ecclesiasticum ministerium sociavit. In primis Todinum, Berardi Marsorum comitis filium, Romam accersitum, in palatio Lateranensi levitam instituit. Aldemarium quoque, felicis memoriæ, Richardi principis olim notarium; dein Capuanæ civitatis clericum, quem Leo Marsicanus suum in conversione magistrum fuisse dicit, in Sardiniam postea missum, in ecclesia sancti Laurentii extramurana *cardinalem simul & abbatem sacravit*. Ad hæc Ambrosium, prudentem & eruditum virum, in Terracinensi ecclesia episcopum ordinavit. Geraldum vero, Teutonicum genere, doctissimum clericum, ecclesiæ Sipontinæ archiepiscopum præfecit. Eodem tempore Milo, Capuani monasterii præpositus, Suessanæ ecclesiæ episcopus factus est. His addit Leo Marsicanus Petrum, nobilem Capuanum, qui, rogatu principis Salernitani, abbas ibidem sancti Benedicti monasterii creatus fuit, postmodum factus cardinalis. Tunc etiam idem apostolicus Desiderio abbati libertatem Casinatis abbatiæ confirmavit, quam cum Hildebrandus Capuanus archiepiscopus aliquando impugnasset, in Romana synodo culpam emendavit. Idem pontifex Tremitense monasterium, in insula maris Adriatici, quam Diomedis vocant, triginta circiter passuum millibus a terra dissitum, ubi olim Desiderius juvenis aliquamdiu demoratus fuerat, ob inhonestos inhabitantium mores infamatum, eidem Desiderio abbati reformandum commisit. Hic vero, amoto Adamo abbate multorum criminum reo, Transmundum, Oderisi Marsorum comitis filium, virum prudentem & eruditum, honestisque moribus Casini a puero institutum, in illo monasterio abbatem ordinavit. Is pravorum ejusdem loci fratrum consiliis assensus, tribus ex prioribus ejusdem loci monachis, qui tentatæ de illa insula rebellionis a sociis insimulati fuerant, oculos eruit, uni quoque linguam abscidit. quod quemadmodum a Desiderio animadversum sit, inferius videbimus.

a *Chron. Casin. lib. 3. c. 26.*

CXVI. Desiderius Casini novam basilicam condit.

Cum hac prosperitate floreret Desiderius abbas, & ab omnibus plurimum honoraretur, eique tamquam patri ac domino [b] non modo mediocres quique, sed etiam principes ac duces parere gestirent; ad veterem diruendam ecclesiam, novamque augustiori & ampliori forma ædificandam animum appulit, repugnantibus Casinatibus plerisque, qui, ne vita & sumtus ad tam arduum opus perficiendum ei non sufficerent, magnopere verebantur. At ille nequaquam ab incœpto deterritus, mense Martio præsentis anni, qui ejus ordinationis nonus erat, exstructa prius juxta infirmorum domum non admodum ampla sancti Petri basilica, ubi fratres ad divina officia celebranda interim convenirent; beati Benedicti veterem ecclesiam, tam celebris loci dignitati, tantæque fratrum congregationi minime congruam, subvertere a fundamentis aggressus est; excisisque qua ferro, qua igne saxeis *cristis* seu scopulis, ut magnificæ substructioni amplior pateret area, locoque utcumque complanato, novæ ecclesiæ fabricam adortus est. Columnæ, bases, epistylia, aliaque id genus ex urbe Roma ingenti sumtu & labore advecta: mercede grandi conducti undequaque peritissimi architecti; atque ab usque Byzantio vermiculati operis artifices, tessellati peritia excellentes. His subsidiis & operis basilicæ fabricam intra quinquennium absolvit, in longitudine cubitos centum & quinque; in latitudine quadraginta-tres; in altitudine viginti & octo habentem. Cum adytum planitiei basilicæ coæquaretur, humo ad tres ulnas effossa, quidam tumulus detectus

b *Chron. Casin. lib. 3. c. 28.*

ANN. CHR. 1066.

est, quem beatissimi patris Benedicti esse censuere: sed illum aperire visum non est, sive ut ne quis aliquid de tanto thesauro surriperet, quod testatur Leo Marsicanus; sive ut ne vacuum illum reperirent, sicque Gallorum possessionem firmarent. Communi itaque consilio placuit, ut illum tumulum pretiosis lapidibus denuo tegerent; ac super illum arcam ex Pario marmore componerent. Ad hæc Desiderius, litteris ad imperatorem scriptis, quemdam [a] e fratribus Constantinopolim misit, indeque altaris tabulam auream cum gemmis & encaustis pretio triginta-sex auri librarum comparavit. Denique nihil prætermisit, quo basilicam ornatissimam & magnificentissimam redderet. quæ omnia singillatim in chronico Casinensi recensentur. Neque hoc contentus, novas monasterii officinas constituxit, ut suo loco videbimus.

a *ibid. c. 33.*

CXVII. Micæ-aureæ dedicatio.

Hoc item anno monasterium sanctorum Cosmæ & Damiani in Mica-aurea Romæ, de quo jam sæpius actum, dedicatum legitur curante Odimundo abbate, qui Rainerio ante annos minimum quinque successerat, ut patet ex quodam instrumento commutationis, quam quidam Belizo fecit *cum Odimundo facundissimo abbate venerabilis monasterii sanctorum Cosmæ & Damiani in Mica-aurea*, pontificatu Nicolai papæ secundi. In catalogo [b] abbatum ejus loci Odimundus Rainerio successisse dicitur anno M LXI. & anno M LXVII. obiisse. In ejus epitaphio, quod ex veteri codice habemus, *clara de stirpe oriundus* dicitur, a patre Christo cum patre donatus, & inter magnates & palatinos insignis fuisse; cujus tempore hoc monasterium intus & foris floruit. *Obiit in pace* III. *idus Januarias*; successorem sortitus Alanum, cui post unum dumtaxat annum alter Odimundus successit. Hoc monasterium anno M CC XXXIV. a monachis transiit ad abbatissam & sorores inclusas ordinis sancti Damiani ex mandato Gregorii IX. quæ postmodum sanctæ Claræ dictæ sunt.

b *V. Append.*

CXVIII. S. Michaëlis & S. Eustachii monasterium.

Apud Camerinum civitatem Umbriæ in finibus Piceni exstabat hoc tempore sancti Michaëlis & sancti Eustachii monasterium in valle Domnana, cui tum Petrus abbas præerat. Id nos docent litteræ cujusdam Attonis, qui mediam partem omnium rerum suarum, quas in comitatu Camerino possidebat, eidem monasterio confert in usus servorum Dei mense Februario per indictionem quartam, quæ huic anno respondet, non sequenti, ut in nostro apographo legitur. Eumdem locum regebat Petrus alter anno M C XXXI. quo anno quidam Albericus, filius Ugonis, sancto Angelo & sancto Eustachio tertiam partem cujusdam ecclesiæ donasse traditur, cum dotibus, libris & campanis. Hæc abbatia alteri sancti Laurentii de Dolio seu Doliolo unita fuisse dicitur apud Lubinum [c].

c *Lubin p. 73.*

CXIX. Benedictus junior Clusæ abbas.

In monasterio sancti Michaëlis de Clusa, posito ad alpium fauces, defuncto abbate, cujus nomen reticetur, & adhuc insepulto, ne Taurinensis episcopus successorem pro libito intruderet, præsente Airardo Bremetensi abbate, viro religiosissimo, de successore secundum regulam eligendo actum est. Cum in diversa ferrentur eligentium vota, aliis Bertrannum quemdam Cumiliacensem, virum probum, zelo & scientia præditum; aliis Aicium priorem monasterii, disciplinæ severitate insignem, præferentibus; tandem communi omnium consensu electus est Benedictus monachus, propinquus defuncti abbatis. Is nobilis Tolosanus, a puero educatus Carcassone in sancti Hilarii monasterio, cui a Bernardo patre suo traditus fuerat, jam adultus ob laxiorem loci disciplinam ad Clusenses migraverat. Ejus electionem ubi rescivit Cunipertus Taurinensis præsul, in monachos magnopere succensuit, quod se inconsulto facta esset electio. Monachis vero regulæ auctoritatem prætendentibus, quæ episcopi interventum haud admittit, nisi forte monachi vitiosum & pravum hominem prætulerint: repositit antistes, se de eorum regula nihil curare; sui juris esse locum & abbatis electionem, nec alium istic ordinandum præter eum, quem ipse nominasset. Benedictus id gravate tulit, & iræ locum dare honorem declinando decrevit: sed fratribus, ut constanter ageret, suique misereretur, obtestantibus; demum per Bosonem monachum, Taurinum missum, sedem apostolicam appellavit. Ambo itaque Romam profecti, episcopus scilicet atque electus abbas, cum causam utrimque suam peroraſſent, repressa est episcopi molitio, propterea quod Clusinum monasterium ab Hugone conditore suo sedi apostolicæ commissum fuisset; injunctumque episcopo, ut abbati *consecrationem benigne impertiret*. quod cum ille detrectaret, Benedictus ab ipso Romano pontifice Alexandro secundo *benedicitur & consecratur*; cautumque, ne episcopus abbati vel mo-

ANN. CHR. 1066.

nasterio ullam molestiam inferret. quod ille minime præstitit, ut inferius videbimus.

Reversus ad sua Benedictus, fratres ad accuratam regulæ observationem adhortari instituit, & ad resecandos alienos usus vel potius abusus, in victu, vestitu, aliisque rebus, qui ex aliorum monasteriorum ritibus inducti fuerant. At monachis plerisque, qui ejusmodi usibus assueti erant, ab iis abstinere durum & intolerabile visum est. quapropter rebelles ac contumaces in exteras cellas amandandos censuit Benedictus, novosque tirones, præcipue nobilium filios, qui suæ doctrinæ faciles ac dociles se præberent, admisit, ac rite informavit. Ipse exemplo ceteris prælucens, rigide vitam instituit. In alios indulgentior, carne & adipe, caseo & ovis numquam usus est, vinum forte & delicatum quasi venenum abhorrens. Vestitus cucculla & tunica cum cingulo dormire solitus, post matutinos orando circumire altaria, non somno indulgere. Ægrotus magis jejuniorum antidoto, quam medicinæ remediis salutem quærebat. Ad hæc tribus per annum quadragesimis oblongo cilicio totum corpus domabat. Cum sacris mysteriis operaretur, perfusus lacrymis, ipsam divinitatem contemplari videbatur. In capitulo omnibus absolutionem impertiebat, interventu Sancti, cujus festum celebrabatur, & ad missas devote agendas, vel ad communionem sanctam eos hortabatur. Nemini tamen privatam missam celebrare licebat tempore communis sacrificii, ut omnes communi oblationi interessent. Humanitas illi maxima erat in hospites, qui frequentes eo conveniebant, propterea quod locus Romam adeuntibus obvius est. Nec minor illi de pauperibus & egenis cura. Adventantes non tantum ad biduum vel triduum, sed ad annum vel etiam ad biennium sæpius retinebat; eisque discedentibus subsidia necessaria, viaticum, equos, aliaque suppeditabat. Hæc cum resciisset, forte etiam ipse expertus esset Gregorius VII. scriptis ad eum litteris gratulatus est, quod *viscera Sanctorum* per eum *requievissent*. Eumdem porro defensorem habuit Benedictus contra novas Cuniperti episcopi molitiones, de quibus infra. Benedictus ipse junior dicendus est ad discrimen senioris.

CXX. S. Martini de Fromesta monasterium.

Ad res Hispanicas quod attinet, hoc anno Major, Sancii Castellæ comitis filia, Sancii Majoris Navarræ regis conjux, testamentum condidit in gratiam monasterii sancti Martini de Fromesta, quod ipsa exstruxerat. Hoc testamento vineas, terras, aliasque possessiones ejus loci monachis assignavit, *ut*[a] *servientes laici & clerici sustentationem habeant victus, qui die noctuque ibi Deo obsequium fecerint*; & præcipue *tribus monachis*, qui preces, vigilias & obsequia defunctorum pro ipsius anima fecerint. Factum testamentum idibus Junii, æra M C IV. regnante Aldefonso rege, Ferdinandi regis filio, in Leone. Prima subscribit *Major regina*, testamenti conditrix; tum Semendus episcopus Burgalensis & Bernardus Palentinus, Miro abbas, aliique. Hoc monasterium abbatiæ sancti Zoyli de Carrione, de quo superius egimus, subjectum est.

a *Tepes append. to. 6.*

APPENDIX

TOMI QUARTI ANNALIUM BENEDICTINORUM,

Varia diplomata & monumenta complectens.

I.

Bulla Benedicti VII. pro monasterio S. Vvalarici.

Ad lib. 49. n. 1.

Ex veteri exemplo.

BENEDICTUS servus servorum Dei, dilectissimo nostro filio Restoldo religioso abbati, vel omni congregationi in monasterio sancti Walarici, quam Hugo gloriosissimus comes, nosterque spiritualis filius, in regula beati Benedicti noviter congregavit, vestrisque successoribus in perpetuum. Cum magna nobis sollicitudine insistit cura pro universis Dei ecclesiis ac piis locis, vigilandum ne aliquam necessitatis jacturam sustineant, sed magis propriæ utilitatis stipendia consequantur. Igitur quia per interventum Hugonis glorioli comitis rationabiliter postulastis a nobis, quatinus pro suo magno amore atque dilectione confirmaremus vobis prædictum monasterium sancti Walarici cum omnibus rebus mobilibus, cumque & immobilibus, quibus a præfato Hugone gloriosissimo comite concessa esse noscuntur, vel a ceteris christianis in perpetuum concessa atque largita esse videntur, vel cum omnibus ad ipsum monasterium generaliter & nunc pertinentibus sicuti est. Igitur privilegiis sedis apostolicæ infulis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ ecclesiæ matris permanendum, nullius alterius ecclesiæ jurisdictionibus submittendum. Pro qua re piis desideriis faventes, nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus. Et ideo omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotum in præfato monasterio ditionem, quamlibet habere auctoritatem præter sedem apostolicam prohibemus, ita ut nisi ab abbate ipsius monasterii fuerit invitatus, nec missarum sollemnia ibidem quispiam præsumat celebrare omni modo, nec licentia sit, ut dictum est, ex ejus vel omnibus eidem monasterio sancti Walarici pertinentibus, situm in comitatu Witmau cuiquam magnæ personæ, parvæque auferre. Ut profecto juxta id quod subjectos idem ut in monasterio apostolici constituti atque privilegii consistit, inconcusse dotandum permaneat. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumserit hæc, quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii, statuta sunt, refragare, aut in quoquam transgredi tentaverit, reum se, & atri anathematis vinculo innodatum esse, & diabolo & ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu-Christi æterni incendii supplicio concremandum deputamus a Domino. Qui vero pio intuitu custos & observator exstiterit, benedictionis gratiam a misericordissimo Deo nostro consequi mereatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur. Scriptum per manus Bonizzonis notarii regionarii & scriptoris sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Aprili, indictione nona. Bene valete. Datum I. kalend. Aprilis per manum Stephani episcopi & bibliothecarii S. R. E. anno pontificatus domini Benedicti sanctissimi VII. papæ in sede beati Petri apostoli VII. imperante domno Ottone a Deo coronato magno imperatore, anno XIII. in mense & indictione nona feliciter. Amen.

II.

Charta Theutboldi episcopi Lingonensis pro Tornodorensi S. Michaëlis monasterio.

Ad lib. 49. n. 3.

Ex antiq. chartular. S. Michaël. Tornodorensis.

CUm in nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu-Christi ego Theutbaldus humilis Lingonum episcopus cum fidelibus nostris causas & negotia ecclesiæ nostræ diligenter tractarem, & qualiter in melius, ubicumque necessitas foret, Deo auctore proficere potuissent, inquirerem: inter cetera reperimus ecclesiam sancti Michaëlis juxta Tornodorum suis ædificiis venustatam; &, quod gaudendum est, suffragante beato Michaële frequenter miraculis visitatam: sed rebus qualiter ipsi monachi, qui ibi Deo & sancto Michaëli famularentur, vivere possent, & luminaria subministrare deberent, prope penitus destitutam: ubi vero & parentum nostrorum & quamplurimorum nobilium cor-

pora ob venerationem simul & interventum beati Michaëlis humata habentur. Quapropter, ne locus funditus cadere, & religio antiquitus ibi competens ex toto adnihilari videatur; pro amore omnipotentis Dei, & sancti Michaëlis obtentu, ut & nostris reverentissimis antecessoribus jam de præsentis sæculi cursu vocatis, & nobis ac omnibus nostris successoribus ad veniam & remissionem omnium peccaminum ejus interventio sancta suffragari dignetur; cum consensu & consilio fidelium nostrorum ad luminaria jam dictæ ecclesiæ sancti Michaëlis concedimus ecclesiam sancti Stephani in Espinolio, & omnem ibi parochiam aspicientem, ea ratione, ut sub potestate & dominatione seu & ordinatione perpetuis temporibus subjecta sit sæpe memoratæ ecclesiæ, & ad ejus luminaria perpetuo deserviat, & sub ordinatione custodum in Dei nomine subsistat. Ut autem præsens auctoritas inconvulsam futuris temporibus obtinere valeat firmitatem, manu propria eam firmavimus, & fidelibus nostris seu & quampluribus sacerdotibus illam corroborandam tradidimus. Ego Theutboldus humilis episcopus hoc decretum consensi. Otbertus præpositus, Amalricus abba, Ingelrannus subdiaconus, Umbertus abba, Widradus abba, Sichelmus diaconus, Arnaldus presbyter, Bernardus archiclavus, Hermannus abba, Madelgaudus levita, Wlfardus subdiac. Deodatus presbyter, Gunzelmus subdiac. Wlbertus presbyter, Arnaldus archidiac. Marco presbyter, Eyrleus subdiac. Consrancius archipresb. Helgaudus presb. Theudericus presbyter, Leudgarius presbyter.

III.

Alia Heyrici episcopi.

IN nomine Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi, ego Heyricus sanctæ Lingonensis ecclesiæ humilis episcopus, notum volo esse omnibus, præsertim ecclesiæ nostræ filiis & fidelibus; quia dum in gremio matris ecclesiæ nobis a Deo commissæ residerem, & qualiter status ipsius, Christo favente, in melius proficeret, una cum consilio fidelium nostrorum investigando perquirerem; inter cetera quæ tunc temporis inibi definivimus, ecce adierunt serenitatis nostræ obtutus Albericus papa atque Ratherius archidiaconus, humiliterque nostram expetierunt celsitudinem, quatinus ecclesiam sancti Michaëlis, quæ est juxta mœnia Tornodori opidoli, cuidam nostro militi & fideli, nomine Teutoni, ac uxori suæ Condradæ, atque filio Racherio per instrumentum nostrorum apicum benigne & sinceriter concederemus. Quorum satis congruis petitionibus aures nostræ dignitatis libentissime accommodantes, quod pie ac devotissime precati fuerunt, dignum maluimus fieri, dantes & concedentes prælibato Teutoni & uxori suæ atque filio suo, superius insertam ecclesiam cum omnibus sibi adjacentiis, ea tantummodo ratione, ut quamdiu in hujus vitæ peregrinatione substiterint, quieta pace & pacifico ordine eam teneant & possideant, & per hoc donum nostri beneficii excolere, tueri, ac legaliter in omnibus dominare queant, in condignis famulatibus, ut condecet, eam digniter adornantes, & pro modulo capacitatis eorum ejus negotiis & instaurationibus exercentes, censum quoque trium solidorum festivitate ejusdem archangeli nobis & nostris successoribus absque excusatione exsolventes. Post quorum finem migrationis sine cujuspiam inquietudine ad jus & dominium nostræ ecclesiæ nos ipsi aut successores nostri revocandi licentiam habeamus. Ut autem manu firma per succidua annorum curricula tutiorem & stabiliorem obtineat firmitatis vigorem, a nostrisque successoribus ne umquam callide aut perniciose corrumpatur, manus nostræ subscriptione eam adsignavimus, fidelibus nostris tam clericis quam & laïcis corroborare manibus propriis jussimus. † Heyricus episcopus in Christi nomine roboravi, &c. Ego Salvardus levita indignus hanc scripturam scripsi, datam VIII. kal. Maii, anno secundo Ludovico rege regnante.

IV.

Alia item Widrici episcopi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Widricus sanctæ matris ecclesiæ Lingonensis gratia Dei humilis præsul, volo notum fieri omnibus legis divinæ cultoribus, qualiter per instinctum sanctæ providentiæ ecclesiam beati Michaëlis Tornodorensis opidi, sitam ad meridianam plagam, ob remedium nostri nostrorumque successorum erratibus erigere vel reædificare cupimus, atque regulari culmine conamur subvehere. Superna vero annuente clementia, hoc negotium cum consensu nostrorum fidelium libenter exercemus, & ut stabiliatur in perpetuum, cum omni clero nostræ ecclesiæ hoc privilegium exinde fieri jubemus, ut semper insignis existere valeat, & inviolabilem hæc pactio vigorem obtineat. Quem locum in sublime ego Widricus episcopus, & Milo comes pagi Tornodorensis transcendere gestientes, atque ad incrementum futuræ nobis beatitudinis recogitantes, simul etiam quique nobilium nobiscum habentes spem retributionis æternæ, de rebus propriæ portionis inibi condonamus, quatinus jugiter queant exorare divinæ majestatis clementiam, qui illic degere videntur. Mansum enim præfatæ ecclesiæ, & quæ de eo jure ecclesiastico ad me videntur pertinere, Deo & sancto Michaëli, fratribusque inibi servientibus attribuo; Milone etiam comite, si quæ illi de eo justæ vel injustæ contingebant consuetudines, modis omnibus eis annuente. Adhuc autem donat prædictus comes illi ecclesiæ mansos duos vestitos cum appenditiis suis in villa, quæ dicitur Scissiacus, cum ejus salvamento; & silvam, quæ dicitur Campus-Moravi: & in alio loco, in villa, quæ dicitur *Ereth*, mansum 1. cum appenditiis suis adhærentibus, & silvam, quæ dicitur Colradum, & in villa, quæ dicitur Domno-Petro medietatem quidquid habere videtur, & in pago Brionense, in villa *Jasant*, medietatem quidquid habere videtur; & post excessum Ingeltrudis uxoris suæ totum integre; & in suburbio ipsius castri Tornodorensis molendina duo; & in villa Argentiniaco quidquid habere videtur, hoc est mansos duodecim vestita cum appenditiis suis inibi adjacentibus, silvis, pratis, pascuis, africariis, aquis aquarumve decursibus. Et in villa *Molins* quidquid habere videtur. Et ut hoc conscriptum titulum perpetualiter habeatur insigne, manibus propriis firmare decrevimus, fulti totius ecclesiæ clero nostræ sedis sollemniter. Widricus episcopus, qui consensit & firmare rogavit. Beraldus archidiac. Signum Wido abba. Sig. Arembertus levita. M. abbas † Ainrici comitis. Sign. Milonis comitis, qui hanc scripturam firmavit atque consensit. Sign. Brimonis. Sign. Berardus præpositus. Milo abbas. Arnaldus. Sign. Ricardi comitis. Quicumque hanc firmationem calumniare præsumserit, si non resipuerit, anathema sit. Ego Ermannus levita indignus ad vicem Airardi archicancellarii scripsi & subscripsi. Data mense julio, indictione VIII. anno ab incarnatione DCCCC LXXX. anno XXVI. regnante Lothario rege.

V.

Ad lib. 49. n. 5.

Benedicti papæ VII. bulla pro monasterio sancti Hilarii Carcassonensi.

Ex apographo.

BEnedictus episcopus, servus servorum Dei: notum sit omnibus christianis, quia venerunt Rodgarius comes cum conjuge sua, nomine Adhalaice, simulque cum eis venit Benedictus abbas ad limina apostolorum beati Petri & Pauli ante nostram præsentiam; petieruntque, ut confirmaremus eis per nostram apostolicam auctoritatem monasterium, quod est consecratum in honore sancti Saturnini, ubi beatus Hilarius humatus quiescit: ut non sit licitum ab hac hora inantea, neque comiti, neque vicecomiti, neque episcopis, neque ullæ magnæ parvæque personæ, homini neque feminæ, supradictum monasterium aliquid de suis rebus auferre vel alienare præsumat, quicquid modo habet, & inantea acquisiturum erit in perpetuum: sed semper sint in stipendia monachorum, & in eleemosynis pauperum ea, quæ concessa sunt vel donata in præfato monasterio a præfato Rodgario & sua conjuge; id est villa, quæ dicitur Corneliana, cum ecclesia sancti Petri, & ecclesias, quæ in vico Limoso & Gardia cum ecclesia sancti Petri; & Malchindus & Salsingus, & cetera loca, quæ a præfato monasterio pertinent, vel pertinere debent. Post vero obitum Benedicti abbatis, nemo ibidem abbatem constituat, nisi quem consensu & communiori voluntate fratrum, qui ibidem Deo serviunt, vel inantea sunt servituri, elegerint. Hæc omnia, quæ supra scripta sunt, concedimus tibi Benedicto abbati, tuisque successoribus in perpetuum pro omnipotentis Dei amore & sancti Petri, nostræque animæ redemtione; item & pro amore Rodgarii comitis Carcassonæ & conjugis ipsius, necnon Raymundi dilecti filii mei, ut illorum sit merces in perpetuum. At vero qui custos & observator fuerit hujus nostri apostolici præcepti, & confirmatione christiana benedictionem a Patre & Filio & Spiritu-sancto in omnibus consequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur in sæcula sæculorum; & qui observare noluerit, anathematis vinculo sit innodatus, & a regno Dei alienus permaneat. Scriptum per manum Stephani notarii & scrinarii sanctæ Romanæ ecclesiæ. Bene valete.

VI.

Abbonis monachi Floriacensis prologus in libellum suum de Grammaticalibus.

Ad lib. 49. n. 69.

DIlectissimis in Christo Angligenis fratribus, maximeque in monasterio sancti patris Benedicti sub schola virtutum regulariter vitam degentibus, ex Floriacensi cœnobio ejusdem patris vernula Abbo, genere Francus, professione monachus, officio diaconus, in essentialiter Bono salutis perpetuæ munus. Omnipotentia divinæ majestatis, quæ tempora mutat & ordinat, me ab ineunti ætate, prout voluit, multifariam & multis modis tentari permisit, quoad juvenilis ætatis robur adversitatibus assueseceret, cui ad cumulum virtutis tandem succreseceret infortunium oblatæ peregrinationis. Quam etsi inter tot religiosæ vitæ viros, Deo auctore, perfero, qui me quasi seipsos diligunt, ut ipsa re conjicio; non tamen voti impos, sine dolore recordari valeo, quod illius mei spiritalis alumni in-præsentiarum corporali præsentia minime perfruor, quæ aliquando perfruenti erat ipsa vita dulcior. Nunc quia ita contigit per obedientiam, quæ melior est victimis, non solum fratrum cum quibus moror imperiis deservire gestio: verum etiam quibusque hujus insulæ juxta modulum meæ parvitatis desidero prodesse: quoniam non sine divino constat moderamine gestum, quod sedatis fluctibus marinæ tempestatis ad id deveni exsilii cum mira tranquillitate tam vasti æquoris; ubi dum quibusdam studiorum occupationibus detineor, levior fit calamitatis miseria, quam tolero: quandoquidem benevolentia eorum, cum quibus habito, ad id me compellit, ut non solum pro posse velim fraternis necessitatibus succurrere, sed etiam ultra vires velle. Quocirca omnium apud Anglos, ubi ubi positorum objectis respondere decrevi, quatenus habeatis, carissimi, aliqua monimenta vestri exsulis, quibus valeatis intendere acumen exercitatæ mentis. Nec fraudabor vos quæstionibus expeditis, quas vel tentando, vel dicendo objiciunt quique studiosi. Cui etsi ab aliquo opponatur . . . . . ingenii sterilitas vel inopia mei, non sit indigna convivii copia, quæ hoc modo se habeat in quæstione prima.

Ex manuscodice Peletariano.

Quæsitum est *salubris* penultima correpta, an producta dici conveniat. Quibus ego proposui, quæ in antiquis latinæ linguæ auctoribus me legisse pro certo habui, & ne vestra memoria laberentur, etiam litteris digessi. In primis Donatus dicit, quod si in trisyllabis & tetrasyllabis & deinceps, si penultima positione longa fuerit, ipsa acuetur, & antepenultima gravi accentu pronuntiabitur, ut Catellus, Metellus. ita tamen si positione longa, non ex muta & liquida fuerit; nam mutabit accentum, ut latebræ, tenebræ, &c.

Inveniuntur producta participia, quæ habent *e* ante *tus*, ut *recensetus*. Unde Prudentius in passione Hippolyti martyris:

Cumque recensetis constaret partibus ille, &c.

Ut vero penultima *radicet* corripi putetur, forte auctoritas compulit, qui ipsum nomen inter correpta excipit, &c.

De nomine quod est *mulier* requisistis, quo accentu ejus genitivus debeat pronuntiari. de quo sciendum est, quia, quamvis ejus penultima brevis sit, euphoniæ causa solet acui, sicut & verba *calefacio, calefacis*. Cum enim omne nomen dissyllabum & deinceps in *er* definens brevietur, si genitivus ejus supra duas syllabas excreverit, semper penultimam corripit, nisi positio adsit, aut penultima nominativi naturaliter producta sit, ut *October, saluber, equester*, &c.

In Dei PALINODIA, quam composuit Hilarius Pictavensis episcopus, non juxta quorumdam imperitorum errorem *susceptistis*, sed potius *susceperus* legendum est: *Tu ad liberandum susceperus hominem. Futurus* enim participii activi, cum ejusdem significationis verbo junctus suggerit consequentiam cujusdam competentis ordinis conditionaliter, ut vix possibile sit alterum fieri, nisi alterum præcesserit. Ut, *Visitaturus fratres Anglicos, Os. archiepiscopum, non horrui maris periculum*, &c.

Unde quodam compendio evisceratis objectarum quæstionum intimis, quas vestra fraternitas perlegendo discutiat, discutiendo perleget, terminum his imponere decrevi: maxime quia disputando perveni ad eum, qui est initium & finis. Valete.

O Ramesiga cohors, amplis quæ claudere stagnis,
Purior obrizo niteris esse Deo.
Vasta palus, piscosa nimis, sua dyndima pandit,
Ut nova sint eremi claustra reperta tibi.
Nam quà corviferæ consurgit proditor hydræ,
Insula silvoso gurgite pulcra nitet.
Et quà splendentis se mergunt lora bootis,
Pons est inde suis pervius Angligenis.
Quà cynosura poli fixum regit undique gyrum,
Anguillosa palus nescit habere modum.
Unde refert umbras vaga lux phœbea sinistras
Terra patet, nullo continuata vado.
Huc me sorte dedi ignotis ignotus alumnis,
Quos Benedicte pater jure tuere paras.

VII.

Observationes in notas musicas. *Ad lib. 49. n. 80.*

Variis notis usi sunt veteres ad designandas vocum flexiones, seu exaltationes & depressiones, in musica & plano, ut loquuntur, cantu seu Gregoriano. Ante sæculum nonum usitatæ erant litteræ alphabeticæ ad id designandum. Ekkehardus [a] *sancti Galli monachus auctor est, Caroli Magni rogatu missos ab Hadriano papa fuisse Petrum & Romanum, in cantu Romano peritissimos, qui eum in Gallia docerent; & Romanum quidem ad sanctum Gallum divertisse, ibique instrumentum quoddam, quod* cantarium *vocant, ad antiphonarii authentici amussim reliquisse, ad cujus formam antiphonaria corrigerentur; eumque primum esse, qui litteras alphabeti, pro notulis cantus apposuerit. Postmodum inventæ sunt notulæ caudatæ, sed absque lineolis. Denique sæculo undecimo additis a Guidone Aretino lineolis inventi rhombi, quibus etiam nunc utimur.* [a] Ekkeh. c. 4.

Sub finem sæculi noni jam obsoletus erat litterarum usus, ut intelligitur ex quæstione Lantberti, sancti Galli monachi, qui Notkerum Balbulum de earum significatione interrogavit. Ad hanc quæstionem respondit Notkerus in hunc modum.

Notker Lantberto fratri, salutem. Quid singulæ litteræ in superscriptione significent cantilenæ, prout potui, juxta tuam petitionem explanare curavi.

A ut altius elevetur, admonet.

B secundum litteras, quibus adjungitur, ut bene, id est, multum extollatur, vel gravetur sive teneatur, *belgicat.*

C ut cito vel celeriter dicatur, certificat.

D ut deprimatur, demonstrat.

E ut æqualiter sonetur, eloquitur.

F ut cum fragore seu frendore feriatur, efflagitat.

G ut in gutture gradatim garruletur, genuine gratulatur.

H ut tantum in scriptura aspirat, ita & in nota idipsum habitat.

I jussum * vel inferius insinuat, gratitudinemque pro G interdum indicat. * *l.* jussum.

K licet apud Latinos nihil valeat, apud nos tamen Alemannos pro χ. græca positum chlenche, id est clange, clamitat.

L *levare* lætatur.

M mediocriter melodiam moderari mendicando memorat.

N notare, hoc est, noscitare notificat.

O figuram sui in ore cantantis ordinat.

P pressionem vel prensionem prædicat.

Q in significationibus notarum cur quæritur? cum etiam in verbis ad nihil aliud scribatur, nisi ut sequens u, vim suam amittere queritur.

R rectitudinem vel rasuram non abolitionis, sed crispationis rogitat.

S susum vel sursum scandere sibilat.

T trahere vel tenere debere testatur.

V licet

V licet amissa in sua, veluti valde *V* aus græca vel hebræa velificat.

X quamvis latina verba per se inchoet, tamen *expectare* expetit.

Y apud Latinos nihil *hymnizat.*

Z vero, licet & ipsa mere græca, & ob id haud necessaria Romanis, propter prædictam tamen r litteræ occuparionem ad alia requirere in sua lingua *zitise* require.

Ubicumque autem duæ vel tres, aut plures litteræ ponuntur in uno loco, ex superiore interpretatione, maximeque illa, quam de B dixi, quid sibi velint, facile poterit adverti.

Salutant te Ellinici fratres, monentes te fieri de ratione emboliſmi triennis, ut absque errore gnarus esse valeas, biennis contemto precio divitiarum Xerxis.

Has Notkeri interpretationes vulgavit Canisius in tomo quinto antiquarum lectionum, confessus se non capere, quæ sint illæ litteræ cantilenæ, quia scilicet ejusmodi usum in antiquis libris non viderat. Ut autem uniuscujusque litteræ usus melius innotescat, verbum ad quod refertur, alio charactere notare visum est.

Jam vero sæculo nono ejusmodi litteris substitutæ sunt notulæ caudatæ, quales etiam nunc apud musicos in usu habentur, sed absque lineolis, quæ modum seu mensuram exaltationis vel depressionis in cantu præcise designant. Tales sunt notulæ in codice Ratoldi, cujus occasione hæ observationes factæ sunt. Exemplo sit hymni sequentis fragmentum, cujus ectypum ex eodem codice primus exhibuit Menardus noster, expressum itidem in nova Gregorii M. operum editione, a nostris recens adornata.



Annal. Bened. Tom. IV.

Hujus loci occasione addere lubet, Ambrosianum cantum, qui sonorus & fortis est, dulciori cantu Romano mutatum fuisse in Casinensi monasterio jussu Stephani IX. qui ex abbate sacri illius loci summus pontifex creatus fuerat; ut legitur in libro II. Chronici Casinensis cap. XCVII. Eodem sæculo mutatio cantus in Fiscamnensi monasterio facta est, quæ magnos ibidem motus excitavit: sed qualis fuerit illa mutatio, incertum.

VIII.

Lotharii regis præceptum pro Carnutensi monasterio sancti Petri. Ad lib. 49. n. 33. *Ex chartario Boherianæ.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris videlicet, Filii, & Spiritus-sancti, Lotharius propitia divinitate rex. Universalis ecclesiæ Dei omnium fidelium noverit, pia sagacitas, quia fideles nostri regni, Odo scilicet Carnotensis præsul, atque illustrissimus comes, fidelis noster, atque inter alios magis dilectus Odo cum sua æque conjuge Bertha nepte utique nostra dulcissima, magnificentiæ nostræ genua adierunt, accedente quoque etiam in hoc incliti ducis fidelis nostri Hugonis favorabili obsecratione, ut quoddam monasterium, quod in suburbio Carnotinæ civitatis in honore beatissimorum duodeni apicis principum Petri & Pauli, Deo propitio, constat nobiliter fundatum, ex more regiæ celsitudinis decernimus, atque constituimus prænotatum oratorii locum, cum cunctis finibus rerum in universis civitatibus sive beneficiis sæpe memorati fidelis nostri Odonis comitis sibi adjacentium, universaliter ab omni respectu judicum ordine mundi decurrente inviolabili soliditate solutum & illibatum permanere. Ea siquidem ratione, ut ab hodierna die, & deinceps remota omnium potestate, nullo aditu, nullo tempore aliquis principum ecclesiasticorum aut sæcularium, pontificum, ducum, comitum, vicariorum, vel quorumlibet diversi generis officialium in claustro prædicti monasterii, aut in cunctis rebus, juxta quod superius decretum est, ipsi adjacentibus, aliquas impetat exactiones, neque bannum, neque districtum, aut quidquid in aliquo terrenæ justitiæ titulo dici potest. Ut autem in Dei nomine hoc edictum auctoritatis nostræ in sæculorum successione validiori innitatur vigore, manu propria stipulavimus, & anuli nostri sigillatione informari, atque nobilitari imperavimus, anno incarnationis dominicæ DCCCC LXXXVII *. anno XXXI. regnante domno Lothario gloriosissimo rege. Actum Compendio palatio. Ego Arnulfus notarius ad vicem domni Adalberonis archiepiscopi & summi cancellarii recognovi. Signum Odonis comitis. Sign. Gelduini. Sign. Fulcherii. Sign. Aleserii. Sign. Teudonis. Sign. Huberti & filii ejus Huberti. Sign. Odonis. Sign. Hugonis. Sign. Rainaldi. Sign. Archambaldi. Sign. Gilonis. Sign. Gauscelini. Sign. Hervei. Sign. Nivelonis. Sign. Rotberti. Sign. Aymonis. * LXXXVII.

IX.

Ad lib. 50. n. 15.

Arnulfi archiepiscopi charta pro S. Remigio, quod comes de Grandi-Prato nihil habeat in villa de Meura. *

* *an* Meura.

Ex mſ. cod. Ottobonian.

EGo Arnulfus Remorum archiepiscopus notum fieri volo omnibus tam præsentibus quam futuris, quod habetur in subditis. Hecelinus comes de Grandi-Prato tenebat advocationem de duce Godefrido de hominibus sanctæ Mariæ de potestate Meuræ, dux vero de nostro beneficio, quam etiam advocationem comes ipse Hecelinus dederat cuidam militi suo nomine Gaulino. Gaulinus autem tantam in rusticos exercebat tyrannidem, exactiones, & ceteras malas consuetudines, quæ ad advocatum non pertinent, faciendo, ut vix homines ferre possent. Unde nobis conquesti canonici ducem mecum allocuti sunt, dederuntque mihi hoc quod habebant in Summa-Axona, in terra, in manso, in dominicato, & in ecclesia, quatenus inde ducem beneficiarem, & sic dimitteret advocationem. Dux vero hoc beneficium pro advocatione gratanter suscipiens, Hecelino in concambium dedit, & advocationem illam Hecelinus guerpivit ac dimisit, ea videlicet ratione, ut nec ipse, nec aliquis suorum extunc & deinceps aliquid de hominibus supradictis pro advocatione exigeret, & neque de banno, neque de latrone, neque de sanguine, neque de letho partem aliquam ab illis hominibus requireret, nec quemquam eorum ante se vocaret, aut de eo justitiam faceret aliquam, aut pretium aliquod de eo acciperet; hoc excepto, ut si ministerialis canonicorum qui hujus obedientiæ officio fungeretur, homines supra dictos per se non posset distringere; tunc primum in adjutorium sui comitem conjungeret, comes vero vel ejus vicarius, nonnisi commonitus auxilium ferret, & hoc gratis, & sine aliquo suo commodo faceret. Ut autem hujus rei veritas posteris pateficeret, & ne hinc in posterum in damnum ecclesiæ aliqua contentio pullularet, conventionis hujus tenorem manu propria firmavimus, firmarique per legitimos & idoneos testes fecimus, quorum ista sunt nomina, Ragenerius præpositus, Letoldus archidiaconus, Olbertus decanus, Franco cantor, Ailulfus vicedominus, Johannes, Stephanus, Bevo, Giraldus, Rotdulfus, Rogerius, Haidericus, Balduinus, Haduinus, Guarinus, Gotdefridus dux, Rotgerius comes, Arnulfus comes, Richerius comes, Rainoldus comes, Hildardus comes, Hildradus comes, Guiterius, Rodulfus, Ragenerus, Isembardus, Odo, Guido, Item Guiterius, Dudo, Isembardus, Gerardus, Garnerius, Rotgerius, Guidricus. Actum Remis in palatio episcopali, anno incarnationis dominicæ MVIII. regnante Roberto rege anno XXI. archiepiscopatus autem domini Arnulfi XXIII. Ysaac cancellarius ad vicem Ragenerii archidiaconi scripsit & subscripsit.

X.

Ad lib. 51. n. 10.

Charta comitis Gualterii comitis pro monasterio sancti Crispini Suessionensis.

Ex authentico S. Crispini majoris.

OMnibus in Christo piè viventibus manifestum est quoslibet animarum suarm subvenire languoribus, dum Deo sanctisque ejus aliquid conferunt de prædiorum suorum reditibus, aut dum sanctæ Dei ecclesiæ aliqua restituunt injuste sublata a suis antecessoribus. Hujus rei gratia tandem, me divinæ dispensationis præmonente providentia, ego comes Gualterius terras sanctorum Dei martyrum Crispini & Crispiniani, quæ sunt sitæ in comitatu Vadensi, quasque genitor meus Rodulfus prædictis Sanctis injuste abstulit, & ipse post decessum ejusdem injustius sciens tenui; pro remedio animarum supradicti genitoris & genitricis meæ, necnon & pro redemtione animæ meæ & uxoris & filiorum meorum restituo & reddo per consensum & voluntatem natorum meorum, Rodulfi videlicet & Gualterii, qui bona mea post excursum vitæ Deo permittente; hereditario jure sunt possessuri. Terræ autem supra memoratæ ab incolis pagi illius nominantur Oratorium & Lupi-saltus, quas, sicut supra dictum est, reddo cum omni integritate, videlicet cum silvis, pratis, culturis, vineis, aquis, aquarumve decursibus, & super fluvium Altumnam reddo farinarium unum. Hanc itaque redditionem solemniter ac publice facere voluimus, præsentibus scilicet regibus Hugone & Rotberto, principibus etiam Francorum compluribus, episcopis quoque vel abbatibus, quorum nomina subtus continentur asscripta, ea videlicet ratione, ut nulli amicorum seu parentum nostrorum ab hac die in posterum liceat repetere aliquid ex his tamquam ex hereditate. Ut autem hæc redditio nostra firma & stabilis permaneat, etiam regiis manibus voluimus corroborari, atque aliorum subscriptionibus confirmari. Signum Hugonis regis gloriosissimi. Signum Rotberti inclytæ prolis. Signum Gualterii comitis. Sign. Rodulfi. Signum Gualterii. Signum Guidonis episcopi [a]. Signum Herivei [b] episcopi. Sign. [c] Fulconis episcopi. Signum [d] Ratbodi episcopi. Signum Abbonis abbatis. [e] Signum Odolei abbatis [f]. Signum Guidonis comitis Sueffion.

[a] Suession. [b] Belvacensis [c] Ambianensis. [d] Noviomensis. [e] Floriacensis. [f] S. Medardi.

XI.

Ad lib. 51. n. 11.

Charta pro ecclesia sancti Martini Turonensis.

Ex authentico.

PRimo regnante Rotberto, in anno ubi Bertæ uxoris suæ maritali connubio adhibitus est, willelmus sancti Martini præpositus Hervinum sanctæ Mariæ ministrum cum grege sibi commisso habili adgressus est verbo: Seniores mei, vestri coamici, scilicet canonici sancti Martini, humili vos precantur prece, ut eis de colobertis vestris, qui illis propinquiores sunt, magisque necessarii, assensum alterna commutatione præbeatis, qui multis vicibus revovens ac repetens iratus ingratis rediit. Quare nos multum differentes, sed ad ultimum petitioni eorum inhærentes, verba eorum ea ratione recepimus, ut nos homines nostros nominatim dominatui eorum traderemus, Grimoardum, Walterium &c. Et ipsi nobis proculdubio eodem modo suos traderent. Igitur kal. Julii, in loco, qui vocatur Maudunum, in conspectu . . . dedimus illis nostros & illi nobis suos. Ervinus levita subscripsit Sig. Gausfridi militis rectoris monasterii. Sig. Hervei ejusdem filii &c. Durandus sacerdos &c. Data in mense Augusto VIII. anno regnante Hugone rege. Warnerius sacristes subscripsit.

V. D. Edm. Martene. part. 2. Misc. 221.

Carolus Crassus id confirmat quod istud concilium sanxit. Data XVI. kal. Jul. an. incarnat. Domini D CCC LXXXVII. indict. V. anno imperii imperatoris Karoli in Italia VI. in Francia V.* in Gallia II. Actum in Chirich-heim in Dei nomine feliciter. Amen.

* *Sic.*

Notandum quod legitur in illo authentico.

Igitur notum esse volumus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris, partibus Italiæ atque Romaniæ necnon Franciæ ac Galliæ constitutis, qualiter adiit imperatoriam serenitatem nostræ majestatis præstantissimus vir Odo religiosus abba basilicæ eximii confessoris Christi beati Martini in suburbio Turonicæ civitatis sitæ, reverenter poscens, ut res in Italia sitas, quas olim orthodoxus Karolus Magnus imperator Solariam ac Lianam atque vallem Caumaniam cum omnibus rebus ad easdem pertinentibus, vel aspicientibus ob amorem Dei & sancti Martini reverentiam fratribus ad eorum necessitati sufficiendas dederat, quasque idem venerabilis abbas Odo prona voluntate fratribus ejusdem congregationis ad eorum confugium necessaria subministranda pro remedio animæ suæ, suique genitoris Rotberti ejusdem loci quondam abbatis, necnon & pro remedio animæ suæ reddidit, imperatorio more pro communi mercede omnium prædictorum perpetuo mansuras absque minoratione vel subtractione aliqua corroboraremus, &c.

Amalbertus cancellarius ad vicem Liutberti archicancellarii recog. & subs.

*S. Spani * opidum est, ubi præpositura S. Martini in pago Turonico, septem circiter aut octo leucis ab urbe.*

* S. Espain.

XII.

Juramentum fidelitatis factum canonicis S. Martini Turonensis de rebus sancti Martini in Italia.

DIe secundo intrante Martio, in loco Papiæ sub porticu domus ecclesiæ sancti Martini in Terra-arsa, in præsentia domini Dalfini advocati Piscariæ, Oppigonis clerici de Soleria, Rufini Ysembardi &c. ibique in eorum præsentia dominus Robertus de Januelo canonicus Turonensis, ecclesiæ beati Martini rector & gubernator, atque syndicus omnium rerum ad ipsam ecclesiam in Italia pertinentium, cum bereta, quam in sua tenebat manu, investivit domnum Bonifacium marchionem Montis-ferati de suo recto-feudo; quod idem marchio invenerat a domino willelmo quondam de Palotto ejus cognato in Solaria & ejus curte atque districto. Hoc facto, idem marchio juravit fidelitatem beato Martino & communi capitulo ecclesiæ beati Martini Turonensis, atque supra scripto domino Roberto, ut vasallus domino seu dominis, & in eodem sacramento juravit, quod attendet & observabit quoddam pactum & conventionem factum & factam de prædicto feudo inter quondam dominum Brunonem præpositum sancti Martini, atque dominum Obertum marchionem, cognomine Broto-porrata, ut in quodam instrumento ibi lecto factum per manum Radulfi judicis continebatur, tenor cujus instrumenti talis erat. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi M C XXXI. XIII. kal. Decembris, indictione VIII. &c. Actum est hoc in supra scripto loco Terræ-arsæ M C XCIX. indictione secunda. Ebo presbyter domni F. imperat. not. interfui & rog. scripsi.

Vide Concilium incerti loci in Italia anni 887. indict. V. de rebus sancti Martini in Lombardia, ubi de Solaria in comitatu Astensi, quo in loco erat collegium canonicorum sub jurisdictione sancti Martini Turonensis. Ibi loco canonicorum secularium positi sunt canonici regulares circa annum. 1100. a canonicis sancti Martini, educti e monasterio sancti Cosmæ prope Turones.

XIII.

Ad lib. 51. n. 24.

Abbonis abbatis Floriacensis epistola ad Leonem abbatem Romani sancti Bonifacii monasterii.

Ex tom. 2. Miscell. Baluz.

FAcundiæ prærogativa cum vitæ merito & sapientiæ doctrina mirabiliter intonanti Domino L. sancti Bonifacii carissimorum carissimo abbati, Floriacensis cœnobii humilis abbas Abbo spiritum Domini, qui replevit orbem terrarum, replere illius ipsius scientiam & intellectum. Caritas, quæ est vinculum perfectionis, dum nos ambos Remis positos conglutinaret labiis privatæ collocutionis, tot oratorios rivos, tantos sanctæ scripturæ favos bono zelo fulminea lingua vestra eructavit coram & secreto, ut exclamans compellar dicere: *Diffusa est gratia in labiis tuis.* * *Propterea benedixit te Deus in æternum.* Dum ergo ad talia rutilantium verberum fulgura stupui, coactus sum deinceps ubique confiteri, vos tonitruum esse Spiritus-sancti, qui super apostolos in igneis linguis descendit, qui etiam vos ardentem romphæam, ad secandos improbos de templo suo, septem donis gratiarum decenter elimavit. Inter hæc tandem, erectis animi luminibus, solares vestræ eloquentiæ radios aquilinis oculis conspicere

volui ; & ſicut ait Eccleſiaſtes, *Frater fratrem adjuvans quaſi civitas munita & fortis*, baculum robuſti adjutorii & columnam inſeparabilis amicitiæ vos in æternum, ſi placet, habere decrevi. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem, ut det vobis id ipſum ſapere per Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, ut favus diſtillans labia veſtra memoriale noſtrum hereditate poſſideant in ſempiterna ſæcula. Inter familiaria verborum noſtrorum arcana diſtillavit auribus noſtris unum quoddam eloquium veſtra magnificentia, quod non minus adimplere, ſi Deus voluerit, ſatago, quam vitam perpetuam mercari ex voto. Pretioſarum reliquiarum ſancti patris Benedicti inſignia poſtulaſtis vobis dirigi, eo quod indubitatum penitus eſſet ſanctiſſimam ipſius corporis præſentiam a nobis retineri, idcoque velle enixius in honore illius oratorium conſtrui, itemque nobis de ſancto Bonefatio aut de ſacris artubus ceterorum ſanctorum nobis eadem recompenſari. Adjecit inſuper incomparabilis bonitas, quod ſi nos urgueret ſuper re domeſtica aliqua voluntas corroborare noſtra privilegia per Romanæ auctoritatis ſtilum apoſtolicum, vos in omnibus & per omnia noſtri fore fideliſſimum collaboratorem. Hæc autem omnia perficere voti erat, quando magnifica principis Apoſtolorum membra ſupplex adii ; ſed Romanam eccleſiam digno viduatam paſtore, heu proh dolor, offendi. Veſtra autem abſentia, profiteor, ita affectus ſum ſicut ſolet affici fœtus gallinæ conquerens raucis faucibus abſtractum eſſe unicum matris ſuæ præſidium. Nuper autem audivi nantium, quod me lætificavit ſuper aurum & topazium, erectum eſſe apoſtolicum decus per quemdam imperialis ſanguinis virum, totum virtutibus & ſapientia compoſitum. Veſter vero reditus intonuit menti noſtræ velut paradiſiacæ reverſionis ineffabilis concentus. Nunc igitur, ſicut locuti ſumus ad invicem, & hæc epiſtola veſtris aſpectibus ſe præſentat, per hos ſancti patris Benedicti monachos audire placeat, & audita perficere, velut promiſiſtis, cum ſumma fide & devotione. Ipſe autem idem Spiritus, qui inſpiravit omnis eloquentiæ flore Gregorium, inſpiret hujus ſuæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ venerabilem apoſtolicum, vobiſque concedat, ut ſitis eidem ipſi dulciſſimus a ſecretis, ad conſolidandam dejectionem apoſtolicæ auctoritatis. Valete.

in ſanctæ gremio eccleſiæ præfulgentes, ad examen veſtri undique circumfluant magiſterii, zelantes potius egregiæ aſtrui rudimentis doctrinæ. Mox autem penitus, poſtpoſitis ſuæ inſignibus elegantiæ inſtrumentis, cervices humili devotione legi karitativæ ſubjugant diſciplinæ. Hinc itaque melliſluæ ineffabiliſque æmulatores ſapientiæ, obſequendo veſtræ pio ducatui paternitatis, informari celebrandæ inardeſcunt exemplis benignitatis. Cum igitur in beato grege veſtro tot tantaque redolentium floreſcant inſignia virtutum ; ordo proinde divinæ poſtulat miſericordiæ, ut quod virtutis ſupernæ gratuito munere ſumpſiſtis, omnibus, maxime veſtræ domeſticis profeſſionis retribuere procuretis. Et quoniam karitas nullatenus ſuam quærit voluntatem, regio cujus munimine ſepti, antiqui oppugnationes adverſarii expugnare prævaletis, congruum putamus, ut toto mentis corporiſque conamine proximorum neceſſitatibus ſubvenire debeatis. Hujus igitur inſtigatione virtutis præcipuæ vehementer excitati, ceterorumque auctoritate bonorum, quorum præſidia in veſtra vigent converſatione, ſuffulti, veſtram humiliter imploramus, implorando obſecramus miſericordiam, ut unum de fratribus veſtris patribus noſtris, paſtorem ſollicitum, animarum rectorem noſtræ puſillanimitati aſſignare dignemini. Ne autem prolixo connexorum funiculo verborum longius veſtram protrahamus audientiam, domnum Witcherium compatriotam noſtrum omnes unanimes, una affectuoſaque conſpiratione exobtamus, exobtando ſuppliciter expoſcimus. Hunc de veſtris omnibus ſuperna mentibus noſtris gratia inſpiravit, hunc fidelem nobis præceptorem præelegit, hunc ſpiritualem vitæ noſtræ procuratorem præſignavit. Hunc igitur, o patres venerandi, ex karitatis munere neceſſitati noſtræ tranſmitti miſericorditer deprecamur, quem ſancto agente Spiritu valde neceſſarium nobis fore confidimus. Sit itaque veſtræ benignitas pietatis inæſtimabilis conſonans ſententiæ diſpoſitoris ; ſit & veſtræ ſublimitas dilectionis condeſcendens, condeſcendendo fraternæ conſulens imbecillitati. Valete.

XIV.

Ad lib. 51. n. 50.

Epiſtola de electione abbatis Witcherii.

Ex membrana S. Vincentii Cenoman.

LIcet cunctis in partibus orbis multis innumeriſque locis longe lateque regularis præclaraque beati diligenter obſervetur traditio Benedicti ; maxime tamen nulli invida, immo omnibus grata veſtra excellentia religionis exemplar ſive ſpeculum univerſis dignitatibus monaſticæ ſupereminet conditionis. Unde ſit certumque tenemus, ut complures jam emerito virtutum culmine maturaque morum honeſtate

XV.

Rotberti regis diploma pro Cormeriaco.

Ad lib. 51. n. 52.

Ex chartario Cormaric.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti, ROBERTUS divina ordinante providentia Francorum rex. Si ſervorum Dei, eorumque maxime, qui ſua omnia relinquentes Chriſtum ſequi noſcuntur, curam gerimus, & ad divinæ potentiæ in locis Deo dicatis uberius ſerviendum auxilium porrigimus : id nobis proculdubio & ad mortalem vitam proſpere deducendam, & ad æternam feliciter obtinendam commodum provenire confidimus. Idcirco notum ſit omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus, & præcipue totius regni noſtri primoribus, quia adiit regiam culminis noſtri monarchiam FULCO

comes, pro commodis & profectibus noſtra auctoritate ſtabiliendis & roborandis cujuſdam cœnobii, nomine Cormarici, in honore Dei omnipotentis & ſancti Pauli apoſtoli conſtructi. Ipſe namque FULCO comes conſtruxit ſuo tempore in comitatu Turonico caſtellum quoddam, quod vocatur Monſbaſonis, in terra ipſius cœnobii ; & alterum conſtruxit caſtellum in comitatu Pictavo, quod vocatur Mirebellum, terræ ipſius cœnobii proximum. Verentes itaque monachi jam dicti cœnobii, ne eadem caſtella in futurum ſibi vel ſuis rebus nociva & infeſta exiſtant, adiit nobilis & religioſus abbas ipſius loci, nomine THEOBALDUS, cum ſuis monachis præfatum comitem FULCONEM, ut vi ſua atque potentia, quantum poſſet providere & prohibere curaret, ne eadem caſtella jam dicto cœnobio, nec ullis rebus ſuis umquam violenta forent. Deinde ſuggeſſerunt jam dictus abbas & ſui monachi ipſi comiti FULCONI noſtram adire excellentiam regiam, ut, quod ab eo precibus exigebant, ipſe a noſtra ſerenitate efflagitaret ſcripto & præcepto noſtræ auctoritatis ratum ac ſtabile in perpetuum confirmare. Idem vero FULCO comes jam dicto abbati & ſuis monachis, ut pote maxime religioſis, maximo devinctus amore, quin potius pro remedio & ſalute animæ ſuæ, iſtiuſmodi eorum precibus obtemperando & conſulendo, promiſit ſe ſemper præſto eſſe & paratum fore. Idcoque adiit munificentiam noſtram, & hæc, quæ hactenus depromimus, ſollicite ſtuduit noſtris intimare auribus. Nos vero ipſius FULCONIS comitis ſuggeſtioni, utpote nobis fideliſſimi, libenter & efficaciter aſſentientes, nimirum ut gratiam Dei omnipotentis ampliorem mereamur & ſtabilitatem, ac pace divina noſtri regni ..... interdicimus & prohibemus per hoc ſcriptum & præceptum noſtræ auctoritatis, ut nemo umquam ſit nec militaris quiſquam homo, nec qualibet perſona de ipſis duobus caſtellis *, quæ ſunt juris ipſius comitis FULCONIS, exiſtat, qui ullum contrarium uſum, neque conſuetudinem, nec violentiam, nec dominatum irrogare audeat, nec præſumat jamdicto cœnobio ſancti Pauli apoſtoli, nec ullis rebus ipſius cœnobii, niſi ſicut temporibus anteceſſorum noſtrorum regum actum eſt, LOTHARII videlicet Francorũ regis, & genitoris noſtri, HUGONIS itidem Francorum regis, & temporibus ſiquidem FULCONIS & GAUFREDI comitum avi & patris ſæpefati comitis FULCONIS. Statuentes autem præcipimus vehementerque interminamus ac monemus, ut nullus umquam ſuccedentium hominum cujuſcumque poteſtatis vel conditionis exiſtat, qui hoc noſtræ auctoritatis ſtatutum in aliquo violare audeat, nec præſumat, ne impietas ejus ac ſuperba temeritas pœnas ultrices Chriſto judice luat. Atque ut hæc noſtri ſtatuti & præcepti auctoritas firmũ inviolabilemque obtineat vigorem, manu propria ſubter eam firmavimus, & anulo noſtro aſſignari juſſimus. Signum ROBERTI glorioſiſſimi regis. Gotfridus monachus ſcripſit ad vicem Franconis cancellarii, & ipſe Franco manu propria ſubſcripſit.

* Supra nominatis, nec de cunctis aliis caſtellis.

XVI.

Burchardi comitis donatio facta monaſterio ſancti Vvalarici.

Ad lib. 51. n. 75.

Ex authentico.

QUicumque ob amorem cæleſtis patriæ ex propriis a Deo ſibi collatis ſanctorum ditioni largiri conatur, pro certo ab ipſo præmiis æternis remunerabitur. Quapropter ego Burchardus a progenitoribus olim nuncupatus, cogitans de remedio animæ meæ atque uxoris & filiorum ſalute, quatinus in die examinis ab æternis herebi incendiis eripi, & in electorum grege computari [merear,] decrevi locellum ſancti Walarici, quod ſitum eſt ſuper fluviolum Somnæ, adjacentibus maris decurſibus, vocabulo Liugonaus, aliquo modo ex mihi conceſſis atque beneficium attributis reſtaurare, ut augmento noſtri ſolaminis monachi inibi degentes aliquo modo ſuſtentarentur, & terrenis commodis dilatari valerent, & pro incolumitate regis glorioſi Rotberti ac ſucceſſorum ejus libentius Dominum exorarent. Quapropter concedo eis ſub libera atteſtatione, in pago Pontivo, in villa quæ vulgariter Herlelcurtis * nuncupatur, ſex manſos terræ, in qua adjacet ſaltus cum molendino ; & in Abbatisvilla concedo ſimili modo ditioni ejuſdem ſancti Walarici duo farinaria cum cambis duabus, & ex vino venali, quod infra caſtrum jam prædicti vici venumdabitur, ſub cenſura unius cujuſque plauſtri duo ſextaria tribuentur. Et hoc quidem ſuperſtite me concedo : poſt noſtri vero exceſſum trado & concedo tres villas in eodem pago conſiſtentes, quas vulgares Hera & Quent * & Moncellos * vocant, cum una eccleſia, & omnia inibi appenditia. Iſta res tali ratione firmiter corroborata dinoſcitur. Conteſtamur igitur & prohibemus per nomen Domini & virtutem ejus, & per merita omnium ſanctorum ejus, ut nullus ex ſucceſſoribus noſtris, nec aliarum perſonarum ullus infringere aut calumpniari præſumat hanc kartulam ſub veridica atteſtatione roboratam. Quod ſi quiſpiam præſumpſerit, iram Dei & ſanctorum omnium incurrat, ſitque maledictionis & anathematis heres & perditio æternalis ; inſuper perſolvere cogatur lege regali x. libras auri, & quod repetit non evindicet. Et kartula hæc ſit inmobilis & firma per curricula temporum.

Acta autem Compegia caſtro v. idus Junii natali ſanctorum Primi & Fæliciani, anno 11. regni Rotberti regis. Sign. Rotberti regis. S. Burgardi comitis, qui hanc cartulam fieri juſſit. S. Arnulfi archiepiſcopi. S. Atſelino epiſcopo. S. Rotgeri epiſcopi. S. Fulconis epiſcopi. S. Hugonis epiſcopi. S. Roriconis. S. Hecfridi clerici. *alia manu* Rainoldus Pariſiorum epiſcopus ſubſcripſi. S. Widonis comitis. S. Walteri comitis. S. Herizo. S. Hugonis comitis. S. Wlberti vicecomitis. S. Alelmi. S. Milonis. S. Bernardi. S. Ingelramni vicecomitis. S. Walteri, S. Herboldi abbatis. S. Uboldi monachi. S. Otgeri

* *Here & Quent.*
* *Monchaux.*

clerici. S. Folcradi abbatis. S. Rodulfi. S. Erimari. S. Rodulfi. S. Raynoldi. S. Claremboldi. S. Erkengeri. S. Teſtſonis. S. Geroldi. S. Reſtoldi. S. Wlfardi. S. Erimberti. S. Erchenboldi. S. Saroardi. S. Letardi. S. Gosfridi. S. Wiboldi. Franco gratia Dei cancellarius ſcribi juſſit atque ſubſcripſit *cum ſigillo affixo & crucis ſigno poſt omnium ſigna.*

XVII.

Ad lib. 51. n. 83.

Ex archivo Cluniacenſi.

Charta Hugonis epiſcopi Genevenſis pro Cluniaco.

UNicuique mortalium pro ſalute animæ rationabiliter tractare omnibus neceſſarium eſt, Deo etiam indubitanter acceptum. Quapropter ego Hugo in Dei nomine Genevenſis eccleſiæ præſul, peccatorum meorum oblitterationem, Deo annuente, promereri deſiderans, ſæpe mecum tacitus, frequenter etiam cum ſeniore Rodulfo cæteriſque amicis tractare diſpoſui, qua ratione loca in noſtra diœceſi poſita & ad noſtræ ſedis locum pertinentia in meliorem ſtatum repararentur noſtra induſtria & eorum protectione aſſidua. Hæc autem ſæpiſſime pertractante, accidit ut bonæ memoriæ Adalheid imperatrix auguſta noſtri pontificatus urbem ingreſſa, eccleſiam beati Victoris martyris Chriſti, orandi gratia intraret; quæ omnibus, propter quæ venerat, rite peractis, eumdem locum monaſticæ diſciplinæ religioni congruum fore proſpexit, & ut id omnino peragerem, conſilium dedit. Non multo poſt tempore ejuſdem beati martyris membra invenire nos contigit, argenteo loculo diligentiſſime condita, quæ hactenus per plurima tempora hominum aſpectibus fuerant occultata. His autem ſanctis membris ab humo, qua diu latuerant, cautiſſime levatis & ſtrenuiſſime, ut oportebat, procuratis, in feſto ejuſdem martyris ſeniore noſtro rege Ruodulfo, domina quoque regina Egildrude, maximo etiam conventu epiſcoporum, comitum & aliorum religioſorum & nobilium virorum congregato, communi conſilio ſtatuimus, eadem præfati martyris membra ſub ara ipſius baſilicæ eſſe locanda. Cum ergo cœptum opus devota pietate compleviſſemus, cogitare mecum cœpi frequentius, ut prædictum locum amplificarem in melius, ſtatuendo ſcilicet illic monaſticæ religionis viros, qui eumdem locum religionis ornarent cultibus, & ſuo ordini congruis circumſtruerent habitaculis. Quia vero in eodem loco non erat tanta facultas poſſeſſionis, ut aliquis ibi potuiſſet ordinari abbatis loco, memorandum Cluniacenſis cœnobii abbatem Odilonem ad hoc peragendum evocavi, & permiſſione domini Rodulfi regis, conſenſu etiam fratris ejus Burghardi Lugdunenſis archiepiſcopi, ceterorumque comitum & nobilium virorum hortatu, prædictum locum ſancti martyris Victoris ejus ordinationi commiſi, ut ipſe ſuique ſucceſſores prælibatum locum, prout potuerint, in melius ſtudeant reparare, & noſtrorum ſucceſſorum auctoritate deinceps in perpetuum poſſideant. Hanc autem conſtitutionem non ideo ſtatuimus, ut a poteſtate noſtræ eccleſiæ aliquid, quod abſit, ſubtrahere velimus; ſed tali hoc gerimus diſpoſitione, ut prædictus locus in perpetua valeat manere religione, & inter noſtros ſucceſſores Cluniacenſiſque cœnobii abbates caritas excellentiſſima firmetur, & apud illos noſtri memoria ſpecialiter obſervetur. Succeſſorum præterea noſtrorum hortor & obſecro ſinceriſſimam caritatem, noſtram dignentur ſua confirmatione ſtabilire devotionem, quam ſtatuere cupio propter ſalutem animarum noſtrorum ſucceſſorum nobiſque ſuccedentium, pro remedio animæ meæ noſtrorumque ſeniorum & regis & Chunradi regis, pro ſtabilitate quoque eccleſiæ nobis a Deo commiſſæ, concedendo ſcilicet cœnobii Cluniacenſis rectoribus omni reliquo tempore ordinationem prælibati loci Victoris martyris Chriſti, ut in eodem loco memoria & religio perpetualiter valeat obſervari, & ipſi de conſortio religioſorum virorum diutius poſſint gratulari.

XVIII.

Ad lib. 51. n. 95.

Ex chartario Farfenſi.

Ottonis III. diploma pro Farfenſi monaſterio.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Otto divina favente clementia Romanorum imperator auguſtus. Si eccleſias Dei ſanctorumque ejus exaltaverimus, divinitus nos remunerari credimus. Quocirca omnibus fidelibus noſtris præſentibus atque futuris notum eſſe volumus, qualiter nos quadam die Romam exeuntes pro reſtituenda republica, cum marchione noſtro Hugone convenimus, & conſilia imperii noſtri cum venerabili papa Silveſtro II. & cum aliis noſtris optimatibus ibidem tractavimus. Finito autem colloquio, totoque fideli conventu ſalutato, in monaſterio ſanctæ Dei-genitricis Mariæ, quod dicitur Pharpha, caſtrametati ſumus. Cumque aliquantulum ibidem fuiſſemus, ejuſdem monaſterii venerabilis abbas Hugo noſtram adiit præſentiam, ſecum deferens noſtrorum prædeceſſorum, videlicet imperatorum Karoli, Hludowici, avique noſtri Ottonis, præcepta aureis ſigillis bullata, & cum omni congregatione præfati monaſterii diſperſionem lamentatus eſt, maximeque in noſtris temporibus, quia idipſum monaſterium Hugoni epiſcopo in beneficium conceſſiſſemus, quod ignorantes fecimus. Hoc vero recognoſcentes, pro omnipotentis Dei amore & pro remedio animæ Herphonis, qui cum ſupra dicto epiſcopo ibi fuit & ibi modo mortuus eſt, cum hac noſtra præceptali pagina prædicto monaſterio perdonavimus, ut amplius in æternum numquam detur per nos, nec per ſucceſſores noſtros in beneficium, ſed ſemper permaneat reipublicæ deſtinatum, abbati mancipatum, & nulli alteri ſubjectum vel præſtitum. Unde Deum omnipotentem precamur, ut ſi aliquis papa aut imperator noſter ſucceſſor umquam meorum

ratum monaſterium alicui perſonæ ſubjugaverit, nobiſcum in Chriſti adventu, dum venerit judicare ſæculum per ignem, rationem inde reddat, & ſe deliquiſſe pro hac cauſatione recognoſcat. Et ut hæc noſtræ auctoritatis præordinatio perenniter inconvulſa permaneat, hanc paginam manu propria corroborantes ſigillari præcipimus. Signum Ottonis Cæſaris invictiſſimi. Herebertus cancellarius vice Petri Cumani epiſcopi recognovit. Datum quinto nonas Octobris, anno dominicæ incarnationis DCCCC XCVIIII. indict. XII. anno tertii Ottonis regnantis XVI. imperii quarto. Acta Romæ.

XIX.

Ad lib. 51. n. 102.

Ex apographo V. C. Stephani Baluzii.

Charta Bliſmodis nobiliſſimæ feminæ pro cella Taluzatis.

CHriſto cunctorum clementiſſimo auctori digne deſervire deſiderantium, ejuſque vivifico nomine fruentium utriuſque ſexus hominum talis ſollicitudo, & diuturna ſinceraque debet eſſe intentio, quatenus loca ipſius nomini dedicata benigno affectu incolere, atque ſuis donariis decentiſſimo honore ſtudeant exornare, ſcientes procul dubio recepturos ſe a Chriſto Domino in præſenti tempore proſperitatem tranſeuntis vitæ, atque demum in futuro perpetuitatis ſæculo æternam ſe adepturos beatitudinem felicis vitæ, ſi ei in hac mortalitatis vita, quæ ſine delictis agi nequaquam poteſt, indubitante animo, ſtrenuaque fide & benigna actione ſtuduerint placere. Igitur hæc ita eſſe perpendens, atque fideli animo ea, quæ Domino placere valeant, agere deſiderans, ego in Dei nomine Bliſmodis nobiliſſima femina, eriormitatem peccaminum meorum conſiderans, atque pro his Domino ſatisfacere omnino concupiſcens, dono Deo & ſanctis apoſtolis ejus Petro & Paulo, & Clunienſi cœnobio, cui præeſt domnus Odilo venerandus abba, eccleſiam ſitam in pago Lugdunenſi, quæ eſt conſtructa in honore ſanctæ Dei-genitricis Mariæ, & ſanctæ Maximæ in villa, quæ vocatur Taluzatis, & quidquid ad ipſam eccleſiam aſpicit, vel aſpicere videtur, totum ad integrum eis concedo. In ipſa quoque villa manſum indominicatum, ubi Arnulfus ſtat, & quantum manſo ipſi pertinere videtur. Dono etiam eis vineam in dicta villa, medietatemque de ſilvis, quæ ad ſupradicta villa aſpiciunt. Hæc omnia ſuprafcripta dono Deo & ſanctis apoſtolis ejus Petro & Paulo, & Clunienſi cœnobio, ut ab hodierno die & deinceps ſine ullo contradicente rectores ejuſdem loci teneant, & quod facere voluerint faciant. Dono etiam eis ab hodierna die duo mancipia his nominibus, Wandalfredum & Letardum. Dono etiam jam dicto loco quemdam manſum poſt meum obitum, quem vocant Trucium, cum omnibus, quæ ad ipſum manſum aſpiciunt, vel aſpicere videntur; ut faciant ſupradicti monachi poſt meum obitum quod voluerint jure perpetuo. Dono etiam ad ſupradictum locum poſt meum obitum, & poſt obitum ſenioris mei Albuini, & poſt exitum filii noſtri Albuini ab hoc ſæculo, ſupradictam villam Taluzatem cum omnibus, quæ inibi teneo vel poſſideo, campis ſcilicet, pratis, vineis, ſilvis, & manſum de Vacaritias, cum omnibus ad ipſum manſum pertinentibus, villamque, quam vocant Sortiacum, cum omnibus, quæ inibi teneo vel poſſideo, vel quæ dare poſſum. Hanc igitur donationis cartam dono pro remedio animæ meæ, & genitoris genitriciſque meæ, & pro animabus Adalardi, & Haectoris, & Gotiſcalci pontificum, pro anima quoque ſenioris mei Albuini, & filii mei Albuini, & pro animabus omnium parentum meorum, tam vivorum quam defunctorum, & pro animabus omnium chriſtianorum, ut omnibus nobis in commune proficiat. Si quis vero, quod minime credo, contra hanc donationem a me libentiſſime factam, aliquam litem inferre præſumſerit, primitus iram Dei Patris omnipotentis incidat, & beatiſſimæ Dei-genitricis Mariæ, ſanctique Petri apoſtolorum principis, omniumque apoſtolorum, martyrum, confeſſorum, atque virginum, & omnium Sanctorum, quos continet cælum & terra, veniantque ſuper eum omnes maledictiones, quas continet vetus & novum teſtamentum; cogente autem judiciaria poteſtate, cui litem intulerit auri libras centum perſolvat, & hæc donatio firma permaneat ſtipulatione ſubnixa. Actum Taluzatis villa publice. Signum Bliſmodis nobiliſſimæ feminæ, quæ hanc donationem fieri firmarique juſſit. Sign. Albuini, Sign. item Albuini filii ejus. Sign. Dalmatii. Sign. Artaldi. Sign. Joceranni fratris ejus. Sign. Aynoni. Sig. Raymundi. Sign. Warini. Sign. Silvionis. Sig. Arraldi. Sign. Aymentrici. Sign. Jarentoris. Sig. Arrici. Sign. Hugonis. Sign. Arnulfi. Sign. Aimini. Sign. Anſterii Sign. Bernardi. Sign. Theotgrini. Sign. Willelmi. Sign. Adalonis. Sign. Anſcherici. Data menſe Marcio, regnante Rodulfo rege anno ſexto. Ego frater Ebrardus levita indignus ſcripſi.

XX.

Ad lib. 51. n. 14.

Ex archivo Majoris-monaſterii.

Charta pro Majori-monaſterio de Inſula ſancti Coſmæ Turonenſis.

IN nomine ſummi Salvatoris Dei; Nos quidem congregatio ſancti Martini, videlicet decanus, & Herveus archiclavis, & Hugo celerarius cum tota alia congregatione, notum, immo & certum eſſe volumus omnibus fidelibus tam præſentibus quam futuris, & maxime ſucceſſoribus noſtris, quod deprecatus eſt noſtram caritatem prædictus Herveus archiclavis, ut pro ſuo amore & noſtrarum animarum redemtione concederemus cœnobio & monachis ſancti Martini Majoris-monaſterii Inſulam ſancti Coſmæ in Ligeri ſitam, cum duabus in prædicto flumine pertinentibus ad ſupradictam inſulam ſeluſis, in qua inſula idem Herveus monaſteriolum in honore ſancti Coſmæ ædificave-

rat. Pertinebat autem prædicta insula cum supradictis, sclusis ad cellarium sancti Martini. Cujus petitio nos omnes, & præcipue Hugo cellerarius sancti Martini benigne susçipientes, voluntati ejus libenter assensum præbuimus, quod petebat in perpetuum concessimus. Ea autem lege venerandus archiclavis hæc a nobis supradictis monachis impetravit, ut jugiter in illo monasteriolo, quod prædiximus, ab Herveo archiclavi in supradicta insula in honore sancti Cosmæ ædificato, duodecim monachi aut plures de Majori-monasterio perseverarent, & sacrarum orationum acceptabiles Deo victimas offerrent. Et ne pro sua in Dei laudibus continuatione, terrena quoque retributione carerent, concessit eis prædictus archiclavis Herveus, cœnobio videlicet & monachis sancti Martini Majoris-monasterii, quamdam suam ecclesiam e regione supradictæ insulæ, in margine Ligeris fluminis sitam, per assensum Gilduini Salmurensis opidi primicerii, qui eam de beneficio Odonis comitis tenebat, ejusdem quoque Odonis præcepto, & auctoritate. Eo autem tenore supradictam insulam cum duabus sclusis cœnobio & monachis sancti Martini Majoris-monasterii per deprecationem supra nominati archiclavis concessimus, ut unoquoque anno de eadem insula & duabus sclusis cellerario sancti Martini, quicumque fuerit, censum reddant. De quo censu, si negligentes extiterint, emendent, & minime perdant. Huic autem scripto si quis obviare sive contradicere tentaverit, quod molitur minime vindicet, & regali fisco libras culpatus exsolvat. Ut vero hoc scriptum perpetuum obtineat vigorem, manibus nostris communiter omnes in plenario capitulo corroboravimus.

XXI.

Ad lib. 52. n. 28.

Charta Landrici comitis pro Flaviniaco.

Ex chartario Flaviniacensi.

NOtitia qualiter Landricus comes gloriosæ memoriæ, supplicante domno Heldrico abbate, cuncto etiam cœtu Flaviniacensium monachorum, alodum quoddam, quod vocatur Corbeton, quod olim Wilerius, qui vocatus est Pilans-porcum, Flaviniacensi contulerat cœnobio, quod noscitur dicatum honore principis apostolorum Petri, sanctique martyris Præjecti, quodque ipse domni Walterii pontificis largitione, necnon & prædicti cœnobii fratrum dudum tenuerat, ob remedium animæ suæ, divinamque sibi repropitiandam clementiam, seu etiam ob eleemosynam animarum genitorum, fratrum, filiorum, & omnium propinquorum suorum jam dicto reddidit loco, & ut ipsi fratres pro eo perpetualiter Domini misericordiam exorare non obmittant, quatinus hic & in futuro ab omnibus malis erutus, atque ab æternæ mortis discrimine liberatus, Sanctorum jungatur cœtibus. Proinde hujus rei notitiam, ipso jubente, immo hortante, fieri placuit, quatinus hæc redditio ab ipso facta, atque ab omnibus ejus propinquis & fidelibus firmata & testificata perpetuo maneat inconvulsa. Si quis vero contra notitiam hanc aliquid adversi agere conatus fuerit, ipse videlicet, aut aliquis propinquorum vel successorum ejus, non valeat evindicare quod repetit, sed insuper cum Juda proditore, nisi resipuerit, æterno feriatur anathemate. Actum Autissiodoro publice. Sign. domni Landrici comitis, Dodo filius ejus, Landricus filius ejus, Richardi militis. † Alwalo miles, Iterius miles, Heldricus miles, Magenfredus, Gotesmannus, Milo, Rotbertus, Walterius. Scriptum manu Willelmi, sancti Germani monachi, jussu Landrici comitis, regnante anno VII. rege Rotberto, v. kal. mensis Augusti.

XXII.

Epitaphia fundatorum ecclesiæ sancti Stephani de Belna.

Ad lib. 52. n. 75.

I. ODDONIS.

Ex manuscr. cod. S. Benigni.

MOrtalis titulo signabar nominis Oddo,
Istic pro posse pro fore, nisus ope,
Exsolvi invitus hic ultima fata sepultus,
Et terræ matri terrea membra dedi.
Dilexi Stephanum vivens in carne beatum,
Ac spe salvandi do mea meque sibi.
Lector sarcophagi te posco epigrammate tristi,
Sortem cerne meam, ac memorare tuæ.
Da lacrymas, impende preces, gremioque redibunt,
Res tua, si nobis gaudia plena petis.
Sena dies mensis Junii, quæ est ante kalendas,
Clausit ab officio, ne videant, oculos.

II. INGÆ EJUS CONJUGIS.

Inga, vocante Deo, dedit isti membra sepulchro,
Femina virtutis actibus apta piis.
Fœdere legitimo conjunx copulata marito,
Pauperibus monachis vixit opima bonis.
Quapropter lugubrem qui præteris, aspice tumbam,
Et dic: Summe Deus, da famulæ veniam.
Quæ sevit, Domine, pro vita perpete, redde.
Incurrit noxam, gratia tollat eam.
Idibus hæc Jani sublata est carcere mundi,
Judicio mortis est sibi clausa dies.

XXIII.

Rotberti regis diploma, quo confirmatur fundatio Bellimontis parthenonis prope Turonos.

Ad lib. 52. n. 103.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Rotbertus Dei misericordia rex. Si petitionibus servorum Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium assentiri videmur, & ad divinæ militiæ in locis Deo dicatis uberius famulandum, auxilium porrigimus, id nobis procul dubio, & ad instantem

tem vitam temporaliter transigendam, & ad futuram feliciter obtinendam commodius pervenire confidimus. Percognitum fore igitur omnimodis cupimus omnibus Christi nostrisque fidelibus, præsentibus scilicet atque futuris, quoniam adiit serenitatem culminis nostri Herveus levita & archiclavis beati Martini humiliter flagitans, & flagitando summa prece deposcens, uti auctoritate nostræ præceptionis ediceremus præceptum sibi fieri de ecclesia beatæ Mariæ Bellimontis, non longe sita a castro Patris Martini, cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, videlicet vineis, pratis, pro quibus dederat fideli suo Ebloni terram in concamio, quæ non minoris pretii ad reddendum fructus existeret quam ecclesia superius nominata; atque de quodam vivario, Malamorta nuncupato. Idemque postulans de curte Soriniaco, & ecclesia, quæ constat sancti Petri apostolorum principis fundata, cum omnibus ad eam pertinentibus, tam vineis, pratis, silvis, & aquis, farinariis, terris cultis & incultis; necnon de viginti arpennibus vinearum, quæ prope suburbium opidi præfati confessoris Christi esse videntur, sitæ inter Ligeris Carique alveum. Cumque eum diligenter fuissemus percontati, quid operis de supradictis rebus esset acturus; retulit se tristari admodum, non esse in pago Turonico cœnobium, ubi sanctimoniales feminæ Christo possent suæ devotionis impendere officium, sicut in pleriſque habebatur partibus terræ: & ob hoc, non propter aliud effici postularet scriptum; eo tamen tenore, quatenus annis singulis in festivitate autumnali prælibati patris Martini redderent prænemoratæ sanctimoniales de cunctis supra recitatis rebus viginti solidos, de censu in thesaurum, ad thus sive oleum comparandum. Adhuc autem, non immemor sui, addidit, ut prius pro me & successoribus meis, deinde pro se atque totius congregationis sui advocati Martini statu, preces Domino funderent quotidie ibidem famulaturæ virgines. Herveus ita ostensis, excellentiam reginminis nostri humili aggressus precamine expostulavit, ut similiter assertione nostræ auctoritatis corroboraremus ea, quæ vel ipse foret daturus in futuro, vel aliis * fidelibus Christi pro suarum animarum redemtione. Cujus saluberrimæ petitioni, tam sibi quam militis * præfecturæ pro animæ nostræ & parentum nostrorum remedio assensum nobis libuit præbere, & serie litterarum supra omnia memorata confirmare: hoc est ecclesiam beatæ Mariæ Bellimontis, cum omnibus adjacentibus sibi, scilicet vineis, pratis; & vivarium Mala-morta nuncupatum ad supradictarum Dei ancillarum edulium; ecclesiam Soriniacam, cum ecclesia & omnibus adjacentibus sibi; id est vineis, pratis, silvis, aquis, farinariis, terris cultis & incultis, atque cum omnibus illius curtis colonis: viginti quoque arpennas vinearum inter Ligerim & Carum; curtem quoque Liuram cum ecclesiis & omnibus sibi pertinentibus per assensum Odonis comitis, & fratris sui Landrici, ex cujus beneficio esse videbatur, distante quatuor milliariis a castro, quod dicitur Insula; necnon Quiciacum villam cum omnibus ei pertinentibus, quam idem præfatus Herveus tenere videbatur.

*1. alii fideles.

* *f.* nobis pro futuræ.

Præcipientes ergo jubemus, & jubendo præcipimus, ut nullus judex publicus, aut quilibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator in his præsignatis sanctæ Mariæ omnibus rebus ad causas judiciario more audiendas in ecclesias aut villas, aut aliquas possessiones, quas moderno vel priscis temporibus, in quibuscumque provinciis aut territoriis regni nostri juste basilica sanctæ Mariæ tenet, vel deinceps in jure ipsius basilicæ divina pietas augeri voluerit, ingredi præsumat; nec freda aut tributa, aut mansiones, aut parata, aut teloneum ex ullis negotiis, sicut in præceptis, ut diximus, multorum regum, exigere, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram ipsius basilicæ immanentes distringere, nec ullas publicas factiones aut redibitiones, vel illicitas occasiones requirere tam temerarius audeat. Si quis autem in tantam prorumpere ausus fuerit audaciam, ut hujus nostræ auctoritatis & altitudinis præceptum violare præsumserit; quemadmodum in ceteris regum & imperatorum prædecessorum & parentum meorum præceptionibus continetur, non solum in offensam Christi & nostram lapsurum, verum etiam ducentorum solidorum auri ad purum excocti se noverit pœna multandum. Et ut hujus nostræ præceptionis auctoritas inviolabilem obtineat effectum, & ab omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & successoribus regibus nostris verius a nobis facta esse credatur, & diligentia inviolabili conservetur, manu nostra propria consignavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum domini Hugonis archiepiscopi. Signum Avesgaudi episcopi, quorum excommunicatione se ligatum novit, qui hoc præceptum infringere præsumserit, nisi cito pœnituerit, & ad emendationem venerit. Odo comes, &c. Odolgerius decanus, Herveus archiclavis, Walterius præcentor, &c. Actum Bolonia foreste quinto kalend. Octobris, anno ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi DCCCC. VII. indictione quinta. Theodoricus levita ad vicem Franconis summi cancellarii recognovit hoc præceptum. Ego Herveus & confratres mei sancti Martini canonici in pleno capitulo confirmavimus.

XXIV.

Donatio sancti Flori facta sancto Odiloni.

Ad lib. 52. n. 106.

Ex chartario Celsiniacensi.

DUm in hujus sæculi laboriosa vivitur peregrinatione, summopere laborandum est, qualiter facinora nostra valeamus tergere. Unde noverint tam præsentes quam futuri, cunctique in commune Christi charactere insigniti, quod nos, ego videlicet Eustorgius, & Amblardus, cognomento Male-hybernatus, nepos meus, sedula mente hæc pertractantes, cedimus Domino omnium bonorum datori, aliquid ex rebus & proprietatibus nostris nobis traditis, quæ

conjacent in comitatu Arvernensi, in patria, quæ vocatur Planetia, in monte Indiciaco. Donamus itaque beatis apostolis Petro & Paulo, & ad locum Cluniacum & Celsiniense, quibus præest domnus ac reverentissimus pater Odilo, ecclesiam in honore beati Flori dicatam, cum omnibus ad se pertinentibus, ut a præsenti die faciant habitatores Cluniacenses & Celsiniacenses inde quod eis placuerit, absque omni calumnia, nulla existente omnino controversia, possidentes universa hujus ecclesiæ jura, & cuncta ejus appenditia. Hoc autem ad præsens facimus; in futuro vero constituimus primum nobis, deinde cunctis nostri honoris heredibus & successoribus, custodiendum, ut quicumque nostram donationem prædii sive alodii, beneficii seu fevi de nostro jure procedentis, & ad nostram ditionem sive potestatem pertinentis, facere voluerit, hic apponat, huic eleemosynæ adjiciat, super hanc adjungendi & augmentandi licentiam habeat, & monasterio Celsinienſi adscribat, quidquid umquam fuerit, maxime in ecclesiasticis honoribus, & omnino in cunctis, sive alodii, sive fevi donationibus. Ceterum aliis monasteriis, sive monachorum, sive canonicorum, sive quarumlibet congregationum, exceptis Clunienſi & Celsinienſi cœnobiis, conferendi aliquid supradictorum, atque donandi & nobis & successoribus nostris omnem licentiam resecamus, & perpetuo sic tenendum firmamus, ut superius descripsimus. Quicumque autem aliter fecerit, aut contra calumniam nostram superbo ausu statuta hæc violaverit, & data nostra, vel in futuro danda cassare, aliove detorquere præsumserit, veniant super eum omnes novi & veteris testamenti maledictiones. Signum Eustorgii. Sign. Amblardi, qui cognominatus est Male-hybernatus. Sign. domni Stephani episcopi Claromontensis. Sign. domni Rotberti vicecomitis.

XXV.

Alia charta pro eodem.

Ad lib. 52. n. 106.

NOtum sit omnibus veritatem nosse cupientibus, quod quidam homo de illis qui dixerunt, *Possideamus sanctuarium Dei*, nomine Bernardus-Geraldi, simulque filii ejus Arnaldus clericus, Bernardus, Stephanus, Geraldus, Guillelmus, Petrus, ecclesiam sancti Martini de Calidis-aquis, de qua monachi sancti Flori diu ante concilium Claromontense investiti fuerant, ex paterna successione requirentes, prædictis monachis eripere conabantur. Quam ob causam domnus Stephanus, tunc sancti Flori prior, compulsus est ante domnum Urbanum papam in Claromontensi concilio, de prædicto Bernardo-Geraldi & filiis ejus querimoniam facere. quos domnus Urbanus papa hac de causa in ipso concilio publice excommunicavit, donec prædictam ecclesiam monachis sancti Flori liberam & quietam dimitterent. Postmodum idem Urbanus papa cum ad sanctum Florum venisset, jam dictam ecclesiam prædictis monachis perpetuo habendam & possidendam firma concessione donavit, & donum illud sui privilegii auctoritate firmavit. Post aliquod tempus, cum domnus Petrus Arvernensis episcopus ad faciendos ordines Aureliacum devenisset, Arnaldus filius jam dicti Geraldi ordinem presbyteratus ab eodem episcopo accipere voluit; sed domno Stephano priore sancti Flori super eo proclamante, idem episcopus eum refutavit, & donec a calumnia supradictæ ecclesiæ cessaret, eidem clerico sacros ordines interdixit penitus. Clericus autem in sua pertinacia perseverans, cum de parochia Arvernensi esset, ad episcopum Rotenensem * migravit, & ab eo, quamvis contra instituta canonum, ordinem presbyteratus accepit. . . . . Procedenti tempore, cum felicis memoriæ papa Celestinus ad sanctum Florum venisset, domnus Anselmus, ejusdem loci prior, de supradicto pseudopresbytero proclamationem fecit, qui eum pro injusta calumnia supra memoratæ ecclesiæ, in præsentia domni Aymerici Arvernensis episcopi, & aliorum multorum, qui ibi aderant, excommunicavit, & a corpore ecclesiæ, quousque a jam dicta calumnia resipiscceret, penitus sequestravit. qua tandem sententia perterritus ipse Arnaldus presbyter, simulque fratres ejus constituti ante domnum Adelelmum priorem venerunt, & quidquid in ecclesia sancti Martini de Calidis-aquis injuste requirebant, præsente domno Stephano archipresbytero Planetiæ, totum in manu jam dicti prioris reposuerunt & dimiserunt. Si quid vero in ea juris haberi potuit, totum Deo & sancto Floro dederunt. . . . Quo pacto, miseratione motus prior super eumdem presbyterum, non eum ex toto de ipsa ecclesia destituere voluit; sed partem illam, quam Robertus de sancto Ursizio & Stephanus filius ejus pro animabus suis sancto Floro donarant, in vita sua ei commisit, tali tenore, ut quamdiu viveret, partem illam in fidelitate monachorum sancti Flori teneret; & si ad sanctum Jacobum sive Romam vel Jerosolymam ire vellet, eam prædictis monachis liberam, & quietam dimitteret. qui quamdiu postea vixit, eam tenuit sub dominio monachorum, & servitium quod ipsi voluerunt, inde tamdiu eis exhibuit, donec post aliquot annos Jerosolymam ire disponeret, in quo scilicet itinere diem clausit extremum. Hujus compositionis sive jurationis testes fuerunt Eustorgius de Brezons, Stephanus de Grandson, & multi alii.

* Rodex.

XXVI.

Epitaphium Domni monachi Montis-majoris.

Ad lib. 53. n. 15.

Ex manuscrip. codice.

SUb petra positus requiescit corpore Domnus
Cœnobii sancti constructi nomine Petri,
Almo Majoris doctus nutrimine Montis.
Post hinc Fulberti gliscit sub puppe doceri;
Artes percipiens septem sua pectora repler.
Novem continuos in scholis deguit annos
Jussu prudentis rectoris, seque docentis.

Aulas construxit, muros, portisque recluſit.
Pauperibus largus, miseris parcendo benignus.
Qui quatuor festum decimo ruit ante Novembris.

Epitaphium Umberti auctoris monasterii Correnensis, Montis-majoris monachi, ibidemque sepulti.

IStic Umbertus, a puero monachus
Ecclesiæ matris Virginis & Domini,
Instructor verbis imbuitur Womontis.
Francigenis mixtus, & studiis deditus
Ad omnia studuit, grammaticam docuit.
Hinc se convertens, littera brisca * fruitur.
Cœpit cœnobium, fundavitque locum, magnificamque domum
Sobrius addixit, qui sine fraude fuit.
Nunc cæli cœtus gaudeat angelici.

* l. mellea.

XXVII.

Ad lib. 53. n. 17. & 114.

Hugonis abbatis Farfensis relatio de imminutione rerum monasterii sui.

Ex chartario Farfensi.

ITerum iterumque compellor a spiritualibus senioribus, præcipueque a miseria, quam jugiter patimur, aliquid differere adhuc de nostri monasterii diminutione; de illa enim, quæ antiquitus contigit, in quantum largitus est Deus, illi parere non distuli, & nec de ista, quæ noviter pullulavit, ipso opitulante, priori opusculo inferere non differam. Verumtamen prius mecum vos admoneo, fratres, ut in nullo pro hoc titubetis, neque tædio, quod absit, defecti, a bono incœpto proposito declinetis; sed illud, quod Scriptura dixit, præ oculis habeatis: *Vasa figuli probat fornax, & hominem justum tentatio.* Itemque Jacobus apostolus: *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Volo etiam vos absque ulla ambiguitate credere, quia ille qui dispersa, ut nuper audistis, hujus monasterii a pessimis paganis redintegrare dignatus est ad statum, quem cernitis, bene poterit congregata custodire a pravorum christianorum insidiis. tamen si non egerit (quod absit) culpis facientibus nostris non meremur, cum sciamus scriptum: *Ecclesia crescit & decrescit.* Ipse enim Creator cæli & terræ, quamvis omnia gubernet suo potentatu, tamen præ ceteris aliis locis Jerusalem dilexit, de quo Psalmographus dicit: *Dominus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* Ipsa quippe est umbilicus totius orbis & caput terræ repromissionis; de ipsa elegit patriarchas, prophetas, apostolos, evangelistas, &, quod majus est omnibus, ipsam honoravit sua sancta nativitate, morte ac resurrectione, ut ejus sepulcrum usque hodie testatur, ascensione etiam & adventu sancti-Spiritus eamdem nihilominus illustravit. & cum tantum eam dilexerit, dum tempus venit ejus consummationis, peccatis habitantium in ea facientibus, funditus permisit everti. Nullus etenim locus desolatur, nisi ob malitiam in eo habitantium. In hoc denique cognoscere possumus, quod Deus amplius diligat æterna quam temporalia, magisque curam gerat de salute animarum, quam de caducis & transitoriis rebus, cum infernum penetrasse dicatur propter salutem animarum ibidem degentium. Inferno enim exspoliato, ceteros inde justos abstraxit, & omnes ibi peccatores reliquit. Idcirco autem, fratres, hæc dico, ut in quantum valemus, Dei exempla sequamur, & non tantum de damno sæcularium doleamus rerum, quantum de perditione animarum. Quapropter recurramus ad Christi auxilia, si ejus sequi volumus vestigia. Hæc itaque prælibasse sufficiat, tandem veniamus ad causam.

Johannes igitur papa, qui appellatus est Major, ingressus papaticum, satis exaltavit quemdam nepotem suum, nomine Benedictum, deditque ei Theoderandam uxorem satis nobilem, filiam Crescentii, qui vocabatur a Caballo-marmoreo, & comitatum Sabinensem dedit ei, & plures alios. qui veniens, Sabinis habitare cœpit in castello Orci. Tunc temporis Johannes abbas, noster antecessor, gubernabat hoc monasterium, ut multi sciunt, sæcularibus actibus deditus: cui præfata Theoderanda de cibariis & deliciis diversis familiariter serviebat, & per se suosque fideles frequenter loqui satagebat. Abbas autem tenebat unum castellum in Tribucum Martino Riconis, & ejus filiis, aliisque consortibus; roccam vero desursum tenebat ad suam manum abbas; & quod deorsum est tenebant ipsi, sicut a prioribus acquisierant abbatibus. Quotiens abbas proficiscebatur longius, suam partem illis relinquebat ad custodiendum, & recipiebat cum revertereturus. Ipsi autem erant valde asperrimi, & in diversis malis nequissimi, ideoque viatores sæpe deprædabantur, & eumdem abbatem dedecorantes contristabantur. qua commotus malitia contra eos, suasisque veneratione & obsequio præfati comitis, ejusque conjugis, sperans etiam unum ornamentum missæ officii sibi promissum accipere ab eis, fecit illis scriptum, quod Romani dicunt tertiumgenus, de prædicto castello Tribuco, solummodo, nullo sciente, præter Luponem monachum, & Ursum canonicum, qui de Male-passia dicebatur. Sed cum nollent ipsi dare, ut promiserant, ornamentum missale, quod, ut fertur, mirabile erat valde, pretii triginta librarum, quia fuerat papæ Johannis avunculi ejusdem comitis, nec ipse abbas idem scriptum corroborare voluit. Tunc ipse comes cum sua uxore cœpit callide moliri, ut illud, eo quod qui tenebant feroces & nimis astuti erant, acquireret castellum, quia per vim nequiverant. Fecit itaque cum eis sacramenta qualia ipsi quæsierant, eosque ad castellum Orcis, ubi habitabant, venire fecerunt. quorum prudentiores duodecim capientes, in ima carceris miserunt, & vinculis ferreis religaverunt, aliosque triginta, ut fertur, acceptis pecuniis, dimiserunt. in qua captione acquisivit prædictus comes cum sua uxore ab filiis Lotharii scriptum de curte sancti Gethulii, cui Adam abbas concesserat pro stupro, ubi illum apprehendit, & a filiis Gregorii diac.

de caſtello Tribuco, & ab aliis ibi captis, qui ab hoc monaſterio ſcripta habebant. quod factum lex omnino interdicit; quia terram cenſualem nullus poteſt ſine ſui licentia patroni alicui dare. Illi autem qui remanſerant in Tribuco, adjutrice quodam Senioriti propinqui ſui, ſuffulti filiis Arduini per unum annum duraverunt. Poſt hæc vero accepta pecunia, præfatus Senioritus dedit ipſum caſtellum prædicto comiti, ejuſque conjugi: quo ingreſſi cuncta vicinia, noſtrique monaſterii prædia, & ſancti Andreæ atque Romarorum ſibi ſubjugarunt. quæ omnia non ſine cauſa a Deo permiſſa ſunt, dicit enim Scriptura: *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur.* quæ audiant devaſtatores eccleſiarum, & perſecutores pauperum, & cuſtodiant ſe a deprædationibus eorum, quia Deus advocatus eſt & defenſor illorum. Prædia vero, quæ a ſupra ſcripto comite a noſtro abſtracta ſunt monaſterio, hæc ſunt: curtis ſancti Gethulii, quam duces Spoletani Aroaldus, ejuſque ſucceſſor dato concambio epiſcopatui Reatino, cujus proprietas fuerat, noſtro monaſterio contulerant temporibus domini Thomæ; fundum Serranum in integrum, quod Millo & Donella diacona huic monaſterio conceſſerunt; fundus Canali, fundus Verrunculæ, fundus Curtis. Prædicti autem comitis Benedicti fuerunt filii Johannes & Creſcentius, ex quibus Johannes quodam anno in vigilia ſanctæ Mariæ, voti cauſa, per ſuum miſſum mandans, duodecim ſolidos fecit ponere ſuper altare ipſius. quos ſacriſtanus aſſumpſit, & intra alia vota repoſuit nihil interrogans. Alia autem die mandavit dicens: Dicite abbati, ut ſolidos duos faciat mihi reddere, quia non debui niſi decem pro penſione dare. hoc ingenio fraudulento ab hoc monaſterio ablata ſunt præfata loca uſque ad noſtrum ingreſſum. Ipſo denique anno interfectus eſt Creſcentius comes, juſſu Ottonis imperatoris & Gregorii papæ, ut audiſtis, qui nimis diſtrictè placita infra Romam exercebant. quorum territus pavore præfatus comes, quæſivit nobis pactum imperatore ac papa ſcientibus, & refutavit medietatem prædictæ curtis, & eccleſiam ſancti Gethulii cum duobus caſalibus, unde brevem teſtatam habemus. & ego rogavi illi tertium-genus de alia medietate cum caſtello Tribuco, quo facto Romæ prælibatus Creſcentius venit illuc leviratis cauſa, quem imperator & papa capientes, juſſerunt patri ejus ut redderet Cerum illis, quibus abſtulerat quorum fuit. Tunc in præſentia eorum promiſit ſe facturum, & egreſſus de Roma fugit illo. Quo viſo imperator ac papa nimis irati, poſt eum properarunt, & papa ſecum me ire præcepit, dicens mihi: Veni mecum ad Çere, eo pacto, ut ſi comes Benedictus reddiderit mihi ipſam civitatem, recipiat filium, & ſter finis inter vos; ſin autem, filium ejus ſuſpendi faciam, ipſo vidente, & tibi reſtituam Tribucum. & tunc cum ad furcam duceretur ligatis poſt tergum manibus, oculiſque panniculo ſtrictis, videns talia pater, reddidit civitatem, & liberavit filium. Eo die Romam reverſi ſumus, & cum die ſequenti Sabinis veniſſemus, manibus noſtris firmavimus tertium-genus, & noſtros direximus ad eum legatos, ut acciperet illud præfatus comes, & appare ab illo firmatum nobis mandaret, ſed facere noluit. Quapropter ab omnibus legem ſcientibus non ignoratur, quod numquam ſtat tertium-genus legaliter ſine appare. Verumtamen in iſto pacto præfatus comes nobiſcum ſtetit, donec advixit, & nullam moleſtiam de prædicta curte nobis fecit, licet vellet non audebat, quia in regno imperator erat. Mortuo vero ipſo imperatore, Johannes Creſcentii filius ordinatus patricius, qui Johannem & Creſcentium filios prædicti comitis, uti dilectos conſanguineos, amare cœpit. Completis vero poſt hæc duobus annis, Creſcentius ſupra ſcriptus abſtulit nobis turpiter eamdem curtem, nec eſt recordatus anathema, quod pater ejus fecerat ex corde, ſi umquam ſuus heres a noſtro monaſterio abſtrahere vellet poſt hæc nobis noſtriſque hominibus. Multa inferentes mala ipſe ac frater ejus Johannes, de campo ſancti Benedicti tulerunt caſales III. caſtellum quoque Buccinianum ſupra ſcriptus Creſcentius furatus eſt nobis, de quo tenebamus partem III. & alias duas noſtri libellarii. cuncta etiam ultro forſan redegit dominio ſuo, etiam noſtros molendinarios. Caſtellum vero Buccinianum delegavit quondam huic monaſterio per cartas una matrona, nomine Theoderanda, filia Gratiani conſulis Romani, pro anima mariti ſui Ingebaldi Francigenæ, tempore Alberici Romanorum principis, qui dederat ei Sabinenſem comitatum. quod caſtellum Campo abbas genere ſuo Azoni judici poſtea dedit; modo vero dicunt ipſi adverſarii noſtri, quod ſit de curte ſancti Petri illi proxima, quæ Sala vocatur. Ad quod refellendum, acquiſivi antiquum privilegium a quodam factum papa, cuidam nobili Romano de ipſa Sala, quod dat Buccinianum affinem, & latus ad ipſam curtem. Si vero dominus Creſcentius illud ſciebat eſſe ſancti Petri, ut modo dicit, cur de illo certam acquiſivit ab Adam noſtro libellario, filio prædicti Azonis judicis, videntibus ceteris Bucciniacenſibus? Interea contentio alia orta eſt nobis in Marchia, pro qua me oportuit ire ultra montem ad Henricum regem, ubi cooperante domino rege, omnino placato, occulte illi refutavi iſtam abbatiam pro peccato, quod omnes ſcitis. qui multum rogavit me, ut uſque ad ſuum huc adventum illum præſtolarer, quem ipſo dicebat anno eſſe. Exſpectavi autem illo & altero, & uſque in tertium annum, quo minime veniente dimiſi illam. Vos autem elegiſtis dominum Guidonem, quem Johannes Patricius & Rainerius gratis fecerunt conſecrare a papa Johanne pro noſtro amore. Patricio quoque mortuo, ordinatus eſt dominus Benedictus, bonæ memoriæ papa, qui contrarius exſtitit filiis Benedicti comitis. Ablata itaque ſunt ab eis omnia caſtella eorum præter Tribucum & Buccinianum. Johannes etiam frater Creſcentii obſidebatur in turribus Peneſtini montis. Tunc in ſollemnitate ſancti Petri ad nos venit ſupra ſcriptus Creſcentius, & dixit revelatum fuiſſe cuidam ſervo Dei, quod ſuus

frater Johannes non evaderet, niſi per orationem monachorum ſanctæ Mariæ; deinde vos caritatem feciſtis in illis, & triduo jejunaſtis, unde prædictus papa contra vos iratus eſt; poſt hæc vero eruitur frater ejus ab illa obſeſſione, prout Domino placuit. Tunc venit Creſcentius in aſſumptione ſanctæ Mariæ, & renuntiavit medietatem ipſius curtis, ut voverat, & miſit fratri ſuo, ut & ipſe confirmaret; ſed diſplicuit illi hoc, iratus dixit, quoquo pacto ego teneam terram alicujus eccleſiæ per triginta annos abſque penſionis redditione, mea poſtea erit proprietas; hoc enim nos & pater noſter factum habemus de illa curte. Tandem vero rogatu Grimoaldi preſbyteri, ipſe & uxor ejus confirmaverunt eamdem refutationem. Poſtea autem Creſcentius firmavit ipſam brevem refutationis, & dedit prædicto abbati Guidoni, & ipſe abbas firmavit tertium-genus de illa medietate cum caſtello, & dedit illi, & taliter fecimus finem. in quo me minime ſubſcripſi, quia de alio exiſtens monaſterio, ſanctæ Mariæ monachus enim fui, & dimiſſa abbatia extraneus factus ſum. In hoc ſtetimus, uſque dum imperator venit & coronatus eſt, cui obvius fui Papiam. Cum veniſſemus Ravennæ, imperator cum omnibus cogere me cœpit, & maxime præ cunctis dominus Odilo abbas, ut reciperem abbatiam; ſed non acquievi uſque Romam ad Synodum. Prædictus autem imperator ex quo Ravennam venit, præcepit cunctis abbatibus & epiſcopis, ut ſcriberent res perditas ſuarum eccleſiarum, qualiter & quando perdiderint, vel a quibus detinentur, quod & ego feci. Deinde venimus ante præſentiam imperatoris & papæ coram judicibus Romanis, & enarravi omnia qualiter ſcripta ſunt hic. Inter alia vero protuli, quod a nullo abbate habent ſcriptum de prædicto caſtello, niſi ab ipſo Guidone, qui donum ab imperatore non habuit, nec præceptum. Tunc ab imperatore judices interrogati, uno ore dixerunt: Epiſcopus aut abbas, qui pertinet palatio imperiali vel pontificali, nullo modo valet facere ſcriptum, niſi prius ab ipſis donum adquirat. Deinde dixit imperator: Domine papa, date mihi veſtros milites, qui cum meis vadant, ut capiant mei monaſterii caſtella. Subito autem orta eſt ſeditio inter Romanos & Teutonicos, quæ die ſequenti ſedatur. Timebat vero prædictus Johannes, ne a papa caperetur conſenſu imperatoris, quia mentitus fuerat de Perneſtino monte, nolens illum reddere ſicut promiſerat; & ſuaſi imperatori, ut ad locum ſecurum ſineret illum abire. qui reverti permiſit cum tali tenore, ut die tertia rediret ipſe aut ejus frater, & legem aut convenientiam faceret: ſed die tertia, ut promiſerat, non eſt reverſus. Tunc conſenſu prædicti papæ, & cunctorum judicum conſilio, reinveſtivit me imperator de ambobus prædictis caſtellis cum ſuis pertinentiis, & commendavit me in manu papæ in ſua fide, ut ſi animam ſuam diligeret, mihi reſtitueret. quod ſtrenue poſtmodum complevit ipſe venerabiliſſimus papa. Interea triginta diebus fecimus inducias, nec ſuper ipſa venimus caſtella, quia finem facere cum eis volebam libentiſſime; ipſi autem ſubdola fraude prius promiſerunt, & poſtmodum reſpuentes, etiam terribiles minas nobis intulerunt, quia auſi fuimus ſuper eos imperatori reclamare. Timore autem perculſi, uti inermes monachi, ſecimus tandem venire ſuper eos prædictum Senioretum. Illis denique, qui erant intus per XX. dies, & eo amplius, arefactis præ nimia aquæ ſiccitate ablatæ, quadam die inundatio pluviæ erupit ex omnibus partibus ipſius caſtelli, ita ut rivuli erant turbidi. Tunc cœperunt vaſcula, & pannos extra manſiones ordinare, ut aquis replerentur, ſed tantum non pluit intra ipſum caſtellum, ut aliquod minimum vas impleri poſſet. Hoc illi videntes pavidi, Dei cognoſcentes virtutem, ſequenti die in manibus domini papæ, etiam ipſe Creſcentius & Johannes, ſe tradiderunt, & caſtellum ei reddiderunt: ſtatimque dominus papa ſanctæ Mariæ & mihi reſtituit cum omnibus qui intus erant, & rediit Romam. Poſt aliquantos autem dies venit iterum Sabinis prope Tribucum, in quo prædictus Johannes adhuc ſedebat cum judicibus tantum & paucis hominibus; & mandavit ei familiariter, ut aut ipſum caſtellum, quod injuſte tenebat, S. Mariæ redderet, ſicut imperator juſſerat, aut mecum ſtaret ad legem; & ſi ejus præſentiam timeret uſque ad carbonariam ipſius caſtelli exiens, in ſua virtute ſtaret, & ibi cum judicibus, & paucis aliis inter nos fieret lex, quam nolebat ei abſque judicio tollere. ſed hæc ille omnino renuit. Triduo autem ibi ſtetimus, & quotidie illi nuncios miſit, ſed nullo modo legem facere voluit. Deinde per judicium ipſorum judicum reinveſtivit me de ipſo caſtello, ac fecit breve teſtatum, & reverſus eſt Romam. Completo vero anno, rediit illuc, & reacquiſivit illud caſtellum, ac reddidit ſanctæ Mariæ, ſicut Domino Deo placuit; prædictus imperator rogavit, & ipſe dominus papa complevit. Poſtea autem dominus papa finem cum eis fecit abſque nobis, non tamen cum bona voluntate, ut ſciunt plurimi. quod ut audivimus, conſenſu ac conſilio Piligrini archiepiſcopi, & cancellarii prædicti imperatoris, junximus nos cum Oddone & Creſcentio filiis Octaviani, & dedimus eis ſortem de ipſo Tribuco, ejuſque pertinentiis, ut nos ab ipſis defenderent, nullo alio accepto pretio. quod uſque hodie faciunt per divinum auxilium, ſicuti poſtea imperatori intimavimus, audiente eodem papa & Oddone, quando nos interrogavit. Tunc dominus imperator voluit inter nos & ipſos Johannem & Creſcentium legem facere, quam ipſi voluerunt.

XXVIII.

De veſtimentorum menſura apud Farfenſes. Ad lib. 53. n. 19.

VEſtimenta fratrum mittit ſanctus Benedictinus in prudentia abbatis, ut ſint menſurata. qualis autem ſit illa menſura ſecundum patrum diffinitionem, quantum poſſumus indagamus. Cuculla, quæ noſtro ſingulariter conve- *Ex veteri libro conſuetudinum Farfenſium.*

nit Ordini, quod veſtimentum antiquitus vocabatur colobium, id eſt tunica ſine manicis, tantum debet habere latitudinis, ut ambobus convenienter aptetur cubitis; longitudinis vero tantum antea quod ad collum pedis uſque pertingat, & ſit apta corpori, ut ſit ex omni parte rotunda. Capellum ipſius præter limbum integrum virilis pedis ex omni parte quadratam debet continere menſuram. Apertura ſuperior habeat cubitum uſque ad pollicis ſummum, inferior cubitum integrum & trium digitorum in ante appareat latitudo cucullæ capitio. Similiter autem ſubtus circa pedes tunica debet eſſe rotunda qualitate menſurata; ſagittas vero vel gerones tantum habeat, ut iter gradientes vel ſuperfluitate, vel parcitate non impediat. cujus manicæ debent ex utraque parte ad ſecundos digitorum nodos uſque pertingere. Staminia talem debet menſuram habere, ut poſſit collum pedis cincta pertingere. Similiter autem, ſicut cucullæ, ſubtus apertura cubito terminetur. Capitium habeat pedem integrum, ſimiliter & manica parte latiori; contra manum vero, quo manere ſolet, anguſtior, e radice pollicis uſque terminum indicis extendatur. Corrigia qua cingitur ſtaminia poſtquam fuerit bene extenta, latitudinem in ſe pollicis habeat. Cultellum inter ferrum & manubrium trium adjecta latitudine digitorum habeat pedem dimidium. Femoralia, quæ S. Benedictus conceſſit iter agentibus, quantum temporis incertum eſt quo vel quali tempore foris mittantur, omnibus conceduntur, taliter menſurentur, ut in longitudine corporis poſſint convenienter aptari: latitudine vero pars utraque ſicut eſſe ſolet dupla, cubitum uſque ad pollicem habeat jam conſuta. At vero caligæ pedem integrum ſuperius habeant jam conſutæ, quæ fiant etiam longæ, ut ſecundum ſtaturam hominis, quod in omnibus procurandum eſt veſtimentis, cruribus convenienter aptentur: quæ de ſummo uſque ad pedem taliter conſtringantur, ut cum ſuperius pedem habent integrum, inferius dimidium. Ceſta caligæ cum fuerit aſſuta, debet eſſe tam longa, quo poſſit intra pugnum fieri conſtricta calceo altitudine præter limbum qui aſſuitur, altitudine habeat pedem dimidium; anteriori vero parte latitudine digitorum nodos. Pedules ſimiliter menſurati, ut poſſint pedibus ſufficienter aptari.

XXIX.

Ad lib 53. n. 33. 34.

Charta Vualterii epiſcopi.

Ex charterio Flaviniacenſi.

SUpernæ pietatis immenſa clementia faventе, Walterius Æduorum humilis epiſcopus omnibus Chriſticolis ubique locorum degentibus notum eſſe cupio, quia, dum apud Flaviniacum cœnobium reſidente tam privatis quam publicis ejuſdem loci utilitatibus etſi non pro velle, pro poſſe tamen voluntarie inſervirem, expetierunt noſtræ liberalitatis, munificentiam tum abbas, nomine Amadeus, tum etiam prælibati monaſterii omnis monachorum concio, ut quarumdam ſalvamenta villarum ad eos pertinentium, quarum hic ſunt nomina, Jarliacus, Williacus, Riviſiacus & Griſciacus, quæ a ſæcularibus perſonis abſtracta ſub mea dominatione revocaveram & tenebam, eis proprio victui profutura concedere dignarer; ſiquidem ab ipſis fundationis auſpiciis, quibus idem locus a ſanctæ recordationis viro, Widrado ſcilicet nobiliſſimo abbate, cœpit conſtrui, per emenſa multorum annorum curricula monachi ibidem Deo ſervientes eadem ſalvamenta abſque alicujus calumniatoris inquietudine uſque ad tempora Rotmundi antiſtitis in ſuo dominio tenuerunt. Sed quoniam iſdem præſul languore corporis diu detentus, poteſtati ſæcularium non adeo reſiſtere potuit; quam multa, non modo hic jam dicta, verum alia prætaxatum cœnobium amiſit in tantum, ut etiam ipſe regularis ordo, paulatim noſtra uſque ad tempora tepeſcens, minime jam illic obſervaretur. Ergo quia regularem beati Benedicti obſervantiam antea inibi, ut dictum eſt, omnimodis obliteratam ad integrum reformare ſtudueram juxta illud Apoſtoli: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*, idcirco ratum duxi aſſenſum præbere illorum humillimæ petitioni: quatinus quibus ſub monaſticæ inſtitutionis norma animarum emolumenta provideram, eis quoque corporum ſubſidia in aliquo augerem, maxime cum illorum precatibus domnus ac venerabilis Bruno pontifex Lingonicenſis ſuarum precum non ſpernenda vota ſedulus interceſſor cumulaverit; faventibus Fulcone Sueſſionis epiſcopo ac comite Notcherio fratribus. Talium igitur favore fretus & pulſatus precibus, reſtituo & concedo prænominato abbati & monachis, tam qui ad præſens eſſe videntur, quam illis qui per ſuccedentes ævi metas futuri ſunt, præmiſſarum ſalvamenta villarum: obſecrans omnifaria prece ſucceſſores meos coepiſcopos, ut quod a me cauſa eleemoſynæ eſt factum, apud illos omni tempore permaneat inconvulſum, ut nec ipſi ea in ſuos proprios uſus redigant, ſive alicui in beneficio conferant. Quod ſi quis hujus ſancti decreti noſtri perverſus violator fore præſumpſerit, ad effectum male tentata perducere nullatenus valeat; ſed in præſenti anathematis cenſura a matre eccleſia ſecluſus, in futuro nequaquam ſydereis admiſceri mereatur cœtibus, ſed cum iniquis imas erebi deſcendat ad umbras. In Chriſti nomine Walterius epiſcopus Æduæ urbis indignus hoc fieri juſſi & firmando aſſenſi. Bruno Lingonis præſul. Fulco epiſcopus Sueſſionis civitatis. Sig. Beraldi nepotis ejus, Notcherii comitis, Notcherii filii ejus, Adelliſſæ comitiſſæ, Raginardi, Albuini, Hermuini abbatis, Raynaldi præpoſiti, Unerici, Clementis, Gauffredi, Walterii, Guidonis. Actum Flaviniaco anno XV. regnante Rotberto rege.

XXX.

Ad lib. 53. n. 42.

Bernardi ſcholaſtici, Andecavinæ ſcholæ magiſtri epiſtola ad dominum Fulbertum epiſcopum Carnotenſem, ad librum de miraculis ſanctæ Fidis.

Ex mſ. cod. Carnutenſi.

SAnctiſſimo atque hominum doctiſſimo Fulberto Carnoteno epiſcopo, Bernardus ſcholaſticorum minimus ſanctiſſimæ beatitudinis donum. Cum dudum Carnoti veſtra ſincera converſatione fruerer, accidebat crebrius, ut vel ſcribendi cauſa vel orandi, ſanctæ Fidis martyris, quæ extra muros ejuſdem urbis ſita eſt, eccleſiolam adirem. Qua de re memini nos aliquando inter confabulationis colloquia inciditſſe in mentionem ſanctæ Fidis, miraculorumque ejus, quæ in loco Concathenſis cœnobii, ubi ſacroſanctum corpus illius veneranter excolitur, omnipotentia Chriſti fiunt aſſidue. quæ, quia partim vulgarium fama celebrari videbantur, partim quia inaudita habebantur, haud aliter quam inanis fabulæ commenta a fide rejiciebantur. Et tum cum quod verum erat per voluntatem Dei fieri non poterat, verique opinio pæne per univerſam Europam jam diſcurreret; paulatim ſubiit mihi in corde tacita & oblivionis impatiens cogitatio, uti ipſum ſanctæ martyris habitaculum eodem diſcendi ſtudio adirem. Poſtremo adeo res rediit huc, ut voti inde facti tempus diemque, ne daretur oblivioni, in manuali codicello notaverim. Interea cauſa extitit, qua ad urbem Andegavenſem, ab ipſius urbis epiſcopo exoratus tranſmigrarem, ubi fere per triennium per inanes nugas, ut verum confitear, tempus ſtudii conterens, exceſſi tamen voti quippe bonam opportunitatem expectabam, qua ſuccedentibus multiplicis curæ occupationibus, adeo me falſa expectatione reddidit deluſum, ut velut piſcis intra linea clauſtra captus, quo magis expediri conabar, eo gravioribus malis implicarer. Tandem vero ne ſub ſpem adverſitatis deſidiæ meæ viderer conſulere, cum etiam occultos & pæne inextricabiles diabolica fraude mihi præſentirem parari laqueos, prorſuſque arte inimica a cœptis cogitantem de bonis abſterreri; poſtpoſitis repente rebus, ad deſideratum glorioſæ martyris mauſoleum Domino ducente perveni. Hic ergo de virtutibus ſanctæ Fidis, poſtquam ſollicite cœpi inquirere, tanta a diverſis relatoribus miraculorum affluentia abundavit, ut niſi audiendi ardens eſſet animus, nimio tædio afficerent cerebrum. Verum quia ipſum hominem, cujus oculi violenta ultione radicitus abſtracti fuerant, & poſt modum ſalva naturæ integritate reformati, ipſe videre merui, & nunc etiam ibi hic homine dictante video, eodemque prodente, univerſa atteſtante provincia, novi; primum id tamquam miraculorum fundamentum ceterorumque lectioni inſerendum puto, non ſolum ſenſum e ſenſu, ſed etiam verbum e verbo, ut ab ejus ore audio, brevitatis alienus longam ſatis lineam narrationis exordiens. Poſt hæc vero pro redeundi feſtinatione perpauca adjicere miracula, reliquorum vero pulcriora ſumma brevitate curſimque notata, ea quidem quæ ætate noſtra non ſunt antiquiora, quorumque teſtes in promtu, non fabuloſam, ſed evidentiſſimam veritatem liquerint, mecum in patriam Deo duce deferendum delibero; quo videlicet diligentiori datus otio, abundantiorem lecturis faciam lectionem. Hæc ergo, mortalium doctiſſime, cum acceperis, artis tantum poſitionem corrige: nam quicquid mihi narratum fuerit, quamvis indoctus & recte dictandi imperitus, non tamen ſimplex ad audiendum nec facilis ero ad credendum: aut potius, ſi fœdum tibi videtur ſtylum imparem materiæ materiam polluiſſe, tu te tibi ſalva benevolentia mea, quem conſtat unice in altiorem ſapientiæ gradum evaſiſſe, tam nobile tamque glorioſum thema nobili glorioſoque ſtylo decoratus ſume, ne veritas malo ſtylo corroſa legentibus horreat, ac per hoc res optima vileſcat. nam tantam talemque hiſtoriam tamquam abjectis ſapientibus occupaſſe præſumtoris potius eſt improbitas, niſi quia cauſa in medio prolata me ab hac audaciæ nota facit immunem, quam, ut manifeſtius edicam, melius eſt cæleſtia miracula, necdum ſicut nova & indubia, a ſcholaſtico quamlibet indocto ſalva veritate utcumque tradi litteris, quam ab ignotis mundi partibus oſcitantem ſpe dubia oratorem expectari. Ergo non adeo culpandus mihi videor, ſi divinæ gratiæ munera pro viribus propalare contendo; cum ipſa ſcriptorum inopia, ut id agam, vehementer expoſtulat. De cetero qui hoc lecturi eſtis, moneo ne in hujus ſcripturæ concordia ſcandalizemini, conſequentiam temporum quærentes: non enim permittit me inſtans redeundi neceſſitas ad purum inveſtigare, niſi ea qnæ ſine detrimento fructus miſericordiæ minime ſunt prætermittenda. unde non hic in hac ſcriptura libri, quem de virtutibus ſanctæ Fidis Deo cooperante exordior componere, annorum ordo, ſed miraculorum concordabit ſimilitudo, quorum inviolabili veritate diligentiſſime a me exquiſita, quia nihil verius, precor ut fidem relatui pleno corde accommodetis; ne vobis ſanctæ martyri poſtmodum minus derogaſſe ſit ſatius. aut potius, ſi rei prodigioſæ inuſitata novitas vos perturbat, id ſuper omnia a veſtra fraternitate procumbens terra tenus peto, uti noſtro tempore non tam orationis quam cauſa experientiæ, & vos quoque me regreſſo huc veniatis, ne intempeſtive falſum judicetis inexperti, cujus veritatem ultro propalabitis experti.

De Gilberto cujus oculos radicitus evulſos ſancta Fides reintegravit.

Igitur adhuc in pago Rutenico ubi beatiſſima requieſcit Fides, &c. *ut in editis tomo 2. Bibliothecæ novæ Labbe pag. 53. & ſeqq.*

XXXI.

Caroli Simplicis præceptum pro Bodonis-monaſterio.

Ad lib. 53. n. 47. *Ex chartario Tullenſi.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus divina propitiante clementia rex Francorum. Si petitionibus fidelium fratrum, & maxime Deo militantium aures noſtræ celſitudinis accommodaverimus, æquiſſimum antiquorum regum morem ſervabimus, & Dominum exinde nobis adfuturum credimus, animos etiam ipſorum erga fidelitatem noſtram devotiores efficimus. Quapropter notum eſſe volumus omnibus præſentibus & futuris, qualiter venerabilis Leuchorum urbis pater & pontifex, nomine Drogo, noſtris ſe fe obtulit obtutibus, deferens ſecum non modica chartarum indicia, in quibus continebatur, quomodo ſuus quidam prædeceſſor, nomine Bodo, vir ſanctiſſimus, quondam ſuis patrimoniis exſtruxerat locum ubi ..... fundatis .... & monialibus inſtitutis .... præfatam ſancti Stephani Tullenſem eccleſiam, qui venerabilis .... pontifex perpetuo contradidit habendum, qui etiam lotus ob reverentiam tanti patroni, uſque hodie Bodonis-monaſterium dicitur. Poſt hæc vero crebreſcentibus malis, hominibuſque in deteriora volutis, temporibus Lotharii regis, ſcilicet Lotharii imperatoris filii, propter inſuperabilem rectitudinis normam, quam tenuit erga præfatum regem venerabilis præſul domnus Arnulfus, ipſa abbatia & aliis .... rebus ſupradictis, ... eccleſiæ locis injuſte ab ipſo rege eſt ſpoliatus. Poſtea .... his finem veluti divina diſpoſuit miſeratio accipientibus, memoria dignus domnus Arnulfus epiſcopus, aliique ipſius ſucceſſores, Arnaldus ſcilicet necnon & Ludelmus, quod quiſque valuit ſuæ eccleſiæ per juſtas proclamationes, & dignam prædeceſſorum noſtrorum regum miſerationem readquirere ſtuduit. Nos etiam videntes rectam præfati pontificis, Drogonis ſcilicet, proclamationem, necnon & chartarum indagationem veriſſimam approbantes, pro animæ noſtræ remedio, ſeu pro fidelitate & cõſanguinitate ipſius, interventu ..... qui jam dictam abbatiam uſu beneficiario ex nobis poſſidebat, præfatum Bodonis-monaſterium cum omnibus ad ſe pertinentibus prænominato pontifici ſuæque eccleſiæ reſtituimus, ac perpetuo habendum concedimus. Unde & hoc ei præceptum noſtræ auctoritatis fieri præcepimus, jubentes, ut die, quo regni adepti ſumus ſolium, in refectione fratrum canonicorum pariter & monachorum, ſcilicet v. kal. Februarii, honorifice celebretur: poſt noſtrum vero ab hac luce digreſſum in anniverſarium noſtræ depoſitionis diem mutetur. Quod ut per ſuccedentium temporum verius credatur & diligenter obſervetur, manu propria ſubtus firmavimus, anuloque noſtro inſigniri juſſimus † Signum Karoli regis glorioſiſſimi. Hugo regiæ dignitatis humilis notarius ad vicem Herivei archiepiſcopi recognovit. Datum XIII. kal. Febr. indictione XII. anno XVI. regnante rege Karolo, redintegrante XIV. largiore vero hereditate adepta I. actum Leuchorum civitate in Dei nomine feliciter. amen.

XXXII.

Inſigne placitum pro Farſa de caſtello Bucciniano.

Ad lib. 53. n. 114. *Ex chartario Farfenſi.*

IN nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti, anno Deo propitio pontificatus domini noſtri Benedicti ſummi pontificis & univerſalis VIII. papæ in ſacratiſſima ſede beati Petri apoſtoli III. imperante domino noſtro piiſſimo P. P. auguſto Heinrico a Deo coronato magno & pacifico imperatore anno I. indictione XII. menſe Auguſto die II. Quia vero mundi termino prope imminente ſuperabundat procul dubio iniquitas, &c. Cum quidam Creſcentius, Benedicti comitis filius, diabolica fraude correptus & zelo diabolico zelatus abiit nocturno tempore, & per fraudem malæ fidei occupavit quoddam caſtellum, quod dicitur Buccinianum, a venerabili monaſterio ſanctæ Dei-genitricis Mariæ, quod ponitur ſub monte Acutiano, in loco qui dicitur Farfa, cujus fuit hereditas, & per vim ſibi & ſuæ poteſtati, uſquequo dominus ſupra-dictus Heinricus imperator Romam advenit, retinuit. Igitur cum memoratus Heinricus Romam veniſſet, & intra venerabilem baſilicam beati Petri apoſtoli reſideret ad legem & juſtitiam faciendam, tunc Hugo ipſius monaſterii ſanctæ Mariæ venerabilis abbas eidem imperatori de ſupra-ſcripta invaſione, fraude & nequitia atque malis omnibus, quæ ei Creſcentius de ſupra-ſcripto opido perpetraverat, reclamare cœpit. Quibus auditis imperator, cum eſſet pius & bonus, mox præcepit Johanni ejuſdem Creſcentii germano, quatenus ſiquidem ſuum germanum ad ſe venire faceret, & de ea lite, quam ſibi per illum abbas de ſæpe dicto opido propoſuerat, cum eo legaliter finiret, & quæ a judicibus ſecundum veram legem promulgata eſſent, adimplere non recuſaret. At Johannes tale imperatori præbuit reſponſum, dicens, nulla ratione ſe inde intromittere, quoniam non ſuum, ſed ſui tantum germani eſſet acquiſitum: inter quos motio facta eſt & inter Romanos & imperatoris plebem, & eam legem quam imperator facere malebat, adimplere non poterat. Mox coram domini præſulis præſentiam & omnium qui aderant, imperator apprehendit virgam manu, & per ipſam quidem virgam de eodem caſtello abbatem Hugonem reinveſtivit atque reddidit. Deinde rogavit dominum ſæpe-dictum Benedictum præſulem, ut ob amorem Dei ejuſque præcelſæ genitricis, ſuæque animæ redemtionem, prout ipſe inveſtierat, illam adimplere & facere non prætermitteret legem. Hiſque talibus peractis & retro ſe dum ultra montes imperator reverteretur, memoratus pontifex miſericordia motus, pietate ductus ſupra ſanctum locum, ne ſuis temporibus ad idem ſanctum locum de ſuæ hereditatis rebus deveniret

niret detrimentum, per ſuos idoneos fideles inquiſivit Creſcentium, quatenus legem & juſtitiam aut pactum de eodem opido cum monaſterio ſanctæ Mariæ & illius monaſterii abbate faceret. Ipſe vero, cum eſſet ſuperbus, pactum facere noluit, & ad placitum venire recuſavit. Tunc pontifex ut talia ſenſit ira motus, furore ductus, cum multitudine hominum ſupra illum ad ſæpe dictum opidum, quod invaſerat & ubi ipſe reſidebat, abiit, & eum poſſidere procuravit; & cum multo magis poſſeſſus ab eo eſſet; & ante ejus præſentiam minime ſtare poſſet, cœpit ei miſericordiam & pietatem quærere, & legem & juſtitiam, quantum ipſe præciperet, exinde ad ſtatutum terminum facere, ut in ſuæ protectionis termino mitteret illud uſque ad peractum terminum eo ordine, ut ſi ſe inde ſubtraheret, liceret illum abbati Hugoni reddere; peracto vero termino uſque in XX. dierum, & ſic dominus præſul Romam reverſus eſt. Igitur ad ſtatutum qui miſſus fuerat terminum, dominus præſul cum venerabilibus abbatibus ac ordinariis & legum-latoribus judicibus, tam Romanis quam Langobardis, & cum plurimorum cœtu in loco ubi ſtatutum fuit ante caſtellum quod dicitur Tribucum in monte, ubi ſtare videtur arbor Pyrus, ad ipſam ſiquidem arborem advenit ad diffiniendam cauſam præfati opidi & rei veritatem. Et nunc nomina abbatum vel judicum & comitum ſive nobilium ſeriatim pandere ſtudemus, ſcilicet Johannes qui & Melio ſecundicerius, Creſcentius adminiculator, Gregorius defenſorum primicerius, Georgius arcarius, Petrus Johannis Benedictæ, Gregorius Farulfus, & Leo qui & Laurentius, Dativorum. Langobardorum autem judices Adam & alius Adam atque Heribertus & Roccio CSS. hi omnes ex ducatu Spoletano; Creſcentius, Sabinorum. Venerabiles vero abbates Johannes monaſterii ſancti Pauli, & Johannes monaſterii ad Clivum-Scauri, & alius Johannes monaſterii S. Dionyſii & Silveſtri, Adilelmo monaſterii S. Bonifacii, & Petrus abbas monaſterii ſanctæ Mariæ ante venerabiles titulo Eudoxiæ. Comites namque, Berardus comes, Tidinus filius, Oddo comes cum Johanne & Creſcentio, germanis ſuis, Octavianus filius, Creſcentius & Gumbizo germani, Theophylactus Prænestinus, Stephanus & Pruizo a S. Euſtachio, Richardo-Tito, Franco de Britone, Berardus & Guido a Proba, Ingizo, Teudbaldus, Conſtantius & Creſcentius de arcario, a loco trans Tiberim, & alii plurimi. Conveniens vero dominus præſul cum his omnibus in ſupra dictum locum, quo conſtitutus fuerat terminus, mox de equo deſcendit, & falciſtorium ponere juſſit, & cum omnibus qui aderant ad legem & juſtitiam faciendam reſedit. Tunc in conſpectu horum omnium ſe exhibuit Hugo abbas, & per ſuum advocatum, videlicet Alchierium, ſecundum Langobardorum legem, quoniam venerabilis locus ad Langobardam permanebat legem, lamentare & proclamare ante domini præſulis præſentiam. qui dominus præſul per Johannem venerabilem abbatem S. Dionyſii & Silveſtri & per Azonem, Berninum, Creſcentio inquirēdo mandavit, ut ſicut promiſerat & conſtitutum fuerat veniret ad placitum; ille vero in ea quam promiſerat non permanſit & ad placitum venire recuſavit. Rurſum dominus præſul cum conſilio omnium judicum, Romanorum videlicet & Langobardorum, ſecundum conſtitutionem legum, per ſupra-ſcriptum Oddonem comitem & Creſcentium germanum Gumbizonis, & Franconem qui vocatur de Britto, necnon Stephanum Ingibaldi & Petrum de Imperato, iterum atque iterum vocavit eumdem Creſcentium ad placitum; ille vero cum eſſet protervus & contumax, omnino renuit venire ad placitum; & cum talia videret dominus pontifex dixit Romanis & Langobardis judicibus, ut quid exinde eſſe legibus deberet, dicerent. Statim omnes judices uno ore dixerunt: Domine ſenior, veſtra gratia primitus quid abbati caſtellum pertinet, examinandum eſt, & poſtea ſic judicandum. Illico abbas chartulas, quas inde habebat in manibus, judicibus ad relegendum tradidit, & relectis a Gregorio arcario invenit eas veridicas & bonas, & non alicubi niſi prædicto monaſterio ſuper dictum opidum pertinere. Mox collatis Juſtinianæ & Langobardorum capitulis legis, talem inde adverſus Creſcentium dederunt ſententiam: Si quis vocatus eſt ad judicium, & ille per ſuam ſuperbiam venire noluerit, & judex bene ſcrutatus fuerit cauſam, & judicaverit abſente illo; hoc quod ei judicatum eſt, adimpleat, nec provocare audeat, contumace tertia vice vocato datum judicatum firmum eſt. Et cum tantam auctoritatem legum pontifex audiiſſet, mox apprehendit virgam in manu, & ſecundum ſupra-dictam conſtitutionem, prout habuerat caſtellum ipſum, quod vocatur Buccinianum, in commendationem reddidit atque inveſtivit exinde abbatem Hugonem ſub diſtrictione interdictæ pœnæ perpetualiter coram cunctis qui aderant propter judicialis libri ſententiam, ſub tali conſtitutione & banno, ut ſi umquam in tempore Creſcentius vel ſui heredes aut qualiſcumque ab eis ſubmiſſa perſona magna aut parva quamlibet litem vel intentionem aut moleſtationem ſeu invaſionem adverſus prædictum monaſterium & illius abbatem de prædicto opido, quod vocatur Buccinianum, ulterius fecerint, compoſituri exiſtant optimas aureas libras centum, medietatem in ſacro Lateranenſi palatio & medietatem prædicto monaſterio, & quæ quærerent, refutarent, & inſuper poſt peractam pœnam hujus notitiæ atque inveſtitionis breve omni tempore firmum & præſtabile permaneat. Unde & pro futura memoria futuroque teſtimonio & cautela & perpetua ſtabilitate ſupra-dictus præſul cum omnibus memoratis judicibus, tam Langobardis quam & Romanis, hujus notitiæ atque inveſtitionis breve ſcribere præceperunt mihi Benedicto ſcriniario S. R. E. in menſe & indictione ſupra-dictis XII. † Theſ. pf. & Lbctxc. qui Benedictus papa vocor, interfui & ſubſcripſi. † Johannes abbas monaſterii S. Silveſtri. † Jo-

hannes abbas monasterii S. Gregorii, quod appellatur Clivus-Scauri. † Benedictus Domini gratia secundicerius sanctæ apostolicæ sedis. † Crescentius Domini gratia nomenculator sanctæ apostolicæ sedis. † Ego Gregorius Domini gratia primicerius defensorum. † Ego Georgius Dei providentia arcarius sanctæ apostolicæ sedis. † Petrus Dei nutu judex. † Marinus nobilis vir, germanus vero domini præfecti. † Tedaldus nobilis vir qui Zore vocatur. † Johannes Dei nutu judex. † Ego Gregorius Domini gratia dativus judex. † Farolfus Domini gratia dativus judex. † Johannes gratia Dei dativus judex. † Franco qui vocatur de Bretto. † Leo qui vocatur Fragapane. † Benedictus qui supernomen Bocca-pecu vocatur. † Sergius de Transtyberim. † Beraldus & filius primus defensor de Cavallo marmoreo. † Helperinus filius Helperini. † Stephanus filius Ingebaldi. † Ego Benedictus Scriniarius S. R. E. & scriptor hujus notitiæ brevis post domni præsulis & abbatum atque judicum & comitum vel nobilium omnium subscriptiones factas complevi & absolvi.

XXXIII.

Ad lib. 54. n. 74. *Epistola domni Hugonis abbatis Farfensis ad domnum Lauduinum abbatem S. Salvatoris.*

Ex chartario Farfensi.

LVenerabili abbati monasterii Domini Salvatoris H. exiguus & humilis abbas cœnobii Farfensis perennem in Christo salutem & unanimem dilectionem. Convenientiam inter nos nuperrime factam de curte vestri monasterii, scilicet ecclesia sancti Petri in Mejana, plurimi fratres nostri cœnobii perspicientes valde gratificati collaudarunt, & confirmare sanxerunt. De hoc vero, quod nos consulens requisisti, lucidius exquirentes cartas & tomos sive membrana nostræ ecclesiæ, authentica munimina reperimus & antiquissima, quæ pro certo continent, quod ab olim inter ipsum istumque conventum magna est concordia, & dilectio continua exstitit, & de nostris ad vos & de vestris ad nos eundi & redeundi, cuicumque libuit, semper licuerit, nullique aliquando denegatum fuerit. Quapropter tempore hyemis vel æstatis familiariter & domestice uterque conventus multotiens permanere consueverat. Unus etiam Ludovicus imperator, cum die Pentecostes ad hoc monasterium devenisset, & huic loco & domno Johanni nostro abbati ipsique monasterio Domini Salvatoris & domno Anastasio abbati præceptum insigne optimæ libertatis de omnibus bonis acquisitis & acquirendis dignissime fecit. Nos quoque infra vestri monasterii pertinentias, vosque infra nostri quidquid valebamus, nos ad opus nostri monasterii, & vos ad opus vestri acquirere studebamus. Denique legales cartas & certissimas de locis ipsis vicinioribus vobis habemus, id est de castro Maillialardo cum ecclesia sancti Benedicti omnibusque pertinentiis, & de monasterio, quod dicitur Vetus, & de villa Cellæ-novæ & de villa Lesceniæ & de villula & de ecclesia sancti Benedicti, quæ est prope monasterium Domini Salvatoris, & omnia manualia ibidem, quæ dicuntur granica. Item in via aquilonis euntium a dextris locum ad caulas animalium muris ædificatum pro tempore æstivo, & castrum Longonis cum omnibus pertinentiis supra scriptis & cunctis aquæmolis: hæc omnia vel alia bona nostro monasterio pertinentia, circa ipsa loca vestra, quæ magis vobis, sicut viciniora sunt; ita & congruentia vel utilissima, pro rebus ipsis vestro monasterio pertinentibus, quæ nobis pluſquam vobis seu sunt proxima sic & proficua, nos vobiscum vestroque monasterio æque & legaliter una cum vestro conventu tempore & die vobis placito concambiabimus. Et si vos, uti nobis dixistis, curtem vestram, id est ecclesiam sancti Petri in Mejana, ad vestrum opus vultis retinere: nos etiam ecclesiam sancti Petri in Pesil. nobis volumus reservare; alia autem omnia, sicut te velle nobis ostendisti, per concambium dare & recipere potestis, ita sane, ut quæcumque pars in futurum infringere & evacuare voluerit, componat parti alteri libras decem auri optimi, insuper quod cambiavit recipere nullo modo possit, sed utrumque cambium permaneat in monasterio, qualiter nec fecit, nec istam convenientiam fregit. Nunc autem si placet vestræ religioni, & vos rescribite nominatim res in istis locis vestro monasterio pertinentes, ut absque aliquo dubietatis scrupulo nostras explere valeamus placitas commutationes cum utriusque monasterii proficuo. Optamus vos semper per omnia valere.

XXXIV.

Rotberti regis privilegium pro Miciacensi monasterio. Ad lib. 55. n. 3.

Ex archivo Miciacensi.

IN nomine sanctæ & inviduæ Trinitatis, Rotbertus Dei gratia Francorum rex. Ex injuncto nobis regiæ dignitatis officio tenemur monasteriis in regno nostro constitutis eo modo providere, quo universa, quæ ab aliis libere ipsis collata sunt, & quæ possidere dinoscuntur, ne in posterum super his valeant aliquatenus molestari, liberaliter confirmemus.

Noverint igitur universi, quod constitutus in præsentia nostra venerabilis Odolricus episcopus, & Albertus abbas sancti Maximini Miciacensis loci cum quibusdam fratribus humiliter petierunt serenitatem nostram, innovari sibi privilegia quædam a prædecessoribus nostris regibus, Clodoveo scilicet primo Francorum rege christianissimo & Carolo augusto, regia munificentia monasterio Miciacensi indulta, quorum videlicet privilegiorum sigilla præ nimia vetustate nobis videntibus fracta penitus fuerant & consumpta. Quorum petitioni digne faventes, pro animæ salute propriæ mei, scilicet Roberti regis & uxoris meæ Constantiæ, & nostrorum filiorum Hugonis regis & Henrici, Roberti quoque & Odonis, ad tutelam prædicti monasterii Miciacensis hoc nostræ regiæ dignitatis præceptum edidimus, ut absque ullo incommodo fratribus ibidem Deo servientibus emolumentum proveniat salutare, nostrumque apud illos perpetuum teneatur memoriale. Prædictorum igitur privilegiorum tenore considerato, ad notitiam futurorum placuit nobis in hoc pragmatico confirmari & annotari possessiones, quæ in prædictis & in aliis regum privilegiis continebantur, quas præsentialiter ejusdem cœnobii fratres gratia Dei secure & quiete possident.

Prior est fundus Miciacensis cum appendiciis suis, & fluvius Ligeris & Ligeriti, & in civitate Aurelianensi possident in alodo claustrum sancti Maximini ab omni exactione liberum & consuetudine, & capellam in honore ejusdem confessoris sacratam, & præbendam sanctæ Crucis perpetualem, & in burgo Dunensi furnulum unum in alodo, & juxta sanctum Anianum abbatiam sancti Maximini & burgum ejus, & in burgo sancti Aniani dimidium turnilium in manufirma, qui reddit censum denarios IV. & obolum in missa sanctæ Crucis mensis Maii, & juxta sanctum Donatianum alodium unum; extra civitatem contra claustrum sancti Maximini partem alodi, quæ pertinet ad ipsum claustrum, & præbendam sancti Aniani. Possident etiam ecclesiam sancti Dionysii in alodo cum omnibus ibi pertinentibus, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, vineis, servis & ancillis, & villis, id est, Bruerias, Caventonem, Alburias, Asinarias & aliam potestatem quæ dicitur Nemesus, Masnitium & Boschellum in manu-firma, & curtem Dreani in alodo quæ est in pago Gastnensi, & in pago Aurelianensi Ulmeri villam cum omnibus sibi pertinentibus, & potestatem Audoëni - putei* , Bitriacum, montem Cuichet, Pyracium, Sarcinum, Grangioli-villam, Viviniacum, Haia-corbi & Nocimentum. Has potestates Clotarius rex filius Clodovei seniotis prædicto loco concessit.

* *Empuis.*

Præter hæc autem possident capellam sancti Maximini super Ligerim positam ab omni consuetudine & potestate ministerialium nostrorum liberam, & vallem & Cersiacum cū sibi pertinente terra & silva, & omnia quæ ad eamdem villam pertinnent, & totas Spedas & Montiniacum, Vacheriam quoque & totum Ronedum*, sicut partitur terra sancti Liphardi, & Alenam & Bonivillam, & casuarium unum in Sumone villa, & totam Silvestri villam. Has possessiones Childebertus rex prædicto loco contulit. Habet etiam in pago Carnotensi Fraxinulum, & Saumaricum, & Clessam villam cum omnibus sibi pertinentibus, & terram quamdam in villa, quæ dicitur Vonas, & Maissiam & Lincomisum; has possessiones Dagobertus rex dicto loco concessit. Et in pago Dunensi habent cellam in loco, qui dicitur Mons-Letardi cum aqua Coneda, molendinis, silva, pratis, terris cultis & incultis, pascuis, vineis, mancipiis, servis, hanc cellam Theodericus rex ex hereditate Lupi pessimi ducis Miciacensi loco contulit. Cambiacum quoque possident ex dono Clodovei senioris cum ecclesia & omnibus sibi pertinentibus, Prunedum etiam & Berellam, Spinam, Toscham-rotundam, Brulium, & Boscum sancti Agili, & Brasias quasdam juxta silvam nostram, quæ dicitur foreſt, ubi metæ sunt positæ.

* *al.* Rollenum.

Habent insuper ex dono Pipini regis Fontanas & Malverias, quæ sunt in alodo & in manu-firma, & Fauvanas & villam Marcelli; & Chandre cum omnibus sibi pertinentibus, terris cultis & incultis, servis & ancillis.

Et ex dono Ludovici imperatoris & Lotharii filii ejus habent discursionem trium navium per diversa imperii flumina, scilicet per Ligerim, Carum, Sequanam, Maternam, Vigenam, Sartam, Meduanam, Sidilum pro quibuslibet monasterii necessitatibus, ut secure & libere ire & redire valeant, & non reddant teloneum vel ullam consuetudinem vel aliquam redhibitionem. Et ne quislibet exactor fisci de carris vel carretis vel sagmariis vel quocumque vehiculo sive per terram sive per aquam facto, vel de quocumque commercio pertinens ad prædictum locum exigat, vel accipiat ullam omnino consuetudinem, nec de quibuslibet negotiis vel in villis vel in terris, sive in silvis aut in aquis prædicti monasterii factis undecumque judiciaria potestas aliquid exigere præsumat, aliquam legem vel consuetudinem accipere vel exigere, vel quamlibet molestiam inferre. Ipsis vero monachis consuetudines, quas volunt, sive in terris sive in aquis suis ponere liceat, id est, telonium salis & aliarum rerum, quæ vehantur sive per terram sive per aquam, & ceteras leges id est sanguinem, raptum, homicidium, incendium, & alias leges quæ solent exsolvi, in suis terris accipiant.

Possident etiam ex dono Caroli Calvi Gaudiacum cum ecclesia & omnibus sibi pertinentibus, terris cultis & incultis, pascuis, servis & ancillis & quibusdam villis, scilicet Montem-Bellerii, Patiacum, Mausolanum & boscum, qui dicitur boscus Regis, & boscum Gilfredi, boscum etiam sancti Marcelli, & brasias quasdam inter montem Belleni & viam publicam, ubi metæ positæ sunt.

In Secalonia quoque habet curtem Vennensem cum ecclesia & omnibus sibi pertinentibus, & Macherias & Mesum & Brulium, & Cosdrenam silvam cum brasiis adjacentibus, & in Litiniaci parochia farinarium petrosum. has possessiones habent ex dono Lotharii filii Ludovici imperatoris.

Ex dono autem Clodomiri regis habent Fontanellas cum omnibus sibi pertinentibus, terris cultis & incultis, pascuis, silva, brasiis, servis & ancillis. Hanc etiam communitatem habent ex dono Alberici vicecomitis Aurelianensis, ut per totam silvam quæ adjacet Fontanellæ supradictæ potestati monachorum, ubi inter eorum propriam silvam & silvas baronum & militum nostrorum metæ positæ sunt, omni tempore glandis porcos ducétos absque ullo pasnatico vel aliquo servitio habere sibi liceat.

Habet præterea idem cœnobium multas poſſeſſiones, quas, quia in privilegiis regum præcedentium, & aurenticis pontificum nominatim expreſſæ continentur, in præſenti pragmatico noluimus annotari. Nos vero, ne inferiores videamur prædictis regibus, beneficio concedimus prædicti monaſterii fratribus, duos farinarios cenſuales infra Ligeritum ſuper ſanctum Hilarium, cum tota aqua illa, quam dedit eis Hugo miles, ſolventes in cenſu ſolidos tres in miſſa ſanctæ Crucis menſis Maii; & contra domnum Martinum in Ligerito, molendinos duos ex proprio jure noſtro, cum aqua ſibi pertinente, eis in perpetuum concedimus, & confirmamus. Concedimus etiam eis, ut homines noſtri liberi & ſervi, qui manſerint, vel domos habuerint in terris eorum, omnes penitus conſuetudines & ex nomine taliam quemadmodum proprii homines eorum perpetuo reddant. Et ſicut piæ memoriæ genitor noſter Hugo rex eis conceſſerat ſingulis hebdomadis per unam diem & noctem, quam voluerint, libertatem perluſtrandi totam aquam noſtri juris Ligeriti fluvii, quolibet modo piſcationis eis in perpetuum concedimus & confirmamus. Et quia miniſteriales noſtri Aurelianenſes & milites, & ſervientes Landrici militis Balgenciacenſis, & quidam alii, ſicut ad noſtras aures ſæpius pervenit, terras prædicti monaſterii quotidianis vaſtant rapinis, & hominibus illic commorantibus multas injurias faciunt, per hoc noſtræ regalis auctoritatis præceptum id omnimodis amodo fieri prohibemus, Landrico milite Balgenciacenſi, & filiis ejus Landrico, Johanne & Herveo id ipſum conſentientibus, & coram nobis & fidelibus noſtris palam confitentibus, ſe huc uſque nullum omnino jus aut ullam conſuetudinem vel ſervitium in omnibus terris ſancti Maximini, vel hominibus de jure habuiſſe, vel habere debere. Prohibemus igitur, & auctoritate regia præcipimus diſtricte, ut in Miciaco villa, & in poteſtate ſancti Dionyſii, & in capella ſancti Maximini trans Ligerim, & in Cambiaco, & in Gaudiaco, Monte-Bellerii, Malvariis, Canariis, Fontanis, Villa-Marcelli, Roſariis, Aſneriis in Meſo, & in omnibus appendiciis, quæ ad has villas pertinere noſcuntur, & in aliis villis, vel terris, vel hominibus eorum, ullus omnino miniſterialium noſtrorum, neque comes, neque miſſus, neque judex, aut villicus, aut quiſlibet publica poteſtate præditus, ullam omnino legem, vel conſuetudinem, vel ſervitium aliquod exigat, vel ullam inquietudinem, aut contrarietatem deinceps facere præſumat; aut quidquam ſubtrahere, aut aliquam infeſtationem inferre: ſed liceat prædictis fratribus memoratas poſſeſſiones, & omnia, quæ regum vel principum, ſeu aliorum quorumlibet fidelium largitione in perpetuum adepti fuerint, ſub noſtra pleniſſima tuitione, noſtris & futuris Deo diſponente temporibus, quiete & libere poſſidere. Ut autem hæc noſtra auctoritas certius credatur, & a fidelibus, Deo annuente, noſtris & futuris temporibus melius conſervetur, ſigilli noſtri charactere ſubter eam juſſimus roborari.

Signum Rotberti regis. Sign. Hugonis regis filii Rotberti. Sign. Henrici filii Rotberti regis. Sign. Rotberti filii Rotberti regis.

Nomina teſtium. Sign. Tetduini clerici, filii Reginæ mulieris, cujus erat beneficium. Sign. Leutericus archiepiſcopus Senonas. Sign. Goſlinus archiepiſcopus Bituricas. Sign. Odolricus epiſcopus Aurelianis. Sign. Guarinus epiſcopus Belvagus. Sign. Franco epiſcopus Pariſius. Sign. comes Ivo de Bello-monte. Sig. Ebo miles. Sig. Guarinus miles Pariſius. Sign. Amalricus miles de Monte-forte. Ego Balduinus cancellarius perlegendo ſubſcripſi.

Actum Aurelianis publice, anno incarnationis Domini milleſimo vigeſimo-ſecundo, regni Rotberti regis XXVII. & indictione V. quando * Stephanus hæreſiarches & complices ejus damnati ſunt, & arſi ſunt Aurelianis.

* *al.* quando hæretici damnati ſunt Aurelianis.

XXXV.

Rotberti regis præceptum pro monaſterio Bellimontis prope Turonos. Ad lib. 58. n. 5.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Rotbertus Dei miſericordia rex. Si petitionibus ſervorum Dei, pro quibuſlibet eccleſiaſticis neceſſitatibus aures noſtras pulſantium libenter aſſentimur, & ad divinæ militiæ cultum in locis Domino dicatis uberius famulantibus, auxilium porrigimus, id nobis procul dubio, & ad inſtantem vitam temporaliter tranſigendam, & ad futuram feliciter obtinendam profuturum confidimus. Notum igitur fore omnino cupimus cunctis Chriſti noſtriſque fidelibus, præſentibus ſcilicet atque futuris, quoniam adiit ſerenitatem noſtri culminis Sulpicius ſubdiaconus & archiclavis beati Martini, humiliter flagitans, & flagitando ſumma prece depoſcens, ut auctoritate noſtræ præceptionis juberemus præceptum fieri de his, unde jam præceptum altera vice fieri juſſeramus per deprecationem bonæ memoriæ Hervei levitæ & archiclavis beati Martini, prædeceſſoris ejuſdem fidelis noſtri Sulpicii, de eccleſia videlicet beatæ Mariæ Bellimontis, in qua regulam ſanctimonialium ſupradictus ſanctus vir Herveus conſtruxit, non longe ſita a caſtro patris noſtri Martini, cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, vineis ſcilicet & pratis; atque de quodam vivario Malamorta nuncupato, necnon & de quotlibet arpennibus vinearum, quæ diverſis in locis prope ſuburbium opidi præfati confeſſoris Chriſti Martini, ſitæ inter Ligeris videlicet Carique alveum, hoc eſt de vineis ex theſauro arpen. quatuor, non longe ab opido beati Martini ex parte Cari fluminis; terminantur de duabus partibus ipſius poteſtatis; de tertia parte terræ ſancti Andreæ; de quarta via publica: reddent cenſum ad miſſam ſancti Martini hiemalem denar. ſexdecim. Item, de vineis ex theſauro arpen. quatuor in ſuburbio caſtelli beati Martini ex parte meridiei, ubi ultra Beram dicitur. Terminantur de una parte terra ſancti Venantii, de duabus terra communi fratrum, de quarta via publica. Reddent cenſum ad miſſam ſancti Martini hiemalem den. ſexdecim. Item, de vineis ex theſauro arpenn. I. in ſuburbio caſtelli beati Martini ex parte occidentis; terminantur de duabus partibus terra ipſius poteſtatis, de tertia terra ſancti Johannis & ſancti Pauli, de quarta via publica. Reddent cenſum ad miſſam ſancti Martini hiemalem den. quatuor. Item, de vineis ex theſauro arpen. I. in ſuburbio caſtelli beati Martini ex parte occidentis; terminantur de una parte via publica, de duabus terra ipſius poteſtatis, de quarta terra ſancti Pauli. Reddent cenſum ad miſſam ſancti Martini hiemalem den. quatuor. Item, de vineis ex theſauro arpen. III. in ſuburbio caſtelli beati Martini ad Curæcium maceriæ; terminantur de duabus partibus viis publicis, de reliquis partibus terra ſanctæ Crucis, & prato ſancti Venantii: reddent cenſum ad miſſam ſancti Martini... ex parte occidentis, terminantur de una parte terra ſancti Martini de Portaria, de altera de ipſa Portaria & terra ſancti Sulpicii, de quarta via publica: reddent cenſum ad miſſam ſancti Martini hiemalem den. tres. Item, de vineis ex theſauro quartarios tres in ſuburbio caſtelli beati Martini, ex parte orientis, terminantur de una fronte, via quæ ducit in urbem, & ex uno latere via, cujus caput portam ſancti Juliani attingit, de altero latere terra ſancti Pauli, de altera autem fronte alodo Ademari: reddent cenſum ad miſſam ſancti Martini hiemalem den. ſeptem. De vineis quoque de Portaria, non longe a caſtello beati Martini ex parte meridici arpen. quatuōr, terminantur ex duabus partibus terra ipſius poteſtatis, de tertia terra ſancti Venantii, de quarta ſancti Dionyſii: reddent cenſum ad miſſam ſancti Martini hiemalem den. ſexdecim. Item, de vineis de Portaria arpen. dimidium in ſuburbio caſtelli beati Martini, ex parte occidentis; terminantur de una fronte terra ſanctæ Mariæ, ex uno latere terra ſanctæ Monegundis, ex altero vero latere & ex capite viis publicis; reddent cenſum ad miſſam ſancti Martini hiemalem den. duos. De iis quidem omnibus vineis, quas hic cum ſuis terminationibus recenſuimus, jam firmaveramus quoddam ſcriptum, quod idem dominus Sulpicius de ipſis fieri juſſerat, aſſenſu Rogerii decani, & ceterorum fratrum. Deprecatur quoque ſæpe dictus fidelis noſter dominus Sulpicius archiclavis, huic præcepto inferi quoddam altare, in honore ſanctæ Crucis & ſancti Petri in medio eccleſiæ beatiſſimi Martini ſitum, ubi ſanctæ memoriæ dominus Herveus archiclavis tumulatus requieſcit, quod & jam ipſe non immemor ſuæ animæ, eidem loco, ſanctæ videlicet Mariæ Bellimontis, in perpetuum conceſſit habendum. Eſt enim de theſauro beati Martini, ea videlicet lege, eoque tenore, ut ſanctimoniales Domino ſervientes, amodo ſemper in poſterum cappas & cetera ornamenta beati Martini, prout potuerint, abſque pretio reſtituant. Cujus nos petitionem ſatis rationabilem conſiderantes, votis ejus libenter aſſenſum dedimus; & tam de ipſo altari, quam de ſupra ſcriptis omnibus rebus, hoc præceptum fieri juſſimus. Si quis autem hujus noſtræ auctoritatis præceptum violare præſumpſerit, non ſolum in offenſam ſe Chriſti & noſtram lapſum, verum etiam denariorum ſolidorum excocti auri ſe noverit pœna multandum. Ut autem hæc noſtra auctoritas inviolabilem obtineat effectum, manu eam noſtra propria firmavimus, & anuli noſtri impreſſione ſignavimus. Rotbertus. Ego Balduinus cancellarius relegi, & ſubſcripſi.

Ex archivo S. Martini.

XXXVI.

Richardi Nortmannorum ducis diploma pro Monte-ſancti-Michaëlis. Ad lib. 58. n. 17.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Amen. Anteceſſorum noſtrorum inſtitutionibus ſanctum decretumque eſt; quatinus, ſi quis ſuarum facultatum quiddam loco Sanctorum alicui, vitæ ſupernæ accenſus amore, perenniter poſſidendum tradere voluerit, ſollemne exinde ideonarum perſonarum plurimis adſtipulationibus fulcitum, ut id inconvulſum permaneat, teſtamentum faciat. Referentibus enim quamplurimis ſanctæ Dei eccleſiæ doctoribus, divinum eſſe præceptum didici, ut illic noſtri recondantur theſauri, ubi omnis aberit furum formido, omniſque tinearum demolitio; eſſeque quoddam peccatorum purgatorium eleemoſynam; & quod Deus in largiendo munificos expoſcit, qui ſe in retribuendo præparat munificentiſſimum. Detur igitur Deo non noſtrum, ſed ſuum. Quid enim aliud nos habere putamus, quam quod ab eo accepimus? Tribuatur frigidæ aquæ calix, & æterna recipiatur merces. Tanti valere regnum audivimus Dei, quantum habemus: ſuffecit viduæ quadrans, profuit & Zachæo bonorum dimidium diſtributio. Quæ denique ad id quod finitur, ad id quod non finitur comparatio? ſcilicet pro terrenis cæleſtia, pro perituris mereri perpetua. His & aliis divinæ auctoritatis incitatus hortamentis, ego Richardus, gratia Dei dux & princeps Nortmannorum, pœnas inferni cupiens effugere, & paradiſi gaudia deſiderans habere poſt mortem corporis, loco ſancti archangeli Michaëlis, ſito in monte, qui dicitur Tumba, fratribuſque ibidem Deo monaſtice famulantibus, trado abbatiam ſancti Paterni, ſitam in pago Conſtantino, cum terris cultis & incultis, cum eccleſiis & molendinis, cum pratis & ſilvis, quæ terminatur ob oriente via publica tendente Conſtantias, a ſeptemtrione rivulo, nomine Veuleia; a meridie fluviolo, nomine Tarn; ab occaſu mare oceano, cum inſula, quæ dicitur Calſoi. Do etiam villam, quæ dicitur Chantelou, cum eccleſia & molendino, cum ſilvis & omnibus appendentiis. Terram quoque Grimbaldi, quæ ſita eſt in Paxiquevilla, & in Flamenevilla, & in Langrona, & medietatem Erengerville. Terram etiam Durandi, quæ eſt intra terminos villæ, quæ nuncupatur Verlai; & terram Petri

Ex archivo S. Michaëlis.

monachi, quæ est in insula Gersei. Columbam iterum, sitam in eodem supra nominato pago, cum ecclesia & molendino, & cum silvis. Terram etiam Bernardi patris domni Hildeberti abbatis, quæ est in territorio villæ, quæ nominatur Rotoloi, cum molendino & pratis. Trado etiam donatione perpetua quamdam villam, sitam in pago Bajocasino, nomine Versum, cum omni terra, quæ ad eam pertinet, culta & inculta, cum ecclesiis & molendinis omnibus & silvulis, medietatemque villæ Mandreville, quæ huic adjacet terræ. Confirmo insuper donationem matris meæ de Britavilla, quam de suo dotalitio loco superius dicto obtulit pro patris mei, suaque salute & mea meorumque fratrum. Villulas quoque, quas avus meus Willelmus in pago Abrincatino sancto Michaëli tradidit, sed Robertus comes postea vi abstulit: reddo quæ his vocitantur nominibus, Maldrei, Carcei, Marinnei, Curei, Forges, Solinnei, Dummannei, Macei, Scallei, Peleton, dimidium Cromeret, Verguncei, Mannei; sancti Johannis iterum villam, prope litus maris sitam, cum ecclesia & vineis, & molendino & pratis: & villam in valle castelli Moretoin, quæ dicitur Menil-Ranger, do, teloniumque totius abbatiæ, & de mercatoribus venientibus & pertranseuntibus. Monasterium etiam sancti Petri apostolorum principis, situm in latere montis ipsius tribuo, ea lege, ut abbas vel monachi ibidem pro mea meorumque filiorum salute, clericos constituant, quos voluerint. Si quem autem ex illis sordide aut negligenter res sanctæ Dei ecclesiæ tractare perspexerint, potestatem habebunt divinum officium ei interdicendi, & nisi correxerit, eo deposito, alium in illius locum subrogandi. Omnes ad postremum consuetudines ipsius villæ, tam ad me, quam ad Abrincatensem episcopum pertinentes, sicut sanctæ memoriæ pater meus Richardus auctoritate Romani papæ constituit perpetualiter possidendas; tribuo ea ratione, ut in omni successura generatione abbas vel monachi ipsius montis omnes leges omnesque forisfacturas clericorum ac laïcorum virorum ac mulierum ejusdem burgi, absque calumnia cujusquam nostrorum successorum, seu prædictæ sedis episcoporum possideant, & quæque corrigenda fuerint, corrigant. Qui si in aliquo a rectitudinis tramite, quod quidem absit, deviaverint, curamve animarum incolarum loci neglexerint; jam dictæ sedis episcopus, sive Deum timentes vicini in notitiam hoc deferre curent principis, qui illis temporibus Nortmannorum dux fuerit, ad quem deinceps pertineat corrigere ea, consilio Rotomagensis archiepiscopi, ceterorumque optimatum provinciæ. Porro de ordinatione abbatum vel monachorum sive clericorum loci hoc decernimus, ut, juxta quod a supra dicto meo genitore sanctum est generali assensu Romani concilii, monachi sæpe fati monasterii ordinandos sibi eligant, & ut sibi placuerit a quolibet episcopo suæ vicinitatis, aut in illius sede, aut in suo monasterio ordinari faciant. Hæc omnia prænotata Deo sanctoque archangelo Michaëli in ejus prædicti montis monasterio placuit tradere pro meæ redemtione animæ, pro mei quoque patris vel matris & uxoris, filiorumque meorum Richardi & aliorum salute, quorum voluntate consensuque id ago sub testimonio Christi totiusque ecclesiæ, eo tenore, ea lege, ut absque calumniatione seu contradictione omnium succedentium, sive parentum, seu quorumcumque aliorum, præfatus locus & habitantes in eo, habeant, teneant, possideant. Quod si aliquis diabolicæ pravitatis telo jaculatus, qualicumque modo his calumniationis vim inferre præsumpserit, ipse consentientesque sibi, totius excommunicationis atque maledictionis, cum Juda traditore & Dathan & Abiron perennibus perenniter irretiatur vinculis. Ut autem hujus donationis auctoritas verius credatur, & diligentius per omnia servetur, firmiusque teneatur temporibus, manu propria subterfirmare curavi, fideliumque meorum nomina, quorum consensu id egi, subscribi imperavi. Signum † Richardi secundi comitis filii magni Richardi, qui & Vetus dicitur. Sign. † Richardi filii ejus. Sig. Rotberti filii ejus. † Ego Maugisus, sanctæ Abrincatensis ecclesiæ episcopus, hanc donationis cartulam manu propria voluntarie confirmo. † Robertus archiepiscopus. † Hugo episcopus Bajocensis. † Robertus episcopus Constantiæ. † Hugo episcopus Ebroïcensis. † Hildebertus episcopus Luxoviensis. † Niellus vicecomes. † Guinundus vicecomes. † Hubertus. † Osbernus frater comitissæ. †, Hunfredus frater ejus. † Roscelinus. † Normanus Silveron. † Bernardus filius ejus. † Osbernus filius Arsast. † Ranulfus frater ejus. † Hugo clericus, & multi alii.

XXXVII.

Charta Helmoini episcopi pro Flaviniaco. Ad lib. 55. n. 90.

Ex chartario Flaviniacensi.

QUia constat universalis statum ecclesiæ pro meritis subjectorum atque rectorum sumere detrimentum sui, vel incrementum, idcirco cernere est sæpenumero quædam monasteria aliquoties, favente bonorum omnium auspice Christo, multigena augmentatione in dies ad meliora provehi; aliquando vero, adversante illo, de quo Dominus ait: *Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, spargit*, ad deteriora dejici. Hinc est, quod quædam loca, quæ regularis quondam tenore fervoris & temporalis opulentiæ bonis pollebant, nunc statum pristinæ dignitatis amisisse, & pæne funditus eversa esse prospicimus. Quorum ruinæ pastores sanctæ matris ecclesiæ, utpote illius summi Pastoris membra, qui novit ruinosa restaurare, congregare dispersa, pro viribus debent concurrere, ac supplementum sui juvaminis omni sollicitudinis vigilantia exhibere. Hujus considerationis cura instanti pervigil atque sollicitus domnus Walterius Æduorum præsul, monasteria sui episcopatus ditioni subdita, pro Dei amore atque honore, cum regulari beati

Benedicti institutione imbuere, tum etiam bonorum præsentium stipendiis sagaci industria, quantum valuit, studuit augmentare. Cumque his tam piis actibus jugiter indefessus operator insisteret, animadvertit inter cetera quoddam cœnobiolum, Colchas nuncupatum, quod etiam olim magno honore simul & religione floruerat, ita penitus eversum, ut nullus inibi monachorum, nullus maneret canonicorum præter unum, qui ibidem missam celebrare erat solitus, presbyterum. Itaque quia pia intentione religiosaque sollicitudine statui, unde deciderat, illud cupiebat reformare: sed quoniam a præcessoribus ipsius episcopis in beneficio sæcularibus ac potentibus viris erat distractum atque datum, nequaquam absque eorum assensu valebat effectui operam dare; tandem fuit consilii, ut per laudationem Hugonis Cabilonensis comitis, cujus beneficium erat, prætaxatum monasteriolum interim abbati, vel monachis cœnobii Flaviniacensis ad restaurandum committeret, temptaturus in reliquum majora reparationi seu meliorationi ejusdem loci proficua, si id ei, superstite vita, superna concederet gratia. Sed quia vitam illius mors livida nobis abstulit, nec cœpta perfectioni transmittere valuit; idcirco ego Helmoinus Augustidunensis episcopus, successor ipsius, pia hujus cœpti auspicia, quæ isdem domnus Walterius antecessor & senior meus studuit inchoare, cupio, omnipotentis favente misericordia Conditoris, cum consilio & adjutorio jam dicti domni Hugonis comitis, ad finem usque deducere. Cum vero sollicita mentis cura pertracto, qualiter hujus negotii efficientiam meliori fine peragam, illud vel maxime ad hoc opus virium fortitudinem mihi videtur eximere, dum perpendo terras vel ecclesias, ad eumdem locum pertinentes, ita diversis in partibus in multorum beneficio traditas & distractas, ut nullatenus his possint auferri, quorum subjacent ditioni. Quocirca quoniam penitus ita est destitutum atque destructum, quo jam per se sine alterius levaminis solatio nequeat stare; nullum melius invenire potui consilium, quam ut cœnobio Flaviniacensi, quod, miserante omnipotentia Creatoris, sancti Benedicti pollet institutis, quodque nostri episcopii adnectitur sedi, illud perpetuo jure subderem atque conferrem: ut scilicet tam abbas quam monachi ejusdem monasterii per succedentis ævi metas, sub sui reginiminis potestate & dominatione id habeant, restructionemque aut restaurationem ejus agere summo studio procurent. At vero ad peragendum tam laudabile opus, dapsilis liberalitas prænominati domni Hugonis comitis nobis non defuit; sed insuper, ut diximus, quia de ejus beneficio erat, ipse obnixis petitionibus, ut hujus testamentum auctoritatis facerem, postulavit. Cujus favore necnon canonicorum sancti Nazarii, sive aliorum nostrorum fidelium laudatione fretus, necnon venerabilis abbatis Amadei humilis supplicationum precibus adstrictus, statuo atque confirmo per hoc privilegium nostræ auctoritatis, quatinus sine alicujus falsitatis, vel calumniæ jactura sub regiminis dominio patris, seu monachorum prædicti Flaviniacensis monasterii prælibatus locus, sancto Georgio Christi testi dicatus, qui Colchas dicitur, fine tenus permaneat ac perseveret, cum omnibus videlicet, quæ ad præsens inibi haberi videntur, vel in futuris temporibus, tam prælati Flaviniacensis, quam alii homines ibidem donaverint, aut quolibet modo adquirere potuerint. Quod si quis hujus nostræ auctoritatis firmitati aliquo modo nisus fuerit refragari, hic talis perpetuo anathemate multatus eliminatusque a cœtu fidelium, æternæ damnationis subeat supplicium. Actum Augustiduno. Helmuinus episcopus, qui fieri jussit & firmari rogavit. Rotbertus gratia Dei rex Francorum firmator exstitit, filiusque ejus Enricus. Hugo episcopus Autisiodorensis, Lambertus episcop. Lingonensis, Gaufredus episc. Cabillonensis, Beraldus episc. Suessionis, Gauslinus episcopus Matisconensis, Hugo episc. Nevernensis, Aganus abbas, Hugo abbas, Erbertus abbas, Aynaldii archidiacon. Ansisus decanus, Gaufredus abbas, Albuinus præpositus, Guido abbas, Richardus archidiac. Landricus comes, Gerardus Sinemurensis, Otto comes nepos Hugonis episcopi, Walterii signiferi, Tetbaldus comes nepos ipsius episcopi, Raginardi, Ansedei, Lamberti, Hugonis, Firuci, Achedei, Himmarus, Salecherius, Rotgerius, Ayrardus. Anno notati regis Rotberti trigesimo. Guillelmo scribente vice Reginaldi cancellarii.

XXXVIII.

Placitum pro Lezatensi monasterio de Paderianis. Ad lib. 55. n. 93.

Ex archivo Lezatensi.

ANno incarnationis Domini Jesu-Christi sexto ac bis deno post millesimum, orta est contentio inter Aimericum abbatem sancti Petri Lezatensis, & Odonem abbatem sanctæ Mariæ Simorræ pro abbatia sanctæ Mariæ, quam dicunt Paderianis, quæ est insita in comitatu Cominco. Fuerunt autem hi duo abbates die quadam in civitate Tolosana, & ibi inter se fuam ambo dixerunt fidem, ut in judicio abbatum & monachorum regulariter viventium ad alterutrum rectum sibi facerent & statuerent. Statuto vero die conveniunt simul in comitatu Tolosano, die kalend. Martii, feria quinta passionis Domini, in adjacenti villa de Fustiniaco, in præsentia domini Rogerii comitis; & fuit ibi abbas sanctæ Mariæ Crassæ, Stephanus nomine. Fueruntque cum eo monachi Randulfus & Hugo abba, & Bernardus, & Stephanus. Inter eos autem adfuit Oliba abbas ex monasterio sancti Hilarii Carcassensis, monachique cum eo Petrus & Lomarius; abbas namque & grammaticus, nomine Seniorellus, ex monasterio sanctæ Mariæ Soretensi, abbas quoque Richardus sancti Licerii Bigorræ, monachusque cum eo, nomine Aimonius. Principes namque sæculares fuerunt hi, Ludovicus de Samatano, Rogerius, Amelius, & Bernardus, Raymundus de Olona,

Garsias namque Arnaldus de sancta Eisbarra, & alii quamplurimi boni & honesti viri. In suprascripti etiam præsentia Rogerii comitis, & abbatum, & monachorum, principumque reclamavit se suprascriptus Aimericus abbas, cum monachis sancti Petri Lezatensis, id est Guillelmo de Fustiniaco, & quibusdam aliis monachis sancti Petri Lezatensis, de jam dictum Odonem abbatem, eo quod injuste & per vim rapuisset potestatem de supra memorata abbatia sanctæ Mariæ Paderianis beato Petro & sibi. Abbates vero supra scripti interrogaverunt suprascriptum Aimericum abbatem, qualem rectum sanctus Petrus appellaret in supra dicta abbatia. Et ille dixit scire, quia fuit quidam clericus, nomine Asnerius, qui veniens ad conversionem in monasterio sancti Petri Lezatensis, indutus ibi est habitum monachi, & dedit ipsum locum, qui vocatur Paderianis, ad beatissimum Petrum, qui erat tunc silva eremitica; & quando hoc fecit Asnerius, tenebat ipsum locum sine appellatione & inquietudine omnium hominum. Post hoc, ipse Asnerius fuit abbas sancti Petri Lezatensis, & ipse ædificavit & construxit ipsum locum cum adjutorio sancti Petri, tenuitque eum sanctus Petrus cum ipso Asnerio per triginta annos, sine appellatione & commotione ulla hominum. Itidem abbates supra scripti interrogaverunt Oddonem abbatem quid ad hæc vellet respondere. Ille vero ostendit unum locum, in quo scriptum erat, quod Recus quidam abbas sancti Saturnini ipsum locum comparasset ad opus sancti Saturnini, & in ipsum brevem, quem ostendit Oddo, non dicebat quod Recus ullam donationem fecisset ad sanctum Saturninum. Ipse vero brevis non continebat nomen regis, nec scriptoris, & erat invalidus omnibus modis, quia nec habuit, nec tenuit. Judicaverunt vero abbates supra scripti secundum regulam sancti Benedicti, & propter monachum, qui venit in locum sancti Petri ad conversionem, & pro retentione triginta annorum, meliorem esse rectum sancti Petri, quam sancti Saturnini. Oddo vero supra scriptus noluit hunc recipere judicium: supra scripti vero abbates inquisierunt in libros judicum, & in sanctos canones, quod si una ecclesia jus alterius ecclesiæ per triginta annos sine interpellatione possederit, ultra actio non repetatur; quia tempus legum excludit. Sed & hoc noluit recipere. Interea principes sæculares supra scripti judicaverunt Aimerico abbati per rectum judicium, ut ipse per unum hominem dixisset, quod antea habuisset sanctus Petrus de ipsum locum legalem donationem & restitutionem de dominium potestaticum, & meliorem rectum esse sancti Petri jam dicti, quam sancti Saturnini. Oddo autem & hoc noluit recipere. At judices supra scripti dixerunt ei, ut ille istum responsum faceret supra dicto Aimerico, & Aimericus vicissim eum per certamen singulare; & ipse noluit acquiescere. Seniores autem suprascripti, ut viderunt Oddonem jam dictum, quod nec vellet rectum facere, nec recipere, consiliaverunt Rogerio comiti supra scripto, ut potestatem sanctæ Mariæ Paderianis, unde contentio agitabatur, redderet ad sanctum Petrum & Aimerico abbati, & monachis; & ita fecit. Acta est autem hæc definitio mense Martio, anno trigesimo regnante Rotberto rege Francigeno.

XXXIX.

Charta Dudonis abbatis Dervensis pro Stephano de Juncivilla. Ad lib. 56. n. 11.

NOtum fieri volumus omnibus Christi fidelibus, quoniam ego Dudo, licet indignus, abbas Dervensis, breviarium studui facere de territorio Blesensi, quod est sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & venerandi martyris Christi Bercharii, qualiter ad defendendum, & bene ab hostibus custodiendum, Stephano de Juncivilla commissum sit. Quapropter Engelbertus comes Breonensis, habens quamdam sororem, nullius adhuc junctam connubio, cupiensque eam tradere alicujus valentiæ potentiæque viro, placitum inde habuit cum supramemorato Stephano, copulans eam illi vinculo maritali. Hac itaque ratione idem Stephanus peroptans ab ipso aliquid extorquere proficuum, sicut a tali ac tanto domino, quæsivit & impetravit illud tantillum advocariæ Blesensis pagi, quod commissum fuerat Engelberto prænominato comiti. Verum quia sibi parum proveniebat hæc talis advocaria, venit ad me, ultro promittens Deo & sancto Petro, & mihi coram fratribus, & multis aliis, se deinceps melius defensurum terram illam nostram, si sibi gratis aliquid concederemus. cujus confisi promissionibus, annuimus ei per annum de pertinentiis ad eamdem advocariam quadraginta arietes, & totidem porcos, sex prandia & carropera ad palos virgasque ferendas ad opus castri sui, hoc modo, ut mane euntia in vesperis reverterentur. Concessimus etiam sibi de operariis ad laudem suorum & nostrorum hominum. Eo tamen tenore hæc omnia sibi injunximus, ut nihil aliud acciperet ibi; si autem in aliquo levaret amplius, nullum ibi dominium ipse nec ejus posteri haberent. Signum Dudonis abbatis. Sign. Widonis comitis. Sign. Milonis monachi. Sign. Richerii. Sign. Wandelgeri monachi. Signum Tecelini. Sign. Engelberti comitis. Sign. Engelberti. *Ex chartario Dervensi.*

XL.

Charta Hugonis militis, qui partem quamdam foresta sua Dervensibus donat. Ad lib. 56. n. 11.

SAnctæ Trinitatis fidem ego gratia Dei miles Hugo sincera mente complectens, & Sanctorum suffragiis attolli desiderans, adii monasterium in saltu situm Dervensi, constructum in honore beatissimorum apostolorum Petri & Pauli, sanctique Bercharii martyris, quo etiam corpore quiescit; cui venerabilis pastor & abba Dudo præesse dinoscitur, ubi Sanctorum habitationem considerans, & monachorum inibi degentium conversationem Deo dignam esse pertractans, profectum animæ intelligens, si de meo proprio jure ibidem aliquid conferrem. Contuli eisdem fratribus, tum ob amorem prædictorum Sanctorum, tum pro remedio animæ meæ, necnon & genitoris ac prædecessorum successorumque meorum, partem quamdam ex foreste mea, quam solide & absque alicujus pervasoris contradictione usque ad præsens visus sum possidere, centum perticas in longitudine, totidem in latitudine. Dimensionem autem perticæ ipsius ad mensuram pedum viginti & septem protendere volui. Hanc igitur eis partem contrado, ut exstirpare, & quodcumque voluerint, & cordis eorum appetitus fuerit, faciant, & agricultores ad excolendam terram illam constituant; molendinum & cetera, quæ suis usibus necessaria perspexerint, ibidem coaptent. Ecclesiam vero ædificare, & omnem decimam annonæ, quæ infra præscriptum terminum provenerit, & omnium, quæ ecclesiastici juris esse poterunt, eis habere concedo. Pascua animalium infra & extra per campestria & silvestria in meo proprio rure habeant; ligna ad succendendum, & materiamen in diversos usus necessarium, ad domos videlicet construendas & cooperiendas, sine ullo ministrorum meorum xenio in perpetuum possideant. Et si pro tempore fertilitas silvæ occurrerit, & esus glandium vel faginæ fuerit, & ipsi in prædicta villula greges suillos enutrierint vel habuerint; liberum habeant per abdita ejusdem silvæ circumquaque exitum vel regressum. Et si incolæ loci illius porcos suos cum porcis indominicalibus miscuerint, ministeriales monachorum omnem decimationem absque aliqua meorum molestia accipiant. Quod si aliunde venerint, & forensium villarum nostra depasci pascua voluerint, secundum morem regionis consuetum saltus debitum persolvant. Denique præcavens in futuro, & de venturis sollicitans temporibus, ne aliquis iniquorum pervasione sua, hoc sibi quasi pro salvamento usurpare voluerit; consultu meorum fidelium hoc decretum statui, ut præpositus monasterii, qui eidem villæ præfuerit, per singulos annos, non infra, sed extra, mediis scilicet campis, vel silvarum recessibus, non villicus, non rusticorum aliquis, sed ipse præsentialiter ad viginti homines mihi obsonium præbeat. Et hoc ideo ut cum pagenses circumpositi viderint, recognoscant quod ego, qui hoc sancto loco pro remedio animæ contuli, etiam defensionem mihi reservavi. Si quis autem successorum meorum tactu invidiæ inflammatus hoc opus pietatis, quod a nobis constitutum est, dissolvere voluerit, sit alienus a Christo, & ab omni cœtu Sanctorum, & duplici contritione conteratur, videlicet corporis & animæ, sitque pars ejus cum Datan & Abiron rebellium Domini. Verum ut hæc traditio mea stabilis & inconvulsa permaneat, constipulatione testium subnixa hanc firmare volui.

Signum Hugonis, qui hanc traditionis chartam fieri rogavit. Sign. Helizabeth uxoris ejus, Warneri, Hugonis filii ejus, Teboldi filii ejus, Huneberti filii ejus, Mainfridæ filiæ ejus, &c. Data sub die XV. kal. Decembris, regnantibus piissimis Francorum regibus Roberto, & filio ejus Henrico. Actum Dervo monasterio publice, anno ab incarnatione Domini millesimo vicesimo-septimo, indictione decima. Deinde obiit millesimo trigesimo-quinto, v. nonas Octobris. *Ex eodem chartario.*

XLI.

Præceptum Odonis comitis Blesensis pro Majorimonasterio. Ad lib. 56. n. 16.

SI justum esse credimus & christianæ pietati congruum, ut potentes sæculi hujus de propriis facultatibus, quas a prioribus suis jure hereditario possidendas per legitimas successiones suscipiunt, ecclesiis Dei famulantibus, unde sustententur, tribuant; nimis a justitiæ linea discrepare censemus, si non ea, quæ a domo Dei antiqua iniquitas injuste abstulit, nos divino perculsi timore, juste ei restituamus. Qua ego Odo comes recta consideratione animatus, pro animæ meæ atque uxoris redemtione, & filiorum meorum incolumitate restituo sancti Martini ecclesiæ, quod Majus-monasterium dicitur, per deprecationem Ebrardi abbatis, monachorumque ipsius loci, ecclesiam quamdam in pago Blesiacensi sitam, quæ Chilziacus nominatur, quam ipsos olim jure tenuisse liquet, sed sæcularium hominum violentia perdidisse. In hujus autem pietatis operatione Alanus, Britannorum comes clarissimus, & Eudo frater ejus, qui de me prædictam ecclesiam in beneficio tenebant, pro lucro æternæ hereditatis consenserunt. Et ut hæc descriptio majorem per tempora obtineat vigorem, præsente Hainrico rege ejusque fidelibus & nostris, manu propria, præmisso ejus signo, eam subterfirmavimus, manibusque nostrorum fidelium corroborandam tradidimus, quorum nomina hæc subterscripta continentur. Signum Hainrici regis. Sign. Adam Melidunensis. Signum Alberti filii Rainaldi vicedomini. Sign. Gaucelini. Sign. Manassæ comitis. † Sign. Odonis comitis. Sign. Eudonis comitis. Sign. Guigonis. Sign. Hoelli. Sign. Alfredi. Sign. Jungonei Britannorum archiepisc. Sig. Guarini episcopi Redonensis. Signum Manfiniti. Sign. Guanilonis thesaurarii. Sign. Gelduini. Sign. Erivei fratris ejus. Sign. Nivelonis. Sign. Ansel. Sign. Gauzcelini. Signum Hugonis fratris ejus. Sign. Dotuini. † Sign. Gradulfi præpositi. Sign. Aymonis fratris ejus. Sign. Rainaldi. *Ex archivo monasterii.*

XLII.

Notitia de fundatione prioratus de Veteri-vico. Ad lib. 56. n. 16.

NOsse debebitis, si qui eritis posteri nostri, hujus scilicet Majoris habitatores monasterii S. Martini, quod vobis tradere pergimus chartæ monimento istius. Unebaldus olim quidam honoratus ac nobilis, Virsonensis castri possessor in pago Biturigensi, inter cetera, quæ in Carno- *Ex eodem archivo.*

tenſi pago poſſidet alodia, ibi obtinuit quædam, quorum caput, hoc eſt villa principalis, Vetus-vicus appellatur, & his undique finibus omnia limitantur: ab oriente Lido fluvio, ab occidente a ſilva ſcilicet, quam Perticum vocant, Carnotenſium ſancti Martini canonicorum quadam terra, quam Chaſcentum appellant: a meridie Verlena fluvio: ab aquilone Tironio. E quibus ſcilicet alodiis, quatuor tantum manſionilia pater Unebaldi illius, nomine & ipſe Unebaldus, dederat olim Carnotenſi eccleſiæ ſanctæ Mariæ, nuncupata ſic, Malverolias, Franciſcas, Rancoſas, Manſum-Sichardi. Cetera ille Unebaldus, Unebaldi filius, primo cum fratre ſuo quodam Ermemaro, dehinc ſolus jure quieto, quoad vixit, partim in proprium tenuit dominium, partim ſuis hominibus de ſe tenenda donavit. Poſt obitum quoque ſuum hereditario tenenda jure ſuis eadem dimiſit heredibus, qui fuerunt Unebaldus, Gauffridus, atque Rotbertus, qui propriam poſtmodum ſororem honorato cuidam, nomine Gauſcelino, cognomento Normanno, tradentes uxorem, partem ſimul aliquantam illorum tradidere alodiorum. Reliqua etiam ſuis, ut ſibi viſum eſt, hominibus de ſe tenenda diſtribuerunt. Qui tamen non ſolis contenti conceſſis, longe manentibus principalibus dominis, extra ſibi debitum, quantum viſum eſt cuique, occupavit impune. Interea bellis ſæpius in hiſce regionibus frequentatis, in invia ſupradicta terra redacta ſolitudine, annis nihilominus ſeptem & cultore omni caruit & incola, uno tantum, necubi veritas offendatur, inhabitante excepto, non tamen aliquo terræ cultu, ſed mellis quæſtu ſilveſtris, volucrumque atque ferarum vivente venatu. Fuit hic nomine Gualterius, Mala-opera cognominatus. Inter hæc Unebaldo jam dicto heredum primo Unebaldi illius, quem primitus ſupra nominavimus, monachicam ſubeunte vitam, honor ex integro paternus in manus devenit Gunfredi fratris illius. Nam junior illorum Rotbertus jam & ipſe eidem ſe ſe ſubdiderat vitæ. Quod ipſum facere cum Gaufrido quoque poſtea placuiſſet, atque ad ſuſceptionem hujuſce propoſiti noſtrum iſtud monaſterium delegiſſet; dono Gaufredi iſtius, & auctoramento Unebaldi illius atque Rotberti, deſcripta ſuperius alodia in jus noſtri devenere dominii, auctorizantibus quoque filiis eorumdem ac filiabus, pariterque nepotibus ita nuncupatis, Arnulfo, Unebaldo, Gaufredo, Rotberto filiis Gaufredi: Hildeſinde, Richilde, filiabus ipſius: Waningo, ... nepotibus ejuſdem de prædictis filiabus: dehinc Unebaldo Rotberti filio, ejuſdemque filiabus Hildeſinde atque Letgarde, & ex eiſdem filiabus genitis nepotibus ipſius . . . His ita obtentis, cum ab omnibus etiam qui ſæpe fata alodia, vel prædictorum dominatione virorum, vel uſurpatione propria obtinebant, ſingulorum quorumque partes partim pecunia redemiſſemus, partim dono ſuſcepiſſemus, de quibus ſingulis litteras notificantes habemus; cumque aliquos ex fratribus noſtris ad excultionem direxiſſemus terræ illius, atque inſiſtentibus ipſis, & excoli diligenter cœpiſſe & incoli; vetus illud malum, quod inter mortales quoque non moritur, mox emerſit invidia. Canonici ſiquidem Carnotenſis eccleſiæ ſanctæ Mariæ, ea ſibi omnia reclamanda putantes, calumniam nobis ſuper his intulere. De qua re cum ad placitum venire differentes, diu multumque nos fatigaſſent, venerunt tamen, atque in ſuo ipſorum capitulo, præſente Agenerto epiſcopo, quid juris erga illa reclamarent alodia perquiſiti, aliud prorſus nihil oſtendere valuerunt, quam inter nomina defunctorum, quorum ſolebant agere memorias, Unebaldi cujuſdam nomen cum iſtiuſmodi annotamento interſitum: Nonis Februarii obiit Unebaldus miles, qui res proprietatis ſuæ, quas habebat in pago Carnotenſi, reliquit ſanctæ Mariæ. Hunc igitur fuiſſe aſſerentes Unebaldum Virſonenſem, non primum, ſed ſequentem, Ermemari ſcilicet fratrem; quicquid ille in pago poſſederat Carnotenſi, ſuo conclamabant competere juri, cum tamen ab ejuſmodi repetitione annis ſiluiſſent amplius quam triginta, nimirum a diebus Rodulfi Carnoteni quondam epiſcopi, qui Unebaldum illum, ut habetur cognitum, tradidit ſepulturæ, aduſque tempora tunc præſentis illius, quem ſupra taxavimus, Agenerti, inter quos Fulbertus & Theodericus eidem epiſcopatui præfuiſſe noſcuntur. Sed acceſſit ad iſtud apertiſſima comprobatio reclamationis injuſtæ: quia videlicet nequaquam nonis Februarii, ſed XV. kal. Novembris obitus exſtitit junioris illius Unebaldi. Verum cum ne ſic quidem confutata conquieſceret calumnia, ſupra nominatus Arnulfus, unus de filiis Gaufredi filii ipſius Unebaldi, pertinaciam calumniatorum conſuetudinario duello convincere parat. nec illis autem id refugientibus, jamque præſto factis utrimque condicta die campionibus, viſum eſt interim rem eſſe reſpectandam: quo & diligentius inquireretur, &, ſi poſſet fieri, pacatius finiretur. Nec fefellit iſta proviſio. nam & ſuum illum defunctum, quem fuiſſe aſſerebant Unebaldum Ermemari fratrem, non hunc exſtitiſſe, ſed ipſorum fratrum patrem: eumque propter donationem manſionilium ſuprataxatorum, illorum defunctis cum annotatione illa interſitum compertum nobis eſt poſtea; & cauſa belli cum pace finita. Habito ſiquidem de his alio deinceps placito, in feſtivitate ſcilicet ſanctæ Mariæ, (nam ſuperius illud circa pentecoſten eſt habitum) primo quidem judicatum eſt duabus invicem eccleſiis, pro rebus ſuis non eſſe bellandum. Dehinc nobis qui veſtiti hinc eramus, de quibus canonici nullam umquam inveſtituram ſuam, neque factam ſibi donationem aliquam, nec ullum litterarum hominumve teſtimonium monſtrare valebant; ſolito candentis ferri judicio eſſe probandum, rectius nos illa debere alodia poſſidere dono filiorum Unebaldi, quam illos jure ullo, aut ulla ratione probabili. Ad quod agendum, e noſtris mox hominibus tradidimus unum, nomine Rodulfum. quo debita parato die, calefacto etiam ferro, quod præſto erat ipſe portare: inito tandem ſaniori conſilio, tractare inter ſe cœperunt, tam epiſcopus quam ceteri canonici, non tantum in divina ſibi nos eſſe propinquius religione conſortes, verum utroſque in participandis invicem eccleſiaſticis illorum redditibus & noſtris orationibus fratres, nec debere eſſe diutius aliqua ſimultate diſcordes, maxime ſi exigere a nobis pro rebus noſtris probamentum tale perſiſterent. quibus juſta conſideratione perpenſis, probationem illam ne fieret remiſerunt, reclamationem rerum illarum extunc & in perpetuum dimiſerunt: atque ita favente Deo, ab utraque parte concorditer eſt & cum pace diſceſſum. Totius rei geſtæ teſtibus iſtis. De canonicis ſanctæ Mariæ Hugone decano, Arnulfo cantore, Hildegario ſubdecano, Sigone archidiacono, Ivone præpoſito, Gerogio filio ejus, Ingelranno cancellario, Fulcherio archidiacono, &c. Landrico abbate ſancti Petri. De militibus, Hugone vicedomino, Gauſlino, Gauſcelino de Fredana-villa, Huberto Mordente, Huberto Dunenſi, Anſaldo de Mongervilla, Galterio de Puteolo, &c. De monachis ſancti Martini, Radulfo monacho, Gentione monacho, Gausfredo monacho, &c.

XLIII.

Ad lib. 56. n. 17.

Ex archivo Cormaricenſi.

Notitia pro Cormaricenſi monaſterio.

MArricus de Nuecaſtro habuit amicitiam & ſocietatem cum abbate Richardo & monachis ſancti Pauli, multiſque modis, quoad vixit, locum honoravit; unde nimia familiaritate poposcit a monachis, ut ſi quando in feſtivitate ſancti Pauli in refectorio manducare vellet, conſentirent. Quod & fecerunt: & ipſe propter hunc honorem eo die dabat illis unum ſturionem. Sicque vivens locum dilexit, ut ſe ibi ſepeliendum, omneſque ſuos heredes pacto ſtatuerit. Illo autem defuncto, & a monachis honorabiliter ſepulto, Marranus filius ejus, ſicut in honore patris ſucceſſit, ita incœptum amorem erga locum ſancti Pauli, abbate tunc Roberto, qui Infernus dictus eſt, ſervavit; & patris ſuumque beneficium ſervare volens, quamdam terram, quæ prope Cormaricum eſt, ſcilicet Montem-caninum, ſicut Leobinus in clientelam tenebat, planum & nemus, colibertos & colibertas, totum ita, ſicut poſſidebat, daturum ſe promiſit: ſed ipſe prius quam perficeret, vitam finivit. Guanilo autem filius ejus, patris honore ſuſcepto, terram illam ſibi tenuit, & contra voluntatem monachorum uxori ſuæ in dotem dedit. Poſtea crevit illi neceſſitas ſicut de terra perdenda, venitque ad abbatem Robertum Andecavenſem & monachos, & rogavit eos, ut quomodo poſſent guadus & pecunia ſuccurrerent, & ille redderet eis terram, quam a patre ſuo dicebant ſibi promiſſam. Hac itaque convenientia dederunt illi monachi XVIIII. libras denariorum, & ipſe tradidit eis terram, & ipſo vivente tenuerunt poſt illam quindecim annis: ad finem vero ſuum, quando mori debuit, & fecit, iterum decem libras denariorum monachi illi dederunt, ubi Walterius prior & Iſembardus monachi fuerunt, quando vidente & concedente fratre ſuo Cleopa, terram totam & nemus & colibertos, & quicquid umquam ibi habebat, ſancto Paulo & abbati Guidoni, & monachis donavit pro anima patris ſui & ſua, ſuæque uxoris, quæ hanc terram in vita ſua habeat, & Leobinus fevum ſuum de domina ſua teneat, niſi monachi tale placitum cum ea fecerint, ut illa in vita ſua dimittat: ſin autem, poſt illius obitum monachi teneant, & Leobinus ab eis, ſalva fidelitate abbatis & monachorum. Huic donationi & conceſſioni Guanilonis iſti affuerunt, Cleopas frater ejus, Urbertus preſbyter, Leobinus, Ernaldus, Martinus miles.

Defuncto Guanilone, & ſubſtituto in honore fratre illius Cleopa, idem poſt Cleopas condonavit honorem ſuum Goffredo de Senuziaco nepoti ſuo, & Erkiſo Cheronio, qui habebat neptem ſuam illius Goffredi ſororem: & mandavit eis, ut ſicut illos faciebat honoris heredes & ſucceſſores, ita eſſent illi donationis hujus, ſcilicet de Montecanino, integræ, ſicut ſuperius ſcriptum narrat, auctores, ut & beneficii fierent participes. qui libentiſſime dictis illius conſenſerunt, & hanc donationem, ſicut charta narrat (lecta eſt enim coram eis) & conceſſerunt, & fieri beneficii participes conſenſerunt, & ſigno ſinguli, ſicut dicemus ubi & quando, firmaverunt.

Gofredus de Secunziaco fecit ſuam conceſſionem uno cultello, quem miſit in manu Gofredi monachi ſancti Pauli, & humiliter oſculatus eſt ei manum apud ſanctum Chriſtophorum, in clauſtro monachorum ſancti Florentii, & fecit in ſcripto ſignum ſuum, & habuit quinquaginta ſolidos in teſtimonium: & hi viderunt & audierunt, Aimericus monachus, Gerardus monachus, Girardus preſbyter; Ulgerius major de Aziaco; Aldegarius de Monte-baſonis, Iſembardus major, Ingelbertus, &c. Irviſus autem fecit ſuam firmationem caſtro, quod Haya dicitur, ubi fuit uxor illius Agatha: & ambo ipſi monachi qui affuerunt, Goſberti ſcilicet, cultello conceſſionem fecerunt, & filii eorum, quorum unum pater Rainaldum, alterum vocabat Goſbertum, centum ſolidos & duodecim denarios habuerunt, & ſigna ſua in ſcripto fecerunt; & hi teſtes adfuerunt, Petrus de Belliloco, qui chartam legit, Hubertus de Modo, Girardus de Lupanno, Wido de Solumniaco, Goffredus filius Odonis Briſa-haſtam. Poſt hoc iterum venit Irviſus Cormaricum, & aſtantibus multis, tam monachis quam laïcis, quos nominabimus, uno cultello poſuit ſuper ſancti Pauli altare hujus rei conceſſionem, pro ſe & uxore ſua, & filiis. Quicumque hoc beneficium cuſtodierit, & hanc chartam defenderit, æternum Domini noſtri conſequatur gaudium, &c. Huic noviſſimæ conceſſioni affuerunt Iſembardus, Aaron, Gedeon, Mainardus, Beringerius monachi, &c. Cum Irviſo Guido de Solumniaco, & Goffridus Briſa-haſtam milites ſui.

Conceſſionem Arraldi nepotis Guanilonis, qui & proximus eſt genere, & in honore tertius,

habemus dicere, ſicut & ceteras, & ubi facta ſit dicemus, & teſtes qui affuerunt nominabimus. Igitur jam dictus Arraldus venit Cormaricum die exaltationis ſanctæ Crucis, & in capitulo monachorum hanc donationem totius terræ & ſilvæ, & hominum & ſevi Leobini, integerrime, ſicut ſuperius dictum eſt (lecta eſt enim ipſo audiente hæc charta) conceſſit, & ſigno ſuo firmavit, & ſocietatem ſuam in ſuo loco taliter accepit, ut & ſi voluerit fieri monachus, cum eo quod dedit, ſuſcipiatur. Sin autem, unum de filiis ſuis in locum ſuum mittere, eodem monaſterio accipiatur. Quod ſi neutrum horum fecerit, mortuus a monachis ſepeliatur: & hoc facto venit in monaſterium, & propria manu hanc chartam poſuit ſuper altare, & ore proprio cunctis, qui aderant, audientibus dixit ſicut audierat, & in charta ſcriptum omnia concedere. Et abba & monachi illi quinquaginta ſolidos dederunt, & ipſe pepigit ſe uxori ſuæ & filiis hanc donationem facere firmare. Et quos teſtes promiſimus, clericos & laïcos, qui hoc viderunt & audierunt, nominamus: Rainaldus archipreſbyter, Emericus major, Joſbertus hoſpitalarius, Raibertus cellarius, Girardus cæmentarius, Hubertus ſecretarius, Rainaldus cuſtoditus, Mainardus cubicularius, Leobinus, & alii multi cum Arrardo fuerunt, Herveus, Goffredus de Montefoleti.

Poſt mortem Bellæ uxoris Guanilonis, Irviſius hanc chartam ſibi faciens exhiberi & perlegi, & non audiens ibi nominari quamdam domum, quam ille vivens tenuerat in Cormarico, dixit ſuam eſſe, quia non erat ex ſupradicto dono. Monachi e contra proteſtabantur eſſe. Res venit ad judicium ſemel & iterum, cui ille non credens, conquerebatur ſe inique judicari, injuriam ſibi a monachis fieri. Hinc alterutrum ſe diutius tergiverſantes, tandem ſic pacificati ſunt, monachi centum ſolidos illi dantes, quorum Irviſus quatuor libras, filius vero ejus decem ſolidos, & duo minores alios decem habuerunt. Et ſic in capitulum veniens cum duobus filiis ſuis, omnem prorſus calumniam cunctorum in hac donatione exiſtentium, abſque ulla retentione dimiſit, & ſuper altare pater & filii propria manu donum poſuerunt. Et iſti ſunt teſtes qui audierunt & viderunt, ex parte Irviſi, Petrus filius Lamberri de caſtro, quod dicitur Haya, Adamorus de Burnanio; de noſtra parte Beringerus de Curio, Rainaldus Qui-non-dormit, Aimericus major, &c. pluresque alii, quos longum eſt ſcribere.

Poſtea vero, quia Aimericus Spolardus minor ejus filius huic conceſſioni in capitulo factæ non interfuerat, miſimus ad Nugaſtrum * Arraudum monachum, Guanilonis nepotem, ut hanc ipſam donationem, ſicut pater ejus & fratres fecerant, per omnia confirmaret. Monacho itaque dante huic Spolardo duodecim denarios pro conceſſione facienda, authorizavit donationem per omnia, ſicut pater ejus & fratres fecerant, in domo Bellæ Guanilonis ſponſæ, videntibus patre ſuo Irviſo, & Simone Arraudi filio, Johanne quoque filio de Inſula, & fratre ejus Goffrido clerico, Viviano, Borchardo, Garino de Reliaco, Bertramno de Valenciaco, Adamaro de Burnonio, Bernardo de Voo, &c.

* Noaſtre.

XLIV.

Donatio eccleſiæ ſancti Symphoriani de Aſiaco.

QUicumque ob divini cultus honorem Dei ſervis reverentiam exhibuerit, &c. Notum eſſe volumus, quoniam homo quidam fuit nobilis, religioſus valde, Goffredus nomine, filius Amalrici ex caſtro Inſulæ, qui habuit quamdam eccleſiolam, ſuper fluvium Agneris ſitam, in honore beati Symphoriani martyris dicatam atque conſecratam, quæ penitus ita erat deſerta, & in nihilum redacta, ut potius videretur commoratio ferarum quam hominum. Nam ferunt viri veridici reperta eſſe inibi cubilia luporum & murium atque volucrum, dicitur autem Aſiacus. Hanc itaque memoratus vir cum reditibus ſuis, id eſt, ſepulturam & decimam, & terraticum, necnon & terram, in qua ipſa eccleſia conſiſtit, ab omni ullius calumnia & dominatione liberam dedit cœnobitis ſancti Pauli Cormaricenſis monaſterii, quibus præerat Robertus abbas. Poſt hæc autem dedit unum molendinum infra alveum Agneris locatum, & aquæ medietatem, quæ juxta aquam cujuſdam Burchardi militis, & ipſa aqua protenditur uſque ad molendinum, Villæ Parciaci dictæ, &c. Quam conſuetudinem & omnia delegavit Deo & ſancto Paulo ſibique ſervientibus, auctoritate & roboratione ſeniorum ſuorum, id eſt Odonis comitis, & filiorum ejus Thebaldi & Stephani, & Hermengardis comitiſſæ, Arnulfi quoque archiepiſcopi Turonenſis, & Hugonis Inſulæ caſtro nunc præſidentis, & Aimerici fratris ejus, & Ernaldi & Johannis, & Burchardi, & Walterii, & Goffredi, & Guanilonis theſaurarii. Goſcelinus præterea Pictavinus, qui eidem Goffredo propinquitatis jure in honorem ſucceſſit, in conventu totius congregationis ſancti Pauli, cum ſocietatem atque abſolutionem pro quibuſdam contra ſanctum Paulum male geſtis operibus, una cum uxore ſua Arimburga, & filiis Willelmo, Goſberto & Goffredo accepiſſet, cuncta quæ ille conceſſerat, redonavit, & donationem propria manu ſuper altare ſancti Pauli poſuit.

XLV.

Conradi imperatoris diploma pro monaſterio Deus-Louvart.

Ad lib. 56. n. 40.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Conradus, divina favente clementia, Romanorum imperator auguſtus. Quoniam hoc noſtri eſſe officii, &c. notum eſſe cupimus, quod nos, interventu ac petitione dilectæ conjugis noſtræ Gillæ imperatricis auguſtæ, & Henrici unici filii noſtri regis, necnon Ramberti Virdunenſis eccleſiæ venerabilis epiſcopi, quoddam monaſterium in honorem ſancti Laurentii martyris conſecratum, ſitum in loco Gellani montis juxta caſtrum, quod dicitur Deus-Louvart, in pago Scarponenſi, in comitatu Richiani ab anteceſſore ſuo beatæ memoriæ Heimone a fundamento conſtructum, &c. ſed quod idem monaſterium ſuper proprietatem poteſtatis ſancti Germani de monte Falconio erat conſtructum &c. Primicerio Dudone recipiente, abbate de loco ſancti Germani quod poſtulabat per concambium &c. Clerici inibi famulantes &c. epiſcopo vero Virdunenſi ſint ut domino ſubjecti, ac epiſcopo Tullenſi ut proprio paſtori ſubjecti, necnon Dudoni primicerio ejuſdem loci auctori &c. nonam decimarum, &c. hæc omnia epiſcopus Heimo tradidit, & ejus ſucceſſor Rambertus concedenda roboravit. Præterea præfatus inſtitutor loci & poſſeſſor, Dudo ſcilicet primicerius, hæc, quæ inferius annotata leguntur, de ſuo proprio &c. tradidit &c. hæc bona data &c. præfato monaſterio confirmamus. Et ut hæc confirmationis noſtræ auctoritas &c. inſigniri. Signum domni Chuonradi invictiſſimi Romanorum imperatoris auguſti. Udalricus cancellarius ad vicem Aribonis archicancellarii notavit. Data VI. non. Maii indict. ..... anno dominicæ incarnationis mill. XXVIII. imperii vero ſecundo. Actum Aquiſgrani feliciter, amen. anno autem domni Chuonradi II. regni IIII.

Ex archivo Mettenſi.

XLVI.

Ad lib. 56. n. 49.

Ademari Cabanenſis epiſtola de apoſtolatu ſancti Martialis.

Ex ipſo, ut videtur, autographo D. C. Baluzio communicato.

DOminis glorioſiſſimis atque præcellentiſſimis paſtoribus ſanctæ eccleſiæ, Jordano Lemovicenſi epiſcopo, atque Odolrico grammatico doctiſſimo abbati monaſteriorum beati Martialis apoſtoli, necnon & reverentiſſimis patribus philoſophicis ſtudiis liberaliter inſtructis Rainaldo ſedis Lemovicæ levitæ, & Alberico & omnibus protomartyris beati Stephani eccleſiæ canonicis: Aimerico & Petro perito architecto, ac Geraldo decano atque Adalardo, necnon ceteris omnibus ſupradicti apoſtoli monachis: Engelrico & fratri ejus Teotardo grammaticis, ſedis Anicienſis beatæ Mariæ matris Domini eccleſiæ canonicis: Wernoni grammatico, beati Petri apoſtoli Belliloacenſis eccleſiæ monacho: Geraldo ſancti Auguſtini Lemovicenſis monaſterii abbati, ſed & cunctæ congregationi ejus: Rotgerio ſanctæ Valeriæ Cambonenſis cœnobii præpoſito: item Geraldo viro doctiſſimo Sollempniacenſi abbati & omnibus monachis ejus: Arnaldo Rothenenſi epiſcopo: Theoderico grammatico Metenſi epiſcopo: Conegundi Romanorum auguſtæ: Cononi Cæſari auguſto imperatori: Willelmo grammatico orthodoxo & potentiſſimo Aquitanorum duci: Johanni Romano papæ, Ademarus Egoliſmenſis preſbyterorum ultimus, rectæ fidei regulæ per omnia obſervantiam, in fide, ſpe & caritate Domini noſtri Jeſu-Chriſti unigeniti filii Dei ſecundum ſanam apoſtolorum doctrinam. Nolo vos mirari eos, cum quibus numquam locutus ſum, adhuc de apoſtolo Martiale, tres tantum dico, papam videlicet ac cæſarem, atque Aquitaniæ ducem, inter nomina veſtra me intermiſcuiſſe, cum ſi forte hæc ad eos pervenerint, opto ſerenitatem eorum his veris aſſertionibus arridere. A vobis quidem non ſine grandi exultatione finito concilio Lemovicenſi quarto die menſis Auguſti abſceſſi, revertens ad Egoliſmam civitatem, ubi ab ipſa tenerrima puericia hactenus, ætate quadragenarius, vitam in monaſterio beati Eparchii tranſigo. Exultabam enim vos incongruam inolitam erroris cauſa ab anterioribus clericis Aquitaniæ negligentiam, qua parvi pendebatis ſanctum apoſtolum Dei Martialem, non aliter quam unum de modernis confeſſoribus, aut junioribus modernis epiſcopis, modo per Dei gratiam reſpuiſſe, & de eo quod antiquus & naturalis apoſtolus ipſe beatus Martialis, ſicut atteſtatur antiqua traditio patrum noſtrorum, & aſſertio vera Græcorum, veritatem potius recuperaſſe quam inchoaſſe. Vobis enim quatuor ſolummodo nunc ſpecialiſſime loquor, pontifex Jordane, Odelrice abba, Rainalde atque Aimirice. Itaque me cum abbate Amalfredo & cunctis fratribus & cum epiſcopo Rohone in Domino de gloria veritatis beati Martialis apoſtoli gratulante, ſubito hoſtis antiquus per ſuos ſatellites amaritudine anxia obnubilavit præcordia mea, ut mallem mori quam vivere, & optarem pennas ſicut columba habere, quibus mox volarem ad vos & requieſcerem. Imitabamur veſtrum, immo antiquiſſimorum patrum veterem, bonum & laudabilem morem in lætaniis & in omnibus diurnis agendis de eodem ſancto Apoſtolo: & ecce ſerpens veternoſus omnia hæc, quæ ad laudem Dei & profectum ſanctæ eccleſiæ bene fuerant ab autenticis viris inchoata ac potius recuperata, perturbavit; ac præter me ſolum & Gauzbertum veſtrum, omnes a veritate averſi ſunt. Nam ego pro veritate uſque ad mortem libenter decertare feſtino, ſciens utilius eſſe ſcandalum naſci quam veritatem deſeri; & neque mors, neque vita, neque inſtantia, neque futura, neque angeli, neque principatus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poterit me ſeparare a caritate & veritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro & in Martiale ejus apoſtolo.

Duo itaque ex nobis veſte tantum & nomine non actibus, neque moribus monachi, quorum nomina intra cœpta inſerere ſacrilegum duxi, in hoc Septembri menſe ſine benedictione a monaſterio ſuo ad Lemovicenſe territorium, quod dicitur Buxeria, devenientes, ibi a ſerpente antiquo infeliciſſime corrumpi ſe permiſerunt, draconis veneno a quodam ſcilicet Longobardo hæretico, monachico quidem ſcemate induto, verum non monacho, ſed diabolo. Nec adtenderunt a falſo propheta, qui a Cluſa Longobardenſi venit ad Aquitaniam in veſtimentis ovium,

intrinsecus autem est lupus rapax. Ipsum Dei archangelus Michaël & angeli ejus a facie Dei projiciant, ut non valeat cum suo rege dracone in ecclesia catholica, neque locus ejus amplius inveniatur in cælo; ut magna vox sanctorum audiatur in cælo, quod est ecclesia præsens, dicentium: Nunc facta est salus & virtus & regnum Domini nostri & potestas Christi ejus, & gloria ac veritas apostolorum ejus. Ideo lætentur cæli & qui in eis habitant. In concilio sane Lemovicensi lingua sapientium, qui vos estis, ornavit scientiam; ad Buxeriam vero os fatui vino, immo veneno madefacti serpentino ebullivit stultitiam. Vos enim in caritate radicati & fundati, per caritatem patientes, benigni, non æmulantes, non agentes perperam, non inflati, non ambitiosi, non quærentes quæ vestra sunt, non irritati, non cogitantes malum, non gaudentes super iniquitatem, congaudentes autem veritati, manifestare curastis populo veritatem, quia Martialis ipse est naturalis apostolus, non, sicut canes oblatrantes dicunt, novus, sed antiquissimus atque per omnia a Christo post XII. apostolos priores electus; & non solum apostolus, sed etiam Christi in carne discipulus, & beati Petri principis apostolorum condiscipulus. Majus est enim esse in carne discipulum Christi, quam apostolum post ascensionem Christi. Multos enim nemo peritus ignorat fuisse pseudoapostolos & veritatis apostolos post ascensionem Christi, qui nequaquam fuerunt tamen in carne discipuli Christi: & licet quatuor evangelistæ de eo taceant, quippe qui summatim facta Domini perstrinxerunt, tamen liber gestorum ejus conscriptus a discipulo ejus Aureliano, a catholica semper ecclesia susceptus, sufficienter a principio memorat gratiam apostolatus ejus. Langobardus vero quidam, Hebionita potius quam cœnobita, ipso suo nomine indignus, qui congruentius censeri debuisset maledictus per veritatem, quam benedictus per falsitatem, in Buxeria ecclesia hospitatus, blasfemias non solum in apostolum Dei Martialem, verum etiam in ipsum Filium Dei nefandas in conventiculo monachorum Egolismensium & Brantosmensium & presbyterorum Lemovicensium, qui propter nativitatem Dei-Genitricis ac perpetuæ virginis Mariæ festivi advenerant, evomere non timuit. Et veluti Arriomanitis & Fotinianis ac Manichiis & ceteris a Deo alienis hæreticis mos est, ut sint loquaces multum & volubili linguarum rotatu perfaciles; (hoc enim solum proprium est hæreticorum, quatinus brutos auditores suos, quia simplici veritate nequeunt, saltim mirabili & figurata garrulitate, dum in eis eloquentia non sapientia miratur, elidant in foveam erroris:) dicaciter omnibus vestram auctoritatem, male imputare cœpit, vituperans eos, quicumque vestro jussu in beato Martiale apostolicas orationes receperant, quicumque ejus nomen in lætaniis in ordine apostolorum ante martyres recitabant: asserens omnes in vanum orare qui eum prædicabant apostolum, talesque orationes & lætanias nihil nisi in peccatum valere detestabiliter oblatrabat; & huic rei consentientes anima & corpore jam damnatos esse more astuti serpentis insibilabat. Missas beati apostoli, quas pastor noster venerabilis Odolricus presbyteris largiri jusserat, pro luto esse, & omnes igne debere comburi. Beati, inquit, apostoli tui talis missa lutum est, in vanum est, & similiter est quasi super altare quis lutum terræ superponat; hæreticos esse qui eas recitant; Aquitaniam fœdatam tali & tanta hæresi; episcopos Aquitaniæ rusticos, qui jam antea, quando hanc hæresim primitus audierunt surrexisse, non concilium mox congregaverant, totumque locum sancti Martialis non excommunicaverant & abhominati non fuerant, prohibentes in eo . . . sacrum ministerium & divinum officium: Odolricum abbatem parum intelligere litteras & parum doctum esse, sed coram rusticis fingentem se sapientem: monachos sancti apostoli idiotas, & nullam sapientiam litterarum in eodem monasterio: ipsum abbatem & ejus monachos falsum apostolatum erexisse causa pecuniæ qua abundant, & causa elationis ac superbiæ: ipsos esse vitiosos, superbos, æstimantes se solos admirabiles & omnibus congregationibus monachorum superiores quasi reges; cum aliis loqui dedignantes, inhospitales, omnes spernentes; non esse ausos pro hac re concilium erigere, nullam auctoritatem posse monstrare, sed in abscondito ac si falsam monetam falsum, &, ut verbo ejus utar, contrafactum apostolum facere. Ego, inquit, sum valde peritus litteris, ego contradico eis, ego affirmo sanctum Martialem non esse apostolum ullo modo. Ego dico vitam ejus totam falsam, ipsum affirmo numquam fuisse in carne discipulum Christi, nullo modo fuisse ad cænam, nullium obsequium Domino præbuisse ad abluendos pedes; Dominum solum cum solis XII. illam cænam fecisse; verba quæ in cæna locutus est, solis XI. dixisse filio perditionis exeunte; nec Mariam matrem Domini, neque alium aliquem ibi interfuisse. Ipse, inquit, Jesus posuit vestimenta sua, ipse præcinxit se linteo, ipse misit aquam in pelvim, nullumque ministrum habuit. Ego, inquit, prælium faciam; quod sanctus Martialis non est apostolus, si aliquis mihi contradixerit. Ego paulo ante fui Lemovicas, quando propter timorem episcopi, ne eos pro hac re excommunicaret, & ut furtivo eorum apostolo assentiret, illi monachi deportaverunt ipsum contra-factum apostolum ad sedem. Ibi canonici sancti Stephani, quia sciebant me valde sapientem, secreto rogabant me, ut destruerem hunc apostolatum, & in capitulo sancti Stephani temptaverunt mecum contendere illi stulti & inlitterati monachi, qui hoc furtim invenerunt: sed statim obmutuerunt verecundati & timore perterriti, & nullam auctoritatem potuerunt mihi pandere nec in veteribus libris alicubi, vel in Lætaniis veteribus cum apostolum prædicari. Et dum quidam Ademarus, qui aliquid grammaticæ artis videbatur scire, quique hanc hæresim primus, & plus causa adulationis, ut placeret abbati & monachis, corruptus quoque pecunia ab illis, sine ulla veterum auctoritate condiderat, suadens, brutis & stultis recte eum prædicari apostolum; disceptare vellet mecum, mox ad primum eloquium meum nesciens quid responderet, confusus turpiter abscondit se, fugiens sapientiam meam, nec amplius eum videre potui, quia sapientem me intelligens reveritus est a facie mea. Et cum nostri dicerent ei, nos putabamus Ademarum sapienti nosse respondere, & ipse multas auctoritates solitus est nobis referre, qualiter beatus Martialis est naturaliter apostolus, & quia si prædicamus eum apostolum non obest nobis, sed prodest. Unde & ei obtemperantes propter exemplum & amoris societatem congregationis ipsius sancti Martialis, jam ante unum mensem in consuetudine accepimus eum commemorare apostolum. Ille intulit: Numquam ille stultus Ademarus erit ausus de hac re contra me mutire, alioquin factis, non verbis luctabor cum eo, aut sicut in lite, pugnatorem meum faciam decertare cum pugnatore ejus, & factis super altare sacramentis pugnator meus habebit victoriam.

Piissimi pastores, audistis voces hæresiarchæ nefandas & fallacissimas, inutilissimas & iniquissimas ac refertas blasphemiis: audite veritatem meam. Vigilanter me aspicientem corpus egregii apostoli Dei Martialis, & stantem juxta cathedram pontificalem, imminente jam hora, qua intraturus erat episcopus ad agenda divina, eoque vestimentis jam pontificalibus ornato, ecce subito, non sine feritate tristitiæ, qua molesti erant pro illo hoste veritatis, Stephanus & Danihel monachi me clamant, & ad illum usque Antichristum (nam qui voluntati & facto Christi contrarius est, antichristus est) perducunt. Cui ego prior: Negas, inquio, Martialem esse apostolum? Et ille qui cum fratribus adhuc ibidem litigabat voce clamosa, oculis sanguineis, vultu inflato, respondit: Nos de sancto Martiale nihil loquebamur, sed de quibusdam quæstionibus evangeliorum. Et Stephanus ait illi: Tu modo negabas sanctum Martialem interfuisse cum Domino inter XI. apostolos. Ego graviter ad verbum commotus, aio: Audi. Vere est apostolus beatus Martialis. Et ille spiritum suum totum proferens ait mihi: Dic quomodo. Et ego: Si verum est ut ab ipsius Christi ore in carne potestatem ligandi & solvendi acceperit, non ab homine alio; ergo vere & totus & integer & plenus & perfectus & naturalis est procul dubio, & magnus & egregius & gloriosus apostolus. At ille negare hoc nequaquam valens ait: Certe hoc verum est. sed dico, quia illam potestatem nulli, nisi XI. apostolis Christus concessit. Martialis vero numquam amplius prædicatus est apostolus, quousque hesterna die tu inventor hujus rei fuisti. Cui ego: Præter scriptorem vitæ ejus qui in tempore apostolorum fuit, qui luculentissime & luce clarius apostolatum ejus patefacit: post eum alii, etiam priores nostri eum aperte prædicaverunt apostolum ubique tam in responsoriis, quam in hymnis & in quibusque dictatibus & in multis scripturis. At ille ait: Nec tu, nec iste, nec ego credamur, libri credantur. veniant libri. Et ego: Episcopus, inquit, vult intrare ad missam, quam volo audire: insuper & nimia densitas multæ turbæ in hoc loco imminet nobis, & magnus tumultus populi infestus est disputantibus nobis. Adtende nos usque in crastinum, & librorum tibi testimonia coram exhibebo, in quibus reperies eum antiquitus scriptum apostolum, tam in lætaniis quam in aliis. Nam libri non possunt huc venire, nisi fuerint delati. quod participium fateor. Ille aut non intelligens, aut voluntarie mentiens, retulit ad Buxeriam dixisse me illi, omnes libros deletos, cum aliud sit delatus, aliud deletus; adeo quidem est ille contentiosus malivolus, tametsi in grammatica arte esset acutissimus, non latinitatem mecum disceptans in eodem loco ridiculis barbarismis corrumperet. Nam ego latialiter loquens, latialiter ipsum compellebam loqui, & barbare quasdam dictiones proferentem dissimulans, patienter celabam circumstantibus. Et dicente illo, Martialis est apostolicus vir, non apostolus: ac me ei obsistente, Martialis non est apostolicus vir, sed apostolus. Nam unus est ipse de LXX. duobus apostolis. illoque inferente. Ubi est auctoritas de illis; nam nescio præter XII. apostolos? Petrus monachus ilico apertum nobis protulit evangelium in medio, ubi legebatur: *Designavit Dominus & alios* LXX. *duos*, subauditur apostolos, & ille mox confusus siluit. Et mox surgens fugere cœpit in turba, velut canis reus; verum manu mea per vestimenta brachiorum comprehensus, legere compulsus est Marcum referentem: *Convocatis Jesus* XII. *cœpit illos mittere binos.* Et occasionem nactus propter XII. ait: nihil aliud quæro, hæc est auctoritas mea, & recessit. Quem secutus cœpi ei leviter quædam Hieronymi dicta super auctorabilem assertionem nostram referre inter turbam. Ille respondit: Tu bene loqueris & rationabiliter, & tecum scio loqui, sed cum monachis illis nescio ratiocinari, quia irrationabiliter loquuntur; & dico tibi per Deum, antequam tu advenires, nihil locuti eramus de sancto Martiale, sed tui monachi dicebant Paulum non esse apostolum, & ideo scandalizabar cum eis. Tum ego: Quamvis Paulus non sit unus de XII. verumtamen qui eum negat esse apostolum hæreticus est. Et ille: Ita est. Tali modo uterque discessimus, nec amplius valui eum videre, licet curiose investigarem, quousque sero facto obviavi eum dicta jam vespera. Talis fuit confusio mea. Qui per divinum splendorem gaudio perfusus die eodem, utpote contemplatus a basilica sedis corpus apostoli ad Salvatoris basilicam relatum glorioše, & omnia prospere gesta, forte ad officium vespertinum in sepulcro ipsius apostoli cum pluribus clericis præsens, post psalmos apostolicos excelsa voce primus protuli hæc verba modulaminis: Cives apostolorum & domestici Dei advenerunt hodie portantes pacem « & inluminantes patrias, dare pacem gentibus « & liberare populum Domini. ac subjunxi hæc « verba: Exultet cælum laudibus, resultet terra «

» gaudiis, apostolorum gloriam sacra canant solemnia, usque ad finem. quas laudes, omnes qui aderant clerici, una mecum jocundis vocibus & altisonis personabant. Quibus expletis repente video memoratum cocullatum antichristum de turba densa exire. Ego gavisus, utpote non credens lupum, sed agnam videre, apprehensa ejus dextera eduxi eum ad cancellos, ubi spreto colloquio nobilium karissimorum parentum meorum, qui ad festivitatem de longinquo venerant, ac pro mea utilitate ibi me expectabant, resedi cum viro, ut putabam, angelico. Me delusum clamo, me imprudentem doleo, quod non prævidi in agno lupum, in pisce draconem, in anguilla anguem, in ove leænam, in ariete leonem, in Langobardo Trogoditam, in monacho manichæum, in christiano antichristum, in homine diabolum: certe si præviderem, nec have ei dicerem. Qui enim dicit ei, have, sicut duo memorati nostri fratres ab eo subversi, communicat operibus ejus malignis.

Itaque nobis loquentibus Aimiricus monachus optulit ei veterrimum volumen de vita sancti Martialis apostoli, ubi refert Martialem, non gentilem, sed Hebræum fuisse, & ex clara tribu patriarchæ Benjamin; Martialem non ad prædicationem apostolorum, sed ipsius Domini conversum; Martialem relictis patre & matre discipulatui Domini jugiter adhæsisse; Martialem Christi non Petri discipulum fuisse; (nam apostoli usque post pentecosten nullum habuerunt discipulum) Martialem eo quod contribulis ei erat, non alii apostolorum, sed Petro familiarius se sociasse; Martialem instinctu Petri obsecundantem Domino in omnibus; Martialem miraculo Lazari interfuisse; Martialem adolescentem in cœna sancta Domino ministrasse; Martialem januis clausis Domino intrante, quando ibi Thomas non erat, cum aliis apostolis adfuisse, ibique ligandi ac solvendi potestatem, non a Petro, sed ab ipso Domino cum ceteris apostolis, & cum eodem Petro, ac Spiritum-sanctum accepisse; Martialem cum XI. in Galilæam hortante Petro abiisse, ibique potestatem prædicandi evangelium in omnes gentes non a Petro sed ab ipso Domino cum reliquis apostolis & cum eodem Petro susceptisse; Martialem ascensioni Christi cum ceteris reliquis apostolis adfuisse, ibique benedictionem episcopalem, non a Petro sed ab ipso Domino cum aliis discipulis & cum Petro susceptisse; Martialem cum ceteris apostolis intrasse & exisse usque in pentecosten, tumque cum aliis apostolis Spiritum-sanctum de cælo susceptisse, & omnium linguarum scientiam percepisse, & cum aliis apostolis invincibilem resurrectionis Christi testem exstitisse; Martialem post perceptionem Spiritus-sancti a Petro non dislociatum fuisse, sed una cum eo Antiochiam venisse; Martialem rogante Petro ut fratrem, non jubente ut discipulum incessanter tam absente quam præsente eodem Petro verbum Dei prædicasse in Græcia: quippe ut perfectum Christi discipulum & ab eo perfecte per se primum, deinde per infusionem Spiritus-sancti eruditum & in linguarum sermocinatione ad quamcumque gentem pervenisse perfecte scitum; Martialem rogante Petro ut fratrem, non imperante ut discipulum, venisse cum eo Romam; Martialem non Petri arbitrio, sed Domini præcepto missum fuisse in Galliam per affatum ejusdem beati apostolorum principis. Hæc dum perlegisset; nec valeret eum negare vere apostolum Dei, quippe qui tantorum gratia donorum cum XI. apostolis ab ipso Christo donatus sit; tandem erupit in hanc falsam vocem fronte rugata: Solent dicere nonnulli vitam ejus veteranam, quando hic locus arsit, perisse incendio, in qua nihil horum legebatur, nisi duntaxat, quod post ascensionem Domini ad Petri prædicationem sit conversus, sicut alii multi ex paganis, & ab eo eruditus, & post longum tempus ordinatus episcopus, & ad solam urbem Lemovicam missus, sicut Apollinaris ad Ravennam & Marcus in Alexandriam; quemdam vero monachum hujus loci hanc vitam mendacio suo finxisse adulatorio, ideo eam non credo. Tamen hic liber, quia vetustus est, majoris est auctoritatis quam si esset novus. nam veteres auctoritates, etiamsi falsæ sint, plus creduntur a nobis, quam novæ, licet veraces. Tum ego: Quod dicis hanc vitam mendacio a monacho nescio quo esse confictam, & incredibile & impossibile est & omnino vanum. nam adhuc, videlicet usque in præsentem annum quo loquimur, qui est millesimus XXVIII. ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi, per indictionem XI. ab assumptione autem beati apostoli Martialis nongentesimus quinquagesimus quartus, non sunt nisi CLX. anni, ex quo monasticus ordo in hoc loco transmutatus est de canonico; & hæc vita, eodem modo quo hic legitur, per omnes Galliarum & Hispaniarum atque Britanniæ, necnon & Italiæ est provincias: quæ sine dubio per plures ecclesias habebatur ante incendium hujus loci, quod longe post multum tempus accidit, postquam monachi hic intraverunt. Nam inter tot ac tantos catholicos viros, quibus semper Gallia sana perstitit, & maxime ecclesia Lemovicensis, semper intacta ab omni hæresi perduravit, quis diabolus esset ausus & valuisset aliquo modo tantum mendacium scribere? Si mendacium, quod absit, scriptum esset, a nemine catholicorum receptum esset, & hodie super terram nullatenus audiretur. Hæc ergo vita veracissima est. nam hanc vitam & patres nostri catholici in veritate receperunt, & ego sicut sancta quatuor evangelia ita eam credo firmiter, & omni dilectione amplector & approbo. Et qui eam negat, inimicum veritatis pronuntio, & ut publicum hæreticum respuo. Quod vero prosequeris, auctoritates veteres mendaces potius recipiendum quam novas veraces: grande præjudicium est, cum veritas semper veritas est, & numquam veritas respui, nec falsitas debet recipi. Nec adverti oportet quis dicat, sed quid dicat. Nam puer unus dixit veritatem, & eruit de morte mulierem, quam seniores duo loquentes falsitatem ducebant ad necem. Tres pueri flammis dati locuti sunt veritatem

ritatem novam, sed rex grandævus affirmavit falsitatem antiquam. Si veritatem dicimus, quare nobis non creditur? vere ab amatoribus veritatis nobis creditur. Et quid mirum si amatores veritatis, tametsi nonnulli non intelligant, tamen credunt Martialem esse apostolum veritatis? nam si non credideritis, non intelligetis; & omnis qui est ex veritate, audit veritatis vocem. Et licet fortior sit rex & fortius vinum, tamen fortiores sunt mulieres quæ dicuntur falsitates, & insuper hæc omnia vincit veritas. Veritas glorioſa est & humilis, non superba. Nos in hoc superbe non sapimus, sed Deo placita humilitate, proficere gliscimus & proterva despicientes, quibus cruda ostentatio eum * primum potius quam posteriorem apostolum in nonnullis locis habere voluerunt: nos omnia ex eo probantes, quod bonum est tenentes, & scientes non esse verum quod varium; jussu venerabilis patris nostri Odolrici totius scientiæ, totiusque virtutis viri, quodcumque in hac quæstione est maturum, salubre, sanum & ratum, libera cupimus exercere caritate.

Hæc & hujuscemodi nobis loquentibus & ipso affirmante, si hæc vita vera est, Martialis absque omni dubietate vere apostolus est: Aimiricus item ad nos iterum intrat cum breviario vetusto sepulcri, & ostendit ei veterrima scriptura quoddam responsorium in eodem positum:

» Gloriosus est Martialis apostolus Galliæ, qui
» ita plantavit ecclesiam, ut cum ipse multa pertulerit, in pace tamen deficiens hanc in pace
» dimiserit. Ad hæc ille; Et hoc antiquum est non novum, & qui hunc dictatum composuit sapiens fuit. Item ostendimus ei annosum rythmum sequentialem in eodem volumine veterbus
» litteris factum: Cives cælicolæ ut collegam,
» omnis suum uti apostolum Aquitania. Et ille ait: Hoc puto non est sine divina voluntate, quod a vobis apostolus prædicatur, quia pæne omnis orbis terrarum jam hoc auditu famæ comperit. nescio aliud. Quid plus auctoritatis ei panderem post istas tres, cum in ore duorum aut trium testium stet omne verbum? Nox erat, & discessimus. Cænavi tecum, ô dilectissime abba, & quia crastino diluculo ad Egolismam urbem volebam redire, licenter a te dimissus sum. Facto mane caninum Langobardum ipsum vidi, nec propter iter meum cum eo sermocinationem habui. Et si scissem quis ille est, expectarem eum Lemovicas uno anno, quousque contritum esset caput ejus serpentinum virga rationis meæ. Nam se ille squameo draconino collo resupinus postea jactitavit, se connisum prœliari mecum pro beato apostolo Martiale & meideo quantocius fugisse; episcopū Jordanum & ejus canonicos omne quod inchoaverant respuisse, nec umquam amplius huic apostolatui consensuros esse, quia audierant ipsum esse contradictorē.

Cum ipso Hebionita venit quidam medicinæ artis egregius, nomine Bernardus, ad Buxeriam monachus Ravennæ, qui dum mecum apud Egolismam sermocinaretur & similiter contrariosa de sancto apostolo Martiale multa proferret, sicut audierat a Longobardo supradicto, & interrogaret dicens abbati meo Ravennati, quod caput dicam quia Martialis est apostolus? a me protinus audit: quia discipulus Domini fuit, sicut Petrus & ab ipso Domino in carne potestatem ligandi & solvendi accepit. Hæc est summa apostolatus ejus. Ille autem respondit: Benedictus prior de Clusa grammaticus perfectus abnegat eum discipulum fuisse Domini, sed Petrum dicit convertisse eum, & dedisse ei potestatem ligandi & solvendi, sicut episcopi dant aliis quos ordinant episcopos. Astruit quoque vitam istam ejus, quæ in his partibus habetur, non esse veterem priorem, sed novam commentatam a quodam monacho ante hos centum annos, & alio modo eam haberi in Longobardia, ubi dicit eum parem esse sancto Apollinari & sanctis Fronto, Saturnino, Dionysio, Austremonio, Hilario Pictavensi, Martino Turonensi. Tum ego occasionem deridendi stultum nactus, risum proferens aio: Si grammaticus esset perfectus, non ista proferret Longobardus. Si altera vita est quæ istam veram obscurat, proculdubio reproba & falsa est, & nullatenus a catholica ecclesia recipienda, & a nobis ut venenum execranda est. Verumtamen si Martialis discipulus Petri tantummodo esset, & ab eo potestatem ligandi & solvendi accepisset, ut ipse Longobardus mentitur, sic quoque non incongrue posset prædicari apostolus. Nam & Hieronymus maxima columna ecclesiæ, & Beda venerabilis presbyter Timotheum discipulum Pauli prædicant apostolum in suis chronicis, quem Paulus ad fidem traxit & episcopum ordinavit, cui etiam duas epistolas scripsit. Honestimus quoque discipulus Pauli a pluribus ecclesiis apostolus prædicatur, & ipse Paulus Epaphroditum quem Philippensibus misit, prædicat apostolum. Marcus etiam & Lucas evangelistæ discipuli apostolorum a pluribus ecclesiis apostoli prædicantur. Nam Marcum Petrus Alexandriæ misit sine ordinatione episcopali. Qui cum provinciam Ægypti primus convertisset, a vicinis episcopis, licet sibi pollicem manus amputaverit ut sacerdotio reprobus esset, tamen invitus consecratus est episcopus, qui secundo anno post Domini ascensionem ex tribu Levi prædicantibus apostolis conversus fuerat. Sic & Martialis si discipulus Christi in carne non esset, quod dicere impium est; eo quod tamen primus Aquitaniam convertit, recte potest prædicari apostolus. Nam ab urbe Roma usque ad montes Pyrenœos nullus alter sanctorum est qui totam unam provinciam converterit, vel qui ab antiquis in lætaniis in ordine apostolorum scriptus fuerit usque hodie, nisi solummodo Martialis. Episcopus etiam Lemovicensis Geraldus ante hos XV. annos a Roma regressus, attestatus est nobis fortuitu legisse se ibi volumen, ubi scriptum erat, qualiter Martialis primus Ravennæ prædicaverit Christum dum in Galliam veniret, & post eum Apollinarem post longum tempus ibi venisse apostolicum virum. Unde & in vita ejus sic scriptum est: Igitur Martialis cum discipulis suis permenso tam magno terrarum spatio,

prædicans ubique seminarium verbi Dei, ingressus Nemovicinum venit ad Tullum castellum. Inter apostolos vero & apostolicos viros Hieronymus hanc differentiam dicit, quod apostoli sunt qui primi unamquamque provinciam prædicare cœperunt, unde & hodieque astruit apostolos posse fieri in ecclesia, quorum signa & indicia apostolatus complentur; id est si hodieque vel usque in finem mundi aliqua provincia fuerit in qua nullus ante prædicator accesserit, qui primus ad eam aliquo modo accedens eam prædicare cœperit, & unam solummodo ecclesiam in ea fundaverit, recte apostolus est: qui vero post eum venerint prædicatores & episcopi, illi sunt apostolici viri. Apostolicos viros enim dicit esse qui post apostolos ad dilatandam christianitatem in regiones & provincias ab eis jam inluminatas & in vita & post obitum eorum venerint, vel quos apostoli ordinabant, ut successores in loco eorum per civitates provinciæ illius quam prædicaverant, existerent. Hinc Titum dicit apostolicum virum, quia Paulus eum in provincia Cretæ quam primus prædicaverat, reliquit vicarium sibi, ut constitueret per civitates presbyteros sive episcopos. Hinc idem Hieronymus in epistola ad Paulinum presbyterum: Episcopi, inquit, & presbyteri habeant in exemplum apostolos & apostolicos vitos, quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum. Item in epistola ad Pammachium de optimo genere interpretandi ait: Lucas vir apostolicus & evangelista scribit Stephanum primum Christi martyrem in Judaica concione narrantem, & cetera. Item in eadem: Marcus, inquit, discipulus Petri ita suum orditur evangelium: Principium evangelii Jesu-Christi, & cetera. Quos ecclesiæ consuetudo in ordine apostolorum in lætaniis refert, & de eis psalmos & cantilenam apostolicam promit, ut jam dictum est, licet hodieque a pluribus ecclesiis per incuriam hoc non observetur. Qui error humanus est, intellectus vero & emendario hujus erroris prudentium est: nam eorum & similium commemoratione, quorum nomina per lætanias in ordine apostolorum pronuntiantur, psalmi, versus, hymni, responsoria & antiphonæ congruentius apostolorum quam confessorum vel martyrum proferuntur a prudentioribus ecclesiasticis viris. Sed & ipse papa Gregorius qui longe post tempora apostolorum fuit, tametsi minime ipse ad Anglorum provinciam, ubi hactenus nullus accesserat prædicator, profectus sit, sed prædicatores miserit; tamen quia ejus labore & juvamine maximo fidem susceperunt, apud eosdem Anglos merito apostolus appellatur; quia quidquid post eum alii prædicatores laboraverunt, totum ei deputatur. Si ergo Gregorius post quingentos annos a tempore primorum apostolorum apostolus meruit esse & prædicari, quia signa apostolatus habet; cur Martialis non multo magis est apostolus, qui una cum Petro ab Hierusalem incipiens testis Christo fuit in Hierusalem & in omni Judæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ, & Galliam primus inluminans omnem Aquitaniam provinciâ adquisivit Christo? cujus signaculum apostolatus in Domino eadem Aquitania est usque in finem mundi; absque dubio enim ipse in ea fundavit ecclesias, & primus in eis per civitates constituit episcopos. Non enim primus Arvernis præfuit episcopus Austremonius, nec Turonicis Martinus, neque Pictavis Hilarius. Idem & de aliis civitatibus. Nam Dionysius primum Pauli, deinde Clementis discipulus ab eo Galliam missus, primus Parisius præfuit episcopus, ubi nondum erat ecclesia. Nam antiquas sedes, Turonicam in honore sancti Petri, Aurelianam in honore sancti Stephani Martialis apostolus fundaverat, quæ postea mutatæ sunt una in honore sancti Mauricii, altera in honore sanctæ Crucis. Qui quoniam post eum venit, non prædicatur apostolus, sed vir apostolicus. Licet autem Saturninus summus episcoporum Tolosæ fuerit, quis prudentium dicit ipsum primum ibi fuisse episcopum, cum & in suis gestis jam ibi ecclesia esse consecrata legatur, eumque temporibus Decii subiisse martyrium Beda referat; Petragorius quoque manifestum sit fuisse christianitatem ante Frontum, cum ipsa ejus gesta doceant eum inde natum comam sibi totondisse, & in Ægyptum ad heremitam Apollonium profectum fuisse? nec derogamus eis, sed qui subtiliter veritatem perscrutatur, invenire poterit, Martialem totam Aquitaniam Christo subdidisse sicut apostolum, non solum Lemovicinum sicut unius diœceseos episcopum. Ideo sicut ex Deo coram Deo in Christo loquentes in veritate si dicamus eum apostolum: qui vero post eum ceteros episcopi per Galliam fuerunt & usque in finem mundi futuri sunt, apostolicos viros, licet & omnes episcopi sancti & non sancti, vocentur & sint apostoli, sicut probabiliter possum ostendere. Nam præter hunc modum quo omnes episcopi sunt & vocari possunt apostoli, qua ratione Apollinaris est apostolus, cum jam Petrus Italiæ regioni, cujus civitas est Ravenna, jam prior prædicari cœpisset?

Ad hæc medicus respondit: Ecce Martialis est apostolus, sed quis est apostolatus ejus? Tum ego; Gallia proprie, quia ipse primus eam ingressus est. Et ille: Mentiris, inquit, nam Gallia de apostolatu Petri est. Et ego: Totus mundus, non sola Gallia de apostolatu Petri est: nam proprie ipsi claves regni cælorum traditæ sunt & pascua ovium Christi. Verum proprie apostolatus ejus est Italia, quia eam prædicavit, & in ea occubuit, & in ea jacet. Ita & proprie Gallia apostolatus est Martialis, quia eam primus inluminavit adnuncians Dominum Jesum-Christum, & in ea occubuit, & in ea jacet. Ita proprie Hispania est apostolatus Jacobi, licet non eam ipse prædicaverit, sed quia corpus ejus per mare VII. discipuli ejus Galleciam advehentes primi in Hispania Christi nomen adnuntiaverunt, & ibi sepelierunt magistri corpus. Nam etsi Martialis proprium apostolatum non habeat, sicut procul dubio habet: eo quod tamen ab ipsius ore Christi in carne potestatem ligandi & solvendi accepit, nequaquam profecto privaretur nomine apostoli. Responde etenim mihi, quis est apostolatus Pauli? apostolatum Barnabæ & Lucæ & Honesimi & Silæ & Timothei ostende mihi, quia & istos ecclesia prædicat apostolos. Qui cum taceret, aio: Etsi illi apostolatum proprium non habent, tamen apostoli recte prædicantur, quia officium apostolorum adimpleverunt, id est gentibus evangelizaverunt. Nec enim omnes episcopi proprias sedes habuerunt, nec omnes presbyteri proprias ecclesias, nec omnes abbates propria monasteria. Plerique etiam episcopi dereliquerunt episcopatus suos proprios, nec tamen ob hoc episcopi nomen amiserunt. Sic & nonnulli ex apostolis sine apostolatu proprio fuerunt, & tamen apostoli sunt. Quia vero sine dubio Gallia proprie apostolatus est Martialis tam Dei quam ipsius, tantocius Aquitaniæ quam etiam priscorum patrum nostrorum catholicorum intemerabilia testimonia multa sunt: ita ex omni parte Martialis perfecte apostolus est, quia & a Christo accepit ligandi dissolvendique potestatem, & in Galliam non sua propria voluntate, non suo arbitrio, non sua præsumptione, sed præcipiente Domino & cogente Petro ingressus est evangelizare: insuper quod bene cœpit, melius perseveravit, & apostolatum proprium, id est, gratiam & adnunciationem fidei in gentibus Galliarum pro nomine Christi habet. Unde qui eum contendit non esse apostolum, necesse est contendat nullum esse apostolum nisi tantummodo XII. & ut radat nomen Pauli de lætaniis de ordine apostolorum, nomina Barnabæ, Cleopæ, Marci & Lucæ & Timothei, Onesimi & Silæ & Judæ, & universalem invocationem qua dicitur, Omnes sancti Apostoli & Evangelistæ & discipuli Domini, &, sit hæreticus Hebionita. Cui nos catholici nequaquam patiemur adquiescere, sed vestigia priorum patrum sequentes, nomen Martialis in ordine apostolorum invocabimus. Ad hæc medicus ait: Benedictus dicit non esse hanc invocationem aliorum qui non sunt nominati, sed collectionem qui jam sunt nominati apostolorum. Et ego respondi: Diabolus male interpretatur scripturas, & iste hæreticus male exponit lætanias. Sapientior est omnis ecclesia catholica isto uno hæretico. Nam si collectio est prænominatorum, superflua est. Si invocatio est tam prænominatorum quam eorum omnium qui nominati non sunt, quod sine dubio verum est, necessaria est, sicut & invocatio universalis angelorum, patriarcharum & prophetarum, Innocentium & martyrum, confessorum & virginum, & omnium sanctorum, qui nisi ita invocentur, nominatim per singulos invocari non possunt. Nam præter quatuor evangelistas, sunt alii evangelistæ, ut Lucas ipse in actibus apostolorum commemorat Philippum evangelistam, qui unus fuit ex VII. diaconis, qui eunuchum Candacis reginæ baptizavit, & qui a spiritu raptus inventus est in Azoto, & pertransiens evangelizabat civitates. Non enim est ipse Philippus apostolus, ut quidam falluntur. Ipse est quoque Philippus non apostolus sed evangelista, qui descendens in civitatem Samariæ prædicabat illis Christum, per quem Simon magus credidit, cui etiam primo adhærebat. Et Paulus apostolus de aliis apostolis & evangelistis quos post ascensionem suam Dominus elegit multos, ait: Et ipse dedit quosdam quidem apostulos, allos autem evangelistas, alios vero prophetas & doctores. Nam Silas & Judas apostoli ab aliis apostolis ordinati, prophetæ dicuntur, & a prophetis & doctoribus Paulus ordinatus est apostolus. Porro de vita Martialis apostoli, quam mentitur hæreticus non esse antiquam, audi qualiter Donadeus monachus ejusdem apostoli, licet inliteratus, arguerit mendacii quemdam ante hos X. annos grammaticum alienum similiter fallentem. Ingeniose duxit hominem in basilicam vetustam Salvatoris, quæ nimia vetustate tunc ruinam minitabat, & ante hos septem annos est diruta usque ad solum, & ait: Dic mihi si est vetusta hæc basilica. Grammaticus stultus respondit: Etiam ante quingentos annos fuit vetusta. Mox ibi ostendit ei picturas multa antiquitate vix parentes, & ait: Unde sunt istæ picturæ? Ille videns Martialem ministrantem Domino ad mandatum, & ceteras picturas sicut legitur in ejus vita; rubore confusus non sine omnium qui aderant derisu professus est mendacium suum. Medicus vero ad hæc: In uno solo vetere libro vel in lætaniis si potueris eum mihi ostendere scriptum apostolum, credam. Quod cum in pluribus ostendere possem, gavisus dixi: Veni ad monasterium, & vide. Ille noluit, quia longe hospitium habebat, & crastino inde ad alia loca abiit. Dixit etiam mihi: Ego plusquam alii homines causa medicinæ circumeo multa loca, & audio hoc reprobari ab omnibus, & a nullo laudari, & maxime propter Benedictum priorem qui contradictor est, qui affirmat omnibus propter hoc nasciturum esse ab hoc usque ad quinque annos magnum scandalum in loco sancti Martialis, & venturam ibi magnam persecutionem, quia orationes de ipso sicut illi proferunt, non sunt Deo acceptabiles. Cui ego: O linguam præcidendam & a canibus devorandam! Jannes & Mambres restiterunt Moysi, & iste Longobardus resistit veritati; non valet comprehendere veritatem, non susçipit ipse veritatem, & eos qui susçipiunt prohibet, & adducit sibi celerem perditionem. Sui auditores a veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur. Simon magus de Petro & Paulo apostolorum principibus Neroni dicebat: Isti homines contra regnum tuum agunt. Zaroës & Arfaxat de Simone & Taddeo apostolis dicebant: Venient ad vos inimici Deorum & leges vestras subvertent. Aman Agapites regi Assuero dicebat: Est gens Judæorum in regno tuo quæ proprias leges tenet, & inimica est tuis. Athenienses de Paulo dicebant: Novorum dæmoniorum adnunciator est iste. Pontifices & Pharisæi concilium contra Dominum tenuerunt, dicentes: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Judæi Pilato dice-

bant : Seductor ille dixit adhuc vivens ; Post tres dies resurgam. Impedit nos satanas, sed non erubescimus veritatem ; reddat ei Dominus secundum opera ejus, quia valde resistit verbis nostris : habet speciem pietatis, sed virtutem ejus abnegat ; habet zelum, sed non secundum scientiam. Ego vero, si fulminibus igneis consumerer in hac hora, nequaquam testimonia sanctorum patrum nostrorum transgrederer, sed exclamarem : Apostole Christi Martialis, salvum me fac. Si totum monasterium ipsius apostoli & tota civitas Lemovicensis omni modo hodie igne cremaretur, nec sic qui eum diligunt dimitterent puram veritatem ipsius, sed tunc ardentius & fiducialius clamarent : Apostoli » tui Martialis Domine precibus adjuvemur, ut » & a nostris reatibus absoluti, ab imminentibus » periculis liberemur, per Christum Dominum nostrum. Porro sermonibus sapientium, licet paucorum, potius credendum est, quam indoctæ multitudinis vulgi opinionibus. Nam multitudo popularis nescit aliam auctoritatem præter istam, dicens : Quid fecerunt tot episcopi, tot abbates, tot sapientes transacti ante ducentos annos ? Numquam amplius audivimus Martialem esse apostolum. Cur hoc mutant isti sapientes ? satis habet honorem. Et sic lingua venenata invidorum decidit in blasphemiam pungens talia. De illo gradu, ubi Deus eum posuit, tollunt eum, & faciunt eum ascendere ubi numquam fuit ; & ipsi Martiali hoc molestum est.

O aculei serpentis, o aspides surdæ, o lingua toxicata diaboli, quæ solita es sanctos Dei & ipsum Deum dilacerare ; quæ non desinis pervertere vias Domini rectas ; quæ in paradiso dixisti ; Nequaquam morte moriemini, & protoplastos interemisti ; quæ dixisti de Filio Dei : Hic est homo vorax ac potator vini, & hic est Joseph fabri filius : quæ dixisti per Pharaonem : Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus ? nescio Dominum, & Israël non dimittam : quæ dixisti Filio Dei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me : quæ vis omnes cadere, nullum erigere : quæ Judam de apostolatu dejecisti : quæ aperis os tuum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus & tabernaculum ejus, & eos, qui in cælo habitant : quæ corpora martyrum submergere fecisti, dicens, ne christiani sibi martyres facerent : quæ per Simonem magum de Petro apostolorum principe, dicebas Neroni : Hic est homo imperitus, piscator mendacissimus, nec in moribus, nec in genere, nec in aliqua præditus potestate : quæ Spiritum-sanctum minorem Filio, & Filium minorem Patre dudum prædicabas, nunc prædicas Martialem esse minorem apostolis : quin potius abnegas eum esse Christi apostolum. Sed hæretice, cahis invide, quicumque hoc dicis, recte in caput tuum mentiris, quia Christus Martialis magister fuit, Christus Martialem per se docuit, pro Christo Martialis multum laboravit ut verus apostolus. Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum. Quod prædicamus Martialem esse apostolum, contrarium est diabolo, delectabile Christo. Astutia diaboli, adhuc dicunt nonnulli rustici : Magis volumus Martialem esse confessorem primum, quam apostolum ultimum. Et hac de causa ab insulsis hæc prava consuetudo dudum immissa est, quæ modo ab eruditis penitus abscissa est. Docti enim credendi sunt potius quam vulgus, nec doctus assentiri debet opinionibus vulgi, sed vulgus assentiri oribus docti. Docti enim fulgebunt ut splendor firmamenti, & qui ad justitiam eruditi multos quasi stellæ in perpetuas æternitates. Quapropter hanc justitiam non in vanum ducimus prædicare. Vestigia enim Christi secuti sunt priores apostoli ; post apostolos, martyres ; post martyres, confessores ; post confessores, virgines ; post virgines, viduæ ; post viduas, continentes. Quot vero episcopi orthodoxi, quot patres catholici, quot litterati lumina ecclesiæ ante nos vitam Martialis legebant & credebant, licet si intelligerent, desidia tacerent ? Quot eruditi ante nos in conspectu Dei cecinerunt : O quam glorioſus est miles fortissimus Martialis, qui apostolorum junctus collegio, potestate ligandi atque solvendi accepta a Domino, non dissimili cum apostolis est honoris usus privilegio : & multa alia, in quibus apostolus prædicatur ; nunc vero per unum Langobardum rusticum, putantem se esse grammaticum, derelinquet conventus eruditorum catholicorum veritatem antiquam patrum nostrorum ? Facilius possunt cervi camporum pasci in æthere, quam sancta mater ecclesia hanc suam purissimam veritatem derelinquere. Hanc sanam consuetudinem, etsi insulsi olim respuerunt, non tamen amiserunt, sed invîti & ignorantes ex parte retinuerunt scintillam, & eruditi in lætaniis reservaverunt, ex qua scintilla reluxit modo ut sol pulcra veritatis consuetudo, glorificante Deo tempora piissimi pastoris nostri Odolrici & episcopi Jordani. Quia ergo Martialem prædicamus in veritate apostolum, gaudet ipse, gaudet Deus, gaudent angeli, & omnes sancti ejus. Tristatur diabolus, tristantur hæretici & invidi, & cum invidia sua moriuntur, nisi a diabolo disjungantur. Testificor coram Deo & Christo Jesu, qui venturus est judicare vivos ac mortuos, per adventum ipsius, & regnum ejus ; testificor & coram Spiritu-sancto, qui apostolorum pectora invisibiliter penetravit, si mihi visibilis modo appareret in facie mea Martialis ipse, & me interrogaret dicens : *Quem me dicunt homines esse ?* ego sine aliqua hæsitatione, confidentissime ac promptissime protinus ei responderem dicens : Alii apostolicum virum, alii unum de episcopis, alii unum de ignotis sanctis, aut unum ex confessoribus. Et si dignaretur me interrogare dicens : Odolricus vero abbas meus, & monachi mei, & episcopus meus Jordanus, *Quem me esse dicunt ?* ego protinus responderem, Apostolum Dei. Ego autem Ademarus indignus servus tuus veraciter credo, confiteor & dico, quia tu es vere magnus & egregius, & nobilissimus apostolus Dei ; & qui te contradicit esse apostolum, ira Dei cadat super illum, & sit perditio in adventu Domini nostri Jesu-Christi Filii Dei, qui te per se ipsum docuit. Sed dubii

quia non audiunt nomen tuum scriptum in evangeliis, te hæsitant apostolum : verum ego credulus profiteor tacite prætermissum causa junioris ætatis tuæ ; cum & in veteri instrumento non numerarentur Hebræi, nisi a viginti annis & supra. Fides, spes & caritas meum comitantur in ardua gressum, dum credo quæcumque Petrus a Christo secrete & cum duodecim audiebat, te quoque per eumdem Petrum tunc simili modo audisse, & ideo gentibus te fiducialius Christum prædicasse, & per te gaudeo in Deum firmiter credere, omnesque hæreses resspuere, dum spero per te ad visionem summæ Trinitatis me perventurum, & ipsa perenniter fruiturum, dum per te carius & ardentius diligo Dominum Jesum-Christum. Quicumque a me vult auferre ut te corde non credam, & ore confitear Christi apostolum, auferre vult a me fidem, spem & caritatem, sine quibus nemo salvus esse poterit in æternum. Non adquiesco Longobardo, qui te abnegat interfuisse in cæna Christi, qui mentitur ore suo venenato Dominum cum solis XII. quasi latronem, non quasi regem liberalissimum cænasse. Sed assentio sanctis patribus nostris, & scriptori vitæ tuæ, & affirmo Dominum cum XII. apostolis discubuisse, ministrosque habuisse, qui ei & duodecim apostolis ministrarent, & pocula propinarent, & quæ necessaria erant, deferrent. Non assentio vaniglorio Longobardo, qui te abnegat ab ipso Christo potestatem ligandi & solvendi accepisse ; sed solide profiteor, te tanto munere apostolico cum aliis apostolis a Christo sublimatum ; ideo peto, apostole sancte, solve vincula omnium peccatorum meorum, & numquam disrumpendis dulcissimi amoris tui vinculis mentem meam ad te tenacissime constringe. Numquam communicabo hæretico Hebionitæ pseudomonacho, qui te abnegat in loco, ubi Spiritus-sanctus in igneis linguis super discipulos descendit, interfuisse : quinimmo libera voce omnibus populis testificor, non ibi solos duodecim, sed etiam multos alios discipulos, ibi in Sion congregatos fuisse, & te inter eos repletum Spiritu-sancto variis linguis magnalia Dei esse locutum, & cum aliis apostolis edoctum omnibus linguis, invincibilem resurrectionis Christi testem exstitisse. Unde imploro per te ipsius Paracliti visitatione cor meum mundari ab omni errore ; & sapientia, quæ a Patre luminum est, sine fine coruscare. Dispereat hæreticus velociter a facie terræ, qui omnibus prædicare non cessat, Christi ascensionem nullum alium præter solos undecim apostolos vidisse, & ibi nequaquam te interfuisse. Ego enim vivens cum Christo, ego, qui numquam moriar, ego, qui mortem non gustabo in æternum, utpote credens in Christum, super montem excelsum ascendens, & in fortitudine vocem meam exaltans, omni creaturæ cum omni fiducia adnuntio, sicut veritas est in Jesu ; quia sicut testis est Aurelianus episcopus, quem resuscitasti a gemina morte, scriptor vitæ tuæ cum undecim discipulis in Galilæam, in montem ubi constituerat eis Jesus hortante Petro abiisti, ibique ab ipso Christo potestatem prædicandi, docendi, baptizandi, una cum Petro & reliquis apostolis accepisti, & postea in monte Oliveti ascendente ad Patrem Domino præsens fuisti, ubi benedictionem pontificalem ab ipso Domino cum reliquis discipulis meruisti. Unde te, sancte apostole, non sine magno gemitu deposco, fac me oblivisci terrenorum, & quo Christus præcessit, incessanter suspirare ad cælos cælorum. Quod si Hebionita Longobardus ab infidelitate non discedit, discedat a societate orthodoxorum, rumpatur ab unitate catholicorum, abscindatur a contubernio omnium Sanctorum, segregetur a consortio Angelorum beatorum, quoniam nullatenus est de collegio sanctorum Apostolorum. Comminatus est nos propter tuam gloriam & veritatem accusandos a se ante papam Romanum, omnem Aquitaniam propter te excommunicandam ; in laqueo suo humilietur invidus hæreticus, exsurgat Dominus, & non prævaleat Longobardus. Tripudiet in te Petrus, quia tu es dilectus sibi coapostolus : papa Romanus Aquitaniæ tuæ communicet, non excommunicet. Te Petrus veneratur vere coapostolum ; te papa Romanus non abneget vere apostolum. Te Petrus clamat karissimum fratrem ; te papa non deneget dilectissimum Petri consortem. Pro te Petrus oravit fixis genibus ; propter te gratias papa referat expansis manibus. Gratuletur in te omnis Roma, quoniam Petro solvit tributum omnis Aquitania tua. Verum si forte humana a divinis discordaverint judicia, si forte creditum fuerit veritatis inimicis, potius quam amicis, numquid corruptibilis papa poterit transcendere Petrum, cujus instinctu Christi præceptis obedisti ? Numquid moriturus papa poterit te excommunicare, quem Christus ascendens ad Patrem, propria manu dignatus est benedicere ? Numquid vermis efficiendus papa poterit excommunicare Dei Filium, qui tibi cum reliquis apostolis contulit ligandi solvendique pontificium ? Numquid humanus papa poterit excommunicare Spiritum-sanctum, qui tibi cum reliquis discipulis contulit scientiam omnium linguarum ? Numquid fragilis papa poterit excommunicare Aquitaniam tuam, quam fecisti coheredem Christo in vitam æternam ? Numquid pulvis & cinis papa poterit excommunicare ecclesiam Dei, quam tu ab idolis emundasti, & ab omni hæresi semper illæsam servasti ? Numquid futurum cadaver papa poterit, ne te prædicent apostolum prohibere episcopos tuos, quos tu una cum omni Gallia præsentabis Christo in die judicii manipulos laborum tuorum, in horreo cælesti salvandos ? His & talibus amen dico vobis, insatiabiliter Martialem apostolum Dei alloquerer, si eum contemplarer. Quod vero nonnulli brutî & pusillanimes aiunt, peccatum est, quia prædicamus eum apostolum, & Deo & illi est molestum ; ego verus Christicola Ademarus ante præsentiam Salvatoris, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem, & ejusdem Genitricis intemeratæ & perpetuæ virginis Mariæ, ac beati apostolorum principis Petri, testor & opto super me sit hoc peccatum

hic & in futuro in æternum. Vere si hoc peccatum super me haberem, beatus omnino fierem; non enim est hoc peccatum, sed pietas maxima. Iterum adhuc pronuntio ante conspectum Dei, & omnium in cælo habitantium, si gloriæ Dei vel ipsi Martiali, vel alicui Sanctorum, qui jam ex hac vita transierunt, molestum aliquo modo est eum prædicari apostolum, hac ipsa hora, quæ est quasi sexta diei, hoc ipso articulo temporis, quo hoc scribo, hoc momento, hoc athomo moriar corpore, & ultra non vivam. Duæ missæ, quas hodie mane sexta sabbati continuas in honore vivificæ Crucis, unam sponte, alteram obediens necessario jubenti & roganti abbati Amalfredo, super corpus beati Eparchii celebravi; si, inquam, hoc Deo displicet, non sint mihi in adjutorium, sed statim, sicut solus intra ecclesiam scribo, hac ipsa hora animam reddam. Christus ubique est.

Christus me vivere vult, Christo gratum est Martialem prædicari a nobis apostolum. Est enim vere apostolus. O seniores patrum, quibus hanc epistolam scribo, adhuc auribus accipite blasphemos Langobardi inter pocula sermones. Nam contrarius apostolo jubenti cum silentio panem manducandum, non in capitulo matutino, non in loco sobrietatis, sed jam escis distentus, piscibus refectus, vini meri poculis madidus, in refectorio fratrum jubebat lectorem silere multoties, & non de ipsa lectione, sed de apostolo Martiale, fratribus convivantibus, sæpissimos sermones faciebat ita derisorios, quod non sine immensa cordis mei amaritudine dico, ut omnium ætatum fratres ad lascivum risum & cachinnum dissolveret. Ita tota prandia & cænas per dies ferme quadraginta Augusti & Septembris mensium alternatim manducabat & bibebat, sibi & Christo apostolum Martialem blasphemabat nobis. Epulæ suæ, blasphemiæ nostræ. Hæc erat sua crebra repetitio quotidiana: Ego, inquit, sum nepos abbatis de Clusa; ipse duxit me per multa loca in Longobardia & Francia propter grammaticam; ipsi jam constat sapientia mea duo millia solidis, quos dedit magistris meis. Novem annis jam steti ad grammaticam, & adhuc sum scholasticus. Sumus novem scholastici, qui simul discimus grammaticam, & sum ego valde perfectus sapiens. Habeo duas magnas domos plenas libris, & adhuc non omnes eos legi, sed quotidie meditor in illis. Nullus liber est in tota terra, quem ego non habeam. Postquam exiero de schola, non erit subtus cælum tam sapiens ut ego. Ego ero abbas de Clusa post mortem avunculi mei, jamque sum electus ab omnibus; & nisi tales conversi mali monachi fuissent, qui non curant nisi de hypocrisi & de rusticitate, qui mihi hoc abstulerunt, jam ex multo tempore essem consecratus abbas. Ego sum prior de Clusa, & scio bene facere sermonem de littera. Dicunt isti Lemovicani stulti, quia in Francia prædicant apostolum esse sanctum Martialem, & quia mittunt eum in lætaniis ante martyres, hoc falsum est; ego enim multis annis steti in Francia, & numquam ibi audivi etiam nomen ejus in aliquibus agendis, nec in totis lætaniis. Francia nihil scit de ipso; nescit si est apostolus, aut martyr, aut confessor. Nulla ibi de eo fit commemoratio etiam in suo natalitio. Numquam deberet esse hoc cogitatum. Quis fuit umquam tam ausus qui hoc diceret? Quis ausus fuit Martialem prædicasse apostolum, nisi prius grande generale concilium omnium episcoporum Galliæ & Italiæ, una cum papa Romano congregaretur, & ibi esset probatum si est, aut non est apostolus. Ego totum unum concilium bene scio disponere, tam sapiens sum. Et si ego primus affirmarem, tum posset hac causa existere; in Aquitania nulla sapientia est, omnes sunt rustici. Et si aliquis de Aquitanis parum didicerit grammaticam, mox putat se esse Virgilium. In Francia est sapientia, sed parum; nam in Longobardia, ubi ego plus didici, est fons sapientiæ. Ego propter hanc causam, conducam omnem Aquitaniam ad tale placitum, in quo nullus clericorum sciet se adjuvare. Nam ego aut ibo ad papam Romanum propter hanc præsumtionem, aut mittam ei litteras meas, sicut scio componere. Et iste papa est valde asper homo & ferus, & male iracundus & sævis moribus: & mox ex quo audiet novum apostolum esse erectum in Gallia, excommunicabit omnes episcopos, & omnes ecclesias & monasteria totius Aquitaniæ, ut nullum sacrum ministerium ibi amplius celebretur, quousque hoc sit omnino destructum, & pœnitentia publica pro hoc sit ab omnibus facta. Et postea per testamenti præceptum excommunicabit, ut jam ultra in futurum amplius hoc nullatenus præsumatur.

Itaque duo pseudomonachi nostri a Buxeria reversi, mox gementes cœperunt nobis dicere: Heu! male fuimus nati: omnes mortui sumus, nisi Deus misericordiam nobis fecerit. Tum ista, quæ supra retuli, & multo alia majora quæ audierunt ab illo muscipula diaboli Longobardo, cœperunt nobis enarrare. Ego vero confisus hanc contrarietatem accidere propter majorem futuram firmitatem, & quia quo plus contradicitur, eo plus veritas affirmatur, simulque pro nihilo ducens ostentantem Longobardum, (audieram enim eum Lemovicas, ut supra dixi, barbarismis male corrumpere latinitatem, & stultos mores ei inesse, nam iram suam nequaquam celare poterat, & contentionem in nos sua defensione amabat, intellexeram) vel quia tot prudentes ecclesiæ Lemovicensis viros judicabat erroneos, vel quia solus exoticus neque invitatus, videri magister volebat pluribus: culpa est enim superbiæ, meliorem velle docere; simulque quia confestim appulit animus hanc vobis scribere epistolam ad refellendos vecordis errores, curiose minutius sciscitatus sum ab eis hæc omnia dicens: Unde nostis si ipse est sapientior nobis? Ultra, inquit, omnes homines est sapiens, quos umquam vidimus. Nullum ita tota die loquentem audivimus. O quam loquax est, nulla hora lassatur a locutione. In quocumque loco fuerit stans, sedens, ambulans, jacens, ita defluunt verba ab ore ejus, veluti aqua a fluvio Tigride. Ipse mandat omnem locum Buxeriæ sicuti abbas, omnes monachi & laïci, & clerici nihil agunt sine nutu ejus; ipse est enim prior prælatus. Multitudo populi & militum nobis præsentibus, ad eum quasi ad principem desiderantium eum audire loqui festinabant; quos ipse tota die ferens verba, omnes pertæsos reddebat, ipse vero non lassabatur. Qui vero recedebant, dicebant: Numquam sic eloquentem grammaticum vidimus. Quibus ego: Non multitudo, inquit, eloquentium, sed multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum. Sapiens verbis innotescit paucis. Et monachus pauca verba & rationabilia loquatur, & linguam ad loquendum prohibeat, & taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur. Stultus, si tacuerit, sapiens reputabitur. Tum illi: In hac terra non reputatur sapiens, nisi multum fuerit eloquens. Sed de sancto Martiale valde sumus tristes: nam valde placebat nobis eum prædicari apostolum; amodo vero revertendum nobis est ad solitum usum. Ipsi enim Lemovicenses monachi, qui ante corpus ejus adstant, post non multos dies revertentur ad pristinum morem, & non vocabunt eum ultra apostolum, sed confessorem, sicut Benedictus affirmat, & erit hoc magna derisio coram omni sæculo. Quibus ego. Hæc est visio mea, quam hac nocte exhorrebam. Duo parvi, sed valde fœtidi serpentes erant colore terro, ascendentes de vallo inaquoso sed humido, inter se ludentes & luxuriantes, & corpore immoti in superficie valli, quos quidam monachi admirantes & ridentes spectabant libenter; verum ego pro fœtore maligno potius execrans quam fugiens, videbam eos in cavernulis suis reabscondi, quasi fugiendo velocius. Videbam item in summitate fossati ipsius tertium serpentem turpissime variatum, non plus uno cubito longum, inflatum nimio veneno, medium de foramine exire torpidum, & evomentem venenum, qui exhalabat execrandum fœtorem; quem, qui circumstabant, dicebant esse matrem duorum serpentium. quem a longe clausis naribus meis dum cœpissem spectare, ille velut visum meum erubescens, paulatim retrorsum repens, in foramine suo delituit. Intellexi duos serpentes, duos esse vos pseudofratres, tertium vero doctorem vestrum Longobardum, quem ultra nequaquam vocabo Benedictum, sed nomine digno censebo Belitonium, hoc est, Belial-sonum: quia per os ejus diabolus sonat. Est siquidem proprium satanæ, non per caritatem admonere, sed per superbiam derogare, per invidentiam aliorum claritatem obfuscare. Sed cum sciam difficile erigere, & facile esse diruere veritatem, nullatenus miror vos pro uno ignoto magistro, in momento reliquisse bonum, quod me per multum tempus suadente, qui sum a puero non incognitus, testimoniis æque & auctoritatibus virorum probabilium fervescentibus vix inchoastis. Melius tamen fuerat vobis rectitudinem hujus veritatis licet cognitam non inchoasse, quam inchoatam dereliquisse.

De alio etiam monacho sæculari, licet inter regulares Angeriacensis cœnobii ad horam conversetur ejusdem nominis, prænomine autem Salgionio, scitote, ô viri clarissimi, quibus hæc scribo, & ipse in quantum potest, adversarius est huic veritati, adeo ut in conventu nostro publico die quodam hospes, audiens nos in lætaniis nomen Martialis in choro apostolorum canere, mox ibi coram omnibus maximum tumultum & murmur, & scandalum moveret, & deinceps quartum in ordine confessorum elata voce proferret, qui quartum-decimum in ordine apostolorum pronunciatum fuerat. Quem cum palam coram abbate & fratribus arguerem, ait jurgans: Quod numquam antea dictum est, hoc modo dicemus? Cui Gauzbertus: In itinere, inquit, Romæ vidi jam olim quemdam præcipuum comitem Almannum, cujus linguam intelligere non poteram, nisi in psalmis & lætaniis & lectionibus, cujus capellani ante eum quotidie circa horam tertiam lætanias Sanctorum dicebant, & quotidie illos audiebam Martialem pronuntiare in ordine apostolorum. Tum Salgionius: Et ego, quando euntes in Hierosolymam intravimus mare, vidi quemdam Johannem monachum fortissimum grammaticum ex civitate Remis, qui in navi similiter quotidie Martialem pronuntiabat in ordine Apostolorum. Et Gauzbertus ait: Ego nisi per memetipsum ab extranea gente & barbara lingua audirem, non crederem eum esse apostolum: tu vero, qui, ut dicis, exemplum simili modo ab alienis audisti, cur adversarius es? Quia numquam, inquit, hactenus talis consuetudo fuit inter nos, & omnes episcopi & abbates nostri sunt propter hoc tristes, & volunt mittere epistolas papæ Romano, ut hanc novam præsumptionem fieri prohibeat. Et ego respondi: Si papa subripiente consilio invidorum hoc prohibet, tamen obedire oportet Deo magis quam papæ Romano. Nulli etenim papæ data est potestas vel absolvendi, vel excommunicandi sanctos apostolos Dei, vel prohibendi ecclesiam Dei a bene faciendo & recte loquendo. Et ille: Cur hoc inchoasti sine licentia sua? Tum ego: Et tu, inquam, cur effectus es de canonico monachus sine licentia sua? Numquid non ante Martialis fuit apostolus, quam in urbe Roma esset aliquis papa constitutus? Numquid non simul cum Petro Romam venit? Nonne in Hierusalem fuit a Christo apostolus constitutus, & in Sion per Spiritum-sanctum scientia omnium linguarum edoctus est? Non enim de urbe Roma, sed de Sion exivit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Si qui vero apostoli ordinati sunt Romæ, requirant apostolatum suum Romæ. Martialis enim in Hierusalem apostolus ordinatus est, ubi fons christianitatis, ubi vinea fuit balsami, ubi mater est omnium ecclesiarum Sion. Nam & quod legitur in quibusdam Annalibus; Natalis Martialis, qui ab apostolis ordinatus est. simili modo legitur de Jacobo apostolo: Natalis, inquit, Jacobi fratris Domini, qui ab apostolis primus Hierosolymis ordinatus est episcopus. Non enim apostoli eum consecrarunt, qui a Christo consecratus erat, sed compulerunt suscipere regimen ecclesiæ. Pari modo Martialis tantæ dignitatis est apostolus, ut ab apostolis

non consecratus, sed unanimi consensu primum deputatus sit regimen susscipere in provincia & in urbe adhuc ignota, sed a Domino postea Petro ostensa. Ideo Petrus ait: Lemovicam tibi Christus commendat. Christus, inquit, non ego. Clementi vero quem de gentili Romano christianum fecerat, alio modo Romanam urbem injunxit Petrus, dicens: Te episcopum Romæ ordino, & tibi meæ prædicationis & doctrinæ cathedram credo. Et tibi trado a Domino mihi traditam potestatem ligandi atque solvendi, ut de omnibus de quibuscumque in terris decreveris, hoc decretum sit in cælis. Tunc in medio coram omnibus manum ei imposuit benedicens, & in cathedra sua eum sedere compulit. Hoc ipsum antiphona demonstrat antiqua: Sanctus Martialis ad prædicandum Galliis delegatus, subauditur a Domino, quia Dominus ante deputaverat Galliam ad prædicandum, ad quam postmodum præcepit ire per jubentem, immo suadentem & hortantem Petrum. In qua regione primum Lemovicensibus sermone & signis salutem pandere suscepit. Si enim hanc antiphonam ad alios verteris apostolos, recte constabit hoc modo: S. Petrus ad prædicandum Italis delegatus, Romanis civibus jubentibus ceteris apostolis semina fidei eroganda suscepit. Sanctus Andreas ad prædicandum Achaiæ delegatus apud urbem Patras, suadentibus aliis apostolis, prædicationem suscepit. Licet enim, ut liber Clementis ait, Barnabas primus Romanis exortus sit prædicare, tamen sine effectu & fructu reversus est orientem. Et si calicem Aurelianensis ecclesiæ, quem sancto Evurtio episcopo celebrante missam, fertur divina manus benedixisse, nemo postmodum mortalis præsumpsit benedicere: quomodo Martialem, quem Christus manibus suis benedixit episcopum cum ceteris apostolis, ultra aliquis mortalium benedicere pontificem præsumeret? Et si benedictio patriarcharum tantam vim habet, ut dum barbas & coronas clericorum benedixerint hoc tantummodo, dicentes: Benedicta sit barba vel corona tua, aliorum episcoporum benedictione non opus sit; multo magis benedictio ipsius Domini, qua elevatis manibus apostolis benedixit, tantam virtutem habuit, ut altera consecratione ab aliquo mortalium ipsis alterius nullatenus opus esset. Ille vero respondit: Ipsi principes sæculares hoc vituperant. Cui ego: Non omnes, inquit, qui ipsum Christum aut apostolos ejus loquentes audierunt verbum Dei, receperunt. Et hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit.

XLVII.

Ad lib. 56. n. 92.

Ordinationes factæ in monasterio Fiscamnensi.

Ex manuscr. codice cellæ S. Gabrielis.

TEmpore Malgerii archiepiscopi, eo scilicet tempore quo potestativus sui archiepiscopatus erat, opus fuit Fiscanni ordines fieri. tunc abbas Johannes Hugonem Lisoïensem episcopum accersivit, eumque ipsos ordines facere rogavit, qui & paruit. Ibique tum fuit ordinatus Odo, postea Bajocensis episcopus, ad diaconatus officium; ex monachis Robertus Baventinus, Hugo, Johannes Rufus ad subdiaconatum; ex clericis Terfredus & Hugo Turvillæ ad presbyteratum, Richerius etiam de Andelio ad diaconatum.

Ipsius Malgerii tempore, Rodbertus archiepiscopus Cantuariæ Fiscannum venit, & rogante Johanne abbate, basilicas sanctorum Benedicti & Walarici dedicavit, & quosdam ex clericis presbyteros ordinavit, in quibus Alboldus archidiaconus fuit.

In diebus Maurilii archiepiscopi, venerunt Fiscannum ad paschale festum duo Franciæ episcopi, id est Letzelinus Parisiensis, & Fulco Ambianensis, missi in legatione ad Willelmum tunc comitem, postea regem, propter pacem faciendam inter ipsum & Henricum Francorum regem. tuncque in ipso sacratissimæ resurrectionis die supradictus Letzelinus episcopus, volente & petente Johanne abbate Fiscanni, publice missas fecit, atque inter sacra missarum sollemnia, quosdam ex monachis presbyteros ordinavit; & forte tunc Maurilius archiepiscopus aberat*, neque tamen super his ordinationibus requisitus fuerat.

* *f.* aderat.

In ipsius Maurilii diebus, venit Willelmus Ebroïcensis episcopus, per evocationem domni Johannis abbatis Fiscannum, & in ipso paschali sabbato fecit ordinationes presbyterorum, inter quos ordinati fuerunt Hugo, postea prior hujus ecclesiæ, & Hunfredus de sancta-Maria de Watto.

Moderno tempore, id est, in diebus Johannis archiepiscopi, ante scilicet quam infirmaretur, bis misit domnus Johannes abbas clericos suos ad ordinandum Ebroïcas, quos ordinavit Balduinus tunc episcopus. In his omnibus numquam fuit requisitus Rotomagensis archiepiscopus.

XLVIII.

Ad lib. 57. n. 13.

Halinardi abbatis sancti Benigni epistola ad Johannem papam XIX.

Ex nostris schedis.

DOmno sancto totius orbis magistro, Johanni videlicet universali papæ, & humilis abbas potestatis sancti Benigni, cum tota congregatione Sanctorum fidelia orationum servicia. Totum non latet mundum Romanæ ecclesiæ pastorem apostolica vice ita fungi, ut quod ipse in ecclesiastico ordine constituerit, ratum, stabile & inviolabile permaneret in ævum. Dignum ergo est ut resolutori civium philosophiam virtutum, scilicet discretionem semper habeat secum, ne videlicet ille, cui potestas ecclesiarum data, hoc ignoranter propter susurrones constituat, quod cum veram antiquitatem noverit destruere non dubitet. Hoc autem patet ideo vestram præoccupando faciem dicimus, quia notitioni nostræ enucleatum est, vicinos nostros canonicos monasticum honorem inhiantes surripere auctoritatis vestræ celsitudinem, petere

tere velle; quatenus accepta a vobis licentia, cœmiterium nostrum ad se transferant in castellum. Scitis autem quod si qui antiquam patrum constitutionem mutare volunt, non quæ Dei, sed quæ sua sunt quærunt: rogamus ergo propter Deum, ne concedatis, & nos oportune memoriam servitii habebimus.

XLIX.

Ejusdem ad Vestararium sacri palatii.

DOmno illo sacri palatii Vestarario, primo senatori, necnon unico Romanorum duci Eiquoco, suus nomine tenus abbas continuæ fidelitatis servitium. Quos veræ caritatis connexio ligat, longinqua locorum spatia nequaquam separant: quapropter celsitudini vestræ notescat, me licet longinquum corpore, mente tamen & spiritu vobis semper adesse; & non solum meipsum, sed & confratres meos sancto Benigno sedulo servientes, immo etiam ipsum seniorem nostrum salutem vestram in omni prosperitate sanctis orationibus fovere præsentialiter, quo me non immemorem beneficiorum vestrorum vita comite in proximo habebitis in servitium vestrum. Ceterum quoniam in vobis multum confidimus, quidquid nobis acciderit, fiducialiter manifestantes deposcimus, ut si aliquis noster vicinus æmulus aliquid machinari contra locum nostrum apud dominum papam voluerit, vos, sicut bene potestis, hos fieri prohibeatis. Nos enim nihil injustum petimus, sed antiquam legem loci nostri salvam insepultam, quam innixe conantur transferre, volumus. Sic vobis quondam notus, modo notior exstet, quem bene si cures, nos facies memores.

L.

Ad lib. 57. n. 22.

Diploma Alani Britannorum ducis pro Monte-Sancti-Michaëlis.

Ex authentico.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Amen. Divinæ scripturæ incitatus hortamentis, quæ nos præcipit terrenis mercari cælestia, perituris mansura mutari, testante Domino: *Date*, inquiens, *eleemosynam, & omma munda erunt vobis.* Ego Alannus, gratia Dei comes, & dux Britannicæ gentis, notum esse volo cunctis præsentibus atque futuris, quod adierit me Almodus abba Montis-sancti-Michaëlis, necnon & monachi ipsius loci, obsecrantes benignitatem nostram, quatinus pro remedio animæ nostræ, patrisque ac matris meæ, fratris quoque mei Eudonis, ecclesias duas sitas in territorio, quod vocatur *Pavalet*, scilicet sancti Meler atque sancti Meuven-Judichel, quas pater meus Gausfredus comes, ac mater mea Hadeuvis, olim pro salute animarum suarum ipsi sancto loco tradiderant, sed ob incuriam antecessorum abbatum vel monachorum, a loco penitus segregatæ fuerant, restituerem. Terram quoque prope litus maris sitam, quæ dicitur Chancavena, & portum, qui nominatur Porpican. Quorum petitionibus annuens, dignum duxi satisfacere voluntati eorum, reddens eis ecclesias superius nominatas, & quidquid ab ecclesiis recipitur, ea videlicet ratione, ut ipsi monachi eas omni tempore ad proprios usus retineant; & ne quis abbatum per succedentia tempora aliter commutare audeat, prohibemus. Quod si fecerit, aut in nostra redigantur potestate, aut triginta libras mihi persolvat. Si quis autem huic nostræ redditioni calumniam inferre conatus fuerit, damnationem æternæ mortis accipiat, excommunicationique cum maledictis subjaceat, sitque pars ejus cum Dathan & Abiron, & cum Juda traditore Domini. Ut autem hoc per labentia tempora custodiatur, firmiusque teneatur, propria manu subterfirmare curavimus, fidelium quoque meorum nomina, sub quorum præsentia hæc acta sunt, annotare jussimus. Alannus comes, Heudo comes, Hadeuvis comitissa. Signum Gingonei archiepiscopi. Sign. Warini episcopi Reddonensis. Sign. Trischan abbatis. Sign. Budici comitis. Sign. Gotselini vicecomitis. Sign. Riuvallonis. Acta vel firmata est hujus chartæ conscriptio, anno ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi millesimo trigesimo-secundo, indictione quinta, concurr. VI. epacta VI. regnante Henrico Rotberti regis filio, anno primo.

LI.

Ad lib. 57. n. 39.

Charta Helmuini episcopi pro Flaviniaco.

Ex chartario Flaviniacensi.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi. Ego Helmuinus, Dei permittente clementia, Heduensium episcopus. Cum post sanctæ recordationis Gualterium pontificem res ecclesiæ fluitantes sacerdotali procuratione pro posse regerem, adiit mansuetudinis nostræ præsentiam venerabilis abbas Flaviniacensis Amadeus, ostendens in ecclesiæ suæ scriptis, qualiter Corbiniacense cœnobium monasterio Flaviniacensi jure esset antiquitatis subjectum, & ab eisdem qui ipsam ecclesiam suis patrimoniis a principio ditaverant, lege perpetua subjugatum. Et quia Corbiniacus a prædicto capite tunc temporis, & longe ante defecerat, & in sui se status constantiam insolentia ductus erexerat: quia etiam abbas, qui eum qualitercumque rexerat, paucis ante diebus obierat; accepta oportuni temporis occasione, nostram clementiam deprecatus est, ut vetustatis antiquæ statutis nostræ præberemus corroborationis assensum, quo auferri de medio posset, quod irrepserat avaritia duce diffidium. Nos vero ad ejus petitionem nullius temeritatis levitate inducti, e sanctæ ecclesiæ nostræ scriniis regum præcepta, Romanorumque pontificum proferri jussimus privilegia, in quibus tanta ejusdem rei inventa est consonantia, ut id differre nefas duceret communis omnium sententia. Exigebat etiam hoc per omnia maxima necessitas, etsi deesset pa-

ternæ traditionis auctoritas. Regularis etenim ordinis rigore laxato, monachi Corbiniacenſes communia bona in proprios uſus tranſtulerant, & generalis ſtipendii ſumma in particulas diviſa, gravem loco & infamem pauperiem induxerant. Patrum ergo veterum decretis ſuffultus, præſenti neceſſitati conſului, & cleri noſtri militiæ & plebis conſultu prædicti abbatis precibus aurem accommodavi. Do igitur, quia nunc non habebat; reddo, quia olim habuerat, Corbiniacum Flaviniacénſi monaſterio, ita ut præſens & tempus in omne futurus Flaviniacenſis abbas jam dictam abbatiam ſicut ceteras res ſuæ eccleſiæ digerat, ordinet & diſponat, nullius contradictionis turbatus impulſu, nullius calumniatoris incurſu. Quia ergo deditionem, & quod rectius eſt, redditionem fecimus, ſcripti hujus notitiam teſtem adhiberi decrevimus, ut & in futuro emergentis malitiæ machinamenta conterat, & totius blaſphemiæ argumenta refellat; quæ etiam, ut pleniorem obtineat firmitatis vigorem, manu eam propria firmavimus, noſtrorumque clericorum, abbatum ac primatum ſubſcriptione roborari, inſignirique rogavimus. Actum Auguſtoduno civitate. Signum Helmuini epiſcopi, Widonis abbatis, Walterii cardinalis archidiac. Gauffredi abbatis & archidiacon. Brunonis præcentoris, Waleriani archidiac. Guidonis abbatis, Hugonis præpoſiti, Walterii, Rainaldi, Gyrberti, Aganonis abbatis & præpoſiti, Rodulphi, & ceterorum canonicorum; Odilonis abbatis Clunienſis Oddonis abbatis Autiſſiodor. Hugonis epiſc. Autiſſiodorenſis, Hugonis Nevernenſis, Oſaldi abbatis ſancti Martini. Ego Bernardus ſcripſi vice Rainaldi cancellarii, anno Verbi incarnati ī. xxxiiii. Acynrici vero regis anno v.

LII.

Cellæ ſancti Petri Moricenſis origo.

Ad lib. 57. n. 44, *Ex chartario Gratianopolit.*

IN nomine ſummi Opificis mundi monarchiã nobiliter regentis. Ego Humbertus præſul ſacræ ſedis ſanctæ Virginis Mariæ, almique martyris Vincentii, una cum clero mihi decenter commiſſo ſub epiſcopali ſchemate, partimque cum commilitonibus ejuſdem ſedis territoria fruentibus, mirum in modum deliberavi, & admodum delegi monaſterium fieri ex ſanctæ ſedis ſcrinio, illudque pulchre confici ex eccleſiaſticis rebus, ducens commodum fore canonicis ſub activa vita florentibus adhiberi etiam monachos vitam contemplativam proſequentes, optans parere utroque gregi, hoc ipſum favente Radulfo rege, ſimul cum legali ſua uxore, nomine Hermengardis, cujus nempe negotio inſtat archiepiſcopus Brocardus. Quapropter jam dictus epiſcopus annuit, & obnixe expetiit abbatem ſanctæ Mariæ Crudacenſis, quatinus adveniret, & luculenter monaſticum ordinem inſtrueret in loco Moricenſi, quo in loco fulget eccleſia adornata munimine ſive patrocinio beati Petri apoſtoli. Quod audiens præfatus abbas Rainoardus, advocato ſuo collega monachorum, abſque pigritia venit, locum prænixum nomine Moricenſem libenter adire, atque Dei officium libentius exercuit, de quo loco ſecuritatem expetiit, cartamque donationis ſeu animarum redemptionis quæſivit. quod epiſcopus minime abnuit, ſed lætifero vultu fieri juſſit, atque manu propria roboravit, ceteriſque heredibus eccleſiæ idipſum fieri decrevit. Eſt autem locus prætaxatus Moirencus eccleſia parrochialis, cum decimis & primitiis ſeu cimiteriis, quæ ſunt infra ſe & circa ſe. Idcirco ob remedia animarum noſtrarum donamus & cedimus hanc eccleſiam ſanctæ Virgini Mariæ Crudacenſi, monachiſque ibi Deo famulantibus, cum eccleſiis ejuſdem eccleſiæ adjacentibus, cum primitiis & cimiteriis, earumque oblationibus integris, & donamus illis tertiam partem decimarum prænominatarum eccleſiarum, cum agris & vineis cultis & incultis, cum pratis & hortis, cum ſilvis & paſcuis ſilvarum, & inantea Deo nobis inſpirante conceſſerimus. Hoc autem agimus vultu ſereno, eo tenore, quatenus inibi peragatur frequentius a monachis cœnobiale exercitium, & hactenus conſiſtat frequentia monachorum ibi ſecundum eſſe loci die noctuque, amodo & in diebus, quibus humana vita protenditur. Hanc vero mancipationis cartam de prælibatis rebus, quam vobis facimus, non tantum irritam fieri optamus, verum etiam hoc tangentem ſeu querentem anathematizamus, & in vice Petri apoſtoli hos vel has apoſtatizamus, eorum vitam, ſuorumque corpora foras eccleſias & orationes chriſtianorum dejicimus. Si vero quiſlibet pro eis orationem fuderit, anathema ſit maranatha, & inantea hæc charta ſtipuletur. Facta charta eleemoſynaria iſta iii. kalend. Martii, anno xxiii. ex quo Radulfus rex continet regnum Alamannorum. Sign. Humberti epiſcopi, qui chartam iſtam eleemoſynariam fieri juſſit, & anulo ſui regiminis roboravit. Sign. Malleni levitæ. Sign. Iſarni levitæ. Sign. Orgerii preſbyteri. Sign. Adalberti preſbyteri. Signum Umberti. Sign. Rameſtagni preſbyteri. Sign. Guigoni comitis, fratris epiſcopi Humberti. Sig. Bernardi cancell. Sign. Malleni preſbyteri. Sig. Udalardi comitis. Sign. Romani comitis. Sign. Duranti comitis. Sign. Engelbaldi comitis. Sig. Franconi laïci. Sign. Antelmi laïci. Sig. Iſmidoni laïci. Benedictus monachus ſcripſit.

LIII.

Synodus epiſcoporum, in qua Coxanenſi monaſterio eccleſia ſanctæ Mariæ Inter-Ambas-aquas cum immunitate confirmatur. Ad lib 57. n. 58.

IGitur nos in Dei omnipotentis nomine ſubſcripti epiſcopi, videlicet Guifredus, ſanctæ primæ ſedis Narbonenſis archiepiſcopus, & Bernardus præſul Toloſanenſis, & Petrus epiſcopus Gerundenſis, & Arnaldus epiſcopus Commengenſis, & Arnaldus epiſcopus Magalonenſis, & Oliba epiſcopus Alſonenſis, & Giffredus epiſcopus Carcaſſonenſis, & Bernardus præſul Coſeranenſis, & Berengarius epiſcopus Elenenſis, & Bernardus præſul . . . . . & Ugo nuncius domini Nicolai papæ, hanc conſtitutionem dotis, quæ facta eſt temporibus domini Garini abbatis bonæ memoriæ, ad utilitatem & honorem ſanctæ Dei-genitricis Mariæ, cujus locus ab indigenis Inter-Ambas-Aquas vocatur; omnes uno animo unaque ſententia confirmamus, & quidquid ad prædictam eccleſiam ſanctæ Mariæ ubicumque pertinet, totum ſimul cœnobio ſancti Michaëlis archangeli, quod Coxanum dicitur, & abbatibus vel monachis ejuſdem loci, ut in perpetuum libere poſſideant auctoritate pontificali, nos ſtabilimus & roboramus. *Ex veteri apographo.*

Terminus autem de immunitate prædictæ eccleſiæ ſanctæ Mariæ, incipit ab aquilone, & vadit per medium fluminis Hircii * uſque ad vadum Parler . . . . . ante rupem de Caveto, & de ipſo vado tendit per ſemitam uſque ad caput de Baiſſaco, & exinde tendit per rivulum, qui intrat in flumen Aregiæ *, ſcilicet a Negabon, & a medio fluminis Aregiæ revertitur ad aquilonem.

* *l'Herce.*

* *l'Arige.*

Addidimus etiam hoc per ſacerdotalem auctoritatem gratia Jeſu-Chriſti nobis conceſſa, ut quælibet perſona magna vel parva cujuſcumque ordinis vel ætatis, non habeat licentiam tenere aliquid ſe ſciente de alodibus ad prædictam eccleſiam ſanctæ Mariæ pertinentibus, ſine voluntate & conſenſu abbatis & monachorum cœnobii ſancti Michaëlis archangeli. Interdicimus quoque, ut non liceat ulli homini aſſalire, vel capere aliquam perſonam infra terminos vel immunitates prædictæ eccleſiæ; & ut nulla perſona parva vel magna non habeat licentiam aliquam vim in totis ipſis alodibus facere, neque aliquid tollere ſine voluntate abbatis, vel monachorum præfati cœnobii ſancti Michaëlis archangeli, neque ibi aliquid agere quod pertineat ad dehoneſtamentum vel damnum ipſius eccleſiæ.

Concedimus etiam propter honorem Dei & ſanctæ virginis Mariæ, & ſancti Martini confeſſoris Chriſti, ſanctique Quintini martyris, quorum eccleſiæ pertinent ex toto ad proprietatem prænominati cœnobii, ut qualiſcumque pœnitens ibi advenerit, licentiam habeat introeundi & orandi, & omne divinum officium audiendi.

Addimus quoque non excommunicando, ſed rogando & obſecrando, & per Deum omnipotentem admonendo, ut pluſquam vi. caballerii non ſe jungant ad placitandum infra terminos prædictæ immunitatis ſanctæ Mariæ virginis, & ſancti Michaëlis archangeli. Quicumque ergo hujus noſtræ conſtitutionis, quæ ad honorem Dei & beatæ Virginis, atque glorioſi archangeli Michaëlis a nobis facta & confimata eſt, obſervator exſtiterit, atque hunc locum exaltaverit, vel de ſuis beneficiis honoraverit & defenderit, hunc de parte omnipotentis Dei, & omnium Sanctorum ejus & noſtra, benedicimus, & ut illum Dominus ab omni vinculo delictorum abſolvat oramus, ita ut in præſenti vita ejus miſericordiam conſequatur, & in futuro cum Sanctis omnibus vivere mereatur. Qui vero hoc quod nos excommunicando firmamus, tranſgredi auſus fuerit; neque dederit honorem Deo Sanctiſque ipſius & ordini noſtro*, hunc de parte omnipotentis Dei Patris & Filii, & Spiritus-ſancti, & ſanctæ Mariæ virginis, ſanctique Michaëlis archangeli, & omnium Sanctorum, & per auctoritatem noſtri* ordinis excommunicamus, & ab omni conſortio chriſtianorum extraneum judicamus, & a regno Dei alienus ſit, & pars ejus ſit cum impiis & ſceleratis, donec digna ſatisfactione pæniteat, & humiliter emendet quod ſuperbe deliquit, & ſic poſtmodum per divinam miſericordiam abſolutus exiſtat.

* *al.* veſtro.

* *al.* veſtri.

In fine quoque hujus operis hoc addimus, & per divinam auctoritatem, & apoſtolicam & noſtram, atque hujuſmodi obteſtationem ſecundum ſuperiorem allegationem intendimus, ut præfata eccleſia ſanctiſſimæ virginis Mariæ, ſemper in perpetuum maneat abſoluta, nec per ullam perſonam, aut propter quamlibet cauſam, umquam ſit excommunicata, ſed ſine ullo vinculo alligationis irrevocabiliter omnino ſit libera. Datum in cœnobio prænominato, anno incarnat. dominicæ M. XXXV. æra M. LXXIII. indictione tertia, ſub die nono kalend. Jul. anno quinto regni Aenrici regis. Signum † Arnaldus præſul. † Bernardus præſul. † Arnaldus epiſcopus Magalonenſis. † Guiffredus ſanctæ primæ Narbonenſis ſedis eccleſiæ epiſcopus. † Guilabertus epiſcopus Barchinonenſis. † Oliba epiſcopus. † Bernardus epiſc. Biterrenſis. † Bernardus gratia Dei epiſcopus. † Stephanus Agathenſis epiſcopus. † Petrus epiſcopus. † Guiffredus Carcaſſonenſis præſul. † Berengarius ſanctæ Elnenſis eccleſiæ nutu Dei præſul. † Eriballus gratia Dei epiſcopus. † Durandus præſul. † Amelius epiſcopus Albienſis. † Willelmi epiſcopi Convenarum. Scriptum per manus Radulphi preſbyteri ad vicem Arnaldi, Olibæ pontificis notarii, præfato anno vel die.

LIV.

Artaldi epiſcopi Gratianopolitani pro Montemajori de Roiano. Ad lib. 57. n. 76.

ARtaldus divina opitulante clementia Gratianopolitanus epiſcopus, auctor atque diſpoſitor univerſarum rerum ſanctæ Dei eccleſiæ Gratianopolitanæ, cunctis ſucceſſoribus meis, tam epiſcopis, quam etiam canonicis filiis ejuſdem matris eccleſiæ. Neceſſarium ducens ſignificare vobis decrevi, dudum me feciſſe quandam diſpoſitionem de quibuſdam rebus eccleſiaſticis, juris videlicet epiſcopalis præfatæ eccleſiæ in Roianenſis partibus, in quantum principatus præſentis Iſmidonis temporis haberi videtur, vel nomen habetur; & ne ultra poſt-diſceſſum meum quodam modo moveamini neſ- *Ex chartario eccleſiæ Gratianopolitanæ.*

cientes, cur qualiterve fecerim ſcribendum tradidi. Accidit enim re vera ſcitote, quondam præfatum Iſmidonem, ut dictum eſt, dominum illius prænotatæ regionis, & amicum videlicet noſtræ ſedis, ante præſentiam noſtram deveniſſe, & abbatem virum religioſum atque honeſtum Benedictum conduxiſſe, monachorum ſuorum turma conſertum, monaſterii ſcilicet Montis-majoris, qui aſſerentes quoddam donum vel convenimentum antiquitus Romanæ eccleſiæ factum ab avo vel patre præfixi Iſmidonis ipſo confirmante & ab eccleſia Romana ſibi eſſe conlatum, & prædeceſſoribus eorum monaſterium prætaxati tradiderunt cartas auctoritatis ſcriptæ. Auctoritas vero eorum hæc agebat, ut in omni territorio prænotato, nulla ullius perſona loci adquirendi aliquid, quamvis modicum, in ullo tam in laïcali honore quam etiam eccleſiaſtico ullo modo licentiam auctoritatis habeat vel recipiendi præter monachos Montis-majoris, auctoritate Romana a qua & ipſi habebant. Tandem probata ſuorum auctoritate, timens eccleſiam Romanam contra ire, rogatu iterati jam Iſmidonis, & præfati abbatis honorandi precibus, monachorumque ſuorum amicitiis, firmans laudavi juxta textum ſuæ ſcriptionis, retento tamen eccleſiaſtico cenſu, firmante atque conlaudante Arberto & Johanne de Podio atque Moardo, ceteriſque quampluribus ejuſdem præfatæ eccleſiæ filiis.

LV.

Ad lib. 57. n. 107.

Catvvalloni abbatis Rothonenſis epiſtola ad L. abbatiſſam.

Ex cod. mſ. S. Sergii Andeg.

OMni reverentia digniſſimæ matri L.... Catwallonus abbatum noviſſimus æternitatis bravium. Devotionis tuæ litteras admiſi gratiſſime, & multas ago gratias oblato pro munere. At mirari non deſino tuo ſediſſe animo, aquam potare luteam fonte relicto lucido; hoc eſt neglectis patribus, me duplo melioribus, a me tui piaculum depoſcere fidelius. Unde pavens anguſtior, anguſtianſque paveo, ne quod tibi remedium, mihi fiat nauffragium, cum criminum me maculis a puero ſubdiderim, ut maris vincam guttulas & ſabuli minutias, claraque cæli ſidera mea miſer nequitia, ob idque ideo non idoneus prodeſſe tuis precibus. Sed quia in pulvereum Deum rogas homunculum, hoc enim ipſa inſtigat quæ Deus eſt caritas, & quia apoſtolico ammonemur oraculo, communiter alterutram fratrum ſubire ſarcinam; exoro individuam Trinitatis eſſentiam, ut criminum tumultibus ſedatis in te cælitus, quod percepit percipias Maria evangelica, quod audivit & audias voce Dei blandiſſima. O, inquit, mulierecula dilectione fervida, hoc habeto pro præmio quod in me ſdis medico, facinorum remiſſio adſit tibi continuo. Quod ut noſtra facilius oratio obtineat, ſollemne ſacrificium ter immolari faciam in utriſque conventibus fratrum, qui vel in Inſula degunt, vel in cœnobio Rotonum vocabulo. Hoc hortor ante omnia, ut certes eſſe formula digne ſubjectis æmula: quod ſi fuiſti hactenus, amodo ſis attentius, item dico ferventius. Vale mei non immemor in tuis precatibus.

LVI.

Charta Goffredi comitis de dotatione monaſterii Vindocinenſis.

Ad lib. 58. n. 20. *Ex archivo Vindecinenſi.*

QUamdiu mortali carne circumdati in hac convalle lacrymarum degimus, poteſtate liberi arbitrii fruimur. Et quia non merentibus nobis gratuita Dei bonitate abundant divitiis, rerum temporalium opeſque comitantur terrenarum delitiarum, non tamquam mali ſervi eis abuti debemus in ſuperbiam. Sed quia pulvis & cinis ſumus reminiſcentes, & in pulverem ac cinerem nos reverſuros ſcientes, creaturarum omnium Opifici, humani quoque generis Redemptori de his quæ, ipſe clementi manu condonavit, offerre debemus temporalia, ut ab ipſo in cæleſti gloria percipere mereamur ſine fine manentia. Quapropter in nomine ſummi Salvatoris Dei, ego Goffridus comes & uxor mea Agnes perpendentes criminum noſtrorum ſarcinam & pertimeſcentes ultimum valdéque formidandum judicii diem, in quo unuſquiſque de propriis factis rationem redditurus eſt, & prout geſſit ſive bonum, ſive malum judicandus; & cogitare cœpimus, quatinus pro remedio animarum noſtrarum, necnon pro ſalute parentum noſtrorum tam vivorum quam etiam defunctorum, ex rebus noſtris votum omnipotenti Deo offerremus, & monaſterium in honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis in poſſeſſione noſtra apud caſtrum Vindocinum, loco ad id opportuno, ad communem multorum utilitatem a novo fundaremus. Quod opus ardenti aggredientes intentione, prout poſſibilitas noſtra aſſenſum præbet, annuente clementia miſericordis Dei, fideliter inſiſtimus, & monachos ibidem ſub abbatis imperio Deo ſervientes propriis facultatibus, quæ nobis jure hereditario, ſive legitima pecuniæ noſtræ comparatione proveniunt, fovere diſpoſuimus. Ut cum his quæ ipſi deinceps Deo tribuente acquiſierint ad cotidianum eorum uſum, etiam dona noſtra proficiant, & ab eis ad Deum pro nobis aſſidua oratio fiat. Ipſam itaque donationem litteris comprehendere decrevimus, & ſcriptum hoc inde confectum manibus propriis roboravimus, & fideles nobileſque viros utriuſque ordinis tam clericos quam laïcos corroborare rogavimus. Igitur facultatis ſumma ut certius declaretur, ipſas res nominatim exprimere curavimus, id eſt in prædicto Vindocini pago eccleſiam de Ferraria cum tota integritate ſua, quæ conſtructa eſt in honorem ſancti Nicholai confeſſoris. Medietatem eccleſiæ ſanctæ Mariæ apud Villam-epiſcopi, & terram veterem, quam ibi pridem habuiſſe dignoſcimur, pariter cum novalibus & exemptationibus, quæ poſtmodum ibi factæ ſunt. Apud ſtagnum eccleſiæ ſancti Stephani portiones tres,

& terram de monte Holdonis, & de Trapeia cum exemptationibus de monte Hadelingit. Curtem de Balneolis cum omnibus appenditiis. Manſile de Quintiaco & terram de villa Peis. Manufirmam de Villaris, in qua eſt unus manſus terræ cum octo arpennis pratorum & area molendini. In alodiis de Viveris ea omnia quæ jam comparavimus, vel comparabimus de futuro, & quæ villani jam dederunt vel deinceps dabunt. In ſaltu Vaſtinæ eccleſiolam, quæ dicitur Heremitarum, cum duobus manſis terræ. Medietatem ſilvæ de Capellano. Apud villam Mauram unum manſum terræ. manſum item de Spineto. In curte de Donziaco manſum Ranulfi Bociardi. manufirmam de Ciconiola. Apud Botiam manu-firmam, quam dedit Sulpicius & Gelduinus. Ad Plaxitium-Odrici duos manſos, alodium quoque Gilberti de Coldreio. Letgerius preſbyter donavit de alodio ſuo terræ arpennos ſeptem. In pago Cenomannico hæc ſunt quæ concedimus: apud Villam-Dei eccleſiam ſanctæ Mariæ cum integritate ſua, cum terris cultis & incultis, aquis & aquarum decurſibus, ſilvis, paſcuis, exitibus & reditibus & vicaria cum univerſis conſuetudinibus. Silvam de Hulſedo totam ad extirpandum & colendum quiete cum vicaria & omnium redituum ſuorum plenitudine. Medietatem eccleſiæ de Toreio cum omnibus ad ipſam pertinentibus. Apud Hiſpaniacum de terra manſos quatuor cum toto terragio & decimis. Medietatem denariorum de paſnatico totius foreſtis Vaſtinæ & totam terram ejuſdem ſilvæ, profuturam videlicet in luminaria eccleſiæ. In pago Santonico ſanctæ Trinitati iſta delegamus: boſcum ſancti Aniani & boſcum de Columbariis cum omnibus utilitatibus ſuis, ſalinis, aquis, molendinis, piſcationibus, totum & ad integrum quicquid diviſione accingitur quam nos ibi fecimus, ubi ſcilicet continentur de terra centuum manſi. Medietatem quoque terræ cultæ & foreſtæ, quæ nominatur maritima, & eccleſias ejuſdem ſilvæ. Hic etiam centum manſi terræ computantur. Medietatem quoque noſtræ partis de cenſibus ſæpiarum per univerſum pagum Santonicum. In eodem pago ego Agnes faventе filio meo Guillelmo comite Pictavorum monaſterio ſanctæ Trinitatis concedo eccleſiam de Podio-rebelli cum omnibus ad eam pertinentibus, terris cultis & incultis, vineis, & utilitatibus univerſis, meam quoque partem excluſæ de ponte Santonico. Has igitur omnes ſuperſcriptas res in diverſis pagis ſitas, ſicuti a nobis moderno tempore conſtat eſſe poſſeſſas vel comparatas, a die præſenti in ſpeciales uſus monachorum cœnobii ſanctæ Trinitatis abſque conſuetudine, vel cujuſlibet hominis exactione delegamus atque concedimus, quatinus cum his quæ deinceps a nobis ſeu ab hominibus noſtris donata eis fuerint, vel ipſi quantumcumque acquirere potuerint, abſque ulla calumnia ſucceſſorum noſtrorum, ſine contrarietate, teneant, & poſſideant, nec aliquid ſucceſſores noſtri pro rebus prædicto loco a quibuſlibet hominibus donatis depoſcant: ſed quicquid monachi pro utilitate monaſterii de iiſdem rebus agere voluerint, liberam ac firmiſſimam in omnibus licentiam habeant. Si vero fuerit ab hodierna die & deinceps aliquis ex heredibus, vel ſucceſſoribus noſtris, ſive quælibet ſubintromiſſa perſona, quæ contra hanc donationem legitime factam aliquibus adinventionibus calumniam inferre temptaverit, poteſtatis ſuæ & honoris dignitate careat, vel libras auri centum venerabili monaſterio judicio cogente perſolvat, & ſic præſens donatio noſtra, fidelium noſtrorum & nobilium virorum auctoritate roborata, firma in perpetuum perſeveret & maneat. Signum † Goffridi comitis Andegavorum. Sig. † Agnetis conjugis ſuæ. Sig. † Guillelmi ducis Aquitanorum. Sig. † Willelmi Alduini comitis. Signum Etfredi vicecomitis. S. Guillelmi vicecomitis. S. Hervei vicecomitis de Bleſi. S. Haimerici de Ramcono. S. Goffridi de Pruliaco. S. Iſambardi. S. Tetbaldi de Blazono. S. Rainardi. S. Alberici de monte-Johannis. S. Joſcelini de ſancta Maura. S. Petri de Chamiliaco. S. Ingelbaldi. S. Leonis de Ambazio. S. Rainaldi. S. Salomonis de Lavarzino. S. Nihardi de monte-Aureo. S. Landrici de Balgentiaco. S. Odonis Dolenſis. S. Gilleberti. S. Heliæ de Volvento. S. Blaii. S. Hademeri Malæ-capſæ. S. Hildeberti de Rupe-Mahildis. S. Guillelmi Cabocii. S. Petri abbatis. S. Guillelmi de Rupe. S. Radulfi Rabioli. S. willelmi de Partheniaco. S. Conſtantini de Mello. S. Joſſelini Cavantis-granum. S. Petri Maiſnade. S. Manaſſe fratris epiſcopi. S. Simonis de Verruca. S. Stephani de Mennaco. S. Guillelmi fratris Gervaſii epiſcopi. S. Arduini de Rupibus. S. Nivelonis de Fracta-walle. S. Alberici de Firmitate-Aurinni. S. Huberti de Munitione. Actum Vindocini caſtro anno ab incarnatione Domini MXL. ind. VII. * regnante Henrico rege Francorum anno nono, in Dei nomine feliciter. amen.

* *l.* VIII.

LVII.

[*Heinrici regis diploma pro monaſterio S. Salvii, apud Monſterolum.*

Ad lib. 58. n. 47.

Ex chartario S. Salvii.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, ego Heinricus gratia Dei Francorum rex &c. Unde loco S. Wingaloei Monſteroli ſito a plurибus collata, præcepto noſtræ auctoritatis firmamus & ſigilli noſtri impreſſione ſignare præcipimus. In primis ea, quæ a noſtra liberalitate vel patris mei Roberti, vel avi mei Hugonis prædicto loco conceſſa ſunt, ſcilicet molendinos duos cerviſiæ uſibus deſervientes, a me alterum cum quinque accolis, & alterum ab avo meo prædicto Hugone cum decimo pontis denario, & duabus eccleſiis in memoria ſancti Judoci ſacratis, quarum una eſt infra munitionem, alia ſuper fluvium..... cum piſcatoria aquæ ab Atimacho uſque..... Addimus præter ea firmando ea quæ pater meus contulit, très eccleſias, unam ſcilicet in honore ſancti Petri, aliam

in honore ſancti Wingaloei, tertiam in honore ſancti Salvii ſacratas; & tranſitum novæ villæ ..... Inculcamus præterea corroborando ea, quæ a primis fundatoribus loci ſunt collata, ſcilicet a Hilgodo comite, qui prædictum ſanctum nuper a partibus Britanniæ propter metum piratarum deportatum hoſpitio cum liberalitate & munificentia tempore Ludovici imperatoris filii Caroli Calvi ſuſcipiens, dedit illi, in primis atrium publicum, ſepulturam ſcilicet advenarum & peregrinorum, deinde novem manſos ſubtus Firmitatem ... His addimus noſtra auctoritate ea, quæ contulerunt Herlewinus comes, Raynerus, Hato, Scylaldus, Wenerannus, Clarboldus, Aldonus comes, Anſcerus, Saleco, Arnulfus comes, Balduinus comes, Gonfridus, Benzelinus, Alfridus, Hagano, Autgerus clericus, Balduinus marchiſus, Ingerannus comes, Rodulfus, Landricus-Largus, Hato, Framericus, Hugo, Walterus, Herleboldus, quorum primus Herlewinus comes dedit in villa Sguira eccleſiam unam in honore ſancti Vedaſti, & villam quæ Longum-pratum dicitur, cum ſilva & arabili terra & pratis. Dedit denique villam Silviniacum &c. Actum Monſteroli publice anno incarnati Verbi milleſimo quadrageſimo XI. & regni Henrici regis undecimo. Ego Balduinus cancellarius regis relegendo ſubſcripſi.

Sequitur in chartulario charta Widonis comitis Pontivi concedentis cœnobio ſanctorum confeſſ. Salvii & Wingaloei omnes bannos & omnes de quibuſcumque forfacturis juſtitias, quas anteceſſores ſui tenuerunt &c. an M C. Romanæ ſedis præſidente domno papa Raynero, cognominato Paſchaſio, Remenſis eccleſiæ archiepiſcopatum tenente Manaſſe, ſanctæ Ambianis eccleſiæ Perrevino * pontifice, Normanno hujus loci abbate, Philippo rege cum filio Ludovico anno XL. Francorum ſceptra tenente. Ego Wido Pontivorum comes, &c. Sig. Agnetis meæ filiæ.

* *I. Gervino.*

vigoris manum ereximus, & ex ea qua fulcimur apoſtolica auctoritate præcipimus, ut præfatam abbatiam nemo umquam ſæcularium poſſideat, neque ex rebus ejuſdem eccleſiæ quicquam ſibi aliquis uſurpet, non rex, non comes, non epiſcopus, neque quilibet princeps quacumque poteſtate præditus, villam aut manſum vel campum, ſive conſuetudines ſeu diſtrictiones terræ prætitulatæ abbatiæ appendentis, in dominium ſibi ſubripiat, niſi forte tuendi ac defendendi cauſa, & hoc nonniſi ejuſdem loci regularis abbatis fiat permiſſione. Si quis vero pro hac adipiſcenda pecuniam vel quodlibet munus regi aut cuilibet principi dederit ſive promiſerit, ſubinferendæ maledictioni ſubjacebit. Sit igitur eidem eccleſiæ abbas ſecundum regulam ſancti Benedicti conſtitutus, & monachi regulari diſtrictione ſubjecti, quos de rebus ejuſdem eccleſiæ aliquod diſpendium perpeti cum omni imperio prohibemus. Res vero ejuſdem eccleſiæ ſunt. In pago Viromandenſi villa una, quæ dicitur Aiſiolcurt [a], & in ipſo pago in villa Curticulas [b] nuncupata manſi ſeptem. In Hadoniſcurte manſus unus. In Duriaco medietas eccleſiæ. Molendinus de Belliſaſis [c] cum aqua & ſuis adjacentiis; in ſuburbio Perronæ viginti ſeptem curtilli cum molendino & vineis; in Perronella eccleſia cum hoſpitibus. In Tegerihamo [d] manſi duo; in villa ſanctæ Radegundis manſi tres. Villa quæ Vivarius [e] dicitur cum ſuis appenditiis. In Alania [f] maſiſi duo. In Dodonico, [g] molendinus unus cum tertia parte prati. In pago Sueſionico, in villa quæ Alamans vocatur, manſi duo cum alodio Vuitberti. In Vuadonis-curte manſi duo. Deinde ea quæ a prædicto Rotberto ad reſtaurationem ſæpedictæ abbatiæ ſunt hæc. alodium de Bailos [h]. Item alodium de Tiliaco. Similiter alodium de Oſtricurt [i] cum eccleſia, & alodium Barderi. Scaincurt [k] quinque hoſpites cum terra & ſilva. Frigilcurt [l] cum appenditiis ſuis. Salicellus cum ſilva. Curcellis [m] deinde cum omnibus appenditiis ſuis Eccleſia de Buriaco [n]. Item eccleſia de Sterpiniaco [o] cum aqua piſcatoria, & aqua de Sebodiſcluſa [p]. Eccleſia de Aſciniaco [q]. Pons-Huberti. In Friſia manſus unus cum aqua. In villa Atheis [r] molendinus unus cum tribus hoſpitibus. Apud Liniacum manſi duo. In Guitardi curte manſus unus. In Habelinicurte [s] manſus unus. Hæc itaque & his ſimilia, & ſi qua alia eadem Domino opitulante adquirere ſibi potuerit, apoſtolica fulta auctoritate licenter & ſine aliqua contradictione poſſidebit. Si quis vero contra hujus apoſtolici privilegii tutelam aliquid ſiniſtri molitus fuerit, & ex his quæ dicta ſunt aliqua pervertere voluerit, hunc cum auxilio Domini noſtri Jeſu-Chriſti & adjutorio beatæ Mariæ ſemper Virginis genitricis ejuſdem Domini noſtri Jeſu-Chriſti, faventibus nobis omnium cæleſtium virtutum beatiſſimis ſpiritibus, & annuentibus ſanctorum Patriarcharum & Prophetarum agminibus, & auctoritate beatiſſimi Petri apoſtolorum principis cum omnibus apoſtolis & diſcipulis Domini, martyrum etiam ſive confeſſorum ac virginum ad hoc ſuffragan-

[a] *Aizecourt.*
[b] *Courcelles.*
[c] *Belles-aiſes.*
[d] *Etincham.*
[e] *Vivier.*
[f] *Alaine.*
[g] *Dovin.*
[h] *Barleu.*
[i] *Eſtricourt.*
[k] *Eſquincourt.*
[l] *Frigicourt.*
[m] *Courcelles.*
[n] *Buires.*
[o] *Eſterpigny.*
[p] *Sebotecluſe.*
[q] *Aſſigny.*
[r] *Athies.*
[s] *Ablincourt.*

LVIII.

Ad lib. 58. n. 101.

Bulla Gregorii VI. pro monaſterio S. Quintini de-Monte.

Ex chartario monaſterii.

GRegorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Gualcranno abbati ſancti-Quintini-montis tuiſque ſucceſſoribus perpetuam in Domino ſalutem. Si juſtis petitionibus præſtabiles voto piorum aſſenſum præbemus, voluntati Domini nos militare credimus. Ergo notum ſit univerſis catholicæ matris eccleſiæ filiis, quod miſit ad nos filius noſter, Henricus ſcilicet rex Francorum, paternitatem noſtram humiliter obſecrans, ut quamdam cellam in pago Viromandenſi ſitam in honore ſanctæ Trinitatis ac ſancti Quintini martyris conſtructam apoſtolicæ auctoritatis præſidio muniremus, quam ſuggerentibus Rotberti militis bonæ memoriæ filiis, qui eamdem abbatiolam jure beneficii poſſident, ad ſacræ religionis cultum venerabilem erigere conatus eſt, ac regiæ poteſtatis præcepto corroborari niſus eſt. Quorum petitioni congaudentes eccleſiaſtici

tibus meritis, cum aſſenſu comprovincialium pontificum & hujus ſanctæ Sedis ſuffragancis epiſcopis, excommunicamus & anathematizamus, & a liminibus ſanctæ Dei eccleſiæ ſequeſtrantes ab omni chriſtianorum ſocietate ſeparamus, ut ſub hujus anathematis vinculo perennaliter innodatus ſit anathema maranatha conſtrictus vinculis hujus noſtræ præceptionis. Qui autem eidem monaſterio bene egerit, benedictione noſtra redundet, pro eo quod noſtrum præceptum conſervavit illæſum. Scriptum per manus Johannis primiſcrinii noſtri Lateranenſis palatii. Indict. XIIII. Bene valete. Datum IIII. kal. Mart. per manum Petri diaconi bibliothecarii & cancellarii ſacri Lateranenſis palatii, anno primo domni Gregorii univerſalis papæ. indic. XIIII.

LIX.

Ad lib. 59. n. 20.

Charta Goffredi vicecomitis Thoarcenſis pro monaſterio S. Jovini de Marnis.

Ex authentico.

QUia vita hominis militia eſt ſuper terram, & in imagine pertranſit homo, ego Goffredus vicecomes Thoarcii ægritudinis mole gravatus & peccatorum meorum numeroſitate compunctus, ingraveſcente morbo, a Bernardo venerabili abbate ſancti Jovini olei ſacri benedictione delibutus, pro ſalute animæ meæ parentumque meorum ſancti Spiritus inſtinctu religioſorumque virorum conſilio, in perpetuum do abbatiæ ſancti Jovini monachiſque ibi degentibus, frumentagium illud, quod homines militum illius vici & parochiæ & totius territorii abbatiæ per ſingulos annos mihi reddebant. Abbas vero Bernardus omniſque conventus, tanti beneficii non ingrati, & ſecundum Apoſtolum peccatorum meorum onera portare cupientes, non quæ ſua ſunt ſed quæ Jeſu-Chriſti quærentes, caritate dictante, hujus doni recompenſatione ſacerdotem continuum pro me ſpecialiter parentibuſque meis quotidie ſacras hoſtias oblaturum Domino conſtituunt, & me fratrem quaſi unum ex ipſis in omnibus abbatiæ beneficiis recipiunt. Hujus rei teſtes ſunt qui hoc viderunt & audierunt, Petrus abbas ſancti Launi, W. abbas Aureæ-vallis, & abbas de Brignun, Goffredus de Quingé, Aimericus Barbota, Aimericus de Faia, Goffredus Torgueia, Matthæus de Poent, & plures alii. Concedente Aymerico filio ſuo iſtis videntibus & audientibus, Aimerico de Canta-merula, Guillelmo-Simonis, Arberto de Campis, Gaufredo de Quingé, Aimerico de Faya.

LX.

Ad lib. 59. n. 57.

Leonis papæ IX. bulla pro Stabulenſi monaſterio.

Ex authentico.

LEo epiſcopus ſervorum Dei Theoderico religioſo abbati venerabilis monaſterii ſancti Petri ſanctique Remacli Stabulao poſiti, ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum. Tunc ſummæ apoſtolicæ dignitatis apex in hoc divini proſpectus amore dinoſcitur præfulgere, ſi in adquirendis Dei laudibus ſui impenſius ſtudeat laboris exhibere certamen .. Ob hoc nos debita ejuſdem apoſtolicæ paſtoralis compellit ſollicitudinis cura, ut quæ ad ſtabilienda piorum pertinere dinoſcuntur locorum, ubertim promulgare & apoſtolicæ inſtitutionis cenſura debeamus confirmare. Igitur quia poſtulaſti frater a nobis, quatenus monaſteria a venerabili patre Remaglo conſtructa, id eſt Stabulaus & Malmundarium, ſita in ſaltu Arduennenſi, in honore ſancti Petri apoſtolorum principis privilegio noſtræ auctoritatis muniremus: & quia juſta viſa eſt nobis petitio tua, aſſenſum tibi per hujus noſtri privilegii conſtitutum præbemus, & roboramus apoſtolica auctoritate ſecundum præcepta regum & imperatorum in præſentia noſtri relecta. Ratum itaque decernimus quidquid dedit primus conſtructor locorum, Sigebertus videlicet rex Francorum, qui Germiniacum in pago Remenſi, & molendina duo ſub uno tecto ſuper Suppia, & vineam cum vinitore in Bethereo, & telonea quæ ad portum Vetraria ſunt ſuper fluvios Taunaco & Itta, & portum qui dicitur Sellis, & vogatium ſuper fluvium Ligerim ipſi adhuc viventi ſancto Remaclo tradidit. Eadem quoque firmitate vigoramus acta & inſtituta regum Clodovei, Dagoberti, Childerici, Theoderici, qui eadem præceptis ſuis confirmaverunt, aliaque perplura addiderunt; necnon imperatorum Karoli, Ludovici, Lotharii, & trium Ottonum, Henrici etiam primi & ſecundi, & tertii auguſtorum, qui conſtructores & defenſores fuere locorum ipſorum, & quidquid de terminis & immunitate leugæ in eorum præceptis continetur, ſtabile eſſe judicamus; concambia etiam quæ facta ſunt de Luchefenges & Aſtelebrunna, ſive etiam quæ a chriſtianis hominibus pro ſalute animarum ſuarum ad ipſa monaſteria collata ſunt & condonata, a Fretherico comite Ferieres & Canſes, a Fretherico duce Sprimont, allodium cum eccleſia, & quæcumque ab initio conſtructionis locorum uſque in præſens eorum manet poſſeſſio, & in poſterum concedenda ſunt, ut firma ſtabilitate perpetuoque jure inconvulſa permaneant decernimus & confirmamus. Nullum habeant advocatum niſi unum & alterum ab ipſo, qui uterque bannum advocatiæ ab imperatore accipiat, nec ſecundum prædictorum præcepta imperatorum quiſquam eorum præſumat, aut in villis vel poſſeſſionibus, quæ ad ipſa monaſteria reſpicere videntur placita tenere, manſuras aut precarias facere, redhibitiones vel freda exigere, palefredos ſumere, vel cuiquam violentiam inferre ſine permiſſu abbatis & voluntate; nullique perſonæ cujuſcumque dignitatis ſit vel ordinis, ipſam abbatiam liceat umquam in beneficium vel concambium accipere. Quod ſi quis (quod abſit) hæc omnia temptaverit infirmare, beati Petri noſtraque auctoritate eum æterno percutimus anathemate. Præterea ſancimus, ſicut ab ipſis imperatoribus eſt diffinitum, ut defuncto per

succeſſionem abbate utrimque in unum & duobus monaſteriis confluentibus monachis habeant ſine ſimultatione, ſine acceptione perſonæ, ſine reſpectu pecuniæ, ſecundum ſancti Benedicti regulam, abbatem eligendi liberrimam optionem, ea tamen præponderante ratione, cum Malmundarienſium pace, ut quia beatus Remaglus utriuſque monaſterii conſtructor & Tongrenſium antea epiſcopus & paſtor, maluit in altero eorum, id eſt Stabulaus, locum ſepulturæ ſibi eligere, ipſi primam electionis obtineant viam, ſi apud eos melior meritis & probabilior inveniatur; ſi autem non illic, ſed Malmundarii melior reperiatur utrique loco præficiendus, ab eo potius quam ab externis aſſumptus intromittatur. Si quis autem (quod non optamus) nefario auſu præſumpſerit his quæ a nobis ad laudem Dei pro ſtabilitate jam dictorum monaſteriorum ſtatuta ſunt, refragari aut hæc in quoquam transgredi, hunc a liminibus ſanctæ Matris eccleſiæ ſegregamus, atque cum Juda traditore Domini noſtri Jeſu-Chriſti & cum diabolo & angelis ejus æternis incendiis concremandum deputamus. At vero qui pio intuitu obſervator & cuſtos exſtiterit hujus noſtri apoſtolici conſtituti ad cultum Dei reſpicientis, benedictionis gratiam & miſericordiam a miſericorde Deo noſtro multipliciter conſequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur. Bene valete. Data Maguntiæ III. nonas Septembris per manus Petri diaconi bibliothecarii & cancellarii ſanctæ apoſtolicæ ſedis, anno domini Leonis noni papæ primo, indictione tertia.

men fratrem noſtrum Hugonem. Et quia ſuus mitis confeſſor cujuſcumque ſanctorum ſibi vendicavit corpora, non ſe elonget eorum precibus exigentibus, vel alienet ab animarum apud Deum obtinenda venia, ut ſub cujus protectione vixerunt, tuitione propitia per eum æterna promereantur gaudia. Confirmamuſque eidem loco illa, quæ nominati eidem vel alii parentes noſtri contulerunt bona, & quæcumque conceſſit jam illuc vel in perpetuum conceſſura eſt quælibet Deo fidelis perſona. Et ut noverint omnes quantum honorem huic loco ſemper optaverimus, juſtis precibus domnæ Mathildis, & filii ejus Henrici, noſtri quondam nepotis, altare in ipſa eccleſia tria nos ipſi dedicavimus. Quod quia eminentius altiuſque præ ceteris eſt conſtitutum, decrevimus etiam illud magnificentius ſpeciali honore glorificandum, ut nemo ibi celebret miſſamn, iſi archiepiſcopus, vel epiſcopus ipſius diœceſis, vel idonei ipſius eccleſiæ hebdomadarii. Si quis autem alia perſona orationis vel alicujus negotii ſupervenerit cauſa, ad idem altare, ut miſſarum ſolemnia exequatur, non præſumat accedere, niſi de abbatiſſæ, vel aliarum ſanctimonialium conſenſu & licentia. Celebretur etiam dedicatio ab omnibus loci ejuſdem incolis VII. kal. Decembris. Ut autem probabile teſtimonium huic eccleſiæ ab omnibus de bonis ſuis adhibeatur, nomina ipſorum bonorum vel prædiorum, quæ modo libere, habet fideliter ſubſcribi fecimus; hæc autem ſunt. In civitate Metenſi tria curtilia, eccleſia de Albertorf integra cum conductu, & medietas ejuſdem villæ; Landeldingen datus a Beſelmo, apud Nunhirchen manſus cum lacu piſcatorio datus a Truſingo. apud Volteringen foreſtus a Bezolino datus: eccleſia tota de Steinſilide cum conductu, & omni integritate; ad curiam hoſpitii, & hominibus ſuſcipiendis pertinet Volfreſingen & apud Halbeſſurt molendinum, & manſus unus, & apud Terolnesheim vineæ duas carratas vini ſolum per annum. ad abbatiam autem ipſam ſicut & alia prædicta, pertinet etiam quarta pars eccleſiæ apud Sitterfdorff, & tertia pars telonei apud Sarburg. eccleſia Monheim tota cum conductu & omni integritate, & quarta pars ejuſdem villæ. Medietas villæ quæ dicitur Meingeringem & eccleſia cum conductu & tertia pars decimæ. Sacerdoſque illius eccleſiæ omni anno in natali Domini triginta nummos pro eulogiis perſolvit abbatiſſæ. Eccleſia Berthingen tota cum conductu & omni integritate, & medietas villæ ejuſdem eccleſiæ Igolingen cum conducta & villa ex toto data per manus Mathildis dilectæ uxoris fratris noſtri Hugonis prædicti & filii ejus Henrici. Moneta apud Heſſe cum totius mercati utilitate. Quarta pars eccleſiæ de Teſſelingen cum conductu & omni integritate. Eccleſia de Belnoylre tota cum conductu & omni integritate. De hac eccleſia quinque ſolidi omni anno perſolvuntur. Eccleſia Malſcheidt tota cum conductu & omnibus ad chriſtianitatem pertinentibus. De hac etiam quinque ſolidi omni anno perſolvuntur. Eccleſia Elbersmytre, tota cum conductu & omni

LXI.

Ad lib. 59. n. 62.

Ejuſdem Leonis IX. bulla pro parthenone S. Laurentii in Alſatia.

Ex apographo.

LEo epiſcopus ſervus ſervorum Dei, eccleſiæ in loco qui dicitur Heſſe poſitæ in honore ſanctæ Dei-genitricis Mariæ & in memoria ſanctorum Martini confeſſoris, & Laurentii levitæ glorioſi & igne purgatorio aſſati martyris dedicatæ, & per eam Sebergæ * abbatiſſæ nepti noſtræ, & poſt eam ſucceſſuris inibi Dei ancillis in perpetuum. Martinus hic pauper & modicus, quo cælum divites ingrediamur, dulciter monet, ut ſibi ſuiſque amicabiliter ſerviamus. Aſſatus ut piſcis Laurentius, quemadmodum ipſe dicit, ſuavem gloriam promeruit: ita & nos ſibi ſuoque Domino noſtro Jeſu-Chriſto vult per multos labores inſervire, ut ſic digni efficiamur operarii ſua mercede. Hac unius leni manſuetudine, & alterius aſperſa impulſione commoniti, quod ſolemus & debemus, etiam huic eccleſiæ confirmationem noſtri privilegii gratis concedimus pro ſanctorum debita veneratione & parentum noſtrorum inibi in Chriſto quieſcentium memoriali ac præcordiali devotione. Tegit enim martyr patrueles noſtros comites Mathiridum & bonæ memoriæ Gerhardum, ejuſque uxorem devotam famulam Deo Cuniſam, & cordis noſtri dum vixit dulce ſola-

* *f.* Geibergæ.

omni integritate. De hac etiam quinque ſolidi omni anno perſolventur. Eccleſia Bettelingen tota cum conductu & villa ex toto & omni integritate. De hac etiam omni anno duo ſolidi perſolventur. Apud Rodesheim tres partes decimæ eccleſiæ inferioris, & ipſa eccleſia cum conductu, & omnibus ibidem ad chriſtianitatem pertinentibus. De Dreheim omni anno ſex carratæ vini ad cellarium monialium dantur; & in feſto ſancti Martini decem ſolidi ibi perſolvuntur abſque aliis beneficiis, quæ inibi ſunt poſita. Apud villas Boſſeringen, Schalhembach, Olba, Richenhofem, prata, agri, curiæ non modicæ. De familia autem eccleſiæ, ac ſuæ catholicæ fidei & honeſtæ religionis, pater noſter Hugo, juſtus in eiſdem bonis advocatus & heres, hanc conſtituit concordiam, ut invicem ſe in legali matrimonio, ſecundum ſuam conditionem, conjungendi liberam habeant licentiam: ita ut ſi ex illa conjunctione numeroſa proles procreata fuerit, æqualiter dividatur eccleſiæ & heredi. Si autem non procreatum fuerit, inde niſi unum cujuſque ſexus mancipium, pro ſpeciali ſua reverentia habeat eccleſia. quod & nos confirmamus, atque in perpetuum taliter permanere ſtabilimus, necnon & omnia ad ipſam eccleſiam pertinentia, ſtabilia & firma, & nullo modo violanda, hac noſtræ præceptionis pagina corroboramus; & nihil horum, neque imperator, neque rex, neque dux, neque marchio, neque comes, neque vicecomes, neque advocatus, neque aliquis heres, & neque archiepiſcopus, neque epiſcopus, vel aliqui eccleſiaſtici ordinis, ſeu mundanæ conditionis, magna parvaque perſona infringere, vel minime aut invadere præſumat; ſi autem aliquis præſumpſerit, liberam habeat licentiam adeundi auctoritatem apoſtolicam. Violatorem ergo hujus præcepti, Martinus pius, niſi reſipuerit, non defendat, Laurentius læſus in illum iratus inſurgat, ſitque omnibus ſociis ingratus, atque divinum anathema ſuſtineat; conſervatorem vero, divina gratia circumveniat, & apoſtolica benedictio conſervet & muniat.

LXII.

Ad lib. 59. n. 65.

Ejuſdem Leonis IX. bulla pro monaſterio Dervenſi.

Ex chartario Dervenſi.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Ego Dei clementia Leo humillimus papa, volo ut agnoſcant fideles univerſi ſanctæ hujus Leuchorum ſedis, qualiter abbas Milo ex ſancti Bercharii monaſterio, meam adierit præſentiam, petens ut cuidam altari ſuæ eccleſiæ libertatem pro Dei amore, cujus ſervitium illo diſponebat ordinare, traderem. Eſt autem eccleſia illa ſuper Bleſam fluvium in vico, qui dicitur Villa, in qua monachos ad ſerviendum Deo decernebat inſtituere. Quod oſtendens meis & hujus Dei eccleſiæ filiis, clericis ſeu laïcis, cenſuerunt ut ejus petitioni præberem aſſenſum; quatinus ipſe abbas, & congregatio ac ſucceſſores eorum pro mea parvitate, ſive ſucceſſoribus meis ſemper precentur Domini miſericordiam. Quorum conſilium amplectens, conceſſimus omnem libertatem prædictæ eccleſiæ, ut inibi habitantes monachi, abſque ulla emptione altare ſancti Mauricii ad honorem dicatum, perpetualiter poſſideant. Propter quod capellanus, qui curam animarum villæ habuerit, ſynodum atque concilium prævideat, cenſumque perſolvat: quando vero alius ſucceſſerit, oblatus a monachis abſque ulla ſervitute locum tenebit. Si quis ergo præſumpſerit hæc ullo modo tranſgredi, quæ prædicto indulſimus locello, ſciat ſe anathematis innodatum vinculo: qui vero illis largitatem fecerit aliquam, a piiſſimo Domino noſtro Jeſu-Chriſto multiplicia conſequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur. Ut autem hoc opus pietatis noſtræ conſiſtat ſemper inviolabile, manu mea ac dominorum pontificum, cum clericis ac laïcis, qui adfuerunt, cenſui eſſe roborandum.

Ego Leo, ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ præſul Tulli confirmavi. Signum Halinardi Lugdunenſis archiepiſcopi. Sign. Evrardi Treverorum archiep. Johannis Portuenſis epiſc. Alberonis Mettenſis epiſcopi, Widonis Leuchorum primicerii, Stephani archidiaconi, Alberonis archidiac. Rodulfi archidiac. Lamberti archidiac. Widrici archidiac. Ulrici archidiac. Walteri decani, Warneri decani, Duranni preſbyteri, Alberonis, Rotberti, Milonis abbatis Dervenſis, Alberti prioris, Hingonis, Wandalgeri. Ego Petrus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus, bibliothecarius & cancellarius, ſubſcripſi. Ego Johannes, ſubdiaconus ſcholæ cantorum, ſubſcripſi.

LXIII.

Charta Milonis abbatis pro eodem.

Ad lib. 59. n. 66.

Ex eodem.

EGo, gratia Dei abba Milo, notificare volumus fidelibus Dei præſentibus & futuris, qualiter operamur in eccleſia Dei, cui præſidemus. Quidam juvenis, ex nomine Kalo, venit ad hanc Dei eccleſiam, in ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, Chriſtique martyris Bercharii honore conſecratam, petens ut traderetur ei ſacer habitus religionis; & ipſe hanc Dei eccleſiam totius hereditatis ſuæ, quæ ex matre ſua ſibi contingebat, quoniam unicus exſtitit ejus filius, faceret heredem. Cujus petitionem non ſpernere duximus, ſi pater ejus adveniret, & hujus rei laudator fieret. Hoc autem idcirco dicebamus, quia prædictum juvenem ſine patre ſuo iſta petentem videbamus. Cum vero in hac petitione perſiſteret, detinuimus eum ab VIII. kalend. Martii, uſque ad kalend. Auguſti, & oculis quæ poſtulabat, præferentes, & pro modulo noſtro ei omnem humanitatem exhibentes, ac ejus patris adventum præſtolantes. Tunc pater advenit, quo modo res ejus erant, quæ tradebat oſtendit, & quodam tenore laudavit. Hæc ſunt autem villarum nomina, quo illius

consistit hereditas, Macerias, Carus-locus, Absomna, Augias, Nogiacus, Mons-lutonis. Laudavit nempe hac conventione pater ejus Nevelo, ut quod Wernerus socer suus, hujus filii sui avus, tam ex terris quam ex servis dederat in beneficio, ex se, dum viveret, sui tenerent homines, & post finem suum absque suorum aliorum filiorum contradictione ac militum, qui præsentialiter tenebant, hic possideret Dei & Sanctorum locus. De illo quidem quod tenebat in dominio, hoc est ad Macerias & Carum-locum, medietatem omnium, tam de ecclesiis, quam de servis, terris & silvis, pratis & aquis, Deo & Sanctis ad præsens pro filio laudavit, ac post decessum suum, ut prædiximus, aliam cum tota libertate consignavit. Prædia etiam in Tornodorensi habebat, quorum medietatem, quam hic suus filius solidam possidebat, Deo præsentialiter cum filio concessit, & ex alia medietate, quantum ab invasoribus redimeret, iterum Sanctis medietatem tribuit, & post suum finem similiter totam. Hanc rationem ostendimus multis, & cuncti qui adfuerunt fieri statuerunt. Nos denique per hanc conventionem fratre suscepto, decrevimus adsignare universa scripto. Signum Walteri comitis, qui hæc ordinavit & statuit. Sign. Petronillæ matris ejus. Sig. Nevelonis patris fratris Kalonis. Signum Widonis archidiaconi. Sign. Raineri clerici, &c.

LXIV.

Leonis IX. bulla pro canonizatione sancti Gerardi episcopi Tullensis.

Ad lib. 59. n. 75.

Ex manuscr. codice S. Mansueti.

LEo episcopus, servus servorum Dei, cunctis catholicæ ecclesiæ filiis in Christo, salutem & apostolicam benedictionem. Virtus divinæ operationis in omnibus mirabilis, maxime tamen in Sanctis suis, quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, quos etiam vocavit, justificavit antequam sæcula fierent, antequam ipsi exsisterent. Et quia ipse Dominus in Evangelio dicit: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*; verum procul dubio esse quotidie ostendit quod dicit, scilicet eos sanctificando, quos vocavit; eos vocando, quos prædestinavit sola gratuitæ miserationis bonitate, non humani generis merito, quia naturaliter omnes sumus filii iræ & filii gehennæ. Cum autem hæc dicere cœperimus, continuo patefaciemus; quia sicut nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum statuit, ut luceat omnibus, qui in domo sunt: sic & Dominus noster Jesus-Christus illos clarificando miraculis in mundo, quos secum vivere & gloriari facit in cælo, ut quia per adoptionem facti sunt filii Dei, prævenientegratia, pateat illos heredes esse regni, quod promisit Deus diligentibus se. Paullo ergo ante nos in episcopatu Tullensi, unde nutu Omnipotentis, & omnia suo arbitrio disponentis, non ullis meritorum nostrorum profectibus ad apostolicam sedem translati sumus, fuit episcopus, nomine Gerardus, qui duo talenta, intellectum & operationem, a cælesti Patrefamilias accipiens, divinam legem, quam medullitus intellexit, sic opere adimplere studuit, ut fieret dignus accipere illam desiderabilem a Deo salutationem: *Euge serve bone & fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Sic enim domini sui talenta erogavit, sic animas lucratus est verba salutis prædicando, & opere quod prædicabat exercendo, ut geminatam domino suo pecuniam præsentaret, & sibi æterna beneficia cumularet. Lumbos sibi præcinxit castitatem servando; lucernas in manibus portavit, exempla bonæ operationis aliis præbendo; exspectavit dominum suum a nuptiis sanctæ ecclesiæ non dormiendo, sed vigilando prima, secunda, tertia vigilia, anxius ad ejus aspectum, secundum illud quod quotidie psallebat: *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: Sitivit in te anima mea, quam multipliciter & caro mea.* At quia sic semper animo suspirabat ad Deum, ejus virtute comitatus, angelicam ducens vitam, quotidie Christum in pauperibus ad mensam suam suscipiens, quotidie piis actibus insistens, nec docendo, nec agendo, nisi quod sanctum & Deo gratum esset, multis effulsit miraculorum prodigiis, sanctitati ejus testimonium perhibentibus. Unde adhuc plures testes exsistunt, quod & idem post mortem carnis cum Christo Domino nostro spiritu vivens & glorians, sæpe operatus est, & sæpe adhuc curans diversos languores, diversasque infirmitates. Quamvis autem venerabile corpus ejus multis, ut diximus, hactenus coruscaret miraculis, & ipse in numero Sanctorum divino sit deputatus indicio; nondum tamen in catalogo Sanctorum fortitus est humana corroboratione numerum, quod Dei miseratrix clementia nobis servis suis reliquit agendum, ubi ad culmen conscendimus apostolicum. Residentibus ergo nobis Romæ in synodo in ecclesia Salvatoris, cum multis coëpiscopis nostris, circa sexto nonas Maias, relatum est auribus nostris ab Udone Tullensi præposito, eadem nocte ipsum Gerardum in visione apparuisse cuidam venerabili monacho, nomine Albizoni, qui synodo intererat, quem ipse Udo nimiis precibus constrinxerat exorare Dominum, ostendere sibi cujus meriti esset apud Deum ipse domnus Gerardus, qui tot miraculorum radiis emicabat. Videbatur ergo illi ipsum assistere sibi, quem numquam corporaliter viderat, etiam nomen ejus audierat, & dicere se ipsum Gerardum esse, pro quo Deum decreverat exorare. Ad quod ille gavisus sedulo scisciari cœpit, an esset apud Deum in numero Sanctorum. Cui læto vultu respondit, procul dubio se esse cum Deo, dignumque ac justum fore eos honorari in terris ab hominibus, qui honorantur in cælis ante Deum ab angelorum agminibus. quam visionem ipsi ore proprio divulgavimus in synodo, exponentes ipsius domni Gerardi vitam venerabilem, conversationem mirabilem, miraculorum multitudinem, efficaciam divinæ virtutis ad corpus ejus exuberantem; & sequenter sanctam Synodum interrogavimus, si deberet ut Sanctus venerari, & Sanctus deinceps nominari. Ad quod cuncti, tam archiepiscopi quam episcopi, tam abbates quam clerici ac laïci, quorum utrorumque magna intererat multitudo, quasi uno ore clamaverunt, ipsum dominum Gerardum verum esse Sanctum, adeo inter Sanctos numerandum, nominandum & venerandum, pro eo quod vivens in carne, testantibus miraculis, vir sanctus exstitit, & carne exutus, qualis in mundo fuerit, in cælesti beatitudine positus, mundo quotidie eisdem miraculis innotescit. Decrevimus ergo, sic annuente & laudante synodo, ut ex hoc Sanctus habeatur & Sanctus colatur VIIII. kalend. Maïas, tam Leuchæ, sicut sanctus Mansuetus & sanctus Aper, quam ubique terrarum, sicut ceteri Sancti. Cujus Sancti venerabile corpus per nos ipsos cupimus transferre, & digno loco in altari proprio collocare, ad laudem & gloriam Domini nostri Jesu-Christi, qui ideo factus est pro nobis homo, ut non solum salvaret eos a peccatis, sed etiam conferat eis præmium beatitudinis, & mansionem in cælis, ubi ipse cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Nomina sanctorum Patrum, qui præscriptæ synodo interfuerunt.

Dominicus patriarcha Gradensis.
Alinardus Lugdunensis archiepisc.
Leodegarius Viennensis archiepisc.
Hugo Bisuntiensis archiepisc.
Humbertus Siciliensis archiepisc.
Hildebrandus Capuensis archiepisc.
Petrus Consanus archiepisc.
Johannes Portuensis episcop.
Wido Volaterrensis episc.
Crescentius Silvæ-candidæ episc.
Johannes Velletrensis episc.
Johannes Ostiensis episc.
Johannes Savinensis episc.
Johannes Tiburtinus episc.
Benedictus Salernitanus episc.
Leo Gaïetanus episcopus.
Atto Camerinensis episc.
Johannes Sisinensis episc.
Adalbero Mettensis episc.
Obizo Pisensis episc.
Heinricus Populonii episc.
Atenulphus Fesulanus episc.
Crescentius Cerensis episc.
Azo Centumcellensis episc.
Gerardus Reatinensis episc.
Bonizo Tuscanellensis episc.
Johannes Suanensis episc.
Gerardus Rosellanus episc.
Theodericus Orbiensis episc.
Harduinus Fanensis episc.
Herimannus Castellanus episc.
Herimannus Corbinensis episc.
Aldredus Wigranensis episc.
Leo Murensis episcopus.
Masio Montis-viridis episc.
Bonus Petroinensis episc.
Bernardus Patavinensis episc.
Walterus Veronensis episc.
Heinricus Spoletanus episc.
Isembardus Theanensis episc.
Petrus Buturnensis episc.
Atto Marsicanus episc.
Leo Soranus episc.
Benedictus Berulensis episc.
Azo Fosiensis episc.
Attigrinus Imolensis episc.
Gerardus Florentinus episc.
Fridericus Genuensis episc.
Goffredus Constantiensis episc.
Mainus Redonensis episc.
Hugo Nivernensis episc.
Isembaldus Pictavensis episc.
Arnolphus Santonensis episc.
Arduinus Tudertinus episc.
Hugo archidiaconus ecclesiæ Romanæ.
Petrus ejusdem ecclesiæ diaconus, cancellarius & bibliothecarius.
Sico primicerius ipsius ecclesiæ.
Richardus abbas S. Benedicti.
Hugo abbas Cluniacensis.
Hairardus abbas S. Pauli.
Johannes abbas S. Sabæ.
Reinerius abbas S. Cosmæ.
Petrus abbas S. Bonifacii.
Johannes abbas S. Vitalis.
Johannes abbas S. Laurentii.
Bonactus abbas S. Johannis.
Riquerius abbas S. Juliani.
Luipfridus abbas S. Vincentii.
Gozfridus abbas de Vergeliaco.
Walerandus abbas S. Vitoni.
Gerewinus abbas S. Richarii.
Viventius abbas S. Januarii.
Leo abbas S. Cornelii.
Martinus abbas S. Blasii.
Felix abbas S. Andreæ.
Richardus abbas S. Ragneberti.
Dudo abbas S. Mariæ.
Pereneſius abbas S. Salvatoris.
Agius abbas S. Silvestri.
Adam abbas S. Isaac.
Teuso abbas S. Petri.
Bonizo abbas S. Petri.
Viventius abbas S. Januarii.
Willelmus abbas S. Apollinaris.
Wido abbas S. Severi.
Leuzo abbas S. Mariæ.
Albricus abbas S. Zenonis.
Johannes abbas S. Salvatoris.
Bonactus abbas S. Salvatoris.
Lætus abbas S. Angeli.
Stephanus abbas S. Thomæ.
Rotdulfus abbas S. Petri.

LXV.

Ad lib. 59. n. 88.

Ejusdem Leonis papæ IX. bulla pro monasterio sanctorum Bertarii & Ataleni.

Ex tabulis monasterii.

LEo servus servorum Dei, ecclesiæ beatorum martyrum Bertarii & Ataleni, quæ dicitur Blederici-villa, positæ in comitatu Santensi, & per eam sanctimonialibus, ibidem perpetuo famulaturis, perpetuam in Domino salutem. Ad apostolatus nostri curam procul dubio creditur pertinere, ut venerabilia loca nostris apostolicis fiant munita, & nobis proficiat ad salutis augmentum, quod eis proficit ad tutaminis fulcimentum. Quapropter æquum & salutare visum fuit nobis, ut prædictam ecclesiam, a Raynardo comite suisque progenitoribus conditam, apostolicæ auctoritatis scuto muniremus, eamque in monastico ordine permanere decerneremus. Ea igitur auctoritate, qua in terris licet indigni, vice tamen fungimur beatissimi Petri apostoli, confirmamus & roboramus per hanc nostri apostolici privilegii paginam eidem sancto & venerabili loco omnia, quæ ab eodem Raynardo comite, ejusque parentibus, & aliis quibuscumque fidelibus Christi concessa & concedenda sunt in perpetuum, prohibentes nostra apostolica auctoritate, ne umquam a monastico ordine locus ipse auferatur, sed semper sub regula sancti Benedicti permaneat, & nominatim quæ ipse Raynardus comes huic loco pro remedio animæ suæ contulit, quarum quidem potestatum nomina hic subscribi fecimus: integram videlicet Bledericivillam, cum ecclesia & omni integritate sua; Romaldi-villam cum omni integritate; Salsuris cum omni integritate; Pantevillare cum omni integritate; allodium de domno Basolo; Ligisdicurtem cum integritate, allodium de Unzonisscurte. Post quorum donorum firmissimam contraditionem, sicut ipse prædictus comes jam expetierat, eam a nobis, dum in solo episcopatu Tullensi præfuimus, consecrari, immo & consecrata est: ita & modo in apostolatus culmine, divina præeunte clementia, misericorditer sublimati constituimus, idem illic ad laudem Dei, ac Sanctorum venerationem, deinceps congregationem sanctimonialium venerabiliter stabiliri, & sub beatæ Dei-genitricis ac virginis Mariæ, sanctique protomartyris Stephani Tullensis ecclesiæ confirmari, eo tenore, ut quicumque de ejus corporis posteritate Fonteniacum castellum justa hereditate possederit, advocatiam ipsius loci habeat solide. Quod si forsan ad ejus successionis progeniem nemo superstes remanserit, ad propinquiorem & natu-majorem, qui de stirpe ipsius Raynardi descenderit, aut ex cujus hereditate idem locus est inceptus, prædicta advocatia perveniat; & annuatim in inventione sancti Stephani debitum censum instituta congregatio ipsius loci pro subjectione persolvat, scilicet cereum unum duodecim denariis Tullensibus appretiatum. Donum igitur abbatiæ in manu episcopi Tullensis semper consistat, & quæcumque de ejusdem præfati comitis stirpe in eodem cœnobio idonea inventa fuerit, provisionem loci sub nomine abbatissæ suscipiat; sin autem inibi nequiverit reperiri, de loco sancti Romarici aliqua de ejus progenie digna ad abbatissam sumatur; & si etiam in his utrisque cœnobiis nulla poterit inveniri, potestatem episcopus habeat, aut de eisdem locis, aut de aliis infra Tullensem episcopatum aliam dignam personam perquirere, & in loco illo secundum Deum præficere. Si quis ergo, quod absit, & quod fieri minime credimus, ab hac nostra publica sanctione discordare pertentaverit, & præstito alicujus pretii commento, non secundum Dominum prælationem loci statuerit, aut locum destruere, vel de appenditiis imminuere voluerit; habeat advocatus liberam potestatem adeundi regem, & ibi causas monasterii sagaciter exponat, & hujus nostræ apostolicæ præceptionis diruptionem; & ut reformetur, summopere studeat. Si vero advocatus de facultatibus monasterii vi, aut malo ingenio quippiam diminuere voluerit, aut etiam hanc nostram apostolicam confirmationem infringere; commonitus bis ac tertio a præsule, si cum justitia culpam emendare voluerit, advocatia sibi permaneat: at si contra episcopi admonitionem, vel excommunicationem incorrigibilis permanserit, advocatia careat, & præsul alium advocatum requirat, qui fideliter loci defensionem provideat. Et ne aliquid de appenditiis ecclesiæ usurpare præsumat, statuimus, ut in festivitate sanctorum martyrum Bertarii & Ataleni ibidem detur ei servitium, videlicet modius unus frumenti, modius unus vini; & si vinum defecerit, tres solidi monetæ ipsius pagi, & porcus duorum annorum. Hinc vero de rebus vel justitiis abbatiæ nullo modo se præsumat, nisi forte ab abbatissa in adjutorium vocatus fuerit; & tunc pro sua præsentia & adjutorio tertiam ejusdem abbatiæ accipiat partem. Ut autem hujus rei confirmatio cautius in perpetuum firmiusque servetur, nonnisi magnis precibus Lanhardis filiæ ipsius jam sæpe dicti Raynardi comitis, & diligenti suorum consilio fidelium, scilicet Richuini & Cunonis, atque Rhindrici seu Theobaldi, utrique locorum, videlicet sanctæ Tullensis ecclesiæ, alterum in dicto cœnobio sua, prout visum est, similia privilegia assignavimus, quorum cautissimo privilegio, nec episcopi Tullensis lædatur auctoritas, nec ecclesiæ ancillarum Dei aliqua proveniat ab episcopo injusta incommoditas: statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, ut nullus imperatorum, nullus rex, nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nullus vicecomes, nullus advocatus, nullus archiepiscopus, nullus episcopus; & præterea nulla hominum persona cujuscumque sexus & ætatis, contra hanc nostræ apostolicæ auctoritatis confirmationem & constitutionem venire pertentet. quod quicumque fecerit, nostro apostolico anathemate usque ad satisfactionem dignam percussus existat; qui vero se custodierit & observaverit ad confirmationem & constitutionem, nostra benedictio accumuletur, & vitæ æternæ particeps efficiatur. Data octavo idus Decembris per manus Udonis Tullensis primicerii, cancellarii & bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis anno domini Leonis IX. papæ 11. indictione IIII.

LXVI.

Ad lib. 59. n. 90.

Charta Brunonis abbatis pro Dervensi monasterio.

Ex chartario Dervensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Ego frater Bruno, gratia Dei abbas; notam fieri volumus petitionem cunctis fidelibus, quam apud nos fecit domnus abbas Odo de sancti Germani Autissiodorensi cœnobio. Petiit enim parvitatem nostram, ut cellam in villa, quæ Diseias dicitur, exsistentem, quam, sicut antecessores sui, injuste possidebat, sub alicujus census solutione ei concederemus, quatinus, ut prædictum est, quod tenuerat ex tortitudine, tandem possideret ex aliqua rectitudine. Cujus petitione devictus, ante præsentiam domni archiepiscopi Mainardi Senonensis, & Parisiorum episcopi Hecelini, cellam, quam poscebat, & ea, quæ ad ipsam pertinent, sibi & successoribus suis eo tenore tradidimus, ut per singulos annos in festivitate sancti Bercharii, quæ est XVII. kalend. Novembris, sex solidos denariorum nostratum nobis & successoribus nostris persolvant. Quod si ipso die non solverint, duplicatum reddant, & quod tenent non perdant. Et si aliquo ingenio aut violentia ex toto nihil solvere voluerint, sciant hanc conventionem desinere, & deinceps nos terram Sanctorum recipere. Ut autem omni tempore inconvulsa hæc traditio permaneat; quemadmodum petiere, per chirographi chartam nostra, & fratrum manu firmatam annotare curavimus hanc conventionem. Signum Brunonis abbatis, Alberti, Hingonis, &c. Actum publice monasterio Putiolus, seu Dervo, regnante in regno Francorum Henrico rege post obitum patris anno vicesimo. Data VIII. Idus Januarii, anno ab incarnatione Domini millesimo quinquagesimo.

LXVII.

Ad lib. 59. n. 90.

Charta donationis pro eodem.

Ex eodem.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: notissimum sit fidelibus universis, quod ego Mainsendis, genere non ignobilis, dum essem legitimis conjuncta thalamis, sed, Deo volente, privata liberis, sollicita fui de remedio animæ meæ, & patris mei, matrisque meæ, videlicet Vinfredi & Rosæ; avunculorum quoque meorum Teodebaudi, Hugonis, Bosonis, Anselli, Adelelmi, qui habitum monachilem susscepit. Quapropter monasterium adivi beatorum apostolorum Petri & Pauli, sanctique Bercharii, ubi etiam prædicti, & alii antecessores mei, cum fratribus meis Benzelino & Heriardo habentur tumulati, ubi quoque præerat domnus abbas Bruno, & ipse exsistens meus consanguineus, ostendi ei & senioribus loci, quod vellem meæ hereditatis sanctos præmemoratos heredes fieri. Nam præscripti fratres mei heredem fecerant jam dictam ecclesiam de quadam parte sua in eadem villa; & ideo apponere volui partem meam parti eorum, sicut cum eis accipere volebam corporis mei sepulturam. Postulavi etiam, ut si aliquando substantia corporali egerem, mihi aliquid subsidii præbuissent. Ergo prædictus abbas monachique desiderium meum laudantes, adsensum petitioni meæ præbuerunt. Igitur ad altare Sanctorum, sicut jam dictum est, traditionem feci alodi mei in villa, quæ vocatur Dervus, scilicet quartam partem ejus in ecclesia, terris cultis & incultis, aquis, pratis & silvis. Ut autem hoc stabile fiat, petivi litteris & testibus adsignari. Signum domni Brunonis abbatis, sign. Hingonis, Deodati, &c. Sign. Mainsendis, quæ obiit XI. kalend. Februarii.

LXVIII.

Ad lib. 59. n. 102.

Airardi Namnetensis episcopi charta pro Majori-monasterio.

Ex archivo Majoris-monasterii.

CUm intra Gallias amplius quam aliubi gentium mos pravus inolevisset, ut ecclesiarum fructus, & altarium decimas vel oblationes alii quilibet, potius quam ecclesiarum ministri, quibus jure competebant, usurparent; satisque inique comparatum esset, ut clericorum ad laïcos, pauperum ad divites victualia transirent: processit ab urbis Romæ papa, domno videlicet apostolico nomine Leonis, decretum, ut laïci omnes ministris ecclesiarum redhibitiones relinquerent, earum & altarium decimas secundum apostolum in partes cedere sinerent altaribus servientium: si quominus, excommunicationis susciperent vinculum. Quod cum percrepuisset, jussis apostolicis alii humiliter obediebant; alii superbe resultabant. Hoc in tempore, ego indignus monachus, nomine Airardus, cum essem cardinalis ecclesiæ sancti Pauli, & ejusdem monasterii abbas, datus sum episcopus urbi Namneticæ, pastore viduatæ, non meo merito, sed Domini voluntate, & supradicti domni apostolici electione. Ad quam cum pervenissem urbem, & gratifice, tam a clero, quam a populo exceptus essem; inter alia, quæ fuerant illis intimanda, de supradicto decreto non tacui, quod nuper promulgatum erat in concilio Romano: insinuans omnibus, qualiter, qui non illud observarent, & in præsenti vita a sancta ecclesia separari, & in futura a societate Sanctorum mererentur excludi. Quod multi verentes, omnium mihi ecclesiarum & altarium, quæ tenebant, decimas & oblationes reddiderunt, & se numquam repetituros spoponderunt. Inter quos Rodaldus quidam de primoribus patriæ, exemplum factus ceteris, omnes quas possidebat penitus reliquit, meæque deliberationis, quid inde fieri vellem, arbitrio commisit. Quas ego fun-

ditus, ſicut ille mihi dimiſerat, omnes S. Martino & monachis Majoris-monaſterii dedi, & propter eorum perſonalem in Domini ſervitio fervorem, & ut mei meorumque deceſſorum atque ſucceſſorum, atque mihi commiſſi gregis habere dignarentur in ſuis beneſactis memoriam. Hoc autem prædictus Rodaldus fieri non modo non abnuit, ſed ut fieret etiam devote ſupplicavit, & cartam inde fieri petiit, quam & ipſe & omnis ejus parentela firmavit. Comes quoque Namnetenſis, Mathias nomine & canonici noſtræ eam corroboraverunt eccleſiæ. Addidi etiam ad munificentiæ ſupplementum, ut quiſquis eis per totam meam diœceſim dare aliquid voluerit, aut aliquid ab eis in pretio comparatum fuerit, quod meo quoquomodo indigeat auctoramento, faciat ſecurus tribuatque devotus. Ego ſemel annui quidquid eis poſſit in perpetuum dari. Verum tamen id obſervetur, ut cenſus ſynodicus matri eccleſiæ redhibeatur. Hoc vero meæ conceſſionis beneficium, hujus cartulæ notitiæ inſcriptum, manibus noſtrorum firmatum eſt canonicorum, & meo illorumque ſignis & nominibus roboratum. † Signum Airardi epiſcopi Namnetenſis manu mea firmavi & ſcripſi. † Alveus archidiaconus. † Guillelmus filius Hervei archidiaconi. † Canonici Johannes. † Hubertus de Caſſumno. † Duranus filius Simonis.

LXIX.

Notitia de his quæ dedit Quiriacus apud Honort Majori-monaſterio.

TEmpore Quitiaci Namnetenſis urbis epiſcopi, ſicuti antiquitus conſtitutum erat & in canonibus habetur, vetitum fuit & ſub anathemate poſitum, ne quis laïcorum in decimis neque in oblationibus eccleſiarum aliquam partem haberet, nec aliquam hereditatem ulterius repoſceret. Quod laïci audientes & contra tale præceptum totis viribus reluctantes, tandem divina juſtitia conſtricti oblationem altariorum reliquerunt in manu præfati epiſcopi: ſed decimas retinuerunt. Quas oblationes dedit ſupradictus epiſcopus S. Martino ſuiſque monachis in perpetuum, in caſtro videlicet quod vocatur Honort. Quod donum etiam ipſi qui tenuerant laïci annuerunt, videlicet Hodricus de Caſſum & Jacutus de Honort & duo filii ejus Eblon & Daniel Buca, & Gorodenus Brocmaoli filius. Inſuper ſupra dictus epiſcopus in ipſo ſupradicto caſtro, in eccleſia videlicet S. Chriſtophori, conceſſit ſuperius dictis monachis de oblatione altaris, quam preſbyter quidam, Gorhedrus nomine, tunc temporis poſſidebat: ut ſi ipſe preſbyter vellet accipere S. Benedicti habitum, vel pro aliqua re partem ipſam quæ ſibi competebat retinere non valeret; ipſi ſuo dono atque juſſione ex integro retinerent & haberent, annuentibus hoc ejus archidiaconis, Radulfo ſcilicet atque Albino. Accidit poſtea nutu Dei, quod ipſe præfatus preſbyter gravi infirmitate præventus, monachos S. Martini ad ſe accerſiri juſſit, quibus ſeipſum in monachum & ſua contulit tali modo, quod medietatem oblationis ſuæ partis eccleſiæ S. Chriſtophori, quæ ſibi eveniebat, ad præſens ipſis libere tradidit. Aliam partem cuidam filio ſuo, quem ipſe ſicuti ſeipſum in monachum obtulit, dereliquit hoc modo, quod quando ipſe filius pannos indueret, vel ſi abſque pannis monialibus moreretur, illa pars monachis funditus remaneret, abſque alicujus viventis calumnia. Hoc factum fuit ante præſentiam Rivallonii caſtri domini & uxoris ſuæ nomine Ludis. Teſtes ſunt inde Herveus Boterellus monachus S. Martini, Guillelmus Bechet monachus.

LXX.

Forma electionis Petri epiſcopi Anicienſis.

Ad lib. 60. n. 33. *Ex cod. Anicienſi.*

POſt obitum Stephani ſanctæ Anicienſis atque Vallavenſis eccleſiæ pontificis facta eſt diſſenſio pro eligendo epiſcopo inter clericos ejuſdem eccleſiæ & Heinricum regem Francorum Rotberti filium, qui electionem eorum dixit ſe confirmare, ſed mentitus eſt, non regalia ſequens ſtatuta. Nos autem ſanctæ Anicienſis atque Vallavenſis eccleſiæ cœtus communi conſilio atque communi voto clerus, populus atque militia, elegimus virum nobiliter natum, nobilius educatum, prædicti Stephani pontificis neporem, nomine Petrum, eccleſiæ noſtræ præpoſitum, quem cum in præſentiam dicti regis Francorum duxiſſemus conſecrandum, rex ille poſtpoſita, auctoritate canonum, neglecto clamore qui aderant in præſentia pontificum, atque decretis & privilegiis Romanorum pontificum ſimul & præceptis prædeceſſorum ſuorum, per nefas contra omnem juſtitiam omnemque veritatem, intervenientе pecunia & Toloſano comite, quem inſtigabat uxor ſua, dedit Anicienſem epiſcopatum non ut debuit, ſed ut potuit cuidam Bertranno Mimatenſis eccleſiæ archidiacono, qui & ordinem preſbyteralem pretio diſtraxit & pontificalem gratiam, donum videlicet Spiritus-ſancti, pecunia emit, ut Simon magus olim a Petro apoſtolo facere voluit. Sed non eſt illi pars neque ſors cum tali ordine, qui æſtimavit donum Dei poſſideri pecunia, ſed audiat ab Apoſtolo cum Simone mago: *Pecunia tua tecum ſit in perditione.* Nos vero talia reſpondentes ut debuimus, quantocius reverſi ſumus, & ad ſummum pontificem Romanæ ſedis, utpote pro tanto diſcrimine, Hugonem archiepiſcopum Biſuntinum, & Sedunenſem Aymonem, & Artaldum epiſcopum Gratianopolitanum, cum conſilio Viennenſis eccleſiæ archiepiſcopi Leodegarii eceleſiæ noſtræ canonici atque nutriti. ſuper his conſulendum tranſmiſimus. qui precibus noſtris annuens & more prædeceſſorum ſuorum noſtra privilegia confirmans, nos electumque noſtrum præſentiæ ſuæ adeſſe præcepit. Factum eſt autem ad voluntatem noſtram, & anno incarnationis Dominicæ M LIII. indictione VI. epacta XXVIII. III. idus Martii, luna XVIII. feria VI. apud Ravennam Romanum adivimus papam, qui præſul ſummus domnus Leo VIIII. poſtquam noſtra audivit prædeceſſorum ſuorum decreta, videlicet Silveſtri atque Gregorii, nobis conceſſa, laudavit atque firmavit electum noſtrum prædictum Petrum eccleſiæ noſtræ archidiaconum & præpoſitū, & præcepit preſbyterari a cardinali Umberto eccleſiæ ſanctæ Rufinæ epiſcopo. Alia vero die apud Ariminum cum Heinrico Ravennatis eccleſiæ electo idem papa prædictum Petrum electum noſtrum factum preſbyterum manu propria conſecravit epiſcopum. Teſtes vero hujus conſecrationis nominatim inſerimus, ut futuros certiores reddamus. Domnus papa Leo nonus, Umbertus ſanctæ Rufinæ eccleſiæ cardinalis epiſcopus, Othgerius Peruſinus epiſcopus. Fredericus ſacri palatii Lateranenſis cancellarius. Stephanus ejuſdem ſacri palatii judex Romanus. Heinricus archiepiſcopus Ravennas cum eo conſecratus. Leudegarius primas Viennenſis. Aymo epiſcopus Sedunenſis. Artaldus epiſcopus Gratianopolitanus. Adalbero Metenſis epiſcopus. Thietmarus Corienſis epiſcopus. Humbertus Ariminenſis epiſcopus. Andulphus Feretranus epiſcopus. Humbertus Bobienſis epiſcopus. Petrus Penſaurienſis epiſcopus. Rotbertus Senogallienſis epiſcopus. Johannes Ficoclenſis epiſcopus. Petrus Foropopulienſis epiſcopus. Johannes Forojulienſis epiſcopus. Petrus epiſcopus de Commaclo. Johannes Ceſenus epiſcopus. Odolricus Cornelienſis epiſcopus. Acta ſunt hæc tempore ſupradicto apud Ariminum civitatem, domno Leudegario Viennenſis eccleſiæ primate poſt domnum papam mediatore & ordinatore, & ad miſſas vice capellani ad altare obſecundatore.

LXXI.

Ad lib. 60. n. 42. *Gaufridi comitis donatio facta eccleſiæ S. Clementis de Credone.*

Ex archivo Vindocinenſi.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis ego Gaufridus Andegavorum comes per hujus conſcriptionis notitiam & præſentis ætatis fidelibus notum fieri volui, & apud futuras poſt nos generationes a calumniis omnibus tutum, quod eccleſiam ſancti Clementis apud caſtrum Credonis ſitam, cum decimis & rebus ad eam juſte pertinentibus, monaſterio ſanctæ Trinitatis, quod a novo fundavi, & monachis ibidem ſub domno Oderico abbate degentibus ac ſucceſſoribus eorum, ſicut alias donationes meas, in perpetuum poſſidendam pro redemptione peccatorum meorum dedi in augmentum victualium & neceſſarii ſumptus ipſorum, quam quidem eccleſiam Suthardus vetulus olim Humberto abbati & monachis ſancti Albini in manum miſerat ad hoc ut illi eam ad abbatiam augmentando perducerent. Sed poſtmodum cum illi conventum iſtud complere nollent, Guarinus-Suthardus filius ſibi illum reſumpſerat, & ad clericorum ſervitutem redactam in manu ſua tenuerat. Cum vero honorem Credonis in manu mea dominium habui, ſanctæ Trinitati illam dedi, antequam illam Roberto Burgundioni fideli meo donaviſſem. nam ab iſtius donatione eccleſiam hanc, ſicuti ſanctæ Trinitati præſens donatum, excepta denominata, quia monaſterio ſanctæ Trinitatis in morem poſſidendam tradideram. † Ego Gaufridus comes donationem iſtam feci, & per hoc ſignum ſanctæ Crucis firmavi. Grecia comitiſſa huic donationi præſens interfui.

Iſti ſunt teſtes qui adfuerunt, Odericus abbas, Rainaldus clericus, Gaufredus canonicus ſancti Mauricii, Liſoius de Ambaſio, Guido de Prulliaco, Fulgerii Wanilo, Hilduinus præpoſitus, Luc de Gallicana, Guido monachus, Lambertus canonicus ſancti Laudi, Johannes de Cainone, Archenbaldus filius, Goſecanus de Loſduno. Romaldus archidiaconus ſancti Mauricii ſcripſit, Gibertus monachus ſcripſit. Actum Andegavis civitate VII. calendas Aprilis, anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu-Chriſti M LIII.

LXXII.

Confirmatio prædictæ donationis per Rainaldum dominum Credonenſem.

NOtum ſit univerſis ſanctiſſimæ Dei eccleſiæ fidelibus præcipueque monachis ſanctæ Trinitatis Vindocinenſis cœnobii, quod ego Rainaldus filius Roberti Burgundionis & uxor mea, nomine Eunoguena, filia Roberti de Vitreo, nata de ipſius legali conjuge, filia videlicet Warini naturalis heredis & domini Credonenſis honoris, confirmamus & noſtra auctoritate corroboramus Domino Deo & loco ejus Vindocinenſi donum illud factum de eccleſia ſancti Clementis, quæ ſita eſt apud Credonem, quod quidem Gaufridus Andegavorum comes eidem præfato fecerat loco, ſic & nos per rectam fidem concedimus integre, ſicut ipſe dederat, cum univerſis rebus & reditibus juſte ad præfatam eccleſiam pertinentibus, ad ſupplementum victualium monachorum perpetualiter habendum deinceps & quiete ſemper poſſidendum. Quapropter donaverunt mihi monachi jam facto naturali heredi per ſuſceptionem meæ conjugis quinquaginta denariorum libras & uxori meæ ſeptem, ut eis & loco Vindocinenſi de præfata eccleſia noſtra perpetualiter per rectam, ſicut præfatum eſt, firmaremus auctoritatem. quod quidem & nos ipſi libenter accipientes, ad eamdem ambo venimus eccleſiam, ibique ſub Dei teſtimonio & monachorum, aliorumque virorum fidelium, quorum nomina ſubſcribi fecimus, rem, ſicut monachi poſtulaverant, per rectam fidem & ſine malo ingenio donum illud, quod prius Gaufredus Andegavorum comes fecerat, confirmantes, monachis habendum jure perpetuo & tenendum ſine cujuſquam calumnia ac quiete deinceps poſſidendum ſuper altare ſancti Clementis per fruſtum ligni tradidimus. Atque ut hoc caſſari nullo modo poſſit, auctoramentum noſtrum in carta conſcribi juſſimus, & ad ſanctam & apoſtolicam ſedem tranſmittere per

quemlibet fidelem, & super altare beati Petri apostolorum principis imponere decrevimus atque vero corde spopondimus, quodque in sanctæ Romanæ ecclesiæ scriniis optamus simul & obsecramus ad testimonium perpetualiter reservari, ad honorem videlicet ipsius sanctæ Romanæ ecclesiæ, cujus auctoritate & tuitione domus Vindocinensis se se confidit inter sæculares procellas posse subsistere & quietam fore. S. Rainaldi, S. Eunoguenæ uxoris ejus. Hujus igitur rei testes sunt viri isti qui affuerunt, Salomon filius Otrardi, Hugo abbas, Robertus filius Geraldi, Normannus filius Saludii &c. Datum v. nonas Martii. Actum est hoc apud Credonem in monasterio sancti Clementis, anno ab incarnatione Domini M LXX. indictione VIII. regnante Philippo Francorum rege anno XI. & præsulante Eusebio episcopo anno XXII. patrocinante etiam domno Oderico abbate anno XXV.

LXXIII.

Ad lib. 60. n. 94. *Charta Gaufridi comitis Andegavensis & Agnetis comitissæ pro constructione Aquariæ.*

Ex archivo Vindocinensi.

IN nomine Domini Dei Patris omnipotentis & Filii & Spiritus-sancti. Ego Gaufredus comes pariterque comitissa Agnes pro redemtione peccatorum & liberatione animarum nostrarum desiderantes aliquod non facile abolendum eleemosynæ votum Deo omnium bonorum creatori & largitori humili devotione offerre, in honore & nomine summæ Trinitatis deificæ monasterium a novo fundavimus, & quantula opportunum fuit rerum possessione in servitio monachorum regulam Deo auxiliante ibidem constituimus, prius quidem apud castrum Vindocinum in parrochia Carnotensis episcopii, vivente scilicet adhuc in carne genitore meo, piæ recordationis Fulcone illustrissimo comite. Postmodum vero illo jam terrenis rebus exempto, etiam apud Andegavam civitatem, eo quod ipsa sit quasi fiducialius atque quietius honoris mei caput, alterum quoque priori consimile, tam consecrationis titulo, quam operis magnitudine superædificavimus monasterium, quod ad illud sane anterius appendens servis Dei monachis non singularis habitationis statione contentis, sed duorum locorum secundum possessionum suarum divisionem commoda positione fretis, contra multimodas incursantium casuum inquietudines per succedentium mutamina temporum duplex esse posset refugium, ac proinde ipsius eleemosynæ nostræ perseverabile firmamentum. Sed & procedente tempore non adhuc satis securi prioribus facti nostri stabilitatibus, quamvis non parva sollicitudine & apud regem Franciæ & apud ceteras Gallicæ provinciæ diversarum dignitatum personas procuratis, etiam hoc superaddere ad perennem rei corroborationem congruum & utile fore existimavimus, ut ambo illa monasteria in tuitionem sacratissimi apostolorum principis tradere & consignare deberemus. In cujus videlicet sancta provisione Dominus noster Jesus-Christus adeo voluit totius ecclesiæ suæ statum consistere, ut ei dignatus sit per semetipsum specialiter ejus gubernacula committere, dicens: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Igitur hujusmodi consilium a Deo patre luminum, ut credimus, inspiratum, a sapientibus & fidelibus viris comprobatum, atque plenum salubritatis perspectum perducere ad effectum stegimus anno ab incarnatione Domini M LVI. indictione IX.

Itaque supra dicta illa ambo monasteria studio bonæ devotionis fundata, tam Vindocinense videlicet, quam & illud posterius, quod Andecavæ situm est, & universam possessionis eorumdem summam, in quibuscumque territoriis vel locis constitutam, in patrocinium & ditionem beati apostolorum principis Petri & sanctæ Romanæ, matrum etiam matris ecclesiæ, non tam donamus quam refundimus, videlicet per manum & apostolicam auctoritatem domini Victoris summi viri & in præsenti tempore papæ ecclesiæ Christi universalis, ita ut abhinc in tempus reliquum utrumque illud monasterium & universæ res possessionis eorum qualiumcumque habeantur proventuum, ubicumque positæ sint locorum, & quæ scilicet jam ibi sunt, vel per nos vel per quoslibet fideles viros traditæ aut aliquo legitimo contractu adquisitæ, & quas volente Deo deinceps eodem contigerit aliqua justa ratione provenire, in tuitione sancti Petri & pontificum Romanorum consistant & defensione contra omnium hominum omniumque cujuslibet ordinis vel conditionis personarum injustas molestias & inquietudines. Ob cujus sane constituti certam rememorationem & efficaciorem conservationis vigorem abbas vel monachi supra memoratæ congregationis singulis annis censum solidorum duodecim persolvere procurent in supplementum luminarium ante venerabile corpus summi pastoris ovium dominicarum Petri concinnandorum.

LXXIV.

Victoris II. bulla pro monasterio Casinensi. Ad lib. 60. n. 1. *Ex authentico.*

VIctor episcopus servus servorum Dei, Friderico dilecto filio abbati venerabilis cœnobii almi patris Benedicti, quod nuncupatur Mons-Casinus, cunctisque successoribus ejus illic canonice ad regimen promovendis in perpetuum. Pastoralis sollicitudinis nostræ bonum si debet prospicee, & proficere omnibus etiam extraneis & longinquis, multo magis domesticis & propinquis. Ipsis quippe secundo gradu post Deum admovenda est visibilis caritas, ut per eos velut quædam visibilis flamma gradatim ad remotiores quosque discurrat. Piis ergo locis, & divina religione venerabilibus debitæ consolationis & defensionis porrecturi manus, illum ceteris præferendum non ambigimus, quem monasticæ normæ constat esse principale gymnasium, & sanctæ Romanæ & apostolicæ sedi contiguum,

contiguum, quem cives Romani, patres videlicet eximii Benedictus, Maurus, & Placidus cum nonnullis aliis fundarunt, quemque a gentibus destructum Romani pontifices nihilominus sua auctoritate restruxerunt, & privilegiis apostolicæ sedis merito ceteris cœnobiis prætulerunt, atque contra quorumlibet suspectas injurias efficaciter munierunt: quorum nos sacræ auctoritati sicut tempore, & loco succedimus, sic eorum exemplo, ut oportet, innitimur, & per hujus nostræ decretalis paginæ tenorem tibi, dilectissime fili & abba Friderice, electionem ad regimen cœnobii præfati seniori consilio omnium fratrum in præsentia responsalis nostri a Petro monacho aliquorum pravorum conspiratione electo in te translatam collaudantes confirmamus. Unde & secundum privilegia eorumdem antecessorum nostrorum, atque consuetudinem tibi, quem abbatem sacravimus, monasteriu almi patris Benedicti situm Monte-Casinicastri, cunctamque ipsius monasterii abbatiam, integre cum cellis suis, castellis, prædiis, & omnia sua pertinentia concedimus, & nostra auctoritate decernimus tam in finibus Beneventanorum, Apulorum, & Calabrorum, quam etiam in finibus Marsorum, & in Marchiis, sive ubicumque longe, & prope hactenus jure tibi pertinet, aliquid, sive quidquid deinceps ubivis juste acquisierit. Ad hæc justitiam, vel quodlibet debitum, quod officiales nostri sacri palatii exigunt a navibus ad Romanum portum applicantibus, vestri cœnobii navi peculiari gratanter relaxamus; & quotiescumque Romam ad servitium sanctæ Romanæ ecclesiæ veneritis, in sancta Hierusalem palatii Susurriani hospitium habeatis; & defuncto abbate, ibidem vestra, vel vestrorum successorum electione abbas constituatur a Romano pontifice consecrandus. Conservato vobis vestrisque successoribus privilegio, tam quod ex navi vestra, quam quod ex ipsa destructa ecclesia, ut vel sic restrueretur, proximus decessor noster sanctus Leo firmavit abbati Richerio. Usum quoque Sandaliorum, & Dalmaticæ, quamvis jure cardinalatus tui ab apostolica sede perceperis, a nobis tamen tibi, & loco deinceps in principalibus tantum festis concedimus ad honorificentiam tam venerabilis cœnobii, & ob dilectionem tui, secundum quod præfatus decessor noster tuo præfato concessit. Præterea corroboramus tibi, tuisque successoribus in omni conventu episcoporum, & principum superiorem omnibus abbatibus sedem, & in conciliis, & judiciis priorem sui ordinis hominibus sententiam pro reverentia tanti loci, qui primum, & summum monasticæ legislatorem vivum, & mortuum retinere promeruit, quique ipsius legislationem scripto, verbo, & exemplo cœnobiale propositum appetentibus in toto mundo sole clarius evibravit. Defuncto autem abbate ex se se ipsa congregatio secundum sanius consilium sapientum, & seniorum fratrum sibi abbatem eligat, & apostolicæ sedis pontifici firmandum, & consecrandum exhibeat: nec aliter ibi abbas constituatur, aut aliunde illuc intromittatur, nisi forte ex se aliquem tanto regimini idoneum non habuerint, & ob id saniori consilio extraneum sibi elegerint. Porro præter summum apostolicæ sedis Præsulem, cujuslibet ecclesiæ episcopum, vel sacerdotem in præfato monasterio, vel in cellis ipsius, ditionem quamlibet sibi præsumere hac nostra interdicimus auctoritate, ita ut nisi ab abbate fuerit invitatus, nec missarum sollemnia inibi audeat celebrare: sed remota, & propulsata qualibet oppressione ecclesiasticarum, vel sæcularium personarum, sicut hactenus mansit, a præsenti decima indictione, hoc nostro privilegio in perpetuum quietum, & liberum ad servitium, & gloriam Dei maneat sub defensione, & jure sanctæ Romanæ, & apostolicæ sedis, cum suis omnibus, ex quibus summatim, & generaliter omnibus hæc nominatim, & specialiter tantum istic digessimus: cella Albaneta, Ciconia, cella sancti Gregorii in Aquino, S. Nazarii, S. Benedicti in Clia, S. Benedicti in Insula, S. Silvestri, S. Urbani, S. Pauli, S. Angeli in Valle-Lucis, S. Michaëlis, sanctæ Mariæ in terris Albis, sanctæ Luciæ apud Fractas, S. Angeli in Canucio, S. Stephani in Terracina, S. Scholasticæ in Cayeta, sanctæ Mariæ in Berula, S. Nicolai in Pica, S. Mauricii in Limata, S. Petri in Esculeto, S. Benedicti in Sessa, S. Benedicti in Teano cum suis cellis, S. Benedicti in Capua, cum cellis, & terris circum-circa; simul & in Apulia, S. Benedicti in Martia, S. Liberatoris in Teti cum cellis suis sexaginta, & terris cultis, & incultis, & omnibus suis, sanctæ Scholasticæ in Pinna, sanctæ Mariæ in Murena, S. Martini in Salinis, S. Nicolai in Esculo, cella sanctæ Justæ, S. Benedicti in Trunto, S. Benedicti in Trino, sanctæ Mariæ ad Casales-planos, S. Eustatii, quam dedit Alferius Pantasiæ, S. Benedicti in Alarino, S. Benedicti in Pectinari; item sanctæ Mariæ ad Casales-planos, S. Trinitatis in Termulis, S. Benedicti in Asculo, S. Focatis in Alesino, cum Faucibus, & Piscaria; S. Eustasii in Arcu, S. Angeli in Barreio cum cellis, & castellis, & terris multis; sanctæ Mariæ in Barretano, S. Georgii in Luca prope Posterulam Virivualam, quam sancto Benedicto contulerunt Heinricus, & Rolandus fratres sanctæ conversationis habitum quærentes, ex qua etiam pro novitate facti privilegium tuo rogatu fecimus; Sancti Valentini in Comino, S. Salvatoris inibi, S. Benedicti in Venafro; ibidem sanctæ Mariæ, item S. Nazarii, cortem S. Felicis, S. Benedicti in Cesamo, S. Bartholomæi in Miniano. Castella autem hæc: inprimis ad pedem montis S. Salvatoris, quod est S. Germani, S. Petri, Pignatari, Plumbarola, S. Stephani, S. Georgii, S. Apollinaris, Vallis-frigida, S. Andreæ, Bantra Comitalis, Bantra Monaciscæ, Junctura, S. Angeli, Turudum, S. Victoris, S. Petri in Clia, Cervara, Vallis-Rotunda, S. Eliæ, Saraciniscum, Conca, Capriata, Francilone, S. Johannis, S. Benedicti-minoris, S. Johannis in Capua. Quorum aliqua olim fuere monasteria, sed a Sarracenis destructa, postmodum ad tuitionem patriæ necessario

facta caſtella : inſuper Laſtinianum , & alia tria caſtella, Mons Albrici, Muccla , S. Quirici cum portu decem navium, quæ duo Tranſmundus comes filius Actonis beato Benedicto in Monte-Caſino legali donatione, & cartarum munimentis contulit ; tertium autem Caſtellum Friſa , quod præfati Tranſmundi uxor pro anima ſua ſimili, ut ſua maritus, modo contradidit, quod etiam poſt mortem uxoris præfatus comes non timuit invadere, ſed Laterani in cappella ſancti Laurentii, præſente Humberto Silvæ candidæ epiſcopo , te quoque filio noſtro Friderico nondum ad regimen electo admonitus a nobis in ipſa confeſſione reatuum ſuorum Dominica quarta poſt paſcha ſponte refutavit. Igitur his, & omnibus quæ præfato cœnobio juſte pertinent nunc, & quæ in futuro juſte pertinebunt, ſub tutela, & Romana libertate hoc privilegio perpetualiter ad temporalem ſervorum Dei, præſentium ſcilicet, atque futurorum quietem , ſtatutis, atque confirmatis apoſtolica cenſura , ſub interpoſitione diſtricti anathematis, & divini conteſtatione judicii interminamus omnibus tam præſentibus , quam futuris , ne ullus hominum cujuſcumque ordinis, dignitatis , conditionis , vel cujuſcumque officii , ſeu quælibet , vel quantumlibet magna, aut parva perſona, quibuſcumque rebus, vel perſonis præfato monaſterio juſte pertinentibus , aliquam violentiam inferat , aut calumnioſus exiſtat, vel incumbat. Si quis vero, quod non optamus, hujus noſtri privilegii decretalem paginam temerario auſu in aliquo infringere tentaverit , æternæ maledictionis vinculis innodatum ſe noverit , & perpetua ſupplicia luiturum cum diabolo , & angelis ejus , niſi forte prius reſipiſcens ſatisfecerit ; at qui pietatis intuitu devotus obſervator exſtiterit, ipſius interventu almi patris Benedicti, perfectorumque ſequacium , ſociorumque ejus ſempiternæ benedictionis particeps, & paradiſi beatus poſſeſſor efficiatur. amen.



† Humbertus dictus cardinalis epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Silvæ-candidæ cognitum relegit, & ſubſcripſit.

† Heldibrandus cardinalis ſubdiaconus ſanctæ Romanæ eccleſiæ dando conſenſit , & ſubſcripſit.

LXXV.

Donatio facta eidem monaſterio.

Ad lib. 61. n. 2.

Ex authentico.

IN nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti. Quinquageſimo-ſecundo anno comitatus domni Marini, & quinto-decimo anno comitatus domni Dauferi, & domni Landoni, Dei gratia Thio , & nepotibus , atque comitibus , menſe Januario , undecima indictione Trijectu. Quoniam quidem Deo dignum , & valde placabile, tam in veteri quidem teſtamento , quam & in novo offerre Deo, ſanctiſque baſilicis patrimonium jubetur pro requie animarum defunctorum , & pro ſpe futuræ ac beatæ reſurrectionis. Quapropter credibili fide indubitanter accipitur promereri veniam delictorum, pro quibus hic largitur aliquid hujus mundi tranſeuntium rerum , & pro opibus oblatis terreſtribus, procul dubio a Domino recepturi ſperamus æternas. Hac ſiquidem fide & credulitate firmati , & de omnipotentis Dei miſericordia confiſi , ſperantes apud illum mercedem recepturos æternam , nos Marinus, Dei gratia comes, una cum Oddolana comitiſſa, dilectiſſima conjux mea , tam pro redemptione animæ noſtræ , quamque etiam & pro requie animarum genitorum , ſeu genitricum noſtrarum ; placuit nobis ab hodierna die , & perpetuis temporibus uno tenore , & uno conſilio promptiſſima , & gratuita noſtra voluntate offerre , & tradere , & perpetualiter tranſcribere in cœnobio tuo , ô ſanctiſſime Benedicte , quod honorifice , & famoſiſſime ſitum eſt in Caſinenſi caſtro , ubi domnus Stephanus papa , qui & abbas , ejuſdem monaſterii regimen tenet, id eſt totam & integram noſtram portionem , quod eſt quartam partem de inclito comitatu Trijecto , cum omnibus ſuis pertinentiis ; hoc eſt terris , vineis , planis , paſcuis , montibus , vallibus, aquis , molis. Inſuper tradimus , & offerimus tibi , ô ſanctiſſime Benedicte , omnibus caſis , quæ in hac ſupraſcripta civitate habere videmur , & medietatem de ipſo caſtro Spineo , quod nobis pertinenda eſſe videtur, & integram ipſam quartam partem de caſtro Fractæ. Hæc omnia tibi damus, & offerimus, atque tradimus cum omnibus ſuis pertinentiis , ſicut ſuperius legitur, ea tantum ratione , ut nullum ſervitium exigant tui rectores ab habitantibus in ſupraſcripta civitate, & caſtellis , niſi qualiter antiquitus ſoliti ſunt facere nobis. Ita tamen , ut qui cum caballo ſervire conſueti ſunt, ita pro tuo jure, & ſanctiſſimi jam ſupra nominati tui cœnobii deſerviant ; & qui cum boves, ſimiliter faciant. Iterum damus , & offerimus tibi totum & integrum noſtrum monaſterium, vocabulo ſancti Marini , cum omnibus ſuis paraturis & códicibus , & cum terris & vineis, & aquis , molis , & cum peculiis majori vel minori , & cum omnia , & in omnibus ad ſupradictum monaſterium pertinentibus, & ipſam quartam partem de monaſterio ſancti Martini de Aqua-mundula, cum omnibus ſuis pertinentiis, & omnia , & in omnibus ubicumque , vel undecumque nobis pertinent , vel pertinenda eſſe videntur a jure parentum noſtrorum , qualiter ſuperius diximus, tibi , beate Benedicte, offerimus & tradimus, in eo vero tenore , ut amodo & uſque in ſempiternum , in tuo jure & dominio permaneat ; & neque a nos , qui ſupra Marinus, Dei gratia comes , cum Oddolana comitiſſa conjux, neque a noſtris heredibus , neque a nobis nulla ſubmiſſa perſona, numquam exinde habeant tui rectores querela , aut calumnia in ſempiternum. Verum, quod abſit, & divina avertat potentia, quod ſive nos qui ſupra , ſive noſtri heredes , aut quavis perſona hominum magna vel parva , contra hanc noſtram offertionem ſeu traditionem aliquid contrarie agere voluerit , vel repugnare tentaverit , fiat anathematizatus a Domino , & a trecentis decem & octo ſanctis patribus , & partem habeat cum Juda traditore Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Inſuper compoſiturus ſubjaceat in ſupraſcripto tuo ſancto cœnobio Caſinenſi, auri puriſſimi libras centum ; & poſt ſoluta pœna, & anathemate percepta , hæc noſtra offertio & traditio , qualiter ſuperius legitur , firma permaneat in perpetuum. Scripta per juſſiones noſtras a Benigno preſbytero , & notarius ſupradictæ civitatis , in menſe & indictione ſupradicta. † Ego Marinus comes. † Ego, qui ſupra Oddolana comitiſſa, quæ ſcribere præcepi , & manus mea in hac cartula crux feci. † Signum manus domni Gregorii , filii Johanni Conſtani. †. Sign. manus Johanni de Maraldo. Ego Benignus inmeritis preſbyter , & notarius ſupraſcriptæ civitatis complebi , & abſolbi in menſe & indictione ſupraſcripta undecima.

LXXVI.

Vetus formula profeſſionis canonicorum regularium.

Ad lib. 61. n. 35.

Ex manuſcr. cod. Curbienſi.

CUm aliquis ſæcularis ſæculo renuntiare voluerit, vitamque canonicam elegerit, convocatis omnibus fratribus in capitolium, illum in medio ſtatuat , ejuſque deſiderium ac petitionem cunctis patefaciat : atque præcepta regulæ, & morem eccleſiæ proponat , & ut ſecum bene recogitet, ſi hæc ſervare velit, ammoneat. Melius eſt enim non incipere, quam poſt inceptum apoſtatare. Quod ſi hæc omnia ſe ſervaturum , Deo annuente, ſpoponderit ; ducatur in eccleſiam , eoque ante altare proſtrato , & dicente tertio : *Suſcipe me , Domine , ſecundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea.* Reſpondeatur , ℣. *Suſcepimus , Deus , miſericordiam tuam in medio templi tui.* Pſalm. *Magnus Dominus. Miſerere mei Deus. Ecce quam bonum*, cum *Gloria Patri. Kyrie eleiſon. Pater noſter... Et ne nos. Salvum fac ſervum tuum. Deus meus. Mitte ei Domine auxilium de ſancto. Et de Sion. Eſto ei Domine turris fortitudinis. A facie. Nihil proficiat inimicus in eo. Et filius. Domine, exaudi orationem meam. Et clamor. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo N. & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ, ut, te donante, tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per Christum, &c.

Alia.

Deus, qui renunciantibus sæculo, mansionem paras in cælo; dilata sanctæ hujus congregationis temporale habitaculum cælestibus bonis: ut fraternæ teneantur compagine caritatis unanimes, continentiæ præcepta custodiant, sobrii, simplices, & quieti gratis sibi datam gratiam fuisse cognoscant, concordet illorum vita cum nomine, professio sentiatur in opere.

Alia.

Deus, qui non mortem peccatoris, sed pœnitentiam & emendationem semper inquiris, misericordiæ tuæ clementiam suppliciter imploramus, ut huic famulo tuo N. sæcularibus actibus renuncianti largæ tuæ pietatis gratiam cælitus infundere digneris: quatenus castris tuis insertus, ita tibi militando stadium vitæ præsentis percurrere valeat, ut bravium æternæ remunerationis accipiat. Per Dominum.

Tunc eum osculentur omnes, & tradant ei per codicem suam societatem. Deinde se ipsum & res suas, quas Deo devovit, in manibus præpositi offerat. Professio subsequitur.

Ego frater N. sacerdos aut clericus, vel conversus, stabilitatem corporis mei ecclesiæ beati N. promitto coram Deo & sanctis reliquiis ejusdem ecclesiæ, in præsentia prælatorum domni N. & N. & cæterorum fratrum: & emendationem morum meorum, præcipue in castitate [a], *in communione, in obedientia secundum gratiam mihi collatam a Deo, & facultatem virium mearum.* † *Ipse subscripsi.*

a De ejusmodi professione lege præclaram epistolam Odonis canonici regularis in Spicilegii tomo secundo, pag. 525. & seqq.

LXXVII.

Concilium Romanum sub Nicolao II.

Ad lib 61. n. 35. *Ex manuscr. codice Romano.*

Anno ab incarnatione Domini M LIX. indictione XII. kalend. Maii, præsidente domno & venerabili papa Nicolao, anno primo pontificatus sui, cum cardinalibus suis, episcopis & presbyteris, considentibus quoque Dominico Gradensi patriarcha, & Widone Mediolanensi, & Olderico Beneventano, & Petro Amalfitano, & Odelrico Papiensi, metropolitanis & archiepiscopis, cum suffraganeis eorum, & nonnullis aliis episcopis Tusciæ & Campaniæ, Aur. . . . Apuliæ & Marchiæ-Firmanæ; adstantibus quoque diaconibus, in basilica sacri palatii Lateranensis, quæ agnominatur Leonina, præstantissimus vir Hildebrandus, apostolicæ sedis archidiaconi auctoritate functus ait: Nonnulli ex clericali ordine, per Spiritum-sanctum perfectæ caritatis igne inflammati, jam dudum in hac Romana urbe, & in provinciis atque parochiis eidem specialius pertinentibus seu cohærentibus, noscuntur communem vitam, exemplo primitivæ ecclesiæ, amplexi simul & professi, in tantum quod nihil sibi reservassent proprii, facultate sua vel distributa egenis, aut relicta propinquis, vel certe oblata Christi ecclesiis, quos sicut amor perfectionis artiorem viam aggredi, & per angustam portam ingredi sancta contentione conjunxit: sic & abundantia iniquitatis suo frigore paulatim disjungere quærit, ut post se recedant, atque propositi semel arrepti apostatæ fiant, dum sint in eis, quos incauta adolescentia, aut suspecta senectus revocat & retrahit ad præsumptionem peculiaritatis, quam suo vel parentum suorum voto reliquerant; qui etiam ad maximam suæ prævaricationis defensionem, assumunt aliquot capitula ex regula illa, quæ dicitur canonicis, hortatu Ludovici imperatoris, a quo nescitur, compilata; qui quamdiu priorum patrum sententiis & vestigiis congregationes canonicorum informare & ducere curavit, facultates ecclesiæ his tantum deberi prædicavit, qui amore perfectionis vel renunciant simul omnibus, quæ possident, vel soli cupiditati possidendi, si desunt alia quibus renuncient. Ubi autem vel suo, vel alieno languori quasi condescendere voluit, a tramite sanctorum patrum nimium devius aberravit, totumque, quod approbare videbatur, reprobavit; & quod defendendum susceperat, non solum impugnavit, sed quantum in se fuerat, expugnavit. Quæ capitula, quia in præsentiarum habentur, placeat huic sancto vestro conventui ut considerentur, ac demum necessaria & congrua sententia super his proferatur: quatenus qui jam suo seu parentum voto deliberaverunt, vel cœperunt in canonica congregatione sine aliqua proprietate vivere, retro respicere caveant; & qui manum in hujusmodi aratrum nondum miserunt, quid observandum sit eis, postquam semel miserint, edisçant. Simul quoque placeat sanctitati vestræ, ut recitetur professio illa, qua usque nunc in hac Romana urbe clerici instar primitivæ ecclesiæ communiter victuri, seipsos obligare sunt soliti. Et si confirmanda est auctoritate vestra, confirmetur; vel si corrigenda, vestro judicio corrigatur. quod ut diligentius fiat, nonnulli, tam præpositi, quam subditi in proposito cœpto perseverare cupientes, per me minimum vestræ sanctitatis famulum suppliciter exorant, qui jam plures ex his capitulis concepta audacia, aut congregationem communis vitæ ex toto deserunt, aut certe in ipsa congregatione manendo privatos sacculos sibi faciunt; aut si non faciunt, quia nequeunt, licere tamen sibi impune credunt. quo fit ut irrecuperabiliter pereant, dum velut ex præcepto regulæ, aut apostatant, aut apostatare deliberant; quin immo putant se prævaricatores, si defuerint his, quas regula illa concedit propriæ facultatis. qui denique utcumque tolerabiles forent, & nisi suo se lobio secum inhabitantes in-

ficerent, ac simplicium &. . . . . Deum servientium ardorem torpore suo refrigescere cogerent, nunc igne divino cordibus & . . . . vestræ pastoralis . . . . . accensis rogamus ea moderatione defendi, vel confirmari præcipuam instructionem Spiritus-sancti, quatenus nec sani infirmentur, nec infirmi moriantur; sed potius, aspirante Domino, utrique meliorentur.

Reverendissimus & summus pontifex Nicolaus respondit: Rem quam-maxime Domino Deo nostro placitam, & communis vitæ sectatoribus, vel professoribus necessariam suggessit præsens filius noster, quæ tanto studiosius nobis est tractanda, quanto huic apostolicæ sedi frequentior inde venit querela, & expectatur de die in diem sententia ejus sana & fixa. Unde diligenter consideratis capitulis illis, quæ dicuntur scandalum in canonicorum congregatione hactenus inducere; tandem apostolica auctoritate, & priorum patrum fulti traditione, removeamus quod priscæ eorum institutioni deprehendetur refragari, & restituamus quod approbabitur suffragari.

Tunc revoluto præfatæ regulæ corpore, inventi sunt duo libelli, secundum quod prologus eorum pollicebatur, canonice victuris compilati. Et prior quidem omnibus clericis de sanctorum patrum sententiis omnino recipiendus & laudabilis, præter quod indifferenter inserta concurrunt quædam capitula canonum, quæ quibuslibet absolutis popularibus clericis, non autem his, qui specialiter canonici dicuntur, congruunt. Alter vero ipsis canonicis tantum a communis vitæ proposito nimium discrepans, scilicet ex aliquot capitulis, quæ eidem inserta deprehenduntur ex institutione illa vel regula, quæ sanctimonialibus contra antiquitatis legem tunc temporis edita in prologo regulæ canonicæ indicantur. quæ prorsus capitula, sive post assumpta sunt ex illa sanctimonialium regula, sive prius digesta sunt in ipsa canonicorum regula, omnibus sanum sapientibus claret omnino aberrare ab institutione apostolica, & canonica vita. Et primo quidem quoniam compilatio ipsius secundi libelli, qui nunc est proprie canonicorum regula, dici solet ubicumque de nihil proprium habentibus, & communem vitam ducentibus sententias sanctorum patrum sanas & integras proposuit; mox eas perverso suæ præsumptionis arbitrio, aut corrupit, aut decurtavit; & quod majoris audaciæ, immo infinitæ stultitiæ fuit, quasi ipse solus litteratus esset, aut nemo nisi ipso exponente scripturas sanctas intelligere posset, testimonia, quæ ex dictis sanctorum patrum inseruit, sic exponere laboravit, velut si Domino dicente: *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus:* ipse e contrario dixerit: Nisi quis retinuerit quæ possidet, vel acquisierit sibi proprium undecumque prævalet, non potest meus esse discipulus. Deinde quia institutio illa vel regula, ut dicitur, nulli institutioni apostolorum, vel sanctorum patrum concordare noscitur; in eo maxime, quod in congregatione viventibus constituit, ut simul ecclesiasticis facultatibus & suis proprietatibus decenter utantur; si quidem a tempore apostolorum usque ad præfatum imperatorem Ludovicum, nulli professioni sanctimonialium virginum vel viduarum, constat ab aliquo sanctorum patrum istud fuisse concessum vel permissum, Domino nostro Jesu-Christo præmonstrante apud gloriosum apostolum suum Paulum, qualiter virgines vel viduæ sanctimoniam professæ, vel in domibus propriis, vel in claustris ecclesiasticis vivere debeant, decernente: Si quis fidelis, inquit, habet viduas, subministret illis, ut non gravetur ecclesia, ut iis, quæ vere viduæ sunt, sufficiat. Porro mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. In quibus apostoli verbis aperte monstratur stipendia ecclesiastica his solummodo virginibus vel viduis deberi, quæ facultates proprias aut non habuerint, aut reliquerint. Cujus ergo auctoritatis erit regula illa, quæ contra doctrinam apostolicam, & orthodoxorum patrum traditionem sanctimonialibus in congregatione commanentibus, sic concedit ecclesiastica stipendia & beneficia, ut retineant vel acquirant propria? Et certe hujusmodi sanctimonialium institutionem usque nunc tota Asia, Africa, simul & Europa, excepto uno minimo angulo Germaniæ, nec scivit, nec recepit; quam quotquot receperunt a tempore præfati Ludovici recepisse comprobantur. Unde constat ante illum sanctimoniales ubivis terrarum habuisse, quam sequerentur regulam a sanctis patribus sibi conscriptam, velut in Latina lingua a beato patre Benedicto, aliquibus dictionibus, a virili sexu ad femineum translatis, quam utique in sui regni provinciis inventam, nec Ludovicus mutare qualibet ratione debuit aut potuit sine auctoritate & consensu sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis: quia, quamvis imperator & devotus, tamen erat laicus: sed nec monachorum quisquam, quia non est illorum novam in ecclesia proprio suo magisterio, vel arbitrio regulam introducere, insuperque illi contrariam, quam beatus Gregorius testatur discretione præcipuam, & sermone luculentam. A cujus tramite in tantum aberravit compilator illius, ut videatur Sarabaitis specialem regulam, quæ usque ad istud tempus nullo scripto, sed moribus tantum & factis non erat, promulgasse, ne timeant aut erubescant deinceps prave conversantes, quibus proposita est veli regularis auctoritas transgrediendi. Post hæc dum consultaretur capitulum illud, quo uni personæ quatuor * libræ panis & sex potus quotidie conceduntur, sacer conventus episcoporum exclamavit hanc sententiam procul a canonica institutione removendam, quæ non ad christianam temperantiam, sed ad Cyclopum vitam, cum aliqua Dei hominumque reverentia irritare crapulam, & quod illa expensa magis videretur constituta marinariis, quam canonicis, matronis quam sanctimonialibus, scilicet ut habeant unde sibi concilient greges liberorum . . . . . seu aliarum pestium ad integritatis vel castitatis periculum, seu ad alterius nequitiæ escarium.

* *al.* sex.

Tunc etiam aliqui fuere, qui assererent capitulum illud a clericis Remensibus insertum præsumptuose, quod verisimile arbitratur, qui Gallos edacitate notatos a Sulpicio Severo, & multis aliis recordetur. Papa vero duo capitula illa quæ concedunt cum stipendiis ecclesiasticis . . .

. . . . . .

Cetera desunt in manuscripto, ut puto, originali; a quo avulsum est saltem folium unum.

LXXVIII.

Ad lib. 61. n. 59.

Notitia de pacata calumnia sanctæ Mariæ Vindocinensis.

Ex archivo Vindocinensi.

UT moris est in ordinatis monasteriis professionis nostræ, capellam quamdam cœpimus infra murum monasterii facere. Quod dum videret domnus Frodo de burgo sancti Martini, cœpit hoc quod agebamus admodum calumniari. Timebat enim parochiæ sancti Martini subtrahi, quod eidem capellæ dicebat acquiri. Cumque diu super hoc altercaretur, ad hoc usque venimus, ut ei decem libras daremus, quatinus & hoc ipse cum suis uxore & filiis annueret. Et insuper ipse cum filio suo Fulcone, qui natu-major inter alios fratres erat, homines domni abbatis Odrici fierent. Hujus conventionis internuntius archidiaconus Hugo fuit, ex cujus beneficio tenebat ipse domnus Frodo, quod in burgo sancti Martini possidebat. Interea cœpit infirmari, jamjamque mortem sensit adesse vicinam. Misit igitur ad domnum abbatem, deprecans ut ei succurreret, & habitum monachicum citius indulgeret. Obtulit ergo nobis alodium quoddam, terram videlicet de Arenis, quod eo tempore tenebat amicus ejus Fulcoius de Banasta: non donatum neque comparatum aliqua pecunia, sed a domno Frodone sibi præstatum amicitia. Quod si Fulcoius alodium reddere contradiceret, aut ipse domnus Frodo vel heredes ejus, ut redderetur agerent; aut alterius terræ tantumdem valentis commutationem nobis impertirent. Quapropter habitum domno Frodoni contulimus; filioque suo Fulconi, necnon & matri ejus decem libras denariorum, cum beneficio societatis nostræ donavimus, & fratribus ejus, exceptis duobus, qui præsentes eo tempore non habebantur. quorum favorem se promiserunt obtinere qui præsentes aderant. Annuerunt igitur & ipse adhuc vivens, & uxor ejus & filii ejus se dimittere calumniam de burgo nostro, juxta quod nos expedire possemus placito, necnon & faciendi capellam dedere licentiam; & ut a nostris burgicis omnem quæ offerretur inibi susciperemus offerendam. Hac itaque coram testibus in capitulo firmata conventione, præsente matre cum filiis, Fulco filius ejus junior effectus est homo domni Odrici abbatis, acceptis ab eo non post modicum pro hoc ipso decem libris.

Addidimus & nos huic conventioni, quia non multo post tempore post excessum patris eumdem Fulconem tumulavimus absque donatione cujuscumque pretii magni vel parvi.

Testes hujus conventionis in capitulo fuerunt hi. Testes ipse Fulco, & Guillelmus, & Simon, & Goffridus frater ejus, & Hildegardis mater eorum, Osbertus filius Sevini, &c. Factum est hoc in capitulo anno ab incarnatione Domini M LX. feria tertia pentecostes. Raherius canonicus sancti Georgii.

LXXIX.

Ad lib. 61. n. 59.

Fragmentum epistolæ monachorum Vindocinensium ad comitissam Agnetem contra Fulconem comitem.

Ex archivo Vindocinensi.

DE terra Arventi accepit comes Fulco mulam de Radulfo decano sancti Martini, ut sibi eam consentiat capere. Hugonem planum similiter consentit, terram nostram de sancto Arnulfo, quam tu, domina, emisti, sicut alia exempla tollere. Terra de Retorta, quam a filiis Haymonis emeramus, de qua cum nobis calumniam comes & ipsi qui vendiderant, inferrent, placitavimus, & precario ipsius comitis dimidiam ei habere permisimus in vita sua solummodo. Hanc & aliam, quam dominicam habebamus Drogoni fratri Matthæi de Monte-aureo dedit, qui eam tenet & colit. Walterio famulo nostro totum habere suum tulit sine clamore facto, & absque ullo forifacto. Arnulphum villanum nostrum totum prædavit, & insuper ut eum in terra venire * sineret, viginti solidos de eo accepit. De comessationibus pene quotidianis per omnes obedientias, quas ipse & brenarii ejus faciunt, quia nullus est omnino numerus, quasi leviora dimittimus dicere; unum tamen quod ipse nuper fecit, scire te volumus. Paululum piscis-grani pro quodam infirmo in Hulcetum miseramus, quod ipse de area extraxit, & sibi ad manducandum parari fecit. Aliorum collibertos, quos de terra nostra effugavimus, ne nobis de eorum ædificiis malum aut pœna contra ipsorum dominos surgat, ille, nolentibus nobis, ibi esse & ædificare compellit, nec ob aliud aliquod, nisi ut nobis semper adversetur in omnibus. Venator ipsius quidam, cum equum suum cuidam de monachis nostris tulisset, ita quod ut ex ipsius manibus habenas vi magna avelleret, eumque in venando quotidie defatigans, quantum sibi placuit, tenuisset, ita macilentum, & pene fame exemptum, ut vix trium solidorum ipsius esset pretium, presbyterum nostrum de Ferraria vi ut illum decem solidos emeret, compulit, quos utcumque monacho, licet invitus, restituit. Simili modo & apud Hulcetum cum aliis de ejusdem comitis satellitibus presbytero equum suum venandi causa rapere vellet, & monachus obedientiæ non permisisset, verum & clamorem super tali injuria ad comitem usque pertulisset, tale fuit rectum quod imperavit, ut comes hominem suum minis pluribus & conviciis gravibus valde insectaretur, quod monacho res ad modicum contradicenti, statim in viscera cultellum immerserit. Denique monachum postea

* *f.* vivere.

alium, cum venatum pergeret, equum potentia sua emere compulit. His itaque innumerabilibus multoque gravioribus malis eleemosynam vestram, & nos, qui ejusdem, Deo ordinante, vestraque annuente benevolentia, custodes esse ac dispensatores, licet indigni, debueramus, ille vester verbo tenus amicus Fulco comes indesinenter, & absque hominum reverentia ulla afficit, atque devastat. Sed jam pluribus verbis opus non est, cum omnium obedientiarum Vindocinensium substantia ad nihilum pene redacta, habitatoribusque ab eo fugatis, loca hinc inde deserta, quanta in nos malignitate grassetur, aperte satis ostendunt, nisi quod absentia vestra a nobis tam longinqua de tantis oppressionibus, vix etiam verbis satis doceri queat. Denique quicumque nos injuriatur, quisque monasterium, sive terras auferendo, sive aliquid rapiendo vastaverit, ille comiti carus. In tali discrimine, non solum vestrum, sed amicorum positi, si quid subveniendi consilii nostis, cito, carissima domina, dum adhuc saltem reliquiarum supereset, dare, sicuti pro anima vestra, curate. Vale.

LXXX.

Ad lib. 61. n. 61.

Agoberti episcopi Carnutensis charta pro Majori-monasterio.

Ex archivo monasterii.

CONditor noster & reparator Deus, inter multimoda præceptorum suorum documenta exemplo suo, justis petitionibus præsto esse nos debere instruens, nulli petenti quod justum est præcipit denegare. Cujus præcepto tanto devotius nos expedit obedire, quanto majora, quam ceteri ab ipso videmur possidere. Unde ego Agobertus, non quidem meis meritis, sed Dei gratia Carnotenus episcopus, scire vos volo, quicumque nobis in hanc sacrosanctam Carnotensis ecclesiæ sedem per ventura sæcula successuri estis episcopi, simulque clerum omnem & populum, ad quorum notitiam hujus nostri scripti series poterit pervenire, venerabilem abbatem Majoris-monasterii Albertum, humili nostris auribus innotuisse prece, ut ex nostra ei permissione ædificare ecclesiam in quodam loco nostræ diœceseos, Orcicasa dicto, concederetur. Qui equidem locus præterfluentis Scisciæ fluvii ripæ in orientali ingressu silvæ, quam vocant Blemartium, adjacens in pago Blesensi consistit. Habebant autem monachi sancti Martini, quorum ipse erat pastor, in territorio Tricassino villam quamdam, Juviniacum nomine, quam eis cum omnibus sibi adjacentibus, post mortem Odonis comitis, filii ejus, Tetbaldus & Stephanus comites, atque eorum mater Ermengardis donaverant, quæ, pro eo quod quasi a suis excluſa finibus & semota procul illis videbatur, dari sibi pro ea in mutuam vicissitudinem partem quamdam prædictæ silvæ, quæ propinquior ac vicinior suis erat terris, jam dictum comitem Tetbaldum, paucis ante annis rogaverant. Cujus jussu cum hæc eadem pars silvæ mensura leugæ unius quaquaversum ab orientali plaga determinata, & eisdem monachis tradita fuisset, contigit memoratum locum infra eamdem determinationem contineri. In hoc ergo loco, Orcicasa superius nominato, cum præfato abbati novam fundare ecclesiam in honorem sancti apostoli Bartholomæi placuisset, & a nobis perficiendi licentiam, ut dictum est, requisisset: hoc etiam nos similiter deprecatus est, quatinus sanctum Martinum heredem ex ea ab omni venditione & comparatione a synodo vel circada, ab omni debito & parata absolutam instituteremus. Nos vero tanti viri precibus non annuere nefas esse putavimus; quippe qui indubitanter crederemus, & respuere eas non parvi esse periculi, & suscipere maximæ mercedis: quandoquidem, tam ipse quam ejus congregatio, sub se Deo militans, pro hoc sibi impenso beneficio, non solum nos & successores nostros, sed etiam clerum nostrum magnifice apud Deum suis orationibus juvare possint. Hac itaque consideratione permoti, ob nostræ in primis successorumque nostrorum seu clericorum, quorum consilio & voluntate id fecimus, necnon etiam dominorum nostrorum piissimorum regum, Philippi videlicet & matris ejus Agnetis animarum redemptionem, amico ac familiari nostro sæpe dicto abbati, atque congregationi ejus, ut pro nobis orare eis libeat, nostram in omnibus, secundum ejusdem abbatis sui petitionis tenorem, accommodavimus auctoritatem, fabricare scilicet ecclesiam in eo quem diximus loco, sicut vellet. quæ ex nostra liberalitate, favore etiam domni Arnulfi archidiaconi nostri, qui in illis tunc partibus, ubi fabricanda erat, archidiaconatus sui gerebat officium, vel ceterorum, ut præmissum est, clericorum nostrorum, tale in perpetuum obtineat privilegium, ut sanctus Martinus ex ea heres fieret, & ab omni venditione & comparatione a synodo vel circada, ab omni debito & parata absoluta esset. Qua de causa præceptum istud fieri jussimus in assertionem nostræ auctoritatis atque liberalitatis, ut per illud servi Dei a nobis sibi concessa, stabili firmitate possideant & defendant, si forte cujuspiam importunitas exegerit adversantis; & hoc sit semper illis in monimentum, quantum beneficium a sancta Carnotensi ecclesia sunt consecuti. Quod etiam ut inconcussum & irrefragabile in sæculum perseveret, in capitulo Dominæ nostræ Virginis perpetuæ Mariæ, coram canonicis nostris, quibus præsentavimus illud lectum, testimonio cunctorum approbatum & corroboratum est. Quorum nonnulli in assignationem subscribuntur veritatis. Ego quoque ipse illis consentiens, crucis in eo sacræ manu propria exaravi effigiem, & ad supplementum firmitatis, precibus etiam apud prædictos dominos nostros serenissimos reges obtinui, ut regio sigillo, sicut est cernere, contra pravorum vexationes muniretur. † Signum Agoberti episcopi. † Signum Hugonis decani. † Signum Arnulfi archidiaconi. Sign. Ingelramni cancellarii. Sig. Hildegarii subdecani. Sign. Sigonis archidiaconi. Sign. Roberti subcantoris. Sign. Adelardi archidiaconi. Sign. Guillelmi præpositi.

Sig. Guimberti capiciarii. Sig. Aſcelini Britonis. Sig. Huberti Stannei. Sig. Gualterii Bleſenſis. Sig. Odonis filii Martini. Sig. Aldrici præpoſiti. Sig. Curanni. Sig. Fulberti nepotis Fulberti epiſcopi. Sig. Raginaldi. Sig. Guarini Baſivi. Sig. Olberti preſbyteri. Sig. Herberti preſbyteri. Sig. Herberti Rufi. Sign. Bernardi. Sig. Leodegarii. Sig. Rodulfi. Sig. Gerogii filii Herbranni. Sig. Ivonis grammatici. Sig. Gauſbert. Sig. Fidolini nepotis Johannis. Sig. Aldrici clerici epiſcopi. Sig. Gualterii preſbyteri. Sig. Giroardi. Sig. Widonis filii Gauſlini. Sig. Hilonis. Sig. Gauſberti indocti. ✠ Signum Philippi glorioſiſſimi regis. *Locus ſigilli*... Euſtachius notarius ad vicem Balduini recognovit & ſubſcripſit. Data VII. kal. Decembris anno I. Philippi glorioſiſſimi regis. Actum apud Stampenſi caſtro in Dei nomine feliciter amen, indictione XIIII.

LXXXI.

Ad lib. 61. n. 113.

Fragmentum privilegii S. Faronis pro monaſterio S. Crucis.

Ex membrana bibliothecæ S. Genovefæ.

.... Vaticinium Domini inveniuntur, qui non curvarunt genua ante Baal apoſtolicam expetent cenſuram, & ſic ſe ab omni læſione ut .... eorum, id eſt apoſtolicam ſedem, hujus rei querimoniam referent. Omnimodis enim prohibemus epiſcopo occaſionem poteſtatis in eccleſia .... eptionis. Si quis vero inſolens faſtu præſumptioſæ mentis huic privilegio apoſtolicæ ſanctionis contraire voluerit..... eccleſiaſticæ ordinationis privetur. Deinde condemnatus ut anathema maranatha titulo chriſtianitatis careat, & ..... nium principum ſubjaceat. Dat. .... idus Maias impp. DD. NN. piiſſimis noſtrorum piiſſimis Conſtantino anno XXVI. P. C. ejus anno VI.... anno XI. ſcilicet. Davit quidem anno ſecundo & Martino anno primo, indictione duodecima. Ego Johannes ſe .... ductus pio amore monachicæ religionis & reverentia bene timorati viri Faronis epiſcopi & ſatis juxta pet.... regis Francorum benigno & voluntario animo hanc immunitatem dedi & confirmavi, & ſubſcripſi. Simi.... a dilecti noſtri Faronis Meldenſis epiſcopi & hic etiam in præſentiarum ſunt rogo & jubeo ut conſentientes manu ſua ſ..... eccleſiæ ſerviens hoc privilegium conſentiens ſubſcripſi. † Laudelenus in Chriſti nomine epiſcopus ſerviens ſanctæ eccleſiæ Viennenſi..... Dei nomine Adeodatus Matiſconenſis urbis epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſcripſi.... † In Chriſti nomine Donatus epiſcopus urbis Veſ.... tiens ſubſcripſi. † Ghildegarius Senonicæ urbis epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſcripſi. † Maurinus peccator Belloacenſis urbis epiſcopus hoc.... urbis epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſcripſi. † Madegiſilus Turonicæ urbis epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſcripſi. † Aigatarius Noviomagenſis epiſcopus .... nenſium urbis epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſcripſi. † In Dei nomine Mamantius indignus quidem Engoliſmenſium urbis epiſcopus hoc privi .... guſtidunenſis urbis epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſcripſi. † Bertuoldus per miſericordiam Dei Linguonicæ urbis epiſcopus injungente dompno b.... † Palladius Autiſiodorenſis urbis epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſcripſi. † Papinus per miſericordiam Dei Genavienſis urbis epiſcopus hanc conſtitu.... næ urbis epiſcopus hanc conſtitutionem conſentiens ſubſcripſi. † Marius indignus Redonenſis urbis epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſcripſi. † Ra.... ſubſcripſi. † In Chriſti nomine Protadius epiſcopus civitatis Aquenſium hoc privilegium conſentiens ſubſcripſi. † In Dei nomine Chagnoaldus germanus Lugdunenſis * epiſcopus ..... agueſis Trecaſinæ urbis epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſcripſi. † In Chriſti nomine Amandus Trajectenſium urbis epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſcripſi. † Siagrius epiſcopus.... Dei nomine Burdegalenſis urbis epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſcripſi. † Verus licet peccator Rotenus urbis epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſcripſi. † In Chriſti nomine Anſ...

* *l.* Laudunenſis.

LXXXII.

Alexandri II. bulla pro Vindocino de titulo Sanctæ Priſcæ.

Ad lib. 62. n. 31.

Ex authentico.

